
ANNALES
ECCLESIASTICI
VETERIS TESTAMENTI.


ANNALES
ECCLESIASTICI
VETERIS TESTAMĒTI
Quibus connexi sunt
ANNALES IMPERII ASSYRIORVM, BABYLONIORVM,
PERSARVM, GRÆCORVM,
ATQVE ROMANORVM,
Autore IACOBO SALIANO
Societatis IESV.
Sufpice cœlum, et numera stellas, si potes.
LVTETIÆ PARISIORVM
Sumptibus SEBASTIANI
CRAMOISY, via Iacobæa
sub Ciconiis
Cum priuilegio Regis. Et superiorum permissu
Leonardus Gaultier incidit MDCXIX.

ANNALES ECCLESIASTICI VETERIS TESTAMENT

In quibus res gestæ ab Orbe condito ad CHRISTI Domini natiuitatem, & mortem, per annos ferè singulos digeruntur, & explicantur.

QVIBVS CONNEXI SVNT

ANNALES IMPERII ASSYRIORVM, BABYLONIORVM, PERSARVM, GRÆCORVM, ATQVE ROMANORVM.

Quantum ex sacris, prophanisque Scriptoribus agnosci, atque ordinari potuerunt.

AVCTORE IACOBO SALIANO AVENIONENSI, Societatis IESV Presbytero.

TOMVS PRIMVS.

Totius Operis distributionem pagina abhinc septima demonstrabit.

Mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio, vsque ad finem. Ecclesf. 3. 11.

LVTETIAE PARISIORVM.
EX OFFICINA NIVELLIANA.
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, via Iacobæa, sub Ciconiis.
M. DC. XI

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.



D. O. M.

REGI SECVLORVM IMMORTALI, ET INVISIBILI,

SOLI DEO HONOR ET GLORIA IN SECVLA SECVLORVM.

AMEN.

QVID NI enim nominatim tibi, ô summe Princeps, consecrem, hoc quidquid est opellæ meæ? imò vero, atque etiam multo magis, quidquid est benignitatis tuæ in hoc priscorum seculorum monimento; in quo si quid forte boni est, tuum profectò est; quidquid reuera est mali, non diffiteor meum; præsertim cum iam tot annos in Societate filij tui, indignus licet, sim seruus tuus, et filius ancillæ tuæ; qui docuisti me à iuuentute mea, et vsque in senectam, Ps.70.17.
& senium, Deus non derelinquis me. Regibus quotidie, magnisq. principibus Doctorum virorum opera, eximia industria elaborata dicantur; in quorum vestibulis, ac quasi propylæis illustria nomina, titulósque splendescere gloriosum ipsi putant: meritò sane. Sunt enim primariæ imagines maiestatis tuæ, & regendis mortalibus vices tuas in terris gerunt. Ego ambitiosior temetipsum principem adeo principum, & regem regum, à quo est omnis potestas in cœlo, & in terra, qui vnus verè audis, D. O. M. Cui quidquid est vsquam Regum et Principum de via decedunt, imo de curribus auratis adoraturi desiliunt, non fasces securesque, sed capita ipsa, & colla, vt summo suo REGI *submittunt: Adeo, & addico tibi, atque adduco ad altare tuum, hunc vitulum labiorum meorum, hoc sexa-* Osee14.3
genariæ ætatis holocaustum, et nonnihil digesta quadraginta secula, REGI SECVLORVM. *Qui scribimus, posteritati omnium, se-*

culorum scribimus, & immortales fieri apud eos ambimus, qui sunt ipsi mortales, nec prebere operibus nostris diuturnitatem, aut seculorum longinquitatem possunt, quam ipsi non habent; nec præmium immortalitatis, quod ipsi non pollicentur. Ego si secularibus hisce Annalibus ambio immortalitatem, nonne eos tibi meritissimò ad pedes abijcio, hoc mortalitatis tempore, in aliquem mortalium vsum conseruandos, REGI SECVLORVM IMMORTALI?

A quo autem præmium expetam, vel expectem nisi à te, omnium potentissimo, ac magnificentissimo principe, qui largitorem calicis aquæ frigidæ, non indonatum abiturum promittis? cui fœnerari appetam, nisi ei, qui reddat impendium fœneratori centuplum? aut cui offerendi sunt fructus, nisi ei, cuius omnibus nominibus est arbor tota, quantulacumque est, & ipsum eius solum? Quoniam verò quæ videntur caduca sunt, & obnoxia mutationi, quæ non videntur æterna, non habeo ad quem aspirem dulcius, quem suspirem in præmium vehementius, cui denique famulari vtilius queam, quam REGI SECVLORVM IMMORTALI, ET

Psal.85.8 INVISIBILI. *Et quoniam nemo est similis tibi in diis Domine, qui solus es Deus, solus es Rex, solus à quo, & per quem facta sunt secula, solus habes immortalitatem, solus lucem habitas, in quam oculi penetrare non possunt, neque illam æquare visionem, qua tute ipse contemplaris, qui facis mirabilia magna solus; debui profectò extra ordinem, extráque numerum hæc dicare* SOLI DEO, *quem neque ordo capit, neque numerus comprehendit.*

Si quid aliquando laboriosarum huiuscemodi scriptionum, gloriæ & honoris causa, deferimus magnis viris, ita deferimus, vt ad eum denique deriuetur honor & gloria, à quo fluxit quidquid in ipsis veneramur excellentiæ, virtutis, maiestatis, tanquam illustriore expressum, quam apud vulgares homines, charactere: oportuit vtique multo impensius illum honorari, à quo enascitur, & efflorescit quidquid est in illustribus viris excellentiæ, & cui primario nomine, ac principe loco debetur omnis HONOR ET GLORIA.

Eccli.44.1. *Celebrauimus hic gloriosos viros in generatione sua, heroas fortissimos, sapientissimos principes, religiosissimos pontifices, atque sacerdotes, heroinas etiam admirabiles, & omni laudum genere præstantes: Gesta Patriarcharum, & Prophetarum, qui à seculo sunt, maximo prophetarum Duce Mose descripsimus, aut rudiore potius penicillo adumbrauimus; quicumque est illorum honos, quæcumque gloria, tua est, qui in eis, quæcumque ab ipsis profecta, perfectáque laudamus, vel admiramur operatus es, totum id quantumcumque est, tuum est: nihil inde Adamus aut Abel, nihil Noë vel Abraha-*

mus, nihil Moyses, aut Aaron seorsim à te sibi vendicant, quasi proprium ac suum; nihil inde homo vel angelus, nihil casus aut fortuna decerpit; totum est, totum est inquam tuum, cuius est omnis HONOR ET GLORIA. *Sed & isti ipsi seniores, veteris testamenti lumina, coronas suas ad pedes abyciunt tuos, à quo non sine religioso timore audiunt, Gloriam meam alteri non dabo.* Esai. 48. 11.

Si quos aliquando Mæcenates quærimus in principibus viris, quorum ex illustri gloria splendor aliquis in operibus nostris, quasi à nouo Sole colluceat, albescat, & vibret, ab eis præclarè terra marique gesta percensemus, si qua in bello fortiter, in pace sapienter, in prosperis magnificè, constanter in aduersis patrata sunt: si qua ad commune bonum vtiliter, ad hominum prædicationem gloriosè suscepta, perfectáque sunt studiosè numeramus, & verborum ornamentis efferimus. Quem ergo Mæcenatem alium à te sibi Annales isti quærant, ac deposcant, & maximè hic, qui primus lucem intuetur, liber, quem primum in theatrum Christiani orbis tanta sapientum corona circumfusum, timidi, ac circunspectantes damus: in quo scrutamur atque admiramur, magnifica illa opera tua, ac plane diuina: quibus omnia mortalium opera tanto interuallo cedunt, quanto cedere necesse est caduca immortalibus, finita infinitis, humana diuinis.

Hic tibi gratulabundi recitamus quanta potestate Empyræum illud cœlum, illam aquarum immensitatem, illum addensatum totius terræ globum, media in abysso innatantem, è nihilo, vnico potentissimæ voluntatis consensu eduxeris. Quanta sapientia mentes illas ab omni concretione mortali secretas, in hierarchias suas, ordinésque digesseris, naturæ gratiæque donis, muneribus officiisque distinxeris, quam eleganti varietate atque ordine vniuersi huius partes distribueris, ac dispensaris: primigeniam illam lucem emicare, atque in orbem instar Solis, triduo circumuolui iusseris: firmamentum in medio aquarum expanderis: terras aquis, & aquas terris ita secluseris, vt ad communem tamen vtilitatem in spongiosa terra intus & foris bellè copulentur. Quanta dignitate luminaria hæc tua, ô vera lux maiora minoráque, incredibili singula pulchritudine decorata, quasi totidem corporatos huius machinæ præsides, in alto, atque illustri loco collocaris, & gloriam tuam enarrare iusseris. Quanta cunctorum animantium vtilitate terram plantis, et omnis generis arboribus extrinsecus ornaris, easdémque in imis visceribus, metallis auri, & argenti, cæterorúmque copiosè locupletaris, maria & flumina piscibus, aërem volucribus, agros syluásque animantibus, feris cicuribusque repleueris: hominem de-

nique horum omnium dominum beneficentissima, ac plane paterna manu finxeris, in hortum longè beatissimum induxeris, innumerabilibus bonis, cum tua ipsius imagine, circumfluentem. Quanta denique bonitate omnia opera tua, quæcumque patent, & quæcumque latent ita produxeris, vt omnibus bene esset; omnia, pro captu moduloque suo, beatissimæ fœlicitatis tuæ participes essent, qui non es aliquo bono bonus, sed bonum omnis boni. Aug. lib. 8. de Trin. c. 3.

Nec ea enarrare contenti, Spiritu tuo sancto duce, & dilectissimo Præcone felicissimi nuncij tui, scrutamur in ipso limine laboris huius, etiam profunda Dei. Quis status Authoris mundi ante mundi constitutionem: qui locus, quæ tanta ipsius ab omni retro æternitate molitio. Quæ causa, quod tempus, modusue condendi mundi, quæ Intelligentiarum illarum gloria, dignitásque ab initio fuerit, è diuite penu eruta thesaurorum tuorum: quæ demum culpa infœlices afflixerit; quæ pœna perduelles mulctarit, mactaritque desperatos: qua charitate, ac munificentia cæteros in officio suo, et amore tuo constantes, reddideris participes tui; vt videant te sicuti es. 1. Ioa. 3. 2. *Cum quibus & nos, qui tibi nunc hoc quidquid est vel laboris, vel industriæ, aut studiosæ potius tibi placendi, ac de omnibus bene merendi voluntatis, damus, dicamus, consecramus, aut verius accepta reddimus, ac repræsentamus; cum illis, inquam, beatis mentibus, sanctissimis patriarchis, augustissimis regibus atque principibus, religiosissimis pontificibus et sacrorum administris, verissimis interpretibus, ac mysteriorum tuorum prænunciis; omnibus denique famulis, atque electis tuis, aliquando miserante te concinemus, REGI SECVLORVM IMMORTALI, ET INVISIBILI, SOLI DEO HONOR ET GLORIA IN SECVLA SECVLORVM. AMEN.*

Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

OPERIS TOTIVS DIVISIO.

Totum opus in ſex Tomos, ſiue partes diſtributum eſt.

Primus hic tomus ab Orbe condito ad ortum vſque Moſis, annos bis mille quadringentos & ſexaginta tres complectitur, totamque Naturæ legem, libro Geneſeos comprehenſam.

Secundus à natiuitate Moſis, ad pontificatum Heli, & Samuëlem Prophetam progreditur; ab Exodo vſque ad libros Regum.

Tertius habet regnum Iſraëlitarum ſub Saule, Dauide, & Salomone, Heli & Samuele præmiſſis; ex libris Regum, & Paralipomenon.

Quartus à diuiſione regni Iſraëlitici ſub Roboamo, vſque ad Nabuchodonoſorem, & captiuitatem Babylonicam exeuntem protenditur, ex iiſdem libris; additis Tobia, Iuditha, & Prophetis eorum temporum.

Quintus ab imperio Cyri orditur, & Perſarum Monarchiam, magnámque partem imperij Græcorum amplectitur. Ibi Eſdras, Nehemias, Eſther, & vltimi Prophetæ.

Sextus & poſtremus à regno Antiochi Epiphanis, ad Chriſti domini mortem decurrit; eóque libri Machabæorum elucidantur, Euangelici libri in ſuos annos digeruntur.

CANDIDO LECTORI S.

Habes in hoc opere, Lector, non ſolùm vniuerſam veteris ſcripturæ hiſtoriam, per annos ſuos digeſtam (nam id in Euangelica quoque præſtitimus) ſed etiam enarratam, cum expoſitione quamplurimarum, grauiſſimarumque difficultatum.

In eodem Fl. Ioſephi infinita errata ex ſcriptura ipſa, et certiore hiſtoria corriguntur. Emendatoris etiam temporum vis ingens errorum, parachroniſmorum, et ſupputationum erronearum demonſtratur.

Scriptores fere omnes, qui hiſtoriam ſacram, profanámue, aut ex profeſſo tractarunt, aut obiter attigerunt, in annos ſuos digeruntur, traduntur que compendio; vt propemodum quæcumque ab iis narrata ſunt, paucis comprehenſa ad ſua tempora reuocari poſſint.

Stemmata familiarum illuſtrium, ſacra, prophanaque hiſtoria, diſpoſita, ſuiſque auctoribus teſtata proponuntur.

Pontifices Hebræi ad mille quingentos annos, ab Aarone ſcilicet ad Chriſti domini paſſionem, per annos ſingulos annotantur.

Addidimus denique παράλληλα illuſtrium quarumque perſonarum veteris teſtamenti cum Chriſto Domino, et illuſtrium fœminarum cum beatiſſ. Virgine.

IN

IN ANNALES
ECCLESIASTICOS
VETERIS TESTAMENTI,
PRÆFATIO AVCTORIS AD LECTOREM.

CAPVT PRIMVM,

De nostro in hoc opere instituto.

Tobiæ 5. SAPIENTISSIMI, atque integerrimi Patris, innocentissimus filius Tobias, longam, ac necessariam suscepturus peregrinationem, in regionem Medorum, diuina prouidentia Angelum Domini quasi iuuenem elegantem, viarum omnium peritissimum, atque ad iter expeditum inuenit; qui introductus ad Senem, ei bene precatus, prouinciam deducendi, reducendíque filij in se perofficiosè recepit; Eáque non minus sapienter, fœliciterque perfunctus est, quàm hilariter, beneuoléque susceperat. Delibetatum habes fortasse (benigne Lector) multarum regionum, ac temporum peregrinationem conficere; & in finem sæculorum iam delapsus, cogitas antiquos dies, & annos æternos in mente habes; Si quomodo possis thesaurum diuinæ prouidentiæ, qui sacra historia continetur, recludere, atque auferre tecum sapientiam, quam ille amatoribus suis conferre liberaliter solet. Cupis & longinqui, ac diuturni itineris expeditum aliquem habere aut comitem, aut ducem. Vtinam hic ego tibi Angelus esse possim; qui iam tot annos, nullo meo merito, sed diuina benignitate in eorum numerum sacerdotio allectus sum, quorum labia custodiunt scientiam, ex quorum ore cæteri requirunt legem; quia Angeli Domini exercituum sunt. Vtinam ego te, non ad Medos solùm, & Assyrios deducere; sed per omnes pene omnium regionum tractus, omniáque imperia, (quę Mundum ab ipsius pene cunabulis, ad eundem, Christi Domini aduentu, vita, mortéque redemptum; & resurrectione renouatum, armis ac potestate tenuerunt) peregrinantem comitari, vt institui, tutò fœliciterque possim. Negare sanè non ausim ea mihi aliquo modo nota; omnia quippe hæc itinera multos iam annos percensui, atque perlustraui; & quantum licuit, peritissimorum quorumque trita vestigiis loca peragraui; nec labori vmquam peperci, si quomodo assequi possem, quod sequebar. Si ergo placet

I. *Auctor Lectorem salutat, eique se viæ huius comitem offert.*

viæ dux, aut comes, gaudium tibi primum sempiternum precabor, vt ille Seni. Salutatum quippe te cupio hoc primo in limine nostrorum Annalium Ecclesiasticorum, Candide Lector, desideróque vehementer non minus iucundam tibi, ac fructuosam eorum lectionem, quàm mihi fuit, per hosce annos deuexæ in senium ætatis, laboriosa. Deinde eo functus honestatis atque humanitatis officio, alterum iustitiæ, & æquitatis assumo, vt nonnullarum tibi scrupulos dubitationum eximam, si fortè in eos iam incurristi, aut vltro occurram, ne iis te nec opinatò ipse induas; quibus vbi te expediero, quantum Dominus ille dederit, cui nostra omnis desudat industria, alacri, vt spero, animo, ac serena fronte, in hanc te viam mecum dabis.

Capvt II.

Sit ne operæ pretium studiosum Lectorem huiusmodi Annales Ecclesiasticos versare, aut omnino cognoscere.

I. *Annales Ecclesiastici nobile scriptionis argumentum.*

Exaggerabo etiam amplius disceptationem istam, & de scriptore ipso simul etiam quæram; num operæ pretium omnino sit, hominem mediocriter rebus ad scribendum necessariis instructum, in hoc Annalium longo, ac laborioso argumento versari. Ego quidem certè persuasum habeo, Amice Lector, illum qui ad hoc opus aggressus sit, magnum quoddam ac nobile negotium, Christianæ reipublicæ vtile, Lectoríque delectabile, suscepisse. Authori autem suo laboris, & vigiliarum plenum, iudicij verò, & industriæ maioris, quàm quiuis de se facile polliceri possit. Nobile dixerim, quod Historiam sacrosanctam, & virorum sanctissimorum gesta, sæpe occulta, & minus animaduersa patefaciat, & sua in luce constituat. Nec sacrosanctam modò, sed, quod maximè in Historia desideratur, veritate, quàm maximè nixam; vt quæ sacrarum litterarum oraculis, testimonio, narratione nitatur: quantùm quidem Spiritui sancto placuit, & Dei, & hominum dicta, factáque, posteritati per scriptores sacros propagari. Cætera verò ab optimis quibúsque scriptoribus, tum antiquis, tum recentibus studiosè mutuetur.

II. *Vtile ac necessariũ Scripturæ studiosis.*

Iam verò vtilitas, aut necessitas etiam ex eo intelligi potest, quod hac ordinatione temporum, vt rectè illustrissimus Baronius, post D. Augustinum animaduertit, multis perobscuris in Scriptura locis plurimum lucis affertur; multæ Interpretum dubitationes, ac scrupuli eximuntur, multa errata manifestè deprehenduntur, quorum Authores, ignoratio temporum induxit in fraudem. Constat enim passim in Historicis, & Propheticis libris, temporum seriem minimè fuisse setuatam: sæpéque quid prius, posterius ve sit, ne ab attentis quidem satis intelligi: immò sæpe incidunt loca, quæ inter se, & cum veritate ipsa apertè pugnare videantur, & nisi tempora attentissimè distinguantur, conciliari non possint, quibus dum sese aliquando expedire moliuntur interpretes, alios ex aliis errores, & portenta pro-

ſeminant. Sed operæ prerium eſt vt rem ipſam illuſtremus exem-
plis.

ECCE ribi Abrahamum Parriarcham anno parris ſui ſeptuageſimo III.
Gen 11. 26. natum, vr communis ferr ſenrenria, & fir ex Scriptura probabile; & ra- *Cuius obſcuriſſima*
men ducenreſimo quinto & vlrimo parris, filius 75. dumraxar annorum *loca illuſtrata in Hiſtoria, Abrahami.*
Gen. 12. 4. fuiſſe perhibetur, cur non poriùs 135. Rurſum in primo Regum volumi-
1. Reg. 16. 11. ne, Dauid puer eſt paruulus, & paſcir oues; & mox ibidem dicitur, non *Dauidis.*
ſolùm benè perirus pſallendi cirhara, ſed eriam forriſſimus robore, & vir
bellicoſus, & prudens verbis, &c. Aduocarus à Saüle, diligitur, fir eius ar-
17. miger, ſtar iugiter in conſpectu eius, &c. Capite aurem ſequenti ad-
huc ſeruat oues, furtim venir ad prælium, proſternir Philiſtęum, & ramen
ei à Saüle dicitur, non vales reſiſtere Philiſtæo iſti, quia puer es; & mox
quærir de qua ſtirpe ſir: nec eſt qui docear Regem de ſeruis ſuis, ſed ille
ipſe Dauid rogandus eſt, qui ſcilicer dictus fuerat iugirer ſteriſſe in con-
ſpectu Regis.

c. 15. 5. IN 4. Regum dicirur Ozias, lepra percuſſus, ſi quæramus quando id IV.
conrigerir, Scriprura racet. Hebræi eum proferunt annum, quo rerræ *Oziæ.*
motus conrigir, ſub initium Prophetiæ Amos: idem affirmat Ioſephus;
Hieronymus aut ſequirur, aur diſſimulat. At quî fieri poteſt, cùm Scri-
ptura dicat filium Oziæ adminiſtraſſe regnum, parris ægrori loco; eo au-
rem rempore nondum, ac ne multis quidem poſt annis, narus erat. Quid
4. Reg. 8. 26. illud? viginri duorum annorum dicirur Ochoſias cùm regnare cœpiſſer, *Ochoſiæ.*
2. Paralip. 22. 2. in quarto Regum. In ſecundo aurem Paralipomenum eadem Scriprura
Quadraginta duorum, inquit, *annorum erat Ochoſias cùm regnare cœpiſſet*;
quid iſtis 20. annis factum eſt? & ramen vtroque loco veritatem narrari
neceſſe eſt.

8. 17. SED ecce, quod durius etiam eſt, eodem 4. Reg. Ioram pater Ochoſiæ V.
dicitur triginra duorum annorum fuiſſe cùm regnare cœpir, & octo annis *Ioram.*
regnaſſe in Hieruſalem; ar proximè ex eadē Scriprura diximus, filium eius
regnare cœpiſſe 42. ætatis anno; biennio igitur ſenior erar parre ſuo; præ-
ſertim cùm nullum apparear veſtigium inrerregni. Inrerminarus eſt Do- *Ezechiæ.*
minus ſeruo ſuo Ezechiæ Regi Iuda per Eſaiam Prophetam, fore vr de fi-
liis eius rollerenrur, & fierenr Eunuchi in palario Regis Babylonis. Id im-
plerum eſſe nemo negar; Adeamus Hebræos, Græcos, Latinos interpre-
tes; vrique aiunr, ſub Nabuchodonoſore, qui Hieroſolymam euerrir,
Templum incendir, Regis filios, cum cærera Nobilirare, & populo, cap-
riuos abduxir; & Ephœbi horrorarij facti ſunt: Dan. 1. Ar quales tandem
iſti pueri, forma decori, in quibus nulla eſſet macula, quos neceſſe eſſet
plus 90. annos eſſe natos; & ne quis filios interpreretur nepores. Id Scriptu-
ra prouidens; ſed & de filiis tuis, qui egredienrur ex re, quos generabis,
tollenrur, & erunr Eunuchi in palario Regis Babylonis. Alia id genus non
pauca occurrunr, quæ faceſſere multum negotij poſſunr, eriam non im-
periris; quibus magnam lucem præber temporum per annos ſingulos,
quantum fieri poreſt, ordinara diſpoſirio.

IAM quod ad Prophetas rectè à Lactantio dictum arbitror, qui ve- VI.
ritarem ab eis traditam ſtudeat comprehendere, non modò intelli- *Et Prophetis.*

gendis Prophetarum vocibus debere animum intendere; sed etiam tempora, per quæ, quisque illorum fuerit, diligentissimè inquirere, vt sciat & quæ futura prædixerint, & post quot annos prędicta cōpleta sint. Et rectè ille quidem. Quod si id in singulis Prophetis optabile est, quantò id optabilius in singulis vaticiniorum particulis, cùm inde exactior multò, illustriórque cognitio efflorescat; quam alioqui & natura sua, & prophetico dicendi charactere, & linguæ ipsius peregrinitate obscuram; & temporum ignoratione, confusam, ambiguam, fluctuantem, & ad quod cuique visum fuerit, accommodatitiam, esse necesse est.

VII. *Et delectationis plenum.* IAM verò suauissimæ delectationis atque honestissimæ, hinc non modica existit seges, qualis aduenisse videtur huic rerum vniuersitati, intra sex illos mundi nascentis dies, quibus diuina Sapientia rudem illam & indigestam molem, in qua non ex Poëtarum modò, sed multorum etiam Patrum, Doctorúmque sententia, *Frigida pugnabant calidis, humentia siccis*; Sapientissimè ordinauit; & supera, infera, media, ita collocauit; vt non minorem in hac rerum compositione, sapientiæ laudem, quam in creando potestatis, sit consequutus; Sacræ litteræ instar habent Mundi cuiusdam intelligibilis, sicut Origeni placuit, Homilia secunda in diuersos Scripturæ locos; cuius terra, instar centri, est Historia, qua velut basi reliqua elementa nituntur, circa quam similitudine aquarum abyssus moralis intelligentiæ circumfunditur, circa vtrasque circumuoluitur aër naturalis cognitionis, extra & vltra quæ omnia est æthereus ille ardor Empyrei cœli, id est, suprema diuinæ naturæ contemplatio; vltra quam nullus ingreditur intellectus, vt ille subtiliter meditatur. Si quis ergo elaboret vt huic Mundo intelligibili aliquid, ex temporis, quo quæque gesta sunt, ordinatione lucis, & dignitatis afferar, non malè opinor, de illo meritus iudicetur; non exiguam contemplanti afferat voluptatem. Qualem qui thesaurum regium, in quo vasa aurea, & argentea, signa, coronæ, vestes, auro gemmísque rutilantes, ebur, lapilli, exquisitissimæ denique prouinciarum disiunctissimarum deliciæ, temerè permixtæ & confusæ sunt, suis singula distribuat locis, atque dispenset. Neque enim minor, ex ordinatione temporum, quàm locorum preciosis rebus, dignitas accedit ac decor.

VIII. *Non aggredimur quidquam in Scriptura mutare.* VEREOR iamdudum (Candide Lector) ne videar alicui Authorem Scripturæ Spiritum sanctum accusare, qui eam eo modo dictauit sanctis hominibus, atque digessit, quo visum est & diuinæ Sapientiæ, & mortalibus conuenire. Quam suspicionem multum à nobis abesse cupimus; tametsi non iniuria dubitari potest, aliquáne nonnullis in locis foliorum confusio ab ipsis initiis facta fuerit, quando minori in pretio erant sacra monimenta. Sed quis est fideliū, qui vllam in eis sententiam mutare, vllū suo loco verbum mouere velit, & rem iudicio humano dispositam, pro diuina Scriptura venditare? Manet illa per nos in singulis apicibus sacrosancta, manet in omnium gestorum, dictorúmque collocatione veneranda, immota, inuiolabilis. Nihilominus scrutandis ex Christi Domini mandato scripturis, nihil de eius dignitate detrahimus, si vt alij Interpretes, sensa eius explicando, & commentando illustrare solent, nos

Vide Ierem. apud Sept.

annotando tempora & annos, quibus quæque gesta sunt, eidem Scripturæ aliquid lucis, & studiosis illius vtilitatis, afferre conamur.

VERVM enim verò frigidam putet aliquis delectationem, quæ toto IX. *Cuius studium delectabile.*
l. 1. de part. an. c. 5. ex hoc studio & labore nascatur; in quo longè profectò opinione fallitur. Meministi, lector, si quidem Aristotelis scripta delibasti, Philosophum illum de cœlis disputantem, serióque affirmantem modicam illam, minúsque certam cognitionem, quam hinc de nobilissimis illis corporibus haurimus, alteri rerum caducarum, quantumuis exploratæ scientiæ, longè multúmque præponderare? Quis neget scripturam diuinam cœlos
Psal. 18. esse, gloriam Dei enarrantes, & opera manuum eius annunciantes? In
c. 34. 4. cuius rei Symbolum cœli, apud Esaiam, quasi liber complicantur; & conuoluuntur. Quæ igitur nos hinc humiles & abiecti modicè haurire possumus, non modicam afferunt in diuturno labore voluptatem; Quæ multo maior existet aliquando, & in eos redundabit, qui maioribus, naturæ, doctrinæque præsidiis ad hoc opus instructi, rudia hæc nostra, & inchoata perficient. Et ne forte hasce sacrarum literarum delicias iis X.
sepositas dumtaxat paratásque arbitrere qui magnos fecerūt in illius stu- *Etiam non peritissimis.*
dio, ac contemplatione progressus, audi virum huius scientiæ bene peri-
ad Leand. c. 4. tum; *Diuinus sermo*, inquit Gregorius, *sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refouet. Habet in publico vnde paruulos nutriat, habet in secreto, vnde mentes sublimium in admiratione suspendat; Quasi quidam quippe est fluuius, vt ita dixerimus, planus & altus, in quo agnus ambulat, & elephas natat.* Hæc magnus Gregorius.

CAPVT III.

Num in hisce Annalibus actum agamus.

EXISTET secundo loco illa quæstio, quæ primum intuentibus propy- I.
læum Ecclesiasticæ domus nostræ, se oculis ingeret; an non actum *Annales alij à*
agere videamur, cùm plerique iam in hac palæstra luctati, aut multo cum puluere saltu, cursúque fatigati, laurum, coronam, palmásque victrices reportarint; Denique,

— Alij rapiunt incensa, feruntque
Pergama, vos celsis nunc primum à nauibus itis.

Audio sanè; sed vide mi lector, vt Annales à Chronologia, Fastis, Historiáque distinguas; sic enim intelliges non multos nostrum hoc stadium decurrisse: Multi Chronologias scripsere, scribúntque quotidie, & *Chronologiæ.*
nudas paginas proferunt arithmeticis annorum characteribus insignitas, cum aliquot principum nominibus, & illustrioribus rerum notis, in quibus per certa temporum interualla gradum figant. Denique, vt præferri ipsum nomen, tempora loquuntur, tempora digerunt, in rerum gestarum expositionem, quasi digitum obiter intendunt, sed eam alteri operi, & instituto reseruant.

ALIQVI fastos digessere consulares, tribunitios, imperatorios, aut II.
si quo placet alio nomine inscribere: quorum in eo maximè versatur in- *Fasti.*
dustria, vt personas dignitatibus illustres posteritati prodant: & dum an-

nos ipsorum nominibus insignes referunt, tempora quoque confusionis virandæ gratiæ, ordine digerunt. Scripsere alij Historiam certorum populorum, Regum, Principum, Imperiorum; verùm ita scripsere, vt in rerum narrationem inrenti, temporum per exiguam rarionem haberent: & pro diuersirate rerum, plurium annorum rem stylo, complexi eam ad extrema deducerent: rursúmque in re noua, ad priores, & iam decursos annos recurrerenr: Sícque à carceribus ad meras, rursúsque à metis ad carceres sæpius reuocarentur.

III. *Quid proprium sit Annalium.* QVARTVM est eorum Scriprorum genus, qui res ipsas ita narrare appetunt, vt remporum quam maximam quoque rationem habeant: ita rempora ordinatim componunt; vt res suis quoque annis, quanrum ex ferunr, quantúmque diligenri Scriproris industria distingui possunr, circumscribant; quod Historiæ Romanæ Principes, Græcos, Latinósque videmus factitasse. Iraque ille Romana primus in Historia, sua scripta sæpenumero Annales vocar.

IV. *Annales Baronij.* HOC in Historia noui Testamenti aggressus, vir immortali memoria dignissimus Cæsar Cardinalis Baronius, cursum suum à Christi naralibus exorsus, duodecimo ferè sæculo terminauit. Eius viri, de Christiana repub. nobilissimis illis Annalibus optimè meriri, labor, & gloria multorum exacuit industriam, multorum studia variè excirauit, vel vt eius dicta examinarenr, vel vr fusiùs enarrara conrraherent, vel vt certatim in varias linguas conuerterent; nonnullos etiam incitauit, vt idem in veteri Testamenro, quod ipse in nouo feliciter confecerar, præstare conarentur. Hoc in numero ante plures annos fuisse me non negauero; non vrique gloriolæ cuiuspiam vanitate adductum, sed quadam pene necessitate; qui viderem hanc quasi alreram, & quidem priorem in curru isto rotam, in vniuersa Historia Ecclesiastica per certos annos digesta desiderari.

V. *Et Torniell.* EAM ego rotam dum pro virili parte animosè verso, & aliquot annis meis, per aliquot prisca sæcula in sacra Historia circumduco; ecce ribi in lucem prolaros Annales sacros, & profanos ab orbe condito, ad eundem Christi passione redemptum: Auctore Augustino Torniello regulari clerico. Hoc ego ictus nuncio, nihil enim diffitebor, exarsi cupiditate videndi operis; vel vr ne actum agerem, vel vt, si nihilominus pergere statuerem, sapienrissimi, religiosissimíque viri labore proficerem. Legi ergo multa passim, eo animo vt si illa explerenr animum, abiicerem mea; sin minùs, eorum auxilio mea corrigerem, vel locupletarem. Animaduerri sanè, probauíque valdè, viri in narrando perspicuitarem, in temporibus constituendis solertem prudenriam, in ordinandis torius corporis membris, articulísque methodum, omnibus in locis diligenriam, fidem, modestiam, pio, religiosóque animo dignam.

VI. *Nostrique.* SIMVL etiam vidi non pauca de industria prætermissa, in profana præsertim Historia; quam mihi, quà Imperia Orbis amplectirur; assumendam duxeram; rum vr eam quoque digererem, si quo modo possem; tum vt ne posterioribus sæculis maximam annorum partem inanem relinquerem: &, sicut in mundi ortu necessariò aliquando fecimus, ipsos

penè centenos annos silentio taciturno transcurrem. Vidi denique satis multa, in quibus, vel à Sectariis malè carpentibus defendendus esset, vel mihi ab ipso necessariis, & maximis causis dissentiendum putarem. Quod illi arbitror nequaquam ingratum fore: vt qui à grauissimis viris sæpe ipse dissentiat, & Tullianum illud probet, vt arbitror: *Et refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia parati sumus.* Sed cuius obsecro expleat animum alicuius labor, præsertim vbi de temporibus est disputatio? in quibus tamen de industria sæpe dispositionem eius secutus sum, ne eorum viderer sententiam confirmare; qui negant Scriptores duos vmquam in Chronologia consentire. Nihil dicam amplius; Induxi animum institutum cursum tenere: immò pro Annalibus Mosaïcæ legis, quam vnam ego Spartam ornandam priùs assumpseram, Annales Ecclesiasticos veteris Testamenti suscipere; adiuncta videlicet naturæ lege; ne id caput corpori deesse putaretur; quamquam erat id nouum corpus potius, quam alterius subiecti corporis caput.

Tusc. 2.

Verum enim vero, meo sanè quidem iudicio, atque omnium, vt opinor, rectè sentientium, plures fas est Scriptores vnam eandémque tractare materiam: Publica quippe materies priuati iuris fieri potest; nec crimen est ab aliis iam notata, iterum cum aliqua vtilitate notare; saltem ne Lectorem aliò amandes emendicaturum, quæ par erat eum vno in loco reperire, & vno quasi colore vestita contemplari. Nec si aliqua iam occupata sunt, nobis prohibita, atque interdicta censeri debent; quis enim ea, quasi arborem scientiæ boni & mali, attingere prohibuit, ne fortè moriamur? quin etiam plures conuenit in eodem argumento versari: vt probabilium sententiarum varietate, veritas magis, magísque illustretur, & Historia tota maiorem perfectionem nanciscatur, dum ille hac, iste illa re magis valet: & in eam certatim sua quisque ornamenta confert.

VII. Fas esse, atque vtile idem à pluribus argumentum tractari.

Capvt IIII.

Fuerit ne penitus à Theologicis, Philosophicísque rebus abstinendum.

At enim vero, neque inutile molimur opus, neque actum agimus, sed ita tamen agimus, vt institutum nostrum viris prudentibus parum probaturi simus: quod, in ipsis saltem initiis, sublimiora quædam, atque abstrusiora tractauerimus, quæ cùm à Theologis, Philosophísque sumpta sint mutuò, ipsis è fontibus satiùs erat Lectorem, earum rerum studiosum haurire, quam nos minutis mutuationibus nequicquam fraudare creditores, quandoquidem nemo hæc ex riuulis nostris petiturus sit.

I. Theologica hic quædã, & philosophica tractari.

Primvm hic ego vehementer gaudeo, quod nonnihil apud æqui ac veritatis amantem Lectorem perfectum sit hactenus; quodque perpaucis dumtaxat in locis querela hæc locum habere videatur, & quidem in ipsis initiis: in quibus argumenti necessitas facile veniam ab integris iudicibus impetrabit: Cùm enim Annales Ecclesiasticos ab ipsis mundi natalibus opus fuerit exordiri, aliquid vtique de ipsa mundi productione,

II. Non immeritò.

Sed necessitate.

eiúsque Authore necessariò dicendum fuit: De causa item, ac tempore productionis: inde ad modum, ordinémque rerum productarum veniendum; initio ducto à cælo, quod vocamus Empyreum, quod vna cum aquis, & terræ globo, creatione pressè sumpta ex nihilo creatum puncto temporis censuimus. Et quoniam cœlum Empyreum vnà cum Angelis productum est, de eorum creatione, & quando ea facta fuerit, breuiter in nostro Apparatu disserendum fuit. Qui nimirum est quasi Hesperidum hortus, in quem penetrate, aureáque in eo mala decerpere voluisse accusamur, seuerius opinor, quàm iustius. Ex eodem aurifero nemore sunt illa quoque; quo in statu creati sunt Angeli, quæ mox eorum culpa fuerit, & quæ pœna.

III. *Et intra modum.* IN quibus tamen omnibus non nimium auidi, sed admodum sobrij fuimus, atque abstinentes. Nam quæ subtiliora videbantur, & scholis magis, quàm auribus popularibus idonea, missa fecimus: rem tamen totam, quæ sit nostrorum Annalium fundamentum, non debuimus præterire silentio; ne sine fundamento ædificasse, & verissimam, nobilissimámque historiam aut ignorasse, aut lectori inuidisse videremur. Porro lectorem meum à fœneratoribus securum esse volo, neque vllam mihi versuram timere; nobis enim domi nascuntur; vnde istiusmodi debita dissoluere possimus.

IV. *Eáque plerísque lectorib. fore non ingrata. Theologis.* VEREOR potius vt huic vaticinationi, aut coniectorum suspicioni fidem habere possim; Ego enim arbitror perpaucos tam fastidiosos lectores inuentum iri. Deinde, vt id de Theologis nonnullis, si placet, Philosophísque fateamur, quàm multi sunt Theologi, qui spinosiora illa pertæsi, ad hæc laxiora, & vberiora libenter aliquando respectent; & ex illis quasi vinculis, & angustiis, ad hanc planiciem, remittendi animi gratia, ludumque descendant. Quin ne illorum quidem stomachum pertimesco, qui Scripturarum, qui Conciliorum, & Canonum, qui sanctorum Patrum lectioni, interpretationique dant operam; qui cum hæreticis in aciem pro tuenda fide Catholica, ac dimicationem veniunt; qui Conscientiæ officiis incumbunt; denique quicumque Ecclesiasticorum virorum nomine continentur.

V. *Philosophis.* SED nec vllos omnino Philosophos hîc reformido, quasi in flagranti, vt aiunt, facinore deprehensus, si quid aquæ aliquando è publico fonte, in domesticum vsum domum deportarim; nec eos sanè puto, si domum nostram intulerint pedem, & forte sitis irrepserit, non domi potius, quàm in platea bibituros. Denique nemo est istorum omnium, quem hæc ad populi captum selecta, atque tractata, offensura, & non potius delectatura videantur. Quam multi sunt Præsides, Consiliarij, Aduocati, & omninò Iure-Consulti, qui hæc succisiuis horis legenda non solum æquo, sed perlibenti etiam animo suscipiant? Quam multi sunt Medicinæ Doctores, & politioris literaturæ artifices, quos non semper *arbusta iuuant, humilésque myricæ.* Quin etiam plerósque in ipsa Nobilitate fore arbitror, qui humaniores litteras aliquãdo degustarunt, & Marti Palladem sociant non repugnantem, qui hæc planiora, vt spero, reddita, quàm sint in libris, qui scholis sunt destinati, & vberiora, quàm in sacris codicibus le-

Iurisconsultis. Medicis. Philologis.

gantur, cum cætera Historia auidè legent, quæ alioqui erant ignoraturi. Dicamus ergo cum Poëta, *---nullum sit in omine pondus.*

Capvt V.

Fas ne fuerit in narranda sacra Historia, etiam eius interpretem agere.

Oblitti ergo muneris nostri, non raro interpretem agimus: nam historicum Scripturæ textum sæpius explanamus. Verum id non grauissimorum modò virorum exemplo, sed necessitate etiam factum est: neque enim par erat eum, qui vbique orationis lucem, ac perspicuitatem adamarit, eam in tam seria narratione negligere; Nec fas esse duxi affectiones nostras, vel à textu obscuro, ambiguo, incertóq. fluctuare; vel inopinata quapiam recentiorum doctorum, ex Hebræo textu; aut antiquorum Patrum ex Græcis codicibus interpretatione subuerti. Nisi forte satius fuit huc sacras transferre paginas, aut ad eas vno verbo amandare lectoré, & pro historico amanuensem agere, vel monitorem. Deinde profusi in hoc genere numquam fuimus, & quæ spinosiora futura videbantur, in Scholia, quæ singulis annis attexuimus, dedita opera coniecimus. I. *Necessariũ id fuisse.*

Postremo, quid ego peccaui, aut quod nouum admisi crimen, si historicum pollicitus, etiam interpretem dedi? ne videlicet obscura, ac non intellecta narrarem: quem tamen, vt dixi, nisi ex necessitate non ago, & in solis Scripturæ narrationibus historicis; cæteris prætermissis, in quibus maximè legitimi interpretis industria versatur; ibi ille sine riuali in bonis hæsebit, & habitabit suis. II. *Ac laudabile.*

Et cùm interpretem Scripturæ, eius ordinem, in exponendo non conueniat immutare; vt qui nullis legibus constringatur, vt alibi debeat, quàm in Authoris vestigiis pedem ponere, & siue ille antecedat, ac præcurrat, siue insistat studiosè sequi. Adeo vt cum eo, *iam nunc dicat, iam nunc debentia dici Pleraque differat, ac præsens in tempus omittat:* vt Lector facilè quidque noto iam, & consueto in loco reperiat; nec illius memoria confundatur. Nobis tempora gestarum rerum confundere, ac permiscere non licuit, quibus ante omnia propositum est, vt res non solùm verè, sed suis etiam temporibus vitatis anachronismis enarremus. III. *Quid nostra ab interpretis expositione distet.* Horat. in Arte.

Capvt VI.

Expedita defensio longitudinis.

Pvrgandvm nobis est istud quoque in hac causa crimen, quod non pauci fortassis intendant; idque omnino breuiter, ne ipsa defensio culpam magis probet, atque exaggeret, quàm leuet. Tametsi constet citiùs ac faciliùs imponi vulnera, quàm curari. Arguemur ergo quod longiores simus, siue quia nimium multa complexi, siue quia nonnullis in locis, in Patrum, exempli causa, sententiis perrogandis, proferendísque diutiùs immoremur. I. *An vera iustáq. longitudinis accusatio.*

At ego sanè non video quid culpæ sit multa complecti, & latè patens argumentum animo destinare, si modo promissi memor, non fallas, sed vincas potius Lectoris expectationem. Nulla culpa est multa dicere, si modo bona fuerint, & non nimium multis, qui omnia perlegere volent, II. *Non videri.*

longitudinem mirabuntur, aut fortasse fastidient; qui singulos seorsim locos cùm res tulerit, inspecturus est, breuitatem, ni fallor, accusabunt. Magnus ciborum apparatus, qui paucis conuiuis plurimus est, legioni modicus erit. Quin etiam vereor ne aliquando, *dum breuis esse laboro, obscurus fiam*, cùm satius ego quidem ducam longitudinis, quàm obscuritatis accusari. Quid quod non omnes breuitatem amant. Mihi, ait M. Tullius, vt Aristophani Archilochi Iambus, sic Epistola longissima quoque optima videtur. Et faciliùs est de multis pauca sumere, cæteris in maius otium dilatis, quàm vbi multis egeas, paucula tantùm reperire, & famelicum aliò mendicaturum dimitti. 16. ad Att. ep. 11.

III. *Breuitas improbatur.* QVIN & Halycarnassæo Dionysio libéter assentior, sæpenumero non satis esse rei summam dicere; & ex lectione historiarum aliquam vtilitatem captantibus non sufficere, si cognoscant solos rerum exitus; quod quisque causas sibi exponi velit, vnde quidque prouenerit, & modũ quo peractum sit, & consilia eorum, qui negotium aggressi, tum quę Dei nutu res sortita sit exitum, nec quicquam eorum, quæ res comitari solent auribus subtrahi: rem autem publicam tractantibus, pernecessariam esse cognitionem talium, vt in similibus euentis exempla in promptu habeant. lib. 5.

IV. *Non desse Epitomas.* IAM verò quid necesse est breuitatem in scriptis nostris, atque huius argumenti tractatione requirere: cùm iam Tornielli Annales extent, in quibus tam multa laudabili, perspicuáque breuitate ab optimo viro differuntur: quod si ille quoque videtur longior, quem ego censui breuiorem; & amor ille Epitomarum animo penitus insedit (quem tamen iampridem bonis Authoribus perniciosum, viri grauissimi, in deplorãda iactura T. Liuij, Trogi Pompei, Dionis Cassij, aliorúmque primæ notæ Scriptorum, verissimè pronuntiarunt, quámque aliquando nonnulli in Annalibus Baronianis reformidãt.) Num deesse possunt multorum, quæ prodeunt in dies, nouæ Chronologiæ, quas non est necesse hoc loco numerare: cùm multi quoque Scriptores & mediæ & superioris ætatis versentur in manibus, qui meras Epitomas conscripsere, Beda venerabilis, Marianus Scotus, Ado Viennensis, Freculphus, Seuerus Sulpitius, Eusebius Cæsariensis, Isidorus Hispalensis, Nicephorus Constant. Cassiodorus, Sigebertus, Marcellinus, & alij cum ipsis.

V. *Nos quoque resæpe cõpendio tradere, & studere breuitati.* SED vide quoque, mi Lector, quàm non fuimus negligentes breuitatis, qui Scriptores, quibus vtimur, vbique contraximus, in profana præsertim Historia: quod res ipsa, me tacente, loquetur: qui eam ob causam pleraque in Scholia, quę annis singulis subtexuntur, cõiecerimus, quę tibi liceat ad alia properanti, aut negotiis grauioribus implicato, impunè pręter mittere: qui annos quoque numeris distinximus, qui titulos, & quædã quasi compendia rerum proferunt, vt simul illis, salue dicas, & vale. Addemus & in singulis Tomis certos Indices, & accuratos & vniuersi operis Chronologicum, qui cuiusdam Epitomes instar esse possint. Denique si Epitomen nihilominus desiderari animaduerterimus, etiam Epitomen in tenuiorum gratiam, vt omnium aut commodis, aut iustis voluntatibus seruiamus, non inuiti aliquando daturi sumus. 1. 2. 3.

Quid vltra optari per tua vota potest?

Svperest hoc loco vt demus operam, ne de liberalitate, de studio gratificandi Lectori, eique maiorem fidem faciendi, de voluntate leuandi laborem eius, & librorum penuriam, dum describimus sanctorũ Patrum suffragia, malè audiamus. At inquies, *de bono opere non lapidamus te*, sed de longitudine, qua librorum moles augentur & sumptus, & patientia eruditi Lectoris irritatur. Ego sanè de Lectoris patientia, aut crumena temerè nolo iudicare. Hoc tantum iudico istis ratiunculis, si quid habent momenti, eas quas attigi vtilitates longè multúmque ponderare. Quòd si, vt scribit magnus ille dicendi artifex, docere necessitatis est, delectare suauitatis, quis dubiter ipsis Authorum verbis, rem magis exprimi, magis imprimi, plenius edoceri, maiorem denique, vt dixi, fieri fidem? Et cui tandem non gratior futura est aliquot sanctorum Patrum de re quapiam graui, quasi in Senatu, fortis & erudita sententia, quàm arida & exanguis, & sæpe fallax multorum locorum enumeratio? Nam quis non habet exploratas erroneas Arithmeticæ notas? Quis non deprehendit pro vna aliquando sententia laudari aliquem, qui alia omnia sentit, & dicit? Cur malis in Historia Liuij, Sallustij, Xenophontis, atque Thucydidis orationé legere militatem Imperatoris alicuius, quàm hic plurimorum Antistitum breues auscultare sententias? cur illic longitudinem nemo fastidit, nemo arguit, vbi tamen plus aliquando verborum est, quàm rerum; hic in diuina sanctorũ virorum copia, in cælesti manna delicatuli nauseabunt, tãquã super cibo leuissimo? ne faciãt; ne similes illis fiãt. Erubescimus sine lege loqui, aiebat Iuriscõsultus nescio quis, & nos sanè nõnumquã subpuduit sine breui aliquo Patrũ testimonio de re aliqua, etiam minimè ambigua, pronũtiare, quod dictis nostris dignitatem afferret, & firmitaté. Breue dixi, & verè; dedimus enim operã, ne multi in hoc toto genere essemus. VI. *Cur Patrũ testimonia proferuntur.*

Itaqve sententias breues retulimus, nec fe[illegible]na aut altera periodo longiores, aliquando etiam obiter aliquid in eis, non inutiliter annotamus, aut tangimus, quod sit è re litteraria. Quod si needum probamus, Lectori istam quam dudum propugnamus sententiam, pergítque magis ieiunitatem amare quàm copiam, & corpora strigosa quam pinguia, denique procera statura homines pumilionibus posthaberc. Per me sanè liberum esto properanti, notis ad marginem positis contentum esse, eáque testimonia festinanter transcurrere. Denique vide, Amice Lector, quam ego longitudinem, ne sim tibi grauis, reformidem, qui dedita opera, ne te hoc in vestibulo diutiùs morer, differo in alium locum, vbi te rursum conuenire aueo, disputationem illam, cuius te valde appetentem existimo; rectène vtriusque Iosephi, Iudæi scilicet, atque Sectarij errata studiosiùs à nobis colligantur. Interea bene vale, & sexagenario bene precare, vt si æterno illi Munerario collibitum fuerit, non priùs ad stadij vitę nostræ adhętescamus metas, quam ad longissimi huius curriculi exoptatum terminum feliciter pertingamus. Id vt ne despetes optime Lector, scito me, per eius gratiam, sub cuius nutu vitæ nostræ momenta decurrunt, integris esse viribus: & quod caput est, toti operi iam confecto, extremam dumtaxat desiderari perpolientis, atque exscribentis manum. Iterum vale. Parisiis Cal. Ianuar. anni 1619. ætatis sexagesimo exeunte. VII. *Eáque breuia.*

Præfat. 2. Tomi.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV.

EGO STEPHANVS CHARLETVS *Præpositus Prouincialis Societatis* IESV *in Prouincia Franciæ, potestate ad id mihi facta ab admodum R. P. nostro Mutio Vitellesco Præposito Generali Societatis* IESV, *facultatem concedo, vt primus Tomus Annalium Ecclesiasticorum veteris Testamenti, à P. Iacobo Saliano compositus, & eiusdem nostræ Societatis grauium, doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Parisiis prima die Ianuarij* 1619.

STEPHANVS CHARLETVS.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de Frauee & de Nauarre: A nos amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, ou leurs Lieutenans, & autres nos Iusticiers, & à chacun d'eux ainsi qu'il appartiendra, Salut. Nos chers & bien amez NICOLAS BVON, & SEBASTIEN CRAMOISY Marchands Libraires demeurans en nostre ville de Paris, nous ont fait tres-humblement remonstrer que le R. P. IAQVES SALIAN Religieux de la Compagnie de IESVS les a choisis pour imprimer vn grand Oeuure par luy composé, & lequel il desire faire veoir, & mettre en lumiere souz nostre bon plaisir, iceluy intitulé *Annales Ecclesiastici veteris testamenti, ab origine mundi vsque ad Christum passum: Quibus annexi sunt Annales Assyriorum, Babyloniorum, Persarum,* &c. & qui doit contenir six volomes: lequel Oeuure ne se pouuant faire qu'auec long espace de temps, & grandes aduances & despenses, lesdits Boon & Cramoisy n'oseroient en faire l'entreprise, craignans qu'apres auoir employé leur temps & despenses, autres personoes oos subiets le fissent, oo suscitassent les estrangers à ce faire, si par nous n'y estoit remedié, leur donnant pour ce nos lettres de Permissioo & Priulege necessaires. A CES CAVSES, inclinans à l'humble sopplication desdits exposans, & voulans leur ayder à l'execution de la bonne intention qu'ils oot de seruir au public, par l'impression d'vn si bel œuure, & aussi pour leur augmenter le eourage à continoer de bien faire, apres qu'il nous est apparu de l'acte d'approbation dudit Oeuure du R. P. Estienne Charlet Prouincial de ladite Societé, en datte du premier de ce mois & seellé, cy attaché souz le eoutresel de nostre Chancellerie, leurs auons permis & octroyé, permettõs & octroyons de grace speciale par ces presentes, d'imprimer ou faire imprimer, vendre & distribuer, tant de fois en telle forme & maniere que bon leur semblera, ledit Oeuure entier ou separément, ou par Epitome ou Abregé, tãt en Latin qu'en François. Faisant tres-expresses inhibitions & defenses à tous Libraires, Imprimeurs & estrangers, & à toutes autres persoones de quelque qualité qu'ils soient, d'imprimer ou faire imprimer ledit Oeuore entier ou separément, ou par Epitome & Abregé, ny en Latin ny en François: & de n'en vendre ny distribuer aucuns autres exemplaires que de ceux qoi seront imprimez par lesdits supplians, ou de leur commun consentement & volonté. & ee pendant le temps & espace de dix ans entiers & consecutifs, à commencer du iour de l'acheuement de l'impression dudit Oeuure, à peine de confiscatioo de toos les exemplaires qui se trouueront auoir esté faits au preiudice & contre l'auctorité de cette nostre volonté, & de trois mil liures d'amende, le tout applicable au proffit desdits supplians, & de tous leurs despeos, dommages & interests: à la charge d'en mettre deux exemplaires à nostre Bibliotheque publique à present gardée au Conuent des Cordeliers de cette ville de Paris, auant que les exposer en vente, suiuant nostre Reglement, à peine d'estre decheuz du present Priuilege. SI VOVS mandons qoe du contenu en ces presentes vous faciez, souffriez & laissiez ioüyr lesdits Boun & Cramoisy plainement & paisiblement, & à ce faire souffrir & obeyr eeux qu'il appartiendra, en mettant au commencement ou à la fin dudit Oeuure ces presentes, ou vn bref extraict d'icelles, voulons qu'elles soient tenues pour deuëment signifiées. Et pour ee que desdites presentes lesdits exposans en pourront auoir affaire en plusieurs & diuers lieux, voulous qu'au Vidimus d'icelles deuëment eollationné par l'vn de nos amez & feaux Coufeillers, Notaires, & Secretaires, ou fait sous seel Royal, foy y soit adioustee, comme ao present original: CAR tel est nostre plaisir. Donné à Paris le 17. iour de Ianuier, l'an de grace mil six eens dixneuf, & de nostre regne le neufiesme.

Par le Roy en son Conseil, RENOVARD.



ANNALIVM

ECCLESIASTICORVM

VETERIS TESTAMENTI

TOMVS PRIMVS.

APPARATVS AD ANNALES.

DE STATV AVCTORIS MVNDI ante mundi constitutionem.

CAPVT PRIMVM.

Ioan. 1. IN PRINCIPIO *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum.*] Diui- Num. I. *Euangelista oraculũ de auctore mundi ante mũdi creationem.*
na plane vox, & diuino Euangelista dignissima, qua obstruantur ora iniqua, & profana loquentium hæreticorum Cerinthianorum, Iesu Christi Domini nostri diuinitatem negantium, & à Iosepho beatissimáque Virgine initium accepisse garrientium; conceptum, natum, educatum, more modóque cæterorum hominũ. Diuina vox, qua perditorum etiam hominum (qui in profundam peccatorum atque impietatis voraginem
Ps. 13. 1. delapsi, ausi sunt insuper insipienter dicere *in corde suo, non est Deus*) impudens facies quodam quasi fulmine verberetur. Diuina vox, qua sublimiorum etiam ingeniorum studiis, & desideriis satisfiat; in quorum corda ascendunt cogitationes antiquæ, & qui cum Dauide Propheta Regio *annos æternos in mente* habent.

Psal. 76. 6 Hoc enim oraculo profanus Cerinthus, qui tam abiectè de filio Dei, eodémque filio hominis sentit, intelliget ab eo qui copiosè hausit, è dilectissimi magistri pectore abstrusa & occulta diuinæ sapientiæ, existentiæ, atque naturæ, vt nobis II. *Eo Cerinthus refellitur.*
Matth. 13. 35. sine parabolis eructaret *absconditá à constitutione mundi*; ab eo, inquam, intelliget
Prou. 8. 22. ab vltima vsque æternitate, *antequam quicquam faceret à principio* fuisse Deum patrem, & apud ipsum filium eius, in quem essentiam suam totam, cum omnibus eius bonis æterna generatione transfudit; verbum eius, conceptum sapientiæ, diuinæ mentis actione progenitum; imaginem eius, quæ non externos quosdam
Hebr. 1. 3. oris ductus, & lineamenta repræsentaret, sed quæ *sit figura substantiæ eius*, à patre ad eum repræsentandum procedens; splendorem gloriæ eius, & candorem lucis æternæ, coæuum ipsi fonti luminis, sine vlla motione, aut mutatione propaga-

tum, eadem numero cum patre sapientia, potentia, bonitate, cæterisque omnibus diuinæ naturæ attributis præditum.

III. *Circa mysterium incarnationis.*

INTELLIGET denique, atque cognoscet *primogenitum omnis creatura*, cuius ortus omnem creaturarum productionem antecessit, quique illas ipsas initio temporum produxit ex nihilo, ad eas per peccatum corruptas, restituendas in integrum, atque restaurandas, humanam in vtero Virginis assumpsisse naturam, eámque sibi indissolubili vinculo sociasse, in ea, quæ in sinu patris didicerat, reuelasse, mirabilia opera perpetrasse, & multo admirabiliora pertulisse. [Col. 1. 15. Eccl. 24. 5.] Nam mirabilia opera sanitatum, illuminationum, expulsorum dæmonum, mortuorum ab inferis excitatorum, diuinæ isti, atque admirabili personæ consentanea sunt; at stabulum & præsepe, vincula & flagella, spinea corona & sceptrum arundineum, lignum maledictionis & scandali, informe lethum, & infame supplicium, etsi immensæ, atque incomparabili bonitati ipsa per sese mirabiliter congruunt, tantæ tamen maiestati conuenire mens humana capere, nisi diuinitus firmata, non potest; vt merito cum Propheta exclamet, *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, id est, [Ps. 138.] supra captum intellectus mei, *confortata*, siue exaltata *est*, *& non potero ad eam* (pertingere.)

IV. *Et omnes Athei, quos ratio ipsa refellit.*

HOC ipso oraculo Protagoræ isti, & Diagoræ Melij, & Theodori Cyrenaïci, qui diuinum numen vel in dubium vocant, vel è medio nefariè tollunt, mendacij omnium scelestissimi, atque impudentissimi arguuntur; [L. χ.] cuius etiam verbis illa ratio illigatur. Quod nihil à se ipso factum esse potest; esset enim priusquam esset, cùm ipsum esse necessariò actionem antecedat; ab alio igitur factum esse necesse est. Cum autem in causis efficientibus progressio in infinitum dari non possit, ad vnam aliquam, primámque causam veniendum est, quæ non sit ab alia, & à qua facta sint omnia, quam vocamus Deum, Patrem, per Verbum suum, ac Spiritum sanctum omnia producentem, atque conseruantem. Illud autem ens, atque illa causa, quæ aliunde non sit, nec aliunde pendeat, necessariò semper fuit: nulla enim causa est, à qua initium ortus sui possit accipere. Nam si qua esset, illam potius diceremus Deum, eáque prima esset, non hæc, quam primam esse ponimus; sed & necessariò semper erit, cùm nulla sit causa potentior, quæ illi interitum afferre possit: cæteræ quippe res omnes, ab ea vim suam omnem acceperunt, & ab ea vt conseruari, aut agere possint, omni ratione dependent.

V. *Eadem personarum pluralitas in diuinis enunciatur.*

ET diuina quidem natura inuisibilis, & æterna, per ea quæ sub aspectum cadunt, & temporaria, quæ nutu eius facta sunt, ab hominibus *intellecta conspicitur, eiúsque sempiterna virtus atque diuinitas, ita vt sint inexcusabiles* ij, quorum cor eo insipientiæ progressum est, vt Deum vel non cognoscerent, vel cognitum debito honore non prosequerentur, vt testatur Apostolus, sapienti consentiens, qui [Rom. 1. 20.] tanto ante dixerat, ab excellentia & pulchritudine rerum creatarum potuisse ea- [Sap. 13. 5.] rum conditorem atque architectum videri: *cæli* quippe *enarrant gloriam Dei*. [Psal. 18. 2.] Verùm quoniam creata omnia clamant quidem, *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos*: [Psal. 99. 3.] Sed personarum numerum non produnt: quippe quæ à Deo vt vno, non autem vt trino profecta sunt: ideo Euangelista illum Creato- [Ioan. 1. 1.] rem non vna tantùm, sed pluribus personis constantem denunciat. *In principio*, inquit, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt*, quod de cœlis ante significauerat Dauid. *Verbo Domini*, inquit, *cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*. [Psal. 32. 6.] Et Moses vniuersè de omnibus. *In principio creauit Deus cælum & terram, & spiritus Domini ferebatur super aquas*. [Gen. 1. 2.]

VI. *Vbi esset Deus ante mundum conditum.*

SED quid canit nostra hæc Aquila regia, in sublime volans αἰετὸς ἐν νεφέλαις, imò transgrediens nubes, & vniuersos cœlorum globos penetrans, atque transcendens, quid, inquam, canit, quo satisfiat iis, qui *scrutantur etiam profunda Dei?* [1. Cor. 2. 10.] qui etiam atque etiam requirunt vbi esset Deus ante mundum conditum, quæ eius regia, quod palatium, qui locus habitationis gloriæ eius, quid ageret sæculis innumerabilibus, qui famuli ministrarent ei? qui ex ore Gregorij Theologi paululùm inflexa oratione dicunt, [Orat. 34. sub init.] *Nusquámne ille erat, aut alicubi? si enim nusquam, quæret fortasse aliquis ex iis, qui inquirendi ac disputandi subtilitate impensius gaudent, quomodo esse quoque potuerit? Nam si id quod non est, nusquam est, id quoque quod nusquam erat, nec quidquam fortasse erat*. Quod si alicubi fuisse dixeris, ante vniuersum conditum, locum

aliquem fuisse concedes, priusquam esset vllus locus. Quin nec Augustino satis assentiuntur disputanti contra eos, qui mundum ab æterno conditum affirmabant, ne Deum tamdiu facerent otiosum. *Nam si*, inquit, *infinita spatia temporis ante mundum cogitant, in quibus eis non videtur Deus ab opere cessare potuisse: similiter ergo cogitant extra mundum infinita spatia locorum, in quibus si quisquam dicat non potuisse vacare omnipotentem, nonne consequens erit, vt innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogantur?* Sic Augustinus [a], rectè ille quidem, ac sapienter, sed illi nihilominus quærere pergunt, an esset in spatiis illis imaginariis, iis saltem, quæ iam ab hoc vniuerso complentur, nam cùm ea spatia nihil sint, quomodo Deus in nihilo esse potest?

(Margin: L. 11. de ciuit. c. 5. — a. X.)

VII. *Deus erat in seipso.*

At respondet Euangelista, in principio antequam quidquam crearetur, Verbum fuisse, & ab omni retrò æternitate fuisse apud Deum Patrem; & cum ipso, & in ipso, vnà cum Spiritu sancto, egisse, atque agere beatissimam vitam. Ad quæ alludens idem August. *Antequam*, inquit, *Deus faceret cœlum & terram, vbi habitabat? Sed dicet aliquis, antequam faceret Deus sanctos, vbi habitabat? In se habitabat, Deus apud se habitabat, & apud se est Deus.* Et Tertullianus. *Ante omnia*, inquit, *Deus erat solus, & ipse sibi & mundus, & locus, & omnia.* Adde Basilium in illud, *Et verbum erat apud Patrem. Non in loco*, inquit, *non enim in loco, quæ sunt incircumscripta, continentur; sed vbi? apud Deum: neque enim Pater in loco, nec filius in circumsepto aliquo, aut circumscriptione certa deprehenditur, sed infinitus Pater, infinitus Filius*, &c. D. etiam Bernardus cum ostendisset cœlum, & terram diuina præsentia, ac maiestate esse repleta, subdit: *Aliàs verò vbi erat, antequam mundus fieret, ibi est, non est quod quæras vltra, vbi erat, præter ipsum nihil erat: ergo in seipso erat* [3]. Ex quo non ineptè Poeta nescio quis,

(Margin: in Ps. 122. — l. contra Prax. c. 5. — homil. l. 16. de variis argum. — l. 5. de consid. — 3. X.)

Dic vbi tunc esset, cùm præter eum nihil esset,
Tunc, vbi nunc, in se, quoniam sibi sufficit ipse.

Neque enim de Deo, rebúsque spiritualibus sicut de rebus corporeis philosophandum est, quæ commensurantur locis, extensione suarum partium: sic autem Deus erat in seipso, quemadmodum Angelus in seipso esset, si in spatio imaginatio, quod re ipsa nihil est, crearetur: quemadmodum & totum vniuersum in seipso est, quia id totum spatium, in quo esse cogitatur, nullam habet entitatem; quomodo ergo aliquid est in spatio, si spatium nihil est?

VIII. *Quid tum fecerit.*

Ante mundum igitur conditum ipse sibi regia erat, & palatium, nullo definitus, nedum circumscriptus loco, quippe nullus erat locus; ipse in seipso sæculis innumerabilibus, & annis æternis, sua sapientia, pulchritudine, bonitate fruebatur; intuebatur admirabiles perfectiones suas, cum inenarrabili, atque inæstimabili gaudio; in quarum contemplatione producebat Filium, & cum eo infinitum amorem personalem, Spiritum sanctum: cogitabat de condendo mundo in tempore suo, cum omnibus creaturis, de constituenda ciuitate Electorum, quos iam tum sigillatim intuens, ac benedicens, summo amore complectebatur; qui æterna quondam beatitudine, sub capite, ac principe incarnato Verbo, perfruentur, de reparando mundo per peccatum perituro, & in meliorem statum reuocando. Hæc, aliáque id genus, erant opera eius, prout nos ista rudes concipere, & de iis infantes possumus balbutire, hæ ipsius cogitationes antiquæ, quas per *annos æternos in mente habuit*, re nulla, quæ esset extra se, neque tum, neque deinceps ad summam beatitudinem indigens: sicut nec factus est vllarum creaturarum accessione beatior. Dixit enim Domino Propheta regius, tam suo, quàm omnium creaturarum nomine. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Nam si aliqua re ad beatitudinem egeret, qualis esset illa res, quæ beatum facere posset ipsum Deum? certè quod beatos nos in æternum efficere potest, nobis ipsis maius ac melius est. Esset ergo aliquid maius, & præstantius Deo, cùm tamen Deus is sit, quo nihil aut maius aut melius cogitari potest.

(Margin: Psal. 76. 6. — Psal. 15. 2.)

IX. *Fuisse nihilominus, & esse in spatiorum infinitate.*

Qvamqvam autem dicimus Deum in seipso ab omni æternitate fuisse, & in seipso vixisse beatissimum; nihil tamen absurdi est, cum quoque, pro sua immensitate in infinita spatiorum extra mundum inanitate intelligere, in qua plurimos mundos condere possit: quæ spatia locorum,

æquè concedit Augustinus diuinæ immensitati; atque infinita spatia temporum eiusdem æternitati, & æque in vtrisque nihil esse operatum asserit, in vtrisque æquè præsentem fuisse concedit. Et ne quis suspicetur eum ex aduersariorum positione loqui, non ex propria sententia, vide quid scribat eodem illo loco. *An fortè substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed de ea, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorporea præsentia vbique totam, à tantis locorum spatiis extra mundum absentem dicturi sunt, & vno tantum, atque in comparatione illius infiniti, tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? Non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros.* (l. 11. de ciu. c. 5.) Ecce vaniloquium putat Augustinus. i. vanam, stultámque sententiam, dicere diuinam substantiam à tantis locorum spatiis extra mundum absentem esse. Sed pergit. *Cùm igitur mundum ingenti quidem mole corporea; finitum tamen, & loco suo determinatum, & Deo operante factum esse dicant: quod respondent de infinitis extra mundum locis, cur in eis ab opere Deus cesset, hoc sibi respondeant de infinitis ante mundum temporibus.* Disputat autem Augustinus contra Epicureos, quorum hæ fuerunt quæstiones, vt ex Cicerone constat[4]. (l. 1. de natur. Deor.) Concedit & alio in loco, cùm Deum ait esse velut quoddam mare immensum, vniuersum autem mundum veluti spongiam intra mare. (4. ℞. l. 7. conf. c. 5.)

X. Et Hieron. CONCEDIT & Hieronymus. *Ac ne arbitremur cælo quoque & terra Dei magnitudinem metiendam, in alio loco de eo legimus. Qui tenet cælum palmo, & terram pugillo. Per quæ ostenditur Deus & forinsecus, & intrinsecus, & infusus, & circumfusus, dum & solio ambiente non concluditur, & pugillo concludit ac palmo*[1]. (in 66 Esai. Isa. 40. 12.) Concedit Athanasius. (Athanas.) *Deus in omnibus est secundum suam bonitatem & potestatem, idémque extra omnia est, secundum suam propriam naturam.* (5. ℞. in epist. Synodi Nicenæ.) Et Prudentius. (Prudent.)

> *Deus perennis, res inæstimabilis,*
> *Extráque, & intus, replet, ac superfluit.* (in hymno de S. Romano.)

Quibus locis videntur parum satisfacere, qui existimant Patres velle tantùm dicere, Deum non esse ita definitum, aut circumscriptum mundo, quin maiore in spatio, & infinitis aliis esse possit, cum Patres loquantur de eo quod sit, non quod esse possit.

XI. Trismeg. Basilio. EANDEM in spatiis illis Dei præsentiam, atque existentiam, concedit ille siue Diogenes, siue Trismegistus, qui rogatus quid esset Deus, respondit, *Circulum esse, cuius centrum vbique sit, circumferentia nusquam.* Concedit & Basilius cùm subdit. *Totum quodcumque noueris, & quocumque spiritu tuo penetraueris, Deo plenum est, simul & coniunctam hypostasim filij inuenies.* (hom. 16 de variis arg.) Vbi apertè docet filium esse apud Patrem, & illic inueniri posse, siue in veris & realibus locis, quibus tamen non circumscribatur, vt res corporatæ solent, siue in iis ad quæ spiritu nostro penetrare possumus. Nec denique absurdum est Deum in seipso esse, ac fuisse, quod nullo continente indigeat, & tamen simul huiusmodi spatia replere. Nam & totus mundus in seipso est, vt fatetur prior sententia, & tamen spatium replet, quod occupat. Sed subtilius ista Theologi in vtrámque partem disputabunt; nobis hæc obiter dicta sufficiant, in gratiam ingeniosi lectoris, cui fortasse Scholasticæ Theologiæ lyceâ minimè patuerunt.

SCHOLIA IN CAP. I. APPARATVS.

CONIICIEMVS in hæc Scholia, amice Lector, tam quæ in textum inserenda non duximus, siue quia leuiora nonnunquam visa sunt, siue quod eorum voluntati studuimus obsequi, qui breuitatem adamarunt: quam quæ nec margine facilè capi poterant, nec planè prætereunda videbantur. Cæterùm ne lectorem longiùs amandaremus, has notas singulis hoc loco capitibus: in opere sex dierum, diebus singulis: deinceps singulis annis subiecimus, quæ, mi lector, ad alia festinans, pro arbitrio prætermittes. Et ne requiras epitomen, in singulis numeris ad marginem significatum reperies, quid in eo quasi corporis membro tractemus, quæ membra, aut, si mauis, articuli ferè breues sunt, vt tanto celeriùs ex indice quæ requisieris inuenire possis.

N. IV. 1. Apud M. Tullium, l. 1. De natura Deorum sub init. Plutar. l. 1. De placit. Philos. cap. 7. Lactant. l. 1. Diuin. instit. c. 2. & lib. De ira Dei, c. 9. Euseb. lib. 14. Demonst. c. 6. Theodoret. l. 3. Græcar. affect. in princ. & alios.

N. VI. 2. Idem August. lib. De fide contra Manich. c. 37. *Hoc dicat*, inquit, *quod vos mira dementia dicere soletis, vbi erat Deus, antequam esset cæ-*

lum, & terra, & quæ sequuntur. Vide Vasquem in 1. p. D. Tho. disput. 29.

3. His quàm maximè consentanea scripserat olim Mercurius ille Trismegistus in Dialogo 3. ad Asclepium. Ἐν μόνον ἦν φῶς νοερὸν, πρὸ φωτὸς νοεροῦ, καὶ ἔστιν ἀεὶ νοῦς φωτεινός. καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν, ἢ ἡ τούτου ἑνότης ἀεὶ ἐν ἑαυτῷ ὤν· ἀεὶ τῷ ἑαυτοῦ νῷ, καὶ φωτὶ, καὶ πνεύματι πάντα περιέχει. i. *Vnum tantum erat lumen mentale, apud mentale lumen; & est semper mens illustris, & nihil aliud erat, quàm huius vnitas semper in seipso existens, semper sua mente, & lumine, & spiritu omnia continet.*

Vide etiam Eugub. lib. 7. c. 22. De perenni Philos. disputantem contra Lucretium Epicureum. 4.

Quibus similia leges apud Hilarium l. 1. De Trinit. sub init. Isidor. l. 1. Sentent. c. 2. August. l. 8. de Genes. ad literam cap. 29. 5.

De productione mundi eiusque auctore.

Cap. II.

Ioan. 1. 3. O*MNIA per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.*] Num. I.
Hæc est altera pars diuini oraculi Ioannis Euangelistæ, quo omniũ *Omnia*
creatarum rerum productio Dei Verbo tribuitur, sicut ei postea *creata à*
earumdem restauratio per incarnationem tribuetur: neque tamen *Verbo si-*
ea fuit Euangelistæ mens, vt Pater, aut Spiritus sanctus à creatione *mulque à*
excluderentur; indiuisa sunt quippe opera Trinitatis. Itaque etiam Patri crea- *tota Trinitate.*
tio tribuitur statim initio symboli Apostolorum, & Niceno, & eo quod in sancto
Missæ sacrificio in Ecclesia Catholica recitatur, & passim in omnibus. Accedit
1. Cor. 8. 6. Paulus Apostolus. *Nobis tamen*, inquit, *vnus Deus Pater, ex quo omnia.* Sed & Spiri-
tum creatorem rerum agnoscit Esaias Propheta cum recensita productione cœ-
li, terræ, aquarum, quibus omnia visibilia ex nihilo creata comprehenduntur;
c. 40. 12. sicut & initio Geneseos, subditur; *quis adiuuit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* agnoscens videlicet, & confitens Spiritum Domini rerum omnium ar-
chitectum, atque opificem. Et sicut in Deo vnus est intellectus in tribus personis,
& vna voluntas; ita & vna operatio, quæ ex directione intellectus, & voluntatis
electione proficiscitur. Sed neque existimandũ est in diuinis personis vnius actio-
nem esse quasi præcipui agentis, alias autem instrumenti vicem obtinere. Neque
illud *per* vim denotat instrumenti in hac actione diuina; sicut nec artificis indu-
stria, neque sapientia, vel ars sapientis, illius instrumenta sunt, sed formæ, quæ sa-
pientem constituunt in esse sapientis, vt philosophi loquuntur: nec desiderium
instrumentum est voluntatis, quæ fertur in obiectum, & illius causa est; omnia e-
nim quæcumque voluit, fecit. Deus igitur per sapientiam suam, ac Spiritum
Psal 32. 9. suum creauit omnia; per Verbum creauit, quia *dixit, & facta sunt*, per spiritum
Ps. 113. 3. creauit, quia, *omnia quæcumque voluit fecit.*

QVAM veritatem non planè videtur antiquitas ignorasse, cùm legamus Or- II.
pheum Lebetrium, omnium Græcorum longè sapientissimum, mundum à tribus *Tota anti-*
Diis fabrefactum, mystico poëmate decantasse: cæteròsque antiquorum sapien- *quitas Deũ*
tissimos, poëtas, philosophos, theologos, Sibyllas, mundi auctorem Deum mille *mundi au-*
1. 9. locis enunciasse, quorum seorsim nonnulla testimonia referemus¹. Aristoteles au- *ctorem a-*
tem, quamuis per manus traditam de mundi productione veritatem, vehementer *gnoscit.*
labefactare conatus sit, asserta, omníque studio comprobata, vt putauit, eius æ-
ternitate, Deum tamen mundi conditorem videtur agnoscere, ipsúmque sine es-
12. metaph. c. 7. t. 38. sendi nouitate, vt loquuntur, ex naturæ necessitate producentem. Scribit enim *esse quoddam principium mouens immobile, atque actu, omníque ratione necessarium.* & addit, ex
tali principio *cælum ipsum, naturámque pendere.*

QVAMVIS autem nonnulli ex antiquis illis poëtis, imò & philosophis, non III.
pauca fabulosa miscuerint acceptæ per manus veritati, tam ornandi studio, quàm *Idque cer-*
occultandi, (ideóque se per ænigmata scripturum profitetur Plato scribens ad *tum est ve-*
Dionysium, ne, si scripta in profanas incidissent manus, intelligerent quæ eis oc- *ritatis ar-*
culta esse cupiebat) ipsum tamen narrationis fundamentum tam antiquum, tam *gumentum.*
1. de diuin. per somn. c. 1. latè per omnes gentes sparsum atque fusum, quo Deus asseritur mundi auctor,
atque opifex, non potuit non esse certissimum. Nam opinio in quam omnes gen-
tes consentiunt, vix potest esse falsa, vt auctor est Aristoteles, opiniones enim

fabulosæ, quæ sæpe mentibus hominum insinuauere sese; nec fuerunt vnquam omnibus nationibus communes, & sensim sine sensu euanuerunt; At hæc opinio
Opiniones falsæ vnde. maximè generalis fuit, & altiores in dies in hominum mentibus egit radices. Nec mirum, falsæ enim opiniones duplici ex capite ortum habent, vel ex deceptione sensuum, vt qui solem pedalem, cœlum cæruleum, terram latam nec globosam suspicantur; vel ex affectuum perturbatione, quibus persuasum est plerisque voluptate esse summum bonum. At hæc opinio cùm ex sensuum iudicio minimè pendeat, nec humanis affectibus blandiatur, sed eos potius ratione contineat, & summi Dei non venerationem modo, sed etiam timorem inducat; non potuit nisi ex ratione, aut originem, aut stabilitatem habere.

IV. *Cui & ratio suffragatur.* SED nec illud humanæ rationi absconditum, aut obscurum est; omne creaturarum genus ad finem aliquem esse ordinatum, & alia cum aliis, & ad alia miro ordine deuinciti. Aiunt enim philosophi, materiam esse propter formam, & elementa ex vtráque composita, esse propter mixta, mixta propter vegetantia, vegetantia propter animalia, quæ ipsis, ipsorúmque fructibus pascuntur: animalia propter hominem; denique omnia inferiora, & ignobiliora, ad superiora & nobiliora ordinari. At satis constat rerum inanimatarum ordinem ad finem, non posse esse nisi ab aliqua non solum efficiente, sed etiam intelligente causa, quæ est Deus Opt. Max. *Quæ sunt, à Deo*, ait Apostolus, *ordinata sunt*, non potestates solùm, sed plane res omnes. Ab illa vtique sapientia, cuius est illa vox, *Cum eo eram cuncta componens.* vt plane dementissimi cerebri sit, tam admirabilem in rerum natura ordinem, qui sui spectatores in stuporem agit, casui, fortunæve tribuere. Et cùm nauim, horologium, picturam, vestem, aut quoduis aliud arte factum, nemo nisi artifici tribuat, quomodo maximæ ac sapientissimæ industriæ opus, quale est mundus hic totus, alteri quam summo, ac sapientissimo architecto tribuatur? Adde quod insita est omnium hominum mentibus illa de Deo notio, vt illum omnium rerum perfectissimum credamus, & omnium perfectionum, quæ esse possunt, abundantissimum; at nisi Deus esset causa rerum creatarum, vna illi de maximis perfectionibus deesset, quas in rebus creatis agnoscimus, nimirum esse causam, quod excellentiam quandam secum infert, vt docti omnes, indoctique consentiunt.

2. phys. c. 26. 3. cæl. c. 67. 1. polit. c. 3. Rom. 13. a. Prou. 8. 30.

SCHOLIA IN CAP. II.

2. Orpheus. IDEM Orpheus in Argonauticis decantans mundi productionem, simul etiam celebrat Spiritum sanctum sub titulo amoris, qui est primus actus voluntatis.

Πρεσβύτατόν τε, καὶ αὐτοτελῆ πολύμητιν ἔρωτα.

Antiquissimũ & ex se perfectum sapientem amorẽ.

Ὃς τὰ ἔφυσεν ἅπαντα, διέκρινε τ' ἄλλον ἀπ' ἄλλου.

Qui quæcumque creauit, à se inuicem discreuit. Et iterum addit diuinam sapientiam productricẽ rerum, & quidem origine priorem, ait enim.

Καὶ μῆτις πρῶτος γενέτωρ καὶ ἔρως πολυτερπής.

Prima fuit genetrix sapientia, dulcis amórque.

Trismegistus. Trismegistus in lib. quem inscribit ἱερὸς λόγος. Ἀρχὴ τῶν ὄντων ὁ θεὸς, καὶ ὁ νοῦς, καὶ φύσις, καὶ ὕλη. *Principium rerum Deus, & mens, natura, & materia.* Habet autem in eodem lib. pleráque Mosis narrationi similia. Et in eo qui inscribitur mens. Ἀόρατος ὁ θεός, εὐφήμησον· καὶ τίς αὐτοῦ φανερώτερος; διὰ τοῦτο πάντα ἐποίησεν, ἵνα διὰ πάντων αὐτὸν βλέπῃς. *Inuisibilis Deus? bona verba quæso & quis eo est illustrior? Ob hanc enim causam cuncta condidit, vt per omnia ipsum cerneres.* Et in hymnodia, silentium rebus omnibus indicit, *Laudaturus enim sum*, inquit, *qui creauit omnia, qui terram firmauit ac fixit, qui cælum suspendit, qui iussit aquam dulcem ex Oceano in orbem habitabilem, & inhabitabilem exsistere ad alimentum, qui iussit ignem apparere ad omnes operationes diis & hominibus.* Græca eius verba sic habent. Μέλλω γὰρ ὑμνεῖν τὸν κτίσαντα τὰ πάντα, τὸν πήξαντα τὴν γῆν, καὶ οὐρανὸν κρεμάσαντα, καὶ ἐπιτάξαντα ἐκ τοῦ ὠκεανοῦ τὸ γλυκὺ ὕδωρ εἰς τὴν οἰκουμένην, καὶ ἀοίκητον ὑπάρχειν εἰς τὴν διατροφὴν, τὸν ἐπιτάξαντα πῦρ φανῆναι, εἰς πᾶσαν πρᾶξιν θεοῖς τε, καὶ ἀνθρώποις.

Thales. Thales apud Laertium. Κάλλιστον κόσμος, ποίημα γὰρ θεοῦ. *Pulcherrima res mundus, opus enim Dei est.* Thales Milesius, ait M. Tullius 1. de nat. 25. *qui primus de talibus rebus quæsiuit, aquam dixit initium rerum, Deum autem esse eam mentem, quæ ex aquis cuncta fingeret.* Quæ repetit Lactant. lib. 1. c. 5.

Anaxagoras. Anaxagoras quoque cuncta à mente producta sensit, vt auctor est Aristoteles in Physicis. Per mentem autem intelligebat Deum.

Melissus. Parmenides. Empedocles. Pythagoras. Melissus quoque, Parmenides, Empedocles, Pythagoras, & alij græci antiquiores omnes existimarunt primum principium cœli & rerum immortalium, omniúmque aliorum esse Deum, vt ostendit Simplicius 1. Phys. comment. 4. & 5.

Sibylla. Lactantius lib. 1. c. 6. recitat quædam de Deo mundi opifice Sibyllarum oracula in quibus illud est,

Ἀλλὰ θεὸς μόνος εἷς πανυπέρτατος, ὃς πεποίηκεν
Οὐρανὸν, ἠέλιόν τε καὶ ἀστέρας, ἠδὲ σελήνην,
Καρποφόρον γαῖάν τε, καὶ ὕδατος οἴδματα πόντου.
Sed Deus solus vnus eminentissimus, qui fecit
Cælum, solémque, & astra, atque Lunam
Frugiferámque terram, & aquæ maris fluctus.
Qui quoniam solus sit ædificator mundi, ait Lactant. *artifex rerum, vel quibus constat, vel quæ in eo sunt, solum coli oportere testatur.*
Αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα σέβεσθ' ἡγεμόνα κόσμου.

Rursus Orpheus. *Orpheus*, inquit idem Lactant. lib. 1. cap. 5. *qui & vetustissimus Poetarum, & æqualis ipsorum Deorum; (siquidem traditur inter Argonautas cum Tyndaridis & Hercule nauigasse) Deum verum & magnum πρωτόγονον primogenitum appellat, quod ante ipsum nihil sit genitum, sed ab ipso sint cuncta generata; eundem etiam φάνητα i. apparentem nominat, quod cùm adhuc nihil esset, primus ex infinito apparuerit, & extiterit. Cuius originem atque naturam quia concipere animo non poterat, ex aere immenso natum esse dixit:*
Πρωτόγονος φαέθων, περιμήκεος ἠέρος υἱός.
Hunc ait esse omnium Deorum parentem, quorum causa cælum condiderit, liberisque prospexerit, vt haberent habitaculum, sedémque communem.
Ἔκτισεν ἀθανάτοις δόμον ἄφθιτον.
Natura igitur, & ratione ducente intellexit esse præstantissimam cæli, & terræ conditricem sapientiam. Hæc Lactant. Quæ vltima Orphei de Cœlũ empyreum. cœlo empyreo, & Angelis in eo creatis facilè intelliguntur, etsi quidam de stellis, quas illi credebant, & appellabant Deos, id interpretentur. Idem ille Orpheus alio loco enarrat ante mundum conditum omnia in Dei pectore quasi thesauro inclusa, quæ ille postea in lucem eduxerit, quæ vide apud Eugub. l. 7. c. 10. Et quoniam ars naturam, siue auctorem naturæ Deum imitatur, vult Mercurius ad Asclepium scribens, & post eum Plato lib. de rep. Deum hæc fecisse, quæ pictor imitatur. De perenn. phil. Plato. *Ac pictori quidem licebit*, inquit, *& cælum facere & Deos, & terram, & mare, & homines, & bruta, & inanima, Deo autem impossibile erit hæc facere? O singularem inscitiam & imperitiam erga Deum!* Sic ipse; volens Deum esse quasi naturalem quemdam pictorem, qui possit ea facere, quæ pictor imitari. Quo non malè fortasse retuleris illud Sapientiæ ludentis coram Deo in creatione mundi, Prou. 8. 31. ludentis in orbe terrarum, cuncta componendo per singulos dies, quibus ornatus, digestúsque fuit mundus. Hæc de innumeris perpauca libauimus, ne lectorem planè ieiunium in tanta copia dimitteremus, plurima suggeret Eugub. totis penè decem libris de perenni Philos. & Cosmop. & Lactant. in diuinis institutionib. librique Sibyllarum qui extant in Patrum bibliotheca, & ipse Mercurius Trismegistus, Plato quoque præsertim in Timæo, omnes philosophi Platonici, & plerique Peripatetici.

Quare Deus mundum produxerit.

Cap. III.

QVONIAM & Scripturæ sacræ auctoritas, & omnium nationum, sæculorúmque consensus, & ratio ipsa confirmat, Deum Opt. Max. mundi opificem, atque auctorem esse: Age videamus quænam illam intelligentem naturam causa impulerit, ad magnum opus productionis rerum; tum de tempore, modo, atque ordine huius operis breuiter disputandum erit, sic enim ordine congruo ad susceptam de rerum productione cum Mose narrationem delabemur, quo scilicet spectat noster hic omnis apparatus. Non ponam autem operam longiorem in referenda, aut euertenda fatua, atque erronea Origenis opinione, suspicantis [1] mundum hunc aspectabilem, atque corporeum in pœnam prauorum spirituum à Deo factum esse. Eam enim sententiam satis refellit Augustinus. & alij qui eum præcesserunt, & deinceps secuti sunt. Num. I. Ordo dicendorum. s. χ. lib. 11. de ciuit. c. 23.

Sap. 2. 24. l. 2. de nat. II. Prima causa condendi mundum. Eum propter se conditum, & quatenus id sit verum.

EA igitur exclusa, tres sunt de fine huius productionis sententiæ. Affirmat enim Sapiens omnia creata fuisse à Deo, vt essent, non autem vt ea mox pro potestate dissiparet, ac perderet. Nam vt ibidem legitur, *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuorum. Scitè etiam Chrysippus*, inquit M. Tullius, *vt clypei causa inuolucrum, vaginam autem gladij, sic, præter mundum, cætera omnia aliorum causa esse generata.* Quæ sententia quid veritatis contineat ex his intelligetur. Sap. 13. 5. Rom. 1. 20. Si enim mundum nullum ad extrinsecum finem, puta gloriam & laudem conditoris sui, productum putat, longè fallitur; voluit enim eius architectus vt per creatarum rerum contemplationem ad creatoris cognitionem, venerationem, atque amorem, per quosdam quasi gradus ascenderemus; sin autem sentit vniuersum esse quoddam totum ex pluribus constans partibus, quarum singulæ sint propter actus & operationes suas, vt auris ad auditionem, oculus ad visionem,

omnes autem propter perfectionem totius, vt materia propter formam, partes enim habent rationem materiæ, totum verò formæ, sic rectè dicitur vniuersum esse propter semetipsum, cùm non sit pars alicuius totius, ad quod referri possit. (a. phys.)

Altera causa. Homo, non angeli.

ALTERA est eorum sententia, qui mundum hunc propter hominem conditum esse arbitrantur. Cùm enim finis sit quid optimum, auctore philosopho, & in primis appetendum, vt qui mediis suam bonitatem, & appetibilitatem communicet, nihil autem sit in hoc mundo aspectabili homine melius, consequens est, vt eum eius finem esse fateamur. Dici enim non potest propter spiritales illas mentes, licet sint homine præstantiores, creatum esse mundum, siue vt eius beneficio intelligant, siue vt conseruentur; cùm enim corpore careant, neque victu egent, neque vestitu ad conseruationem sui; sed neque ad intellectionem; siue quia in Deo ipso melius obiecta vident, quam in creatis rebus; siue quia Angelis ingenitæ sunt species, quibus intelligunt, nec eas à creaturis haurire coguntur. Aristoteles certè nostri causa omnia parata esse fatetur, ideóque nos esse quodammodo finem: ex eadem opinione scribit plantas esse animalium causa, & cætera animalia causa hominum: denique naturam, quæ nihil frustra facit, omnia hominum gratia fecisse. Nec dissentit Latinus Orator, vbi hominis causa cætera omnia, ipsum autem hominem ad iustitiam natum esse contendit. *Itaque ad hominum commoditates*, inquit, *& vsus tantam rerum vbertatem natura largita est, vt ea quæ gignuntur, donata consultò nobis, non fortuito nata videantur: nec solum ea, quæ frugibus, atque baccis terræ fœtu profunduntur, sed etiam pecudes; quod perspicuum sit partim esse ad vsum hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas* [a]. Lactantius hoc ipsum argumentum ex professo tractans, longa disputatione & enumeratione rerum quæ terra, mari, cælo continentur, confirmat sententiam Stoicorum, putantium omnia esse facta propter hominem.

(a. phys. a. 24. — 1. Polit. c. 5. — l. 1. de leg. med. — a. X. lib. de ira Dei, c. 13. & 14.)

IV. *Etiam noxia creata propter hominem. Greg. Nyss.*

QVIBVS cùm Academici obiicerent multa pestifera, hominíque inimica esse facta, respondebant multa esse quorum vtilitas latet, eámque temporis progressu patefieri. Qua ille responsione repudiata, causam refert in diuinam prouidentiam, quæ cum illi soli sapientiam inspirasset, proposuit etiam bona & mala, in quibus discernendis illa versaretur, eiúsque ductu vt bonis frui, ita & mala cauere posset. D. Gregorius Nyssenus. *Vniuersus*, inquit, *creatorum thesaurus iam terra marique paratus erat, cum is solum desideraretur, qui eo frui posset.* Et alibi. *Quippe consentaneum non erat, Imperatorem existere prius quam eos, quibus esset cum potestate præfuturus. Præparato nimirum antè omnia imperio, tum deinde proximum erat regem designare. Idcirco vniuersitatis huius creator ei qui imperaturus erat, quandam sedem regiam præstruxit, ea verò terra erat, & insulæ, & mare, & ipsum cælum, quo hæc omnia tanquam tecto concamerantur. Atque his in palatiis omnis generis opes condita sunt.* Hæc & plura Nyssenus, docens omnia propter hominem esse condita. Quod cùm Dauid, tum Paulus ipse confirmat. *Omnia vestra sunt, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.*

(lib. de hom. opif. c. 1. fin. & c. 2. — Psal. 8. — 1. Cor. 3. 22.)

V. *Tertia causa condendi mundi, Deus ipse, vltimus omnium finis.*

QVIBVS verbis commodè nos quasi manu ducit Apostolus ad verissimam illam certissimamque sententiam, quam apertè expressit Sapiens, *vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Nimirum sicut ipse vnus, primum est principium rerum omnium, & respectu eius causæ omnes, principiaque in effectis numeranda sunt; ita etiam vltimus est finis, ad quem fines omnes referuntur, & mediorum rationem induunt. *Hunc mundum*, inquit Iustinus, *non temerè conditum esse dicimus, sed generis hominum causa, ipsum vere hominem, vt esset Dei auctoris.* Et Lactant. luculenter. *Sicut mundum propter hominem machinatus est: ita ipsum propter se tanquam diuini templi antistitem spectatorem operum, rerumque cælestium. Solus est enim qui sentiens, capaxque rationis intelligere possit Deum, qui opera eius admirari, virtutem, potestatémque perspicere: idcirco enim consilio, mente, prudentia instructus est: ideo solus præter cæteras animantes rectus corpore ac statu factus est, vt ad contemplationem parentis sui excitatus esse videatur; ideo sermonem accepit solus, ac linguam cogitationis interpretem, vt enarrare maiestatem Domini sui possit: postremo ei cuncta subiecta sunt, vt factori atque artifici Deo esset ipse subiectus. Si ergo Deus hominem suum voluit esse cultorem; ideoque illi tantum honoris attribuit, vt rerum omnium dominaretur, vtique iustissimum est, & Deum colere, qui tanta præstiterit, & amare hominem, qui sit nobiscum diuini iuris societate coniunctus.* Hæc Lactant. Cui sententiæ consonat Epi-

(Prou. 16. 4. — in apolog. — l. de ira Dei, c. 14.)

ctetus, *Hominem verò*, inquit, *spectatorem sui & operum suorum introduxit, nec spectatorem modò, verùm etiam interpretem.*

VI. *Diuinum consiliū in in conditione mundi.*

CERTE quod fuerit à principio consilium Dei, ex effectis intelligendum est, quibus tanto ante prouisis ad agendum videatur inductus. Voluit nimirum sanctam electorum omnium societatem in cœlo, quasi regiam quandam ciuitatem condere, cuius princeps esset ille idem, per quem facta sunt omnia: qui factus homo, pater etiam fieret futuri sæculi, & omnium hominum, qui æternam beatitudinem consecuti, diuinam potentiam, sapientiam, bonitatem in omnem æternitatem prædicarent. Eam verò fœlicitatem, quia mercedis titulo dare voluit, hominis honorandi gratia, qui idoneus fieret, cum diuina gratia, tanti præmij promerendi; simul etiam hunc mundum esse voluit quasi laboris aream, quasi currendi stadium, quasi armorum palæstram, & militiam, quasi vineam, diurna vitæ huius contentione excolendam. Ea gratia vt distribueretur, filium suum futuri sæculi patrem, & præsentis reparatorem dedit, qui pro suæ dignitatis infinitate, meritis, & gratiarum omnium thesauris locuples, eas in omnes omnium sæculorum mortales, vt caput in membra, vt fons in riuos, vt radix in truncum ramosque diduceret, atque diffunderet. Sed quoniam non spiritali tantùm, sed terrena quoque parte constamus, quarum ignobilior nobiliori famulatur, ad eamque vt ad finem proximum refertur, (ita tamen vt *alterius altera poscat opem pars, & conturet amice*,) hanc immensam rerum corporeatum syluam produxit Deus, quæ homini seruiat, cum nutriat, vestiat, oblectet, & ad finem illum suum consequendum iuuet [7].

Horat. in arte.

3. ℞.

VII. *Mundi finis diuina bonitas ex Philosophis*

in Tim sub init.

HVC referri potest priscorum illa sententia statuentium mundum à Deo conditum ad declarandam bonitatem suam. *Dicamus*, inquit Plato, *quam ob causam ille rerum auctor generationem, & hoc vniuersum constituit. Bonus erat, Bonus autem nulla vnquam aliqua de re inuidia tangitur. Ergo cum liuor ab eo alienissimus esset, omnia sibi quantum fieri poterant, simillima fieri voluit: si quis hanc gignendi mundi causam præcipuam à prudentibus viris acceperit.* Ita Plato, indéque colligit Deum bona omnia fecisse, consentaneè iis, quæ Moses tradidit: sed & illud rectissimè, cum Dionysio Areopagita infert, Deum cùm esset bonus, atque adeo summum bonum, iuxta ipsius bonitatis naturam, aliis à se rebus bonitatem suam, beatitudinem, pulchritudinem, reliquásque perfectiones communicare voluisse; eásque sibi simillimas quantum ferret earum conditio, reddere: ideóque hominem, quem quasi quoddam sui simulachrum finxerat, consilij, libertatísque compotem, diuinæ quoque visionis, ac fœlicitatis æternæ participem reddere voluisse. Et Philo. *Si quis vellet*, inquit, *causam huius vniuersalis opificij perscrutari, non aberraret, opinor, à scopo si diceret, quod quidam priscus sapiens, bonum esse patrem conditorémque; ideóque suapte natura bonitate, non inuidisse substantiæ nihil boni ex seipsa habenti.* Sed mittamus Platonem, & Platonis æmulum Philonem, viros meliori lumine illustratos consulamus. *Quoniam autem bonitati minimè satis erat*, ait Nazianzenus, *sua ipsius solum contemplatione moueri, sed bonum diffundi, ac propagari oportebat, vt plura essent, quæ beneficio afficerentur, id enim summæ bonitatis erat, primum angelos, ac cœlestes spiritus cogitauit, &c. Mundum*, inquit Ambrosius, *propter bonitatem suam condidit, diluuium fuit nostrorum merito delictorum.* Et Basilius, *Fecit vt bonus quod vtile est, vt sapiens, quod pulcherrimum est, vt potentia præditus, quod maximum est.* Theodoretus. *Non indiget Dominus Deus laudatoribus, quippe qui natura nullius indigeat, sed sola bonitate ductus angelis, archangelis, & vniuersa creatura largitus est, vt esset.*

c. 1. Genes. — *Platone,*

lib. de mūdi opif. — *Philone*

Et Patribus.

orat. 42. — *Greg. Naz.*

lib. de Noë & arca. — *Ambros.*

homil. 2. — *Basil.*

q. 3. in Genes. — *Theodoret.*

VIII. *Et vnius hominis vsus.*

EX his etiam illud intelligetur quantum creata omnia, siue spiritu solo constent, siue corpore quoque sint prædicta, creatori suo debeant, qui propter bonitatem suam illas condiderit, capaces immensæ beatitudinis suæ; homines autem vel maximè, in quorum gratiam, amplissimam hanc rerum vniuersitatem, quam tangimus, cernimus, audimus, alióque sensu vsurpamus, liberalissimè produxit, adeo vt nisi homines conditurus esset, nequaquam eam esset producturus; cui enim bono? brutorumne gratia atque plantarum? Apage stultam cogitationem; his enim meliores sumus, & finis est quid optimum: non angelorum, qui vt ante diximus, hoc mundo aspectabili nihil opus habent. At enim produxisset propter se, vt bonitatem suam notam faceret? Quibus ergo? angelis? frustra, sine corporeis enim rebus Deum agnoscere, omnémque eius nobilitatem,

n. 3. c. 3.

ac perfectionem celebrare possunt, multo autem minus vt sibi innotesceret, qui sibi ab omni retro æternitate, sine vllis omnino creaturis, erat notissimus, gloriosissimus, atque beatissimus. Et ex his epicureas illas nugas, quas Velleius apud Ciceronem venditat, facile refutabis, quibus illi sibi in sua ciuitate gratulabantur. *Quid autem erat*, inquit, *quod concupisceret Deus, vt mundum signis & luminibus tanquam Aedilis ornaret?* respondebit Dauid, *vt cæli enarrarent gloriam Dei, & opera manuum eius annunciaret firmamentum.* [1 de nat. Deorum.] [Psal. 18.]

SCHOLIA IN CAP. III.

N.I.I. SVSPICANTIS, inquã, neque enim certo asserit Origenes, vt patet lib. 2. de principijs c. 3. in principio, & fine: quam tamen omnino illi tribuit Augustinus lib. 11. de ciuit. Dei c. 23. D. Thomas 1. parte, quæst. 65. art. 2. & ex istorum ore alij.

N.III.2. Vides triplicem hic finem animalium poni, cibum, delectationem, vsum siue famulatum, vt homini seruiant ad varias commoditates vitæ huius, vt cameli, asini, muli, ad gestanda onera; vt canes, feles & accipitres ad venationes, & aucupia; boues ad proscindendum aratro terram; vt equi ad innumerabiles pacis, & belli vsus, quæ à Deo in vsum hominum facta esse, vel ipsa corporum conformatio, & propensio, quam eis natura indidit, ad ea opera, quæ sunt hominibus vtilia, apertè docent. Addi etiam potest ille vsus, qui est ad hominem puniendum, vt varia genera serpentum, ac venenatorũ animalium, siue superbiam eius retundendam, quem minutæ bestiolæ affligant; quantumuis verè decantatum fuerit à Propheta, *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues, &c.* [Psal. 8.]

N.VI.3. Vide Molinam in 1. part. D. Thomę quæst. 22. art. 1. disp. 2. §. pro solutione trium argumentorum. Et A Ponte in 1. parte meditat. 1. fundament.

Quo tempore mundi conditor mundum produxerit.

CAP. IV.

Num. I. *Mundus creatus principio rerum & temporum.* DE tempore, & quasi ætate mundi altercantibus philosophis, silentium imponere videtur Moses cùm ait. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Quanuis enim principij vocaculum, rerum ordinem hoc loco significare videatur, vt idem sit in principio, quod ante omnia, aut initio operis sui, quo rectè illud referas. *In initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio*, quomodo D. Thomas exponit illud psalmistæ. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* Principium tamen temporis rectè quoque significat, vt intelligamus non solùm nihil aliud creatum ante cœlum & terram, non angelos, non informem materiam; sed etiam creationem cœli & terræ non fuisse ab æterno, quod aliqui ingenij subtilitate confisi, se demonstraturos esse confidebant, sed initium durationis habuisse: quandoquidem mox primus dies numeratur, & alij deinceps vsq; ad Adami productionem, ex quo anni mundi consequenter recensentur [1]. Certè Concilium Lateranense definit Deum ab initio temporis simul vtrámque de nihilo condidisse creaturam, angelicam & mundanam. [Prouerb. 8. 22.] [1. p. q. 46. art. 3.] [Ps. 101, 26.] [1. ✠. cap. firmiter de sum Trinit. & fid. cath.]

II. *Eum non fuisse ab æterno,* · IN principio ergo rerum & temporum factus est mundus; ab æterno autem solus is fuit, *qui solus habet immortalitatem*, & æternitatem. Nam in æternitate mundi refutanda non est quod operam ponamus non necessariam, in eo enim stadio nobiles iamdudum Athletæ decurrerunt, & palmam cum gloria reportarunt [2]. Quin & maxima pars Christianorum philosophorum eo progressa est, vt ne potuisse quidem esse ab æterno vllam creaturam siue spiritualem, siue corpoream omni ratione contendat. *nec esse potuisse.* Eam certe Sanctorum Patrum fuisse mentem, negari omnino non potest, qui contra Arrianos disputantes in eo argumento multi sunt, vt Dei filium probent non esse creaturam, quia sit ab æterno, quod argumentum ineptum, & futile fuerit, si fieri potest, vt creatura sit ab æterno. Eo argumento præter cæteros vtitur Athanasius, ostenditque creaturarum & operum proprium esse, vt dicantur ex non entibus extitisse, neque fuisse antequam fierent. *Quid tam inconueniens*, inquit Ambrosius, *quàm vt æternitatem operis, cum Dei omnipotentis coniungerent æternitate?* Apertius etiam S. Damascenus. *Creatio verè*, inquit, *à Deo, cum vo-* [1. Tim. 6. 16.] [2. ✠.] [orat. 2 contra Arian. & init orat. 3 contra eosdem.] [l. 1. hexam. c. 1.] [l. 2. de fide orthod. c. 8.] *Athan.* *Ambros.* *Damasc.*

luntatis opus sit, non coæterna Deo est, quandoquidem suapte natura capax non sit quod de non
l. 1. de sacram. c. 10. *esse deducitur, coæternum illi esse, qui sine principio est.* Et Hugo, *Fugit*, inquit, *diuinam virtutem, vt aliquid sibi coæternum faciat.* Hugo.

Non me latet esse qui Patres interpretentur in eam sententiam, quasi negent III.
posse fieri vt creatura sit ab æterno, non quod absolutè credant id fieri non posse, *Obiectio.*
sed quod sentiant id non decere, aut non conuenire, quomodo scriptura etiam
Math. 9. Marci 2. 19. sacra loquitur. Nam in Euangelio legimus non posse ieiunare filios sponsi, dum
eis sponsus adest, & Christum non potuisse in patria sua virtutem vllam facere,
Matt. 6. 6. propter eorum incredulitatem. At violentam esse istiusmodi expositionem, & *Refellitur,*
plane præter eorum mentem ex eo apparet, quod ea locutione tam sæpe, tantáque consensione vtantur, vt eo quasi validissimo telo blasphemam bestiam conficiant, quod ea ratione infirmissimum videri possit. Quanquam & ea ipsa ratio satis virium habet; cùm enim non possit quicquam à Deo fieri, quod non deceat, *& retorquetur.*
quod non conueniat, certe ne creaturæ quidem à Deo creati ab æterno potuerunt, quando id non decere neque conuenire aduersarij quoque fateantur. Sed hæc obiter dicta sunto.

Ad hunc etiam locum pertinet celebris illa controuersia de anni parte, in qua IV.
mundus conditus esse videatur. Nec est qui hyemem, in qua nos cum orbe Romano Calendis Ianuarij Iulianum inchoamus annum, huic diuino operi natalem esse velit. Nam constat arbores pomis repletas fuisse, cùm Dominus Adamo *Qua anni parte sit conditus.*
in paradisum inducto abstinentiæ præceptum dedit, quod hyemi conuenire non potest. De æstate nemo, quod sciam, id asserit, præter Gerardum Mercatorem, qui mundi initium refert in id tempus quo sol est in Leone, idque colligit ex ramo virentis oliuæ, quem columba à Noë emissa mense vndecimo ad eum attulit; labili sane argumento, cùm videamus oliuam toto pene anno virentia folia retinere, quam ad rem potuit etiam aquæ humiditas conferre. Quid quod Rupertus ex eodem oliuæ ramo virentibus foliis ornato id tempus vernum fuisse colligit?
l. 4. c. 15. in Genes.

Maior est de vere & autumno controuersia, multorum enim opinio est in V.
in 6. die mundi num. 41. autumnali æquinoctio mundum exortum esse, quos fusè recitat ac sequitur Tor- *An in Autumno, & qua pro eo faciant.*
init. lib. 1. chron. niellus. Quibus addi potest. Pererius in opere tertij diei, vbi pro vtráque parte
in sua chron. ita disputat, vt in hanc videatur esse propensior, Temporarius, Caluisius, Scaliger, qui fatetur se de vere sententiam olim probatam deseruisse, non satis ido-
l. 5. de emend. c. de conditu mundi. nea, vt arbitror, de causa, vt postea docebimus. Iudæos aliósque plerósque in hanc sententiam maximè traxit scriptura, quæ illi nonnullis in locis fauere videtur. Nam Exodi 12. dum agitur de mense egressionis ex Ægypto, qui ibi mensis *Scriptura 1.*
nouarum frugum dicitur, & postea appellatus est Nisan, *Mensis iste*, inquit, *vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Apparet enim nouam eo loco fieri à Domino cõstitutionem, de inchoando tunc anno, in memoriam accepti beneficij. Alium ergo mensem primum habuerunt Hebræi ad id vsque tempus. Nam si iam erat primus in omnibus annis ab orbe condito, frustra statuebatur, vt penes
Genes. 3. illum esset mensium principatus. Deinde Eua fatetur arbores non floribus, vt 2.
verno tempore, ornatas esse, sed fructibus oneratas, cùm ait, *De fructibus ligno-*
Exod. 23. 16. *rum, quæ sunt in paradiso vescimur.* Fauet etiam festum Tabernaculorum, quod 3.
constat septimo mense fuisse celebratum, quod Dominus in exitu anni celebrari iubet, quando fruges omnes de agro collectæ sunt: at exitus, vt in circulo, cohæ-
Exod. 34. 22. ret initio. Rursus, *Solemnitatem hebdomadarum facies tibi, in primitiis frugum messis tuæ triticeæ.* (Et hæc est solemnitas Pentecostes, de festo autem scenopeiæ, siue Tabernaculorum subdit.) *Et solemnitatem quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.*
Hoc ergo nixi fundamento Hebræi, vt scribit Genebrardus, post Abulensem, *Hebræi.*
init. Chro. Lyran. & alios à nouilunio Septembris, siue Luna propinquiori autumnali æquinoctio annum ordiuntur, existimántque eo mense orbem fuisse conditum, ideóque festum Tubarum, quod primo die Septẽbris celebrabatur, vocant caput, seu principium anni: nec nisi ratione Paschatis, dierúmque festorum, Nisan, qui fere nostro Martio respondet, primum mensium à Mose dici arbitrantur. In cæteris negotiis publicis, priuatisque, & in consignandis temporibus annos à Tisri siue
l. 1. c. 4. Septembris numerant. Præit his Iosephus. *Moses*, inquit, *Nisan, qui est Xanticus,* *Iosephus.*

menſem primum in feſtis ordinauit; quod per hunc Hebræos ex Aegypto eduxiſſet. Eumdem etiam omnium quæ ad rem diuinam pertinerent exordium fecit; alioqui, quod ad nundinationes rerum venalium, reliquámque diſpenſationem anni attinet, nihil de priſtino ritu innouauit, τὸν πρῶτον κόσμον διεφύλαξε, *primum ordinem ac modum conſeruauit.* D. quoque Hieronymus. *Apud Orientales populos,* inquit, *poſt collectionem frugum, & torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus menſis, & Ianuarius quartus.* Hos populos Orientales explicat Genebrardus, Chaldæos, Perſas, Ægyptios, cæteróſque, quibus addit veteres Hetruſcos, qui, vt ex Feſto Pompeio, & Liuio colligitur, quotannis clauum annalem figebant idibus Septembris, vt per eos clauos numerum annorum deſignarent. Hæc ergo populorum maximè Hebræorum praxis, ſatis probare videtur hoc ipſo tempore mundum conditum, & inde cœptos ab Adamo numerari annos, eumdémque modum per manus ad poſteros perueniſſe. Conuenientius etiam videtur ponere annum inchoatum in Autumno, etiam ante diluuium quod cœpit menſe ſecundo, ſic enim cœperit menſe Nouembri, & ſe extenderit ad hyemale tempus, quod naturaliter humidum eſſe ſolet, & pluuiis obnoxium; contra quam in vere atque æſtate contingit. Addunt fructuum collectionem, quæ Autumno fit, oſtendere naturaliter annum eſſe cõpletum, indéque mox renouari, ſeminibus in terram iactis; Deum item hominem & animalia in ſtatu perfecto condidiſſe, eodémque etiam modo arbores, quæ natæ ſunt in cibum animantium, proptereáque oportuiſſe eas fructibus onuſtas eſſe; qui in hyemem conſeruarentur. Hæc ferè pro hac ſententia adducuntur, quibus priuſquam reſpondeamus, videamus, quæ pro vere faciant.

Populi Orientales. — *Idem deducitur ex diluuio,* — *ex collectione fructuum,* — *& perfecto conditionis ſtatu.*

VI. *Vel potius in vere, & qui ita ſentiant.*

PRIMVM qui initium mundi Autumno tribuunt, vltro concedunt multo plures auctores pro vere ferre ſententiam. Torniellus ipſe viginti circiter antiquos ſcriptores, græcos, latinos, hebræos longo ordine profert, in quibus eſt Synodus Palæſtina à Theophilo Epiſcopo Cæſarienſi, iuſſu Victoris Papæ congregata, cuius meminit Beda. Quibus adde Aſcanium Martinengum in gloſſa magna, vbi pro hac ſententia recitat teſtimonia Baſilij, Ambroſij, Auguſtini, Nazianzeni, Nicetę, Helię Cretenſis, Theodoreti, Cyrilli, Irenæi, Damaſceni, Athanaſij, Iunilij; Strabi, Rabani, Anſelmi Laudunenſis, Gaudentij, Aponij, Iulij, Hilarionis, Albini Flacci, Bedæ, Ruperti, Hugonis, Comeſtoris, & aliquot Rabbinorum. Quibus adde Marianum Scotum initio Chronolog. & ex recentioribus Ludouicum Molinam in operè ſex dierum, Caietanum in 1. cap. Geneſ. Emanuelem Sà in notis capitis octaui geneſeos, Genebrardum initio lib. 1. Chronolog. quem de more ſequitur Adrichom. Clauium in cap. 2. Sphæræ, vbi agit de ſignis Zodiaci, cum omnibus paſſim Aſtrologis, Gregorium à Valentia, Del Rio in Geneſ. Cornel. à Lapide in diem 3. quibus adde Laur. Codomanum in ſuis Annalibus, Capellum, Kepplerum, quibus libenter ſubſcribimus.

1. de ſermutat. to. 2. A p. 823 ad 835. — diſp. 24. — 1. p. diſp. 5. q. 3. punct. 1. § poſtremo quæri poſſet in diem 3.

VII. *Vnde id probatur. 1. ex Gen. iuxta expoſitionem S. Damaſcem, S. Cyrilli Hieroſol. Theodoret.*

PROBATIO petitur ex ſcriptura. *Germinet,* inquit, *terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum,* id enim verno tempori maximè conuenire nemo negare poteſt. Ex eóque loco S. Damaſcenus hanc ſententiam probat. *Per ſolem,* inquit, *quatuor anni conuerſiones conſtituuntur; quarum prima verna eſt, in qua Deus res vniuerſas condidit, idque ex eo conſtat, quod nunc quoque vere flores germinant.* Probat & Cyrillus[1] Hieroſolymitanus. *Xantico,* inquit, *menſe inſtante, ver eſt reliquum, eſtque hoc tempus menſis primus apud Hebræos, in quo feſtum Paſcha prioris erat typica, nunc verò eſt vera; hoc tempus eſt creationis mundi, tunc enim dixit Deus, producat terra herbam virentem, &c.* Probat & Theodoretus in Exodum, vbi quærens quamobrem prima die primi menſis Deus iuſſerit erigi tabernaculum reſpondet, *Propterea quod,* inquit, *eodem ferè tempore Deus creaturas condidit, cuius rei fidem facit arborum germinatio. Germinet,* inquit, *terra herbam virentem, &c. Incipiente enim vere prata florere ſolent, ſegetes ſemina concipiunt, arbores fructum emittunt. Eadē cauſa Deus etiam ſub idem tempus liberauit populum Iſrael à ſeruitute Aegyptiorum; & Gabriel Archangelus ſanctæ Virgini Mariæ lætum nuncium admirandi partus atulit. Eodem quoque tempore Chriſtus Dominus ſalutarem pertulit paſſionem.* Hæc Theodoretus, quibus verbis hanc videtur ad inſtitutum probandum ſuggerere coniecturam.

Gen. 1. v. 11. — l. 2. de fid. c. 7. — 1 Cat. 3. 2. — q. 72.

& eius ratio.

Rationi enim conſentaneum eſt fateri eodem tempore reparatum fuiſſe mundum quo fuerat conditus: atqui verè conſtat eſſe reparatum, ſiue reſtaura-

tionem

tionem eius incarnationi Domini tribuamus, siue passioni. Huic coniecturæ fidẽ
conciliat quod videmus Deum interdum huiusmodi temporum consonantiæ ra-
c. 4. 54. tionem habuisse. Nam 1. Machab. *Secundum tempus, & secundum diem in qua conta-
minauerunt illud* (altare) *gentes, in ipsa renouatum est in canticis & citharis*, &c. Idem etiã
c. 10. 5. accuratè notat auctor 2. Machab. Censent plerique Sanctorum, vt postea videbi- *& aliorum Sanctorũ.*
mus, eadem die Christum Dominum in cruce mortuum, quo Adamus in paradi-
so peccauerat. Figurata fuerat mundi reparatio per eductionem Israëlitarum ex
Ægypto, quemadmodum canit Ecclesia in vigilia Paschatis; at illa in vere conti-
git, quòd est Theodoreti argumentum.

v. 2. PROBATVR quoque hæc sententia ex 12. Exod. quo ex loco etiã prior sententia VIII.
probabatur. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* In textu *2. ex libro Exod.*
hebræo vtrumque membrum caret verbo substantiuo; Septuaginta supplẽt tem- *Iuxta Septuag.*
pus præsens ἐστὶ, quomodo legerunt sancti Patres, qui ex hoc ipso loco vernum *S. Ambros.*
l. 1. hexam. c. 4. tempus initiu mundi tribuunt. D. enim Ambrosius. *Quòd aquè*, inquit, *de illo possu-
mus accipere. Mensis hic initium mensium est vobis, quamuis & de tempore istud accipiatur, quia
de Pascha Domini loquebatur, quòd veris initio celebratur. In hoc ergo principio mensium cœlum
& terram fecit, quòd inde mundi capi oportebat exordium, vbi erat opportuna omnibus verna
temperies, vnde & annus mundi imaginem nascentis expressit, vt post hybernas glacies, atque
hyemales caligines, serenior solito verni temporis splendor eluceat.* Hæc Ambrosius; plu-
ráque alia in eandem sententiam; quæ concludens ait. *Ergo vt ostenderet scriptura
veris tempora in constitutione mundi ait, Mensis hic vobis initium mensium, primus est vobis
in mensibus anni, primum mensem vernum tempus appellans.* Idem significat Gregorius *S. Gregor.*
orat. 42. Nazianzenus [4]. *Mensis quidem primus, vel mensium potius principium inducitur, siue quis- Nazianz.*
4. X. *piam ab initio apud Hebraos id fuerit, siue ex ea re postea factus sit, atque ab hoc mysterio hoc
acceperit vt princeps esset.* Hæc Theologus; quæ explicans Nicetas. *Mensis igitur Pas- Nicetam.*
chatis, ait, *qui apud Aegyptios Pharmuti, apud Macedones Xanticus, apud Hebraos Nisan,
apud Romanos Martius vocatur, hic primus in mensibus introducitur atque decernitur, ac prin-
cipium mensium anni: fortasse quia iam inde à principio primus ordine erat. Arcanus enim hic
apud Hebraos sermo est, hoc tempus esse quo Deus vniuersam rerum molem condidit. Vernum
l. 4. in Gen. c. 25. porrò hoc tempus est quo terra quoque herbas profert.* Hactenus Nicetas. Eadem est Ru- *Rupertum.*
perti sententia. Neque est qui non facilè videat mundi origini, & productioni re-
rum, ver potiùs quàm autumnum conuenire, cùm ver ortui sit aptius, autumnus
interitui, ver adolescentiæ respondeat, autumnus senectuti. Sed hæc ex respon-
sione argumentorum illustriora fient, atque certiora.

ET primum dicimus plerúsque Rabbinorum pro hac stetisse sententia, vt pau- IX.
lò antè ex Niceta dicebamus. Lyranus quoque & Abulensis pro eadem Rab. Io- *Rationes*
sue referunt, nec Iosephus quicquam pro ea re habet, vt mox dicetur. Ad primũ *pro exortu*
autem Exodi locum iam fermè responsum est, pro nobis enim is facit, vt ex Am- *mundi in autumno*
brosio & Naziãzeno docuimus. Nec textus Hebræus aut Grçcus illis fauet, Lati- *refelluntur.*
nus autem qui cæteros illustrat, nihil nobis nocet, significatur enim communiter
ab omnibus eum mensem, qui primus est ordine atque origine, deinceps primum
fore etiam dignitate, propter Paschalem celebritatem, quæ cæteris festiuitatibus
moderatur.

NEC Eua huic sententiæ negotium facessit. Nam primùm dicimus aliquid illo X.
1 p. d. 5. q. 3. punct. 3. anno præter futurum ordinem in fructuum acceleratione contigisse, vt Gregorio *Acceleratio fructuũ*
quoque de Valentia visum fuit, & experientia constat aliquando tepida hyeme, *in primo vere.*
aut calidiore vere, flores ac fructus, messes ac vindemias vno atque etiam alte-
ro mense accelerati. Quòd si Hebræis ordinariè mensis primus, mensis nouo-
Exod. 23. 15. c. 34. 18. & Deuter. 16. 1. Leuit 23. 10. & seq. Exod. 34. 22. rum fuit, sicut & appellatus est. *Obserua*, inquit, *mensem nouarum frugum, & veris
primum temporis, vt facias Phase Domino*; vt etiam manipuli primarum segetum, ex
Domini iussione, offerrentur. (Quòd de hordeacea messe intelligitur, nam tri-
ticea septem hebdomadibus posterior erat.) Quid mirum si illo anno cœlum no-
uum & terra noua, noua benedictione Domini consecrata, in vsum primorũ pa-
rentum fructus optimos quàm citissimè, & quàm abundátissimè protulerit? Adde
quòd duæ personæ tantùm nutriendæ erant, & facilè est præcoces aliquos fructus
in arboribus reperire. qui plures etiam hebdomadas aliorum maturitatem ante-
uertant. Sed neque bestiæ tantò erant numero, vt non facilè reperire possent vnde

viuerent, cùm alioqui, *neque ferant, neque metant, neque congregent in horrea*, quibus tamen diuina prouidentia non deest, non verè tantùm, terra vbique germinante, sed per medias etiam glacies ac pruinas, dum sola terrarum niuibus obsita, bestias in suis antris, ac latibulis obsessas tenent. Matth. 6. 26.

XI. *Inconueniens plantarũ creatio in autũno.*

Q V I autem creationem in autumnum, & quidem adultum differunt, vt arbores habeant pomis onustas, non vident se multo plura præter naturas arborum debere concedere. Omnes enim fructus, qui vere prodeunt & æstate; nec in autumnum vsque perueniunt nouo miraculo autumnales facti sunt, aut certè plurimæ arbores floribus fructibúsque vacuæ, in illo amœnissimo deliciarum loco cũ nudis frondibus productæ. Gemebant igitur in illo communi totius terræ gaudio, tot cerasorum, prunorum, malorum Assyriarum, Medicarum, Persicarum, Armenicarum genera. Stabant non sine pudore cum cæteris tot species pyrorũ, ficuum, amygdalorum, aliæque non paucæ. Marcebant roseta sine rosis, & liliorum caudices sine liliis, omniúmque penè florum plantæ, quarum vis tanta à Deo producta est, suis viduatæ ornamentis, nullum poterant quasi symbolum, in hanc mundi primam celebritatem conferre.

XII. *Conueniens in vere.*

A T posita in vere creatione, tellus vniuersa floribus, herbis, segetibus, aliis viridantibus, maturis aliis, aliis maturescentibus vestiebatur. Arbores pro suæ conditione naturæ, aliæ floribus & frondibus tantùm, in spem sequentium mensium decorabantur, aliæ fructus grandiusculos, aliæ perfectæ penè magnitudinis, sed acerbos adhuc ostentabant, aliæ maturescentes, partim etiam maturos, ad præsentem cibum exhibebant. At emendator temporum aduersatur nobis, autumnum præfert, *quod futile sit argumentum veri fauentium de terra à Deo germinare iussa, vt statim primis autumni frigoribus exolesceret*; quid? in Autumno creata proximis frigoribus nõ erat exolitura? *Nam si hoc verum est*, inquit, *cùm Deus iubet arbores fructum producere, oporteret vuas, & reliquos fructus qui non nisi autumno maturescunt iam in ipso verno æquinoctio fuisse, quod est absurdissimum.* Hoc ille telum, sed imbelle, ac sine ictu iacit, vt ex dictis satis intelligitur. Non enim fuit diuinæ prouidentiæ, contra naturam plurimarum arborum, omnes eodem tempore fructus profundere, nec tam multis vno tempore duo homines indigebant. Nec erat eorum sapientiæ de omnibus eodem tempore edere velle, sed statis à conditore temporibus, vt nos nunc quoque facimus. Puerile enim esse videtur illa primæ parentis verba ad serpentem, *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur*, in eam sententiam trahere, quasi illi omnium arborum fructibus in præsentia vterentur, cùm illa tantùm velit permissum esse vsum omnium, sed temporibus suis, vt ex antithesi vetiti fructus patet, quẽ nullo vnquam tempore liceret attingere. Quanquam Eua non ait se, coniugémve suum de fructu lignorum omnium comedere; sed lignorum; quasi innuens non adhuc fructus omnes ad esum esse idoneos; sat multi tamen iam erãt maturi, qui possent tam eorum necessitati, quam delectationi satisfacere.

Refutatur Scaliger.

XIII. *Initiũ anni in autumno non probat autumnalẽ mundi ortum, & quæ illius causa.*

I A M verò quid virium habeat illud argumentum de anni exitu, & initio in Septembri mense videamus. Vt enim vltrò demus Iudæos, Ægyptios, omnésq; populos Orientales, atque Occiduos, si placet, annum ab autumno inchoare, num. propterea consequens est mundum conditũ in autumno? cùm aliam eius rei causam maxime idoneam proferre possimus. Nam, vt significat Iosephus, suam illi cõmoditatem, & populares vsus sunt secuti. Cùm enim plurimi essent in agricultura, & pecoribus, Iudæi in primis, collectis sub id tempus distractísque frugibus, & collecta ex iis pecunia, commodè contractus annuos locationum, conductionum, emptionum, venditionum, aliósque id genus celebrabant, quòd etiam plerísque in locis hoc quoque tempore in vsu est. Adde ex Burgensi, commodum id fuisse Iudæis, propter annum Iubilæi, quo agri ad pristinos dominos ex diuina lege reuertebantur. Oportuit enim annum in frugũ collectione terminari, vt nouus possessor sementem in annum sequentem faceret. Sed nec annus Sabbaticus nisi per sementem distinguebatur, vna enim à Septembri in alium Septembrem omittebatur. Nam quòd pristinum ritum quem memorat Iosephus, quidam ad mundi exordium referunt, malè referunt; cùm id Iosephus ad Ægyptiorum, de quibus proximè antè loquebatur, consuetudinem referat, quàm Iudæi in Ægypto seruabant, & deinceps retinuerunt, in contractibus suis, quemuis in in 2. Exod.

festorum ratione aliud anni principium Moses Dei iussu constitueric.

l. 1 antiq. c. 3. QVOD autem annum diluuij ab Autumno cum Iosepho inchoatum tradunt, vsitato scilicet more, modóque iam ab orbe condito, id pro certo afferunt, quod maximè controuersum est. Neque enim id scriptura aut apertè, aut obscurè tradit; tantùm enim ait anno sexcentesimo vitæ Noë mense secundo, septimo decimo die mensis factam esse pluuiam: isti autem supponunt Noë initio anni natum esse, & ipsum anni initium fuisse in Septembri, quod probandum est. Nam quod aiunt Deum opportuno anni tempore vsum ad pluuias immittendas, quando scilicet cœlum solet esse pluuiosum, Octobri videlicet & Nouembri, procul dubio parum probant. Nam vt omittam dicere Maium pluuiosum esse, certè Dominus, qui tempus ad mundi castigationem elegerat, id sumpsit, in quo maximè puniebantur mortales, vt suo loco ex Ambrosio, & Ruperto docebimus; vt sic etiam apertius intelligeretur, diuinam hanc esse vindictam; non fortuitam, aut congruentem tempori tempestatem [5]. XIV. *Nec probatur ex tempore diluuij.*

5. ✕. IAM quod fructuum terræ collectio significat annum esse completum; certè conuenientius est anni principium & finem à cœlo quam à terra petere (cœli enim cursus mensura est temporis,) cùm sol anni moderator primum Zodiaci signum ingrediens, mundum hyemis asperitate pene mortuum renouat, atque restaurat ad vitam. Merito ergo poëta disertissimus canit. XV. *Initiũ temporis à cœlo potius quã à terra petendum.*

Georg. 2.

Non alios prima crescentes origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem,
Crediderim, ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri:
Cùm primum lucem pecudes hausere, virúmque
Ferrea progenies duris caput extulit aruis;
Immissaque feræ syluis, & sidera cœlo.

QVOD postremo additur, Deum hominem, & animalia in statu perfecto condidisse; arbores item, & plantas omnes; id sane libenter damus, & negari non potest, sed nihil aduersariam opinionem iuuat. Conditus enim est homo, & animalia omnia, in eo statu, in quo generare possent sibi similia, idem in vegetantibus obseruatum; illo enim ipso anno, quo condita sunt, fructus largè protulerunt, nisi fortè placet fœminas omnes grauidas esse procreatas, sicut arbores cum fructibus suis. Vt ergo Deus virum ac mulierem condidit, non infantes: nec hœdos aut agnos, sed oues & capras, hircos & arietes; ita & arbores in ea perfectione, qua solent esse fructuosæ. Cùm itaque iis satisfactum videatur, quæ pro Autumno facere videbantur, liceat illud iterare. *Non alios prima crescentis origine, &c.* aut illud
l. 2. de fid. c. 7. potius S. Damasceni. *Per solem quatuor anni conuersiones constituuntur, quarum prima verna est, in qua Deus res vniuersas condidit.* XVI. *Creatio rerum in statu perfecto non requirit Autumnum.*

QVONIAM verò non omnibus terræ locis eodem tempore ver esse potest,
disp. 14. cuius terræ putamus habitam esse rationem? Respondeo cum Molina, Palæstinæ, & vicinarum regionum, & consequenter earum, quę eodem climate continentur. In illis enim regionibus scribebat Moses, & ij, quibus scribebat, habitabant. Nam
Psal. 73. 12. Palæstina in medio cogniti tunc orbis collocata est, iuxta illud Psalmistę. *Deus au-*
Ezech. 5. 5. *tem rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ,* & Ezechielis. *Ista & Hierusa-*
6. ✕. *lem, in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras* [6]. XVII. *Mundus in vere conditus ratione Palæstinæ.*

SCHOLIA IN CAPVT IV.

N. 1. 2. HÆc fuit mens D. Augustini lib. 12. confess. c. 20. & 28. & c. 4. l. 1. de Gen. ad litter. Consentit D. Thomas 1. p. q. 46. a. 3. *Quidam*, inquit, *dixerunt, mundum non habuisse temporalem inceptionem; ad quod reprobandum exponitur primo sic. In principio scilicet temporis, creauit Deus cœlum & terram.* Quæ est etiã D. Ambrosij in hexaem. interpretatio. Consentiunt Caietanus & Hieronym. ab Oleastro in hunc locum, Ludouicus Molina de opere sex dierum disp. 6. Gordonus to. 1. chron. c. 2. Idem plane sentit Eucherius super Gen. *Sed & frustra dicitur*, inquit, *cur per tanta retrò tempore Deo vacante, noua mundum faciendi orta fuit occasio? Noua enim voluntas in Deo exorta non est, quia etsi mundus in re non erat, in æterna tamen voluntate semper erat, quando in suo æterno consilio semper manet mundi constructio, nec tempus ante principium, sed æternitas fuit. Tempus enim à substitutione creatura, non creatura cœpit à tempore.* Idem habet Isidorus lib. 1. sentent. c. 8. Iunilius, seu potius Beda in opere sex dierum. *Quem*, inquit, *in principio*

temporum mundum creasse perhibet, eumdem ante tempora æternaliter extitisse designat, & quem ipse conditionis initio cœlum & terram creasse narrat, tanta celeritate operationis omnipotentem esse declarat cum voluisse creasse est. Nec tamen dissimulauerim, quod notat Molina loco citato, hoc initium temporis moraliter potius quàm mathematice accipiendum esse, vt in principio temporis creatum dicatur cœlum & terra. Id est, circa principium temporis quod videatur verisimile nullum corporis motum interim fuisse, dum tenebræ erant super faciem abyssi.

N. II. 2. Lege Eugub. l. 7. de perenni philos. & nostrum Pererium l. 15. vbi fusissimè 12. argumenta Aristotelis, 20. Procli, 12. Auerrois, itemque alia 12. pro mundi æternitate dissoluit.

N. VI. 3. Verba Cyrilli Hierosolymitani Græca hęc sunt. Ξανθικοῦ τότε τοῦ μηνὸς ἐνεστῶτος, ἵνα ᾖ λουτρόν. ὁ δὲ καιρός ἐστιν οὗτος ὁ μὴν ὁ παρ' Ἑβραίοις πρῶτος, ἐν ᾧ ἡ ἑορτὴ τοῦ πάσχα τοῦ προτέρου τυπικοῦ, νῦν δὲ ἀληθινοῦ. οὗτος ὁ καιρὸς τῆς τοῦ κόσμου δημιουργίας· τότε γὰρ εἶπεν ὁ Θεός. Ἐξαγαγέτω ἡ γῆ βοτάνην χόρτου.

N. VIII. 4. Verba Gregorij Nazianzeni gręca sunt hęc. Μὴν μὲν εἰσάγεται πρῶτος, μᾶλλον δὲ ἀρχὴ μηνῶν. εἴτε καὶ τοῦτο παρ' Ἑβραίοις ἦν ἀπ' ἀρχῆς, εἴτε ὕστερον ἐντεῦθεν γενόμενος, καὶ παρὰ τοῦ μυστηρίου τὸ εἶναι πρῶτος λαβών.

N. XIV. 5. Quoniam ergo tunc tempus puniendi eius aduenerat, ilicet dira tempestas.

Sternit agros, sternit sata læta, boúmque labores,
Præcipitésq; trahit sylvas, --- cũ fructibus suis.

Et Ouidius in recensendo diluuio,

Sternuntur segetes, & deplorata colonis
Vota iacent, longique perit labor irritus anni.

Nũ irritus labor longi anni conuenit Octobri aut Nouembri? nónne potius Aprili aut Maio?

N. XVII. 6. At quæras etiam, quo cyclo solis, aut Lunæ conditum mundum putemus. Respondemus eas notas à nobis, aliísque qui hoc argumentum cum laude tractarunt, consulto prætermissas, tanquam minimè necessarias, aut parum etiam vtiles instituto nostro. Non enim chronologiam ordinant, sed supponunt, nec quo quidque tempore factum sit indicare possunt, sed cyclis alicui anno assignatis, quinam cuipiam alteri tribuendi sunt, certò concludunt, sed id chronologiæ vitia non coarguit. Itaque cùm apud diuersos tam diuersa sit temporum ratio, & aliam alia, etiam aliquot annorum centuriis superet, oportet cyclos istos toto etiam cœlo discrepare, ideóque qui illos notant, non magis in ipsis, quam in chronologia consentiunt. Caluisius initio mundi cyclum Solis ponit 8. Lunæ 15. Octobris 26. fer. 1. At Capellus Solis 15. Lunæ 12. Scaliger Solis 8. Lunæ 4. & ita de cæt. Num ex cyclis sciri potest quínam melius tempora digesserit? Nam exempli causa sunt qui velint à diluuio ad ortum Abrahæ 292. annos numerari, eámque velint esse scripturæ sententiam, alij ex eadem 322. alij 82. supra trecentos, num alicui earum sententiæ cycli victoriæ palmam tribuere possunt? non possunt, sed id tantùm dicent, si in diluuio talis cyclus fuit, in ortu Abrahæ, si eum posueris anno 292. hic cyclus assignandus erit, 8. v. g. vel 10. sin autem anno 322. talis erit, sin 382. talis. Quid emolumẽti habet ista diligentia ad veram agnoscendam, aut firmandam chronologiam? At enim si de vnius anni cyclis constiterit, facilè intelligetur an in annis subsequentibus, aut antegressis perperam assignentur cycli? audio, sed nos res gestas assignari volumus, non cyclos. Cùm autem necesse sit constare de vnius anni cyclis, vt inde cyclũ anni quem quærimus deducamus, vnde nobis de illo anno constabit, ex quo cæterorum annorum cycli dependent? An ex scriptura sacra? mirum in ea hisce de rebus silentium. nec ex ea vllum certo, ac ne probabiliter quidẽ, quicquid dicat Scaliger, probare possis. An ex aliqua demonstratione mathematica? minimè gentium, v. c. vnde constat cyclum solarem in natali Domini fuisse decimum, Lunæ autem 2. Ex eclipsi aliqua fortasse quam notauit Dio, vel Tacitus, aut aliquis alius. An hæc scriptorum istorum assertio, fidem facit humana maiorem? nemo sanè dixerit; ergo conclusio, quæ sequitur debiliorem partem, vt Dialectici docent, quantũuis mathematicè deducta, nõ habebit maiorem certitudinem, quam illius historici promeretur auctoritas, & certum sit in notandis eclipsibus, etiã à doctis viris, non raro peccari. Argumentatiunculas itaque non demonstrationes afferunt qui hisce de rebus demonstrationes pollicentur, & de diebus & horis sanè fidenter pronunciant, tanquã nuper ex Deorum concilio, vt ait Tull. 1. de nat. Deorum, aut intermundiis Epicuri descendissent.

Quomodo à Deo mundus productus fuerit.

CAP. V.

Num. I. *Mundus liberè à Deo productus.* AD hunc modum pleraque pertinent, quorum nonnulla ad opificem ipsum, alia ad opus eius referuntur. Quæri enim potest an liberè produxerit, an verò (vt putauit Aristoteles) ex necessitate naturæ. deinde an generatione physica, an productione aliqua supernaturali: tertiò in instantine, aut cum temporis successione. Sed omnia pro instituto nostræ breuiter atque dilucidè; plura in scholis philosophi ac theologi suggerent. Et quidem de sententia Aristotelis viderint philosophi. Homini certè Christiano de diuina in producendo mundo, omnibúsque aliis extra se, li-

probatur 1.

bertate, dubitare non licet. Idque creationis vocabulo Moses indicauit. Ideo Basilius: *Quia complures*, inquit, *eorum, qui mundum ab æterno simul esse cum Deo sunt opinati, non ab ipso factum esse, sed quasi virium adumbratio ipsius esset, sponte emersisse eum asseruerunt, atque causam quidem ipsius Deum esse fatentur, causam tamen voluntate non concurrente, perinde atque corpus vmbræ, lucidúmque splendoris est causa. Ideò tali in errorem emendare Propheta percupiens, hæc exactissima verba protulit, In principio fecit* &c. Sic Basilius. *Ipse mandauit*, inquit Dauid, *& creata sunt*. Creata porrò sunt in tempore, vt iam diximus: ergo mandauit liberè, si enim imperium esset naturale, ab æterno res productæ essent; quæ enim Deus naturaliter & necessariò producit, æterna sunt, vt Filius & Spiritus sanctus. Quod si Deus mundum non liberè, sed necessariò produxisset, num esset aliquod creationis beneficium, ob quod illi homines aut angeli gratias agere tenerentur? vnde nec Deo gratias agimus, quod filium suum genuerit, nec Patri aut Filio quod produxerint Spiritum sanctum. Denique cùm mundus hic finitæ cuiusdam magnitudinis ac perfectionis sit, necessariò oportet eius effectorem Deum in eius productione fuisse liberum, & ab eius libera voluntate definitam fuisse perfectionis mundi mensuram. Ens enim infinitum & infinita virtute præditum, si necessariò agat, infinitum producet, ideóque sanctissimæ Trinitatis personæ sunt infinitæ. Certùm itaque est mundum, licet proprius Dei effectus sit; nec ab alio produci potuerit, non tamen ab eo per naturalem quandam emanationem, quasi lumen à sole, aut calorem ab igne esse procreatum, sed quasi palatium ab architecto, ab agricola vineam, à principe ciuitatem.

homil. 1. in Hexam. — *Psal. 148.* — 2. — 3.

II. *Supernaturali productione.*

NEC minus certum est mundum ortu naturali produci non potuisse, cùm huiusmodi productio materiam requirat, quam actio diuina non postulat, hæc præsertim, quæ præcedit omne subiectum, illúdque producere debet. Quòd cum antiqui philosophi non caperent, ac tanquam indubitatum ponerent, *Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti*: materiam Deo coæternam fecerũt, ex qua ille cuncta produxerit, quæ actu nihil esset eorum quæ sunt, esset tamen omnia potestate, ingenerabilis natura sua atq; incorruptibilis, chaos denique, *rudis indigestáque moles*, qualem describit Ouidius, secutus Trismegistum & Orpheum, qui licet mundũ à Deo productum apertè pronuncient, illius tamen nullis productionem nusquã prodiderunt, vt fatetur Eugubinus. Apud Hesiodum tamen in Theogonia legimus factum chaos, si factum, vtique à se vel ab alio, non à se, manifesta est enim contradictio; ergo ab alio: quis autem ille alius præter Deum? Et quomodo non antè materiam Deus, cum Aristoteles dicat, τὸ τέλειον πρότερον τῇ φύσει τοῦ ἀτελοῦς, perfectum priùs natura esse imperfecto? Mundus igitur supernaturali, ac planè diuina actione productus est, creatione videlicet propriè dicta, quæ est sine vllo subiecto, sine motu & mutatione, quæ requirit agens infinitæ virtutis, proptereáque cuiuis alteri agenti est inconcessa, de qua est Mosis illa vox. *In principio creauit Deus cælum & terram.* Vtrum autem re vera dicendum sit informem primo materiam fuisse creatam, quæ videtur fuisse Augustini sententia, an verò perfecta corpora, sequenti capite dicturi sumus.

vide Tertull. contra Hermog. — *1. Metamorph.* — *l. 7. c. 10.* — *1. Χ.* — *a. de cœlo, c. 12.*

III. *Num omnia puncto temporis producta fuerint.*

SEQVITVR tertia illa dubitatio, quæ reipsa petit, an Deus mundum sex dierũ interuallo produxerit, iuxta Mosaicam narrationem, an vnico instanti; cùm scriptura quoque dicat. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul* Quin & Moses ipse testatur eodem die non solùm cœlum & terram, sed omne virgultum agri, & omnẽ herbam regionis esse productã, præsertim cùm ne sol quidẽ esset, qui tres primos dies efficeret, cum quarta tantũ die productus dicatur, & tota illa temporis mora, & rerum distincta productio, & ornatus, diuinæ omnipotentiæ minimè cõueniat. Quibus accedit sanctum Ecclesiæ decretũ in Concilio Lateranensi. *Deus*, inquit, *sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramq; de nihilo condidit creaturam spiritualẽ & corporalem, angelicam videlicet & mundanam; ac deinde humanam quasi communẽ ex spiritu & corpore constitutam.* Nec desunt graues auctores tam antiqui quàm recẽtiores, qui prædictis rationibus, & auctoritatibus labefactati, manifestam Mosis sententiam, communissimámq; doctrinã relinquãt, & huic subitaneæ productioni adhęrescãt.

Eccl. 18. 1. c. 2. v. 4. — *c. firmiter de summa Trinit. & fide cathol.*

IV. *Qui ita senserint. Philo.*

NAM Philo rusticanæ simplicitatis esse putat existimare sex diebus, aut vtique certò tempore mundum conditum, *quia totus mundus*, inquit, *vicissitudo est dierum &*

init. lib. 1. alleg. leg.

noctium, quam solis motus super terram sub terráque meãtis necessario conficit, qui scilicet Sol statim à principio non fuit, vt sex illos dies motu suo conficeret. Itaque rem ad mysteria senarij numeri reiicit, qui perfectione sua mundi perfectionem notat; eodem etiam modo initio libri de mundi opificio philosophatur. Cui consentit Procopius Gazæus in genesim, vbi ait Mosem in describendo mundi opificio sex dierum distinctione vsum esse docendi gratia, ob tarditatem Iudæorum quibus scribebat. Quin & S. Augustinus eadem videtur sensisse, proptereáque sex dies, ad cognitionem angelorum retulisse, habitam de rebus, quæ illis diebus productæ dicuntur; habitam, inquam, tam in verbo, quam in proprio genere, quarum prior matutina cognitio, posterior vespertina dicatur. Sed eam opinionem, quam Augustinus habuit singularem, eruditè refellit Molina, explicátque eam productionem rerum, quam S. Augustinus, simul factam esse dicit, de productione non actu facta, sed potentia & virtute, tanquam in materia & causis, ex quibus postea oriirentur, Deo mox res singulas ex suis causis educente, eo ordine quem scriptura commemorat. Vide etiam Pererium tom. 1. in genesim.

Procopius. — *S. August.* — l. 4. de Gen. ad lit. a ca. 22. vsque ad finem. & l. 5. primis 5. capp. & l. 11. de ciuit. c. 6 & 7. — tract. de opere sex dierum disp. 2. — l. 1. cap. 2. n. 182 & seqq. in 2. Gen.

Caietanus in ea verba, *fiat lux*, existimat vno die creata esse omnia, imò in principio temporis, eodémque ipsomet principio diei artificialis Deum creasse omnia, & quamuis Moses sex dies enumeret, vt perueniat ad septimam Dominicæ quietis, *Secundum veritatem tamen*, inquit, *vnus tantùm repetendus erat dies, cùm constet secundum diem, non nisi repetitionem primi esse. Nec propterea finxit opera sex dierum, sed accommodauit sex dies, sex perfectionibus vniuersi ordinatè se habentibus, ad significandum quod res vniuersi sunt à Deo disposita, ordinata, & consequenter se habentes inter seipsas, quemadmodum sex dies naturales.* Hæc ferè Caietanus ibidem, quæ cap. 2. confirmat.

Caietani opinio.

V. VERVM hæc sententia à scriptura aliena est, eamque violentissima interpretatione distorquet à simplici & natiuo sensu verborum: in certissimam auditorum fraudem, & quidem, vt posteà ostenderur, in digerenda productione rerum, sine vlla necessitate. Denique communi sensui atque interpretationi Sanctorum Patrum repugnat. Si enim, vt argumentatur Molina, puncto temporis à Deo creata sunt vniuersa, qualia communis sententia tradit post sex dies extitisse, sequitur non cœlum ex aqua, neque hominem è limo terræ fuisse productum, sed ex nihilo creatum. Nam quæ primo creata sunt, cœlum scilicet & terra & aqua, omnium consensu ex nihilo creata sunt; si ergo eodem instanti creata sunt omnia, pariter dicendum erit omnia ex nihilo esse immediatè creata: repugnat & definitioni Ecclesiæ, quam paulò antè retulimus, quæ asserit, Deum producta simul spiritali, & corporea creatura, deinde humanam, ex vtráque constitutam, condidisse.

Mundus sex dierum successione productus fuit. Refutatur Caietanus. — 1. — disp. 2.

2. Deinde si hæc omnia simul producta sunt, quomodò ordinatè, & non potius confusissimè à Mose digesta sunt? nonne oportuit ante lucem corpora luminosa produci, & ante illa corpora firmamentum in quo ea collocarentur? nonne productionem plantarum cœlestia corpora antecedere debuerunt? quæ & nobiliora sunt, & suapte natura instituta vt causæ sint productionis plantarum, causæ autem naturæ ordine suos effectus antecedunt.

3. Tertiò, si simul producta sunt omnia, & lux in eodem instanti emicuit quo cætera omnia, falsum est tenebras fuisse super faciem abyssi, neque id de vllo instanti verum esse potuit. Nec item terram fuisse inanem & vacuam, fuit enim in eodem instanti ornata plantis, arboribus, animalibus, æquè ac post sextum diem. Delenda sunt ex scriptura illa verba. *Sex diebus fecit Deus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit die septimo.* Corrigendus S. Ambrosius, cùm ait Dominum distulisse diluuium septem diebus post ingressum Noë in arcam, nec plures aut pauciores esse interpositos, sed tot, quot in constitutione mundi fuerunt. *Sex enim diebus*, inquit, *factus est mundus, septimo die requieuit Deus ab operibus suis; quo declarauit indicio ipsum se esse auctorem mundi atque diluuij, mundum propter bonitatem suam condidit, diluuium fecit nostrorum merito delictorum.* Corrigendus Gregorius magnus, cùm ait, Deum dici omnia vno die condidisse, licet Moses sex dierum mutatione variante cuncta distinctè creata describat, quod rerum substantia simul creata sit, species autem, ait, simul formatas non esse, verùm sex dierum progressu. Corrigendi denique omnes ad vnum Sancti Patres, qui D. Augustinum antecesserunt, & ferè qui illum sunt secuti, qui, vt notauit Pererius, exco-

Exod. 20. — l. de Noë & arca c. 7. 10 — l. 32 Moral. c. 10. — Genes. 2. 4 — l. 1. in Gen. c. 2 n. 182. & seqq.

gitatam ab ipso sententiam non sine causa deseruerunt.

NEQVE verò propterea scripturæ dicenti, Deum creasse omnia simul, nun- VI. *Scriptura non fauet oriori sententiæ. simul.*
cium remittimus, quis enim cogit illud (simul) de instanti mathematico interpretari, & non de certo temporis spatio, putà sex dierum, quibus simul. i. continenter, & sine vlla dierum interruptione produxit omnia? quid prohibet id referre ad creationem propriè sumptam, quæ fit ex nihilo, qua ante primum diem cœlum, terra, & aqua, cum Angelis creata sunt, quæ fuerunt quasi materia omnium producendorum, iuxta ea, quæ ex Gregorio paulò antè retulimus. Imò quis cogit de tempore omnino explicare? Non enim, vt rectè vidit Iansenius, illud, simul, hîc temporis identitatem designat, sed vniuersa sine exceptione comprehendit, sicut apud Ioannem dicitur. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Sicut & illud Psalmistæ, *simul insipiens & stultus peribunt*, exponitur, æquè vtrique sunt morti obnoxij. Cui fauet græca vox κοινῇ, quam rectè veteris pariter, vel communiter: sicut dicuntur illi senes in communi statuisse tempus; in græco est κοινῇ.

c. 1. Ps. 48. 11. Dan. 13. 14.

Sed nec valde vrget ille locus Geneseos, *Istæ sunt generationes cœli & terræ, quando creata sunt; in die quo fecit Dominus Deus cœlum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra*; quid enim vetat illum diem, tempus interpretari? vt Deuter. 32. *Iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.* Et, *Eò quod non cognoueris diem visitationis tuæ.* Et, *Exultauit Abraham vt videret diem meum.* Et alibi passim. Aut quid vetat in secundo membro subintelligere repetitum (in die) hoc modo, in die quo fecit Dominus cœlum & terram, & in die quo fecit omne virgultum agri: Vel denique audire Gregorium. *Qui diuersis diebus*, inquit, *creatum cœlum & terram, virgultum, herbámque narrauerunt, nunc vno die facta manifestat, vt liquidò ostenderet, quod creatura omnis simul per substantiam extitit, quamuis non simul per speciem processit.* Postremò Concilium Lateranense non habet propositum successiuam rerum productionem antiquare; quippe quod seorsum productionem hominis reponit, sed ea tantùm simul condita dicit, quæ propriè ex nihilo, ante primæ lucis productionem, creata fuerunt. Dies.

Luc. 19. 44. Ioan. 8. 56. 32. Moral. c. 10.

AT quomodo tres illi dies sine sole esse potuerunt? Respondeo cum Molina, quo in hac tota materia plurimum vtor, nos quidem lationem solis super terram vocare diem, & sub terra noctem, quod si loco solis Deus nunc aliud corpus lumenve substitueret, quod solis munere fungeretur, æquè præsentiam eius vocatum iri diem, & absentiam noctem. Eodem modo tribus illis diebus, qui solis creationem antecesserunt, dies & noctes, per vicissitudinem lucis & tenebrarum, fuerunt, perinde ac post ortum solem, prout inferius dicendum erit. VII. *Qui tres dies sine sole esse potuerint?*

IAM verò congruæ suppetunt rationes, cur qui potuit momento temporis omnia in statu perfectissimo condere, maluerit successione dierum vti, qualem no- VIII. *Cur Deus mundum successiuè produxerit.*
1. bis scriptura descripsit; siue quia voluit deinceps mortales docere, vt exemplo suo sex diebus operarentur, & septimo, recolendo diuina beneficia, sanctæ quieti vacarent, qua ratione Exod. 20. & alibi passim scriptura vtitur, neq; enim id Iudaicũ præceptum fuit, sed morale, quod ad omnes gentes æquè pertineret, ideóque ad
2. nos quoque translatum est: siue quia voluit non solùm potentiam in creando ex nihilo demonstrare, sed sapientiam etiam & libertatem, illa ipsa, quę creata fuerãt
3. ornando, & digerendo per partes, prout placuit eius sapientissimæ voluntati. Vo-
4. luit quoque intelligi à nobis quem ordinem rerum natura postularet: voluit vt totius mundi perfectio, & pulchritudo, ex singularum partium successiua produ-
5. ctione magis innotesceret nobis, simúlque agnosceremus creaturas non solùm ipsum esse, sed etiam perfectionem suam omnem à Deo mendicare debuisse, vt planius mox, cùm de ordine rerum productarum dicemus, intelligetur.

SCHOLIA IN CAP. V.

N. II. 1. SIc habet Hesiodus in Theogonia,

Πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖα εὐρύστερνος πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί,
Ἠδ' Ἔρος, ὃς πάντων μεταπρέπει ἀθανάτοισιν.

Antiquissime omnium chaos factum est, sed deinde
Tellus latissima tuta semper omnium sedes,
Et Amor, qui omnibus eminet immortalibus.

Meminit Diodorus Siculus l. 1. cœli & terræ sub vna forma (ἰδέᾳ) commixtorum.

Quo ordine mundus, eiúsque partes producta sint, & primum de cælo empyreo.

Cap. VI.

Num. I. *Quænam in principio ex nihilo creata fuerint.*

COMPREHENDIT proposita dubitatio quædam, quorum productionis ordo subobscurus est, qualis est cœli, angelorum, atque elementorum; quædam etiam quæ in sex digesta dies ordinem habent manifestum. Priora, illis verbis definita sunt, *In principio creauit Deus cælum & terram, terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciē abyssi, & Spiritus Dei ferebatur super aquas:* cætera reliquo capite continentur. De quibus mox seorsim ordine dierum dicemus. Quod ad priora igitur attinet, valde assentior Ludouico Molinæ, qui in erudito illo atque eleganti de opere sex dierum tractatu tradit Deum, præter angelos, quos simul cum cœlo, & in cœlo empyreo creauit, solum produxisse de nihilo, atque adeò per creationem pressè sumptam, cœlum ipsum empyreum, terram, & aquam, ex eaque reliqua posteà corpora simplicia fabricatum esse. Eáque omnino videtur mens Prophetæ, qui in principio narrationis suæ ponit ea quæ primū omnium creata sunt, quasi solum & fundamentum molitionis sex dierum, quibus nullum tempus assignat: quoniam intelligi voluit ea non in tempore, & cum motu esse generata, sed in instanti & sine motu fuisse creata, *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* Dixi cœlum empyreum, quoniam cœlum istud aspectabile & vndique collucens, ex nilo creatum non est. disp. 2. Psal. 32. 9.

II. *Cælum empyreum, & quale id sit.*

POSTQVAM igitur aduenit illud instans diuinæ æternitatis, in quo placuit infinitæ bonitati Dei creaturas producere, quibus sese pro earum modo atque mensura communicaret, principium operū eius fuit creatio cœli, terræ, & aquæ, cœlum intellige cum communissima Theologorum sententia, non illud quod omnium animantium obiectum oculis, digito etiam indicari potest, cuius productio mox à Mose secundo die traditur, & quarto astris planetisque decoratur, sed cœlum empyreum, beatorum sedem quietam, atque immobilem, coruscantem splendore admirabili, mortalium tamen oculis inaccessam, theatrum pulchritudinis inæstimabilis, in quo sese Deus sanctis angelis, atque hominibus videndum præbet, sicuti est, eisque immensas diuitias gloriæ suæ possidendas exhibet.

III. *Patrum pro eo cælo testimonia. Clementis.*

HÆC sententia fuit Clementis in libro recognit. in quo refertur disputatio D. Petri cum Simone Mago; intérque alia dicitur à D. Petro, *factum esse visibile hoc cælum, quod aliquando resoluendum est, propter præsentem vitam, vt esset interiectio quadam, & diuisio, ne quis fortè indignus habitationem cælestium, & Dei ipsius sedem videret, quæ iis solis, qui mundo sunt corde, videnda præparatur: nunc autē,* id est, *agonis tēpore inuisibilia esse placuit ea, quæ vincentibus ad præmium destinata sunt.* Et iterum Simone asserente satius esse vnum dicere cœlum in vniuerso mundo, *Non ita*, inquit Petrus, *sed vnum quidem confiteri conuenit Deum, qui vere est; cælos autem esse qui ab eo facti sunt, sicut & lex dicit: quoniam vnum cælum sit superius, quo continetur etiam visibile firmamentum, illud esse perpetuum & æternum, cum iis qui habitant ibi; istud autem visibile in consummatione sæculi resoluendum esse*, &c. Hæc autem eò probabiliora sunt, quo & similiora iis, quæ à D. Petro in epistola canonica scripta legimus, & nullis hæreticorum sectis patrocinantur. 2. Pet. c. 3. 7.

Philonis. Philo de mundi opificio. *Hæ voces*, inquit, *in principio fecit, idem valent quod primum fecit cælum, est enim re vera consentaneum rationi primum illud ortum esse, cùm sit præstantissimum ex iis quæ facta sunt, & è purissima constet essentia, quamobrem deorum eam non apparentium, quàm sensui patentium destinatum est domicilium sacratissimum*, angelorum scilicet & hominum, qui ibi æternùm cum Deo regnaturi sunt.

Origenis. Origenes. *Cùm iam antea Deus fecisset cælum, nunc firmamentum facit, fecit enim cælum prius, de quo dicit Cælum mihi sedes est.* homil. 1. in Genes.

Hilary. D. Hilarius agnoscit hoc cœlum, quod vocamus empyreum, vocátque sedem in Ps. 122.

Dei, & cœlum cœli. *Cælum*, inquit, *hoc quod visibus nostris per materiam sui subiacet, quod tanquam firmius solidatum firmamenti & naturam & nomen accepit, præteribit, & non erit, sedes autem Domini manet in æternum.* Et infra. *Et quia secundum corporalem intelligentiam ille nobis subest sensus, ut cælum quod ultra firmamenti huius naturam est, Deus inhabitare existimetur, non excludamus publicam illam de sede Dei opinionem, ut ei cælum cæli thronus sit.* Cœli Empyrei nomen non habet Hilarius, sicut nec præcedentes, rem ipsam habet, quam ait esse publicam opinionem.

qui hanc sententiam publicam opinionem vocat.

l. 12. cōfes. c. 8. — Ex qua Augustinus. *Quod firmamentum vocasti cælum, sed cælum terræ huius & maris, quæ fecisti tertia die*, &c. Quibus verbis alludit ad illud, *Cælum cæli Domino*, &c. sicut & S. Hilarius. — *Augustini.*

IV. *Ruperti.* — CLARIVS Rupertus. *Magnus*, inquit, *& immensus locus, magna & spiritualis est Patris domus, in qua ab initio mansiones multæ paratæ sunt beatis angelis & Sanctis hominibus, ubi localis est & localiter sedet, secundum verum hominis corpus Pontifex summus, qui penetrauit cælos Iesus Christus filius Dei, cuius videlicet spiritualis habitationis comparatione, terra est quicquid carneis oculis cernitur, ut rectè per Psalmistam cælum cæli dicatur.* Idem cœlum Rupertus iterum agnoscit explicans ea verba, *Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Sanè cæli nomine*, inquit, *inuisibilis illa Sanctorum Angelorum patria, terræ autem vocabulo, visibilis iste mundus designatus est. Porro ornatus cæli angelica creatura, terra autem, cùm cætera quæ nascuntur vel sunt in ea, tùm præcipuè genus humanum est.*

Psal. 113. 16. Genes. 2.

l. 2. de fide orthod. c. 6 — *S. Damasceni.* — S. Damascenus. *Quoniam igitur cælum scriptura dicit, & cælum cæli: cælos item, & cælos cælorum, & D. Paulus se ad tertium usque cælum raptum fuisse asserit, in uniuersitatis huiusce procreatione cælum illud conditum fuisse dicimus, quod ij qui apud exteros sapientia laude floruerunt Mosis dogmata sibi vendicantes orbem syderum expertem vocant.* Et infra. *Enimuero cælum cæli primum illud cælum est, quod supra firmamentum existit: ita duos iam cælos habes. Nam firmamentum cæli nomine Deus appellauit. Deinde usitatum ac familiare est scripturæ aerem etiam cælum nuncupare, quod videlicet sursum cernatur. Benedicite enim, inquit, omnes volucres cæli i. aëris: aer quippe auium regio est, non cælum. En tertium cælum de quo Apostolus est locutus.* S. ergo Damascenus non solùm cœlum illud beatorum agnoscit, sed de eo etiam Paulum Apostolum interpretatur, qui arcana verba non in aere, vel orbibus cœlestibus, sed in tertio illo cœlo, siue in Dei gloriosa regia, quam paradisum vocat, audiuerit, cœlum cœli vocatum, quod illi cœlo, cœlum quod cernimus instar terræ sit, tantúmque superet perfectione cœlos stelliferos, quantum isti terram nostram.

2. Cor. 12.

q. 11. in Gen. — V. *Theodoreti.* — VNDE Theodoretus. *Quemadmodum cælum istud nobis est pro tegmine, terra verò pro pauimento, ita cælum quod videmus pro tegmine superpositum cælum habet.* Sed de Theodoreto seorsim, vnâq; de D. Basilio dicendum erit. Illius autem cœli præstantiam phrasis Hebræa confirmat, quæ hac geminatione significat excellentissimum cœlum, sicut cùm dicitur Canticum Canticorum i. perfectissimum Canticum, & Deus Deorum, i. maximus, & gloriosissimus.

in ea verba fiat firmament. &c. — *Procopij.* — Adde Procopium Gazæum in c. 1. Genes. *Primum quidem cælum*, inquit, *propter immensam longinquitatem, nequaquam erat terræ commensurabile, proinde nihil eius partus infinitos adiuuare potuisset. Cæterum medium illud cælum, quod firmamentum vocant, progrediens quandam proportionem cum habitabili elemento traxit, & astra in hoc mediocri & debito interstitio pulcherrimè collocata, quæ terra tenet, excolunt, & eliciunt, suóque calore perficiunt.* Et mox apertius. *Decreuerat*, inquit, *Deus duo condere opificia pulcherrima, alterum quidem mutationi & corruptioni obnoxium, quod oculis nostris subiectum aspicimus. Alterum verò liberum & vacuum voluit esse à præsentis sæculi malorum labe, in quod ingredi auspicatus est Christus, humanam indutus naturam* (sic enim emendo corruptum locum ex iis quæ paulo post habet.) *In hoc præclarum ingrediemur opificium post secundum Dei gloriosum aduentum. Verùm præsenti cælo de quo hic Moses agit, congruit locus in quo nunc degimus, interiacens medius inter cælum terrámque. At in altero, utpote diuiniore, viuemus immortalitatem consecuti; & in hoc nunc Christus incarnatus domicilium habet.* Quod cùm ex verbis Apostoli ad Hebr. 6. confirmasset, subdit. *Interius tabernaculum dicit locum, qui supra cælum vel firmamentum frequentatur. Pontificem summum vel primum vocat Christum, quod hic primus in hoc ascenderit, & nobis primus istam habitationem aperuerit. Cum Christo etenim in illo cælo commorabimur, inuisibilibus potentiis seu virtutibus admixti. Denique cælum*, inquit, *quod nunc fastigij vicem sustinet fundamentum erit summi cæli in communi resurrectione. Nam*

cælum primum eſt quaſi cælum cæli. Etenim non ab re canit Dauid, Cælum cæli Domino terram autem dedit filiis hominum. Pſal. 113.

VI. *D. Anſelmi.* D. Anſelmus. *Supra firmamentum eſt ſpirituale cælum hominibus incognitum, vbi eſt habitatio angelorum, per omnes ordines diſpoſitorum.* Et poſtea. *Hoc eſt cælum quod in principio legitur cum terra creatum,* & addit, *huic longè ſupereminere dicitur cælum cælorum, in quo habitare dicitur Rex angelorum.* *S. Brunonis,* S. Bruno, cùm duos cœlos à Moſe deſcriptos poſuiſſet. *Primùm*, inquit, *cælum de hoc mundo videre impoſsibile eſt, quoniam hoc quod videmus inter nos & illud poſitum eſt. Sed cuius excellentiæ, & pulchritudinis illud eſſe putabimus, cùm huius inferioris tantam eſſe videamus?* l.1. de mundi imag. c. 18. & vlt.

Bedæ. Beda in ſuo hexaëm. *Quod autem vel quale ſit cælum quod in principio cum terra factum eſt, ſequentibus verbis inſinuatur cùm dicitur, Terra autem erat inanis, & vacua & tenebræ erant ſuper faciem abyſsi. Et quid enim hac de terra prætermiſſo cælo intulit niſi, quia nihil tale de cælo intelligi voluit. Ipſum eſt enim cælum ſuperius, quod ab omni huius mundi volubili ſtatu ſecretum, diuinæ gloriæ præſentia manet ſemper quietum. Nam de noſtro cælo in quo ſunt poſita luminaria, huic ſæculo neceſſaria in ſequentibus ſcriptura, quomodo vel quando ſit factum declarat. Non ergo ſuperius illud cælum, quod mortalium omnium eſt inacceſsibile conſpectibus, inane creatum eſt & vacuum, vt terra quæ nihil in prima ſua creatione virentium germinum, vel viuentium produxit animantium: quia nimirum mox creatum ſuis incolis, hoc eſt, beatiſsimis angelorum agminibus impletum eſt* (intellige beatos in ſpe, nondum enim in re, ſi *Angeli cũ eo creati.* enim re vera beati fuiſſent, à Deo clarè viſo deficere peccando non potuiſſent, vt poſtea dicemus, ſed pergit.) *Quos in principio cum cælo & terra conditos eſſe, ac mox conditianem, ſimul & totius creaturæ primordialis ad laudem creatoris retuliſſe, teſtatur ipſe conditor, qui loquens ad ſanctum famulum ſuum Iob, dicit. Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ.* & paulo poſt, *Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Aſtra videlicet matutina eoſdem angelos, quos & filios Dei nuncupans, ad diſtinctionem nimirum hominum ſanctorum, qui poſtmodum creandi, ac velut Aſtra veſpertina poſt confeſsionem diuinæ laudationis per mortem erant occaſuri.* Hactenus Beda. init. hexaem. to 4. Iob. 38. 7.

VII. *Diodori Tarſenſis.* Sed redeamus ad antiquos. Hæc ſententia fuit Diodori Tarſenſis Epiſcopi, quem ferunt D. Chryſoſtomi fuiſſe magiſtrum. Is in catena Lipomani ſic loquitur. *Poſt inuiſibiles atque intellectu præditas ſubſtantias, Deus cælum ſtatim vnà cum terra fabricatus eſt, non illud quod aſpectabile eſt, ſed quod ſuper omnes cælos eſt, quod Dauid cælum cæli nuncupare ſolet.* Hæc ipſe.

D. Hieronymi. Meminit eiuſdem cœli D. Hieronymus, prout ipſum intellexit Beda loco citato. verba D. Hieronymi ſunt. *Si adhuc in cælo poſitus iſta dicebat, quomodo dicit, aſcendam in calũ? Sed quia legimus cælum cæli Domino, cum eſſet in cælo, id eſt, in firmamento in cælum, vbi ſolium Domini eſt, cupiebat aſcendere, non humilitate, ſed ſuperbia.* Addere etiam *Baſilij,* poſſumus Baſilium, qui circa hoc ipſum cœlum paulo etiam liberalior, quàm par ſit, videri poteſt, ſed de eo ſeorſim dicemus[1]. 1. x.

Et paſſim recent. Denique pro eodem cœlo ſubſcribunt Alcuinus, Rabanus, Magiſter ſententiarum, Strabo, D. Thomas, cum omnibus doctoribus ſcholaſticis, fruſtra contradicente Caietano in 2. Cor. vbi tertium cœlum, ad quod raptus ſit Apoſtolus, non vult eſſe Empyreum, quod nullibi in Scriptura reperiatur, ſed primùm mobile. Verùm planè fallitur Caietanus. In primis enim verbis Geneſeos intelligi communiſſima ſententia eſt, vt ex dictis patet. Eodémque modo tertium cœlum D. Pauli, Baſilius, Damaſcenus & Theodoretus interpretantur; & alij quos retulimus, cœlum cæli. Et reuera rationi conſentaneum erat, vt quemadmodum conditus eſt locus, qui ſit carcer dæmonum atque damnatorum, eſſet etiam locus deſtinatus gloriæ beatorum, omnium opinione pulchrior, ſplendidior, glorioſior, magnificentior, vt de ipſo etiam loco intelligatur illud Pauli. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ parauit Deus iis, qui diligunt illum.* Et de cælo Empyreo pro inſtituto hactenus. Verùm de angelis, quos in eo creatos doctores Theologi ſentiunt, deinceps quæ ad principem hanc hiſtoriam mundi pertinent, breuiter explicanda ſunt. 1. Cor. 2. 9.

SCHOLIA IN CAP. V

N. VII. 1. Status mũdi inuisibilis ex D. Basilio.

HVc quoque videtur D. Basilius respexisse, cum homil. 1. ἦν τι πρεσβυτέρα τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως, ταῖς ὑπερκοσμίαις δυνάμεσι πρέπουσα, ἡ ὑπέρχρονος, ἡ αἰωνία, ἡ ἀΐδιος, &c. *Erat sanè*, inquit, *status quidam, mundi generatione superior, abstractus illis à concretione materiæ potentiis mundo præstantioribus pro decore accommodatus; temporis etiam conditione anterior, æternus nimirum ac perpes. Creaturas autem in ipso creator omnium atque opifex perfecit, lucem spiritualem eorum beatitudini accommodatam qui Dominum amant, naturas rationis vi maximè præditas atque inuisibiles, omnésque beatarum mentium ordines, quotquot nostræ mentis facultatem exuperant, quorum ne nomenclaturas quidem possumus inuenire; & hæc substantiam complent mundi illius inuisibilis, vt & ipso instruimur doctore Paulo; In ipso, ait, condita sunt omnia, &c.* Et infra. *Non enim, iuxta rationem antiquioris, aut primigeniæ conditionis, contestatur mundum hunc, ea quæ facta sunt, omnia antegredi, dicens in principio factum esse, sed post ea quæ non oculis istis, sed intellectu solo percipiuntur.* Et homil. 2. *Arbitramur sanè, si quid erat ante mundi sensibilis atque corruptioni constitutionem, id in lumine nimirum fuisse, neque enim angelorum dignitates, neque cœlestis exercitus vniuersus degebant in tenebris, sed in hac commodissima sibi luce, lætitiáque spirituali suum statum habuerunt*; sic ipse, eámque lucem mox probat auctoritate Salomonis, & Apostoli, & à contrariis tenebris, in quas improbi in Euangelio missum iri dicuntur. Quibus similia habet Theodoretus q. 6. in Genes.

Eugubini opinio de cœlo Empyreo reiicitur.

Hinc nimirum sumpsit Eugubinus in Cosmopœia ansam asserendi cœlum Empyreum esse quiddam æternum & increatum, ex Dei essentia manans ad cuius participationem tam angeli quàm homines iusti admittantur. Verùm hæc opinio erronea est, eámque refellit Pererius in v. 1. Genes. & Molina de opere sex dierum disput. 3. in fine, neque enim agnoscit fides catholica vllam creaturam coæternam Deo. Nec D. Basilius potuit illius esse sententiæ, qui contra Arrianos pro æternitate filij Dei sæpè disputat, eóque ipso negat creaturam, quod coæternus sit Patri, quod creaturæ conuenire non potest. Vnde idem Basilius l. 2. contra Eunomiom. *Verùm quoniam sæcula omnia*, inquit, *filij creaturæ sunt, infra generationem vnigeniti intelliguntur* (alludit ad illud Pauli, *per quem fecit & sæcula.*) Et Paulò infra. *Verùm & æuum nonnulli iam æterni appellatione dignantur, quoniam ex eo quod est semper nominationem hanc sortitum est. Nos autem id quod æternum est creaturis attestari, & creatorem hac professione priuare eiusdem amentiæ dicimus*: sic ipse. Æternum ergo pro æuiterno vt vocant, sumpsit, si placet, aut potius æternum sumpsit vt opponitur temporali, vult enim hæc visibilia cum tempore & in tempore facta esse: illa autem spiritualia & inuisibilia ante tempus in aliqoo scilicet instanti æternitatis Dei, ante visibilis mundi productionem. Vult ergo primùm D.

Heb. 1. 2.

quasi ἀιδίον.

Exponitur Basilius.

Basilius sanctos angelos in quodam loco mũdi inuisibilis conditos esse, priusquam mundus visibilis, cùm dicat eos complere substantiam mundi inuisibilis; deinde eum locum pro angelorum dignitate fuisse lucidissimum, vocat autem lucem spiritualem ad differentiam huius visibilis & corruptibilis: hoc enim lumen corporeum esse Theodoretus, qui q. 6. in Genes. locum Basilij vsurpat, apertè docet, cùm ait, tenebras, quæ erant super faciem abyssi, profectas ex cœlo illam lucem sua opacitate excludente. D. autem Thomas 1. p. q. 66. art. 3. ad quartum, ait cœlum illud esse quidem lucidissimum, non emittere tamen radios, vt hinc videri possit à mortalibus, quod non habeat lucem condensatam, sicut corpus solis, sed magis debilem aut certè habere claritatem gloriæ, quæ non est conformis claritati naturali. Alij dicunt cœlum illud à superiori parte totum esse splendidum & illustre, ab ea verò parte quæ nos respicit, crassius addensatum, ne lumen penetrare possit, vt & fides bonorum exerceatur, & mali tali aspectu non fruantur, vt mox dicemus.

Lux Empyrei cœli corporea.

Ex quibus intelligimus D. Basilium cœlum Empyreum animo comprehendisse, ac significasse verbis, quamuis eas voces, nondum notas, non vsurparit, de eius autem antiquitate aliqoid, præter aliorum sententiam, non sine dubitatione tradidisse, cùm dicat, si qoid erat ante mundi sensibilis, & corruptiui constitutionem. Rursus autem hom. 3. etiam huius cœli naturam attingit, atque molliorem esse, quã firmamenti. Cùm enim dubitationem proposuisset, an idem sit cœlum quod in principio creatum dictum fuit, cùm eo quod mox appellatur firmamentom. *Nos*, inquit, *dicimus cum nomen diuersum, officiúmque peculiare cœli secundi traditum sit, aliud hoc præter id esse quod in principio est effectum solidioris sanè naturæ; præcipuum quoque officium vniuersa subministrans diuidendi aquas ab aquis.*

Mens D. Basilij.

Eadem sensit Theodoretus q. 11. & 14. & totidem pene verbis, affirmans prius cœlum productum esse ex nihilo, & ante lucẽ, posterius ex aqua & post lucem. Nec est quod illi obijciamus, videri hoc quoque cœlum natura aqueum, sicut & firmamentum, cùm vtrumque in Latino cœlum, dicatur in Hebræo השמים haschamaiim, id est, ibi aquæ. Notat autem Molina in fine disput. 2. nomen hoc nõ fuisse impositum ad significandum cœlum Empyreum, & translatum postea ad significãdum firmamentum; sed vice versa, quamuis Empyreum sit longè præstantius, sicut lumen ingenij à lumine corporeo nomen accepit. Rursus q. 3. Theodoretus licet non probet angelos dici conditos ante mundum, non tamen planè repugnat modò eis locus etiam attribuatur, quo opus habent cùm sint determinatæ substantiæ. *Nam sola diuinitas*, inquit, *veluti minimè circumscripta, loco non est obnoxia* Et infra in fine quæst. *Illud porro scire necesse est, omnia*

Theodoreti de cœlo Empyreo sententia.

quæcumque extant excepta sancta Trinitate, naturam habere creationi obnoxiam: hoc autem concesso, si quis angelorum turbas ante cœlum & terras conditas esse dixerit, non offendet verbum pietatis. Hæc ipse, cui tamen non est necessarium assentiri de loco angelis necessario, cùm sint planè incorporei, quod nonnulli antiquorum non putarunt.

De productione Angelorum, & quando ea facta fuerit.

Cap. VII.

Num. I. *Angeli ex nihilo creati, & meri spiritus.*

TRIA sunt quæ de Angelorum productione quæramus, quo scilicet tempore producti sint, quo loco, & quo in statu. De ruina deinde dicemus duo, quæ scilicet eorum culpa fuerit, & quæ pœna: iis prætermissis quæ, quod subtilioris sint disquisitionis, theologicis disputationibus sunt reseruanda. Ponimus autem eos ex nihilo esse productos ab omnium rerum opifice Deo, vtpote spiritus, & materiæ omnis expertes: sed & illud quoque quod plerisque antiquorum Patrum Platonicæ doctrinæ sectatorum, atque adeò ipsi S. Augustino dubium fuit, eos merè spiritus esse; iuxta illud Psalmistæ, *Qui facis angelos tuos spiritus*, id est, vt Gregorius interpretatur, *qui eos quos semper habes spiritus, etiam cùm volueris angelos facis.*

Ps 103.4. hom. 24. in Euang.

II. *Qui senserunt creatos ante mundum corporeum ex Græcis Patribus. Basilius. Theodoret. Origenes.*

PLERIQVE ergo antiquorum Patrum angelos ante mundum corporeum creatos fuisse censuerunt, in quibus videtur fuisse B. Basilius, quem paulò antè retulimus, cùm de cælo Empyreo ageremus. Cui consentit Theodoretus. Origenes quoque in illa verba (*Et erunt nouissimi primi.*) *Vide*, inquit, *si potes dicere primum genus esse angelorum, quasi honorabilius hominibus, qui nouissimi præ angelis esse videntur. Nam sicut scriptum est in Iob. Quando factæ sunt stellæ, laudauerunt eum omnes angeli eius, quasi antiquiores non solùm homine post creato, sed etiam omni creatura propter eum creata, & sic audebit aliquis dicere, quod multi angelorum, qui priores fuerunt hominibus efficiuntur inferiores quibusdam.* Sic Origenes, qui & homil. 1. in Genes. cœli nomine, quod primo versu ponitur, angelos intelligit, quos ait conditos ante firmamentum, nec tamen vllibi quod sciam, notabile aliquod interuallum ponit inter creationem spiritualium, & corporearum rerum, vt eo minimè repugnante dici possit, eos cum cœlo Empyreo esse creatos. vide & hom. 4. in Esaiam, vbi ait fuisse quædam ante mundum, quæ vocat priora operum Domini, quæ se ignorare fatetur.

q. 3. & 6. in Gen. tract. 9. in Matth. c. 18. 7.

Gregor. Nazian.

D. Gregorius Nazianzenus ait Deum primùm angelicas & cœlestes virtutes procreasse. mundo autem intellectuali creato, alterum mundum materia constantem & aspectabilem condidisse; hanc nimirum ex cœlo & terra, & rerum, quæ eorum complexu continentur, coagmentationem. Gregorio nominatim consentit D. Damascenus, sicut Theodoretus Basilio. Eadem videtur fuisse D. Chrysostomi sententia, in Caten. in Iob, & Seueriani apud Eugubinum in tractatu de rebus incorporeis & inuisibilibus, vbi hac de re fusè disputat. Et Cassiani. *Ante conditionem*, inquit, *huius visibilis creaturæ, spirituales cœlestésque virtutes Deum fecisse, quæ pro hoc ipso quod sciunt se ad tantam beatitudinis gloriam beneficio creatoris ex nihilo fuisse productas, perpetuas ei gratias referentes, indesinenter eius laudibus inhærerent, nemo fidelium dubitat.* Quibus verbis inductus videtur D. Thomas, qui in eius libri lectione multus erat, vt diceret Græcos omnes concorditer sentire angelos ante mundum corporeum fuisse creatos.

Damasc. Chrysost. Seuerianus. Cassian.

orat. 38. quæ est de natiuit. l. 2. c. 3. de fid. orthod. l. 1 de princ. coll. 8. c. 7. in c. 38. p. 484. 1. p. q. 61. a. 3. ad 1.

III. *Qui ex Latinis. S. Hilarius. Ambros. Hieronym.*

CVM præcedentibus non pauci ex Latinis Patribus sentiunt, qui etiam opinionem illam clarius expresserunt. Sentit S. Hilarius. *Angelorum*, inquit, *origo terræ creatione reperitur antiquior.* Idémque repetit in libro contra Auxentium Arrianum. Sentit S. Ambrosius. *Factus*, inquit, *mundus, & cœpit esse qui non erat, sed Angeli, etsi aliquando esse cœperint, erant tamen quando hic mundus est factus.* Et in præfatione in psalmos. *Laudant*, inquit, *Angeli Dominum, & ante ipsum mundi initium Cherubim & Seraphim cum suauitate canora vocis dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Sentit D. Hieronymus secutus D. Gregorium, quem laudat magistrum, in ea verba, *Ante tempora sæcularia. Sex millia*, inquit, *nostri temporis nondum complentur annorum, & quanta tempora quantásque sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes,*

l. 12. de Trinit. v. fin. c. 5 in hexaem. in c. 1. ad Titum.

cæteri-

cateríque ordines Deo seruierunt. Cui opinioni videtur fauere ille idem Apostoli locus, *In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora sæcularia*, id est, ante mundi constitutionem; nam cum mundo tempora cœperunt. Non est autem cui promiserit Deus tum vitam æternam, quàm angelis. Sentit Isidorus. (Isidorus. Beda.) (l. de summo bono c. 12. sent. 4.) *Ante omnem*, inquit, *creaturam mundi creati sunt angeli.* Sentit denique Beda. *Angeli*, inquit, *ante creationem mundi creati sunt, & ante omnem creationem angelorum Diabolus est conditus*; quod videtur dixisse propter illud Iob de Beëmoth, id est Lucifero, *ipse est principium viarum Dei.* (l sep qq q. 9 c. 40. v. 14)

(an August.) (l. 12. conf. c. 15.) D. Augustinus in hac difficultate ambiguus fuit. Nam illud Eccles. (Eccles. 1. 5.) *Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigauit? prior omnium creata est sapientia.* Interpretatur de natura angelica, quæ ante alia omnia condita fuerit; nam diuina sapientia increata est, sicut & Isidorus, & Beda loc. cit. At l. de Genes. imperf. (c. 3.) difficultatem istam dicit esse rem secretissimam, & humanis coniecturis impenetrabilem. Et lib. 11. de ciuit. (c. 32.) liberum cuique relinquit sentire, vtrum creati sint angeli simul, an ante mundum corporeum, dum tamen angelos sanctos in sublimis cœli sedibus, non quidem Deo coæternos, sed tamen de sua fœlicitate securos & certos esse nemo ambigat. Huic etiam sententiæ fauet illa ratio quod sicut angeli dignitate res corporeas antecedunt: ita æquum sit existimare illos creatione & existentia antecessisse, ne tandiu videatur Deus vel laudatoribus, & ministris, vel beneficiariis caruisse. Cassianus enim loco citato. *Incongruum est*, inquit, *sentire Deum in sæculis innumeris, quæ ante rerum corporearum creationem præcesserunt ab omni prouidentia, & dispensatione fuisse otiosum, neque habuisse in quos suæ bonitatis exerceret beneficia.* Sic ipse[1]. (1. ℞.)

IV. (Angeli creati simul cum mũdo corporeo, vt definiuit Ecclesia.)

QVÆ opinio quamuis plausibilis sit, verior tamen tutiórque sententia est, & post definitionem Concilij Lateranensis omnium Catholicorum communis, angelos non ante, sed simul cum mundo corporeo fuisse creatos. Nam Innocentius (c firmiter de summ. Trinit & fid. Cathol.) tertius cum vniuersa Synodo rem ita definit. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod vnus est solus verus Deus, vnum vniuersorum principium, creator omnium inuisibilium, & visibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtrámque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, & deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Ita Pontifex, qui cùm definit ab initio temporis simul cum mundo corporeo creatos angelos, eam vtique damnat sententiam, quæ ante tempus & mundum corporeum, cum quo tempus cœpit, conditos angelos affirmat.

V. (Et scriptura docet.)

IDEM exigit tam clara Mosis assertio dicentis, *In principio creauit Deus cœlum & terram*, id est, ante alia omnia, vt interpretari videtur eadem scriptura. (Prouerb. 8.) *Antequam quicquam faceret à principio*, quod mox explicans, & quasi intuens in hunc locum Mosis subdit. *Antequam terra fieret, & cum nondum essent abyssi*, quæ scilicet prima omnium creata sunt. Quomodo etiam plurimi antiqui recentioresque primam illam Genes. vocem intelligunt, vt ex Lipomani æterna intelliges[2]. (2. ℞.) In quibus clarè Epiphanius. (hæres. 65. cõtra Paul. Samosat.) *Clarè*, inquit, *indicat scriptura, quod neque post sydera facti sunt angeli, neque ante cœlum & terram, cùm palam in transmutabile sit dictum hoc, quod ante cœlum & terram nihil erat ex creatis. Nam in principio fecit Deus cœlum & terram, vt principium sit, & nihil ex creatis ante hoc ipsum sit.* Ita Epiphanius.

VI. (Et Patres.)

D. AVGVSTINVS. (l. 11. de ciu. c. 9.) *Non prætermissos, esse*, (angelos, vbi de mundi constitutione sacræ literæ loquuntur) *hinc existimo quod scriptum est requieuisse Deum in septimo die, ab omnibus operibus suis, quæ fecit, cùm liber ipse ita sit exorsus, In principio fecit Deus cœlum & terram, & ante cœlum & terram nihil aliud fecisse videatur.* Sic ipse ideóque, ibidem cœli nomine intelligit angelos, vel potius lucis, quæ primo die facta est, sed perinde est, modo non ante mundum corporeum conditos dicat. Cap. etiam 6. illud (*in principio*) interpretatur, vt Deus nihil antea fecisse intelligatur. Eodem modo Gregorius l. 32. Moral. (c. 9. vel 10.) Porrò simul cum mundo corporeo creatos angelos, docet apertè Epiphanius loco citato. *Cum cœlo & terra*, inquit, *simul angeli facti sunt: nisi enim vna cum cœlo & terra angeli quoque creati essent, non vtique dixisses ad Iob. Quando genita fuerunt sydera, laudauerunt me omnes angeli mei.* Idem sentit Theodoretus, (q. 3. in Gen.) adeo vt putet eos sine loco esse non potuisse, quod sola diuinitas loco non sit obnoxia: quanquam mox in Basilij sententiam declinat.

VII. *Et ratio.* DEINDE cùm Angeli ex nihilo producti fuerint, de iis quæ ex nihilo, & creatione propriè dicta condita sunt, est illa Ecclesiast. vox. *Qui viuit in æternum creauit omnia simul*, vt supra ex D. Gregorio exponebamus. Et confirmat illa D. Thomæ ratio. Quod cùm angeli pars sint vniuersi, simul cum toto vniuerso creari debuerunt, & quia ex nihilo, cum rebus ex nihilo factis. D. Paulus iis quæ condita sunt in cœlis Thronos, & Dominationes, alióśque angelos annumerat. Denique si angeli ante mundum corporeum conditi sunt, vel multis ante sæculis, vt significabat Hieronymus, vel aliquandiu, si diu; ergo multis sæculis in sanctitate perseuerarunt, nam statim atque lapsi sunt, detrusi sunt ad inferos, vt postea dicetur, & sic via angelorum longissima fuerit, quæ breuior esse debuit quàm hominum, vt qui promptiores sint in operando; si paulò antè creati sunt, nulla id factum videtur ratione, cùm simul creari potuerint, & re vera creatos esse scriptura satis apertè doceat, provt eam multi grauissimi scriptores antiqui, recentioresque intellexerunt, & postmodum definiuit Ecclesia, cuius definitioni omnino acquieuissent Patres illi, qui prioribus sæculis vixere, quando res minus fuerant exploratæ. c. 16. q. 61 a 3. Coloss. 1. 16.

VIII. *Scriptura non fauet priori sententiæ.* NEC illis fauent Apostoli tempora sæcularia, quibus videtur intellexisse tempora plurium sæculorum, siue plurima sæcula, ante quæ primis Patribus facta est promissio; nisi malis promissionem interpretari diuinum decretum, quo in semetipso ante tempora sæcularia, id est, ab omni æternitate statuerat ac destinauerat dare hominibus vitam æternam. Nec laudatio Angelorum, quando facta sunt astra quidquam concludit pro illa angelorum antiquitate, cùm astra quarta die facta fuerint, sicut neque antiquitas Beëmots, qui dicitur principium viarum Domini, quia nihil prius conditum fuerit, non autem quod nihil cum eo, quanquam principium hic dignitatis, propter Luciferi excellentiam, merito accipiatur. Ille autem locus de creata sapientia, de diuina passim à doctoribus accipitur, qui creationem etiam productionem siue generationem interpretantur, vt cùm dicit, *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.* Neque verò oportuit spiritualia propter dignitatem prius creari, idem enim de homine dici potest, qui tamen conditus est omnium postremus. Denique ineptum est, ne quid grauius dicam, Deum ne esset otiosus, aut ne non haberet, in quos beneficia conferret, debuisse ante communem creationem angelos creare: nam quodcumque instans animo finxeris, ante cœli & terræ conditionem infinita spatia in æternitate accipi possunt, de quibus recurrat eadem dubitatio, donec peruenias ad æternitatem eis attribuendam, quod hæreticum est.

IX. *Vbi creati fuerint angeli.* IAM verò de loco in quo fuerint conditi, supra cùm de cœlo Empyreo ageremus, aliquid diximus, in quo omnes pene Theologi, cum D. Thoma, eos creatos censent. Decuit quippe, vt idem Sanctus Doctor ait, angelos qui naturæ omni corporeæ longè præstabant, eiúsque præsides erant futuri in corpore nobilissimo produci. Quæ videtur mens fuisse Apostoli, *In ipso condita sunt vniuersa, in cælo & in terra, siue Throni, siue Dominationes, siue principatus, siue potestates*, &c. Rupertus tamen existimat de hac quæstione idem proportione sentiendum, quod de loco in quo primus homo conditus est, quem constat extra paradisum creatum, in eóque postea à Deo collocatum; sic angeli extra cœlum creati, in eo postmodum locati fuerint. S. autem Augustinus significat non esse absurdum existimare angelos transgressores in suprema aëris regione fuisse creatos, ex illa videlicet opinione, quæ angelos aëria animalia putabat esse. At cùm iam eos spiritus esse constet, in loco spirituum conditos esse, rationi consentaneum est. Coloss. 1. 16. l. 1. de oper. Trinit. c. 11. l. 3 de Gen. ad lit. c. 10.

SCHOLIA IN CAP. VII.

N. III. 1. HVIC opinioni tanquam credibiliori subscribit Genebr. l. 1. Chron. init. primæ ætatis, & ex eo probat, quod illorum creationis Moses non meminerit, vt qui ad opus sex dierum non pertinerent. Et mox subdit, siue fuerint cum mundo procreati, siue infinitis antè sæculis, tunc omnes fuisse valde bonos.

N. 2. His adde Molinam initio disput. 6. de opere sex dierum, & in q. 61. D. Thomæ, art. 3. Pererium & Emanuelem Sà in eûdem locum Geneseos, Del Rio initio Geneseos, & pleróśq. alios ex recentioribus.

Quo in statu creati sint Angeli.

Cap. VIII.

Num. I. *Angeli ab initio sui non fuerunt beati.*

QVo autem in statu creati fuerint, vtrum beatitudinis & gloriæ, an potius in gratia, an verò in puris, quæ dicuntur, naturalibus, non satis clarè, vel in sacris literis, vel apud Sanctos Patres definitum reperias, quippe qui hæc inquirendo scrutandúque tractabant, adeo vt S. Augustinus quærat à D. Hieronymo, num angeli, qui postmodum peccarunt, præsciuerint peccatum suum, quæ scientia sine dolore esse non potuerit, & quidem maximo, quique repugnet beatitudini. Et libro de Ecclesiasticis dogmatibus (si tamen eius est; nam Molina tribuit hunc librum Gennadio.) *Angeli*, inquit, *qui in illa, qua creati sunt, beatitudine perseuerant, non natura possident bonum, vt non mutarentur cum cæteris*, &c. Ex quo etiam intelligitur eum non de beatitudine aliqua naturali, sed de supernaturali esse locutum, in qua perseuerant. Verùm libro de fide ad Petrum sic legimus. *Angeli atque homines, pro eo quia rationales sunt facti æternitatis, atque beatitudinis donum in se à naturæ spiritalis creatore diuinitus acceperunt, ita scilicet, vt si dilectioni Creatoris sui iugiter inhæsissent, simul æterni, beatique mansissent.* Sic ipse. Cùm autem constet hominem non habuisse in statu innocentiæ beatitudinem, qua nunc sancti cum Christo in cœlo perfruuntur, certè neque angeli, quos D. Augustinus hominibus æquiparat, beati à principio fuerunt. Quos tamen beatos appellat, non quod eam statim à conditione sua angeli boni, malive possederint, sed quod ius ad eam, propter gratiam & merita habuerint, certique fuerint se beatos fore, si in ea perseuerarent. Qui autem peccarunt, eo modo dicuntur beatitudinem perdidisse, quo filius familias vitio suo exhæredatus à Patre, dicitur hæreditatem, quam nunquam re ipsa possederit, perdidisse. Cui dicendi formulæ consentanea est illa vox in Apocalypsi. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*; beatitudinem scilicet tibi debitam quam peccando amittere potes. Nam re vera beatitudine, quæ in clara Dei visione consistit, nunquam fuisse potitos angelos ante peccatum, ex eo constat, quod ea visio omnem adimat peccandi facultatem. Quî enim peccare queat, qui Deo adhærens in eo possidet omne bonum, vt eo derelicto nullum aliud ambire, aut affectare possit? Necesse autem est vt qui peccat, id est, à Deo auertitur, ad aliud quodpiam bonum conuertatur; *neque enim operans, ad malum intuetur.* Sic ergo dicitur cecidisse de cœlo Lucifer, & in delicijs paradisi Dei fuisse, non quasi ea gloria spoliatus fuerit, aut delicijs quas aliquando degustauerit, sed quibus potuerit aliquando potiri, nisi per illum stetisset.

epist. 15. — c. 59. — c. 3. — Apocal. 3. — Isa. 14. Ezech. 28. 12.

II. *In gratia tamen conditi sunt.*

NEQVE verò defuere qui Angelos sine gratia & charitate supernaturali creatos dicerent, sed in statu merè naturali, & sane licuit sine temeritate alterutrum opinari, quando neutram in partem aliquid certò definitum est, est enim quæstio de facto, vt aiunt, quod debet diuina reuelatione innotescere. Scripturæ autem loca, quæ pro alterutra sententia facere videntur, varias expositiones patiuntur. Communis tamen Theologorum doctrina eam sententiam, tanquam longè probabiliorem complectitur, quæ angelos in gratia creatos affirmat, vtpote Scripturæ, Patribus, & rationi magis consentaneam.

III. *Probatur ex scriptura.*

Ezech. 28. 12. NAM scriptura, quæ communissimè à sanctis Patribus de Lucifero, sub persona Tyrij regis, accipitur, id non obscurè pronunciat. *Tu signaculum similitudinis*, inquit, id est, signata, siue expressa similitudo Dei, ostendens autem in quo sita esset hæc similitudo pergit. *Plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti* (non vtique claræ Dei visionis, vt diximus, sed dulcissimæ charitatis, ac deliciosissimæ amicitiæ Dei) *omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius*, &c. Et recensitis varijs ornamentis spiritalibus, de auro charitatis subdit. *Aurum quoque decoris tui, & foramina tua, in die qua conditus es, præparata sunt* (quia nimirum crea-

tus est Angelus capax bonorum operum, & meritorum vsque ad finem vitæ suæ, quando perseuerans charitas coronanda erat, si stetisset in gratia, & varietate) sequitur. *Tu Cherub extensus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei* (alluditur scilicet ad Cherubinos, arcam Domini extensis alis protegentes in templo, quod in monte Moria ad Sionem exeitatum est, simúlque significatur nobile illius officium, in angelis inferioribus illuminandis. Eodémque pertinet quod sequitur de ignitis lapidibus, siue gemmis, id est, angelis ignea charitate flagrantibus.) *In medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ* (quomodo perfectus in operibus suis Angelus, sine gratia & charitate, quæ est vinculum perfectionis? perfectus autem ab instanti quo conditus est; nec enim erat cur differetur ea gratia ab auctore gratiæ atque naturæ, vt quam primum meritis ad claram Dei visionem necessariis cumularentur) *donec inuenta est iniquitas in te*, &c. Quod autem Propheta sub allegoriæ integumento tradidit, id Apostolus Iudas in sua canonica sine figura reuelauit, *Angelos verò*, inquit, *qui non seruarunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni Dei, vinculis æternis sub caligine reseruauit* (principatum vocat gratiam gratum facientem, quæ in donis Dei, secundum gloriam, principem obtinet locum, quanquam illa ipsa gloria, gratia est consummata, *gratia* quippe *Dei vita æterna*. Amissa gratia eiecti sunt de monte Dei, cœlesti domicilio, & insolubilibus vinculis alligati, in diem iudicij, internis, externísque tenebris obsessi reseruantur.

Exod. 25. 20. — c. 1. vers. 6. — Rom. 6. 23.

IV. Et sanctis Patribus. Basil.

SED apertius etiam ea de re loquuntur sancti Patres. D. enim Basilius in ea verba, *Verbo domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Nihil enim sanctum est*, inquit, *citra Spiritus sancti præsentiam; Angelos namque initio vt essent, Verbum opifex omnium condidit, sanctificationem verò simul impendit ipsis Spiritus sanctus. Non enim in infantili statura sunt creati, deinde paulatim exercitati atque perfecti, sic Spiritus susceptione digni sunt habiti: sed in prima constitutione, & quasi quadam conspersione sua substantia, simul infusam habuere sanctitatem. Quapropter & ad malitiam difficile se poterant transmouere, nimirum in sibi indulta sanctitate, quasi tinctura quadam, confirmati pene momento, stabilitatémque ad virtutem dono Spiritus sancti adepti.* Hæc Basilius ad verbum.

in Psal. 32. v. 6.

August. Quibus plane concinit S. Augustinus. *Quæ cùm ita sint*, inquit, *nullo quidem modo secundum aliquod temporis spatium prius erant illi spiritus tenebræ, quos Angelos dicimus, sed simul vt facti sunt, lux facti sunt, non tamen ita tantùm creati, vt quoquomodo essent, & quoquomodo viuerent, sed etiam illuminati, vt sapienter, beatéque viuerent.* Et l. 12. inter alia multa in hanc sententiam. *Et istam voluntatem*, inquit, *quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent, creauit, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam. Vnde sine bona voluntate, id est, Dei amore nunquam sanctos angelos fuisse credendum est.* De malis autem angelis paulò antè dixerat. *Eóque sunt isti ab illorum*, bonorum scilicet, *societate discreti, quod hi in eadem voluntate bona manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet voluntate, hoc ipso quod à bono defecerunt, à quo non defecissent, si vtique voluissent.* D. ergo Augustinus in vtrisque bonam voluntatem à principio agnoscit, adhærentem Deo per gratiam, charitatem; sed perseuerantem in bonis, in malis deficientem.

l. 11. de ciuit. c. 11. — c. 9.

V. Hieronym.

NEC dissentit D. Hieronymus. *Quod Propheta*, inquit, *diligit adulteram, & tamen non ei matrimonio copulatur, nec fornicatione coniungitur, sed tantùm diligit delinquentem, typus Dei est, qui filios Israel pessimas diligit, qui cùm diligantur à Domino ad Deos alienos, idolíque respiciunt, & diligunt vinacia vuarum, quæ vina non habent, & pristinam gratiam perdiderunt, sicut dæmones qui lapsi de propria dignitate, & nihil antiqua gratiæ possidentes aridi sunt, & veteri siccitate marcentes.*

in c. 3. Ose. c. 6.

Cyrill. Accedat S. Cyrillus l. 6. in Ioann. vbi agens de Diabolo. *Ille*, inquit, *in virtute non stetit, quia prolapsus est à veritate, nec voluit manere in suæ originis sanctitate; factus enim fuerat ad imaginem & similitudinem Dei, sed superbiendo retinuit quidem imaginem, quia non perdidit naturam immortalitatis, amisit tamen veritatem similitudinis, quia ex iusto, & bono angelo, diabolus iniustus, & malus factus est.*

c. 6.

Chrysost. S. Chrysost. exponit illud in veritate non stetit, in vitæ rectitudinem ἐν τῷ ὀρθῷ βίῳ, quæ omnem virtutem complectitur.

hom. 53. in Ioan.

Quo etiam modo eum locum Leo Papa interpretatur.

Serm. 10. de Quadrag.

Damasc. D. quoque Damascenus, alludens vtique

l. 2. de fide orthodox. c. 3.

ad Basilium. *Per verbum*, inquit, *Angeli omnes creati sunt, ac per sancti Spiritus sanctificationem, omnes perfectionis numeros acceperunt; ita tamen vt pro sua quisque dignitate ac classe, luminis gratiæque participes sint.*

1. p. q. 62. a. 3. — 1. Ioan. 3.

VI. *Idque rationi consentaneum est.*

AGMEN claudet Doctor Angelicus, qui ex mente D. Augustini existimat sicut in rebus materia & vita præditis, indicta est ab auctore naturæ vis seminis ad effectum naturalem: ita in spiritualibus indita simul est gratia, quæ à Ioanne semen Dei nominatur, & gloriæ & beatitudinis est semen. Denique cùm in angelis à principio omnia fuerint, quæ requiri poterant ad gratiam, naturæ perfectio, absentia culpæ; nihil videtur causæ fingi posse, cur non statim liberalissimus conditor diffuderit gratiam suam in cordibus eorum, & inhabitantem dederit spiritumsuum, vt qui erant natura filij, essent etiam gratia.

VII. *Angeli promeriti sunt beatitudinem suam.*

CVM ergo conditæ essent mentes illæ nobilissimæ, & maximis naturæ, gratiæque donis insignitæ, voluit earum conditor Deus, vt per nobilissima media, ad finem longè præstantissimum peruenirent. Est autem excellentiùs aliquid ex merito, quàm ex munere obtinere. Meritum enim virtutem merentis commendat, at donum, donantis liberalitatem. Quo autem præstantiùs est præmium, hoc gloriosior efficitur, qui eo se dignum, præclarè se gerendo, reddidit; sed in eo etiam emicat diuina maiestas, quæ possit efficere, vt creaturæ ex nihilo productæ, ad tantam gloriam ex iustitia promerendam assurgere possint; idque tam angelis, quàm hominibus commune est.

2. Tim. 4. 8 — hæres. 64. — 11 homil. de Adam & Eua.

VIII. *Pactū Dei cum angelis.*

QVONIAM ergo constituit Deus ita honorare creaturas, quas intelligentia præditas fecerat, & arbitrij libertate donauerat, vt eis ex meritis, gratiæ illius innixis, beatitudinem conferre vellet, eisque gloriam, tanquam coronam iustitiæ, non largiri, sed reddere: Etiam dicendum est angelos beatitudinem, qua iam fruuntur, esse promeritos, sicut & homines, tacitúmque etiam cum angelis Dei pactum interuenisse, vt si datam sibi gratiam constanter retinerent, cùm eáque fructus meritorum viæ suæ tempore colligerent, eo transacto æterna felicitate donarentur; sin secus facerent, & à Deo peccando auerterentur, æternis suppliciis Deo priuati addicerentur. Hæc est sententia Methodij apud Epiphanium. *Spontaneam enim*, inquit, *etiam ipsis* angelis *habere ad vtraque voluntatem Deus constituit, velut etiam in hominibus, vt aut obedientes verbo, essent cum ipso, & acciperent beatitudinem, eáque fruerentur, aut non obedientes iudicarentur.* Diuus tamen Chrysostomus. *Angelos*, inquit, *fecit in spiritu sine carne, præceptum dedit eis nullum*, quòd scilicet scripto extet in sacris literis, sicut id quod datum est Adamo. Idem habet homil. 1. de lapsu primi hominis. Eo igitur quasi contractu Deum inter & angelos inito; permissi sunt omnes sibi ipsis, atque arbitrij sui libertati, æquali omnibus viæ duratione attributa, vt ait Molina, aliique Doctores, qua bene vsi aliqui ad finem vsque viæ, simul in gratia confirmati sunt, & æternam beatitudinem consecuti; mali contra gratia per peccatum amissa, à Deo auersi, damnatíque sunt.

in 1. p. q. 63. a. 6. con cl. 1. in fin.

IX. *Quandiu fuerint angeli in statu promerēdi.*

DIXI æqualem viæ durationem fuisse, vt sic inter bonos & malos æqualitas iustitiæ seruata intelligatur. Quanta autem fuerit, & si non est facile diuinare, satis tamen constat non fuisse diuturnam. Cùm enim iam statuerimus eos non fuisse conditos ante mundum corporeum, & communis sit Patrum sententia priùs peccasse malos, quàm Adam crearetur, certè paucorum ad summum dierum viam illorum fuisse dicendum erit. In iis est Isidorus. *Prius*, inquit, *cecidisse de cælo Diabolus creditur, quàm homo conderetur; nam mox vt factus est in superbiam erupit, & præcipitatus est de cælo.* Et Cyprianus ait Dominum ante hominis conditionem superbientis Diaboli ruinam vidisse. Diuus Chrysostomus refutans illam fabulam de Angelis, qui ex filiabus hominum genuerint gigantes, qua ex causa è cœlo deiecti sunt. *Verùm*, inquit, *scriptura nos aliter docet, quòd antequam formaretur primogenitus homo, à sua dignitate exciderunt, & Diabolus; & qui cum eo maiorem, quàm decebat, dignitatem ambiebant.* Et subdit. *Dic, oro, mihi, si non ante factum hominem excidit, quomodo in tanta dignitate manens inuidit homini*, &c. fusè. Auctor etiam

l. 1. sentēt. c. 10. sent. 7. — l. de ieiun. & tentat. — homil. 22. in Genes.

libri de mirabilibus sacræ scripturæ apud Augustinum. *Absit hoc*, inquit, *vt sentiamus, angelum posse suadere homini peccatum in terra, nisi priùs ipse peccaret in cælo, dicente Domino, Vidi Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem; vnde enim ipse potuisset inuidere felicitati humanæ, nisi priùs amisisset beatitudinem propriam? Non solùm ergo peccatum hominis præcessisse diabolica ruina credenda est, sed etiam perfectionem creaturarum illarum, quæ in die sexta facta est.* Et mox: *Cui ergo carcer in illa creaturarum conditione præparatus est, illius peccatum originaliter illas creaturas præcessit; quoniam, vt scriptura inquit, ipse ab initio mendax est, & in veritate non stetit.* Hæc ibi. Vide in eandem sententiam Cassianum & Bedam.

c.3. l.2.c.12. — Luc. 10. 18. — Ioan. 8. 44. coll. 8. c. 10. c. 8. l. 99. q. 9.

De culpa Angelorum.

Cap. IX.

Num. I. *An culpa Angelorũ fuerit inuidia.*

HIC deinceps sequitur vt de culpa Angelorum disseramus, de qua fusè Theologi cum D. Thoma. Et vt primùm de eorum (1. p. q. 63.) principe Lucifero dicamus, primum peccatum, quo æternæ damnationis factus est reus, plerique inuidiam, longè plures superbiam esse dixerunt. Vtramque culpam memorat Augustinus, & posteriorem idonea nixus ratione, & scripturæ auctoritate complectitur. *Nonnulli*, inquit, *dicunt ipsum et fuisse ca-* (l. 11. de Genes. ad lit. c. 14.) *sum à supernis sedibus, quod inuiderit homini facto ad imaginem Dei. Porrò hæc inuidia sequitur superbiam, non præcedit. non enim causa superbiendi est inuidentia, sed causa inuidendi superbia. Cùm igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, inuidia verò sit odium felicitatis alienæ, quid inde nascatur satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus inuidet, quòd ei coæquantur, vel inferioribus ne sibi coæquentur, vel superioribus quod eis non coæquetur. Superbiendo igitur inuidus, non inuidendo quisque superbus* (Eccli 10. 15.) *est. Meritò initium omnis peccati superbiam scriptura definiuit, dicens, Initium omnis* (Collat. 8. c. 10.) *peccati superbia.* Hactenus Augustinus. Quibus persimilia leges apud Cassianum.

Superbia inuidiæ parens.

II. *Quodnam huius inuidiæ obiectum, an excellentia hominis.*

CÆTERVM qui inuidia censent Luciferum cecidisse, diuersum eius culpæ obiectum exhibent; homini enim inuidisse quod ad eandem cum angelis felicitatem destinatus esset, quidam crediderе; vel quod ei creata omnia subiecisset. Alij verò malunt illum homini vnionem hypostaticam inuidisse. In priori sententia videtur S. Irenæus. *Ex tunc*, inquit, *Apostata est angelus hic, & inimi-* (l. 4. c. 78.) *cus, ex quo zelauit plasma Dei, & inimicum illum Deo facere aggressus est.* Consentit (l. de patient. c. 5.) Tertullianus. *Natales*, ait, *impatientiæ in ipso Diabolo deprehendo, iam tunc cum Dominum Deum, vniuersa opera quæ fecisset, imagini suæ, id est, homini subiecisse impatienter tulit. Neque enim doluisset si sustinuisset, nec inuidisset homini si non doluisset. Adeò decepit eum quia inuiderat, inuiderat autem quia doluerat, doluerat, quia patienter vtique non tulerat.* Subscribit magistro discipulus Cyprianus. *Diabolus*, inquit, *hominem ad* (l. de bono patient. 1.) *imaginem Dei factum impatienter tulit, inde & periit primus, & perdidit.* Quæ repetens libro de zelo & liuore addit. *Ille dudum angelica maiestate subnixus, ille Deo acceptus & charus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum maleuolo liuore prorupit, non prius alterum deiiciens instinctu Zeli, quàm ipse zelo ante deiectus, captiuus antequam capiens, perditus antequam perdens, dum stimulante liuore homini gratiam datæ immortalitatis eripit, qui ipse quoque id quod prius fuerat amisit.* S. Leo. (Serm. 10 de quadrag.) *Fremit itaque innocentiæ aduersarius, & pacis inimicus, & quia ipse in veritate non stetit, totámque naturæ suæ gloriam dum superbit, amisit, dolet hominem Dei misericordia reparari, & in ea bona, quæ ipse perdidit, introduci.* S. etiam Chrysologus. *Inuidia,* (Serm. 48.) inquit, *de cælo abiecit angelum, de paradiso exclusit hominem.* Deinde D. Basilius. (Homil. de inuid.) *Caueamus, fratres amantissimi, inuidiæ vitium, ne socij gestorum Diaboli reddamur, & eodem cum ipso condemnati iudicio reperiamur.* Et paulo infrà: *Quid principem malorum dæmonem ad bellum aduersus hominem internecinum impulit? nónne inuidia? per*

S. Irenæus. Tertull. — *S. Cyprian.* — *S. Leo.* — *S. Chrysolog.* — *S. Basil.*

per quam & Deo aduersari palàm deprehensus est. Dolens enim ob præclara dona homini concessa, quando Deo nocere non valuit, ipsum insidiis hominem petit. Et rursus: *Quæris igitur. Vnde illi* Diabolo *sit contra nos bellum? Quoniam cùm omnis ipse mali promptuarium existeret, inuidiæ quoque morbum in se recepit, & inuidit nobis illatum honorem, nec facilè tulit vitam in paradiso beatam ducere,* &c. Addamus postremò S. Bernardum licet dubitantem. *Potuit autem contingere,* inquit, *si tamen incredibile non putetur, plenum sapientia, & perfectum decore, homines præscire potuisse futuros etiam, & profecturos in parem gloriam: sed si præsciuit, in Dei verbo absque dubio vidit, & in liuore suo inuidit; molitus est habere subiectos, socios dedignatus. Infirmiores sunt,* inquit, *inferioresque natura, non decet esse conciues, nec æquales in gloria.* Hæc Bernardus. Sed quid opus est pluribus, cùm scriptura dicat, inuidia Diaboli mortem introisse in orbem terrarum?

hom. quod Deus non sit auctor malorum. — serm. 17. in Cant. — S. Bernard. — Script. — Sap. 2. 24.

III. *An vnio hypostatica, & quorum sit eaopinio.* — I i. instit. Theol. c. 3 §. 2. v. 15. in Psal. 81. in cap. 5. Genes.

Lvciferum porrò vnionem hypostaticam homini inuidisse recentiorum fuit opinio, Ioannis Viguerij in suis institutionibus theologicis, Iacobi de Valentia in illud, *Surge Deus iudica terram*, & in primis Catharini in Genesim, & in opere de gloria bonorum angelorum, & opere de eximia prædestinatione Christi, qui eam ita explicat. Cùm Deus ab æterno statuisset naturam humanam hypostaticè vnire verbo, & hominem ex diuina, humanáque natura compositum, omnibus angelis & hominibus, tanquam caput & Dominum præponere, suumque hoc consilium angelis aperuisset initio creationis suæ, ab eísque venerationem erga ipsum exegisset, boni angeli Christum adorantes, per ipsum gratiam & gloriam sunt consecuti. Lucifer autem considerans excellentiam suæ naturæ, sibi potiùs hanc vnionem & dignitatem appetiit, & naturæ humanæ inuidit, & Christum noluit vt caput agnoscere, atque adorare. In eam sententiam affert illud. *Et cùm iterum introduxit primogenitum in orbem terrarum*, ait, *& adorent eum omnes angeli eius. Iterum*, inquit, *quia semel introduxerat Christum adorandum ab angelis initio creationis ipsorum, reuelando eis hoc mysterium: iterum deinde introduxit, quando reipsa perfecta est incarnatio.*

Hebr. 1.

IV. *Quod improbabile videtur.*

Verum non satis solido fundamento niti videtur ista doctrina, tum quia illa vox, (iterum) non refertur ad proximum verbum (introduxit) sed ad sequens (dicit) significans hoc esse tertium testimonium pro diuinitate filij Dei, eandémque vim habet quam, Et rursum, posita in secundo testimonio, quod confirmat Syriaca versio, in qua legitur. *Rursum autem cùm inducit primogenitum in mundum*; tum quia non constat in via factam angelis vllam reuelationem mysterij incarnationis, sed potius contrarium, si dicamus, cum magna parte Theologorum, incarnationem decretam à Deo non fuisse, ante præuisum peccatum primi parentis, quòd peccatum præuisum non est sine præuisione peccati angelorum, quia ex illo aliqua ratione pendebat. Ergo priusquam Deus decerneret incarnationem, præuidebat angelorum peccatum, quòd certè non poterat esse circa incarnationem. Nam circa illam peccare non poterant nisi eis esset reuelata, reuelari autem non poterat antequam decerneretur, & decreta non est, vt supponimus, nisi post peccatum.

V. *Angelorũ peccatum fuisse superbiam. ex Script.* — l. 12. c. 4.

Verior ergo communiórque sententia est, Luciferum superbia in transuersum actum esse, adeò vt Cassianus dicat, Angelum illum, qui præ nimietate splendoris ac decoris sui Lucifer nuncupatus est, nullo alio quàm superbiæ vitio deiectum cœlitus inueniri, & ex illa beata, sublimíque angelorum statione, telo superbiæ vulneratum ad inferna fuisse collapsum, quòd ex illo Isaiæ loco plerique omnes antiqui, recentioresque confirmant, vt enumerare non sit necesse; quos Leo Castrius in eundem locum suggeret, qui ita locum interpretatur, vt neget vllo modo intelligi posse de rege Babylonico, neque de captiuitate & redemptione populi Iudaici ex eius potestate, sed de diabolo & redemptione generis humani facta per Christum, tropicè videlicet sumpta Babylone, eiúsque rege; quomodo Roma metonymicè dicitur Babylon [1]. Verba Prophetæ sunt. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris, corruisti in terram qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo. In cœlum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti. in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo, veruntamen in infernum detra-*

Isaiæ 14. v. 12. — Leo Castr. — 1. Pet. 5. Isai. 14. 12. — Ezech 28.

beris in profundum laci. Et Ezechielem 28. eadem superbia declaratur verbis il- Ezech. 28.
lis. *Et eleuatum est cor tuum in decore tuo*, &c. Quem locum negat Origenes de homil. 13 in
vllo Tyri principe, sed de solo Diabolo intelligi posse. Quod sensit etiam Ezech.
ante ipsum Tertullianus. Diuus Augustinus, de vtroque loco agens dubitat an l. 2. contra
aliter intelligi queant. Et rectè, cùm nihil obstet in literali sensu tam reges Ba- Marcion
bylonis & Tyri, quàm Luciferum intelligi. Eodem spectat illud Iobi. *Omne* l. 11. de ciuit. c. 15.
sublime videt, ipse est rex super omnes filios superbiæ. vbi Gregorius. *Per hanc*, in- Iob. 41.
quit, *ipse succubuit, per hanc se sequentem hominem strauit: eo etenim telo salutem*
nostræ immortalitatis impetiit, quo vitam suæ beatitudinis extinxit. Eodem referri
iure potest illud Tobiæ. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo domina-* Tob. 4.
ri permittas, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio hominum videlicet &
angelorum, perditio quippe hominum ex angelorum perditione manauit, vt
& Patribus. paulò antè ex Cypriano dicebamus[a]. Quin etiam illi ipsi qui de inuidia sen- a. χ.
tentiam dixerunt, partim eam non asserunt primum peccatum fuisse, quòd
perspicuè docet Augustinus, loco de Genesi ad litteram quem attulimus, par- l. 11 c. 14.
D. Basil. tim pro superbia sententiam ferunt. Nam D. Basilius illis verbis, quæ protuli- hom. quod
mus ista subdit. *Quamobrem dolis hominem aggressus, eadem ambitionis cupiditate* Deus non
quam ipse ab initio habuit, velle similem esse Deo, hac rursus ad decipiendum nos vsus sit auctor peccat.
D. Cyprianus. *lignum ostendit*, & cætera. Et D. Cyprianus explicans illa verba Lucæ. *Videbam* l. de ieiun. & tentat.
Sathanam sicut fulgur de cælo cadentem. His verbis, inquit, *eorum animis intimans*, Luc. 10. 18.
quia ante hoc temporale initium, ipse in principio, imò ipse principium existens apud
Deum, ante hominis conditionem superbientis diaboli ruinam vidit, & affectatæ domi-
Bernard. *nationis ambitionem, defectionis eius fuisse causam.* Non omittam Bernardum. serm. 1. de
Fugite superbiam, fratres mei, quæso multum fugite, initium omnis peccati super- aduentu.
bia, quæ tam velociter ipsum quoque syderibus cunctis clarius micantem æterna ca-
ligine obtenebrauit Luciferum: quæ non modò angelum, sed angelorum primum in
Diabolum commutauit. Vnde & protinus inuidens homini, quàm conceperat in semet-
ipso, in eo peperit iniquitatem, & cætera. Quibus in verbis etiam agnoscitur super- loc. cit.
bia inuidiam antegressa, vt prius notauerat Augustinus.

VI. *Quod illius obiectum, an æqualitas cum Deo?*

QVONIAM ergo iam satis constat superbia peccasse Luciferum, obie-
ctum autem superbiæ multiplex esse potest, in diuersa excellentia inordinatè
appetenda. Age quam excellentiam appetierit, videamus. Plerique Sancto-
rum existimant Luciferum æqualitatem cum Deo ambiuisse, propter illud,
Similis ero Altissimo. Vnde Bernardus. *Lucifer ille*, inquit, *qui mane oriebatur, pro* serm. 1. de
Bernard. *eo quod Altissimi similitudinem vsurpare tentauit, & rapinam arbitratus est esse se æqua-* aduentu. Philip. 2. 6
lem Deo, quod vtique filij est, præcipitatus illico corruit, quoniam zelauit pro filio Pater, Rom. 12.
& opere dixisse videtur. Mihi vindictam, & ego retribuam. Continuò videbam Sathanam 19.
tanquam fulgur cadentem de cælo. Serm. autem 2. in octau. Paschæ sic Lucife- Luc. 10 18.
rum alloquitur. *Careas omnino necesse est testimonio Patris, cuius tibi gloriam vsurpa-*
re conaris, non honorare eum cupiens, sed æquare. Sedebo, inquit, in monte testamenti, Isai 14. 13.
& similis ero Altissimo; itáne modo creatus, Patri spirituum considebis? & certè Hebr 11.13.
necdum tibi dixit, sede à dextris meis. Si nescis, ô impudens, vnigenitus ille est, Psal. 109.
cui æterna generatione Patris æqualitas collata est & consessus. Tu rapinam cogitans
esse æqualis Deo, filio gloriam inuides, gloriam quasi vnigeniti à Patre, & cætera.
Ambros. Ambrosius quoque ait, Dæmonem sic se exaltasse, vt vellet æquari, & simi- in Psal. 18.
lis esse Altissimo; discipulum autem eius Antichristum etiam vlterius pro- 21.
gressurum, qui se elaturus est super omne quod dicitur Deus. Et in tractatu
in symbol. *Incarnatio*, inquit, *ob hoc facta est, vt nos potestatem super Diabolum* Isai. 14. 12.
acciperemus, qui superbiæ typho se facturam (id est, creaturam) *non cognoscens, crea-* orat. 27.
tori æqualem se facere voluerit, dicens. Ascendam super nubes, ero similis Altissi-
Nazianz. *mo.* Gregorius Nazianzenus. *Inuidia Luciferum obscurauit, ob mentis elationem*
prolapsum, indignum enim, atque intolerandum ducebat, se cùm diuinus esset, non
Chrysost. *Deum quoque existimari.* οὐ γὰρ ἠνεῖχε θεῖος ὢν, μὴ καὶ θεὸς νομισθῆναι [3]. Chrysosto- 3. χ.
mus. *Quid igitur Diabolus? Suasit Adam vt conciperet cogitationem sua conditione* homil. 3 de verbis Isai.
maiorem, sibique cum Deo speraret æqualitatem; Si enim, inquit, hæc res me cælo expu-
Gregor. *lit, multò magis eadem hunc eiiciet è paradiso.* Denique Gregorius magnus. *Sua per-*

uersitate, inquit, *talis factus, vt nullum timeret, ei quippe à quo conditus fuerat subesse despe-
xit; ita enim Deus super omnia est, vt ipse sub nullo sit, Leuiathan verò iste eius celsitudinis culmē
aspiciens, ius peruersa libertatis appetiit, vt & praesset cæteris, & nulli subesset dicens, Ascen-
Isa. 14. 14 *dam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo. Cuius eo ipso similitudinem perdidit,
quo esse ei superbè similis in celsitudine concupiuit.* Et mox. *Sed dum priuatam celsitudinem su-
perbè appetiit, iure perdidit participatam.* Cæterùm hi Patres non existimant Luciferum
ambiuisse æqualitatem cum Deo secundum naturam, vt videlicet Deus esse vo-
in schol. 3. luerit; (nam quomodo Nazianzenus intelligendus sit, diximus,) sed de æqualitate
gloriæ, & maiestatis, quia illud fieri nequit, & voluntas in impossibile ferri non
potest, vt plerique censent; quanquam non desint, qui hoc modo peccare potuis-
4. x. se credant [4].

C O M M V N I S S I M A porro Doctorum sententia est superbiam Luciferi in eo VII.
fuisse, quod desiderauit beatitudinem supernaturalem ex propriis viribus, sine *An potius*
l. 34. Moral. c. 12. gratia Dei. Quæ videtur mens esse Gregorij Magni eodem libro. *Relicto*, inquit, *appetitus*
eo cui debuit inhærere principio, suum sibi appetiit quodammodo esse principium. Relicto eo, qui *beatitudinis ex pro-*
verè illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse iudicauit, & tanto magis infra se cecidit, quanto *priis viri-*
l. 2. sentent. c. 20. *magis se contra gloriam sui conditoris erexit. Indè & priuatus est*, inquit Isidorus, *Aposta-* *bus.*
l. 12. de ciuit. c. 1. *ta angelus, dum fortitudinem suam non à Deo, sed à se voluit custodire.* Clarius etiam D. Au- *Gregor.*
gustinus. *Qui cùm præsciret*, inquit, *angelos quosdam per elationem, qua ipsi sibi ad beatam* *August.*
vitam sufficere vellent, tanti boni desertores futuros, non eis ademit hanc potestatem, potentius *Permissio*
Epist. 33. *& melius esse iudicans etiam de malis benefacere, quàm mala esse non sinere.* Nec minus a- *Dei.*
pertè S. Ambrosius. *Aliter*, inquit, *inflantur, qui cupiditate excellentiæ singularis omni-* *Ambros.*
*bus appetunt anteferri; aliter verò intumescunt, qui Dei auxilium refutantes, quæ fieri sine ip-
sius opere non possunt, ex sua perfici virtute contendunt, & spem suam à Domino auferunt, at-*
Ierem. 17. 5 *que ad se transferunt, vt adimpleatur in eis quod scriptum est. Maledictus homo qui spem habet
in homine, & confirmat carnem brachij sui, & à Domino recedit cor eius. Hæc superbia à Diabo-
lo sumpsit exordium, qui quoniam sua, quam à creatore acceperat, potentia & dignitate sibi pla-
cuit, seque auctoris sui gloriæ comparauit, cum iis angelis, quos in consensum impietatis suæ tra-
xerat, à cælesti sublimitate deiectus est.* Ita S. Ambrosius; qui in eo quod ait Luciferum
se auctoris sui gloriæ comparasse, significat eum beatitudinem à se, & per natura-
lia sua principia, sicut Deum habere voluisse. Nam mox eam illi superbiam tri-
buit, *Vt non dignaretur diues esse nisi ex propriis, tanquam haberet hoc simile Deo, vt bonorum*
l. 12. c. 4. *suorum ipse sibi fons, ipse sibi esset copia.* His similia scribit Cassianus, etsi de beatitudi- *Cassian.*
ne tantum naturali loquatur. *His namque*, inquit, *inductus diuina claritate, & inter cæ-
teras supernas virtutes conditoris largitate præfulgens, splendorem sapientiæ, & virtutum pul-
chritudinem, qua ornabatur gratia creatoris, natura suæ potentia, non munificentia illius bene-
ficio se credidit obtinere; & ob hoc elatus, tanquam qui, ad perseuerantiam puritatis huius, di-
uino non egeret auxilio, Deo se similem iudicauit, vtpote qui nullius indigeret quemadmodum
Deus. Liberi scilicet arbitrij facultate confisus, per illam credens affluenter sibimet omnia suppe-
ditari, quæ ad consummationem virtutum, vel perennitatem summæ beatitudinis pertinerent;
hæc ei sola cogitatio facta prima ruina est.* Hactenus Cassianus, qui videtur summam bea-
titudinem vocare naturalem, cùm id epithetum supernaturali conueniat, quam
sine dubio angelus cupiebat, nec ea fruebatur, vt eius perennitatem à seipso am-
biret.

R E L I Q V V S est alius superbiæ angelicæ modus notatus à Patribus, quod in- VIII.
l. 14. de ciuit. c. 11. ordinatè optauerit præesse aliis, subesse nemini. Nam D. Augustinus. *Postea verò* *An opta-*
quam, inquit, *superbus ille angelus, ac per hoc inuidus, per eandem superbiam à Deo ad semet-* *rit præesse*
ipsum conuersus, & quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditis, quam esse subditus eligens, *omnibus,*
homil. 22. de homil. *de spiritali paradiso cecidit, &c.* Eodem videtur respexisse Basilius. *Metue similitudinem* *subesse ne-*
ruinæ, qua cecidit Diabolus, qui contra hominem elatus, subtus hominem cecidit, & in procul- *mini.*
l. 34. c. 27. *cationem traditus est ei, quem ipse calcauerat.* Clarius S. Gregorius loco ante citato. *Ei
quippe à quo conditus fuerat subesse despexit: ita enim Deus super omnia est, vt ipse sub nullo sit,
Leuiathan verò iste eius celsitudinis culmen aspiciens, ius peruersæ libertatis appetiit, vt & præ-*
serm. 17. in cant. *esset cæteris, & nulli subesset.* Denique Bernardus, quem ante laudauimus, ait Lucife-
rum præuisa hominum gloria, molitum esse habere subiectos, socios dedignan-
tem, quasi infirmiores inferioresque natura. Et subdit. *An forte prodit impiam hanc*
Isa. 14. *eius machinationem illa præsumpta ascensio, sessióque, significans magisterium. Ascendam, in-*

quit, super montem excelsum, & sedebo in lateribus Aquilonis: quo Altissimi quandam proinde similitudinem obtineret, si quemadmodum ille super Cherubim sedens gubernat omnem angelicam creaturam: ita & ipse altus sederet, regerétque genus humanum. Absit, iniquitatem meditatus est in cubili suo. Mentiatur iniquitas sibi. Nos alium non cognoscimus Iudicem, quàm auctorem. Ita Bernardus [5]. Psal. 35. 5. 5. ✕.

IX. *Lucifer primus omnium angelorum fuit, idque passim creditur à Patribus.* LIBET etiam disputationem attingere, An Lucifer hic primi peccati auctor, omnium angelorum princeps fuerit, cuius partem aientem video plerósque Patres tueri. Tertullianus ait titulos quibus ab Ezechiele afficitur ei conuenire vt eminentissimo angelorum, vt Archangelo, vt omnium sapientissimo. Vbi primus postremúsque titulus docent nomine Archangeli non intelligendum vnum de secundo ordine infimæ Hierarchiæ, sed planè principem omnium intelligentiarum. Late vsurpando nomen Archangeli, vti solemus Angeli. D. Chrysostomus. *Vnus angelus primus, qui Sathahel dictus est, malignam & nefariam præsumptionem assumens, dixit. Pono sedem meam in Aquilonem, & ero similis Altissimo. Et ita pro tali præsumptione cecidit irreparabiliter, vt angelus primus præcipitatus de culmine angelico Diabolus nominaretur.* Eadem habet homil. de lapsu primi hominis, & homil. 22. in Genesim, ait Diabolum ἀπὸ τῆς αἰωνίου δόξης, εἰς ἐσχάτην ἀτιμίαν κατενεχθῆναι. D. Hieronymus. *Diabolus*, inquit, *nouem angelorum ordines sub sua habuit dominatione, siue bonos siue malos.* Diuus Gregorius. *Ille*, inquit, *Apostata angelus, qui ita conditus fuerat, vt angelorum cæteris legionibus emineret, ita superbiendo succubuit, vt nunc stantium angelorum ditioni substratus sit.* Et lib. 9. *Hic summus ille angelicus spiritus, qui subiectus Deo in culmine stare potuisset, semetipsum repulsus patitur.* Et lib. 32. in ea verba, *Ipse est principium viarum Dei. Idcirco ad tam multa fortiter sufficit, quia natura rerum hunc creando per substantiam conditor primum fecit;* & ne id de ordine temporis acciperes, mox subdit, *cùm cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit. Huius primatus eminentiam conspicit Propheta cùm dicit. Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei, &c.* Plurima enim congerit toto capite in hanc sententiam, & nouem genera lapidum pretiosorum, qui enumerantur ab Ezechiele, nouem ordinibus angelorum accommodat, *Quibus*, inquit, *Behemoth iste opertus fuisse describitur, quia eos quasi vestem ad ornamentum suum habuit, quorum dum claritatem transcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit.* Et sub finem. *Quia comparatione claritatis suæ cæterorum claritatem obumbrasse creditur, ipse extensus & protegens fuisse perhibetur; reliquos enim quasi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentia maiore transcendit* [6]. Idem videtur sensisse Origenes. De illo enim agens. *Et ipse quoque*, inquit, *sicut fulgur corruit de cælo, primus fuit quando sedebat immaculatus in omnibus viis suis, donec iniquitas inueniretur in eo. Et factus est nouissimus in infernum descendens, vt admirentur videntes eum, & dicant, & tu consumptus es, sicut & nos.* Apertius sanctus Bernardus. *Initium*, ait, *omnis peccati superbia, quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem æterna caligine obtenebrauit Luciferum, quæ non modò angelum, sed angelorum primum in Diabolum commutauit.* Denique Isidorus. *Ante omnem*, inquit, *creationem angelorum Diabolus conditus est; sicut scriptum est. Ipse est principium viarum Dei. Vnde & ad comparationem angelorum Archangelus appellatus est, prius enim creatus extitit ordinis prælatione, non temporis quantitate. Primatum habuisse oportet inter angelos Diabolum, ex qua fiducia cecidit, vt sine reparatione puniretur.*

Tertul. Chrysost. Hieronym. Gregor. Origen. Bernard. Isidor.

l. 2. contra Marcion. c. 10. Ezech. 28. to 1 homil. de Adam & Euang. in Psal 23. l. 4. moral. c. 13. c. 2. c. 18. Ezech. 31. 8. 6. ✕. tract. 9. in Math. Serm. c. de adu. l. 1. senten. c. 10. Iob. 40. 14.

X. *Et rationi consentaneum est.* ACCEDIT postremo S. Thomas, qui instar est plurimorum. Is existimat probabilius superiores angelos peccasse, quàm inferiores, quod illi maius habuerint motiuum ad superbiam, & supremus maximum. Et certè nisi eminentissimis naturæ & gratiæ donis cæteris omnibus præstitisset, parum probabiliter omnibus præesse, & nemini subesse desiderasset, nec alius eo inferior tantam ruinæ materiam habuisset, nec facilè tantam inferiorum Angelorum multitudinem ad idem Apostasiæ baratrum exemplo aut suasione deiecisset. 1. p. 63. a. 7.

XI. NAM minus deplorabilis erat hæc ruina, si illum vnum, qui peccati auctor &

princeps fuit, pessum dedisset, sed plurimos etiam sibi consentientes euertit, & *Quã multi eum concederint.*
secum in tartarum præcipites dedit, tanto numero, vt tertia pars stellarum de cœlo in terram, Draconis cauda detracta dicatur. Qui locus à D. quoque Thoma in
Apoc. 12. 4. 1. p. q. 63. a. 8. hanc sententiam accommodatur, qui docet peccatum primi angeli causam cæteris fuisse peccandi, non quidem cogentem, libertas enim cogi non potest, sed quadam quasi exhortatione inducentem. *Cuius signum ex hoc apparet*, inquit, *quod omnes dæmones illi supremo subduntur, vt manifestè apparet per illud quod dicit Dominus. Ite male-*
Mat. 25. 41 *dicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius. Habet enim hoc ordo diuinæ iustitiæ, vt cuius suggestioni aliquis consentit in culpa, eius potestati subdatur in pœna.* Ita D.
l. 2. de fide orthod. c. 4 Thomas. Malos Angelos Lucifero subditos, ei se comites adiunxisse auctor quoque est S. Damascenus. *Lux*, inquit, *à creatore conditus, bonusque procreatus (vidit enim Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona) libera voluntate caligo factus est. Vna porro* *Damasc.*
cum eo auulsa est, eique comitem se adiunxit, simúlque corruit innumerabilis subiectorum ipsi angelorum multitudo. D. quoque Ambrosius, quem antè attulimus, ait Luciferum cum iis Angelis quos in consensum suæ impietatis traxerat, à cœlesti sublimitate *Ambros.*
deiectum esse. Quoniam autem diximus communiorem esse Doctorum sententiam peccasse Angelum inordinato supernaturalis beatitudinis appetitu, indignè ferentem se diuino auxilio ad illius consecutionem indigere, consequens etiam est, vt dicamus, eum cæteros ad id genus desiderij, & complacentiæ inuitasse ac permouisse.

DE multitudine autem eorum certi aliquid colligi posset, ex dicto loco Apoc.
Apoc. c. 12. si id quod eo loco de tertia stellarum parte dicitur, in sensu literali dictum esse XII. *Plures stetisse quàm ceciderint.*
constaret. Non tamen leuis est D. Thomæ sententia affirmantis plures Angelos
loc. cit. a. 9. in officio perstitisse, quàm peccasse, quia peccatum est contra naturalem inclinationem, ea verò, quæ contra naturam fiunt, in paucioribus contingunt, quoniam natura vel semper, vel vt plurimum effectum suum consequitur [7]. Et quoniam
7. ✠. probabilius esse dictum est Luciferum de supremo ordine cecidisse, etiam probabile est aliquos de quolibet ordine cecidisse, sicut in quem libet ordinem homines assumuntur in ruinæ angelicæ supplementum.

SCHOLIA IN CAP. IX.

N. 1. SIc 1. Pet. 5. 13. Vide etiam Apoc. 14. 8. c. 16. 19. c. 17. 5. c. 18. 2. c. 10. 21. & ibi Sà, & interpretes.

N. 2. Ita eum com locum interpretatur Vasques, in 1. p. disp. 232. c. 3.

N. 3. Item Gregorius in carmine, περὶ νοερῶν οὐσιῶν.

Τοὔνεκεν ὁ πρώτιστος ἑωσφόρος ὕψος ἀερθείς
(Ἡ γὰρ δὴ μεγάλοιο θεοῦ βασιληΐδα τιμὴν
Ἤλπετο κῦδος ἔχων περιώσιον) ἀγλαΐην μὲν
Καὶ πέσεν ἔνθαδ' ἄτιμος, ὅλος σκότος, ἀντὶ θεοῖο
Καὶ κοῦφός περ ἐὼν χθαμαλὴν ἐπὶ γαῖαν ὄλισθεν.

Quæ ita versa sunt. *De substantiis mẽte præditis.*

Quocirca primus malè sana mente tumescens
Lucifer (eximio nam quod frueretur honore
Sperabat regale Dei soliúmque decúsque)
Corruit amisso vilis splendore misérque,
Dum Deus esse cupit, tetra caligine totus
Obrutus est, leuis atque licet, prostratus ad ima.

Cæterum non censuit Nazianzenus Luciferum voluisse fieri Deum, in diuinam transeundo naturam, sed æqualem Deo reddi gloria & dignitate. Sic etiam alio loco, carmine quodam aduersos Diabolum, se Deum fore profitetor, qood de similitudine vtique, non de identitate naturæ accipiendum est. Verba eius hæc sunt.

Αὐτὰρ ἐγὼ Χριστοῖο λάχος ναός τε θύηλον,
Καὶ θεὸς ἔσσομ' ἔπειτα θεός, θεότητι μιγείς

Ψυχῆς. id est.

Namque ego pars Christi templúmque & victima nunc sum.
Post Deus existam, æterno cùm mens mea nexu
Iuncta Deo fuerit.

Quia re vera etiam nunc dæmones impossibile aliquid desiderant. v. g. Deum non esse, ex N. 4.
immenso in illum odio: non quidem voluntate, quæ media quærat ad rei executionem, sed nihilominus voluntate libera, & deliberata, quæ, id appetat, & sibi complaceat in eo. Prior illa voluntas efficax est, ista simplex & sufficit ad peccandum. Sed hæc relinquamus scholis.

Quæ ita intelligenda sont, vt si in appeti- N. 5.
tu prælationis superbè se gessit Lucifer, peccarit complacentia non excellentiæ naturalis, qua aliis naturaliter præerat (hæc enim complacentia non fuisset peccatũ superbiæ, quod enim homo gaudeat præesse brutis animantibus non est superbiæ peccatum) sed complacentia alicuius excellentiæ, quæ suapte natura ipsi non conueniret, vt fusius docet Gabriel Vasques in 1. p. D. Thomæ disput. 235. c. 6.

Auctor libri de mirabilibus sacræ scripturæ N. 6.
l. 1. c. 2. in tom. 3. operum D. Augustini, illum angelum primum creaturarum Dei appellat,

& summum angelum, *qui in summo honoris sui ordine constitutus, immutationem ad excellentiorem statum non habuit, nisi per contemplationem sui creatoris confirmatus, & in statu permaneret vbi conditus fuit, & idcirco prolapsus iterum reuocari minimè potuit, qui de sublimissimo sui ordinis statu proruit.* Sic ipse, vbi nomen Ordinis, sicut & angeli generaliter sumit. Duos enim ordines constituit creaturarum ratione vtentium, angelos scilicet & homines, quos de inferiore suo ordine mox cecidisse tradit.

In causis tamen liberis hoc axioma fortasse non valet, ex Euangelio enim constat plures homines perire quàm saluos fieri Matth. 7.13. Luc. 13.23.

De pœna Angelorum rebellium.

Cap. X.

Num. I. *Pœna culpam angelicam statim excepit.*

CVM primum Angeli à Creatore suo superbientes defecerunt, statim secuta est sua pœna nocentes. *Nihil ille fecit*, inquit Bernardus, *nihil operatus est, tantùm cogitauit superbiam, & in momento, in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus est*; vtique irreparabiliter, quia quod hominibus mors est, hoc angelis lapsus extitit. Post lapsum enim præclusa iam est illis omnis resipiscendi facultas, quemadmodum & hominibus, postquam ex hac vita migrarunt. Vt scribit S. Damascenus, & cum eo S. Thomas.

(Vide Vasq. in 1 p. disp. 118. c. 7. Serm. 1. de adu. — l. 2. c. 4. extrem. 1. p. q. 64. a. 2.)

II. *Eorum pœna in intellectu.*

MVLTIPLEX porrò pœna in Dæmonibus à Doctoribus agnoscitur, prima est in intellectu. Etsi enim cognitio naturalis in eis imminuta non est, quia dona naturalia in eis integra manserunt, vt auctor est S. Dionysius, supernaturalis tamen, quæ in speculatione consistit, diminuta est, non tamen penitus sublata, quia, vt ait Doctor Angelicus, de huiusmodi secretis diuinis tantum eis reuelatur, quantum opus est, vel mediantibus angelis, vel per aliqua temporalia diuinæ virtutis effecta. Practica verò, quæ ad bene operandum mouet, non remansit in Dæmonibus, pendet enim hæc ex rectitudine volũtatis, quæ in illis vitiata est. Huc pertinet illud Isidori. *Præuaricatores Angeli etiam scientia amissa, non tamen amiserunt viuacem creaturæ angelicæ sensum. Triplici enim modo præscientiæ acumine vigent, id est, subtilitate naturæ, experientia temporum, reuelatione superiorum potestatum.*

(c. 4. de diu. nom. p. 4. q. 64. a. 1. — l. 1. senten. c. 10.)

III. *Et in voluntate obstinatio in malo.*

ALTERA ergo Dæmonum pœna in voluntate consistit, quæ in peccato obfirmata est, ita vt neque reuera acturi sint vnquam pœnitentiam de peccato suo, neque omnino agere possint. In priore illa parte errabat Origenes, inepta atque inutili misericordia commotus, sibi persuadens fore, vt aliquando omnes Dæmones pœnitentiam agerent & saluarentur, vt refert sanctus Athanasius. Sanctus Hieronymus Epistola ad Auitum. Augustinus l. 21. de ciuit. vbi eum propterea, aliósque eodem pertinentes errores ab Ecclesia reprobatum esse dicit. Nec eum iuuat Regis Niniuæ, aut Nabuchodonosoris, qui fuerint figura Diaboli, pœnitentia; neque illud Psalmistæ, *Numquid in æternum proiiciet Deus, &c.* &, *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.* Illa enim allegorica sunt; & posteriora de viatoribus intelliguntur. Nam de damnatis immobilis est illa sententia. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocúmque loco ceciderit, ibi erit.* Et Isaiæ 66. fin. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et longè clarissimè. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius.* Qua de re & D. Gregorius, & D. Augustinus toto pene libro citato fusè disputarunt.

(l. de comm. essentia Patr. Fil. & SS. — in 2. & in 3. Ionæ c. 17. — Psal. 76. 8. — Psal. 102. 9. — Eccles. 11. 3. — Math. 25. — l. 34. Moral. c. 16.)

IV. *Et quæ eius causa.*

IN posteriore parte facilè omnes Catholici consentiunt, sed non facilè eius obstinationis, siue impotentiæ pœnitendi, & resumendi bonam voluntatem causam reddunt, in qua difficultate, ne longum faciam; existimo sententiam illam esse verissimam, quæ eam in substractionem diuinæ gratiæ refert, quam post primum peccatum. Deus secundum abyssum iudiciorum suorum eis abstulit; immutabili quippe decreto constituit nunquam eis gratiam ad resipiscendum necessariam concedere, sicut neque hominibus extra viam constitutis. Sicut propria causa cur oculus non videat rectè censeatur defectus spirituum visiuorum. Hanc causam planè expressisse videtur S. Fulgentius. *Bonæ quoque voluntatis & cogitationis initium non homini ex seipso nasci, sed diuinitus & præparari, & tribui, in eo*

S. Fulgent. — (l. de fide ad Pet. c. 3. (habetur in 5. D. Aug.))

Deus

Deus euidenter ostendit, quia neque Diabolus, neque aliquis angelorum eius, ex quo ruinæ illius merito in hanc inferiorẽ sunt detrusi caliginem, bonam potuit, aut poterit resumere voluntatem.
1. 1. sent c. 10. *Diabolus*, inquit Isidorus, *ideo iam non petet veniam, quia non compungitur ad pœnitentiam.* Isidorus.
Ope scilicet gratiæ Dei præuenientis, sine qua neque facere, neq; cogitare quidquam boni possumus. Gratiam porro sustulit, non solùm efficacem, sed etiam sufficientem, quæ reprobis in hac vita conceditur, quia cum ea simpliciter dici posset eos posse saluari; imò velle Deum eos saluos facere. Dat enim reprobis in hac
1. Tim. 2. 4. vita gratiam, ex voluntate generali, & antecedente dandi omnibus gloriam; *Vult enim omnes homines saluos fieri.* Sed subtiliora hæc relinquantur Scholis.

Hæc porro immortalis, & quæ in bonum inflecti non possit Dæmonum obstinatio, ad pœnam damni pertinet, quemadmodum etiam priuatio diuinæ visionis; quæ omnium consensu summa est Dæmonum, omniúmque damnatorũ pœna. Et rectè quidem. Si enim pœna, vel damnum aliquod hoc maius esse necesse est, quo maiore bono priuat; quo fit vt maius sit damnum sanitatis quã pecuniæ, si cætera sint paria, certè cùm citra omnem controuersiam Deus sit summum bonum, eius vtique priuatio summum erit malum; præsertim cum nullo fine terminari tantum malum, nulla ratione mitigari possit; & in eos cadat, qui ad tantũ bonum fruendum nati, maximis insuper gratiæ donis ad illud consequendũ instructi fuerant. Huius magnitudinem pœnæ non raro iidem ipsi Dæmones indicare visi sunt, quibus cùm in adiurationibus ecclesiasticis, quas Exorcismos vocant, cum amara exprobratione diceretur, O infelix! qui nunquam omnino visurus es faciem desiderabilem Domini Dei tui! horrendis enim tunc modis æstuabant, & supra quã credi potest affligi sese, per miserandos in corpore Energumeni motus,
Mat. 18. 10. apertissimè demõstrabãt. Et contra Christus Dominus de angelis custodibus, instar omnis dignitatis eorũ, ac fœlicitatis attulit, quod perpetuo viderẽt faciẽ Dei. — V. *Pœna damni in dæmonibus.*

Tertia est pœna doloris, quæ in Dæmonibus verissima est, & lõgè grauissima. VI.
2. Petr. 2. 4. Affirmat enim Petrus apostolus Deum *angelis peccantibus non pepercisse, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidisse cruciandos;* certè cruciatus sine dolore esse non *Pœna doloris, siue ignis in eisdem.*
c. 20. 9. potest. Rursus in Apocalypsi, dicitur Diabolus, *qui seducebat homines, missus in stagnum ignis & sulphuris, vbi & bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Quod si qui seducti sunt ea pœna digni sunt; haud dubiè Dæmones, qui
Cassian. collat. 8. c. 11. seduxerunt, non minore supplicio afficiuntur. Cùm autem dolor in animantibus duo habeat, passionem siue commotionem quandam corpoream sensibus inimicam; & renisum quendam voluntatis, malum cognitum, & coniunctum repudiãtis, ac propulsare satagentis; illud in Dæmonibus corpore carentibus locum non habet, hoc autem maximè. Cùm enim multa fieri velint, quæ non fiunt; multa nolint quæ fiunt, eos propterea tristitia & dolore affici necesse est; eóque maiore, quo superbiores sunt, quóque vehementiore impetu deprauatissima eorum voluntas in obiecta fertur.

Vasq. 1. p. disp. 242. cap. 3. Esse autẽ hanc perditissimorũ Dæmonum pœnam longè grauissimã, vel ex eo perspicuũ est, quod nullã secum veram delectationẽ patiatur, quæ dolorem, & sẽpiternũ eorum cruciatum aliquo modo leniat, ac mitiget. Sicut enim tanta potest esse delectatio ex obiecto aliquo, vt tristitiã omnẽ excludat, vt docet Aristoteles. — VII. *Et quanta ea sit.*
l. 7. Ethic. c. 14. Sic tantus posset esse animi dolor, & tristitia de aliquo malo, omnẽ vt delectationem, præsertim non vehementem exterminaret. Cùm ergo tristitia Dæmonũ de damnatione sua, pro magnitudine damni sit longè maxima, quæ verò lætitiam afferre possint modica sint, qualis est victoria, homine ad peccandũ inducto: & nihil boni reuera contineant, nisi sola cogitatione apprehensũ, dicendũ est nullã omnino dæmones capere delectationẽ, etiãsi id quod auidè desiderabant consequãtur.

In hoc immẽso dolore, ac latè patente tristitia, includitur lancinans illa cõsciẽ- VIII.
Marc 9. 44. tia, quæ vulgò Remorsus, & synteresis dicitur, quã Christus Dominus vermẽ immortalẽ tertiò nominat, qui est quasi stimulus infixus in corde, & in memoria, reũ perpetuo fodicans, & dolore tã intolerabili crucians, vt etiã in hac vita ad suspendiũ aliquos impellat, vt de Iuda Iscariote constat. Includitur sera pœnitẽtia de amissa beatitudine, quam tã facilè acquirere potuerunt. Nam dæmonibus quoque — *Quæ in ea includantur synteresis. Sera pœnitentia.*
Sap. 5. 3. conuenit illud Sapientis, *Pœnitentiã agentes, & præ angustia spiritus gementes*, quòd insensati tantã fœlicitatẽ vanissimo sõnio propriæ excellentiæ nõ antetulerint, quæ

nõ solùm euanuit, sed fructum insuper attulit incredibiliũ tormentorum. Quàm violentus sit huius pœnitentiæ morsus illi ostendunt, qui, vt se illo immunes reddant, confugiunt ad laqueum: vt quibusdam vsurariis vsuuenit, qui frumenta sua tempori non vendiderunt, cùm vident optimi frumenti copia superueniente, magnam annonæ vilitatem consecutam, & sua etiam corrumpi; nam rabie doloris huius efferati violentas sibi manus afferre solent[1]. 1. ℞.

Desperatio. Carcer. Perpetua cogitatio, ac detestatio malorũ suorum. Ignis excrucians.

IX. INCLVDITVR desperatio infinita de reparanda tanta iactura, aut finiendis vnquam tot ac tantis malis. Includitur carcer detestabilis, sordibus fœtens, tenebricosus, cum æterna amissione libertatis. Includitur compulsio intellectus ad actualem, ac perennem pœnarum, & miseriarum suarum considerationem: voluntas autem ad iugem, ac perpetem eorũdem horrorem, ac detestationem, vt auertere sese à tali cogitatione non possit; aut omnino cogitare aliquid, nisi infaustum, luctuosum, execrandum. Includitur postremo ignis ille corporeus, qui miris, sed veris modis Dæmones, animásque damnatorum alligatas excruciat; tanquam seuerissimũ diuinæ iustitiæ instrumentum; dicente Domino *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius.* Nam nisi peculiari modo cruciaret illos incendium, perinde foret præparatum illis aërem, aut aquam, aut solum carcerem. *Cur enim nõ dicamus,* ait Augustinus, *quamuis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi; si spiritus hominum etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari.* lib. 21. de ciuit. c. 10.

Seueritas diuina inflicta in præuaricatores angelos. Agnoscitur ex reorum dignitate, multitudine.

X. HARVM tantarum cogitatio pœnarum, terribilem diuinæ iustitiæ in præuaricatores angelos seueritatem vehementer exaggerat; & si rem ipsam diligenter inspicimus, omnia alia supplicia inflicta diuinitus vt antiquitate, ita magnitudine antecedit. Si enim iudicium humanum consulendum est, apparet in isto eorũ facinore concurrisse omnia, quæ principis animum vindictæ cupiditate flagrantem inflectere ad misericordiam, & mitigare possunt. Personæ dignitas veniam conciliare solet, vt Ionathæ paterni præcepti violatori. Angeli præstantissimis naturæ, gratiæque præsidiis nobilitati erant, adeo vt primum inter omnia creata locũ dignitatis obtinerent. Ignoscunt Principes delinquentiũ multitudini, seditionum capitibus excisis; aut certè multitudinem decimare solent, vt Maximianus Thebæorum legionem. Isdigerdes Persarum magos; & sæpè Romani imperatores, vt cõstat ex Suetonio in Octauio, in Caio, in Galba. Hic etsi erat innumerabilis reorum multitudo, æternæ tamen mortis sententia in ipsum defectionis authorẽ, & caput inflicta est, simúlque in reliquos omnes, qui eiusdem criminis societate tenebantur. 1. Reg. 14. 45. 2. Reg. 18. 16. Niceph. l. 14. c. 18. c. 14. c. 48. c. 12.

Prima culpa. Compensatione sperata. Damnorũ sequentium contemptu.

XI. PRIMIS culpis non immerito ignosci solet. Hæc prima culpa erat, & eorum apud quos nullum extabat vllius animaduersionis exemplũ, quo possent in officio contineri; nulla supplicij comminatio; qualis postea Adamo atque Euæ intentata est. Illis quoque principes non ægrè veniam largiũtur, à quibus deinceps plurima officiorum genera expectantur, quibus præterita culpa obruatur. Poterant Angeli diuinam gloriam & honorem in cœlo ac terra promouere, & in omnẽ æternitatẽ prædicare. Illis quoque veniã dare vel inuiti solent, in quos si animaduertere voluerint, necesse est, Reis in desperationem actis, ingentia quædam mala in omnẽ Rempubl. redundare. Non ignorabat præscius omniũ Deus hosce apostatas breui in mundum maxima peccata, & rerum omnium miserrimam confusionem inducturos, & indignissimam tyrannidem cùm Idololatria in totum orbem terrarum importaturos, cùm innumerabilium animarum ruina sempiterna; denique ipsi etiam Dei vnigenito, humano corpore circumtecto, mortem iniquissimam, ac longè crudelissimam allaturos. Et tamen æquum existimauit supremus ille princeps, nihil veritus hoc malorum ac miseriarum diluuium, in omnes illos apostatas fulmen æternæ maledictionis intorquere. *Ecquis poterit tonitruum magnitudinis huius intueri? quomodo columnæ cæli non contremiscant, & paueant ad nutum eius?* Scio vtique posse iustificari Deũ in sermonibus suis, & vincere cũ iudicatur; nec diffideremus id nos, etiam non æquissimis iudicibus, probare posse; sed id operis esset aliquanto longioris: satis nobis sit in præsentia dicere, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum;* vel cum Heli sacerdote magno, *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* Iob. 26. 14. 11. Psal. 50. Psal. 118. 1. Reg. 3. 18.

SCHOLIA IN CAP. X. APPARATVS.

Hæc eadem conueniunt infœlicibus damnatorum animabus; sed eis specialis est etiam dolor, ex dira societate scelestissimorum dæmonum; à quibus licet nullum omnino cruciatum paterentur, eis tamen ea necessitate alligari, vt ab eis separari non possint, longè atrocissimum est. Quod si visio vnius dæmonis in corpore aliquo terrifico sese exhibentis, dimouit aliquando de mente homines; longè erit hæc coniunctio intolerabilior; vt penè in delicijs numerari posse videatur immanis illa crudelitas illius tyranni, qui.

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,
Cōponens, manibúsque manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus) & sanie taboque fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.

Mezentius, vt canit Poëta magnus in 8. in Æn.

De productione primaria aquæ & terræ.

CAP. XI.

Num. I. *Tractationis ordo.*

IN explicanda creatione mundi eò deuenimus disputãdo, vt quo ordine singulæ eius partes productæ essent traderemus. Ab illis autem duximus initium, quæ ex nihilo per creationem pressè sumptam productæ sunt, cœlo Empyreo, terra, & aqua: vt supra exposuimus. Cùm ergo de cœlo Empyreo, eadémque opera de Angelis, qui in eo creati sunt, pro argumenti nostri necessitate dixerimus, consequens est vt de Terra, & Aqua dicamus.

c. 6. n. 1.

Gen. 1.

II. *Terra & aqua ex nihilo producta, antiquis Chaos.*

TERRAM autem & aquam ex nihilo producta, ex hoc quoque loco Geneseos agnoscimus, & ex sequentibus infertur; nullam quippe aliam productionis eorum mentionem Scriptura facit. Idque antiquorum mentibus impressum fuit, qui cùm chaos omnium rerum antiquissimum facerent, quippe

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cælum,

πρῶτον appellarent, ἀρχαῖον, πρώτιστον, πρεσβύτατον; nomine Chaos terram & aquam permixta intelligebant. Quas Trismegistus vocat, modo naturam quandã humentem inexplicabiliter turbatam, modo terram & aquam inter se commixta. Orpheus ἰλὺν, id est limum, ἀμάχαρτον ἀίδηλον, magnam, aut non inuidendam necessitatem. Hebræi Aphar, id est limum, terram scilicet cum aqua confusam. Huc creditur respexisse Homerus, cùm inducit imprecantes, vt hostes in terram & aquam reuertantur. Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ, καὶ γαῖα γένοισθε.

Sed vos in terram cuncti redeatis & vndam.

Δι' ὑπερβάλλουσαν ὀργὴν, εἰς ἀρχαίαν φύσιν αὐτοὺς ἐκ γῆς ἀναλύων, inquit Iustinus, *Per vehementem iram in antiquam naturam ipsos ex terra resoluens.*

in pœmandro.

עפר

Notauit Eugub. in peren. philos l. c.

Ouid. l. 1. Metam.

III. *An etiam omnium elementorũ confusio, & materia informis.*

ALII nomine Chaos intellexerũt omnium elementorum confusionem, sed ita vt

--- Nulli sua forma maneret,
Obstarétque alijs aliud, quia corpore in vno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Denique *--- rudis indigestáque moles,*
Nec quidquam nisi pondus iners, congestáque eodem
Non bene iunctarum discordia semina rerum.

Quæ sumpsit hic Poëta ex Trismegisto, qui in ἱερῷ λόγῳ ait omnia (δυνάμει) virtute fuisse in Chao indirempta, & incomposita; mox autẽ separata fuisse, leuia in altum euolasse, grauia in imo, in arena humida subsedisse. A qua sententia non videtur fuisse alienus Gregorius Nyssenus, & Nazianzenus, qui congeriem, & confusionem memorat. D. Augustinus. *Prima*, inquit, *materia facta est confusa & informis, vnde omnia fierent, quæ distincta atque formata sunt, quod credo à Græcis Chaos appellari. Sic enim & alio loco credimus dictum in laudibus Dei, Qui fecisti mundum de materia informi, quod aliqui codices habent, de materia inuisa.* Alludit August. ad illud Sapientis. *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa*, in Græco est, ἐξ ἀμόρφου ὕλης, *immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces Leones, &c.* Et capite 7. respiciens fortasse ad illud δυνάμει Trismegisti, subdit. *Informis ergo illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata est primo cælum & terra, & dictum est, In principio creauit Deus cælum & terram, non quia iam hoc erat, sed quia hoc esse poterat.* Sic ipse, Qui post multam hac de re varijs in locis

l in hexa. v S. orat. 43 l. 1 de genesi cōtra Manich.

Sap. 11. 18.

Sept. Rom. edit.

l. 12 confess. c. 29.

disputationem, ait Deum fecisse mundum ex informi materia, non prius tempore, sed natura; sicut sonus cantum antecedit. Eandem materiam informem, pleríque alij Augustino posteriores adamarunt, vt Euchetius, Hugo de S. Victore, Abulensis, Magister sent. Marsilius, Gabriel, Catarinus, Lyranus, quos refert Ludouicus Molina in opere sex dierum. Quibus adde Torniellum.

IV. *Deum non creasse informem materiam. ex Basilio.*

SED ea sententia nunc ab omnibus deseritur atque improbatur. Imo iam olim D. Basilius illam damnauit. *Sed veritatis*, inquit, *deprauatores, non suam mentem accommodantes scripturæ, sed ad suam voluntatem mentem Scripturarum trahentes, ac peruertentes, materiam, hisce verbis innui dicunt. hac est enim inuisibilis, inquiunt, & inornata suapte natura, quippe cum omni prorsus qualitate careat, & ab omni forma ac figura separata sit.* (disput. 4. In mundi primord. n. 22. Hom. 2. in hexa.) Verùm ipse terram, quæ à Septuaginta dicitur inuisibilis & incomposita; vocatam dicit inuisibilem, siue quia nondum erat creatus qui eam spectaret, siue quia in imo abyssi fundo demersa erat, siue quia nondum lux producta fuerat, sine qua videri nihil potest. Incompositam vero siue inornatam, quia carebat adhuc plantarum ornamentis.

Exponuntur loca Scripturæ.

Eodémque modo Sapiens materiam inuisam siue informem, (Sap 11.18.) vocat terram & aquam, omni specie & ornatu destitutam, neque oculis, vt nunc, aspectabilem, terram quidem aquis obrutam, aquam verò luce carentem. Hinc & (Heb. 11. 3.) Apostolus ait *aptata secula, vt ex inuisibilibus visibilia fierent*. Id est hasce mundi res quas cernimus ex aqua & terra productas fuisse, cùm prius in tenebris iacerent. Denique illa sententia ex eo improbatur, quod violenta interpretatione cœlum, terram, abyssum, & aquas, ad informem materiam significandam trahit, cùm his verbis nihil minus aut Iudæi, quos alloquebatur Moses, intelligerent, aut nos ipsi intelligamus, nisi iam hac opinione occupati, ac deprauati. Præterquam quod productionem aquæ & terræ, à Deo ex ista materia factam, proferre non potest.

V. *ex Tertulliano, & aliis.*

EA igitur expositione Scripturæ, & informitate materiæ repudiata, communem amplectamur, quàm S. Basilius amplexus est, & ante eum Tertullianus, qui instar multorum esse possit. Is enim in libro aduersus Hermogenem, eum copiosè refutat, asserentem ex informi materia factum esse mundum, eámque materiam terræ inuisibilis & incompositæ nomine intelligi, ex qua hæc terra nostra facta sit. *Nobis autem*, inquit, *vnus est Deus, & vna terra est, quam in principio Deus fecit, cuius ordinē incipiens Scriptura decurrere, primo factam eam edicit, dehinc qualitatem ipsius edisserit; sicut & cœlum primo factum professa, in principio fecit Deus cœlum, dehinc dispositionem eius superinduit.* Et infra. *Postea ergo quam facta est, futura etiam perfecta, interim erat inuisibilis & rudis. Rudis quidem hoc quoque ipso quod inuisibilis, vt nec visui perfecta, simul & vt de reliquo nondum instructa; inuisibilis verò vt adhuc aquis, tanquam munimento genitalis humoris obducta. Qua forma etiam affinis eius caro nostra producitur*; obuoluta videlicet secundinis, quæ vocantur.

D. Ambr. D. Damasc.

Eadem de terra propriè sumpta est S. Ambrosij sententia, D. quippe Basilium (l. 1. hexa. c. 6 & 7.) passim sequitur, eadem S. Damasceni. *Terra*, inquit, *vnum est ex quatuor elementis,* (l. 2. de fide c. 10.) *siccitate, frigiditate, grauitate præditum, motúsque expers, primo die ex nihilo in ortum à Deo productum. In principio enim, inquit Scriptura, fecit Deus cœlum & terram.* Et capite quin- (c. 5.) to nominatim negat hæc ex antecedente materia fuisse producta. Eandem frequens recentiorum Doctorum Schola confirmat, Caietani, Pererij, Molinæ, Ab Oleastro, Ascanij Martinengæ, Emanuelis Sà[1]. (1. ✠.)

VI. *Terra propriè dicta à Deo creata.*

MANEAT ergo terræ nomine intelligēdum esse quartum hoc elementū quod calcamus. Quod Deus quasi mundi centrum totūdum planè ac solidū, ex nihilo, sicut & cœlū condidit; ab eoque immenso quodam spatio, & vndiq; æquali discreuit: quod spatium omne, aquis pariter ex nihilo productis simul impleuit, vt terra vndequáque obruta planè delitesceret, donec iubente Deo, semotis hinc & inde aquis, emergeret. At si solida, inquies, quomodo inanis dicitur & vacua. Respon- (disput. 5. in op. 6. dierum.) debit Molina, Quia carebat à principio tam fine remoto quàm proximo, ad quē in se habendum, & procreandū erat condita: nempe hominibus & cæteris animātibus à quibus habitaretur, plantis à quibus conuestita nitesceret, mineralibus, & cæteris mixtis, quibus terræ viscera farcirentur. Eadē sensit & Caiet[2]. Delrio, alij. (2. ✠. in 1. Gen.)

VII. *Creatio aquarum.*

QVOD ad creationem aquarum attinet, etsi ea cum terra pūcto temporis producta diuinitus intelligenda est, ne quis fortè æternam abyssum aquarum fateri cogatur, cùm eius nulla productio referatur: quærit Theodoretus cur Moyses

non docuerit nos Deum creasse aquas; Et respondens, *Cùm dixerit*, inquit, *terra autem erat inuisibilis, & incomposita, & tenebræ erant super abyssum, demonstrauit cum terra creatas esse simul aquas*. Idque confirmat ex scripturis, in quibus dicitur Deus creasse cœlum, & terrã, & mare, & omnia quæ in eis sunt. Verùm quia hæc omnia quæ in eis sunt, non producta sunt à Deo creatione pressè sumpta, placet accipere illud Apocalypseos, *Adorate eum qui fecit cælum, & terram, mare & fontes aquarum*. D. autem Basilius ait non memorari à Moyse creationem aquæ, exercendæ solertiæ gratia; indicatam tamen cùm dictum est, terram fuisse inuisibilem, cogitandum enim reliquisse non opertam fuisse igne, qui solet potius illustrare, neque aëre, qui totus est pellucidus, & transparens; sed aqua, quæ terrarum superficiem inundabat, ante quam in suum segregaretur locum. Itaque eleganter Propheta regius. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, nõ inclinabitur in sæculũ & sæculi*; tota scilicet terræ moles; *Abyssus sicut vestimentum amictus eius*, quia scilicet eã tum circunquáq; cooperiret, & quasi vestiret, nusquam vt videri posset, aut apparere, vt mox ex Basilio dicemus.

[Margin: q. 5. in Gen. — Exodi 20. 11. — Psal 145. & 147. — hom. 2. — Ps. 103. 5.]

VIII. *Abyssus quid.*

NOMEN porrò Abyssi immensam quandam aquarum voraginem significat, vtpote fundo carentem, vt vocis notatio exigit, quanquam id non sine hyperbole accipiendum est, ne quis intra cœli ambitum aliquam loci infinitatem admittat. Rectè itaque Basilius. *Erat inuisibilis terra, quam ob causam quæso? quia circumfusa vndique erat abysso. Quid abyssus significat? copiosam aquam ad cuius fundum haud facilè penetrari poterit deorsum versus. At complura corpora per tenuem, & transparentẽ aquam scimus non raro videri. Quamobrem igitur pars terræ nulla tũc per aquas visendam se offerebat. quia eatenus lumine carebat aër, obtenebratúsque adhuc erat, qui totam ambibat aquæ naturam.* Sic S. Basilius, cui plerique patres consentiunt, vt seorsim dicimus[1]. Verùm de aëris creatione nondum quidquam dictum est; qui mox educendus ex aquis fuit, sicut vapores, & venti, & nubes, & pisces, & volucres; ne sit opus eum ex nihilo productum existimare, cui ne locum quidem vllum sub cœlo empyreo abyssus relinquebat. Quin etiam ignis, cœlestésque orbes eundem ortum habuisse videntur, vt suo loco postea dicetur; sicut & de abysso iterum in diluuio dicendum erit.

[Margin: hom. 2. — 1. X. — *Aer vnde.*]

IX. *Cur aqua creata in materiam aëris, cælorum, &c.*

QVOD si quis quærat, cur in horum omnium productionem Deus aquas elegerit potius, quàm quoduis aliud corpus simplex. Respondeo cum Molina, non debuisse in primis producere aliquod cœleste corpus, ex quo mox reliqua simplicia corpora produceret; quoniam id corpus, ex quo alia producẽda sunt, interitui obnoxium esse debet, quod cœlo non conuenit. Inter quatuor autem elementa aptissima fuit aqua; tum quia si ad densitatem, perspicuitatem, colorẽ, quem dum illuminatur oculis nostris exhibet, attendamus, inueniemus nullum ad cœlestium corporum naturam magis accedere, quæ erant potissima & maxima corpora, quæ ex aquis erant producenda: tum vel maximè quoniam cùm aër & ignis essent corpora multo rariora quàm sint cœli, præsertim Sol & alij planetæ, astráque reliqua, quæ admodum densa sunt, & magnitudine vel totum ipsum terræ globum plerá que facilè vincunt, cùm rariora inquam sint, si interuallum totum inter cœlum empyreum & terrã, aëre vel igne repletum fuisset, indéque Deus orbes cœlestes produceret, noua materia creanda fuisset, eo quod aëris vel ignis materia iis efficiendis sufficere nullo modo poterat. Cùm autem ex altera parte terra multò densior quàm reliqua corpora, ea rarefacta vt inde cœli, ignis aër, aqua producerentur, multò amplior fuisset necessarius locus, aut magna terrenæ materiæ pars in nihilum redigenda erat. Quod vtrúmq; diuinam sapientiam omnium præsciam alicuius imprudentiæ redarguisset; quam constat omnia in pondere, numero, & mensura condidisse, sapienterq; prouidisse nihil vt deesset, aut redundaret.

[Margin: disput. 5. Thales ex aqua pro ducit omnia. vide schol. c. 2. apparat.]

X. *Eis indita vis, ad eundem effectum.*

AD eam porrò virtutem seminalem aquis impertiendam, vt fierent ad tam multas, diuersásque res producendas supra naturæ vires idoneæ, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.*

Deus super æquora vasta meabat Dum Chaos & nigra fuscabant cuncta tenebræ.

vt ait Tertullianus, in carmine in Genesim. *Pro eo quod in nostris codicibus scriptum est*, ait D. Hieroymus, *ferebatur, in hebræo habetur* מרחפת *merachepheth, quod nos appellare possumus, incubabat, siue confouebat, in similitudinem volucris oua calore animantis. Ex quo intelligimus non de spiritu mundi dici, vt nonnulli arbitrantur*[4], *sed de Spiritu sancto, qui & ipse viuificator omnium à principio dicitur.* Hæc Hieronymus. Quam expositionem ex Syro

[Margin: In tradit. hebr. in Genes. — 4. X.]

quodam referunt DD. Baſilius, & Ambroſius. Pro eadem ſententia, quę ſpiritum Domini hoc loco Spiritum ſanctum interpretatur, Martinengus ſex & triginta antiquorum patrum teſtimonia recitat. Hieronymo recentiores Rabbini, cum Lipomano, Eugubino, Martinengo, Vatablo, Sà, Del Rio facilè concinunt; etſi Theodoretus, Anaſtaſius, Procopius eam expoſitionem minus probent, malintque ſpiritum de vento interpretari, quem tamen vnde producant non video, aut cur primigenia luce faciant antiquiorem. Communiſſimam ergo ſententiam de Spiritu ſancto, vt veriſſimam amplectamur. Et iis pro inſtituta breuitate expoſitis, quæ ante initium dierum à Deo procreata ſunt, deinceps ad lucis & cæterarum rerum, quæ ſuo quæque tempore Dei iuſſu productæ ſunt, anno mundi primo, primíſque illius diebus aliquando progrediamur. hom. 2. in hexa. lib. 2. c. 8.

SCHOLIA IN CAP. XI. APPARATVS.

N. V. 1. NON deſunt tamen aliqui cum primis eruditi, qui terrę nomine, cũ primùm à Moſe nominatur, molem illam totam, cœlorũ orbes, omniáq; elementa continentem, intelligant; vt videlicet cœli & terrę nomine, omniũ rerum à Deo productarum cõpages contineatur, quæ deinde in partes ſuas diſtribuatur, & cœlum ſit empyreũ, terra autem cœleſtes orbes & 4. elementa contineat. Verùm minus commodè, opinor, ſua illis ceſſit inuentio, & habent, niſi valde fallor, repugnãtem Moſem; qui quam terrã intelligeret apertè mõſtrauit, cũ ſubdidit; *terra autẽ erat inanis & vacua*, quod terræ vocabulum ipſimet de quarto elemento adhuc priuato plantis intelligunt. Quis autem credat terram tam diuerſa ſignificatione vſurpari, in ſententia, cuius poſterior pars priorem interpretetur: Idem eſt enim dicere, *creauit cœlum & terram; terra autem erat inanis*, ac ſi diceret, creauit cœlum & terrã, quæ terra erat inanis.
Phil. 2. 8. Sic *factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*, non alia mors priore, quàm poſteriore
Pſal. 81. 1. loco intelligitur, ſic & apud Dauidem, *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat*, vtique Deos iudices vtrobiq; intellexit.
1. Cor. 10. 4. Sic *bibebant de conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus*. id eſt, quæ petra erat Chriſtus, nec relatiuum, niſi ſuum antecedens in eadem ſignificatione referre poteſt. Quis enim ferat dicentem, Adam genuit Abel & Cain, Cain quidem fuit improbus, Abel autẽ bonus, quis inquam ferat dicentem aliter Cainũ aut Abelem poſteriore loco accipienda eſſe quã priore? Si quis dicat, Salomon ædificauit domum ſaltus libani, & templum Domini, templum autem fuit magnificẽtiſſimum; num poſteriore loco nomine templi palatium intelligi poteſt, & non potius idem ipſum templum quod proximè nominatũ eſt. At quid ego hic diutius diſputo, cũ iampridem Tertullianus, ſi eius ſtare iudicio placet, rẽ apertè definuerit. l. aduerſ. hermog. c. 26. *Quãto credibilius*, inquit, *ſecundum nos* Catholicos ſcilicet *eius rei diſpoſitionem Scriptura ſubiunxit cuius inſtitutionem, ſimúlque nominationem præmiſit. Quam denique integer ſenſus eſt. In principio fecit Deus cœlum & terram; terra autem erat inuiſibilis & rudis. quam Deus ſcilicet fecit de qua ſcriptura cum maximè ediderat. Nam &* Autem *ipſum, velut fibula coniunctiuæ particulę, ad connexum narrationis appoſitũ eſt. Terra autem, hoc enim verbo reuertitur ad eam, de qua ſupra dixerat, & alligat ſenſum. Adeo aufer hinc, Autem, & ſoluta compago eſt, vt tunc poſſit de alia terra dictum videri. Terra erat inuiſibilis & rudis.* Hactenus Tertull. reprehẽdens in hęretico diuerſam terræ acceptionem in prædictis Moyſi verbis. Denique longè facilius eſt & opportunius accipere vtrobique terram pro quarto elemẽto: vt duo extrema prius memorata ſint, quaſi tectum & fundamentum huius vniuerſitatis: ſtatimq; addita ſit abyſſus aquarum, quæ mediũ occuparet locum, quæ tria duntaxat de nihilo creata ſint, ex terra vero & aqua, cætera.

Caietanus ait iis verbis perfectè deſcribi N. V. 2. terræ diſpoſitionem in qua fuit cùm condita eſt, Purum ſcilicet elementum, ideóque dici vacuam, omni ſcilicet ſemine vegetabilium, & omni vena mineralium; & extra, omni herba ac virgulto; quibus ſimillima habet Del Rio in Geneſim.

Idem habet D. Chryſ. & Theodoret. in pſal. N. VIII. 3. 103. Auguſt. in pſal. 41. Et contra Fauſtum Manichęum l. 22. c. 11. Theophilus, Iunilius, Procopius in Gen. Iſidorus l. 13. Etymol. c. 20. Damaſc. l. 2. de fid. orthod. c. 9. Rupert. l. 1. c. 7. in Gen. Guillelmus Pariſiẽſis De vniuerſo part. 1. c. 34. *Narratio autem prophetica*, inquit, *totum inſinuat fuiſſe aquam, à terra vſque ad cœlum Empyreum, & totum vocat Abyſſum, quæ eſt propria nominatio aquarum multarum, & in medio hoc aqua, quam præ multitudine ſua vocat Abyſſum, dicit factum fuiſſe cœlum, quod vocat firmamentum.* Hæc ipſe, quæ eſt planè noſtra ſententia, & Lodouici Molinæ, & aliorum, ad Moſis verba, & mentem, & ipſam rerum naturam accommodatiſſima, vt ſuo loco intelligetur.

Interpretes nonnullos ſignificat, qui huc N. X. 4. trahebant Platonicam de anima mundi opinionem, ex quorum ſenſu dixit Virgilius l. 6.

Principio cœlum ac terras, campóſque liquentes,
Lucentémque globum Lunæ, titaniáque aſtra
Spiritus intus alit, totámque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Vide Lact. l. 7. c. 3. & l. 1. c. 5. & M. Tul. 1. Tuſc. 66. & de nat. Deor. quę merito à peripateticis deridentur; quando de informante ſpiritu dicta videntur, verùm ſi loco *alit*, dixerit, agit, & Diuinam prouidentiam omnia per ſe, ſpiritúſque angelicos gubernantẽ intellexeris, & omnia immenſitate naturę ſuę permeantem, nihil deridendum dixeris. Nam Apoſtolo teſte, non ſolùm ex ipſo, & per ipſum, ſed etiam in ipſo Rom. 11. 36 ſunt omnia, & ipſe in omnibus rebus vide D. Th. 1. p. q. 8. quæ eſt de exiſtentia Dei in rebus.



ANNALES ECCLESIASTICI VETERIS TESTAMENTI.

MVNDI ET ADAMI ANNVS PRIMVS.

Ante Christi Domini ortum CIↃ CIↃCIↃ CIↃ. LII.

DIES PRIMVS.

EXPLICATA sunt hactenus, quę Deus Optimus Ma- Num. I. *Diuina Sapientia proditur in opere sex dierum,*
ximus, propter singularem bonitatem suam operatus
est, qua extra sese prodire quodammodo voluit, rebus
inuisibilibus, visibilibúsq; producendis. Quo in opere
ex nihilo puncto temporis creando, cùm immensam
quoque potestatem patefecisset; consequens etiam
fuit vt iisdem rebus certo dierum spatio digerendis,
atque ornandis parem sapientiam, cámque plane ad-
mirabilem demonstraret. *Ipse quippe est qui fecit terram*
Ierem. 10. 12. *in fortitudine sua, & præparauit orbem in sapientia sua, & pru-*
dentia sua extendit cælos. Ipse est, cui canit Propheta re-
Psal. 103. 24. gius, & quidem cum læta admiratione canit. *Quam*
magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti! Ipse est *qui effudit illam*, largè
Eccli. 1. 10. scilicet atque liberaliter, *super omnia opera sua:* quippe qui rebus omnibus à se pro-
ductis, siue sensum cognitionémque participent, siue sint eius expertes, finem
suum sapiētissimè constituit; tum iis naturalem appetitum, & propensionem inse-
uit, aliáque idonea adiumenta ad illum consequendum dedit. Qui vniuersis re-
bus creatis, non modò dedit vt essent, sed pro captu etiam, modóque suo, vt be-
nè, iucundéque essent: animalibus præsertim, de quibus dictum est, *Aperis tu ma-*
Psal. 144. 16. *num tuam, & imples omne animal benedictione.* Quam sanè benedictionem, quasi
quandam fœlicitatis particulam, non possumus sine singulari admiratione diuinę
sapientiæ, dulcissimæque bonitatis contemplari. Qui denique certo pondere, nu-
mero, & mensura ita digessit omnia, vt cum singula infinitam sapientiam prodant
ipsa per sese; vniuersa ex ordine mutuo, & connexione sua, qua vincta inter se, iu-
gatáque sunt, maiorem etiam, si fieri potest, sapientiæ lucem ostendant.

ET harum quidem rerum contemplatio vt iucundissima est, ita dignissima, in II.
qua mortalium omnium, in quorum gratiam creatæ sunt, desudet industria; vt in *Atque adeo primi diei, & prodi. Ho- neluc[illegible].*
beneficentissimi authoris cognitionem altius quotidie assurgant, & in eiusdem
amorem vehementius incalescant. Nobis tamen quibus alius ad excurrendum
campus aperitur, pauca hæc libasse sufficiat: Præsertim cùm communibus adhuc
tenebris circumfusi, in terra, atque ignorantiæ nostræ abysso, semisomnes & semi-
sepulti iaceamus. Sed audiamus Esaiam, audiamus & Paulum excitantem. *Sur-*
c. 60. 1. Ephes. 5. 14 *ge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Audiamus denique princi-

pem Prophetarum Mosem. *Dixítque Deus, fiat lux. & facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona, & diuisit lucem à tenebris, appellauítque lucem diem, & tenebras noctem; factúmque est vespere & mane dies vnus.* (Gen. 1. 3 4. 5.) Ecce aqua & terra, quæ iacebant in tenebris viderunt lucem magnam diuino iussu coruscantem, & non abyssum modo longè latéque permeantem, sed terræ quoque illustrantem superficiem. Lucem magnam, quam vera illa lux, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ex diaphano aquarum corpore productam; aut ex Empyreo cœlo quasi expressam & profusam, impetio ac nutu potentissimæ suæ voluntatis emisit in lucem. (*vnde nata lux.*) Nihil enim deinceps ex nihilo productum à Deo, quod sub aspectum cadat communi Doctorum constantique consensione firmatum est. Lucem magnam. conueniebat quippe magno Lumini opificium suum à lumine auspicari, vt ait Nazianzenus oratione 43. (Orat. 43. & Nicetas ibidem.) Et rursus in carmine de laude virginitatis.

Condita principio lux est, vt gratior esset
Tanta operis moles iucundo lumine fulgens.

Adde si placet ex 4. Esdræ, *Tunc dixisti proferri de thesauris tuis lumen luminosum, quo appareret opus tuum.* thesauros lucis dixit, vt Iob thesauros niuis & grandinis, & Dauid, & Ieremias thesauros ventorum, & Sapiens, & Paulus Apostolus Thesauros sapientiæ ac scientiæ Dei. (c. 6 v. 40. c. 38 22. Psal. 134. 7. Ierem. 10. 13. Sap. 7. 14 Eccli. 1. 26. 31 13. Coloss. 2. 3.)

III. *Quæ fuerit hæc lux ex Augustino.*

SED quæ tandem fuit ista lux? non ponam in variis Patrum, Doctorúmque sententiis recensendis, & expendendis operam longiorem. Tuebitur S. Augustinus [1] opinionē de bonis Angelis lucis nomine intelligendis, & Dęmonibus, quos Scriptura, tenebrarum à luce discretarum vocabulo appellet. (1. ☧.) Eam enim interpretationem non satis historicam plerique omnes agnoscunt, & fatentur: quam nec ipsemet author eius vt certam statuit, sed inquirendo dubitandóque proponit, ne videantur Angeli à Mose in mundi creatione enarranda prætermissi. Tuebitur & suam Gregorius Nyssenus [2] ratus ea luce intelligi ignem è confusa materia leuitate sua exilientem, ac splendore promicantem, illustrantémque quæ adhuc, euocante Deo, è sinu nihili, atque inanitatis emerserant. (*Gregor. Nysseno.* — 2. ☧. lib. hexa. vers. fi.) Cui adhæret S. Damasc. l. 2. de fid. orthod. (*Damasc.* — c. 7.) Propugnabit S. Dionysius Areopagita, & cùm eo S. Thomas φῶς ἀσχημάτιστον lucem solis informem, nec tamen à solari corpore profectam; (*Dionys. Areop. S. Thom.* — c. 4 de diui. nom. 1 p q. 67. a. 4. ad 2.) quippe qui quarto tantùm die conditus fuerit, & sedem cum cæteris astris acceperit in firmamento, nec potuerit lucere antequam esset; sed habuerit tamen substantiam Solis sibi subiectam, vt idem S. Doctor interpretatur, cum virtute illuminatrice in commune, cui mox specialis virtus data sit, & determinata ad particulares effectus. verùm de S. Dionysio iterum paulò pòst. Defendet Magister, aliique cum eo complures nubem lucidam, & quid ei denique factum sit, cùm creata sunt sydera, commiscentur. (*Magistro.*) qua de re consule D. Thomam. (Ibid.)

IV. *De luce probabilior sententia, creatum nudum accidens. ex D. Basilio.*

NOBIS ea potius probatur sententia, quæ ipsis Scripturæ sanctæ verbis in simplici, maximéque historico loquendi vsu acceptis maximè quadrat, vt lux quę primo die facta memoratur, vera lux sit, mera qualitas, verū accidens à Deo in aquis, & ex aquis cum successione productū, & in aquarum tractus successiuè diffusum. Ita sanè sensit D. Basilius. (hom. 2.) *Prima Dei vox*, inquit, *lucis naturam creauit, tenebras depulit, mundum illustrauit, & exhilarauit*, &c. Non ait corpus lucidum, aut luminosum, sed naturam lucis productam. Et quidem consultò, & propriè ita locutum ex alio eiusdem Basilij loco perspicuum est; (hom. 6.) vbi cùm ita interrogasset, Si lucis ortus Solem anticipauit, cur nunc Sol vt luceat super terram exortus dicitur, ita respondet. *Non aduersantur sanè hæc illis, quæ de luce sunt dicta. Tunc enim ipsa natura lucis producta est, nunc autem, hoc Solis corpus eo conditum est, vt illi primigenia luci vehiculum esset.* Et mox vt merum accidens lucis accipias, eam vocat purissimam, syncetam, & immaterialem, in aquarum tamen subiecto productam, cuius vehiculo postea luminaria extructa fuerint. Quin etiam paulò pòst apertius, & quasi quispiam è medio lycæo Philosophus. *Atqui incredibile nemini videatur, & à fide abhorrens quod dictum mihi est, aliud nimirum quiddam esse lucem ac splendorem; aliud item corpus subsidens luci, ac subiectum. Primum enim res omnes compositæ sic à nobis diuidi solent, in ipsam essentiam susceptricem, & in eam, quæ ipsi accidit, qualitatem. Vt igitur diuersa sunt hæc natura, albedo inquam, & corpus dealbatum, sic & ea quæ modo*

diximus, differunt quidem, vnita tamen sunt potentia creatoris. Itaque ne mihi dixeris fieri hac non posse vt lux à corpore Solis separetur. Neque enim ego lucis à Solis corpore separationem mihi aut tibi possibilem esse dico; sed asserendum esse censeo, qua mentis sola agitatione, cogitationéque disparari à se possunt, ea reipsa seiungi posse, facultate creatoris vtriusque naturæ. Hæc & plura in eandem sententiam D. Basilius. quæ eadem, planè arbitror multo ante sensisse ac scripsisse D. Areopagitam.

ex D. Dionysio.

L V X *enim ea est*, inquit, *etsi tum forma certi corporis carebat, quam diuinus ille Moses primos etiam illos tres dies nostros definisse, ac distinxisse commemorat*; vbi cùm lucem dicit ἀσχημάτιστον, formam vtique pro subiecto posuit, quomodo enim forma dicatur informis, aut materia immaterialis, probitas improba, aut ratio rationis expers? Itaque ἀσχημάτιστον idem pene est quod ἄϋλον, aut ἀνυπόστατον materia vel subiecto carens, si has ita placet vsurpare voces, cùm enim eo loco de Sole ageret, significare voluit eam lucem nondũ vlli corpori vt proprio subiecto ac suo adhęsisse [3]. Nisi fortè malis φῶς ἀσχημάτιστον esse, μηδὲν σχηματίζον, nullum corpus, proprium scilicet ac perpetuum informans. Verùm apertior est sententia Nazianzeni Gregorij, *Inferioribus*, inquit, *atque humanis primam huius luminis vim protulit, quo tenebras, vastámque illam rerum congeriem, ac confusionem omnia occupantem soluit, ac depulit. Nec verò id organicum à principio, nec, mea quidem sententia, solare protulit, verùm incorporeum, ac Solis expers.* Rectè Solis expers, non tamẽ omnis subiecti, ex aqua enim, & in aqua producebatur, vt dixi, pergit. *Sed postea ad orbem terrarum illustrandũ Soli traditum est.* Appatet Theologum de nudo lucis accidente loqui, vocaréque ἀσώματον, καὶ ἄϋλον, quòd D. Dionysius vocatat ἀσχημάτιστον, ita vt illud ὅ sit idem quod τό τ' ἐστι. Sed rem facit illustriorem dum subdit. *Nam cùm in alijs rebus hanc rationem tenuisset, vt materiam prius conderet, ac deinde eam forma conuestiret, ordine videlicet ac figura, magnitudinéque vnicuique rei impositis, hic vt maioris cuiusdam miraculi specimen ederet, formam materia priorem protulit; forma enim Solis lumen est, ac postea materiam induxit, Solem hunc nimirum diei oculum fabricatus.* Hæc Gregor. quæ Nicetas ibidem confirmat, in eóque miraculum & ipse agnoscit, accidentis sine subiecto suo subsistentis. Cúmque miracula non nisi diuinitùs fiant, meritò ea productio Deo immediatè tribuitur, ideóque fortasse dicitur ipsemet lucem à tenebris diuisisse. Basilium & Nazianzenum perspicuè imitatur, ac totidem penè verbis sequitur Procopius Gazeus in Genesim. Nec aliud voluit Theodoretus in quæst. in Genesim, dum ait lucem priùs à Deo seorsim creatam, postea in luminaria parua & magna pro arbitratu suo distributam. Addo è græcis Anastasium Sinaïtam. *Nam lux quidem*, inquit, *trium dierum præcedentium expansa, ac dispersa per totam vniuersitatem*, in aqua scilicet, tanquam in alieno atque aduentitio subiecto, *ostendit lucem increatæ Trinitatis quocumque peruenire, & nullum relinquere locum ea vacuum. Quando autem quarto die fabricatur orbis Solis, & lux illa, quæ est vbique præsens, in eo ponitur, hoc significat*, &c.

3. χ. orat. 43. quæ est in nouã Dominicam.

& Nazianzeno.

q. 14 & 16.

Procopio. Theodoreto. Anastasio.

VI. Et Latinis Patribus, quantáque ea fuerit.

cap. 29

L A T I N I quoque Patres in eadem fuere sententia, cùm audiamus Tertullianum aduersus Hermogenem dicentem, Deum non statim lumen splendore solis implesse; & tenebras non statim solatio lunæ temperasse. & D. Ambrosium liceat auscultare, qui vt hanc lucis à Sole separationem probabiliorem reddat, etiã quotidianam experientiam assumit, qua dies Solem antecedit, & sequitur. Et Augustinum ipsum, *Potest & hoc dici*, inquit, *auctum esse fulgorem diei Sole addito, vt per illam lucem minus fulgens dies, quàm nunc est, fuisse credatur.* Ex horum porrò Patrum sententia habetur, non solùm lucis accidens ante Solem fuisse creatum, móxque Soli traditum, sed illam lucem multò minorem solari fuisse, cùm eam D. Ambrosius crepusculis conferat, Tertullianus lumen illud splendore Solis impletum dicat, & S. Augustinus illam lucem appellet minùs fulgentem diem. Quibus libentiùs assentimur, quàm Theodoreto, qui exuberantem hanc lucem fuisse putat, adeò vt eius excessum animalium oculi non essent laturi, ideóque distributam in parua & magna luminaria, conuenientem oculis animalium splendorem reddidisse. Denique vt hunc concludamus locum Ecclesia Catholica, optima scripturarum interpres, solius lucis productionem hoc primo die, non illustris ac luminesi alicuius corporis inculcat, cum Dominico die, quo lucem creatam profitetur, ita canit:

l. 1. de Gen ad lit. c. 11.

Hexam. l. 1. c. 9.

q. 16. in Genes.

Lucis creator optime
Lucem dierum proferens
Primordiis lucis nouæ
Mundi parans originem.

VII. *Quis eius lucis fuerit motus.*

HVIVS porrò lucis motionem & cursum explicare difficile esse, declarat in- 14. de Gen. ad litt. c. 21. & 22.
genua D. Augustini confessio, qui fatetur se ignorare quomodo lux vel circuitu
suo, vel contractione, vel emissione; vices diurnas, nocturnásque peregerit. Be-
da, cuius verba reperias Lipomanum in Catena, Iunilij nomine retulisse, in Hexa-
emer. in ea verba Mosis, *vt sint in signa*, totum putat triduum indiscreto sui cur-
sus processu transiuisse; & tamen subdit id factum, lumine primario generaliter
omnia replente; cùm tamen sine vicissitudine lucis & tenebrarum vespere & ma-
ne non fuerit. Hugo Carensis in Genes. ait eam lucem ad modum Solis circum- hom. 2.
agitatam, superius & inferius hemisphærium illuminasse. Nec repugnat S. Basi-
lius, cùm ait lucem hanc omnes mundi partes tam aquilonares, atque austra-
les, quàm ipsum ortum atque occasum momento temporis illuminasse. Idem
enim de illa luce, quòd de Sole cum philosophis omnibus sentit. Licet enim Sol
puncto temporis hemisphærium vnum illustret, ad motum tamen cœli, alias at-
que alias paulatim partes versus occasum illuminat. Peruasisse autem eam lucem
vsque ad cœlum empyreum illud etiam persuadet, quod tenebræ totum id spa-
tium ante compleuerant, quas lux diuinitus subinducta repulit, atque discussit.
Verùm de huius lucis motione distinctiùs aliquid dicendum videtur.

VIII. *Quomodo triduum ab hac luce confectum fuerit.*

QVONIAM ergo huius, lucis procursus à Scriptura dicitur Dies, sicut & re-
liqui, quos postea Sol opifex dictum produxit, etiam consentaneum est eam lu-
cem ab aliquo puncto orientis exortam, ad meridiem inflexisse cursum, & itinere
versus aquilonem reflexo in occasu occidisse, vt mox ad ortum reuerteretur, vt
de Sole scripsit Salomon. At quoniam vbique successiua motione luminosi cor- Ecclesi. 1. 6.
poris Ortus & Meridies, Occasus & Media nox contingit, necessarium est, nisi
vanam & irritam velimus esse quæstionem, vnum aliquem designari locum, cuius
respectu omnes istæ positiones differant, vt copiosè disputat Molina in opere sex disp. 7.
dierum, & Abulensis in hunc locum, existimántque regionem illam esse Palæsti-
nam, siue Chananitidem; siue quia Moses Iudæos alloquebatur, eósque in Palæ- 1.
stinam ducebat, siue quia Deus eam elegerat in sedem ac domicilium tot amico- 2.
rum suorum, Patriarcharum, atque Prophetarum, totiúsque populi sui, qui vnus
tum conficiebat Ecclesiam Dei. Siue quia ibidem Verbum suum carnem sume- 3.
re, ibi viuere ac mori, ibi tot mirabilia opera per se suósque edere, ibi denique
prima Ecclesiæ Catholicæ fundamenta iacere decreuerat. D. August. significat
habitam videri rationem illius terræ in qua facturus erat hominem.

IX. *Primus dies mundi qualis, & quantus.*

EO ergo fundamento posito, quidam existimarunt à puncto meridiei lucem 1. de Gen. ad lit. c. 10. in fine.
diffundi cœptam. Alij probabilius ab Oriente, in quibus Tostatus & Molina, sic
vt lucem Deus produxerit duodecim horis à creatione cœli & terræ, & mox to-
tidem horis noua lux hoc nostrum hemisphæriũ emensa sit; atque ita factus fue- Aegid. & Coroel. loco cit.
rit dies primus naturalis, cuius priorem partem tenebræ, posteriorem lux occupa-
rit, vna sub quiete, altera sub motu fuerit: prior tempore imaginario, posterior
autem vero mensurata sit. Atque ita ad literam, & nulla vi facta vocabulorum
significationibus, verum esse demonstretur, quod ait Moses, *Factúmque est ve-
spere & mane dies vnus.* Idque confirmat Hebræorum consuetudo dies suos à
vespera inchoantium, & in eadem terminantium. *A vespera*, inquit Dominus, *vs-* Leuit. 23. 32.
que ad vesperam celebratis Sabbatha vestra. Quòd si hi termini vnius diei fuerũt, opor-
tet etiam reliquos eisdem terminis fuisse definitos, ne magna in eis confusio orie-
tur. Eam verò consuetudinem ab ipso mundi exordio originem habuisse satis cõ-
stare videtur ex quo sex illi dies omnium notissimi atque clarissimi, à vespere ex-
orti, ad alteram vesperam producti sunt. Nec sanè illis interpretibus acquiesco [4], 4. ※
qui hunc diem naturalem, parum consentaneè Prophetæ verbis, à luce inchoant,

X. *Inchoatus à vespere, & quo ceteri propria.*

perinde ac si dixisset Moses, factum est mane & vespere dies vnus; & non vice ver- N. XVI.
sa. Sed hac de re iterum in secundo die.

POST illud ergo Sabbathum infinitum, ab omni retrò æternitate à sanctissi-
ma, beatissimáque Trinitate celebratum, factus est primus hic naturalis mundi

dies; cuius veſpertinum initium habuit productionem rerum, ex nihilo puncto temporis creatarum; cœli nimirum empyrei, cum angelis ſuis; terreni globi, cum immenſitate aquarum; in quarum imo ſepultum, atque obrutum deliteſcebat. Id uiſtans excepit tenebroſum ſub cœlo ſilentium, & creatarum rerum quies, quæ dimidiati diei naturalis durationi reſponderet. Tum iuſſu præpotentis Dei emicante ſuper aquas lumine in oriente, eius lucis ad occaſum vſque progreſſione ſuper aquas terminatus eſt primus dies: & deinceps ſecundæ diei à veſpera initium dari cœpit. Nec abſurdum eſt primum hunc diem, atque initium temporũ, proprium habere aliquid & ſuum. Nam neque cæterarum rerum prima productio ordinariis deinceps productionibus omnino reſpondet. Aues enim non producuntur ex aquis, neque è terra beſtiæ; neque in ſtatu perfecto, aut animalia, aut plantæ vllæ naſcuntur. Et quòd ad hunc ipſum, de quo agimus, diem, non à Sole vt cæteri, ſed à luce mirabili motione, ac celeritate ſuper faciem abyſſi circumuecta, factus eſt. Qui ergo dimidiam partem primi diei ſine motu eſſe criminabitur, eo quòd cæteri omnes dies naturales vtraque ſua parte tempore menſurentur; videat quid reſpondeat de tribus hiſce primus diebus, qui Solem vt reliqui, parentem non norunt. Neque enim minus credibile eſt quietam illam durationem, partem primi diei emetiri, quàm lucem ſine Sole totos tres dies confeciſſe. 4. Eſdræ 6. 19.

XI. *Primus dies cur dicatur vnus.* Cæterum cùm hic diem vnum pro primo, hebraico more vſurpari omnes æquè conſentiant; & id plurimis Scripturæ locis perſpicuum ſit [5], mirum videri poteſt Philonem de mundi opificio diſputantem, & Ioſephum in reddenda ratione vocis eius, ad myſterium neſcio quod potius, quàm ad linguæ ſuæ proprietatem & idiotiſmum, ſi eam rectè tenebant, confugere [6]. In cuius, vt apparet, ignoratione, multa ſine dubio plerique ſancti Patres circa illam vnitatem, primique huius diei commendarionem eleganter philoſophati ſunt; Baſilius in primis, & qui eum paſſim in opere ſex dierum ſecutus eſt S. Ambroſius, & S. Gregorius Nyſſenus; ex quibus illud ex S. Baſilio retuliſſe ſufficiat. *Quam*, inquit, *ob cauſam non dixit primum diem, ſed vnum? vbi magis conueniebat allaturum ordine ſecundum diem, & tertium, atque quartum, eum qui omnes antecibat primum appellare diem, non vnum. Sed vnum dixit, an vt diei, noctiſque ſpatium definiret, ac tempus vtriuſque, nempe diei ac noctis coniungeret, ita vt ex viginti quatuor horis vnius diei ſpatium compleretur.* Ne ſcilicet primum diem mancum, & cæteris deinceps diebus imparem putaremus. Cui ſanè paritari nihil obeſt illud, quòd iam diximus, rerum recens creatarum obſcurũ duodecim horarum ſilentium, & quies, quæ pro priori parte huius diei computatur; res enim ſiue in motu, ſiue in quiete ſuam æquè durationem habẽt, & propriæ moram exiſtentiæ. Sed pergit aliquanto poſt Baſilius. *An quia cæli ab eodem ſigno ad idem reuolutio, vno die peragitur?* Addit deinde fusè id factum vt ſimilitudo ſæculi in ſeipſum recurrentis exhiberetur. Vnde concludit; 5. ✠. Philo & Ioſephus. 6. ✠. homil. 2.

XII. *Quies Dominicus.* QVÆ *cùm ita ſint, vt ad futuram illam vitam, ſtatúmque illum futurum Moſes noſtram mentem erigat, atque deducat, vnum illum appellauit diem, qui ſæculi ipſius imago, qui dierum primitiæ, qui luci coëtaneus eſt, ipſum inquam ſanctum Dominicum diem, quem reſurrectio Domini honore præcipuo affecit.* Sic Baſilius; ex quo illud mutuata videtur Eccleſia, quæ Dominico die plurimum canit,

Primo dierum omnium
Quo mundus extat conditus,
Vel quo reſurgens conditor
Nos morte victa liberat.

Et ſanè cùm ſeptimus ab eo fuerit ſabbathi dies, in quo requieuit Dominus, ab omni opere quod patrarat, neceſſe eſt primum fuiſſe illum diem, quem Ethnici diem Solis, Chriſtiani ab ipſis Apoſtolorum temporibus appellamus Dominicũ; qui cum aliis multis nominibus, tum maximè mundi creatione, & per Chriſti Domini reſurrectionem reſtauratione nobilitatur. Plurima alia ſancti huius diei priuilegia congeſta reperies apud Pererium noſtrum in hunc locum. Nos ad ſecundum mundi diem gradum facimus. Apoc. 1. 10.

SCHOLIA IN PRIMVM MVNDI DIEM.

N. III. 1. SANCTVS Augustinus plurimis in locis eam tradidit l. 11. de Ciuit. c. 7. & de Genes. imperfect. c. 5. & de Genes. ad lit. lib. 1. à cap. 10. ad 20. & lib. 4. à cap. 21. ad 28. & contra Faustum Manich. lib. 12. cap. 10. & alibi, quam etiam non pauci deinceps graues scriptores secuti sunt, vt videre est apud Ascanium Martinengum tom. 1. glossæ magnæ, p. 420.

Ibid. 2. Nysseni verba non pigebit adscribere. *Nam cum vno*, inquit, *diuinæ voluntatis motu nuper indistincta rerum vniuersitas simul extitisset, omniáque elementa inter se concreta permixtáque essent, ignis qui vbique disseminatus erat, obscurus iacebat, materiæque impotentia supprimebatur. Verùm quoniam vis eius velox, atque agilis est; simuláque rerum naturæ ad mundi constitutionem à Deo motus principium, atque incitatio adhibita est, antè illa omnia, quæ grauiora sunt exsilrens, lumine cuncta statim illustrauit.* Et paulò infra: *Sic igitur & tunc anteuertit, & celeritate mobilitatéque sua vis illuminandi à rerum vniuersitate* Chao *secessit, séque ipsam ab aliis naturis seiunxit, atque ita splendida illius potentia illustratus est orbis. Qua autem ratione hæc effecerit ignis natura, solius Dei est explicare*, &c. Videtur vtique D. Gregorius plurimos antiquorum Philosophorũ & Poëtarum secutus, qui Chaos & rerum confusionem in mundi initiis induxerunt, quàm plerique etiam Christiani amplexi sunt, propter illud, Terra autem erat inanis & vacua, siue inuisibilis & incomposita: quòd tamen illi opinioni non fauet, vt patet ex iis quæ suprà in eum locum diximus. Deteriùs etiam philosophabantur hæretici Hermogeniani apud Tertullianum in libro aduersus Hermogenem, qui Chaos istud siue materiam confusam Deo coæuam mentiebantur. Vide Eugubin. lib. 7. de perenni philosophia cap. 9. & 10. ne tamen vel ipsum, vel Trismegistum audias, primæuam hanc lucem cum Sole confundentem. Ignem porrò emicantem ex rerum cõfusione cecinit etiam Ouid. lib. 1. Metamorphos. vbi igneum facit cœlum.

Ignea conuexi vis, & sine pondere cœli
Emicuit, primáque locum sibi legit in arce.

N. V. 3. Verba D. Dionysij, si quis ea requirat, hæc sunt. Αὐτὸ γὰρ ἐστὶ τὸ φῶς, ὃ καὶ τότε ἀσχημάτιστον ἦν, ὡς ὁ θεῖος ἔφη Μωσῆς, καὶ αὐτὴν ἐκείνην ὁρίσαν τὴν πρώτην τῶν καθ' ἡμᾶς ἡμερῶν τριάδα. Vult vtique tunc lucem fuisse accidens separatum, quòd non esset forma vllius corporis, itaque intellexit noster Lanselius, explicauitque in suis in Dionysium notis. *Diffusa erat*, inquit, *lux nullum determinatum corpus, tanquam propriam materiam informans.* Itaque vertit, etiamsi tum forma certi corporis carebat; aut si mauis, forma certi corporis non erat. Non enim forma propriè forma caret, cùm sit ipsa forma, & formam dat corpori, non ab ipso sumit, vt forma certi corporis carere dici debeat. Et fortassè B. Dionysius vocem ἀσχημάτιστον vsurpauit defectu vocabuli quod significaret subiecto carens. Nam neque ἄϋλον satis commodè id significat, sed potiùs quòd materia caret, sicut res spirituales; & ἀνυπόστατον est quòd non subsistit, non autem per se subsistens: ἀνυποκείμενον quoque est quod non subiicitur, non autem subiecto carens. Sed de his satis. N. 83.

In his Marius Victor, libro primo in Genes. habetur liber tomo 8. Bibliothecæ Patrum, de primæ enim lucis exortu sic ait, N. IX. 4.

---cùm lux immissa supernè.
Emicuit dicente Deo, discretáque nigrum
Vmbra peplũ retrahens summo discessit Olympo.
Tum diuina diem appellans prudentia lucem
Indidit, & tenebris obscuræ nomina noctis.
Sic facta vna dies de mane ac vespere primo.

Necessitas carminis coëgit Poetam ordinem Mosis inuertere, & simul à veritate discedere, quòd alij etiam sponte fecerunt.

Multa suggeret loca Emanuel Sa, in Scripturæ phrasibus. Nam præter hunc locum affert Psal. 105. 13. Ezechiel. 29. 17. & 31. 1. & 45. 18. Daniel. 9. 2. Aggæi 1. 1. Marci 16. 1. Lucæ 24. 1. Ioan. 20. 1. Actor. 20. 7. 1. Corinth. 16. 2. Apoc. 6. 1. adde Genes. 2. 11. & 38. 18. passim etiam vnus pro priore sumitur Genes. 4. 19. & 32. 8. Exod. 1. 15. N. XI. 5.

Ne mirere mi lector, spero me id, præsertim de Iosepho in præfatione secundi tomi cumulatè probaturum, sed in hoc etiam tomo id obiter probatũ reperies aliquot locis, quos Index ostendet. N. XI. 6.

Dies mundi Secundus.

Num. I. *Creatio firmamenti, orbiúmque cœlestium.* OPVS huius secundi diei à Mose circumscribitur his verbis. *Dixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab iis, quæ erant super firmamentum, & factum est ita: vocauitque Deus firmamentum cælum, & factum est vespere & mane dies secundus.* Genes. 1.

In exiguo verborum tractu, non exigua excitatur difficultas de cœlo hac

die

die producto, ab iis qui veras aquas supra cœlos positas non ferunt; ideóque ad
violentas interpretationes deuoluuntur. Nam Moses rem planissimè explicarat,
Deum iussisse in medio aquarum, siue in media abysso, quæ à cœlo empyreo ad
terram vsque protendebatur, expandi solidum corpus, quod firmamentum, &
cœlum appellatum sit: cuius officium est non solùm diuidere superiores aquas,
vt ait Scriptura, ab inferioribus, sed illas etiam, vt loquuntur Patres mox referen-
di, firmiter sustentare.

PROVIDERAT etiã Propheta ne qua de hoc firmamento dubitatio exoriretur, II. *Firmamẽti nomine nõ intelligi aërem.*
apud homines otio & literis abundantes, qui firmamentum in medio aquarum,
aërem interpretarentur in quem coguntur nubes, quem sacræ literæ frequenter
appellant cœlum: prouiderat inquã satis, cum aliquanto post in eodem firmamẽ-
to luminaria cœli, astra videlicet omnia collocata dixit, quæ in aëre fixa non esse, 1.
ne cœci quidem ignorant. Et mirum sanè est explicare eos huc loco firmamentũ 2.
aërem, cùm nullum in tota Scriptura locum proferre possint, in quo aër firma- 3.
mentum appelletur: ac contra rationem sit vt firmamentũ dicatur id, quod omni
firmitate caret, quo nihil mollius, flexibilius, liquidius, & ad quamcumque fi-
guram accipiendam aptius. Sed esto firmamentum tota regio aëris in qua cogun- 4.
tur nubes, quas tandem superiores aquas iste aër ab inferioribus diuidit? num in
igne, aut in suprema regione aëris aquas collocabunt? Quid quod ne aër quidem 5.
1. X. disput. 2. de opere sex dierum. tunc erat qui locaretur inter aquas[1]. Nam si firmamentum diuisit aquas ab aquis,
vtique ante firmamentum non erat aër & ignis, vt rectè argumentatur Molina,
alioqui aquæ superiores fuissent iam diuisæ ab aquis inferioribus, aëris vel ignis
interiectu: nec fuisset opus firmamento, quo à se inuicem separarentur.

Ita & Cornel. à Lapide de ope re 2. diei. CVM ergo ex Scriptura constet in firmamento non solùm Solem & Lunam, III. *Sed orbes omnes cœlestes.*
sed stellas etiam esse collocatas, oportet eo nomine intelligi tam cœleste illud
corpus, in quo stellæ illæ fixæ sunt, quæ pari semper à se inuicem interuallo di-
stant, & à doctis indoctisque dicitur firmamentum; quàm septem planetarum
orbes, quorum infimus Lunam, supremus Saturnum deuehit, & circa inferiorẽ
hunc mundum circumuectat. Nec aliter accepit firmamentum Dauid, cùm di-
Psal. 18. 1. Eccl. 43. 1. ceret, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*, vbi
Hieronymus cœlum, idem esse docet quod firmamentum. Sic vsurpauit & Sa-
piens, qui Solem in firmamento ponit. Et Moyses hoc toto primo capite. Nec
c. 12. 3. opinor facilè in Scriptura reperias firmamentum pro Aplane positum, nisi fortè
duodecimo Danielis.

EX aquis autem factam esse hanc omnem cœlorum congeriem, præter ea quæ IV. *Cœlos ex aquis factos.*
paulò pòst afferentur testimonia, etiam illa ratio probat, quoniam in amplissimo
interuallo, quòd nunc hi orbes octo, decémue, aut etiam plures occupant, in
quibus stellæ plurimæ tota terra maiores immersæ sunt, in hoc inquam interual-
lo non fuerit vacuum toto primo die, nec aliud vllum corpus præter aquas, quas
Iob 37. 18. cum cœlo & terra creatas ex Scriptura declaratum est. Cùm autem ex eadem
constet cœlos solidissimos esse, & quasi ære fusos, intelligendum est aquas
addensatas esse diuinitus vt soliditatem reciperent. Itaque Oleaster, Caieta-
רקיע. nus, Pagninus Rachiagh expansionem siue extensionem significare aiunt, ad
modum laminæ malleis diductæ atque expansæ. Sicque vsurpatur in Scriptura
2. X. non raro[2].

EAM ergo aquarum condensationem sequebatur vacuum, quòd natura sum- V. *Aëris & ignis productio.*
ma contentione refugit; res enim addensatæ minorem requirunt locum; sed id
statim spatium aëre & igne, quæ sunt rariora corpora, repletum est, vsque ad a-
quas inferiores, quæ totam adhuc operiebant terram, & aquæ naturam & pro-
prietates in quibus fuerant conditæ retinuerunt. quæ est etiam sententia Del
n. 42. Rio, & Cornelij à Lapide in hunc locum. Hoc autem quòd aëri & igni cum
communi meliorum philosophorum schola tribuimus, cœli quoque nomine in-
telligi debere, scriptura ipsa omnium confessione docet, quæ volucres cœli, & si-
gna, & nubes, & cataractas non semel vsurpat, & terram de cœlo pluuias expecta-
3. X. te dicit. Difficilius autem cœlum pro ignis elemento vsurpatũ reperias[3] nisi vbi
dicitur ignis descendisse de cœlo.

SED iam Patrum sententias de aqua, cœlorũ materia perrogemus, quas animus VI. *Qui patres*

cælos aqueos asserant.

est fideliter ipsis authorum verbis referre, quia non desunt qui eas non lectas fortasse, sed in fide parentum, vt aiunt, relatas, aut eludant, aut in suam ipsi sententiam, inuitas licet ac repugnantes trahant. Chorum meritò ducet princeps Apostolorum Petrus, qui in secunda epistola cœlos ex aqua, & per aquam constitutos tradit, vt ibi accuratè disputat Serarius. Molina item, & Martinengus, qui & citat Iunium in Hexaëmer. Deberetur quidem huic auctoritati alius locus, si plana omnino esset eius sententia, sed quia eam alij aliter non improbabiliter explicant maneat hoc loco, quasi vnius de sanctis Patribus sententia. Quāquam vt pro aquea cœli materia valeat is epistolæ canonicæ locus, non leue momentum affert alia eiusdem Apostoli contra hæreticos disputatio, lib. 1. recognitionum Clementis, & sequentium Patrum omnium penè sæculorum senatus; quos omnino credibile est & Moysem, & Apostolum intellexisse, ac secutos esse. *Iam verò aqua*, inquit Petrus, *quæ erat intra mundum, in medio primi illius cæli, terræque spatio, quasi gelu concreta, & crystallo solidata distenditur, & huiusmodi firmamento, velut intercluduntur media cæli ac terræ spatia, idque firmamentum cælum conditor appellauit, antiquioris illius vocabulo nuncupatum. Et ita totius mundi machinam, cùm vna domus esset, in duas diuisit regiones.* Hæc ibi, quæ refert etiam Beda. Nec habent vllam de hæreticorum deprauatione suspicionem, cùm nihil illorum erroribus faueat.

Petrus Apost. in can. — *& apud Clement.* — 2. Pet. c. vlt. disput. 2. — to. 1. p. 394. — Genes. 1. — 2. Pet. 3. l. 1. recog. Clem. — in Hexam.

VII. *Tertullian.*

TERTVLLIANVS. *Cuncta desuper crystallo consequente, id est cælo omnia operiente, quòd in firmamentum de aquarum fluente materia fuerat Deo iubente solidatum: vt glacies robusta aquarum, terram pridem contegentium diuidens medietatem, dorso quodam pondera superioris aquæ, corroboratis de gelu viribus sustineret.* Hæc ille scriptor antiquissimus. Tertius esto (l. de Trin. c. 8.)

S. Cæsar.

S. Cæsarius, qui in Dialogis quærens firmamenti naturam, inter superas infernásque aquas interiecti, ait illud esse diuersæ naturæ à primo illo cœlo à Mose memorato, esse autem naturæ crystallinæ, diuino præcepto concretæ, & roboratæ, eiusdémque vi infinitam illam aquam portare, & separare. (quæst. 64. 5. & 6.)

S. Cyrillus Hierosol.

Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus in aquarum laude, cœlos ait ex aquis esse. Et apertiùs catechesi 9. *Qui adorare deberent*, inquit, *constituentem tanquam fornicem cælum, & ex fluxa aquarum natura indeficientem cæli naturam fabricantem*, &c. (Catech. 3. & 9.)

VIII. *Theodoret.*

OPORTEBAT, inquit Theodoretus, *ex temporis ratione, & ipso creationis modo cælorum diuersitatem nosse, & vnum luce prius, alterum verò post lucem. Et illud quidem non ex aliqua alia materia, hoc autem ex aquis creatum esse. Nam, inquit, fiat firmamentum in medio aquæ, quòd per medium separet aquas ab aquis. Sic enim ab ipsa re sortiti sunt appellationem. Siquidem cùm ex aquarum fluida substantia compositum sit, & natura fluida condensata, & consolidata fuerit, firmamentum nominatum est.* Et iterum: *Prius cælum ex nihilo creauit, posterius autem ex aquis fecit.* (q. 11. in Gen. — q. 14.)

Acacius.

Acacius apud Lipomanum, & Martinengum. *Secundum*, inquit, *cælum, & cæli, & firmamenti nomen accepit. Cæli quidem, quia supra nos est*, alludit ad notationem vulgarem vocabuli οὐρανὸς, quæ habetur apud Aristotelē, ἀπὸ τοῦ ὅρον εἶναι τῶν ἄνω, *& prioris cæli vices atque vsum nobis refert; firmamenti verò, quia ex fluxa aquarum essentia constitit: & fluxa illa ac liquida natura, densissima ac solidissima ab vniuersorum opifice Deo effecta est.* (in Cat. Genes. t. 1. gloss. mag. p. 574 l. de mūdo)

Seuerian.

Seuerianus. *In medijs*, inquit, *aquis congelatio quædam crystallina, idipsum cælum est, quòd dimidium aquarum secum suspendens, reliquum infra reliquit.* Et rursum. *Cælum ergo hoc non illud supremum, sed quod aspectabile est, ex aquis effecit Deus, & vt crystallinum fixit.* (Ibid.)

Gēnadius.

Gennadius. *Firmamentum itaque ex ipsius rei opificio appellauit; eo quod cum prius lenta, fluxa, solubilisque natura esset; solidam, & minimè mobilem constipationem accepit.* (Ibid. & apud Engub in annot. in Gen.)

IX. *D. Chrysost.*

D. Chrysostomus dum populo Genesim explicat, refugit naturam firmamenti explicare. Exponens tamen c. 37. Iobi, hæc habet. *Olim ipse firmum, ac solidum firmamentum est fabricatus, & illud quidem è fluxa ac fluente aquarum natura; & solidæ quidem concretiones, & quasi in crystallum redacta aqua cum eo sunt*, &c. (hom. 4. in Gen.)

Olymp.

Olympiodorus quoque in sua catena. *Cæli*, inquit, *tenuitatem declarat, quòd* (in Catena Olympiod. p. 476.)

etiam ipsum Esaias fumi esse simile dixit. & infrà, *Tenuissimam igitur cæli naturam sic inquit, solidam ipse effeci, tanquam cum lapide quis cubum coaptasset* [4]. Qui scilicet cubicus lapis tam ratione naturæ, quàm figuræ solidus est. Hippolytus Portuensis hanc aquarum abyssum tripertito distinxit. *Deus omnium Dominus*, inquit, *cùm voluit terram inuisibilem visibilem facere, tunc tertiam aquarum partem potentia sua in medio fixit, tertiam verò supra firmamentum eleuauit, tertiam demum infra esse voluit*; ad hominum scilicet vsum atque vtilitatem.

4. ✗. Apud Lipom. & Martinég

to. 1. Bibl. Patrum. l. 2. in Hexameron. Psal 135.6.

D. Anastasius Sinaita agens de firmamento, ait Deum ex aquis cœlum firmasse, & super aquas terram suspendisse, alludens ad illud Psalmistæ, *Qui firmauit terram super aquas*. De quo vide August. *Anastas.*

c. 2. de Gen ad lit. c. 1. in fine. to. 4. l. qq. de vtroque test. mixtim, q. 106.

D. AVGVSTINVS nusquam quod sciam de natura firmamenti sententiam protulit suam; quamuis hunc de firmamento locum copiosè versaret tum alibi, tum maximè libr. 2. de Genes. ad litteram: proferam tamen ex libr. qui eius nomine circumfertur, *Firmamentum*, inquit, *sicut quibusdam videtur, glacies est aquarum; & ideò firmamentum dicitur, quia concretis diuinitus aquis firmatum est, quòd ab occulendo vel celando appellatum est cœlum.* Et infrà: *Hoc inquam firmamentum factum est ex supradicta aqua substantia.* Et paulò post: *Firmamentum ergo, id est cœlum, factum est in medio aquarum, vt diuideret inter aquam, quæ erat supra firmamentum, & inter aquam, quæ erat sub firmamento; vt Dei virtute in medio aquarum consisteret firmamentum, sub se, & intra se, & circa se habens aquam.* quæ videtur imitatus Hugo Victorinus. X. *August.* *Hugo Victor.*

to. 1. l. 1. de Sacram. c. 17. & 18. to. 2. ep 83. 5. ✗. Ezech. 10. 1.

Diuus Hieronymus ad Oceanum paulò obscurius. *Inter cœlum & terram medium extruitur firmamentum, & iuxta hebraici sermonis etymologiam, cœlum* שָׁמַיִם *samaim* [5] *ex aquis sortitur vocabulum, & aquæ quæ super cœlos sunt in laudes Dei separantur. Vnde & in Ezechiele Propheta crystallum super Cherubim videtur extensum, id est compacta & densiores aquæ.* *D. Hieron.*

li. 1. ant. c. 1. 6. ✗. Lipom. & Martinég. in Genes. t. 4 Hexaëmer.

CLARIVS Iosephus, *Post hæc secunda die cœlum vniuersitati rerum superimposuit, discretum à cæteris, & in sublimi per se collocatum, glaciéque circumpactum, & humida ac pluuia natura ob terram irroratione iuuandam competenter temperatum* [6]. XI. *Iosephus.*

Beda, quem Iunilium nonnulli putant. *In medio ergo aquarum firmatum esse constat sydereum cœlum, neque aliquid prohibet, vt de aquis factum esse credatur. Qui enim crystallini lapidis quanta firmitas, quæ sit perspicuitas ac puritas nouimus, quem de aquarum concretione certum est procreatum: quid obstat credi, quòd idem dispositor naturarum in firmamento cæli substantiam solidaret aquarum?* *Beda.*

l. de imag. mũdi, c. 21.

Anselmus Cantuariensis. *Superius cœlum firmamentum dicitur, eo quòd sit inter medias aquas firmatum, id est forma sphæricum, natura aquarum aqueum, stellis vndique ornatum, ex aquis instar glaciei, imo crystalli solidatum, vnde & firmamentum dicitur.* *Anselm. Cantuar.*

l. 2. dist. 14. l. 1. c. 4. in c. 1. Gen.

Bedam sequitur Magister sent. *In medio ergo firmamentum est*, inquit, *id est sydereum cœlum, quòd de aquis factum esse credi potest. Crystallinus enim lapis, cuius magna est firmitas, & perspicuitas, de aquis factus est.* Hæc ipse; quibus similia leges apud Comestorem in historia Scholastica, & Anselm. Laudun. *Magist.* *Comest.* *Ans. Laud.*

hom. 3. hom. 4.

NON omittam Procopium, qui multorum instar esse possit, quippe qui non vnius, sed plurium sensa in epitomen, ex Catena confusa profert. *Sunt qui perhibent*, inquit, *eius naturam nobis parum esse cognitam, & compertam; quamuis via peruulgata omnium Theologorum ex aqua compactum esse tradatur.* Alludit Procopius ad Diuos Chrysostomum & Basilium. Nec tamen diffitetur Basil. ipse hanc sententiam de firmamento ex aquis, quasi in glaciem concretis, κοινὴν ἐκδοχὴν, communem traditionem esse. XII. *Procopius.*

Addo & Poëtam non ignobilem Claud. Marium Victorem, qui hunc secundum diem ita celebrat. *Cl. Marius.*

Rursus mane nouum, primo iam vespere pulso,
Reddita lux fecit, cum se firmissima moles
Fluctibus è mediis concreto corpore cedens
Extulit, ac late duro solidata rigore
Diuisas suspendit aquas, gelidúmque profundum
Axibus obiecit calidis, &c.

Denique eandem sententiam pleríque recentiores, graues in primis viri am- *Recentiores.*

plectuntur. In his Del Rio in hunc locum, qui, vt fatetur ipse, non finit se à veteris Ecclesiæ placitis abripi. Molina in opere sex dierum. Cornelius à Lapide in opere secundi diei. Dionysius Carthusianus. Hieronymus ab Oleastro in hunc locum. Serarius in epistolam secundam Diui Petri. Martinengus in glossa magna. disput 2. c. vlt.

XIII. *Veras aquas supra cælos esse ... x Scriptura constat.*

His ergo aliisque sanctorum Patrum, Doctorúmque sententiis, sacræ Scripturæ apprimè consentientibus confirmati, statuebamus firmamentum intelligendum esse cœleste corpus, syderibus postea nobilitatum, naturámque eius esse aqueam, vtpote ex aqua densata, & solidata productam: Idémque cœlum aquas superiores ab inferioribus separare, ex quo etiam intelligitur eiusdem vtrasque esse naturæ. Neque enim diuisio alicuius totius in iis quæ anima carent id præstare potest, vt pars altera natutam suam mutet, adeò vt æquiuocè vtraque eodem nomine appelletur [7]. Ergo si veræ sunt aquæ inferiores quibus vtimur, veræ sunt & superiores, quæ his continuæ in abysso creatæ sunt, & hodie interiectu cœlestium corporum separantur, vt apertè scribit Moses. 7. x. Genes. 1.

Sed præter hanc apertissimam Mosis sententiam, cui in promptu non est illud trium puerorum canticum, *Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt Domino.* Imo & Regij Prophetæ semel iterúmque testata sententia. *Extendens cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius.* Et rursus: *Laudate eum cæli cælorum, & aquæ omnes quæ super cælos sunt laudent nomen Domini.* Dan. 3. Psal. 103. Psal. 148.

XIV. *... x Synodo ... onst.*

Qvæ testimonia diuum Augustinum eò compulerunt vt diceret. *Quomodo autem, & qualeslibet aquæ ibi sint, eas esse ibi minimè dubitemus: maior est quippe scripturæ huius authoritas, quàm omnis ingenij humani capacitas* [8]. Adde Sophronij epistolam, quæ recitatur in sexta Synodo Constant. actione 11. & mox in 13. approbatur ab vniuersa Synodo, in qua inter Origenis errores numeratur, *supercælestium aquarum creaturam improbare*, ὑπερουρανίων ὑδάτων χαλίζοντες, quòd non solùm faciunt, qui eas in angelos commutant, sed etiam qui pro supercœlestibus aquis, subcœlestes inuehunt nubes. l. 2. de Gen. ad lit. c. 5. 8. x.

XV. *... patribus ... vendictus, ... isque.*

Adde postremo nobilissimum illum tot Patrum Doctorúmque, omnium penè sæculorum consensum, quem pro aquea cœlorum natura retulimus; qui tantò magis veras supra cœlos aquas agnoscunt. Addo etiam magnam eorum partem, qui aliter de cœli natura sentiunt, quos iusta vtique religio tenuità tam perspicua scripturæ assertione, & quater apertissimis verbis iterara sententia dissentire. Nam D. Basilius, qui firmamentum ex aquis concretum non probat; illius tamen vult esse firmam quandam solidámque naturam, ad detinendas aquas, ac coërcendas idoneam, ne pro suæ conditione naturæ dilabantur, atque dissoluantur, ideóque ait non necesse esse vt cœli conuexitas habeat curuitatem; sed habere posse æquabilem, planámque superficiem. hom 3 in Hexam.

XVI. *... interitui esse obnoxias, sicut ... cælos.*

Cæterum quid absurdi est aquas elementares, nostrísque homogeneas ibi minimè corrumpi, sicut humana corpora post resurrectionem non in cœlo solùm, sed etiam in inferis diuina virtute in omnem æternitatem, ab interitu, perpetuo, si placet, miraculo vindicari? quamquam quòd perpetuum est, in miraculis, quorum est propria raritas, non censetur. Quid vereamur fateri cœlos omnes mobiles ex veris aquis conflatos, compactósque; ideóque natura sua corruptioni obnoxios, nullius tamen actione corrumpi posse, si ab eo discesseris, qui eos etiam in nihilum redigere possit? Neque enim vllum est aliud agens, non ignis, non homo, non angelus, qui contrariis qualitatibus oppugnare cœlos, aut eam, qua præditi sunt, formam expellere possit: quod vnum Aristotelica doctrina videtur exigere. Quod Molina quoque confirmat in opere sex dierum, & Del Rio, *Cur non possit*, inquir, *corruptio impediri? an otiosa vis frigiditatis tot aquarum, calori, quem excitat motus orbium, apta resistere? Nónne id possit qualitas loci conseruantis, aut vis aliqua supernaturalis à Deo impressa? & quid intellectu facilius, quàm si Deus censeatur concursum suum vniuersalem, ad omnem alterationem necessarium, quo corrumpi aquæ possent, iam ab initio subtraxisse.* disp. 5. N. 41. hîc.

XVII. *Qui sunt reipsa interituri.*

Qvin etiam Molina consonantius testimoniis sacræ Scripturę esse arbitratur, si dicamus etiam sydereos cœlos in die iudicij innouandos esse, restaurandos, atq; disp. 3.

perficiendos per aduentum nouæ formæ substantialis, tetenra solùm pristina materia, ab eáque forma excellentiores proprierates profectum iri, vt scripturæ propheticæ atque Apostolicæ apertè dicere videntur[10], quas non conuenit per violẽtas interpretationes ad Aristotelis placita inflectete ac detorquete, vbi natiua & germana verborum vis ac sententia, sine apetta absurdirate defendi potest; quin ad eam potius absurditatem, quæ apparet, expugnandam, ingenij Deum timentis, Scripturámque debito honore prosequentis acies penitus intendenda est. Sed hac de iterum quarto Die dicendum erit. nunc redeamus ad aquas.

10. x.

XVIII. *Num grauitas super cœlestes aquas excludat cœlos.*

hæc. 1. ad 6. c. 1.

EARVM enim grauitas, vt fusè disputar Augustinus l. 2. de Gen. ad lit. non patitur vt super aërem, nedum vt supra cœlos collocentur. *Nec quisquam istos debet ita refellere,* inquit, *vt dicat secundum omnipotentiam Dei, cui cuncta possibilia sunt oportere nos credere, aquas etiam tam graues quàm nouimus, atque sentimus, cœlesti corpori, in quo sunt sydera superfusas. Nunc enim quemadmodum Deus instituerit naturas rerum, secundum scripturas eius nos conuenit quærere, non quid in eis, vel ex eis ad miraculum potentiæ suæ velit operari.* Respondebit D. Basil. hom. 4. in hexa. qui vocat Dei vocem effectricem naturæ, idque imperium quod factum creaturæ runc est, creatis deinceps omnibus operatotiam facultatem prærogasse. Respondebit & ipse sibi Augustinus alio in loco, Dici humano more contra naturam esse; quod est contra naturæ vsum mortalibus notum. *Deus autem*, inquit, *creator & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit, id enim erit cuique rei naturale quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, ordo naturæ.* Sic ipse. Ordo ergo naturæ postulat vt aquæ non solùm sint supra terram, sed supta cœlos etiam, naturæ sibi communicatione coniunctos, quoniam illum ipsis locum naturarum conditor dedit. Ibique vt in proptio loco sibi diuinitus assignato, consistant, vbi neque exerceant grauitatem, neque in inferiora nitantur. quod hic quoque Oceano conuenit, & omnibus aquis quæ super terram immotę permanent. Nec planè contra naturam est vt grauia leuibus imposita perseuerent; aquæ scilicet cum cœlis suis, igni & aëri, qui sub illis sedem acceperunt. Quarum enim aëris & aquæ in cauernis terrę sine vi vlla delitescit, variisque vsibus naturaliter seruit? Quid tota terra omnium grauissima, cum aëre aut aqua vndique circunfusa sit, nónne aliqua semper ex parte leuioribus corporibus incumbit? si hinc traiecta terra linea ducatur per antipodas in cœlum, nónne occurret sub ea aqua vel aër, antequam perueniatur ad centrum?

to. 6. l. 26. cont Faust. c. 3.

XIX. *Etiam grauia leuibus naturaliter imposita.*

l. 11. de Ciu. c. 34.

SED claudamus hunc locum egregia D. Augustini sententia. *Sed si qui in nomine aquarum, quæ super cœlos sunt, ponderibus elementorum mouentur*, inquit, *& ideo non putant aquarum fluidam, grauémq; naturam, in superioribus mundi locis potuisse constitui, qui secundum rationes suas, si ipsi hominem facere possent, non ei pituitam, quod græci φλέγμα dicitur, & tanquam in elementis corporis nostri aquarum vicem obtinet, in capite ponerent. Ibi enim sedes est Phlegmatis secundum Dei opus, vtique aptissimè, secundum istorum autem coniecturam tam absurde, vt si hoc nesciremus, & in hoc libro similiter scriptum esset, quod Deus humorem fluidum & frigidum, ac per hoc grauem in superiore omnibus cæteris humani corporis parte posuerit, isti trutinatores elementorum nequaquam crederent.* Sic August.

XX. *Cur ibi aqua.*

VERVM quoniam sine vlla dubitatione constat Deum & naturam nihil agere frostra, quem tandem in finem aquas supra cœlos collocatas putemus? Scio nonnullos ex antiquis patum probabiles afferre fines, quos in astrurum creatione attingemus. Id nobis hoc loco sufficete posset, quod aliquis antiqnorum patrum dixit. Ipse nouit, qui talem illis assignauit locum; cuius prouidentiæ rationem in alijs quoque multis ignotamus, quod Del Rio quoque n. 41. notauit. Sed addo Cornelij coniecturam, id tum ad ornatum vniuersi pertinuisse, tum vt matrix hæc cœlotum, qui ex aqua sunt, creationis index extaret. Fortè etiam ad voluptatem sanctotum existentium in cœlo Empyreo, vt aquis hisce crystallinis, & variegatis oculos eorum pascat; aquæ enim omnis formæ, decoris, colotis & ornatus sunt capacissimæ, vt paret in iride, quo etiam videatur Ioannes allusisse in Apocalypsi. Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum. hæc ibi inter alia, eleganter sanè Cornelius, & ad meditandum pet-iucundè.

in opus 2 diei n 41. & ib. Cornel.

c. 7. v. 17.

XXI. *Dies 2. & cæteri à vespera inchoantur.*

vide sup. die 1. n. 10.

ILLVD porrò etiam hoc loco notare possumus, quod in secundo die, & reliquis deinceps à Mose iteratur, dies naturales à vespera omnes incipere. Quibus

omnibus vim mihi videntur afferre, qui dies istos à luce inceptant, & per vesperam finem diei, & per mane finẽ noctis accipiunt. Imo per mane noctem totam, & per vesperã totum diem præcedentem intelligunt. Et inter alios Caietanus austerius. Nam in hæc verba primi diei, *factúmque est vespere & mane dies vnus*, Ait instans quo creatum est cœlum & terra, fuisse initiũ primi diei artificialis, quem nulla nox antecesserit; alioqui oportere ait creationem cœlorum & terræ, in statu obscuritatis præcessisse tempore indeterminato omnem diem; idque non solùm absurdum, sed etiam falsum esse, vtpote contra Scripturam, quæ asserat cœlum & terram in c.2.v.4. die facta esse. Gen. 2. non autem in obscuritate. Ideóque fatendum esse eodem principio diei artificialis Deum cœlum & terram creasse, & concreasse lucem. Ve- n.10. rùm, vt omittamus quæ in hanc sententiam primo die diximus, credibilius omnino arbitramur, & ad communem loquendi & sentiendi consuetudinem aptius; noctem à sui initio vespertino, & diem à matutino denominari, quam à fine. Sicut nunc diem dominicum ab ipsa media nocte antecedente, qua inchoatur appellamus; & ita diem Lunæ, & Martis, & cæteros deinceps; non autem à fine. Quis enim ita loquentem probet, aut ferat; vespera Dominicæ, & mane sequens facta est dies Dominica, siue dies prima? Dies ergo primus & secundus, & alij consequentes à vespera, hebraico ritu, à Mose hoc loco inchoantur: quod nisi faceret, confunderet auditorum suorum intelligentiam, eodémque modo partes illæ duę integrantes à suo initio & denominari & intelligi debent[11]. Et ita hunc locum in- 11. ℞. l.1.ant.c.1. tellexisse Iosephus videtur initio historiæ suæ, si quid interpreti credimus. *Discreuit*, inquit, *lucem à tenebris, & his nomen imposuit noctem, illam verò diem appellauit; vespere & mane vocabulo, exordiis lucis & quietis indito; nimirum vespera est exordium quietis nocturnæ, & mane diurnæ lucis initium.* Verùm alia fortasse Iosephi mens fuit, vt seorsim dicemus[12].

XXII. *Refellitur contraria sententia.*

NEQVE verò negamus Caietano instans creationis cœli, & terræ, & abyssi, 12. ℞. supra n. 9. q.10 & 11. esse initium huius diei primi naturalis, quod superius vltro affirmauimus, negamus tamen illis concreatam lucem, sed duodecim ferè post horas; nec Scriptura quidquam habet in contrarium. Quis enim cogit in eo loco Geneseos, diem de c.2.v.4. secunda parte diei explicare, & non de toto die naturali, nocte diéque constante? Quanquam Beda, Rabanus, aliique Diem ibi de tempore siue spatio sex dierum accipiunt. Non pigebit verba Rabani recitare. *Dicit*, inquit, *generationes cæli & terræ, ipsum ordinem diuinæ institutionis, quo ornatus eorum per opera sex dierum, ad illam vsque perfectionem, quæ superius est designata peruenit: Iuxta quod in decalogo legis suæ dixit ipse Conditor; sex enim diebus fecit Deus cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Quod verò sequitur, in die quo fecit Deus cælum & terram; nequaquam memoratæ Dei sententiæ videri debet aduersum, sed apertè intelligi, quia diem hoc loco Scriptura, pro omni illo tempore posuit, quo primordialis creatura formata est. Neque enim in vno quolibet sex dierum Cælum factum, vel syderibus illustratum, & terra est separata ab aquis, atque arboribus & herbis consita, sed more sibi solito Scriptura diem pro tempore posuit; quo modo & Apostolus cùm ait, Ecce* 2. Cor. 6. 2. & Isaiæ 49. 8. *nunc tempus acceptabile, ecce nunc diem salutis. Non vnum specialiter diem, sed totum significat tempus hoc, quo in præsenti vita pro æterna salute laboramus.* Hactenus Rabanus.

Rabanus.

XXIII. *Et prior asseritur.*

Ex his ergo mirum videatur, Caietanum tam aucter contrariam sententiam absurdam, falsam, contra Scripturam, tanquam ex tripode pronunciare: quam nos longè probabiliorem ducimus, & Scripturæ magis consentaneam, cum Tostato in ea verba primi diei, & Molina in disput. septima. Imò & Hieronymo in cap. 2. disput.7. Ionæ, in ea verba, *Et erat Ionas in ventre piscis. Nam & in Genesi*, inquit, *nox non præcedentis diei est sed sequentis: id est principium futuri, non finis præteriti.* Nec sanè absurdum videri debet à diuersis inter se durationibus partim sub quiete corporum, partim sub motu lucis conflari vnum tempus, quod vocemus naturalem diem: cùm ex luce & tenebris, siue ex nocte & die, quæ non minus sibi opposita sunt, conflari constet vnum naturalem diem. Nec item absurdum tenebras illas, quæ lucem dimidiati diei duratione antecesserunt, vocari vesperam, siue noctem; quia illarum locum occupabant, & erant ambæ priuationes lucis, siue absentis, siue nusquam adhuc existentis. Meritóque videatur absurdius, quod concedunt qui ista impugnant, vno eodémque firmamenti vocabulo aëris fluidam subtilitatem, & orbium cœlestium firmam compactámque soliditatem comprehendi.

ex Hieron.

SCHOLIA IN SECVNDVM MVNDI DIEM.

N.II. 1. AC ne nubes quidem, quas aduersarij nomine aquarum intelligũt. Nam vt notauit Cornel. à Lapide in hunc diem, totis sex primis diebus purissimus aër fuit, & à nobibus liber, vt colligitur ex c. 2. v. 5. vbi decurso iam septiduo dicitur, Deum nondum pluisse super terram. non ergo secundo die erant nubes, vt per interiectum firmamentum ab inferioribus separarentur aquis, vt omittam figuratã locutionẽ nubium pro aqua, minus videri cõuenire huic simplici, ac nudę narrationi Prophetę.

N.IV. 2. Apud Pagninum in Thesauro aliqoot notata reperies in radice רקע *racagh*, quod est expandere, extendere, diducere. Ierem. 10. 9. *Argentum inuolutum affertur de Tharsis*. Melius, inquit Sanctes τὸ ἐκτεταμένον, id est productum. Ipse cum Rabbi Dauid vertit extensum in laminas, scilicet ad operiẽdum sculptile, sed res eodem redit; nam inuolutum supponit metallum extensum, vt circumuolui possit in volumen aut librum, iuxta illud Isaiæ 34. 4. *Et complicabuntur sicut liber cæli*. Hoc in plumbeis laminis diductis, & circum uolutis quotidie cernimus. Exod. 39. 3. *Incidítque bracteas aureas, & extenuauit in fila*. vertit Pagninus, *Extendit laminas auri*. Vatabl. *Extenuauerúntque bracteas aureas, vnde abscidit fila*. Tigurina, *Et diduxerunt bracteas aureas, vt abscinderentur fasciæ*. Vsos est Hieronymus non ineleganti commutatione verborum; sicut Cant. 2. 5. fulcite me floribus, stipate me malis, aut si quis dicat, *ferreus in superos sceleratum interseris hastam*. Numer. 16. 39. *Produxit thuribula in laminas*. Et Iob. c. 37. 18. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos*; hebræa ad verbum vertit Pagninus & Tigurina, *Extendes, siue extendisti*. In quibus omnibus locis idem est verbom רקע ex qoo verbum *rachiagh*, Græci στερέωμα, Latini firmamentom, siue solidam expansionem vetterunt.

N.V. 3. Nisi fortè Iudicum 13. 20. *Cúmque ascenderet flamma altaris in cælum*, id est ferretur in regionem suam, *angelus Domini pariter in flamma ascendit*. Sic 4. Reg. 1. 10. *Si homo Dei sum descendat ignis de cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos*, quę phrasis crebrius ibidem iteratur. Sic 1. Paral. 7. 1. *Ignis descendit de cælo, & deuorauit holocausta*. Genes. 19. 24. *Pluit Dominus sulphur, & ignem à Domino, de cælo*. Iob. 1. 16. & alibi, vbicumque dicitur descendisse ignis de cœlo, potest de regione elementari ignis non incongruè sumi, nec sanè video qoid absurdi habeat isthæc interpretatio.

N.IX. 4. Non planè fumo simile dixit esse cœlũ Propheta, sed quasi fumum liquefactum iri, aut defecturum. alludit nimirum Olympiodorus ad versionem Septuaginta, qoi habẽt ὡς καπνὸς ἐστερεώθη, vt fumus firmatum est; & fortè voluerunt 70. significare cœlum non firmius fore aliquando, qoàm fumum, qui tenues vanescit in auras. Itáq; Hieronymus ex Aquila & Symmacho habet ἐταλιόσθησαν, ἐκαπνίσθησαν, comminoetur, in salis modum liquescẽt ac diffluent, quod ipse in editione vulgata secutus est.

N. X. 5. Pagninus in radice שם vnde ducit hanc vocem, ait Rabbi Ioseph eam exponere שם-מים *sam-maim*, ibi aquæ, sublato altero ם mem.

N.XI. 6. Iosephus cœlum facit κρυσταλλοειδῆ, quod philosophi vt arbitror non ferent, cùm de globis cœlestibus agatur, quibus pluuia irroratio nimium populariter attribuitur; neque enim influentias quas vocant, cœlísque attribuunt, pluuias irrorationes, vt nimium crassas atque materiatas, dici patientur.

N.XIII. 7. in opere huius diei. Itaque nõ assentior iis, qui has vtrásq; aquas specie differre putant. *Dissecuit*, inquit Cornel. à Lapide, *& format Deus suam abyssum aquarũ. pars enim huius aquæ, tanquã materia aptissima ad transmutationem conuersa est, & consolidata in cælos & aerem, pars subtilior & nobilior supra cælos remansit: pars crassior subtus firmamentum in maria & flumina varia diuisa est*. Et infra, *Aquis illis attenuatis, subtilius, & specie à nostra aqua differentibus ille locus est naturalis*. Et solent quidem aquæ, sicut & aer, in superiore parte purior esse atque subtiliores, propter terreas admixtiones vaporum, exhalationũ, & subtilioris terræ dilutę partes quæ aquis infusæ subsidunt; verùm tum aquæ & terræ elementa purissima fuisse, provt pridie creata fuerant, meritò credi potest.

N.XIV. 8. Et Claud. Marius l. 1. in Gen. Adde quasi epimetron 4. Esdræ 4. 7. & c. 6. 41. sententiam autem Augustini exprimere voluit Poëta ille, qui hæc ipsa de re agens ait.

Numinis ab vero diuinquarere causas
Mens fuge nostra procul, plus sit tibi credere semper
Posse Deum quodquod fieri non posse putatur.
Et magnum Pelagus super astra & sydera ferri
Ipsorum ratione proba, qui credere nolunt
Et mundum pendere volunt, quem conditor ipse
Gester, & immenso constantem pondere volnat.

N.XV. 9. Quæ est etiam D. Augustini sententia l. 2. de Gen. ad lit. c. 9. vbi ait cœlum propter planitiẽ extensum dici vt pellem, propter curuitatem vt cameram, (vnde & cœlũ quasi κοῖλον, id est concauum dicitur) sed omnia inquirẽdo ac disputando, sicut & citato loco Basilius. qui aliquanto post in eadem homil. videtor secũ pugnare cùm ait, Diximus quid apud scripturam significati habeat firmamenti nomen. Nimirũ naturam insinuat neutiquam reluctantem aut solidam (οὐχὶ τὴν ἀντίτυπον καὶ στερεὰν φύσιν, τὴν ἔχουσαν βάρος, καὶ ἀντίτυπον) quæve suo pondere grauis sit aut renitens. quæ verba postrema sificant quam improbat Basilius soliditatem. sed de grauitate aut cœli, aut aquarum illarum paolò pòst dicimus aliquid.

N.XVII. 10. 2. Petri vlt. vers. 7. 10. 11. Psal. 101. 27. Isaiæ 51. 6. 65. 17. 30. 16. Apocalyps. 21. 1. 5. de quibus in quarto de ploribus dicemus.

N. XXI. 11. Triplex hebræis dies fuisse dicitur, vsoalis à media nocte ad alteram mediam noctem, legis à vespera in vesperam, naturalis à Solis ortu vsque ad alterum ortum. occorrit tamen dubitatio. Nam si dies vsualis à media nocte sumebat initium, legalis aotem à vespera in vesperam, superueniente die festo siue legali præcedens dies sex horis semper minor erat, & rursum absoluto legali quid fiebat illi sex horis interiectis? festæne erant an profestæ?

At reuera alia eius fuisse videtur mens. Nam in Græco habetur; *[illegible]* *vtramque & ma-ne, principium & finem*, supple [illegible] appellans. nam *ἀνάπαυσιν* pro fine accipi ex opposito *ἀρχὴν* & conuenientia textus intelligitur.

Dies mundi tertius.

Num. I. *Opera diei huius.* DVOBVS magnis Dei operibus nobilitatur hic dies, congregatione aquarum in vnum locum, ex qua tellus apparere cœpit; & insita terræ fœcunditate ad plantarum omnium, ipsiúsque terrestris Paradisi productionem. Prius opus à Mose hoc loco describitur. *Dixit verò Deus, congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum vnum, & appareat arida, & factum est ita; & vocauit Deus Aridam, Terram: congregationésque aquarum vocauit Maria* & tangitur à Dauide psalmo centesimo tertio. Posterius autem partim hoc capite; partim sequente explicatur. Quo autem modo factum sit vt terra discooperta fuerit, quò animalium vsibus, hominúmque in primis aptaretur; Qui etiam aquæ vnum in locum fuerint coactæ, multa est apud antiquos patres disputatio, propter multarum in ea re difficultatum incursum. c. 1. v. 9. & 10. v. 5. & seqq. v. 11 & 12. v. 8. ad 15.

II. *Communis sententia congregatarum aquarum.* MIHI in primis probabilis visa est D. Basilij sententia, quæ fuit Tertul. aduersus Hermogenem, facta esse ab opifice rerum, maxima diuersis in locis aquarum receptacula, ad eas recipiendas, cùm Dei iussu in vnam coitionem cogendæ venirent, ac secernendæ. neque enim fuisse adhuc cauitates illas amplissimas, quibus mare Atlanticum aut Britannicum continetur, ad quas mox Dei præcepto aquarum copiæ concesserunt. Basilium Ambrosius de more sequitur, & Cæsarius in Dialogis. Procopius in Genesim, Seuerianus in catena. Damasc. l. de fid. orthod. Eam quoque disquirendo attingit D. August. in primo de Gen. ad lit. *Quanquam & terra*, inquit, *longè latéque subsidens potuit alias partes præbere concauas, quibus confluentes & corruentes aquæ reciperentur, & appareret arida ex his partibus, vnde humor abscederet.* Quæ etiam tradit libro contra aduersarium legis & Prophetarum. Et vtrobique aliam etiam viam denudandi terram minus probabilem affert, per condensationē aquarum, quā nō nemini video placuisse. Priorem autē sequitur Beda in hexaëm. Magister sent. D. Thomas in 1. parte, & ex interpretibus Dionys. Carthus. Hugo Carrensis, Tostatus, Benedictus Peretius l. 1. in Gen. Martinengus tomo 1. Glossę magnæ. Franciscus Valesius de sacra Philosophia c. 1. Del Rio, & Cornel. à Lapide in hunc locum (qui duo etiam illam condensationē in marinis aquis admittūt) Rupertus, & Molina disput. 11. de opere sex dierum, qui hanc sententiā omnium accuratissimè explicauit, & ad historiæ veritatē accōmodatissimè, hoc ferè modo. l. 3. c. 3. q. 80. c. 9. & 10. c. 12. l. 1. c. 13. l. 2. d. 14. q. 69. a. 1. q. 19. in 6. pr. n. 100. & 107. pag. 710. & 716. l. 2. c. 34.

III. *Declaratur, & illustratur.* CENSENDVM est mundi opificem Deum à principio terram planè rotundam sine montibus & vallibus, & in sui Elementi puritate condidisse, eámque biduo aquis obrutam in medio mundi centro, vt eius grauitas, & elementorum natura postulat, permāsisse: Tertia autem die, quoniam finis ad quem mundus hic fuerat conditus exigebat vt appareret terra, hoc modo aquas separasse. Eleuauit omnipotēti vi sua terram multis vndique locis; ex quo eadem opera consecutum est, vt montes existerent variis locis, & variæ cauitates tam intra in terræ visceribus, quā supra in eius superficie, & circunquaque in eiusdem lateribus formarētur, in quas aquę defluentes ad vitandum vacuum naturali sese pronitate reciperent; factáque sit terra, nō solida vbiq; vt prius, sed multis passim magnísq; cauernis perforata, & quasi spongia quę aquis implera dilatatur, & maiorē omni ex parte occupat locū.

IV. *Quomodo terra patefacta sit.* EA eleuatione non solùm facta est Europa, Asia, Africa, America, & quidquid terrarum est ad polum arcticum atq; antarcticum: sed quidquid est etiam insularū Oceano, Mediterraneóque mari, & omnino vbique locorom, vbi terra fluctibus eminet. Grandiores autem cauitates occupauit. Oceanus, cum omnibus sinubus suis, Arabico, Persico, Indico, Gangetico, aliísque ad Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem. Occupauit & mare quod vocamus Mediterraneum, à columnis Herculis vsque in Syriam cum omnibus quasi restagnationibus in mare Superum, quod & Adriaticum, in Propontidem, Euxinúmque pontum. Occupauit mare Caspium, omniáque freta, lacus omnes, ac paludes, cum fluminibus.

V. *Commoditates aquarum in terra.*

1. AT cui tandem vsui? dicat aliquis. Nempe vt venarum instar essent in magno
isto terreno corpore; quod per ingentes istos aquæ ductus, quasi alimento in visce-
2. ra recepto, & fœcundius redderetur, & pinguius. Has porro aquas fluminum ac
paludum non magno admodum interuallo disiunxit, tum vt plures per se terras
vicinas irrigarent, dum vicinum illæ humorem continentet exugunt; tum vt fa-
cilius emissis vaporibus, quasi collatis certatim studiis, solis ac syderum actioni-
bus deseruirent, quorum vi elati vapores, in nubes frigore concrescerent, & in
3. pluuias opportunè soluerentur. Sed & illud quoque fuit diuinæ prouidentiæ, vt
montes, & conualles, & loca subterranea ad fontium productionem ita dispone-
ret, vt aptissimis interuallis fontes exorirentur, quorum coalescentibus riuulis
flumina fierent apta nauigiis, siue in itinerum commoditatem atque compendia,
siue vt terra, adeundi & vltro citróque commeandi facilitate incitante, pene vbi-
que ab hominibus, cæterísque animantibus habitari posset: siue vt res quarum vno
in loco sat magna esset copia, in alia atque alia, in quibus earundem esset penuria,
commodè transportari possent; sed cohibeamus hoc loco cursum orationis ef-
fluentem: sunt enim in manibus Conimbricenses nostri, qui hoc argumentum, vt
cætera, præclara facundia atque eruditione tractarunt.

Fontium & fluminum vtilis dispositio.

Comm. in Meteora. tract. 9 & in 3 de cœlo c. 5. q. 2.

VI. *Quota pars terræ extet ab aquis.*

DVO tamen addenda sunt, quæ huius loci propria in primis esse videantur. Quærat enim fortasse aliquis, quota pars terræ extet ab aquis: curque in vnum locum congregatæ dicantur aquæ, quæ disiunctissimis seclusæ reperiuntur. Priori quæstioni pinguiori, vt aiunt, Minerua facilè satisfieri potest, conspectis huius Vniuersi chartis ac tabulis Geographicis, quarum plurimę, quod attinet ad explorata nauigationibus loca, perquam accuratè depictæ circumferuntur. Ex quibus apparet longè ampliorem esse terræ, quàm aquarum superficiem. Sed distinctius in quarto, qui dicitur Esdræ, libro respondetur. *Et tertia die*, inquit, *imperasti aquis congregari in septima parte terræ, sex verò partes siccasti & conseruasti, vt ex his sint coram te ministrantia seminata à Deo, & culta.* Et rursus paulò pòst. *Quinto autem die dixisti septimæ parti, vbi erat aqua congregata, vt procrearet animalia, &c.* Vide Scaligerum contra Cardanum.

c. 6. v. 42. — v. 47. — Exercit. 52.

VII. *Omnésne aquæ continuæ sint, & vno capiantur loco.*

ALTERA quæstio facilem habet atque expeditam responsionem, etsi enim non paucis in locis aquæ seclusæ videntur à cæteris, vt de mari Caspio Geographi ferè sentiunt, & de lacubus ac paludibus frequens experientia pene dubitare non sinit; Certum tamen est omnes aquas inter se locis, vel supra & propalam, vel infra per occultos meatus communicare. Necessarium enim est veram esse Scripturæ sententiam. *Omnia*, inquit, *flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Vbi Hieronymus: *Putant quidam aquas dulces quæ in mare fluunt, vel ardente desuper Sole consumi* (nam vt marinis leuiores, superfunduntur, & fluitant) *vel salsuginis maris esse pabula.*

Eccles. 1. 7. — In eum locum.

VIII. *Origo fluminum ex mari.*

ECCLESIASTES *autem noster, & ipsarum aquarum conditor, eas dicit per occultas venas ad capita fontium regredi, & de matrice abysso in sua semper ebullire principia.* Sic ipse. Qua autem vi ebulliant, ac sursum erumpant, explicat D. Basil. in hexaëm. *Fons*, inquit, *origóue totius humoris quaquauersum terram alluentis, aqua maris est. Hæc enim per occultos passim meatus se dispertiens, velut declarant continentes, litoraléſue terræ, hiulcis rimis latiores instar spongiarum, & antris subterraneis differta, subter quas mare fluitans, ac permeans per cuniculos fistulares & angustos: mox vbi obliquis, aut certè recta in sublime surrectis excursibus se occupatum deprehenderit, ab agitante compulsum spiritu, superficie terræ vi disrupta erumpit, atque emicat foras, fitque potulentum deposita per transcolationem, siue distillationem amaritudine.* Hæc Basilius, quibus consentanea Plato & Plinius tradidere. Vide & Conimbricenses, tractatu 9. in Meteora, vbi plura hac de re accurata, vt solent, diligentia.

hom. 4. sub fin. — in Phædone. — l. 2. c. 65. c. 5.

IX. *Quid de mari Caspio & lacubus dicendum.*

DE Hircano autem Caspióque mari, *Sunt*, inquit Basilius, *qui seorsum circumscripta suis esse finibus arbitrentur. Sed si iis, qui in describendis terris operam nauarunt, mentem adhibere oporteat, hæc inter sese per meatus suos commiscentur, & omnia permeant ad mare maximum atque confluunt, quemadmodum & mare rubrum, cum eo quod vltra Gades est connecti ferunt.* Sic ipse, verùm hæc connexio aperta est, vt Lusitanorum nauigationes patrum memoria docuerunt, illa autem occulta. De lacubus autem, aliísque aquarum collectionibus, respondet idem Basil. eas non designari à Scriptura, sed

hom. 4. med.

maximam illam tantùm & abundantissimam; cui scilicet Maris nomen conueniat, quod ei à Deo inditum est. Verùm cùm Deus vniuersè omnes aquas, quæ sub cœlo sunt alloquatur, eásque in vnum locum iubeat congregari, videtur earum quædam continuitas exigi, vt vno quodam generali loco diei queant contineri. Itaque cum eodem Basilio rursum dicendum erit, terram omnem irriguis elicibus differtam esse, ac subterfossam quaquauersum cuniculis; atque ita aquam per retrusissimos meatus suam è mari originem elicere. *Ibid. sub fin.*

Veram esse Aristotelis de fontibus Philosophiam, nec Scripturæ aduersariā.

X. NEC tamen falsam propterea, & repudiandam existimarim Aristotelis, de fontium ac fluuiorum origine sententiam; quos enasci docet in terræ visceribus, in quibus inclusus aër frigore concrescit, & in aquam continenter soluitur, eo quod subinde aër in huiusmodi cauernas alicunde sese per hiatus ac rimulas insinuet, quas vel terræ motus, vel necessitas virandi vacui effecerit, & terra ipsa aliquid ibidem cœlorum actione euaporet, quod in aquam, vis inclusi frigoris, conuertat. Eam doctrinam valde rationi consentaneam res ipsa docet, & communis Philosophorum consensus probat. Scripturæ autem Mosaicæ minimè repugnare ex eo perspicuum est, quod Deus de aquis, quæ tunc extabant è nihilo conditæ, locutus sit, non autem de iis quæ deinceps, iuxta cursum causarum naturalium, producendæ erant, de quibus locutus est Aristoteles. Nec Ecclesiastes ait omnia flumina redire ad locum vnde exierant, vt notauit Titelmanus, satísque est id verum esse de plurimis & maximis. quæ est Conimbricensium quoque sententia. Postremo censet Lorinus in prædictum Ecclesiastæ locum, nihil eo ex loco, pro quæstione originis fluminum fontiúmque, colligi; aut si quid colligatur, potius aliunde oriri, quàm ex mari. *l. 1. meteor. c. 13.* *tract. 9. c. 4. in 6 pronunc.*

Idemque valere in magnorum fluminum fontibus.

XI. CREDIDERIM etiam, vt hoc quoque cum bona lectoris addam venia, doctrinam Aristotelis magnis fluminibus gignendis minimè repugnare, aut si placet de iis distinguendum esse. Si enim ab ortu statim suo magna sunt, & nauigiorum capacia, merito è mari, aut vastis sub terra aquarum receptaculis profundi credantur, idque de illo Paradisi fonte, quatuor fluuiorum parente, qui irrigabat vniuersam superficiem terræ meritissimò credi possit. Sin autem, vt fere contingit, in sua scaturigine permodica sunt, sed paulatim, variorum ad dextram & sinistram riuulorum incursu & societate, valescendo intumescunt, & euadunt magnis ferendis oneribus paria: qualis Virgilianus ille fluuius è fonte Timaui.

Vnde per ora nouem vasto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arua sonanti. *Æn. 1.*

rectè dici potest eorum fontes Aristotelico more generatos.

Diuina in terræ eleuatione prouidentia. In terræ soliditate. In cauerna inferorum.

XII. CÆTERVM in hac eleuatione terræ, diuina prouidentia multipliciter & intus & foris eluxit. Primùm enim prouidit, ne in multis hisce cauernis, & aquarum receptaculis, in sese tota terra corrueret, atque subsideret, vt notauit Vales. & in medium subsidens aquas exprimeret, quibus terra iterum mergeretur. Itaque longè maiorem in profundo terris soliditatem dedit, quàm ad superficiem, quod iis qui aperiunt puteos, aut effodiunt mineralia liquidò constat, aut ædium fundamenta iacientibus; sentiunt enim terram quodammodo lapidescere. Addo etiam cum Molina Deum cùm eleuaret Terram, vt aquæ in depressiora loca circunfluerent, simul etiam in centro terræ ingentem omnino cauitatem, & multo cæteris omnibus ampliorem aperuisse, tum vt terra vndique magis intumescere, atque eleuari posset, tum vt illic esset locus tormentis impiorum destinatus, & à sedibus beatorum longè remotissimus: eámque cauitatem materia sempiternis incendiis, aliísque damnatorum pœnis apta repleuisse. Nec assentior doctis viris, qui existimant primo ipso die præparatos inferos; nihil enim apparet ad hanc vsque diem in terræ dispositione mutatum. & quamuis demus Angelos prima die peccasse, potuerunt à Deo non minus in aquis, quàm nunc in aëre, quo circunfundimur, cruciati. *De sacra Philos. c. 1.* *Et Del Rio n. 51.*

In productione mixtorū, lapidū, metallorum, &c.

XIII. SIMVL etiam è terrestri materia metalla omnia, & cætera, quæ dicuntur mineralia diuersis in locis produxisse; omniáque lapidum genera, corporúmque mixtorum vita carentium, quæ in visceribus terræ delitescunt, licet productionis eorum peculiaris mentio in historia sacra non fiat, hoc tamen tempore producta esse: neq; enim aliud commodius videtur assignari posse: & quidem ante plātas, merito

credi potest, vt sic fiat, in productione horum sublunarium, ab imperfectioribus ad perfectiora progressio; ab elementis ad inanima mixta, ab his ad plantas, à plantis ad mutas animantes pisces atque volucres; à quibus ad perfectiora terræ animalia ventum est, vt in homine denique eorum omnium domino, longéque perfectissimo, cuncta sex dierum opera finirentur.

XIV. *In decliuitate ad mare.*

ELVCET etiam foris eadem prouidentia in hac eleuatione terræ. Eam enim proportionem seruauit Deus, vt terra vndique versus mare decliuis esset: quo factum est, vt sicut hodie aquæ ad aperiendam terram, ita deinceps flumina motu naturali decurrant vndique in mare, per varios licet mæandros & flexus, dum impedimenta montium, colliúmque deuitant. Quod si obices, obiectásque moles reperiant, quas sinuoso cursu vitare, aut superare non possint, fiunt paludes, ac lacus, donec vel in eam magnitudinem excreuerint aquæ, vt fluere iterum possint; quod de Rhodano & Gebennensi lacu rectè fortasse quis dixerit, quod omnes de Nilo prædicant; vel à terra exugente consumuntur; vel per occultos deniq; meatus suos cursus sub terra redintegrant, vt de Nilo scripsit Plinius, quem ait postquam Nilidem lacum restagnando fecerit, indè profusum condere se aliquot dierum itinere, mox alio lacu maiore in Cæsariensi Mauritania effecto, erumpere, iterúmque arenis receptum condi viginti dierum desertis, iterúmque se in hominum lucem atque conspectum dare.

[l.5.c.9.]

XV. *In coagmentatione vtriúsque elementi in vnum globum.*

ETSI autem Scriptura testatur aquas vnum in locum congregatas, non propterea tamen, vt ex dictis quoque perspicuum est, suum illas globũ, seorsim à terra cõficere voluit, sed vnum eundémque cũ illa orbem componere, & versus idem centrum confluere, quod Clauius noster, cæterique Mathematici apertè demonstrant, quibus & alij Philosophi assentiuntur. Docẽt enim illi vnam tantam effici vmbram, per cuius conum Luna in eclipsi transeat, vnde consequens sit vnum tantùm esse aquæ ac terræ globum; Isti autem ex vtriúsque corporis pronitate ad petendum centrum, quod iisdem planè lineis, ab aqua & terra petitur. Nec obstat quod aqua natura sua leuior aliud centrum à terreno exigere videatur; id enim verum esset si globis secreta essent ista elementa, nunc autem in vno eodémque ita permixta sunt, vt multis terris conspersum sit mare, plurimæ aquæ in terram procurrant; sicque terra & mare quadam talionum proportione sibi respondeant, seséque mutuò compensent, vt eleganter à Conimbricensibus dictum est.

[in Sphærã Pere, Molina. Caiet. Cornel. Conimb l. 2. de cœl c.14 q 1.&4 Psal 104. Iob 38 8. Ierem 5 22 Basi. hom. 4 l. cit.]

XVI. *Aquarum perennitas, & dictorũ conclusio.*

TERRÆ etiam eleuatio in aquarum commodum & conseruationem cessit. Cùm enim decreuisset Deus postridie Solem & reliqua astra fabricare, quorum actione ac feruore multa semper aqua, aliísque aquarum receptaculis consumeretur, & in aërem verteretur, necesse fuit terram aquis eminentiorem reddi, vt ex aëre in terræ cauernis incluso, eorumdem astrorum actione tãtum aëris in aquam verteretur, quantum perpetuo fontes emittunt, ad aquarum diminutionem reparandam. Itaque ex dictis facilè intelligitur, vt hunc concludamus locum, terram aquis eminentiorem esse, nihil vt illi timendum sit, ne ab aquis nutu suo defluentibus obruatur, parúmque necessarium sit, vt eas perpetuo miraculo diuinum imperium retineat, etsi aliquando Scriptura sacra, quæ se ad vulgi captum sensúmque accommodat, id significare videatur; vnicum item ex vtroque elemento effici globum, cuius vnum idémque sit centrum, sicut priusquam terra ex aquis extaret. Neque enim mutatio quædam loci, aquæ naturam & propensionem mutauit; vt quæ ante ad centrum vniuersi vergebat, nunc ad aliud centrum feratur.

[Iob.c.38 8. 10. Ierem.5,22]

XVII. *Salsedo maris eiúsque causa, & vtilitas.*

ADDENDVM nihilominus hoc loco aliquid de salsedine maris, qua Deus, qui aquas alioqui dulces initio creauerat, hoc tertio die perfudit Oceanum, magna adustarum exhalationum copia in ipsum congesta. Neque enim dubitandum est adustas huiusmodi exhalationes salsum saporem contrahere, vt sudoris ac lotij docet experientia. Id autem à diuina sapientia, cùm multa vtriúsque elementi vtilitate, perfectum est; Sic enim terra eiusmodi leuata exhalationibus fœcundior est reddita. Nam sale terras ad plantarum interitum seminari ex Scriptura notauit D. Hieronymus: Philo etiam in libro de Mundi opificio ait quidquid tunc erat aquæ salsum, quod terræ fertilitati obfuturum esset, in vnũ locum tertio die confluxisse. Aqua etiam & ad piscium nutritionem sapidior, & ad onera ferenda densior, & ad frigoribus ac glaciei resistendum validior, & ad putredinem vitan-

[Iudi 9. 45. l. 2 comm. in Matth.]

dam instructior, reddita est. Denique effectum vt sal inde collectum multis ac necessariis hominum & brutorum vsibus deseruiret. Id quia perpetuum esse debuit, Mare deinceps additione similium exhalationum, quas Solis ardor, aliorúmque astrorum actio cõtinenter producit, eandem retinet amaritudinem, partes enim subtiliores, dulcioresque eliciuntur; quò fit etiam vt summa maris aqua salsior sit quàm profunda.

XVIII. *Aquæ creatæ dulces.* CÆTERVM quod ante congregationem aquarum in vnum locum, aquas salsedine caruisse diximus, authorem habemus Anastasium Sinaitam l. 3. hexaëm. cui assentitur Molina, & Conimbricenses tractat. 10. in Meteora. quod si iam aqua prima die salis austeritate fuisset imbuta, terra cui illa incubabat salsedinem imbibens etiam sterilitatem contraxisset[a]. Sed iam tempus appetit vt primum huius diei opus carmine concludamus, quod suggerit idem qui supra Claud. Marius victor. *disp. 11. c. 5. pronũciato 2. & 3.* *a. ✠.*

Tertia lux tumidos stupuit discedere fluctus,
Cum Deus impulsis reliquas iam gurgitis vndis,
Aeris magnum spatiis patefecit inane.
Arida tum primum Mundi pars ima retectam
Ostendit faciem, tremefactáque numine verbi
Cærula nudatas cinxerunt æquora terras.

XIX. *Iubetur terra germinare, plantásque producere.* CVM primum terra patefacta est, noluit Dominus aliquo eam temporis spatio otiosam & inertem iacere, sed eodem ipso die germinare iussit, plantásque producere; potente omnino atque efficaci iussione. Eodem quippe verbo quo eam germinare iussit, etiam fertilitatem indidit, & germinandi potestatem. Quo modo Christus cùm iubebat paralyticum surgere, tollere grabatum, & ambulare: surgendi simul, & ferendi lecti, & ambulandi præbebat facultatem; efficaci iussione, quam semel ore Dei præpotenti emissam, perennis ac constans obedientia tot iam millibus annorum subsecuta sit, ad quam etiam pertinet illa promissio, qua fluctuantes à diluuio mortalium animos roboratet, *Cunctis diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent.* Hoc volebat magnus Basilius cùm illam Dei vocem, primúmque præceptum terræ datum diceret veluti legem naturæ quãdam, atque institutum impressum insculptúmque telluri, quo facultas ipsi generandi, fructúsque ferendi etiam nunc præstatur, quæ S. Ambrosius imitatus transtulit in hexaëmeron suum. *Ioan. 5. 8.* *Gen. 8. 22.* *hom 5. init.* *l. 3. c. 6.*

XX. *Statímque obtemperat pro singularum conditione plantarum.* STATIM ergo terra germinare cœpit, & inditum vigorem, vitámque vegetantem herbis propalam, frondibus, floribúsque testari, atque adeo fructibus, qui primo illi veri conuenirent; iuxta ea quæ fusius disputata sunt à nobis, cùm de tẽpore mundi conditi ageremus. Quò etiam non repugnantem trahi posse puto illam Mosis orationem; *Et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum,* vt scilicet nux nuces, & amygdalus amygdalas, & vitis vuas, sed pro conditione temporum ac locorum, quibus huiusmodi plantæ naturaliter secundum genus suum gaudẽt. Itaque sicut non omnia locis omnibus, sic nec omnibus tẽporibus prouenire iussa sunt. Neque vero necesse fuit totum naturæ ordinem in plantis peruertere, vt primi parentes vel in vere, vel in autumno fructibus omnibus in paradiso vescerentur: sed satis fuit ad eam, qua frui cœperant, fœlicitatem, & quæ parata iam sibi essent ad victum, & quæ deinceps paulatim pararentur, contemplari. *in Appar. c. 4. n. 4 & seqq.*

XXI. *Nullo Solis concursu.* CONSIDERANT autem Basilius, Ambrosius, atque Chrysostomus, terram germinare cœpisse ante creatum Solem, vt mortales germinum, omniúmque terræ frugum satorem primum atque primarium non Solem agnoscerent, sed ipsum eius molitorem Deum; eúmque vitæ suæ authorem prædicarent, & colerent. Plãtas quoque ante animalia productas, vt cùm illa venirent in lucem, pabulum sibi à prouidentissimo patre familiâs præparatum offenderent. Cæterum quod prædicti patres de terra sine sole germinante asserunt, fauet doctrinæ illorum qui putant, terram hoc tempore, materiam tantum ministrando, procreationi herbarum concurrisse. Deum autem se solo actiuè omnia subitò produxisse, & vim Solis ac seminis suppleuisse, sicut & terræ dispositiones, aut eas certè accelerasse. Sed hæc, minutiora forrasse, missa faciamus. *hom. 5. & 6 in Gen.* *l. 3. c. 6. in hexam.* *hom 5 ibi. & refertur à D. Thom. 1. p. q. 70. a. 1. ad 4.*

XXII. VERVNTAMEN quæstionem illam omittere non conuenit, quam plerique

Patrum hoc loco excitant nõ inelegantẽ, an herbæ virentis nomine etiam herbæ
noxiæ intelligendæ sint: & an lignum fructiferum, etiam steriles arbores compre-
l. 1. de Gen. contra Manichæos c. 13. hendat. Eam dubitationem cùm posuisset S. Augustinus, planè respondet hæc in
pœnam peccati contigisse, & consequenter die tertio non produsse: cui sententiæ
adhæret Beda in Genesim, subscribunt Rupertus, Rabanus, & Alcuinus. Nam
l. 2. c. 37. & 38. Ruperti illa est oratio, *Si maledictionis est spinas & tribulos germinare pungentes, quanto
magis à maledicto est afferre herbas, & succos occidentes?* Itaque eos negat ad hæc benedi-
ctionis verba pertinere. *Germinet terra herbam virentem*, &c. Rosas quoq; spinis hoc Rosa.
hom. 5. tempore caruisse credidit Basilius. *Verùm rosa*, inquit, *tum spinis carebat; postea vero
pulchritudini floris adiuncta sunt spinæ, vt nos voluptatis inde capiendæ oblectamento, propin-
c. 9 & 11. quo afficiamur dolore recordatione delicti, causa cuius factum est, vt spinas & tribulos tellus huic
l. 2. de fid c. 10, in c. 1. Genes. *addicta condemnationi nobis proferret.* Hæc Basil. qui habet sibi consentientem de
more Ambrosium l. 3. hexaëm. D. Damascenum, & Procopium.

VERVM vt de plantis noxiis primùm respondeamus communissima nunc est, XXIII.
probatissimáque sententia, omnes omnino arbores, plantásque à principio Dei *Omnes omnino plantas tertio die fuisse productas.*
hom. 5. iussu esse productas. Nam etiam Basilius iampridem, *Et ecce*, inquit, *cùm iis quæ edu-
les sunt, & nobis alendis opportunæ, exortæ sunt mox ipsæ etiam exitiales herbæ venenosæque.
Cùm frumento cicuta, cum esculentis cæteris helleborus, aconitum, mandragora, atque papaue-
ris succus.* Et longiùs postea, cùm docuisset pleráque noxia reputari, quæ non sint
vniuersè noxia, sed quibusdam animantium generibus, aliis non item; cùm sturni
cicuta impunè vescantur, helleborus coturnicibus sit cibus. Et rursum quædam
morbis vtilia sint, quæ nutritioni officerent de rosa subdit, de qua mox dicemus.

Eandẽ sententiam Philo longè ante protulerat in libro de mundi opificio. *Eodẽ
iussu*, inquit, *& arborum species omnes sunt editæ, nulla omissa vel mitiũ vel syluestrium, eaque
omnia fructibus suis abundabant in ipso statim ortu, secus quã hodie.* Quasi dicat, productæ
sunt in statu perfecto, adeo vt illo ipso anno quo productæ sunt fructus ferrent,
quod nunc non nisi post aliquot annos contingit. Denique Theodoretus; *Deus pro
nutu suo statim vniuersam terram repleuit pratis, segetibus, & aliis omnis generis herbis, & ar-
boribus.* Si omnis generis, ergo noxiis, & innoxiis, frugiferis atque infrugiferis,
quæ tamen vt cibo non prosint, igni tamen prosunt, & ædificiis, & nauigiis, & om-
nis generis instrumentis.

l. 3. de Gen. ad lit. c. 18. VERVM Augustinum audiamus pressius ad obiectionem suam, & scripturæ ver- XXIV.
ba respondentem, omnes quidem plantas à principio fuisse productas, noxias ta- *Sed noxias in pœnam fuisse post peccatum.*
men, post peccatum duntaxat, homini in pœnam fuisse: verba eius hæc sunt. *Et de
spinis quidem & tribulis absoluta potest esse responsio, quia post peccatum dictum est homini de
terra, spinas & tribulos pariet tibi. Nec tamen facile dicendum est tunc cœpisse ista oriri ex ter-
ra: fortassis enim, quoniam in ipsis quoque generibus seminum multæ reperiuntur vtilitates, po-
terant habere locum suum sine vlla pœna hominis. Sed vt in agris, in quibus iam pœnaliter la-
borabat, etiam ista nascerentur, hoc ad cumulum pœnæ valere credi potest, cùm possent alibi na-
sci, vel ad auium pecorúmque pastus, vel ad ipsorum hominum aliquos vsus. Quanquam & ille
sensus non abhorret ab his verbis, quo ita intelligitur dictum spinas & tribulos pariet tibi, vt hæc
1 p. q. 69. a. 2. ad 2. etiam antea terra pariens, non tamen homini pareret ad laborem*, &c. Fuse enim expendit
illud, *tibi*, sicut & D. Thomas. Eadem habet idem Augustinus in libro 65. quæ-
q. 58. stionum, quem plerique secuti sunt, quos seorsim referemus [1]:

2. X. Gen. 2. 2. IDQVE auctoritas scripturæ videtur exigere, quæ die septima dicit Dominum XXV.
ab omni opere producendo cessasse, quia deinceps non produxit aliquas plantarũ *Confirmatur hæc veritas ex scriptura.*
nouas species, siue infrugiferarum, siue noxiarum. Et mox ibidem ante omnem
peccati mentionem, imo ante productionem hominis dicitur Deus fecisse omne
virgultum agri, omnémque herbam regionis. Qui omne dixit nihil exclusit, præ-
sertim cùm nec peccato hominis plantarũ natura violata sit, nec absurdius sit ante
peccatum noxias & infrugiferas nasci arbores, quàm serpẽtes, lupos, scorpios, dra-
cones. Ex his autem intelligitur quid de rosarum spinis dicendũ sit, quarum natu-
ra non magis mutata est quàm cæterarum plantarũ, & spinæ ab interna plantæ dis-
positione ipsi congenita promanant, qui est cõmunis hominũ sensus, atq. iudiciũ.

DE PARADISO TERRESTRI.

HIS vniuersè de opere diei huius explicatis, ingrediendum est nobis in diffici- XXVI.
lem, atque operosam de Paradiso terrestri disputationẽ, in quam inaccessum *De paradiso*

terrestris difficultatibus.

etiam aditum nobis videtur exhibere Cherub ille, flammeo atque versatili gladio obarmatus. Nam & tempus quo conditus est, de quo primum Chronologo statuendum est, difficultate non caret; nec locus alioqui longè deliciosissimus, spinosis aculeatisque difficultatibus circumquaque obsitus, adiri sese, ac ne inueniri quidem, permittit. Quin ipsi eius fluuij suis nos vndarum vorticibus hauriãt, atque absorbeant potius, quàm æstum animi nostri humore temperato refrigerẽt. Cumque alij cursibus suis, & regiones signare soleant: & certi sunt duces hominibus ad fontes suos, hi nobis neque fontes suos satis, neque regiones indicant per quas decurrunt. Denique qui ad Paradisum nobis scriptis suis duces sperari poterant, rem efficiunt desperatione plenissimam. Nam aliqui eum etiam vltra terrarum, atque Oceani latissimam infinitatem submouent; alij ad altissimas aëris regiones, supra omnium montium etiam ventis ac pluuiis inaccessa iuga, ad Lunæ vsque globum euehunt: alij ad ipsum etiam tertium cœlum cum Paulo Apostolo rapiunt. Quin ne esse quidem non pauci autumant, diluuij inundationibus obrutum, atque dissipatum: alij verò vt esse fateantur, nulla tamen mortalium industria vel aditi, vel reperiri posse putant.

Quid ergo? num explorata omnia lectori, peruiàque promittimus? an filiũ aliquod Labyrinthæum nacti sumus, quod ingressos & oberrantes optato in limine sistat? aut à mitiore quopiam angelo per cincinnum capitis in eum locum necopinantes delati fuimus, quem nunquam vidimus, nunquam adiimus, quem fama antiqua, imo scripta obscura recondunt. Conandum tamen nobis est aliquid pro instituto nostro. Si fortè Dominus, *Emittat lucem suam & veritatem suam, vt ipsa nos deducant in locum sanctum suum, & in tabernacula sua.* [Daniel. 14. 35.] [Psal. 42. 3.]

XXVII. *Quando productus fuerit.*

Dicimus autem primò, pertinere ad hunc tertium Mundi diem productionẽ Paradisi terrestris, vt sensit Augustinus lib. 8. de Genesi ad literam; tametsi lib. 6. eiusdem operis videatur sentire sexto die fuisse productum. Verùm ordo productionis mundi à D. Augustino petendus non est, qui pleráque omnia bis producta putat, primùm potestate, deinde actu, sicut eum explicat S. Thomas, negátque per istos dies designari temporis successionem, sed solum ordinem naturæ. Tertio item die productum agnoscit Rupertus, & ideo de illo agit exponendo hunc tertium diem. Beda quoque in suo hexaëm. Eusebius Emesen. apud Lipomanum in Catena. Hugo de sancto Victore. Moses Bar-Cepha Syrus lib. de Paradiso 1. p. c. 5. & 28. & omnes passim recentiores. [c. 4.] [c. 8.] [1. p. q. 66 & seqq.] [l. 4. de Gen. ad lit.] [c. 12. & 14. & l. 5. c. 5.] [lib 1. c. 37. & l. 2. in Exod. c. 2. habetur to. 1. Bibl. Patrum.]

Quin & scriptura ipsa apertè significat, se in eius descriptione rationẽ temporis non habuisse, cùm post expositam hominis formationem ait, *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio;* quando scilicet iussit terram germinare herbam virentem, atque omne plantarum genus. quod notauit etiam Rupertus. vbi tacito nomine Diuum Augustinum impugnat. Nec causa vlla videtur idonea, cur aut prius, aut posterius dicatur conditus Paradisus, potius quàm eo tempore, quo terra vniuersè germinare iussa est, & producere arbores reliquasque plãtas, quibus maximè deliciosissimus ille locus nobilitabatur. Retinent etiam vocẽ, Plantauerat, Pagninus, Vatablus, & interpres Chaldæi Paraphrastis. Nec dici potest conditum post formatum hominem, vt putauit D. Basil. quẽ mox referemus, sic enim nõ posset dici Deum creato homine ab omni opere producendo cessasse. [4. x.] [l. 1. c. 37.] [Gen. 2. v. 2. & 3.]

XXVIII. *Qui negẽt tertio die productũ.*

De tempore itaque dissentire videntur D. Basilius, & D. Hieronymus. Nã prior in libro de Paradiso videtur asserere illum post diem sextum potius, quàm tertio productum, propter eximiam eius excellentiam. *Superiore loco dictum est,* inquit, *educat terra herbam fœni, & lignum fructiferum, &c. hic paradisus, si quidem lignis consitus esset vniuerso orbi communibus, vtique in primigenia illa generatione contineretur; nec hæ arbores, quæ præsenti loco commemorantur à Deo in Paradiso plantatæ, opus habuissent eximia h[illegible], & à ceteris selecta plantatione.* Vult ergo plantatum seorsim, sicut hominẽ à brutis seorsim formatum & apertius in fine eiusdem homiliæ prius formasse hominem dicit, deinde plantasse paradisum. Hieronymus autem in tradit. Hebraicis explicans illud, *A principio,* quod est in textu; *In Hebræo,* inquit, *mikedem* מקדם *scribitur, quod Aquila posuit* ἀπὸ ἀρχῆς, *& nos ab exordio possumus dicere. Symmachus verò* ἐκ πρώτης, *& Theodotion* ἐν πρώτης, *quod & ipsum non Orientem, sed principium significat. Ex quo manifestissimè comprobatur, quod priusquam cœlũ & terrã Deus faceret, paradisum ante condiderat.* Sic ipse. [Genes. 2. 8]

Dici sanè potest D. Basilium in laudes horti nobilissimi prorumpentem, minus attendisse descriptum posterius à Moyse; nec tamen ab eo affirmatum esse, posterius etiam fuisse conditum, imo contrarium duabus illis vocibus, plantauerat, &, à principio, fuisse declaratum. Sed venia danda Basilio, qui apud Septuaginta legebat, ἐφύτευσεν ὁ θεὸς παράδεισον ἐν Ἐδὲμ, & nō ἐπεφύτευκε ἀπ' ἀρχῆς. Seposuit autē Moyses huius paradisi expositionē, sicut peculiarem narrationē formationis Adami & Euæ, quanuis illa ad tertium diem, hæc ad sextum pertineret, quod res maximè memorabiles essent, & fusius exponendæ, nec breui illi Catalogo operū sex dierum inserendæ. quod notauit etiam Bellarm. & minus à quibusdā animaduersum, eos induxit in fraudem. De D. Hieronymo respondet ibid. Bellarm. cum ibi ex aliena sententia esse locutum, Hebræorum videlicet, quorum ibi traditiones scribit; & quidem insulsas pleráſque, vt sæpiùs videre deinceps continget. Ex qua itidem officina prodiit illud 4. Esdræ, vbi de hoc ipso argumento, *& factus est viuens coram te*, Adam videlicet, *& induxisti eum in paradisum quem plantauerat dextera tua, antequam terra aduentaret.* Nisi fortè placet illud, faceret, Hieronymi, interpretari, perficeret. Antequam enim Deus cœlum & terram perficeret, cum suis ornamentis, Paradisus tertia die conditus est. Hæc de tempore. XXIX.

[*Respondetur D. Basilio.*] [lib. de gratia primi hominis c. 11.] [*& Hieronymo.*] [l. 4. Esdræ c. 3 6.]

De loco autem vtinam tam certa dicere liceret. Septuaginta seniores Paradisum hunc ad Orientem situm fuisse crediderunt, ex ipsius Mosis sententia. Nam vbi nos legimus, *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio.* Ipsi verrunt, *Et plantauit Deus Paradisum in Edem contra Orientem*, vt habet ex antiqua versione Hieronymus, alij ab Oriente, aut ad Orientem. Tradit autem Pagninus, aliique linguæ sacræ bene periti, vocem kedem קֶדֶם nunc temporis esse, nunc loci; ideoque significare antiquitatem, originem, principium; & rursum Oriens, id est plagam Orientalem, forsitan quia inde principium diurnæ lucis, & motus primi mobilis, omnium cœlestium corporum moderatoris & principis, & generationis hominum. Priorem expositionē & vsum vocis amplexus est Onkelos in Chaldaica Paraphrasi, & Hieronymus in edit. vulgata, secutus Aquilam, Symmachum, Theodotionem, vt paulò antè retulimus. Posteriorē Septuaginta, quos secuti sūt Græci patres, & Latini plerique, & recentiores textui Hebræo cū primis addicti. Sic infra c. 3. vbi vulgata & Chaldaica habet, ante paradisum, alij vertere malunt, Ab Oriente paradisi. Nihil ergo absurdi est geminā esse eiusdem vocabuli versionem, & Hieronymum & Chaldæum vertisse à principio: Septuaginta vero, quos Iosephus sequitur, κατ' ἀνατολάς ab Oriente. Hinc igitur habemus hortum hūc ad Orientem situm esse: nimirū habita ratione Palæstinæ, sicut de primæ lucis exortu supra diximus, nisi malis haberi rationem loci, in quo formatus est Adam. XXX.

[*De loco paradisi.*] [Gen. 2. 8.] [in trad. Hebr. Oleast. Mercer. Fag.] [n. 28.] [sub fi. v. 24.] [die primo n. 8.]

Verum quia vox Orientis latissimè patet, videndum est an certam aliquam regionem expiscari possimus, in qua ille fuerit conditus, aut plantatus. In Hebræo legimus plantasse Dominum Paradisum be-gheden בְּעֵדֶן, Septuaginta, ἐν Ἐδὲμ, retenta voce Hebraica, quod argumentum est eos intellexisse proprium id esse loci nomen, non appellatiuum. Ex quo clarè arguitur, inquit Eugubinus, hanc esse loci descriptionem: siquidem propositio, In, Chorographiæ est indicium, & Eden esse nomen loci non deliciarum, quod alioqui inepta sit locutio, Plantauit Deus Paradisum in voluptate[5]. Oleaster quoq; etsi non negat posse id vocabulum appellatiuè sumi, mauult tamen esse loci proprium, præsertim cùm locus Edem apud Prophetas inter alias prouincias memoretur circa Assyrios, & Chaldæos. Certè Græci patres secuti Septuaginta viros, Eden pro certo loco accipiunt. In quibus Chrysostomus, *Propter hunc*, inquit, *Paradisum produxit, de quo audi Scripturam dicentem: Et plantauit Deus Paradisum in Eden, secundum Orientem, & posuit illic hominem quem formauit. Et idcirco nomen loci scripturis inseruit beatus Moses, vt non liceat nugari, volentibus imponere simpliciorum auribus, & dicere nullum esse in terra paradisum, sed in cælo, & fabulas quasdam huiusmodi somniare.* Hæc ille, contra Origenis allegorias, anagogicósque sensus, quibus pro terrestri, cœlestem paradisum in hac Mosis narratione substituebat; contra quem errorem multa sæpe Græci, Latinique patres spicula intorserunt, quæ collegit Bellarminus in libro de gratia primi hominis. Itaque hunc locum concludēs Chrys. *Quod reliquū est*, inquit, *crede quod & Paradisus factus sit, & in illo loco vbi Scriptura* XXXI.

[*Eden an certus locus.*] [Gen. 2.] [5. x.] [Ezechiel. 27 & 28. Isaiæ 37. hom. 13.] [to 4. lib. vo c. 10]

significauit. Nomina plantarum, inquit Basil. *suppressa silentio sunt, proditum verò memoriæ est quo sit loco plantatus. In Eden*, inquit, *plantauit, hoc est in delitiis, nam Eden delitias significat.* Eadem fere habet Damascenus, & Theodorus Mopsuestenus [6].

hom. de parad. l. 2. de fid. c. 11. 6. ✠.

XXXII. *An commune voluptatis nomen.*

Nihilominvs Eden nomen appellatiuum agnoscunt hoc loco etiam Græci. Nam Seuerianus apud Eugubinum in Cosmopœia. *Eden*, inquit, *interpretantur delitiæ, quasi dixerit aliquis, plantauit Deus Paradisum*, ἐν τρυφῇ, αἀντὶ τοῦ ἐν τρυφερῷ τόπῳ καὶ καλῷ, *in voluptate & delitiis, pro eo quod est in delicato, & amæno loco.* Sed & ipsi Septuaginta mox habent παράδεισον τῆς τρυφῆς, quasi vtrámque vocis Eden interpretationem probantes. Appellatiuè etiam acceperunt Hebraicè doctissimi, in quibus Hieronymus meritò chorum ducit, qui in editione vulgata posuit Paradisum voluptatis, id est voluptatium siue delitiosum; idemque in tradit. Hebraicis, ait Symmachum vertisse modò ἀνθηρὸν, id est florentem, modò τῆς ἄλσης, quod etiam amœnitatem & delitias sonat. Chaldaica item Paraphrasis, be-heden vertit in loco voluptatis: habétque Tigurina versio pro Paradiso voluptatis, hortos delicatissimos, alij plantauit hortum in deliciis. Sibylla Paradisum ambrosium vocat, vt notauit Del Rio, qui negat hoc loco Eden esse proprium loci, sicut & Bellarminus. omnésque fatentur eam vocem tam propriè, quàm appellatiuè vsurpari. Nihil ergo ex hoc loco afferri certo potest, quo Eden statuatur peculiaris regio, in qua conditus sit Paradisus.

loco cit.

XXXIII. *Variæ de loco Paradisi opiniones.*

Aliæ quoque plurimæ de loco paradisi reperiũtur opiniones, quas latius persequitur Cornel. Pererius, & Bellarmin. parum sanè probabiles, etsi aliquæ authorum sint valde probatorum. Nam S. Basilius dum hilarescit, ac prope dicam luxuriatur in commendatione Paradisi huius. *Hominis*, inquit, *apparauit*, ita legendum nã in Græco est ἐπίσκοπον, *suáque condidit manu peramœnũ, ac delicicis omnifariã diffluẽtem mansionem, locum vtique omnem exuberantem creaturam, visenda pulchritudine suspiciendũ, & admirabilem, locum dico prælustrem & spectatu dignissimum, & qui ob situs celsitudinem, nulla sui parte vllas admittit tenebras, nulla tenebrescit caligine; quippe quem exorientium syderum splendor irradiat, & vndique suo lumine circunfundit.* Subdit pleráque de perpetua in eo loco veris temperie, aëréque lucidissimo, in quo nulla ventorum vis, nulla tempestatum, nulla grando, nulla fulmina, nullæ procellæ, sed quidquid in singulis anni temporibus optatissimum foret; quæ quamuis hyperbolica videantur, non improbantur tamen à D. Damasceno, etiam in eo quod supra vniuersam terram situm dixit esse paradisum. Nec probabilius Bar-Cepha Syrus vltra Oceanum illud trãstulit. Poetæ, autem ad cãpos elysios [7]. Verùm omissis opinionibus partim obsoletis, partim apertè falsis, duas tantùm, quæ plus habent probabilitatis recensebo.

Gen. 2. v. 8. l. 3. n. 20. & seqq. c. 12. hom. de parad. l. 2. de fid. orth. c. 11. 7. ✠.

XXXIV. *Probabiliores de eodẽ sententiæ duæ.*

Prior est fuisse à Deo conditum Paradisum hunc circa Mesopotamiæ fines, in iis regionibus, quas Tygris & Euphrates præterlabuntur. ita Pererius in Genesim, Cornelius in c. 2. eiusdem. Torniellus in tertium hunc diem. Genebrardus in sua Chronol. non semel. Oleaster in c. 2. Eugubinus in Cosmopœia vult esse prope Charan iuxta Euphratem, cuius opinionis inuentionem Hebræis, Græcis, Latinisque ignoratam sibi gratulatur. Eadem habet in annot. in Genes. quæ etiam reperias apud Vatabum, Oleastrum & Scaligerum. Ad quam etiam sententiam referas licet Beroaldum sectarium. qui vt aliquid noui dicere videretur, maluit in Syria collocare, quanquam illi mox adiungit Arabiam & Mesopotamiam.

l. 3. n. 112. n. 8. cõclus. 2. o. 23. in c. 2. n. 18. & 21. l. 5. de E. meod. tit. de conditu mundi l. 2. c. 7.

Altera opinio est, Ad Orientem quidem cõditum Paradisum, id enim negari non potest, in tanto vel Scripturæ vel Patrum consensu, sed loco mortalibus planè incognito. Ita sentit Bellarmin. cum D. Augustino, Tertulliano, aliisque Patribus. Quibus accedunt D. Thomas, Greg. de Valentia, Del Rio, & si qui alij, qui videntur mole difficultatum superati dedisse manus, & ad hoc, quod vocant, asylum ignorantiæ confugisse.

l. de gratia primi hominis c. 13. l. 8. de Gen. ad lit. c. 7. in Apolog. 1. p. q. 102. a. 1. t. 1. d. 7. q. 6. pũct. 2. in c. 2. Gen. v. 10.

XXXV. *Recipitur prior, Paradisum ad Mesopotamiam pertinere, idq; probatur ex fluuiis.*

Et sanè mihi nonnihil vtrámque in partem fluctuanti, visum denique est priorem amplecti sententiam, vt paucioribus incommodis obnoxiam, & statuere Paradisum ad Orientem Palæstinæ siue Chananitidis, non longè à Tygri & Euphrate. Cùm enim Scriptura dicat fluuium, qui egrediebatur è Paradiso, inde diuisum in quatuor flumina siue capita, quorum duo sine controuersia sunt Tygris & Euphrates, certè satis docet illos non multum à Paradiso abfuisse. Nam ad hanc Mosis topographiam nihil pertineret longè distantium fluminũ meminisse. & ita

in annot in Gen. hunc locum intellexerunt interpretes eruditi Vatablus, & Eugub. in primisque
Hugo à Sancto Victore. *Qui inde diuiditur*, inquit, *videlicet vel in ipso Paradiso, postquam aliquandiu vt vnus manauit, vel postquam à paradiso egressus est, in quatuor capita.* Ego
c. 2. v. 6. sanè crediderim, vt mittam alias interpretationes, quas suggerit Cornel. in medio
circiter paradisi magnum quendam fontem siue gurgitem ascendisse de terra, de
aquarum scilicet abysso in terræ cauernas retrusarum, eundémque se mox qua-
dripertitò ad quatuor mundi partes diuisisse, effecisséque quatuor illa flumina,
quæ à Mose memorantur. Cui expositioni hebræum, quod Hieronymus fon-
tem, Oleaster innundationem, Cornelius gurgitem vertit, plurimū fauet, est enim
gurges, profundus in aquis locus, in quo circūuoluitur ac versatur vnda, siue erū-
l. 2. c. 29. pens, siue influens atq; absorbens. Adde Rup. qui hunc fontē de abysso promana-
re ait, esséq; quasi terræ mămam in qua salsa abyssi aqua lacteā assumat dulcedinē.

in Cosmop. & c. 2. Gen. l. 3. n. 40. & 122. in c. 2. v. 8. concl. 2. Præterea vt rectè argumentatur Eugub. Pererius, & Cornel. In eo loco
putandum est fuisse Paradisum, iuxta quem tam Adam, quàm eius filij famíliáq; XXXVI. *Et primorū hominum habitatione.*
habitauit, & multo deinceps tempore posteri, ante & post diluuium. Eo enim tra-
hebat amor natalis soli humani generis, & eximia terræ paradiso proximæ, fertili-
tas, aërísque gratissima salubertimáque temperies, suppar ipsi paradiso, quæ causa
fuit antiquis illis Patriarchis tam longinquæ ac diuturnæ vitæ. Satis autem cōstat
Gen. 3. 23. Adamum iuxta paradisum habitasse cum suis. Nam Scriptura, *Et emisit*, inquit,
eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est. Terram il-
hom. 18. in Gen. *lam ipsam de qua sumptus est*, ait D. Chrysost. Quis autem dubitet Adamum iuxta Pa-
radisum formatum, vt inde mox in ipsum hortū induceretur? idq; affirmat Aben-
in annot. in Gen. c. 2. Ezra apud Eugubinum. *Nam electione*, inquit Chrysostomus, *& propinqua habitatio-*
hom. 26 in Gen. *ne castigatiorem, & in posterum securiorem faciens, reipsa docuit quantus impostor fuerit dæmō.*
Atqui satis constat ex c. 4. 10. & 11. Gen. primos illos Patriarchas Mesopotamiæ,
Assyriæ, & Babyloniæ, siue Chaldææ regiones incoluisse. Certè Cain habitauit ad
Orientalem plagam Eden, & ibi condidit ciuitatem. Et ex Babylonia factam esse
diuisionem in omnes terras argumento est turris Babel, & Scriptura, quæ ait pro-
fectos ex Oriente, id est Armenia, in qua substiterat arca, & habitasse in terra Sen-
naat. Fauet eidem sententiæ celebrata scriptoribus Chaldæorū antiquitas, quam
ipsi liberali sanè mendacio ita auxerunt, vt ab origine sua, si superis placet, qua-
dringenta & septuaginta annorum millia numerarent. Verùm hæc obscuriora es-
se necesse est, cùm Scriptura multa breuiter perstringat, multa vix innuat, cùm ta-
men ab ea vna edoceri possimus. Adde tum nondum conditas ciuitates, nondum
diuisas, nominatásque regiones, vt nihil ipsis de rebus præter probabilitatem as-
ferri possit. Cùm ergo ad ipsa penè pomæria Paradisi inquirendo peruenerimus,
quis dubitet in proximo esse ciuitatem?

Hvic quæstioni affinis est alia, extétne hoc tempore ille Paradisus, an iampri- XXXVII. *An extet nunc Paradisus ille. qui asserāt.*
dem diluuio, aliòve casu, aut ipsa certè vetustate interierit. Existere necessariò
credunt illi omnes, qui in eo viuere Enoch & Eliam tradidere, grauissimi scilicet,
antiquissimique patres, in quibus Irenæus, Iustinus martyr, Athanasius, Hiero-
nymus, Isidorus, aliisque. Verùm hac de re diligentius infra, cùm de Enochi trans-
an. mundi 987. latione, dicendum erit. Simpliciter autem extare Paradisum terrestrem, plerique
omnes antiqui tradiderunt, quibus assentiuntur Bellarminus, De Valentia, Del
locis ante citat. l. 3. n. 40. & 49. Rio, in fine c. 3. Nec diffitetur Pererius istius sentētię nouitatem, aliam autem an-
l. 2. de orig. pec. c. 25. tiquam agnoscit, & communem; adeo vt D. August. id de fide esse sentire videa-
l. de gratia primi hominis c. 14. tur, cū dicat fidem Christianam non dubitare illum esse Paradisum. Itaque sentit
t. 1. disp. 7. q. 6. pun. 2. Bellarminus, & ferè Gregorius de Valentia. Nec tamen dicendū arbitror rem esse
de fide; sed tantùm D. August. ita sensisse: quod vidit etiam ibidem à Valentia;
Neq; enim Ecclesia Catholicos, qui cōtra sentiant, vlla censura vnquam notauit.

Non extare autem, & aquis diluuij iampridem obrutum, vel certè à Deo, ho- XXXVIII. *Qui negēt.*
annot. in Gen. 8. minéque desertum, ac desolatum squaluisse ac defecisse, viri graues religiosique
censuerunt. D. in primis Chrysostomus, quem refert Eugubinus in hęc verba, *An-*
te diluuium cognoscebant homines & loca, & viam, quæ duceret in Paradisum. Post diluuiū au-
tem extra Paradisum esse reperti sunt, & neque Noe, neque posteris eius vltra cognitus est. In-
nuens vt puto, inquit Eugubinus, *aquarum illuuie arbores amœnissimas euersas esse, ter-*
ram autem, quæ suaues herbas pareret, vorticibus rapidissimis dissipatam fuisse, atque ita

locum delicatum concidisse, éque oculis mortalium euanuisse, vt post diluuium ne vestigium quidem appareret; hæc ipse, In quam sententiam affertur illud ex historia Diluuij, *Et aquæ præualuerant nimis super terram*. Et, *reuersæque sunt aquæ de terra euntes & redeuntes*. Denique, *Opertique sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cælo quindecim cubitis*. ergo & Paradisum superauerunt quem ridiculum est existimare in aëre supremo; aut in Lunæ concauo collocare, eodémque flumina, quæ in terris visuntur, transferre. Circumcinctũ autem fuisse tunc Angelorum custodia ne obrueretur aquis, facilius est dicere quàm probare. Eandem sententiam amplectitur Perer. l. 3. in Genes. qui n. 51. pro eadem sententia doctissimos quosque huius sæculi stetisse tradit, nominatimque Cornelium Iansenium, Beroaldum, Ab Oleastro, Vatablum, adde Genebrardum in Chronologia, & Cornelium à Lapide. Tornellus in ambiguo est, neutram enim partem plane probat, aut improbat.

c. 7. & 8. Gen.

q. 5. a 40. & seqq. c. 141 concord. Euãg. in fi. l. 2. Chron in c. 2. Gen.

XXXIX. *Recipitur posterior sententia.*

Dicendum mihi videtur, quoniam in sententiis quantumuis probabilius, propensionem nostram non dissimulandam puto; parúmque arbitror satisfacere lectori, qui sententiam suam occultat, quam ille auet agnoscere, nec probat sibi relinqui iudicium de re ipsa, quod sibi auferri non potest, vt maximè prodamus, aut probemus opinionem nostram. Dicendum igitur videtur cum posteriore sententia, terram quidem illam, in qua Adam aliquandiu habitauit, seposito aduentitio ornatu, quem Deus ei loco in fauorem innocentiæ attribuerat, extare vtique sicut & reliquas eius elementi partes, *Terra enim in æternum stat*. Existimo autem illius loci delicias ex arboribus, plantísque ac fructibus omnis generis, ex aëre temperatissimo, ex fontibus & aquis saluberrimis, & omnium rerum ordine ac compositione mirabili, quæ ipsum deceret autorem, exoleuisse, siue id aquis diluuij tribuendum sit, siue ipsius architecti desertioni, & rerum edaci tempori; quod non patitur arbores, aliásve plantas ad 1656. annos perdurare. Cùm ergo hæc esset forma horti huius, formæque vi res ipsa subsistat, eáque sublata concidat, consequens est vt simpliciter fateamur istum Paradisum plane nullum esse.

Eccles. 1. 4.

XL. *In quam propendet prior.*

Sed *quoniam terrestris erat*, inquit Eugubinus, in Cosmopœia, *credendum est peracta creatione, & Adam cum indignatione repulso, eum suæ naturæ relictum esse, & iuxta ac omnes paradisos regum Persarum ac Salomonis, regúmque cæterorum squaluisse, ac defecisse: aut loci fertilitatem, vbérque solùm semper retinuisse, dotes autem quasdam peculiares illius temporis fuisse*. Et in hanc sententiam inclinant, etiam qui priori nomen dederunt, fatetur enim Del Rio eum, quod ad essentiam, non quod ad ornatum, quem olim habuit, superesse, conceditque cum Gregorio à Valentia non mansisse dispositionem fluuiorum, qui olim ab vno gignebãtur & in diuersis nũc, longéq; dissitis regionibus cernũtur scaturire, quod agnoscit etiam D. Augustinus & alij deinceps.

in c. 2. § Paradisum voluptatis, in fine.

in c. 2. v. 10. punct. 2. ib. ad 4. ita D. l. 8. de Gen. ad lit. c. 7.

XLI. *Res tota concluditur.*

Vt ergo concludamus hunc locum, dicamus ipsam paradisi regionem ac solùm, &, vt ita dicam cum scholis, ipsum materiale paradisi etiam nunc extare. Nã etsi *generatio præterit, & generatio aduenit, terra tamen in æternum stat*; extare inquam, & quidem supra cætera sola terrarum fertilitate & aëris salubritate florentem, neque admodum distantem ab Euphratis, Tigrísque fluminibus, ipsas tamen loci delicias, arbores, omnémque elegantiam, ac distributionem innocentiæ destinatam, ipsa deperdita paulatim exoleuisse, vt mirum non sit eius certa aliqua vestigia nusquam gentium reperiri. *Eodémque fortè modo*, ait Eugubinus, *is Dei hortus deformatus est, quo Hierusalem ciuitas Dei euersa est, & Sion mons Dei, Arca quoque Dei vetustate contabuit. Omnia denique ea temporis diuturnitate abolita sunt; in quibus longè diuiniora opera perpetrata à Deo sunt, quàm in Eden creatio Adæ. Vt ergo illa obliterata sunt, ita incultum & informem nunc esse Paradisum necesse est*. Sic ipse. Neque obstat, quæ dicitur, Enochi & Eliæ in ipso commoratio, quam insectatur Eugubinus, qua de re suo loco pluribus. Interim dicere possumus illos intra terminos olim Paradiso destinatos, à Deo collocatos angelorum ministerio conseruari: ita tamen vt nemini conspicui esse possint; qualem se Christus Dominus Iudæis aliquando exhibuit.

Eccles. 1. 4.

In Cosm.

in Annot. in Gen.

Ioan. 8. 59. Luc. 4. 30

XLII. *De Paradiso ipso, eiúsque plantis.*

Sed Paradisum ipsum aliquando ingrediamur; sua enim admirabili atque inusitata amœnitate iamdudum nos ad se allectat. In loco ergo ipso nihil celebrius arboribus; in pomærio verò nihil fluminibus ex horto promanantibus cognitione dignius, de vtrísque igitur ordine dicamus.

v. 9. c. 2. De arboribus hæc habet Moses. *Produxítque Dominus Deus de humo, omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignúmque scientiæ boni & mali.* Redintegratur hoc loco narratio productionis arborum, omniúmque plantarum, quæ tertio die facta est, & Paradiso applicatur, vt notauit August. Eucherius, Rupertus, cum D. Thoma. Notat autem Chrysost. beneficentissimum Dominum operam dedisse, vt plantis hisce tam aspectus, quàm gustus delectaretur, tam omnium quæ quis dicere queat varietate ac multitudine, quam eximia bonitate singulorum. Neque verò Mosis est sententia solas arbores frugiferas, quæ visu pulchræ essent esse productas; sed eas etiam quæ ad delectationem tantùm videntur productæ, cùm tamen multis præterea vsibus deseruiant; adfuisse enim cedros, & abietes & platanos, aliásque id genus arbores, ramis pulchras, & frondibus nemorosas, & proceritate excelsas, ex allegoria Ezechielis colligitur. Itaque illud, Et, pro disiunctione accipiendum notauit Del Rio. Sed intellige quoque genus omne florum atque herbarum, quæ vtrúmque illum sensum, & præterea odoratum iucundissima suauitate reficerent.

l 8. de Gen. ad lit. c. 3. 1 p. q. 102. a. 1. ad 5. hom. 13.

c. 31 8. 9.

ET hæc quidem confertim, & quasi tributim congesta narrantur, quæ minimè dubium est pulcherrima dispositione in diuino illo horto digesta atque dispensata; flores inquam atque arbores, vt singulorum venustati ordo perelegans, & mirifica distributionis varietas, tum loco lõgè plurimum ornamenti, tum homini suauissimæ iucunditatis afferret, nihil vt deliciosissimis principum virorum paradisis cederet, quæcunque vel ab antiquo memorantur, vel hoc ipso tempore visuntur, atque celebrantur. Imò tantùm superaret, quantum requirebat & ipse huius Paradisi artifex, cuius est infinita sapientia, benignitas, & potentia, vt possit & velit magnificentiæ suæ dulcedinem demonstrare: & illi quibus præparata erat hæc habitatio, sanctitate & innocentia Dei filij, principes vniuersæ terræ, & omnibus naturæ ac gratiæ donis cumulatissimè locupletes; & illa cœli solique bonitas, quæ totius orbis terrarum facilè palmam ferebat. Quantum denique Paradisus ille æternæ fœlicitatis requirebat, cuius specimen aliquod, figura, atque adumbratio hoc terrestri parabatur. XLIII. *Horti pulchritudo ex eleganti dispositione.*

1. (tut, atque celebrantur)
2. (habitatio, sanctitate)
3. (ille æternæ fœlicitatis)

NOMINATIM autem duas nobis arbores commendat Moses, quidquid Philo contra philosophetur, in suo mundi, Platonico verius, quàm Mosaico opificio; ait enim arborem vitæ, & arborem scientiæ nunquam vel antea, vel post è terra pullulasse. Sed Mosi auscultemus in his non symbolicè, vt ipse loquitur, sed propriè, atque historicè philosophanti, qui primùm ait Productam ex humo à Deo arborem, siue lignum vitæ in medio Paradisi collocatum; viuificam scilicet arborem, vitæ restaurandæ, ac perpetuò conseruandæ à Deo è terra iussam existere, eo ex loco, in quo æquali vndique ab extremo paradiso spatio distans, omnium incolarum vsibus deseruiret. *In his arboribus*, ait Eugubinus, *medio in nemore latè florentibus, erat ingens, proceráque arbos, quam pulchritudo, & proceritas à cæteris arboribus magno discrimine separabat.* quasi, XLIV. *Arbor vitæ pulcherrima.*

in Cosm.

In medio ramos, formosáque brachia pandens
Arbor opera ingens. —— Et Cl. Marius.
Hinc arbor vitæ celsis petit aëra pomis.

In medio interpretatur Del Rio, inter alias paradisi arbores eminens, Hebræa phrasi qua dicitur in medio esse, quod inter alia magis eximium, vt ibi, *Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.* Et, *Stans Petrus in medio fratrum.* Et, *Paulus in medio Areopagi.* Et filius hominis *in medio septem candelabrorum aureorum*; & agnus *in medio throni*, &c. Certè proceritas arborum paradisi in allegoria Ezechielis quinquies aut sexies memoratur.

Ioan. 1. 26. Act. 1. 15. Apoc. 1. 13. c. 7. 17. c. 31.

IAM quod ad fructus eius; *Hæc habuit*, inquit Eugubinus, *fructus speciosissimos, post illud tempus mortalibus incognitos, nulli degustatos vnquam, visos tantùm à primis parentibus, qui arborem procul, nondum ad eam valentes accedere, intuebantur.* Ita ipse. Intuebantur porrò arborem, veram germanámque arborem, veros naturalésque fructus eius, sed quorum vis effectrix immortalitatis naturalisne fuerit, an supernaturalis, meritò inquirit Pererius in disputatione de hac arbore, atque si supernaturalis fuit effectus, nihil perhibere quo minus hæc arbor cæterarum similis esset. Potuisse quippe Deum effectum illum supernaturalem per quamlibet arborem efficere, XLV. *Fructus eius vitalis, physicène, an moraliter.*

q. 2. n. 61.

quando non illa ipsa arbor aut fructus, sed Deus illi assistens id operabatur. Sin naturalis erat, & ex propriis naturæ ipsius principiis emanans, cōsentaneum esse huiusmodi arborem à reliquis omnibus specie diuersam fuisse, quoniã tam diuersum à reliquis producebat effectum; quæ effectorum diuersitas, non solùm facultatem eius, sed etiam naturam, è qua huiusmodi virtus emanabat, diuersam prodit.

XLVI. *Videri Physicè.* Naturalem censent Cornelius à Lapide in cap. 2. in Genes. & ibid. Del Rio, Torniellus die 3. Pererius in Genes. l. 3. q. 4. n. 78. qui pro eadem sententia affert Strabum, Hugonem à S. Victore, & B. Thomam. Fuisse autem hanc vim isti arbori naturalem, vti est vis medendi in aliis fructibus, & arboribus; ideóque à vi natiua dictam arborem vitæ: deinde quia post peccatum mansit eadem vis arbori, propereáque ne ea vti posset Adam exclusus est à paradiso; at si fuisset supernaturalis, & à speciali Dei concursu dependens, non affuisset illi post peccatum, frustráque à peccatore sumptus fuisset ille cibus. Denique finita erat illa vis, & vitam præstare poterat, longissimam quidem, non tamen æternam, vt communis est doctorum sententia, at supernaturalis vis, cùm ex rei natura & virtute non pendeat, sed à diuina potestate atque arbitrio, potuisset simpliciter præstare immortalitatem.

[vers. 9. dict. l. c. 11.] [1. p. q. 97. a. 4.] [c. 3. 6.] [cū D. Tho. 1. p. q. 97. a. 4. & 2. 2. q. 164. ar. 2. ad 6.]

XLVII. *Qui contra sentiant. Theodoret.* At Theodoretus hanc, & item alteram arborem scientię boni & mali, eiusdem cum cæteris naturæ fuisse affirmat, vimque illi supernaturalem diuinitus inditam fuisse, sicut ligno crucis, & aquæ Baptismi. *Ita*, inquit, *aqua viuens appellatur Baptisma, non quia Baptismatis aqua aliam & diuersam à cæteris aquis naturam habeat; sed quod Dei gratia per aquam illam æternam vitam largiatur. Haud dissimili ratione lignum vitæ appellatum est, ob diuinam definitionem atque præscriptum, continuandi scilicet vitam edentis de fructu illius arboris.* [q. 26. in Gen.] *August.* Idem sensit D. Augustinus disputans contra eos, qui spiritalem tantùm, & mysticum sensum in hoc paradiso admittebant, *Cur non admittunt*, inquit, *etiam lignum vitæ, & verè aliquod lignum fuisse, & tamen sapientiam figurasse. Illud quoque addo, quanquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta.* [l. 8. de Gen. c. 5.] Hæc occulta inspiratio, vis vtique est supernaturalis existens arbori, quam Deus ad hunc effectum elegisset, vnde subdit, *An fortè credere dubitamus per alicuius arboris cibum, cuiusdam altioris significationis gratia, Deum præstitisse homini, ne corpus eius vel infirmitate, vel ætate in deterius mutaretur, aut in occasum etiam laberetur, qui ipsi cibo humano præstitit tam mirabilem statum, vt in fictilibus vasculis farina & oleum deficientes reficerent, ne deficerent.* Idem libro decimo tertio de Ciuitate cap. 20. ait mirabili Dei gratia hominibus præstitum in sumentibus hunc cibum, ne senio veterascerent, aut perducerentur ad mortem. *Beda. Bonauent. Gabriel.* Augustinum sequuntur Beda, & sanctus Bonauentura, quorum verba recitat Perer. idem sensit & Gabriel. [in 2. s. d. 19.]

XLVIII. *Recipitur prior, & confirmatur.* Prior tamen sententia videtur probabilior, quia suauius se prodidit diuina prouidentia cùm effectui naturali, vitæ diuturno tempore propagandæ, causam naturalem ei congruentem ordinauit, quam si perpetuo miraculo ad hunc effectum sine necessitate vteretur, non secus ac si ad præsentiam ignis, ipse calefaceret, & cibi nutriret. Itaque non est par ratio aquæ baptismatis, quæ assumitur ad effectum toto cœlo ab eius naturali facultate distãtem, puta ad abluendas animas, sicut ignis ad eas cruciandas. Nec par item ratio est olei, aut farinæ iugiter ex vase fictili promanãtis, quod nullam vim naturalem habet ad talem productionem.

XLIX. *Quàm diuturna futura esset vita in terris.* Ex dictis porrò intelligitur, illum cibum ita vitam homini continuaturum fuisse, vt veram tamen immortalitatem, ac viuendi necessitatem non præberet. Nam, vt rectè argumentatur D. Thomas, effectus virtutem causæ suæ excedere non potest, immortalitas autem excedebat vim cibi illius, qui erat natura sua corruptibilis, alioqui nutrire non potuisset, & in substantiam nutriti commutari. Idque significat Augustinus, cùm ait Adamum non immortalitate illa absoluta, atque indissolubili donatum; sed ligno vitæ à mortis necessitate prohibitum fuisse, atque in iuuentutis flore retentum. [l. 13. de Ciu. c. 24.] Porrò de huius aut omnino cuiuscumque cibi inefficacia ad perpetuam vitam, vide eruditam Valesij disputat. c. 6. de sacra Philosophia. Quam diuturnus autem is terminus esset futurus, nemo diuinare potest, cùm id ex nutu diuinæ voluntatis, & non ex arboris efficacia,

aut vigore humanæ naturæ penderet. Certè cũ ex natura atque ingenita vi Ada-
mus 930. annos vixerit, fortè addita illius fructus efficacitate duplicaſſet annos.
Non tamen crediderim Deum tam diu in ſtatu viæ innocentem retenturum, pri-
uarum diuino conſpectu ſuo: neque hominem id deſideraturum.

Horum vocabulorum notationes vide apud Suidam, Eugubinũ in Coſ. & & Perer q. 1. de hac arbore.

L. *Arbor vitæ ab Ethnicis adumbrata.*

PORRO ſicut paradiſum primi illi Ethnici ſcriptores campis Elyſiis, fortuna-
tis inſulis, amœnis viretis, in quibus iucundiſſimè ſemper, ac beatiſſimè viuere-
tur, non ineptè repræſentarunt: ſic & vitalem hanc arborem, eiúſque poma viui-
fica, ambroſia, nectare, nepenthe, deorum immortalium potione, & cibo expreſ-
ſerunt: ſonant enim omnia vacuitatem ab angoribus, morte, omnique moleſtia
corporis animíque. Quæ licet propria eſſent florentiſſimi illius ſtatus; non ta-
men ab vna hac arbore, ſed à iuſtitia originali proficiſcebantur; quàm neque in-
fidelium philoſophia cognouit, neque poëtarum veterum fabulæ adumbrarunt.
Sed de hac arbore iam ſatis, alteram inuiſamus.

LI. *Quæ eſſet arbor ſcientiæ boni & mali, & quæ ratio nominis.*

ARBOREM & ipſam veram atque naturalem, de humo à communi omnium
opifice productam, ne fortè hic vel Philonis, vel Origenis nimium ſubtilibus cõ-
mentis aſſentiare: arborem ſpecie ipſa viſendam, & quæ fructus ferret, qui edi
ſuauiter poſſent, vel primorum parentum iudicio, & experientia infelici. Ita au-
tem dictam, non quòd qui eius fructus deguſtarent eruditi euaderent, id eſt ſpe-
culatricem boni, & mali ſcientiam aſſequerentur. Id enim bonum Deus homini
innocenti non inuiderat: nec falsò dixiſſet impoſtor, quòd tamen omnes aſſe- 1.
(Gen. 3.) runt, *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Neque ita appellatam quod ipſius eſu 2.
homines vſum rationis acquirerent, quæ ſcientia boni & mali in pueris appella-
tur; quandoquidem primi parentes in ſtatu corporis, animíque perfecto conditi
ſunt, & vtriuſque dotibus eximiè inſtructi ante peccatum: Multò autem
minùs quod, tanquam ratione præditum animal, ſcientia boni & mali arbor 3.
ipſa potiretur.

LII. *Idonea ratio.*

QVAM ergo cauſam huius denominationis aſſerimus? aut quam ſcientiam
boni & mali, de qua conſtet Diabolum eſſe mentitum? Arbitror & promiſſam à
diabolo, & ab hominibus expetitam ſcientiam humana maiorem, de rebus bo-
(Gen. 3.) nis & malis, qualem Deus habet. Ait enim, *Eritis ſicut Dij: ſcientes bonum & malum,* 4.
vt tentatio non ſit de ſcientia boni & mali ſimpliciter, ſed de multo maxima: Id-
(c. 3. 22.) que Dei verba confirmant, cùm deceptis inſultans cum ironia dixit, *Ecce Adam
quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum,* In quam ferè ſententiam Ruper-
(l. 2. c. 27.) tus. *Dixit Serpens, comedite, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum, & falſum dixit;
neque enim comedendo Dij facti ſunt, aut ſcientiam ampliorem acceperunt, vt bonum & ma-
lum omnino ſcirent, ſed iuxta veritatem Dei, ſtatim & in anima mortui, & in corpore morta-
les effecti ſunt. Hoc itaque lignum, ironicè dictum eſt lignum ſcientiæ boni & mali, vt ipſo
nomine ſuo monimentum legentibus repræſentet diabolici mendacij. Nam verè palàm eſt, quia* 5.
*per inobedientiam manducanti homini, lignum mortis extitit, quæ tamen mors non ex ligni
natura, ſed ex manducantis culpa proceſſit.* Sic Rupertus.

LIII. *Alia nominis ratio.*

ARBITROR etiam, cum communi Patrum aliorúmque Theologorum ſen-
tentia, hanc arborem ab euentu tam futuro, quàm præterito nomen eſſe ſortitã.
(Gen. 2. 17.) Nam & Deus futuri præſcius cum eius eſum prohiberet ſic eam appellauit; &
Moyſes ex eo quod acciderat homini comedenti ex eo fructu idẽ nomen vſurpa-
uit. Contigit autem homini propria experientia ſcire, quid inter bonũ Obedien- 6.
tiæ, quàm fœliciſſimus ille ſtatus comitabatur, & malum inobedientiæ, quæ tot
bonorum iacturam inuehebat, intereſſet. Hæc eſt planè D. Auguſtini ſententia.
(l. 8. de Gen. c. 6.) *Arbor,* inquit, *illa non erat mala, ſed appellata eſt ſcientia dignoſcendi bonum & malum.
Quia ſi poſt prohibitionem ex illa homo ederet, in illa erat præcepti futura tranſgreſſio, in qua
homo per experimentum pœnæ diſceret, quid intereſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ*
(l. 14. de ciuit. c. 17.) *malum.* Et alibi: *Aperti ſunt oculi amborum, non ad videndum, nam & antea videbant, ſed
ad diſcernendum inter bonum quod amiſerant, & malum in quod ceciderant. Vnde & ipſum
lignum, eo quod iſtam faceret dignoſcentiam, ſi ad veſcendum contra vetitum tangeretur,
(q. 26 & 27) ex ea re nomen accepit, vt appellaretur lignum ſcientiæ boni & mali. Experta enim morbi mo-
(l. 2. de fide, c. 11. c. l. 3. contra Iulian.) leſtia, euidentior fit etiam iucunditas ſanitatis.* His ſimilia leges apud Theodoretum,
Damaſcenum, Cyrillum, Eucherium, & alios. Nec abſurdum eſt duplici ex cau-
ſa vnam arborem nomen accepiſſe, altera vera, altera æſtimata.

LIV. *Cuius speciei hæc arbor fuerit. An ficus.*

Hinc autem simul illud intelligitur, non fuisse hunc effectum illi arbori naturalem, sed merè aduentitium, & cuiuis applicabilem, quam Deus ad probandam hominis obedientiam eligere voluisset. Cuius autem speciei fuerit, nemo certo definire potest. Sunt quibus noua perizomata, contexta ex foliis ficus, coniecturam fecerint, ne fortè ficus diuinitus interdicta esset, quoniam statim agnita nuditate remedium non longè petere voluerint. Ita Moses Bar-cepha in libro de Paradiso. Procopius in Genes. Isidorus Pelusiota, & maximè Theodoretus q. 28. *Dum*, inquit, *adhuc consuerent folia, audierunt vocem Dei deambulantis, & sub arbore latitarunt, non alia videlicet, quàm vnde folia decerpebant. Hæc autem erat de qua præceptum acceperant, vt Propheta inquit, in medio ligni paradisi. De eo autem cùm manducassent etiam folia texebant, propterea quod suæ nuditatis eos puderet, vniuersa autem erant folia ficus. Certè sine controuersia arbor illa erat ficus, de qua præceptum acceperant. Sed non assentiuntur quidam, præ nimia, vt mihi videtur, simplicitate, qui putant oportere nouum quoddam esse lignum, non attendentes, quòd non ligni qualitate neque nouitate sibi peccata censentur, sed ex præcepto violato.* Ita Theodoretus: quæ opinio Gregorio Nysseno antiquior fuit, vt mox parebit.

Vide infra die 13. n. 14.

p. 1. c. 19.

LV. *An alia quæpiam.*

Non desunt autem qui contradicant Theodoreto minimè simplices, in primísque Abulensis, &, vt videtur, Gregorius Nyssenus. Nam ille putat non fuisse prohibitam ficum, quòd credibile sit Adamum & Euam, agnita culpa & damno suo, eam arborem execratos, ne folia quidem attingere voluisse.

in c. 13. Genes. q. 164. in Cantica, in proœmio.

S. autem Gregorius. *Huius rei gratia neque prohibitam arborem ficum fuisse existimamus, vt nonnulli pronunciarunt, neque aliquam ex frugiferis arboribus. Alioqui etiam nunc minimè esui apta esset, simúlque à Domino didicimus nihil inquinatum esse*, &c. At satis constat non prohibitum fructum, quia minùs esui aptus esset, cùm de contrario testis sit Eua quæ gustauit, & Basilius, *Sciendum autem mandatum quod obedientiam hominis probaret datum fuisse, vt manus ab esu suauissimi fructus abstinendo, patientiæ coronam sibi iustè compararet.* Verùm discedit Nyssenus à sensu literali, ad aliam intelligentiam, dignam, vt ipse ait, legislatoris maiestate. Vult enim arboris vitæ nomine intelligi virtutem, huius autem scientiæ boni & mali, lethiferum peccatũ, quòd delectationem habet coniunctam præuaricationi, vt patet ex iis, quæ posterius ipse disputat, propterreáque non minus de ficu, quàm de cæteris frugiferis arboribus negat datum præceptum. Et vno verbo, eadem eius mens est, quæ D. Augustini, & aliorum Patrum, non malam fuisse arborem, aut fructum eius, sed inobedientiam.

hom.

hom 12. in in Cant.

9. χ.

LVI. *Singulares videri arbores tam scientiæ, quã vitæ.*

Verum contra ficum dici posset, eius fructum neque figura pulchrum & concinnum, neque colore admodum delectabilem, qualem tamen fructũ scientiæ Eua prædicat; sed & tardior est fortasse, quàm vt primo veri conueniat, cùm vix antè extremum proueniat. Parentes autem primos, ad conficienda sibi subligacula, non foliorum vicinitatem secutos, sed commoditatem, quàm foliorum amplitudo præstabat. Ergo aliqui cerasa malunt, quæ & primo vere passim veniunt, & figura orbiculata grata sunt, & colore rubicundo. Est tamen quòd cerasis, & ficis, & malo, quàm alij malunt, propter illud Canticorum. *Sub arbore malo suscitaui te*, & cæteris arboribus, quarum multa sunt in quauis specie indiuidua, obiici possit. Nam cùm de vnica arbore, quæ erat in medio paradisi, datum sit præceptum, poterat vtique eludi prohibitio in altera eiusdem speciei arbore, in eáque facilè tentatio Sathanæ vinci, in cuius fructu impunè ipsum mendacij conuincerent: quòd minimè concedendum videtur, vt parum consentaneum diuinæ Legislatoris sapientiæ; potiúsque dicendum, arborem scientiæ fuisse singularem, & specie à reliquis omnibus differentem. Idémque etiam eodem iure dici potest de vitali illa arbore; cuius cùm vis esset naturalis, vt supra monstratum est, alia eiusdem speciei, ac naturæ, & quòd consequens est efficacitatis, extra paradisum reperiri potuisset, qua fruentes & Cherubinum, & flammeum gladiũ atque versatilem contemnere, & Dei in pellendis horto peccatoribus sollicitudinem, cum pari ironia eleuare potuissent. Sed egrediamur tantisper foras ex hoc quantumuis amœno ac delicato loco; cùm quatuor fluminibus ex eo erumpentibus, ad eosque orationem conuertamus: si tamen prius eorum fontem, in medio paradiso profusè scaturientem, contemplati fuerimus.

c. 8. 5.

n. 46. & 48.

Gen. 2. 6. v. 10.

LVII. *Fons paradisi, non vapor.*

De hoc ergo fonte ita Moses, *Fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.* Et infrà: *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita.* Prima nobis hic concertatio cum iis, qui priorem locũ aliò trahunt, & vaporem pro fonte interpretantur; sed eos refellit Hieronymus in editione vulgata, & ante eum Septuaginta viri, qui Hebræam vocem אד ed, verterunt fontem, non vaporem, quibus consentit Oleaster, Cornelius à Lapide, & alij, vt supra dixi. atque adeò Patres omnes Doctorésque, qui vel Septuaginta, vel Hieronymum sunt secuti. Aquila in eadem est naui, qui eam vocem vertit ἐπιβλυσμόν, id est abundantem scaturiginem. Refellit & tempus. Nam cùm hæc tota narratio pertineat ad diem mundi tertium, quomodo vapor ascendebat è terra, cùm nulla essent adhuc in cœlo luminaria, quorum vi extraheretur è terra, & loca superiora capesseret? Quid quod dura est interpretatio, vapor ascendebat è terra, id est pluuia descendebat è cœlo. Quin etiam latet, si attendas, in ea expositione contradictio, eo enim redit ac si dicas, nondum pluerat, sed pluere solebat vapore in altum sublato. Addo etiam voluisse Mosem per quandam antithesim ostendere propriam ac singularem rationem rigandi terram primis illis diebus, quæ à vulgari & ordinaria distaret, cùm vna è terra, altera è cœlo immediatè existeret.

n. 35.

in Schol. ... & ex Athenæo ἐπιβλύζω abundè, affluenter.

LVIII. *Sed verus fons ex Abysso emergens.*

Hoc ergo excusso vapore, fontem retineamus, sed magnum & profundum, atque ita abundantem aquis, vt irrigaret vniuersam superficiem terræ, fontem & gurgitem ex subterranis aquarum receptaculis, siue abysso erumpentem, & totam latè regionem partim per se, partim per flumina à se progenita irrigantem. Quòd sentit etiam Rupertus, & Hugo à S. Victore, quos supra retulimus. Vniuersam autem superficiem terræ intelligo non totum terrarum orbem, sed Asianam tantùm regionem ad quam hæc flumina pertinent, vt dicemus. Agit enim de terra Moyses hoc loco, in ordine ad formationem hominis, quæ statim subditur, & Paradisi descriptionem, quæ illam formationem excipit. At paradisus in Asia erat, vt diximus, in qua Tygris & Euphrates; & in ea sine controuersia formatus est Adam. Deinde hæc eruptio fontis de terra ascendentis supponit congregatas aquas in vnum locum, & extantem ex aquis aridam. Ergo Europam & Africam per interfusum mare mediterraneum, & sinum Arabicum, ab Asia separatam ponit, sicut & Americam per fretum Anianum, quî ergo fieri potest vt fons vniuersam terræ superficiem riget, quin super omnia etiam maria superfundatur, iisque transgressis transmarinas regiones inundet. Id si absurdum est, vt profectò est, dicamus cæteras mundi partes à Moyse hoc loco prætermissas, suis fontibus fluminibúsque hoc ipso tertio die rigari cœpisse, donec postea pluuiis, suis quæque temporibus rigarentur. Asiam autem eum habuisse fontem quem diximus, qui in quatuor flumina proseminatus, eam quantum necesse erat madefaceret; neque enim multa irrigatione opus erat hoc tempore, cùm nunc primũ terra extaret ab aquis, in quibus ab ortu suo demersa iacuerat.

l. 2. c. 29.

Rigans Asiam.

LXIX. *Idémque fluuius rigans Paradisum.*

Quem porrò fontem vocauit, eum mox fluuium appellat, & quem dixit ascendisse de terra, hic explicans distinctiùs quæ esset illa terra, ait egressum de Eden, siue de loco voluptatis, qui idem est Paradisus. Eundem fontem & fluuium esse vult Rupertus & Cl. Marius. vt sit sensus, Magnum illum fontem, qui propter aquarum suarum abundantiam, & violentam eruptionem instar fluuij erat, in editiore paradisi loco emersisse, indéque defluentem per plurimos circunquaque alueos, paradisum totum irrigasse, móxque in quatuor capita confluxisse; pluribus scilicet alueis, pro loci vicinitate, in vnum concurrentibus, versus quatuor mundi plagas. quæ ferè est Del Rio interpretatio, & Bellarmini, qui notat contra quorundam sententiam existimantium fluuium alibi extra Paradisum natũ, puta in regione Eden, in paradisum deriuari, Scripturam id non dicere, sed illum ibi primùm exoriri, & mox in quatuor capita distribui, nec sanè probare possunt alium esse Eden, siue eam vocem propriè siue appellatiuè sumant, à Paradiso, nec diuersos ac separatos locos requirit Mosis oratio, sicut neque tua si dixeris, fons exiliens in platea ciuitatis, totam rigabat ciuitatem.

l. 2. c. 28. & 29.
l. 1.

in c. 2 Gen. l. de gratia prim. hom. c. 12.

LX. *Diuisio eius in quatuor capita.*

Dixi quid mihi in difficili, & lubrico aquarum loco visum est vero simillimum, quòd videas omnes ferè interpretes alios aliis felicius præstitisse, quos non

est operæpretium accuratiùs, aut odiosius excutere. Addam tamen circa hanc fluuij in quatuor capita diuisionem Lipomani sententiam. *Nihil hic*, inquit, *Deo difficile vel captu humano incredibile dicitur, In terrestri Paradiso scaturiginem fuisse à Deo conditam fluminum magnorum in quatuor mundi plagas, per fontes vel capita quatuor deriuatorum, cùm in vna ferè prouincia fluuios cernere liceat ad quatuor mundi plagas dimanantes Rhenum scilicet, Padum, Rhodanum, Danubium, ex vna ferè Rhætia, defluentes ad angulos plagarum mundi quatuor. Sic quoque Mosam, Mosellam, Sequanam, Ligerim & Ararim non adeò longè distantibus fontibus ex vna terræ Abysso scaturire.* Sic Lipomanus; sed pro Ligeri rectiùs Matronam posueris; nam Ligeris caput longiùs à cæteris distat, Matronæ autem, sicut & cæterorum fontes, ferè sunt in diœcesi Lingonensi. In Cat Genes.

LXI. *Quomodo accipienda.* ET hæc quidem facilè intelligi possunt, sed non facilè rei præsenti accommodari. Nam quî fieri potest, vt ex vno fluuio quatuor illi propagentur, qui iuxta communem Geographorum consensum, longissimè à se distant? Nec dici potest vt Genebrardo, aliisque placet, diluuij noëtici aquis, fluuiorum istorum origines vno in loco obrutas, in aliis longè dissitis erupisse. Nam Moses eorum situm describit, non quem à principio habuerunt, sed quem habebant dum ista scriberet, nongentis circiter annis à diluuio, ideóque tempore præsenti vbique vtitur. *Diuiditur*, inquit, *in quatuor capita, nomen vni Phison, ipse est qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est; ibi inuenitur Bdellium, & lapis onychinus*; vel vt habent Septuaginta, carbunculus, & lapis prasinus. Sic & in enumeratione reliquorum, semper vtitur præsenti verbo; Assyrios etiam & Æthiopas memorat qui erant tempore Mosis, nec nisi post diluuium, & terrarum inter filios Noë diuisionem, exorti sunt. Si ergo Phison & Gehon, Tygris & Euphrates vno ex capite Mosis tempore nascebantur, quæ tanta vsquam memoratur, post natum Mosem, rerum & fluuiorum in Asia perturbatio contigisse, vt quatuor fluuiorum maximorum fontes ita distraherentur? In Chron.

LXII. *Phison non est Ganges.* HÆC causa fuit cur licet grauissimi scriptores antiqui & recentiores, quorum catalogum exhibet Cornelius à Lapide, Phison & Gehon, Gangem & Nilum interpretati sint, plerique tamen recentiores alios his nominibus fluuios intelligendos putent, quorum sententiam fateor mihi admodum probabilem videri. Si enim Phisonem ex terra, quam teste Mose circumit, agnoscere voluerimus, nullo modo ipsum in Indiam transferre poterimus. Ea regio est Euilath, quàm nisi Scriptura duce reperire non possumus. Scriptura verò, quæ præter præsentem locum, bis tantùm eius meminit, eam longè ab Indis separat. Nam de Ismaële loquens, *Habitauit*, inquit, *ab Euilath vsque Sur. quæ respicit Aegyptum introeuntibus Assyrios*, vel vt habet Tigurina, *quæ est è regione Aegypti, itinere Assur versus.* Est ergo Heuilath prouincia, quam Ismaëlitæ incoluerunt; eáque sita est inter Ægyptum & Assyriam. Eadem Ismaëlis habitatio distinctiùs habetur Gen. 21. *Et fuit* Agar, *cum eo* Ismaële, *qui creuit, & moratus est in solitudine* Bersabee, vt ante v. 14. *factúsque est iuuenis sagittarius, habitauitq; in deserto Pharan, & accepit illi mater sua vxorem de terra Aegypti.* Quis nescit desertum Pharan esse in Arabia deserta, per quam Israëlitæ ex Ægypto reduces transiere, vnde & dimissi sunt exploratores in Chananitidem? In c. 2. Gen. v. 8. in prima assertione. Gen. 25. 18. v. 10. Num. 13. 1. 4.

& Amalecita. Iidem termini habitationis dantur Amalecitis tempore Saülis. *Percussitque Saül Amalec ab Euila, donec venias ad Sur, quæ est è regione Aegypti*, venientibus videlicet in terram Israël. Ita egressi ex Ægypto Israëlitæ, transmisso mari ad Elaniticum sinum, venerunt in desertum Sur. Num Saül, & ante ipsum Iosuë ad Gangem pugnarunt contra Amalecitas? quos tam ex eodem loco, quàm 17. Exodi constat occurrisse Israëlitis ascendentibus ex Ægypto, eisque in via restitisse, ne vel occuparent regionem suam, vel eam ex itinere popularentur. An non est eadē fortasse Euilath? At non possunt contrariæ sententiæ fautores aliam vsquam reperire, sed quandam in India suspicantur, propter Heuila filium Iectan, quoniam eo Phisonem transtulerunt, cùm satiùs esset Phisonem in vera Heuilath, in quam Scriptura intendit digitum, quærere. Quòd si Heuila filius Iectan suadet Phisonem deriuare in Indiam, cur etiam alter Heuila filius Chus non trans- 1 Reg. 15. 7. Exod. 15. 22. Ibid. 17. 9. Gen. 10. 29.

ferat

ferat in Getuliam, quam iste incoluit, vt Iosepho placet: aut potiùs in Arabiam, vr ostendemus anno diluuij 275. n. 48.

CVM ergo Heuilath sit in Arabia, Assyriam inter & Ægyptum, & Phison LXIII.
Sed fluuius in Arabia.
eam circumeat, quis dubitabit hunc fluuium in Arabia collocare? At tabulæ Geographicæ eum non produnt. Verùm instar tabularum omnium est Mosis topographia, cuius tempore, post bis mille & quingentos annos à mundi ortu, Phison circumlustrabat Arabiam. Suppleat & vicem tabularum Iesus Sirach, qui post mille & ducentos annos à morte Mosis, eundem amplum adhuc & abũdantem prædicat, vt possit cum amplissima Salomonis sapientia comparari. Quid autem mirum Phisonem in antiquis Chorographiis non reperiri, præsertim vniuersalibus, cùm in recentibus, quæ accuratissimam spondent diligentiam, vix Tygris ipse reperiatur. Quanquam ne nos quidem certò affirmamus eum nunc extare, satis est in Arabia, & non in India extitisse, & casu aliquo, vel terræ motu, vt multis etiam vrbibus, & insulis contigit exhaustum defecisse, vel obstructione ac ruina terræ intercisa via aliorsum commeasse, nouósque exitus reperisse, solo eius nomine in sacris tabulis immortali relicto, vel certè mutato, vt fit, nomine, ignotum remansisse; sed alterum iam fluuium inquiramus.

Eccl. 24. 35.

vide Hieron. in tradit. vbi de filiis Iectã.

PRIOR sententia, quæ Phisonem & Heuilath inuestigat in India, Gehonem in Ægypto inquirendum putat: Eum quippe Nilum esse contendit, qui ex LXIV.
Gehon non est Nilus.
Æthiopia profectus, atque adeò, vt ex recentiorum nauigationibus satis exploratum est, ex regno Congensi, (quòd decem gradibus vltra lineam æquinoctialem iacet ad Oceanum Atlanticum,) versus Septentrionem procurrens in Ægyptum descendit, Mediámque diuidit; postremóque septem ostiis in mare Mediterraneum effunditur. *Et nomen*, inquit Moses, *fluuij secundi Gehon, ipse est qui circuit omnem terram Aethiopiæ.* Nihilominus immensa quoque distantia fontium Nili à Tygri & Euphrate, non secus ac Gangis meritò dubium hunc fluuium reddit. Eum tamen ex regione sua indagare oportet [10].

Conimbr. tract. 9. in Meteor. c. 10 Cornel. in c. 2 Gen. v. 8 & accuratius Duiarry l. 3. hist. indicæ c. 1.

10. ✠.

Cùm ergo duplex in Scriptura reperiatur Æthiopia, alia Meridionalis, quæ
Aethiopia duplex.
Occidentalis quoque dicitur, habita ratione alterius de qua mox; quæque infinito spatio terrarum atque marium distat à Paradiso, nec vllam habet cum Tygri & Euphrate communicationem: altera Orientalis, quæ vicina est Arabiæ, & Mesopotamiæ, & consequenter Tygri & Euphrati.

DE hac, non de illa locutum Mosem existimamus cum Eugubino in Cos- LXV.
Sed fluuius Aethiopiæ Madianiticæ.
mopœia, ex quo ferè Beroaldus, & Pererius lib. 3. in Gen. vbi accuratè totam hanc quæstionem examinant, docéntque Madianitas Æthiopum nomine censeri, idque tum aliis argumentis, tum ex cognomine Sephoræ, vxoris Mosis, quæ cùm esset Madianitis, vt ex cap. 2. Exodi constat; nihilominus cap. 12. Numerorum vocatur Æthiopissa [11]. Notant etiam illud ex oratione Abacuc, *Vidi tentoria Aethiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Quam Æthiopiam vocarat, explicat terram Madian. tentoria verò & pelles Arabibus conueniunt, qui inde Scenitæ sunt appellati. Adde librum Paralipomenon, vbi Philistini, Arabes, iisque confines Æthiopes contra Ioram simul arma mouent. At quomodo confines Arabes Æthiopibus, à Scriptura dicuntur, si inter vtrósque tot maria, terræque interiectæ? *Deinde si Gehon*, inquit Pererius, *est Nilus, Moses de eo loquens, & Iudæis notum facere volens, cur non eius cursum per Aegyptum potiùs, Iudæis ex diuturna & recenti habitatione notissimam, quàm per Aethiopiam, quam nunquam viderant, annotauit? Quare Scriptura, quæ toties Nili mentionem facit, nunquam flumen Aethiopiæ, sæpè vocat flumen Aegypti.* Idémque aliis argumentis confirmant, quæ apud eos leges. Geminam quoque Æthiopiam agnoscit Lipomanus, Del Rio, Cornelius & Beroaldus sectarius qui ex eodem hausit Eugubino, quamuis dissimuler: Præter Homerum, Strabonem, Plinium, quos seorsim referimus.

n. 113. & 114.

11. ✠. n. 1.

l. 2. c. 21. v. 16.

in Genes. in cap. 12. Num. & in hunc locũ Gen. c. 2. v. 8. in Schol. 10.

AT, inquiunt, hæc duo flumina si magna erant quomodo exaruerunt? si parua LXVI.
Satis fit obiectis cõtra hæc duo flumina.
quomodo magnis fluminibus Tygri & Euphrati aggregãtur, & amplitudini diuinæ sapientiæ comparantur? Respondeo nos non dicere exaruisse, sed vel casu aliquo defecisse, vel tot sæculis, tot gentium mutationibus, tot linguarum varietatibus, mutatis vocabulis, obscura ignotáque esse reddita: sicut

illas ipsas ferè prouincias quas alluisse dicuntur. Quamquam nihil vetat fateri
exaruisse; déque ipsis quoque vsurpandum esse quòd ait Dauid, *Posuit flumina in* Psal.106.33.
desertum, & exitus aquarum in sitim; terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabi-
tantium in ea. Nam, vt ibi Genebrardus notauit, Pharus Alexandriæ imminet, &
eum ea ponte à Ptolemaïs coniuncta est, cùm Homeri tempore vnius diei & no- Odyss.4.
ctis nauigatione à continente distatet.

LXVII. *Variæ mutationes terrarum & mariũ.*

SIC templum S. Audomari in Gallia, hodie in terra est, cùm esset olim in mari. Sic Delus & Rhodus ab aquis extiterunt, & plurimæ aliæ insulæ. Sic multæ vicissim terræ aquis obrutæ sunt, & pontus vbi terra fuit. Aristoteles vocat Ægyptum opus Nili, donum Herodotus, vt qui limo eam reddiderit terram & aridam. Nec ignotum est prodigium à magno Thaumaturgo patrarum, de palude causa discordiarum inter fratres exsiccata. Nónne terra fructifera in salsuginem Gen.13.10.
versa est, cùm regio Pentapoleos, quæ erat instar Paradisi Dei, in lacum Asphaltidem mutata est? Nónne terra qua Eubæa insula, Græciæ; qua Sicilia Italiæ, qua Hibernia Britanniæ, fortè etiam Britanniæ Gallia iungebatur, maris irruptionibus absorpta est, & insulæ ex peninsulis factæ sunt? Ita terra iuncta Acarnaniæ & Peloponneso in sinum Corinthiacum mutata est, & magna pars Hollãdiæ, Zelandiæ, Batauiæ in mare Flandricum. Eadem etiam strage reliquæ prouinciæ imminente, nisi contra impetum Oceani validis atque operosis aggeribus muniantur. Verùm de istiusmodi marium ac terrarum quasi permutationibus, vide Conimbricenses nostros in Meteora. tract.8.c.9.

LXVIII. *Conclusio de duobus prioribus fluuiis.*

VT autem ad Phisonem nostrum, Gehonémque redeamus, existimo sanè ea flumina fuisse mediocria, sicut & Iordanem, qui ab eodem Sapiente in eandem Eccl.24.36.
comparationem adducitur; sed longè infra magnitudinem Tygris & Euphratis, quibus tamen adiunguntur ab Ecclesiastico, vel ad hunc Mosis locum alludente, vel vicina, notáque flumina potiùs, quàm longinqua & ignota memorãte, & quidem pro eo statu, quo plurimis aquis excrescentes, extra ripas effunduntur suas. Sit ergo positum Phisonem & Gehonem duo fuisse flumina, quæ prope Tygrim & Euphratem exorta, cursu ad Occidentem Solem conuerso, Arabiam & vicinas Iudæis prouincias irrigarunt, quæ à Mose hoc loco Geneseos, nomine Heuilath cap.2.
& Æthiopiæ intelliguntur.

LXIX. *Qui fontes Tygris, & Euphratis & in paradiso, & alibi reperiantur.*

DE tertio & quarto fluuio Tygri & Euphrate nulla est quæstio peculiaris hoc loco, nisi quod ad eorum ortum fontésque attinet, qui in Armenia constanter à Geographis celebrantur; à Lucano autem lib.7. Pharsal. in Perside.

> *Quáque caput rapido tollit cum Tygride magnus*
> *Euphrates, quos non diuersis fontibus edit*
> *Persis; & incertum est tellus si misceat amnes*
> *Quòd potius sit nomen aqua,* &c.

ex August. De quibus illud ex Augustino inculcandum est. *An eo monebimur*, inquit, *quòd de* l.8 de Gen. ad litt.
his fluminibus dicitur, aliorum esse fontes notos, aliorum autem prorsus incognitos, & ideò non posse accipi ad literam, quòd ex vno Paradisi flumine diuiduntur; cùm potiùs credendum sit, quoniam ipse locus Paradisi à cognitione hominum est remotissimus, inde quatuor aquarum partes diuidi, sicut fidelissima scriptura testatur. Sed ea flumina, quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi isse sub terras, & post tractus prolixarum regionum, locis aliis erupisse, vbi tanquam in suis fontibus nata esse perhibentur. Nam hoc solere nonnullas aquas facere quis ignorat? sed ibi hoc scitur, vbi non diu sub terra currunt. Sic Augustinus; cuius sententiã plurima variorum fluminum se occulentium, & per subterraneos cuniculos decurrentium historia, locupletant ac confirmant Conimbricenses nostri, tractatu
9. in Meteora. Causam autem fluminum subitò nascentium, aut deficientium pe- c.9.§. non pauci.
te ex Plinio, & Conimbricensibus. Sed quòd ad rem nostram attinet, consentit l.31. c.4. & 3.
Hugone. D. Augustino Hugo à S. Victore, *Cùm quæritur*, inquit, *quomodo & in paradiso orian-* tract.9. in Mete.c.5.
tur hæc flumina, & in terra nostra habeant notos fontes; non asserimus nisi quod sancti communiter asserunt. Scilicet Paradisum esse quendam locum determinatum in parte terræ, & flumina illa ortum habere in Paradiso; & item à terra ibidem absorpta, & extra Paradisum iterum oriri, qui secundi ortus nobis noti sunt. Idem habet Seuerianus apud Lipomanum, Theodoretus quæst.2 in Gen. Beda, Caietan. & alij. Certè Lucanus lib.7. Pharsal.

At Tygrim subito tellus absorbet hiatu,
Occultósque legit cursus, rursúmque renatum
Fonte nouo flumen pelagi non abnegat vndis.

in loc. Hebr. Ex quibus explices illud Hieronymi. *Euphrates,* inquit, *fluuius Mesopotamiæ in Paradiso oriens. Porrò Salustius author certissimus asserit, tam Tygris quàm Euphratis in Armenia fontes demonstrari. Ex quo animaduertimus aliter de Paradiso & fluminibus eius intelligendum.* Quibus verbis Hieronymus nequaquam dubiam facit Scripturæ fidem, sed intelligentiam aliquam requirendam sentit, qua Scriptura historiæ & Geographiæ consentire cognoscatur, quam ex Augustino, Hugone, aliisque retulimus. Hieron.

in loc. Hebr. SED audiamus quid idem Hieronymus de Tygri retulerit. *Tygris,* inquit, *fluuius de Paradiso exiens, iuxta Scripturæ fidem, pergénsque contra Assyrios, & post multos circuitus, vt vult Iosephus, in mare rubrum influens. vocatur autem hoc nomine propter velocitatem instar bestiæ,* eiusdem scilicet nominis, *nimia pernicitate currentis.* At Iosephũ hic aliquis, & Hieronymum reprehendit, quòd dicant Tygrin in mare rubrum influere, quòd omnes Geographorum libri tabulæque constanter definiant, Plinius in primis lib. 6. c. 26. & 27. tam Tygrin quàm Euphratem in sinum Persicum incurrere. LXX. *Eorum cursus & ostia.*

PRO Iosepho nihilominus, Hieronymóque dicendum, vtrúmq; sinum ad mare LXXI.
l. 6. c. 26. rubrum pertinere. Vnde idem Plinius, *Persæ,* inquit, *rubrum mare semper accoluere,* *Mare rubrum non est idem cũ sinu Arabico.*
c. 23. in fin. *propter quod is sinus Persicus vocatur.* Et iterum: *Irrumpit deinde & in hac parte geminum mare in terras, quòd rubrum dixere nostri, Græci Erythreum,* &c. & mox: *Sed in duos diuiditur sinus, is qui ab oriente est Persicus appellatur 25. millia passuum circuitu colligens, vt Eratostenes tradit. Ex aduerso est Arabia rursus altero ambitur sinu, Arabico nominato.* At nõ dixit Iosephus Tygrim in sinum Arabicum aut Persicum, sed rubrum mare intrare, quòd verissimum est.

l. 20. ant. c. 9. Sed id potiùs reprehendendũ in homine Hebræo & in sacris literis, vt ipse de se scribit, egregiè versato, non intellexisse eum Æthiopiam Madianitidem & Heuilath Arabicam, Ægypto, prouinciæque suæ vicinas: ducémque ad lapsum fuisse nimium eius fidei, eruditionique tribuentibus. certè longè aliter Hebręus Aben-Ezra, & Dauid Kimchi senserunt, vt supra notauimus, præter eos quos paulò ante retulimus. *Iosephi lapsus.*
n. 61 & seq. 12. 3.

ET de Paradiso quidem terrestri, hactenus quòd ad tertium diem attinet, qui illi primus fuit. Si quid præterea de eo dicendũ erit, posteà cũ hominis creatione perstringetur. Sed huius quoque diei opus prædicti Poetæ carmine cõcludamus. LXXII.

Cl. Mar. l. 1. to. 8. Bibl. Patr.

Cærula nudatas cinxerunt æquora terras,
Quas vario raptim iussas fructescere fœtu
Luxuriosa nouo texerunt germina limo.
Et rudis & tenero prorumpens cespite latis
Iactauit se sylua comis: speciémque secundùm
Edidit vna suam quæque arbor, & herba virescens,
Et fructum & semen, vestitáque gramine terra est.

De paradiso pluscula sunt; quæ ab authore ipso pete. Quòd porrò circa hunc ipsum tertium diem quæri solet, quo anni tempore productus fuerit mundus; satis ea de re in Apparatu disputatum à nobis est.
c. 3. n. 5. & seqq.

SCHOLIA IN DIEM MVNDI TERTIVM.

N. I. 1. BASILIO, Strabo, Pliniúsque consentiunt; nam ille lib. 2. meminit ostij Caspij siue Hircanij maris; hic lib. 6. cap. 13. ait erumpere Scythico oceano in auersa Asiæ.

N. XVIII. 2. Contraria tamen videtur Ruperti sententia lib. 2. cap. 29. *Et hoc,* inquit, *miram terræ paradisiacæ dulcedinem commendare intendit, quia videlicet aquarum natura salsa est, nec potui habilis, sicut in semetipso mare ostendit. Ascendens autem de abysso in illam quasi magni corporis terræ mammam, id est paradisi fontem quodammodo lacteam assumit dulcedinem, & irrigat vniuersam terræ superficiem, vt iuxta Psalmistam, potent omnes bestiæ syluæ, & expectent onagri in siti sua, imò vt dulcesceret omnis terra ad nutriendum herbam virentem, lignúmque pomiferum quod producere iussa fuerat.* Sic ipse. Verùm non facilè probauerit Rupertus aquas natura sua amaras esse, & si magna pars aquarum huiusmodi saporem habeat. credibilius enim est tam terram quàm aquam in sua elementari puritate fuisse creata, at salsedo ex admixtione est. Et sanè videri potest Rupertus hanc vim efficiendæ dulcedinis excogitasse, ad commendandum pul-

cherrimum illum locum. Nam si magna illa abyssus pro aquarum natura salsa esset, cùm tantus inde fons erumpat quantus necessarius est ad quatuor flumina mox procreanda, quomodo tantùm aquarũ tam facilè sine magno & perpetuo miraculo dulcesceret?

N.XXIV.3. Eam amplectitur Eucherius & Beda in Genes. & Glossa ordin. Albertus magnus 1. par. summæ de 4. coæquæuis, quæst. 12. a. 13. D. Thomas 1. p. q. 69. a. 2. ad 2. D. Bonauentura in 2. sent. d. 14. Comest. lib. 1. c. 8. & recentiores passim omnes. Pererius in hunc diem, n. 113. 114. Molina disput. 13. in opus sex dierum. Gregorius de Valentia in 1. p. d. 5. q. 3. puncto 3. §. quinto quæritur. Martinengus in Glossa magna pag. 799. Del Rio, & Cornel. à Lapide in hunc locum.

N. XXVII. 4. In his Pererius lib. 3. in Genes. n. 2. & 7. vbi ait eam communem esse, & peruagatam sententiam, Del Rio in cap. 2. Genes. v. 8. & ibidem Emanuel Sà, & Vatablus. Cornelius à Lapide, in hunc 3. diem v. 12. Matthæus Beroaldus lib. 2. chronolog. cap. 7. Torniel. in 3. diem, n. 13. quem miror notare Genebratdum, quasi dixerit paradisum creatum die secundo, mendosum codicem nactum oportet. Certè libri eius quos consului disertè habent eum die tertio, quando primum productæ sunt plantæ, fuisse procreatum. Idem sentit Bellarmin. t. 4. lib. de gratia primi hominis c. 11. Et Eugubinus in Cosmopœia, in illa verba, *plantauerat autem Dominus*, &c. omnibus vt ait, assentientibus. Fonseca item in notis ad Caietani comment. in Genesim. Gregor. de Valent. in 1. p. in fine disput. 7. Molina de opere sex dierum, disp. 13. Martineng. tom. 1. in fine. Aponte 6. p. medit. 21. puncto 4.

N.XXXI.5. Eadem est sententia Perer. lib. 3. num. 6. vbi & approbatores laudat tres nobilissimos Hebræorum Rabbinos Kimchi, Abraham Aben Ezra, Salomonem. Est & Lipomani in Catena, Caietan. in hunc locum, Hieronymi ab Oleastro, Pagnini, Vatabli, Beroaldi lib. 2. c. 7. & nouissimè Cornelij à Lapide, in cap. 2. confirmátque ea versu 10. seq. vbi dicitur in Hebræo, fluuium exisse ex Eden.

N.XXXI.6. Verba Theodori Mopsuesteni apud Eugubinum hæc habentur. Ἐδὲμ δ' ἔοικεν ὀνομάζειν τὸν τόπον κατ' ἀνατολὰς κείμενον, ἐν ᾧπερ ὁ παράδεισος ἦν, οὐ μικρόν τι γῆς μέρος οὕτω καλῶν. *Edem*, inquit, *videtur appellare locum ad Orientem positum, in quo paradisus erat, non exiguum terræ spatium sic appellans.*

N. XXXIII. 7. Non iuuant nos ad reperiendum huius Paradisi locum, campi Elysij, etsi non malè videtur is olim à Poëtis, campis Elysiis adumbratus, de quorũ situ plurimæ recensentur opiniones, quas ex Natali Comite disces lib. 3. c. 19. Et Delrio in Hercule Furent. v. 873. Similitudinem notauit Proclus in Hesiodum, Μακάρων νήσους εἰπὼν παράδεισον αἰνίττεται, ἤγουν τὸ Ἠλύσιον πεδίον, παρ' αὐτοῖς λεγόμενον, παρὰ τὸ ἄλυτα τηρεῖν σώματα, ἢ παρὰ τὴν λύσιν τῶν κακῶν. *Cùm beatorum insulas dicit, paradisum obscurè significat, vel campum Elysium ab iis dictum, vel quòd immortalia*, insolubilia, *corpora conseruet, vel quòd malorum solutionem efficiat.* Nicetas in orat. 10. D. Nazianzeni n. 44. explicat quasi ἀπόλυσιν τῶν κολάσεων.

Apertius etiam Gregorius Theologus, orat. 20. Λόγοι τοῦ ἀνδρὸς ... ὁ Μίνως ἐκεῖνος, καὶ ὁ Ῥαδάμανθυς, οἷς ἀσφοδελῶν λειμώνων καὶ Ἠλυσίων πεδίων ἠξίωσαν Ἕλληνες, ἐκ φαντασίας τοῦ καθ' ἡμᾶς παραδείσου φαντασθέντες, ἐκ τῶν Μωσαϊκῶν, οἶμαι, βιβλίων, καὶ ἡμετέρων· εἰ καὶ περὶ τὴν κλῆσιν τι διηνέχθησαν, ἐν ἄλλοις ὀνόμασι τοῦτο παραδηλώσαντες. id est. *Quæ virtutes ipsius Basilij perculsum fecerunt, Minoem illum ac Rhadamanthum pro nugis habent, quos pratis asphodelo refertis, & campis Elysiis Græci donandos duxerunt, Paradisi videlicet nostri speciem quandam animo intuentes, atque ex Mosaicis, vt opinor, nostrísque libris, tametsi in nomine nonnihil discreparint, aliis tamen vocabulis hoc ipsum indicantes.* Hæc Gregorius, quæ miror ab Eugubino longè aliter prolata, & planè pro arbitrio efformata in annotat. in Genes. cap. 2. ex quo coniicere licet, qua fide alios authoris laudet, qui non sunt in manibus.

Chrysostomi verba refert Eugubinus in annot. in cap. 2. Geneseos, nescio an pari fide qua paulò antè Gregorij. Ea enim diligenter quæsita reperire non potui, nec ipse nominat autoris locum. Περὶ γὰρ τὸ κατακλυσμοῦ εἰδέναι χρὴ τοὺς τόπους, καὶ τὴν ὅλην τὴν ὑπερέχουσαν εἰς τὸν παράδεισον· τὸ δὲ κατακλυσμοῦ ὕδωρ, ἴσω ἐστὶ τοῦ παραδείσου, καὶ μήτε Νῶε αὐτὸν ἐγνωκέναι, μήτε οἱ ἐξ αὐτοῦ. N.XXXVIII. 8.

Videtur Nyssenus in hac expositione sibi placuisse, ideò eam promittit in prooemio, & reddit homilia 12. quòd scilicet duæ arbores non possent esse in medio, sed alteram ab altera necesse esset excludi. verùm medium hoc non mathematicè, sed physicè accipiendum est, vt possit non duas tantùm arbores, sed fontem etiam quamuis magnum capere, præsertim si magna esset loci amplitudo. N. LV. 9.

Meridionalem Æthiopiam memorat Isaias cap. 37. 9. & 4. Reg. 19. 9. vbi celebratur Tharaca Rex Æthiopiæ. sicut Esther 1. vbi Assuerus dicitur Dominus 127. prouinciarum, ab India vsque in Æthiopiam. Et Daniel. 11. 43. agitur de Antiocho Epiphane inuadẽte Ægyptum, per Lybiam quoque, & Æthiopiam transeunte. Et Actorum 8. 27. Geminam quoque notauit Æthiopiã Homerus & Strabo, vt pridem notauit Eugubinus in Cosmopœia, vbi de fluuio Gehon. Adde, etiam Pliniũ l. 5. c. 8. & Ahulensem in c. 2. Genes. N. LXIV. 10. Odyss. α. c. 1. Geogr.

R. Kimchi ait de vxore Mosis id pridem notatum à R. Dauid in libro Radicum, apud Pagninum in Thesauro in voce כוש chus. vbi ea eodem scribit Æthiopes, Madianitas, & Ismaëlitas eosdem esse. N. LXV. 11.

Verùm quoniam in Iosephum incidimus, horum fluminum etymologias ab eo allatas obiter attingamus. *Horum qui Phison nominatur*, inquit, *ea vox multitudinem significat, ad terram Indiam delatus in illud se pelagus exonerat, Græcis Ganges appellatus. Euphrates autẽ & Tygris in rubrũ mare exeũt, quorũ Euphrates vocatur φορά, id significat vel dispersionẽ vel florẽ, ...* N. LXXI. 12. l. 1. c. 2. Πληθύν. Τίγρις. φορά.

ἐνδιαμονία. ἄνθος.

Tygris autem Diglath, quod interpretatur angustus simul & velox. Gehon autem Aegyptum medium secat, id nobis ab oriete exortum significat, quem Graeci Nilum appellare solent. Sic ipse in etymo τῆ Phison, siue פישון *pison*, cum Pagnino & Rabbinis cõuenit, qui deducunt à radice פוש, quod est multiplicare, quod eius aquæ multæ sint.

Sicut & Bellar. l. de statu primi hominis c. 12.

Hieronymus in locis hebr. interpretatur cateruam. Euphrates autem cùm hebraicè dicatur פרת *perath* siue *pherath*, in Iosepho φορὰ legendum est, non φορά.

Euphrates.

Cæterùm notauit Lipoman. & post eum Genebr. Peterius, Oleaster, Cornelius, & alij apud Pagninum, ex textu hebraico *hu-pherath* הוא־פרת, *est pherath*, factum esse Eophratem, addita terminatione græca, duabus vocibus in vnam coalescentibus, & prima vocali vocis pherath vel euanescente, vel raptim pronunciata. Sicut nũc barbari Frat, pro Eophrate dicunt. quod autem pherath σκεδασμὸν, siue dispersionem interpretatur, deducit à radice פרש *paras*, quod est expandere vel dispergere, flos autem siue ἄνθος est hebraicè פרח à themate פרח quod est florere. Verùm vltima radicali mutata facilè est à multis aliis radicibus Euphratem deriuare. Eum ab Assyriis dici Armalchar, id est, regium flumen ait Plin. l. 6. c. 26. Iam quod Tygrim Diglath vocet Iosephus, id à Chaldaico mutuatus videtur. Eam enim Chaldaicam vocẽ ait Pererius l. 3. n. 117. Nam Moses Hebraicè vocauit *chiddekel*, חדקל & Chaldaicam illam vocẽ (qua tamen non vtitur Chaldæus paraphrastes Onkelos, sed hebræa tantùm) confirmat aliquo modo Plinius l. 6. c. 27. vbi de Tygri agens, *Oritur*, inquit, *in regione Armeniæ maioris, fonte conspicuo in planitie, loco nomen Elongosine est: Ipsius quà tardior fluit Diglito, vnde concitatur, à celeritate Tygris incipit vocari. Ita appellant Medi sagittam*, &c.

Tygris.

De Gehon verò, qui hebraicè est *gihon* גיחון nescio quam etymologiam excogitarit Iosephus. Nam R. Dauid Kimchi deducit à verbo גוח *gauach* quod est exire, aut educere de ventre, eo quod egreditur, & admodum se diffundit, vt ipse ait, nisi fortè Iosephum Hebraicum à Græco ducere nouo notationis genere quis suspicetur. Ἠὼς enim & Ἠὼρ aurora est, & apud Septuaginta modò γηὼν, modò γεὼν scribitur: Ego tamen nihil hîc assero; egredi enim & exoriri affinia sunt.

Gehon male enodat Iosephus.

Dies Quartus.

Num. I

Summa operis huius diei.

OPVS diei huius his verbis legislatoris continetur. *Dixit autem Deus, Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius vt præesset diei, & luminare minus vt præesset nocti: & stellas. Et posuit eas in firmamento cæli vt lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum, & factum est vespere & mane dies quartus.* Sex dierum circulum destinarat productioni mundi, eius opifex Deus, quos si bipertitò diuidas, vtriusque partis initium luci reperias attributum. Sed medius hic circulus, quasi annulus, rutilantibus astrorum gemmis ornatur, de quibus grauis est hoc loco disputatio apud recentiores tam de tempore, quàm de materia ex qua sol & luna cum reliquis astris producta sint, quæ nobis hoc ipso minus impedita est, si patrum probabiliorem communioremque sententiam, vt fere cœpimus, in animo sit amplexari.

Omissis tantisper ergo iis, qui aut primo ipso die Solem, reliquáque sydera cum prima luce facta crediderunt, aut cœlestes orbes ex quinta quandam essentia genuerunt, quid magis consentaneum Mosaïcæ narrationi, ipsique veritati dictum videatur, à Patribus inquiramus.

II.

hom. 6.

D. CERTE Basilius, vt fusius supra retulimus, primo die lucem ipsam creatam tradidit, quarto autem solis corpus eo conditum dicit, vt illi primigeniæ luci vehiculum esset: quo in sensu scriptura vocat solem *vas admirabile, opus excelsi*, vt notauit S. Bonauentura. D. Nazianzenus eam lucem soli attributam dicit, & solem eius materiam, siue subiectum esse, ipsa forma posterius productum. D. Maximus in scholiis in D. Dionysium ait, ὅτι τὸ πρωτόκτιστον φῶς τῇ τετάρτῃ ἡμέρᾳ μετεσχηματίσθη εἰς ἥλιον. Idque ex D. Dionysij sententia. Basilium sequitur Damascenus. Pro eadem est Didymus, vt refert Lipomanus in catena in Genes. & Eugubinus qui ἀνάκρισιν vocat. *Ac quemadmodum*, ait, *aquam prius super faciem terræ diffusam, postmodum tertia die Deus in vnum congregauit, vnde & maria, & flumina, & putei orta sunt, ita & primam illam lucem toto cælo diffusam, quarta die in vnum coactam, in Solem, ac Lunam, & stellas formauit.* Et Apollinaris apud Eugubinum in Cosmop. in diem primum. τοῦ δὲ πρωτογόνου φωτὸς, ὅσον μὲν καθαρώτατον ἐνέθηκε τῷ ἡλίῳ, τὸ δὲ λοιπὸν σελήνῃ, καὶ τοῖς ἄστροις ἔμιξεν. *E primogenia*, inquit, *luce quicquid purissimum esset in Solem*

Eccli. 46. 2. sent. d. 14.

l. 2. de fide c. 7.

Primigenia lux attributa Soli ex Patrum sententia. Basilij. Nazianzeni. Maximi. Damasc. Didymi. Apollinaris.

Theodoret. *felegit, reliquum Lunæ & astris deputauit.* Et Theodoretus. *Etiam lumen*, inquit, *creauit, vt voluit, sicut verò firmamento distinxit aquarum naturam, & quasdam sursum collocauit, reliquas deorsum reliquit: sic lucem illam distinguens pro arbitrio suo luminaria magna & parua condidit.* Eadem ex parte leges apud Athanasium, Nicetam, Anastasium Sinaitam, Procopium Gazeum, & ex Latinis Tertull. Ambrosium, Augustinum, Burgensem, quos supra retulimus. q. 14. in Gen. *Athanas. &c.* q. 17.

III. *Solis & astrorum materia aquea.* Ex quorum mente dicendum esset Deum hoc quarto die sydera in suis orbibus, non tamen ex ipsa orbium materia, quam aqueam supra multis testimoniis demonstrauimus, produxisse; lucem primigeniam Soli attribuisse. Pari enim miraculo quo secretam à subiecto proprio lucẽ in aqua produxerat, mobilémque, ac dierum effectricem reddiderat, nunc Solis corpori attribuit. Itaque Eugub. in Cosmopœia. *Atque illud*, inquit, *est verissimum, & à Theologis quoque vetustissimis assertum, eadem ratione, fuisse ex aquis eductam atheriam substantiam, atque ipsum cœlum, expirationésque cælestes. Videmus enim aquam, in aërem, in nubes, in faces, in vapores igneos mutari.* Et hæc ab eo quidem dicuntur consentaneè doctrinæ peripateticæ, quę vult astra esse eiusdem cum suo orbe substantię, vt disputat etiam Valesius l. de sacra Philos. quasi in ligno nodos, partes scilicet orbis addensatas, & compactiores, idque nos probabilius multo existimamus. Patres tamen plerique astra diuersæ ab orbibus naturæ esse docuerunt. in 4. diem c. 1.

IV. *Ex Patribus autem & antiquis Philosophis & Poetis ignea.* NAM qui cœlos aqueos esse dixerunt, iidem ferè astris igneam naturam attribuunt; eóque à suis orbibus specie ac natura seiungunt; quorum ex mente videtur Alexander Halensis locutus, cùm ait. *Rectè ergo videtur dictum, quod luminaria sint perfecta in firmamento, non ex firmamento, sicut dicitur in sequentibus, producant aquæ, producat terra. Et est modus talis loquendi, quemadmodum si poneretur gemma pretiosa in annulo, ad decorem annuli, vnde infra sequitur, & posuit ea in firmamento cæli.* Sic ipse: quod tamen populariter, & ad vulgi captum à Scriptura dictum videtur; sed pergo. Et vt omittã antiquiores Philosophos, qui Solem, & Lunã, reliquáq; astra modo ignitas nubes, modò ferrum cãdens, modò lapides flãma ignitos, & id genus aliis nominibus vocitarunt, vt fusius tradit Theodor. Omittam & Poëtas, qui eam doctrinã magno cõsensu carminibus celebrãt, Ethnicos, inquã, & Christianos, cũ quibus Ecclesia, p. 2. q. 52. memb. 1. l. de mat. & mund.

Quarto die qui flammeam
Solis rotam constituens, &c.

Tertull. Basilio. Certè Tertull. *Sol*, inquit, *corpus est, siquidem ignis, sed quod aquila confiteatur, neget noctua.* D. Basilius ait deliras & aniles esse opiniones eorum, qui Solem negent esse calidum, nec veram esse illorum sententiam, qui Solem ignea natura præditum negant, vbi peripateticos videtur carpere, sicut Iustinus in Aristotelis reprehens. l. de anima, hom. 3.

Ambrosio. Cyrillo. Ambros. de more sequitur Basilium. Sed insignis est Cyrilli Hierosolymitani sententia. *Aqua est cœlum, & igneus in illo Sol, & Luna, & sydera, & quomodo ignea in aqua currunt? Quod si quis de hoc propter naturas contrarias dubitat, recordetur ignis illius in Aegypto tempore Mosis exurentis in grandine, & consideret sapientissimum Dei opificium.* l. 2. c. 3. catech. 9.

V. *Cæsario.* ADDE Cæsarium. *Quia crystallum esse dixi firmamentum, recepturum erat subiectorum luminarium splendorem, Solem, inquam, & Lunam & reliquum astrorum cætum, ex igne naturam habentem: ne igitur illorum ardore resolueretur, quod fixum est, per id ab illo discreuit infinitam illam aquam veluti positam super humeros eius, ad refrigerandum inflammationem, & ad leuigandum rotationem, vt illa humiditate crassius redditum, resistere possit igni luminarium.* Et quoniam hæc naturæ vires excedere sentiebat, q. 69. quærit. Qui fieri possit vt glacies resistat igni, quæ nullo modo fert ignis propinquitatem, neque manus contrectationem, neque auram calidiorem, neque vt veste tegatur. Et respondet. *At non sunt illa vltramundana terrenis per omnia subiicienda; nam aliter quàm pro nostra infirmitate diuina virtus omnia dispensat atque gubernat*, &c. deinceps tamen exemplis à natura petitis id probabile reddit, & miraculis à scriptura desumptis. q. 68.

Theodoret. Theodoret. *Bifariam Deus omnium diuisit aquarũ naturam, & quasdam sursum collocauit, quæ suo liquore ac frigiditate non sinerent corrumpi firmamentũ ab igne luminarium.* Et ser. 1. de prouidentia. *Hanc ergo ob causam, cùm tantus circa cœlũ hic ignis voluatur. Solis nimirum, Lunæ, ac reliquorum syderum: tot tamen annorum euolutionibus nec liquefactum funditur, nec arescit, nec incensum ardet.* Et infra. *Nec ignis naturam, aquarum copia extinguit, nec glaciale illud, vel aerium, & nubilum cœli corpus, nimio illo & ardenti ignis ardore liquescit,* q. 11. in Gen.

aut perit, sed licet vicina sibi cohabitent, celant tamen hostiles vires, & Creatoris sui verbi persuasa, perpetuam sanxerunt amicitiam. Hæc ibi. Quibus similia leges in Psalmum 148.

hom. 6. in Gen. in psal. 134. to. 5. homil. ad neoph.

D. CHRYSOSTOMVS, Solem elementum appellat, eique ignis affectiones calefaciendi, arefaciendi, adurendi, aliásque multas attribuit. Clarius etiam cùm varias ignium differentias recenset, alium in Sole esse ait, alium in Luna, alium in fulgure, alium in aëre, alium qui fit ex lignis, &c. Et rursum, iustos stellis conferens. *Illarum,* inquit, *ignea natura stellarum est, & istæ,* stellæ scilicet terrestres, *edocentur igneam sortiri naturam. Sed ibi quidem ignis quem humanus sensus inuenit: hic autem quem secreta mentis ostendunt.* VI. *Chrysost.*

Gregorius etiam Nyssenus in historia sex dierum docet astra igneæ esse naturæ, & quidem ex eo, quod in igne subtilissimum sit, & leuissimum. *Greg. Nyss.*

in c. 1. Gen. Procopius. *Deus lucem, Solem, Lunam, astráque, quorum omnium substantia ignita est, disposuit ad eum modum, vt motum suum in firmamēto peragerent. At ignis ea natura est, vt congelata, & ex aquis concreta potenter dissipet, & dissoluat. Ne igitur id eueniret fortè cælo, necessario tantam aquarum affluentiam in superiore regione collocauit, quæ cælum illæsum, & inuiolatum ab ignis ardore conseruaret.* Anastasius Sinaita. *Qui enim ex aquis,* inquit, *firmauit cælum, & super aquas suspendit terram, poterat etiam sine aqua indissolubile custodire firmamentum, etiam ex igne Solis.* Arnobius sydera ignea esse significat. Et Lactantius. *Iam illud quam repugnans & absurdum, quod cùm cælestes ignes, cateráque mundi elementa Deos esse affirmant, item ipsum Deum mundum dicunt.* Anselmus Cantuar. Solem, Lunam & stellas natura igneas affirmat. item Alcuinus, & Beda, Isidorus id de Sole asserit, de cæteris tacet. Hugo Victorinus Solem igneum, cætera astra aëria facit. *Procopio. Anastasio Sin. Arnobio. Lactantio. Anselmo. Alcuino. Beda. Isidoro. Hug. Vict.*

l. 2. in hexa. l. 2. & 8 aduers. gent. l. 2. c. 6. l. 1. de imag. mundi c. 23. & 25. qq in Gen. l. de nat. rerū c. 5. & 19. l. 3. de orig. c. 48. annot. in Gen.

IN hoc ergo tanto antiquorum Patrum consensu, quid vetát sicut cœlestes orbes ex aqua confectos cum ipsis fatemur, nec tamen vi vlla excepta diuina, dissolubiles, beneficio formæ illis ab eorum auctore inditæ; ita & sydera ex ignis substantia Dei artificio genita probabile, in gratiā venerandæ antiquitatis, fateri? addita etiam forma, cui nulla vis, præter diuinā, interitum afferre queat? Probabilius nihilominus videtur, vt diximus, iuxta receptissima peripateticæ philosophiæ dogmata, astrorum omnium naturam, à suorum orbium natura minimè discrepare, nec vllam esse in cœlis qualitatum pugnam, aut violentiam. VII. *Ea sententia non improbanda.*

supra n. 5.

QVOD si cœlos in die iudicij ardore ignis soluendos credimus, id de astris quoque intelligi par est, ideóque & dissolubilia esse diuina virtute, vt in melius commutentur. *Quid lucidius Sole? & hic deficiet. stellæ cadent de cælo.* Nam quod hæc ad aduentitiam immutationem elementorum plerique referunt, cùm cœlos accipiunt, in quibus nubes & volucres vago cursu circumferuntur, vim afferre D. Petri verbis videntur. Apostolus enim cœlos ab elementis apertè secernit. *Adueniet autem dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu transient,* hæc de veris cœlis accipienda sunt, nam sequitur, *elementa vero calore soluentur: terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur. Cum igitur hæc omnia,* puta cœli & elementa quæ proximè dixerat, *dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus, expectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent,* ecce hic iterum cœlos sepositos ab elementis, *nouos verò cælos, & nouam terram, secundum promissa ipsius, expectamus.* VIII. *Astra cum cælis verè corruptum iri. ex D. Petro.*

Eccli. 17. 30. Luc. 21. 2. Pet. 3. 10.

QVIS etiam non videt violentam esse interpretationem, *Cæli ardentes soluentur, cæli sicut fumus liquescent, cæli magno impetu transient, cæli peribunt.* id est, purgabuntur, nitescent, & quasi à rubigine detergentur? At quis nescit aquam, quæ abit in fumum, in alteram transire substantiam? sicut & ligna, quæ ardore soluta in cineres abeunt? nec satis commodè dici perire, quæ secundum materiam, formámque remaneant? Quis non durum fateatur illam expositionem *mutabis eos, & mutabuntur.* id est, purgabis eos, & renouabis? præsertim cùm nullæ à cœlis contrahantur sordes; conueniens autem sit cœlos, qui seruierunt rerum sublunarium perpetuis alterationibus, ita à seruitute liberari, vt cum maximo incremento gloriæ, sint obiecta corporum gloria præditorum, quod incrementum auctum in septuplum, vt affirmat magnus Esaias; ne sit violentum in perpetuum, à noua forma, quæ sit consentanea tantæ luci, proficisci debebit[1], vt supra IX. *Et aliis Scripturæ locis, quorū violenta expositio.*

Esa. 51. 6. Ps. 101. 27. Ps. 101. 28. c. 30. 29. 1. ✗.

cum Molina dicebamus, quod confirmat Cornel. in 4. diem. Quo autem modo singula à suprema illa sapientia postea digerenda sint, quis diuinabit? Dicamus cum Dauide. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* disput. 15. Psal. 138. 6.

X. *Solis & Lunæ officia.* SED redeamus ad Mosem astrorum, Solis præsertim & Lunæ munera describentem, quæ sunt totidem quasi fines, propter quos Deus illa produxit, primus est terram alternatim noctu diúque illuminare, quin etiam aquas, & aërem, & cœlestes ipsos orbes. Quod autem Moses à duobus luminaribus diem à nocte separari ait, patet eum non de die naturali loqui, vt hactenus in numerandis mundi diebus, sed de artificiosis; vt supra cùm dictum est diuisam lucem à tenebris, & has
1. [beside "ri ait"]
2. noctem, illam diem esse dictam. Alter finis est vt sint in signa, non vana illa & coniectanea astrologorum, inquit Del Rio, quos passim sacra scriptura damnat, & nominatim Hierem. 10. init. *A signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes,* &c. vt ille ipse alibi docet, sed alia quæ obseruare licet. Nam regressio Solis, in signum fuit recuperatæ ab Ezechia valetudinis, Solis obscuratio, & recursus Lunæ in morte Christi Domini, eiusdem signum fuit. Sic quando Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, cùm stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum mouebuntur, signa erunt extremi iudicij imminentis. Sint denique signa pluuiæ, se- in Gen. 1. l. 4. disquis. c. 3. q. 1. Matth. 24. 29.
3. renitatis, ventorum, tempestatum, &c. Tertius est vt sint in tempora[a], putà quatuor illa, quæ dicuntur anni tempora, quæ Sol cursu suo, accedens ad nos & recedens, moderatur, ver, æstatem, autumnum & hyemem, vt Basilius & Philo annotarunt; & quæ his connexa sunt tempora seminandi, plantandi, metendi, vin- a. ℞.
4. demiandi, aliáque complura. Sunt denique in signa & tempora, siue signa temporum, dies enim, & horæ à Sole pendent, à Luna menses, & ab vtróque anni, & va-
5. riæ festiuitates, Paschatis, Pentecostes, Neomeniarum, &c. Alius est etiam finis influendi in hæc inferiora, quod quia vel solùm, vel maximè fit per lumen & motum, in primo fine continetur, nec seorsim explicatur.

SCHOLIA IN DIEM QVARTVM.

N. IX. 1. IN quam sententiam de vera dissolutione cœlorum, valde propendet Emanoel Sà, in notis in Epist. D. Petri, in illa enim verba, *Cœli ardentes soluentur. Aerij,* inquit, *fortè verò etiam superiores, quod etiam indicat illud Christi, Cælum & terra transibunt. vbi parum curandum est, quid philosophi dicant.* Sic ipse. Adde Cæsarium in Dialog. q. 72. *Quid igitur,* inquit, *an nunquam abolebuntur cœli, nec luminarium illorum erit interitus?* Respondet, *Erit quidem creaturæ dissolutio, non omnimoda tamen sublatio, sed in melius transmutatio, quemadmodum ex Dauide diuino vate di-*
Psal. 101. 27. *scimus in hunc modum canente. Ab initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli; Ipsi intereunt, tu autem permanes. Et rursus de regeneratione subiiciens, inquit, Et omnes sicut vestimentum veterascent, & velut pallium circumuolues eos, & mutabuntur. Deficientibus igitur vltra cœlestibus aquis, omnia simul liquescent abundantia ignis, nam stellæ cadent, vt de vite folia, inquit eximius ille inter vates Esaias. In Catholicis autem Epistolis Petrus inquit, elementa æstuantia soluentur. Quod autem ad melius, & in statum deinceps non amplius desiturum omnia corroboranda sint, tradit tam præsentium, quàm futurorum diuinus ille vates his ver-*
Psal. 103. 30. *bis, Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.*

Hactenus Cæsarios, agnoscens cœlorum & syderum resolutionem, sicut videmus metalla ignis ardore resolui. Deinceps verò ab eorum conditore in melius restituenda, per nouam scilicet formam, qua fiant cœli noui, & terra noua, vt Apostoli & Prophetæ dixerunt. Verùm de hac tota quæstione vide Serar. in epist. D. Petri 2. c. 3. q. 2. vide etiam l. 3. recognit. p. 53. Basilios hom. 6. vocat Solem τοῦ φωτὸς ἐποχούμενον. Communior nihilominus est in scholis Theologicis atque Philosophicis illa sententia de natura cœlorum, & aquarum supercœlestium, quæ cùm D. Thomæ, & Peripateticorum doctrina magis congruit: quæ cœlorum quintam quandam naturam profitetur, ortus atque interitus naturalis expertem: quam & sequendam putamus hoc tempore, quo Philosophiæ mysteria, temporum decursu accuratius examinata, illustriora sunt reddita.

Consentit Mosi Aratus, cuius hæc sunt carmina. N. X. 2.

Αὐτὸς γὰρ τάγε σήματ' ἐν οὐρανῷ ἐστήριξεν
Ἄστρα διακρίνας, ἐσκέψατο δ' εἰς ἐνιαυτὸν
Ἀστέρας, οἵ κε μάλιστα τετυγμένα σημαίνοιεν
Ἀνδράσιν ὡράων, ὄφρ' ἔμπεδα πάντα φύωνται.

Quæ ita vertit Eogub. l. 7. Philosophiæ c. 24.

Ille quidem cælo defixit signa superno
Partitus astris, stellas prouidit in annum,
Quæ tempestates, hominis & signa docerent,
Vt firma in terris essent certo ordine cuncta.

Ex eiusdem Arati Phænomenis Lact. l. 2. c. 5. affert hos versus Ouidij.

Tot numero, talisque Deus simulchra figura
Imposuit cælo, pérque atras sparsa tenebras,
Clara pruinosa iussit dare lumina noctis.

Dies mundi quintus.

Num. I. *Opera Domini super aquas.*

INGREDITVR diuinus interpres in opus diei quinti, qua productio auium & piscium continetur, in aëris & aquarum ornamentum, & hominis mox venturi vsum, atque famulatum. Verba Prophetæ hæc sunt. *Dixit etiam Deus, producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram, sub firmamento cœli. Creauítque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum, Benedixítque eis dicens, Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris, auésque multiplicentur super terram. Et factum est ve-*
Psal. 28. *spere & mane dies quintus.* Quintùm iam Dominus Deus operatur super aquas, pri- 1.
ma operatio fuit in creatione abyssi, cùm facta est *vox Domini super aquas*, vt ex ni-
hilo existerent, cùm *Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas.* Altera fuit 2.
in communicanda illis virtute productrice & fœcunditate, cùm *Spiritus Domini fe-*
rebatur super aquas, & facta est *vox Domini in virtute*. Secuta est *vox Domini in magnifi-* 3.
centia, cùm diuisæ sunt aquæ, & in medio earum expansum est magnificentissi-
mum illud firmamentum, cuius superiora tegerentur aquis. Quarta fuit congre- 4.
gatio aquarum, quæ sub cœlo sunt, in vnum locum. Quinta est hodierna gemi- 5.
notum animantium ex aqua productio, qui est effectus datæ fœcunditatis ex Spi-
ritu Domini incubante aquis.

II. *Fœcunditas aquarũ.*

QVÆ fœcunditas tanta fuit, vt ex iis non solùm aëris latissimè fusum elementum, sed ipsa etiam orbium cœlestium immensa corpora producerentur; & nunc innumerabilia genera piscium, ad aëris & aquæ profunderentur ornatum. Quàm innumerabilem multitudinem non solùm vox ipsa שרץ sarats, qua diuinum præceptum enunciatur, quæ non solum producere, sed scaturire, ebullire, & in magna copia gignere significat, sed ipsa experientia ouorum, quæ quotidie videmus in piscibus, perspicuè demonstrat, adeo vt S. Ambrosius dicat multo plura in mari, quàm in terris animantia viuere. (l. 5. hexam. c. 2.)

III. *Eiusque causa.*

SIVE quia elementum aquæ vastissimum est, solísque piscibus destinatum ad
vitam, cùm magna terræ pars soli homini seruiat; siue quia pisces vitæ breuioris
sunt, ob exiguum calorem, & exuberantem humiditatem; siue quia aqua rerum
l. 9. c. 1. productioni aptior, quoniam *vapor humidus omnes res creat*, vt ait Ouidius, ideóque 1.
Plinius ait humoris luxuriam causam esse, cur compluta sint animalia in mari ma- 2.
l. 3. de Generat. animal. c. 11. iora terrestribus, & tam multiplicibus formis ac figuris, quæ est etiam Aristotelis 3.
sententia: siue quia magna pars piscium minorum, maiorum voracitati seruiunt, 4.
quod in terra longè infrequentius est. Itaque ne species aliquando pereat incredibili eos numero pullulare iussit, facilémque in aquis vitam, ac victum reperire. Quo pertinet illud Psalmistæ, *Illic reptilia, quorum non est numerus.* (Psal 103. 25) Etsi enim reptilia propriè in terra dicuntur, quia tamen repere eorum est animalium, quæ pedibus carent; etiam pisces, qui iis destituti sunt, in reptilibus Græcè, Latinèque censentur. Nam Septuaginta ἐξαγαγέτω τὰ ὕδατα ἑρπετὰ ψυχῶν ζωσῶν, animarum viuentium, siue animæ viuentis; retento vtrobique Hebraismo, pro, reptile viuens.

IV. *Pisces non producti ante quintum diem.*

QVANVIS autem tam perspicua sit scripturæ sententia de productis quinta die piscibus, auibúsque; quædam tamen curiosa ingenia, quæ in magna laude ponunt si dicere possint, se sola calcasse nullius impressa vestigiis, de ea re ita philosophantur, vt dudum ante inchoatam productionem piscium, hodie perfectam & absolutam philosophentur. Audi enim Eugub. In Cosmop. *Hoc loco*, inquit, *obseruandum obiter, tota enim se se declarat philosophia, si quis Iudex aquis esse velit, quinti huius diei opus non adamussim hac quinta die conditum, quin in superioribus diebus aliquod principium habuerit. Cui enim non necessarium videatur subito, eadémque die è terris patefactis nasci herbas & stirpes cœpisse, eadémque seorsum ex aquis aquatilia pullulasse. Neq; enim quintum diem parturientes aquæ expectarunt; sic quando de terris plantæ nascebantur, parte alia animalium terrestrium exordia inchoabantur. Itaque hoc attestatur his quæ de Sole & Luna narrationis situm, locúmque tenuisse.* Et paulò pòst. *Sic creatis cum Sole & Luna astris est quar-*

ta dies circumacta, & natis aquatilibus absoluta est quinta, quo tempore etiam terrestres animantes nascebantur. Quibus perfectis sexta dies affuit, sicque à scriptore positum est.

V. *Refellitur contraria Eugubini opinio.*

VERVM hæc confusionem sex dierum inuehunt, & operum in eis patratorum, vt perspicuum est; cúmque Moses tradat non nisi diuino accedente præcepto, aut terram germinasse plantas, aut ex aquis extitisse pisces, si quæramus ex Eugub. quo die hæc à Deo iussa sint enasci, mendacem vtique faciet Mosem, aut Deum præcepisse id fieri, quod penè perfectum erat. Sed ipse ne diuinæ quidem iussionis recordatur, quasi tum ex putri materia genita essent paulatim omnia animantia, vt vulgus olim philosophorum credebat, qua de re vide Diodorum Siculū, & Eusebium, & Ouidium. Non sic philosophatur Ambrosius, cùm explicans illud, *Producant aquæ, &c. Breuis sermo*, inquit, *sed vehemens, & latè patens, communem minimis & maximis naturam infundit, eodem momento producitur balena, quo rana; eiusdem vi operationis nascitur;* quomodo momento, si pluribus diebus? vult nimirum eodem eiusdem diei tempore, Domino præcipiente, cœpisse produci. Et cap. I. *Aquæ iubetur ea producere, quæ viuentis animæ vigorem, dignitatémque præferrent, & sensum tuendæ salutis, & fugiendæ mortis acciperent. Dixit itaque Deus, producant aquæ reptilia, &c.* venit mandatum, & subito aqua *iussos fundebatur in partus*, sic ipse: ergo non ante mandatum.

Ex Ambrosio. — lib. I. hist. l. I. de præparat. Euang. c. 4. I Metam. l. 5. c. 2.

Et Basilio. Quid Basilius? *Tanto tum studio contendebat aqua omnis, sui conditoris imperio subseruire, & obsequi, vt & quorum ne genera quidem possit quiuis ad numerum referre, horum vitam nulla intercedente mora*, Agnoscis fidelem Basilij Interpretem Ambrosiū? *efficacem atque operatoriam, séque motitantem declarauit, magna prorsus & ineffabilis Dei potentia, simulatque suo vnius præcepto, aquis vim impressit generationi accommodam.* Ita Basil. atqui non iussit ante quintum diem, si Mosi credimus; ergo nec ante quintam diem producta sunt, aut produci cœperunt, cùm nulla interposita mora, simulatque præceptum datum est, aquæ obtemperarint. Sed vt in ore duorum, vel trium testium stet verbum istud. — homil. 7.

Et Cyrillo. Accedat Cyrillus. *Post verò*, inquit, *quoniam Creator omnium vita sua natura est, ipsam quoque naturam aquarum matrem, & animalium natantium, & per aërem volitantium facere potuit, rursus terræ imperat, vt & naturam multiplicem pecudum, & belluarum genus indomitum procrearet, hæc protinus, & mirum in modum iussa capessunt. Quippe singulis in rebus creandis, verbum tantummodo summi Dei creare valebat, nutúsque eius duntaxat producere omnia potuit.* — l. I. in Gen.

Et Chrysostomo. Addam quasi epimetron magnum Chrysost. *Obsecro quis sermo miraculi dignitatem posset assequi? quæ lingua ad opificis præconia sufficiet? Dixit tantùm, germinet terra; & statim illam parturire fecit, & varia mox ac multiplex florum, herbarum & seminum apparuit copia, vnóque sermone producta sunt omnia; sic & hic dixit, educant aquæ reptilia animarum viuentium, & volatilia volantia super terram, secundum firmamentum cœli: & continuo tot reptilium, volatiliúmque genera condita sunt, quot neque sermone recenseri possunt.* Sic Chrysostomus. — homil. 7 in Genes.

VI. *Neque ex aqua sola.*

NEQVE tamen ita intelligendum est pisces, auésque ex aquis productas, vt cætera elementa nihil in eorum productionem contulerint, cùm ea vera esse corpora mixta nemo dubitet. Iam enim aquis permista fuerat terra, & aqua terris, cùm Deus terram excitauit ex vndis, eámque quasi spongiam repleuit, ac fœcundauit aquis, quibus innatabat aër, igneo, ac viuifico calore perfusus. ex aquis tamen, quasi ex prædominante elemento, vt homo è terra, producta dicuntur, & super hæc omnia accedebat Sol, omnium viuentium corpore constantium parens. Nec est vllus ex antiquis patribus, qui pisces ex sola aqua conditos putet aut dicat, etsi non nisi aquæ, sicut nec scriptura, in eorum productione meminerint. — Bonau. 2 sent. d. 15. q. 2 & 3. Vide etiam Tostat & Chartus. In Genes.

VII. *Quā multa variáque piscium genera.*

Si quis porro piscium non solum summa quædam genera hodie producta percensere, sed de iis accuratè differere studeat, perinde est, inquit Basilius, *atque si quis æquoreas vndas enumerare, aut metiri poculis aquas maris aggrederetur.* Pergens tamen nonnulla cursim enumerat. *In his*, inquit, *ipsis sunt ea, quæ in alto versantur, quæ littoribus gaudent; quæ submersa viuunt, quæque ad saxa natiuis testis inhærent, saxatilia, gregaria, solitaria, & belluæ molis immensæ, & minutissimi pisces.* Et rursus alibi, genus quoddam facit eorum piscium, qui silicum duritia teguntur, aliud eorum qui crustis includuntur, aliud eorum qui molli carne præditi, quasi exarmati prædæ facilè patent, in quibus innumeras constet esse differentias. Alios item esse qui ouum pariant, alios qui vi- — hom. in hexaem.

uos producant fœtus, &c. pluribus enim in hac descriptione nobilissimum Basilij excutrit ingenium. Sed hæc nobis pro instituto satis, ne fortè plantæ plures nobis species ostentent, & omissas quetantur; præsertim cùm non desint, qui hoc argumentum ex professo tractent.

VIII. *Et nominatim de cetis & balænis.* — l.9. homil. 7. — *Quāta cetorum moles ex Basilio Ambrosio.* — l.5. c. 11.

ITAQVE cum Ambrosio libenter assurgeremus ipsi de profundo maris, & aliquantulum sermo noster emergeret, atque ad superiora se subrigeret, nisi nos paulum cete grandia, quæ obiicit Moyses, in cursu morarentur. præsertim cùm Hebraica lectio eos dracones magnos, Chaldaica colubros magnos appellet, terrestribus scilicet periculo & magnitudine suppares', sed multò etiam maiores esse balænas & cetos draconibus constat; sed an vocum penuria Hebræi laborant? Audi enim Basilium. *Fecit Deus cete grandia, non quia squilla & halece maiora sunt cete, ideo magna sunt dicta; sed quia maximis mole corporis montibus exæquantur. Nam cùm ad summam aquæ superficiem enatarint, instar insularum sæpenumero apparent; hæc tamen tantæ molis animantia, non in oris, nec in littoribus degere, versaríque solent, sed id habitant mare, quod Atlanticum nuncupatur.* Ad quæ alludens S. Ambrosius. *Veniamus ad Atlanticum mare. Quàm ingentia illic, & infinitæ magnitudinis cete, quæ si quando supernatant fluctibus, adnatare insulas putes, montes altissimos summis ad cælum verticibus eminere, quæ non in acta, nec in littoribus, sed in Atlantici maris profundo feruntur videri, ut eorum conspectu nautæ à nauigandi in illis locis præsumptione reuocentur.* Nihil tamen certius frequentissimas illic nauigationes his temporibus celebrari, eorum qui orientis occiduíque solis regiones perlustrant. Eundem Basilium secuti sunt Procop. in Genes. & Theodoret. nec arbitrati sunt hyperbolem aut supra fidem, aut supra modum esse. Isidorus cete dicta vult, τὰ κήτη ob immanitatem, *Sunt enim*, ait, *ingentia genera belluarum, & æqualia montium corpora, qualis cetus excepit Ionam; cuius aluus tantæ magnitudinis fuit, ut instar obtineret inferni, dicente Propheta, exaudiuit me de ventre inferni.* Hæc piscium monstra vastissima vulgo Balænæ dicuntur, quas in Indico mari collocat Plinius l. 9. vbi inter alia. *Plurima*, inquit, *& maxima in Indico mari animalia, è quibus Balenæ quaternum iugerum, pristes ducenum cubitorum, quippe vbi locustæ quaterna cubita impleant, anguillæ quoque in Gange amne tricenos pedes, &c.* Ex Plinio plurima de piscibus toto illo libro mutuari possis, & Isidoro loco citato, Aristotele, & recentioribus. Sed illud addo ex Plinio l. 32. vbi ait Iubam ad Cæsarem Augusti filium scripsisse, cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis in flumen Arabiæ intrasse, id est, vt arbitror, sinum Arabicum. Si enim crassities isti latitudini respondebat, quod flumen in Arabia eius capax? Nos ad volatilia transimus.

l.12 Orig. c.6. — *Procopio. Theodoreto. Isidoro.* — c.5. vsque ad fin.c. — *Plinio.*

IX. *Productio Auium, & earum cum piscibus cognatio.* — l.5. c.13. & 14. — n.13.

QVORVM productio pisciū creationi coniungitur propter magnā inter vtraq; animalia cognationem. Nam plurima volucrum genera natant, & amphibia sunt, vt alcyones, mergi, fulicæ, ardeæ, cygni, grues; & pisciū progressio in aquis, instar est volatus auium in aëre, vtrísq; alæ, & branchiæ pro remis, cauda pro gubernaculo, vt notauit Ambrosius. Et quoniam ab imperfectioribus ad perfectiora progreditur mundi opifex, à piscibus orsus ad aues transit, quarum perfectionem maiorem, maior organorum internorum, externorúmque distinctio significat, pluriúmque sensuum vsus, etiam internorum, vt pleræque facilè cicurentur, vt sonos etiam suos in loquelam vertant; inde ad terrena animalia, ipsúmque hominem venietur. Sed de hac re mox iterum dicetur ex Patribus. vide Cornel. in hunc diem.

X. *Vnde, & vbi productæ, opinio recentiorū.* — in c.1. Cosmop. — 2. Gen. v. 19

DE loco porro productionis auium litem intendunt, quos vocant Hebraizantes editioni vulgatæ, & Septuaginta, & Chaldaicæ Paraphrasi, quod in Hebræo legatur, & *volatile volet super terram*, *Vt non cogaris*, inquit Eugub. *ex aquis volatilia producere, separatim enim præcipitur vt aquæ ebulliant piscibus omnigenis, & vt volucres volent super terram. Sed quoniam auium creatio cum creatione piscium coniuncta est, videtur originem volucrum potius aquæ, quàm terræ ascribere.* Ex aquis tamen aues productas esse, tam ratione, quàm experientia pluribus differit. *Ex eo autem quod subdit*, inquit Caietanus, *volatile volabit, excluditur sensus vulgatæ editionis sonantis, quod aquis datum est producere etiam volatilia.* Producta verò esse ex terra probat ex c. 2. vbi dicitur Deum formatis de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxisse ea ad Adam, vt ab eo nomen acciperent. Idem sentit fere Lipoma-

nus, Catarinus, Vielmius, Rabbini, & mirum est ab Oleastro non notatum. Idem & Montani versio, & Pagnini, & Tigurina produnt.

XI. *Vera sententia ex aquis aues, pisciésque genitos.* VERVM & horum sensibus, & Hebraico textui præponderat vulgata editio Hieronymi, ab Ecclesia approbata; præsertim consentiens Septuaginta Interpretibus, & Chaldaicæ Paraphrasi. Nam & Græci dum legunt volatilia volantia, & Chaldæus, auem quæ volet, eandem omnino sententiam retinent, & auium originem aquis tribuunt, censuitque D. Hieronymus sicut & Septuaginta & Chald. illud, quod, subintelligendum esse, vt notauit etiam noster Del Rio in hunc locũ. Nec credibile est recentiores, qui Hebraico textui impensius addicti sunt, in codices meliores, quàm Hieronymum ipsum, aut Septuaginta Interpretes incidisse. Et satis absurdum est, si ex terra productæ sunt aues, vt ipsi volunt, earum productionem diei sexto non reseruatam; sed quinto traditam. Nam quod reseruatam dicitur in c. 2. ibi non tam exacta narratio, quàm compendiosa ἀνακεφαλαίωσις est; (v. 19.) in qua pleráque omittuntur, quasi iam satis in primo capite tradita. Itaque de cũctis animantibus terræ dictum est, de humo esse producta, de volucribus subintellectum producta de aqua, sicut antea dictum fuerat. Quin & illud *de humo*, obiter additum à Propheta, quia cùm explicaretur denominatio animalium, non sanè intererat vnde essent producta, postremò illud, &, repetit vocem formatis, non autem de humo, vt notat Molina, de Valentia in hunc diem, Pererius n. 146. (disp. 18.)

XII. *Quæ est Sanctorum Patrum. Ambrosij.* CÆTERVM patres passim, vnóque ore aues ex aqua ortas prodidere. Nam D. Ambrosius in hymno, quo Ecclesia perpetuo vtitur.

Magnæ Deus potentiæ
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partim leuas in aëra.
Demersa Lymphis imprimens,
Subuecta cælis irrogans,
Vt stirpe vna prodita
Diuersa rapiant loca.

Nec aliter sensit in hexaëm. Nam l. 5. *Vnde quoniam in nonnullis idem vsus & species, ideo de aquis vtriúsque generis natiuitas diuina præceptione processit. Dixit enim Deus, producant aquæ reptilia animarum viuentium, secundum genus, & volatilia secus firmamentum cæli secundum genus. Non immeritò igitur quia de aquis genus vtrúmque producitur, natandi proprietas vtrísque suppeditat.* (c. 14.) *Cyrilli. Chrysostomi.* Idem sentit Cyrillus, & Chrysostomus quorũ verba paulò antè retulimus. (l. 1. in Gen. homil. 7. in Genes.) *Damasceni* Idem Damascenus. *Per volatilia,* inquit, *conspirant & iunguntur aqua, terra, & aer; nam ex aquis illa prodierunt, & in terra diuersantur, & in aere volant.* (l. 2. c. 9.) *Philonis.* Propterea Philo volucres appellauit germanas aquatilium ex eodem quasi patre ac matre genitas, ὡς ἀδελφὰ τῶν καθ᾽ ὕδατος.

XIII. *Basilij. Cognatio auium & piscium.* SED non omittamus Basilium, his propemodum alludendem. *Cur ortum ex aquis,* inquit, *volucribus quoque, perinde vt aquatilibus, præstitit? quoniam volantibus ad natatilia quasi consanguinitas quædam est. Nam vti pisces aquam secant, agitatione quidem pennarum ad vlteriora, quæ petunt proficiscentes, caudæ verò motatione, flexiones sibi, rectósque impetus gubernantes: sic & in volatilibus fieri conspicere licet: aërem pennis alísque findentibus, simili natantibus modo. Quare cùm vna sit vtrísque communis conditio, ipsum inquam natare, vna quædam ipsis affinitas, ex aquarum sanè generatione tributa est.* (hom. 8.) *Theodoreti.* Theodoretus. *Ita etiam ratione carentium animalium genera produxit, ex aquis quidem, quæ per aërem ingrediuntur, & quæ in aquis degunt, & quæ amphibia, quod nunc in aquis, nunc in terris viuãt appellantur.* (l. 5. diuin. decret.) *Ruperti.* Rupertus in Genes. *Produxerunt aquæ reptilia animæ viuentis, produxerunt, inquam, non etiam emiserunt, licet quædam ex illis foras prodire audeant, volatilia autem & produxerunt, & super terrã sub firmamento cæli emiserunt.* (l. 1. c. 49.) His subscripserũt omnes inferioris æui, Græci, Latinique: qui etiam modũ formationis attigerunt. *Comestoris.* Auctor enim historiæ Schol. *Quinta die Deus ornauit aërem & aquam, volatilia dans aeri, natatilia aquis. Et vtráque ex aquis orta sunt facilis enim est transitus aquæ in aërem tenuando, & aeris in aquam spissando.* (c. 7.)

XIV. *Augustini.* AGMEN claudet August. qui multorum instar esse possit, *Non scriptum est,* inquit, *producant aquæ reptilia animarũ viuentium, & producat aër volatilia volantia super terram, sed vtrúmque hoc animantium genus ex aquis productum esse narratur. Quidquid ergo aquarum, siue labiliter vndosum & fluidum est, siue vaporabiliter tenuatum, atque suspensũ, vt* (l. 3 de Gen. ad lit. c 3. vide eundem l. 6. c. 5 Gen. ad lit.)

illud

illud reptilibus animarum viuarum, hoc volatilibus appareat distributum. vtrúmque tamen humidæ natura deputatur. Et rursum. c.6. in fin. *Iste verò inferior aer, qui excipit exhalationes humidas maris & terræ, & ad sustinendas aues quodammodo crassatur, non nisi ex aquis accipit animalia. Quod enim eius humidum est, hoc portat alitum corpora, quæ ita nituntur pennis volantes, quemadmodum pisces quibusdam suis alis natantes. proinde scienter tanquam Spiritus Dei qui scribenti aderat, ex aquis dicit producta volatilia. Aquarum enim natura bipartitum locum sortita est, inferiorem scilicet in vnda labili, superiorem verò in aura flabili, illum deputatum natantibus, istum volantibus.* Hæc Augustinus[2]: Claudamus & hunc locum eleganti carmine Claudij Marij Victoris. 2.X. l.1. in Gen.

Hinc volucres quoque molle genus t[…]xere vigorem.
Nam liquidas dum format aquas, immissáque pontum
Vita subit, feruent multo tumida æquora partu;
Nec satis est pisces genus omne exurgere, quodque
Squamea turba salo summas euadit in vndas:
Ni volitans in aquis sensim natet æthere puro,
Aethereos volucris contingere docta recessus.
Ergo materies auibúsque & piscibus vna est.

XV. *Auium multitudo & varietas.*

PRIMA ergo auium productio, diuina virtute atque imperio, tanquã efficiẽte causa, ex aquarum materia producta est, quanta autem variente & copia quis pro dignitate dixerit? Excurrunt in id argumentum, præter naturæ interpretes Philosophos, etiam sancti Patres, Ambrosius & Basilius, cuius inter alia hæc verba sunt. l.5 c.14. hom.8. *Sunt tamen & in volucrum natura generum innumera differentia, quas si quispiam eodem transegerit modo, quo piscium etiam aliqua ex parte discrimina nos tetigimus, vnum & idem commune volucrum nomen, infinitas autem inueniet differentias, & inenarrabilem inter ipsas, magnitudine, formis, coloribus, vita, moribus, actionibúsque varietatem.* Inde autem differentias auium ponit, ex alarum multiplici modo, quoniam in volucribus instrumenta volandi maximè conspicua sunt; tum alias atque alias differentias, quas apud ipsum leges, & apud Aristotelem. l.o. de hist. animal. c.1. ad 10.

XVI. *Aues à Deo benedicuntur.*

PERFECTO hoc vtróque opere, complacuit sibi in eo Deus, bonúmque pronunciauit, atque vtrúmque genus larga benedictione, ac beneficentia prosecutus est, vim illis atque propensionem crescendi, & multiplicandi impertiens, ad extremã vsque mundi periodum. hom.7. *Verbum enim illud*, inquit Chrysostomus, *vsque in præsentem diem illa conseruat, & tantum præteriit tempus, neque vnum horum genus imminutum est.* Est autem idem hoc loco crescere quod multiplicari, non enim Deus hæc animalia produci voluit, imperfectæ magnitudinis, roboris, ætatis, sed planè perfectæ atq; idoneæ ad sibi simile procreandum, indéque futuram deinceps multiplicationẽ.

XVII. *An bina tantum animalia in quaque specie à principio producta, vt vult Basil. Theodor. Lactant. Procop. Iustinus.*

NAM pauca tantùm, & quidem bina in vna quaque specie, producta fuisse, vt primitias & semen futurorum, asserit Basilius. hom.7. *Vniuscuiusque generis nunc primitias quasi naturæ semina quædam oriri iubet, multitudo verò successioni postea asseruatur, cùm singula genera necesse sit in multitudinem crescere.* Idem affirmat Theodoretus, Lactantius, & Procopius in Genesim, qui Basilio hæc addit. q.17. in Genes. l.2. c.11. *Verisimile est in initio bina in omni animantium genere, quemadmodum & cum homine accidit, esse condita. Erant itaque solummodo paria, seu coniunctiones quædam singularium animalium, cum adducerentur ad Adamum, vt ipsis nomina daret, quibus foret imperaturus. Id quoque conijcere licet ex diluuio, quando bina & bina in arcam compellebantur, ad exemplum creationis mundi.* Neque verò nouam protulit S. Basilius opinionem. q.46. Nam Iustinus Martyr, si tamen Iustinus, id iam ab aliquibus viris piis affirmatum refert. Ponit quippe hanc quęstionẽ. Quomodo demonstrari potest binas tãtum feras, & pecudes, masculum & fœminam in mundi creatione esse productas? quandoquidem hoc piorum nonnulli dixerunt, ad astruendum non è pellibus irrationalium, pelliceas tunicas primis hominibus à Deo esse datas. Respondet autem in hæc verba. *Si in vnoquoque genere quidam sunt generis principes, & generis principes Dei opera sunt, quæ verò sub iis principibus sunt, naturæ opera sunt, satu & generatione subsistentia; videlicet generis cuiúsque præter par vnum maris & fœminæ, Deus non condidit. Tunicas autem pelliceas Deus fecit,* οὐκ ἀνθρωπίνως ἀλλὰ δημιουργικῶς, *non humana arte, sed creantis modo. Non enim animantibus cæsis, eorúmque pellibus consutis tunicas elaborauit, sed tunicas ipsas pelliceas creauit,* ἐδημιούργησε. Sed de pellibus istis postea.

XVIII. *An plurima potius. Ex Augustino. Greg. Nyssno. Bar-Cepha. S. Ephrem. Molina.*

HVIC tamen sententiæ refragatur D. Augustinus l. 12. de ciuit. vbi perspicuè docet animalia tam soliuaga, quàm gregalia, plura simul iussa esse existere. Homines autem ab vnico voluisse capite promanare. D. Gregorius Nyssenus agens de statu mundi ante hominis creationem. *Atque haud dubiè*, inquit, *vniuersa tum armenta, quibus nutu suo vitam Deus largitus erat, singulari voluptate effecta exultabant, gregatímque cum aliis sui generis per syluas obuagabantur.* Moses Barcepha Syrus Episcopus ait plura animantium paria à Deo producta, idque confirmat ex pellibus occisarũ pecudum, ad induendũ primos parentes, innocentia miserabiliter spoliatos, idémque fuisse ait S. Ephrem iudicium, quod quidam recentiorum scriptorum amplexi sunt, vt Molina. *c. 2*. l. de hominis opif. in opere sex dierum disp. 20.*

XIX. *Idque Scripturæ, & rationi cõsentaneum.*

ET sanè consentaneè, vt arbitror, diuinæ liberalitati, atque munificentiæ, imo & verbis eius quibus præcipitur vt aquæ producant, i. scaturiant, germinent, ebulliant in magna copia, pisces & volucres. Id in duabus, v. g. balecibus, aut delphinis, duobus passeribus & luciniis, qui verũ esse possit? quomodo non diuturna, atque immensa solitudo fuit in vastissimis mariũ tractibus, cùm in breui rãrũ spatio esset quicquid erat vnius generis animantiũ? Quid si aut lucius aut delphinus in vndis, pisciculũ aliquem deuorasset, aut accipiter in aëre passerem, aut ouem in terra carnifex lupus, (nã carniuora etiam à principio mũdi carnibus vescebantur, iuxta conditionẽ naturæ suæ, vt tradit D. Thom. verũ hac de re die sexto) dilacerasset, antequam illa sibi similem procreasset, species vna, imo plurimæ mundo defuissent, nisi ad hæc vitanda, infinita miracula introducantur; pro quibus plurima in quoque genere indiuidua fateri à Deo condita, conuenientius videtur. *1 p. q. 96. a. 1. ad 2.*

XX. *Præterquã in homine.*

NEC par est ratio speciei humanæ, in qua duos tantùm creatos esse constat, apud quos mutuus amor naturali consanguinitatis vinculo colligandus erat, vnde Augustinus, *Hominem verò, cuius naturam quodammodo mediam inter Angelos bestiásque condebat, vnum ac singulum creauit, non vtique solùm sine humana societate deserendum, sed vt eo modo vehementius ei commendaretur ipsius societatis vnitas, vinculúmque concordiæ, si non tantùm inter se naturæ similitudine, verùm etiam cognationis effectu homines necterentur, quando nec ipsam quidem fœminam copulandã viro, sicut ipsum creare illi placuit, sed ex ipso, vt omne ex homine vno diffunderetur genus humanũ.* Nec facile illis imminebat interitus, & diuina gratia, & propria prudentia communitis; nec par est regẽ, sicuti subditos, multiplicari, ἐν γὰρ ἀγαθῷ πολυανθρωπίᾳ, &c. *In multitudine populi dignitas regis, & in paucitate plebis ignominia principis.* Nec iussit Dominus homines è terra, sicut pisces & volucres scaturire ex aquis, sed illos Deus sigillatim formauit, hos ab aquis turmatim magna copia profundi iussit. *l. 12. de ci. c. 21. Prou. 14. 28.*

SCHOLIA IN DIEM QVINTVM.

N. VIII. 1. MAXIMOS etiam Dracones historiæ memorant Plinius in primis l. 8. c. 11. & 14. Ælianus lib. 5. histor. animal. c. 21.

N. XIV. 2. Quibus persimilia tradit l. 1. de Genes. contra Manichæos c. 15. quem æmulantur Eucherius l. 1. in Genes. Beda in expos. Genes. & in lib. de sex diebus Rupert. l. 1. c. 50. de Thom. 1. p. q. 71. ad 5. quin & Procop. comment. in Genes. & Perer. in hunc locum l. 3. n. 146.

Dies mundi Sextus.

Num. I. *Dei sexti opus bipertitum.*

ADEST postremus diuini opificij dies, quo innumerabiles animantium species, vltimo quasi Dei labore procreantur, eius nihilominus de quo Veritas ipsa dicit. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor:* nouas nimirum rerũ formas, ac species producere desiit, ab illis autẽ conseruandis, gubernandisque nunquam cessauit. *Mihi quæso cõsidera,* inquit Basilius, *verbum Dei vniuersam percurrens creaturam; & quidem qui cœpit operari, idem operatur in diem hodiernum, sed & in finem vsque cuncta perlustrans, dum mundi istius venerit consummatio, operabitur.* Bipertitum autem est huius diei opus, pars altera cõtinet ortum pecudum ratione carentium, in altera sanctius his animal atque diuinius à Deo ipso formatur, & ab auctore suo magnificentissimè locupletatur. De priore diurni huius operis parte, hæc narrat Propheta. *Ioan. 5. 17. hom 9.*

Dixit quoque Deus, producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia & bestias terræ secundum species suas, factúmque est ita. Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum.

l.1. de mundi opif. p. 50.

I A M *vero*, ait Philo, *aqua & aere conuenientium sibi animantium quasi sortem adeptis, rursum prouocatur terra ad generationis partem reliquam: reliqua autem erant, post stirpes, animalia terrestria*, nimirum vt perfectiora à toto genere auibus & piscibus, donec ad humanam speciem, in qua est apex corporeæ perfectionis veniretur. Hoc porro præceptum tam animalibus ex semine ortis, quàm ex putri materia coalescẽtibus competit. Auctor huius rei in primis Tertul. D. August. Ambrosius, & Basilius tũ alibi, tum homil. 9. *Præceptum hoc sic impressum est terræ elemento, vt ne hodie quidem desinat subseruire suo creatori. Nam animalia partim ex antecedentibus successione oriuntur; partim nunc etiam ex ipsamet emergere terra, generarique cernuntur: Non solùm enim cicadas humus pluuio tempore edit, & innumeras alias bestiolas in aere peruolantes, quarum plurimæ præ tenuitate nullam sortita sunt nomenclaturam: quin & mures, ranásque ex seipsa iam profert & edit, vtpote cum circa Aegyptias Thebas, post vehementes in æstibus pluuias, vniuersa arua soricibus impleantur. Anguillas quoque nec vllo alio modo, nisi ex fæculenta constitus materia, limóque conspicimus, quarum nec ouum, nec alius vllus modus successionis existit.* Hæc Basilius.

II. Bruta omnia à Deo producta, etiam quæ ex putri materia.

l. 2. contra Marc. c. 14. l. 3 de Gen. ad lit. c. 14. l. 3. hexaem. c. 1. v. 2.

S E N T E N T I A D. Thomæ est, pleráque tam ex semine, quàm ex corruptione generari, quæ Dei iussu tunc sine corruptione momento producta sunt; alia verò quæ ex sola corruptione producuntur duplicis generis sunt, vel enim ex ignobiliori generantur, & huiusmodi productio non repugnat primæ rerum institutioni, vel ex nobiliori, vt ex equo, vel homine moriente vermes; & huiusmodi tunc producta negat D. Thomas. Verùm, vt rectè annotauit Perer. rectè dici potest sine vlla distinctione, etiam quæ ex putri materia generantur, tunc Dei iussu fuisse producta. Id satis docet D. Basilius. *Ne id quidem quantillum vspiam aquarum in limosis & palustribus locis resedit, erat ingentia sibi operationis vacuum, nec ab eo desedit munere, quod ab ipsa sua mox creatione acceperat explendũ. Etenim ranæ, muliones, culices ipsi, ex ipso nimirũ lacustri emergebant loco. Quæ enim vel hodie in omnium oculis fiunt, illius tum temporis exhibitorũ operum perspicua quædam demonstratio sunt.* Hæc Basilius. Aut certè dicendũ huiusmodi animalia non actu sed potestate, in suis causis, v.g. animalibus esse producta, vt ex iis vel viuis vel mortuis, postea huiusmodi sordes viuæ progignerẽtur.

III. D. Thomæ sententia.

q. 72 a. vnico ad 5. l. 1 n. 130. hom. 7.

E T si autem hic animam viuentem, pro viuẽtibus animantibus, Hebraica phrasi accipi satis constat, hinc tamen occasionem sumit Basilius philosophandi de productione animarum, quæ vitam & sensum brutis afferunt. Illud enim. *Producat terra animam viuentem*, sic exponit. *Non igitur prius insita telluri rationis expertium animantium anima, diuino imperio tunc emersit; sed vna cùm imperio tum primùm in ratione rerum exorta est.* Et rursus. *Ergo ne tellus anima prædita est, vanæque mentis homines Manichæi locum iam habent, rectéque sentiunt anima præditam tellurem esse dicentes?* Et mox, *neque enim cùm audiuit, Germinet terra herbam fœni, fructiferúmque lignum, quod in seipsa habebat delitescens, fœnum illud eduxit. Nec sane palmam, aut quercum, aut cupressum aliquo in loco inferioris vteri sui, eatenus retrusa, in apertum & propalam eduxit & edidit; sed verbum ipsum diuinum, eorum est profectò natura* effectiuè *quæ oriũtur. Germinet, inquit, non id quod habet emittat, sed id quo non est prædita cõsequatur, actionis operationísque Deo facultatẽ, atque potentiam largiẽte*[1]. Sic ipse eruditè interpretatur, illud, ἐξαγαγέτω ἡ γῆ τὴν ψυχὴν, quomodo Physici dicunt formas interitui obnoxias educi de potestate materiæ, vt scilicet concursu materiæ ab agente producantur; & per corruptionem, ortæ in interitum abeant. Sed non omittam elegantem eiusdem in hac ipsa hom. 8. sentẽtiam de istius animæ cum rationali differentia; vbi inter alia. *Noli putare corporis ipsorum constitutione vetustiorem animam esse, neque post carnis dissolutionem persistere. Elatorum, arrogantiúmque philosophorum fuge deliramenta, quos haud pudet animas suas & caninas eiusdem speciei constituere. Qui seipsos etiam & mulieres olim, & fructices asserunt, & aquoreos pisces fuisse. Ego verò pisces quidem illos olim fuisse non ausim dicere, eo tamen tempore, quo ita scriptioni mandabant, expertes magis rationis quàm pisces fuisse, & assererem acri admodum cum constantia atque contenderem.* Sic Basilius insipientes irridet.

IV. Animæ brutorum quales, & quò è terra educta.

homil. 7.

hom. 8. init.

1. χ. Basil. contra metempsichosin.

H O R V M animantium tria quasi summa genera scriptura ponit iumenta, reptilia, bestias. Pro iumentis Septuaginta habent τετράποδα. Nonnulli tamen

V. Brutorum

triasumma genera.

codices etiam addunt, ϗ τὰ κτήνη, iumenta, pecora. Bestiarum autem nomine feras intelligi, vox θηρία palam facit [2], huc refertur illa Platonis distinctio in fera & mansueta; inter quæ inseruit Aristoteles animalia quæ cicurantur, aut efferantur. 2.χ.

Cæterum in tribus illis, quę scriptura notauit elegans est Ruperti commentatio. *Nota*, inquit, *diligenter, prauidictorum Dei inuestigabilium prouidentiam: Ab vna namque specie, id est, à reptili homo seductus est, ab vna, id est, à bestiis terra iustè peccator idẽ infestatur, ab vna, id est, à iumentis eiusdẽ miseri hominis debilitas, misericordia Dei refouente iuuatur.* Omisit Basilius hæc ipsa genera distinctè explicare: in variorum tamen animalium è terra productorum proprietatibus & naturis explicandis, quod in auibus piscibúsque ante præstiterat, eleganter immoratur: nobis alio properantibus non licet ea in re moras trahere longiores. Illud tamen non omitto; idẽ de hisce animalibus dicendũ videri, quod ante de volucribus piscibúsque dictum est, non bina scilicet tantũ, sed in magna indiuiduorum copia producta diuinitus fuisse, & fortè ad copiam, fœminei sexus plures, vt Vielmio, & Martinengæ placere video. L.I. in Gen. c.55.

VI. *Animalia noxia ab initio à Deo producta.*

IAM verò quod ad species animalium è terra productorum attinet, non sunt omittendæ dubitationes duæ, altera de animalibus noxiis, an à Deo tunc immediatè producta sint; altera de speciebus, quæ vocantur adulterinæ, quæ ex diuerso-tum specie animalium commistione nascũtur, verbi causa mulus ex equa & asino, mula ex equo & asina, ex leæna & pardo leopardus, aut ex leone & parda vt habet Rupertus, ex ceruа & lupo lynx, ex hirco & oue tityrus, ex lupo & cane thoës, ex lupo & panthera crocuta, & ex alia permixtione alij, quales pleræque fiunt in siticulosis Africæ locis, vbi ad aquas feræ conuenerint: an scilicet hæ animantium species Dei iussu in illa prima productione in lucem prodierint. L.2.c.57.

Homini innocenti innoxia.

Et quod ad priorem attinet video constantem antiquorum Patrum sententiam in partem affirmantẽ, ita tamen vt quæ nunc noxia sunt, ex quo Adamus obnoxius peccato factus est, tunc innoxia fuerint, ita docet Gregorius Nyssenus, aut Nemesius potius, quæ habet etiam Anastasius Nicenus [3]. Damascenus, Chrysost. in hæc verba: *Neque enim*, inquit, *huiusmodi feræ antea homini terribiles, nec ab eo fugiendæ, sed cicures & mansuetæ. Eas itaque deduxit Deus ad Adam, & ipse eis nomina imposuit. Serpens Euam alloquitur, & Eua non refugit. Postquam autem præteritum est mandatum, & Deo non obeditum est, plurimum honori detractum est.* Accedit Theophilus Antioch. Theodoretus, Eucherius, Augustinus fusè & exacte, Rupertus, Beda, Magister sententiarũ. Tangit D. Thomas, & Magister historiæ Scholasticæ. Causam aliam dabit Lactant, ad exercendam videlicet sapientiam sibi à Deo datam. August. autem l.I. de Genesi contra Manichæ. c.16. quia omnia pulchra sunt conditori, licet minus appareat rem temerè spectantibus, idque egregio exemplo confirmat. Vide etiam D. Thomam; vel vt peccatoribus pœna essent, vt egregiè docet D. Basilius, D. Ambrosius, D. Chrysostomus, cuius hæc est oratio. *At serpentes*, inquit, *& scorpij, & dracones, & leones, quid ad vitam vtile afferunt? & quidnã commodi ex eis percipitur? Plurimum, idque inenarrabile, nec minus certè, quàm ex mansuetis & cicuribus. Ista enim sunt apta ad vsum corporis: hæc verò & tibi metum afferunt, & vt sis modestus & temperatus efficiunt, & ad certamen instruunt, & peccatum primi parentis tibi in memoriam redigunt, & ostendunt quantorum malorum causa sit inobedientia.* Consentiunt Theodoretus & Rupertus vel propter varios vsus, quos inde metuamur sanitatum, &c. Gregorius Nyssenus aut potius Nemesius, Chrysostomus, Theodoretus, & Damasc. locis citat.

L.I. de nat. hom. c.I. 3.χ. homil. in Psal. 148. loc cit. in Schol. Ibid. homil. 7. in Gen. Ibid.

Producta ad exercendam sapientiam. In pœnam peccatorũ. & varios vsus.

VII. *An etiam adulterina & quæ aiẽtem partem suadeant.*

QVOD ad alteram dubitationem attinet, video eam magis apud recentiores controuersam, quàm apud Patres; nam ante Rupertum vix est qui eam attigerit, quanquam cognitione non indignam. Partem aientem tueri videtur Pererius, & eum secutus Ascanius Martinengus in glossa magna, Del Rio in hunc locum. Rationes pro hac parte sunt. Primò, quia pertinent ad aliquod genus eorum ani-
1. malium, quæ à Deo producta Scriptura memorat, putà feras, iumẽta, vel reptilia.
2. Secundò quia imperfectum videri posset vniuersum, tã egregiis animaliũ specie-
3. bus tandiu priuatũ. Tertiò, noluit Deus hominẽ priuare vtilitate, aut iucunditate,
4. quàm ex huiusmodi animantibus colligit. Quartò, eodẽ modo dicendũ esset Deũ non produxisse fructus, qui ex insitione, & quasi adoptione proueniunt: ideóque hominẽ non Deo, sed industriæ suæ gratias agere de eorũ productione debuisse.
5. Quintò, hæc productio naturalis est, vt ex eius naturalibus liquet, ergo auctori na-

L.I.n.151. & 153. p. 1876. n.96.

Eccl. 1. turæ tribuenda eſt. Sextò, *nihil ſub Sole nouum* eſſe ſcriptura tradit: ergo hæ rerum
ſpecies ab initio creatarum fuerunt.

In opere ſex dierum disput 10. diſp. 5. q. 3 punct. 6. Lect. 24 in Gen. 2.1 ad 3 l. 2. c 57. CONTRARIAM ſententiam tanquam probabiliſſimam tuetur Molina, Gre- VIII. *Non videntur immediatè à Deo hoc ſexto die producta.*
gorius de Valentia de opere ſex dierum, Vielmius apud Martinengum. Cornel. à
Lapide in 6. diem. Imò D. Thomas q. 73. vbi ait has ſpecies non nouiter productas
poſt opus ſex dierum, quia cauſaliter præceſſerunt in illis operibus, putà in eorum
creatione, ex quibus poſtea progenita ſunt. Pro eadem etiam ſententia ſtat Ru-
pertus. Quibus ego libenter aſſentior. Nam quæ Deus animalia è terra immedia-
tè produxit, ea ſecundum ſpecies quæque ſuas produxit, vt quinquies in eadem
periodo affirmatum à Moyſe reperies in textu Hebraico & Græco. Nam in Lati-
1. no ſemel compendij gratia omiſſum. At hæc non producuntur ſecundum ſpe-
v. 24. v. 25. cies ſuas, ſed alienas. Non enim mulus ad ſpeciem equi vel aſini pertinet: nec cer-
2. ua & Lupus ſimilem ſibi lyncem procreant, & ita de cæteris. Secundò, animalia
quæ Deus creauit voluit eſſe quaſi ſemen cæterorum, ideóque benedixit eis, &
creſcere iuſſit, ac multiplicari, & replere tam aquas maris, quàm terram, at id non
conuenit adulterinis iſtis animalibus, quæ ſterilia ſunt, propterreáque inutilia ad
3. finem propagationis ſpeciei, quem Deus ſpectabat iaciens fundamentum & ordi-
nem productionis animalium. Tertiò, tota productio quæ facta eſt ab Auctore
naturæ, ſecundum naturam eſt, illúmque ordinem quem in ea ille conſtituit, qui
Rom. 13. 1. per Apoſtolum dicit: *Quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt:* at harum hybridum ge-
neratio contra naturam eſt, eiuſque legitimum ordinem.

Leuit. 19. 19. PROPTEREAQVE & à Deo in lege prohibita; quippe qui exigit *vt omnia honeſtè,* IX. *In lege prohibita.*
1 Cor. 14. 40. *& ſecundum ordinem fiant,* vt iubet Paulus. Nec aſſentior Caietano in eum locũ Le-
uitici, dicenti ea lege non prohiberi generationem mularum, & mulorum, per-
ſpicuus eſt enim ſenſus literæ, nec vllam habet abſurditatem, vt ad parabolas &
allegorias, deſerto hiſtorico ſenſu, confugiendum ſit. Nec obſtat quod ea lex pa-
rum obſeruata fuerit ab Hebręis, nam ne legem quidem declinandi ab idolis ſatis
obſeruabant. Quartò, denique Deus monſtra non condidit, hybrides autem
monſtra ſunt, ideóque Libycæ & Africanæ feræ portentoſæ ferebantur conſule
L. 8. c. 16. Prouerb. *Semper Libya affert mali quidpiam*, Et *ſemper Africa aliquid apportat noui*, apud Muli.
Plinium, qui eos partus multiformes vocat, nec muli monſtra vocantur, quia vſi-
tati vulgò, cùm monſtra rariora ſint. At enim ſi monſtrum eſt, quod parte aliqua
corporis mancum, præter naturæ ordinem, aut ſuperfluum eſt, quomodo non
monſtrum eſt, quod toto corpore contra naturam eſt. Si vacca ex equo concepe-
rit agnum, imò & vitulum, aut ouis ex cane catulum, quis dubitet monſtrum fate-
ri, non minus quàm Centauros, aut Minotauros, partus Ixionios atque Paſiphaï-
cos, theatris fabuliſque celebratos, nam & hic *mixtúmque genus, proléſque biformis.*
Demus hæc quotidie contingere, an propterea quod natura monſtrum eſt; mon-
ſtrum eſſe definet, licet deſinat monſtrum dici? An ſi quis D. Bernardus quotidie
illuminet cæcos, aut ſuſcitet mortuos, quotidiana miracula, miracula non erunt?
Num ſi quo in loco ebrietas quotidiana ſit, nec dicatur aut cenſeatur peccatum,
minus propterea & contra rectam rationem erit, & verum germanúmque pecca-
tum? Quibus difficultatibus aliiſque id genus facilè occurritur, ſi dicatur huiuſ-
modi animalia non fuiſſe actu à Deo, & in ſe producta, ſed poteſtate & in cauſis
ſuis, quibus eam facultatem largitus eſt Deus, vt ſibi ſimiles diſſimiléſque produ-
cerent, ad maiorem hominum commoditatem.

ad 1. NEC difficilè eſt rationes pro priore opinione diſſoluere. Negamus enim hos X. *Aduerſa ſententia refellitur.*
adulterinos partus ad legitimos animalium ordines, niſi reductiuè, vt aiunt, perti-
nere, ſicut & ſpurios ad familiam, in quam furtim inſerti: ſicut electrum ad auri
2. ſpeciẽ vel argenti. Nec propterea mundus cenſeri poteſt imperfectus, ſi aliquãdiu
his adulteriis caruit, quibus aliquid potius videtur illi imperfectionis acceſſiſſe,
violato rerũ ordine, quẽ auctor ordinis & naturę præſcripſerat. Sicut enim iniuſtę
actiones, quantumuis callidè excogitatæ, & ſolerter impletæ ſint, laudem non me-
rentur; ſic neque ea quæ contra naturam ſunt, perfecta ſunt æſtimanda, quantum-
cunq; abſoluta ſuis numeris, perfectáque videantur; ſunt enim contra ordinẽ eius,
Sap. 11. 21. qui *omnia in numero, pondere, & menſura* in mundo fabricatus eſt. Sed eſto perfecta
ſint in ſeipſis hæc animalia, num in ordine ad vniuerſum, vt loquuntur, ad eius

perfectionem pertinent, quæ sunt extra communem generationis viam à Deo in
natura institutæ; & extra intentionem conditoris vniuersi? ex ista enim intentio-
ne, mundi perfectio atque integritas videtur esse metienda. Nam si ex Dei poten-
tia, aut ex eo quod mundi complemẽtum admittere potest, nullus dari potest eius
perfectionis terminus, nullus finis, cùm quotidie nouas species Deus producere
possit, iisque perfici hoc vniuersum; sed esto inquam, sint hæ species de perfectio-
ne vniuersi, num eius perfectio in indiuisibili temporis consistit?

XI. *Mulorum productio.*

NAM credibile non est mundum his diu caruisse. Quod enim Anas filius Se- Gen. 36. 24.
beon Idumæus ab Hebræis dicitur primus asinos equabus miscuisse, vnde produ-
cti sunt muli, circa tempora Iacob & Esaü, probabilitate quidem non caret, cùm
D. Hieronymus in tradit. Hebraicis in eum locum dicat. *Plerique putant quod equa-
rum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, vt mulorum inde noua contra natu-
ram animalia nascerentur.* Nota obiter contra naturam animalia Hieronymo dici
mulos, & consequenter cætera id genus animalia. Et Sà non aquas calidas, sed
equas calidas legendum suspicatur. Nihil tamen vetat in aliis, aliísque regionibus,
id facinus diu antea excogitatum, atque impletum fuisse; vt Peter. Valentia, &
alij notarunt.

Ad tertium, dicendum est non priuasse Deum homines istis animantibus, quę 3.
in virtute causarum suarum à Deo producta sunt, quanquam aliunde iis satis pro-
uisum fuerat. Et locum mulorum abundè supplere poterãnt equi, asini, cameli, &
alia generis eiusdem onerifera animalia.

Insitio an à mundi exortu.

Ad quartum, eodem modo dicendum videtur, fucatas istas fructuum species 4.
non nisi in causis suis esse productas; data homini industria ad excogitandum, &
plantis virtute ad respondendum industriæ eius, de qua magis conditori suo obli-
gatus est, qui ei hanc inueniendi gloriam dedit, quam si eadem Deus ipse à se in-
uenta, hominum oculis exhibuisset.

Ad quintum, respondeo naturale non esse dicendum, quod cõtra naturam sit, vt 5.
loquitur Hieronym. & præter ordinem generationis intra eandem speciem à
Deo in natura institutum. Sic nec artificiosum dicendum est, quod contra artis
ordinem & præcepta consistat; quanquam in quæstione non est an mulus res sit
naturalis, sed an à Deo actu sexto die conditus, quod nos negamus, an tantùm po-
testate, quod asseueramus.

XII. *Quomodo nil sub Sole nouum.*

AD vltimum, respondeo primo dici posse hæc sub aliena persona dicta esse, eo- 6.
rum scilicet quos D. Petrus reprehendit, quod dicerent, *ex quo Patres dormierunt* 2. Pet. 3. 5.
omnia sic perseuerare ab initio creaturæ: sed vt sint verba Salomonis, sine vlla restrictio-
ne sumenda non sunt; alioqui ne indiuidua quidem recens producta, noua dici
possint. Ait enim, *Nihil sub Sole nouum, nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est*, quæ Eccli. 1. 10.
enim digito demonstrantur, indiuidua sunt, nec tamen de indiuiduis agit. Subdit
enim. *Iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos*, res enim quæ præcesserunt,
non restaurantur eædem numero; sed nec omnibus temporibus applicanda; nam
neque initio durante sex dierum opificio id dici potuit, neque in fine, cùm Deus
producet *cælum nouum & terram nouam, & noua faciet omnia*: Alioqui rerum ęternitas Apo. 21. 5.
Aristotelica induceretur: & Deus quotidie nouas producit animas. Nihil ergo sub
Sole nouum dicitur, quia vt hic rectè Lorinus noster notauit, si quæ præter vsi- Vide Aug. l. 1. de Gen. ad lit. c. 13.
tatum naturæ cursum contingant rara sunt, nec totius vniuersitatis.

DE HOMINIS CREATIONE.

XIII. *Eximia dignitas hominis.*

AD alterum iam nobis diei sextæ opus, adeundum est, opus diuinæ liberali- Vide Nemes. l. de natu. hom. c. 1.
tatis & magnificentiæ, opus exquisitissimæ, absolutissimæque sapientiæ,
opus supremæ potentiæ, singularisq; bonitatis: neque enim vlla res est, in iis om-
nibus quæ sub aspectum cadunt, & natura constant, in quam plura diuinæ maie-
statis attributa se prodant; nulla quæ magis, vel ipsos angelos eam contemplantes,
mouere ad admirationẽ queat; magnum planè opus, & magnus omninò dies, quo
id perfectum est, quandoquidem dierum præstantiam & magnitudinem, non ex
Solis circum terram latione, quatuor & viginti horis distincta, metimur; ea quip-
pe, dies omnes pares inter se, atque æquales facit; sed ex operum in eis patrato-

rum dignitate, qualis est hominis productio, in statu longè pulcherrimo atque beatissimo. Magnum hunc diem facit homo, cùm hominem dico miraculum mundi dico, delitias orbis terrarum, germen immortalitatis, microcosmum, imò megalocosmum dico, mundi Dominum ac magistrum, epiromen rerum creatarum, finem dico diuinorum operum, Angelorum socium ac fratrem secundo-genitum; horizontem, nexum, perfectionem ac finem omnium creaturarum: imaginem dico & similitudinem diuinæ maiestatis, filium omnipotentis Dei, & hæredem thesaurorum eius, candorem lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis. Nec mirum est participare titulos filij Dei vnigeniti, qui singulari Dei munificentia participauerit dignitatem. Atque vtinam *homo cùm in honore esset, in-*
Ps. 48. 13. 21. *tellexisset; non comparatus esset iumentis insipientibus, & similis illis factus esset*, qui similis, & suppar conditus fuerat angelorum. Itaque si principium operum Dei, primum, inquam, diem, quo cœlum Empyreum cum angelis creatum est, & lux illa pulcherrima, quæ tenebras ab abyssi facie discussit, celeberrimum ducimus atque sanctissimum; hunc certè generi nostro vtiliorem non dissimili honore dignum merito fateamur, quo conditus homo in possessionem immensorum bonorum missus est, & nisi per eum staret, in spem longè melioris hæreditatis; quo, etiam post lapsum, in spem reparationis excitatus est, & adueniente tandem plenitudine temporum Redemptorem habuit Christum Dominum, crucis durissima supplicia subeuntem.

SED vt ad rem ipsam, quam dudum inceptamus, admoueamus manum, ne vel in immenso campo temerè diuagemur, aut in ea feramur, quæ minus instituto nostro conueniunt, eum sequemur in hac narratione ordinem, non quem Theologi in scholis, aut in commentariis interpretes, sed quem ipsa ratio temporum exhibet; quoniam ea nobis debet esse antiquissima; subtiliora si qua sunt, quæ iuris potius quàm facti esse videantur, iisdem ipsis magna ex parte reseruabimus. Et quoniam Moses diuino afflatus spiritu, in hominis productione narranda, altiores secutus rationes, historicum narrandi ordinem aliquando commutauit, ex quo multa sæpe obscuritas, multæ dubitationes exortæ; operæpretium me facturum putaui, si in aditu tractationis huius, sententias Mosis in eum ordinem digererem, quem ratio temporis videtur exigere. Apparet tamen Mosem, si quis eius narrationis ordinem diligentius inspiciat, primo catalogum rerum sex diebus productarum breuiter texuisse, ad quem cùm duo eximia pertinerent, Paradisi terrestris, & hominis productio, de vtróque seorsim sibi dicendum putauit: licet intelligeret Paradisum ad tertium, hominem ad sextum diem pertinere. Hunc ergo putamus fuisse rerum die sexto gestarum ordinem, quem suis deinceps confirmabimus locis.

XIV. *Historicus ordo Mosaicæ narrationis circa Adami & Euæ productionem.*

CAP. 1. Iussit Deus produci è terra animãtia terrestria. *Producat terra animã viuentem,* &c.

vers. 24. Producta sunt, & à Deo approbata. *Factúmque est ita,* &c. *Et vidit Deus quod esset*
v. 25. *bonum,* &c.

v. 26. Diuina Trinitas de homine cum amplissima dignitate & potestate producendo quasi deliberat. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus,* &c.

v. 27. Hominis productio in genere facta traditur, secundum vtrúmque sexum, vt catalogus operis sex dierum breuiter expediatur. *Et creauit Deus hominem ad imaginem suam,* &c. Sed mox capite sequenti

CAP. 2. Describitur particulariter productio viri, secundum corpus è terra fictum, &
v. 7. inspiratam animam. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ; & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ,* &c.

v. 8. 15. Factus homo in animam viuentem inducitur in paradisum, triduo ante præparatum. *Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis,* &c. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.*

v. 18. Deliberat Deus de producenda muliere, in adiutorium Adami simile sibi. *Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium,* &c.

vers. 19. & 20. Animalia in hortum diuinitus ad Adamum deducuntur, vt agnoscat se socia necessaria carere, & animalibus sibi subditis nomina tribuat. *Formata igitur de.*

humo, &c. Appellauítque Adam nominibus suis cuncta animalia, &c.

Obdormiscit Adam; sopito accipit costam Deus, ad formandam mulierem. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, &c.* v. 21.

Ex ea Deus ædificat mulierem, eam animat vt Adamum, & adducit ad eum. *Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, &c.* v. 22.

Agnoscit eam Adam, vt os de ossibus suis, & carnem de carne sua. *Dixítque Adam, Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea, &c.* v. 23.

Eam acceptat in vxorem, & legem matrimonij condit. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, &c.* v. 24.

Deus benedicit coniugibus, eisque dat fœcunditatem, & dominium in animantia. *Benedixítque illis Deus & ait, Crescite & multiplicamini, &c. Et dominamini piscibus maris & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, &c.* Cap. 1. vers. 28.

Deus de cibo hominibus, cunctisque animantibus liberaliter prouidet. *Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. Vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omníque volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, &c.* vers. 29. & 30.

Esum fructus arboris scientiæ boni & mali prohibet vtique, sub pœna capitis. *Præcepítque ei dicens, Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ, &c.* Et repetitur præceptum, c. 3. v. 2. & 3. vbi Eua sibi quoque præceptũ datum à Deo fatetur. Cap. 2. v. 16. & 17.

Viuunt in innocentia aliquandiu, sine pudore nuditatis. *Erant autem vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius, & non erubescebant.* v. 25.

Secutus est dies septimus, & quies Domini, & diei sanctificatio. *Compleuítq; Deus die septimo opus suum quod fecerat; & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat.* v. 2. & 3.

Successit post dies aliquot tentatio, & ruina, & expulsio è paradiso. *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, &c.* toto capite tertio. Cap. 3.

Et hic quidem ordo gestarum rerum circa hominem hoc tempore, etsi est perspicuus per sese, confirmabitur tamen suis locis vt diximus, cùm necessarium aut opportunum videbitur.

XV. *Deliberat Dominus de homine producẽdo.*

PRODVCTIS iam hoc ipso die sexto innumeris animalium terrestrium formis, *Vidit Deus quod esset bonum, & ait, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæque terræ, omníque reptili quod mouetur in terra.* Duo tangit hic locus, quæ plerique sanctorum Patrum non oscitanter expenderunt, alterum quod spectat ad suscepti operis gloriam, alterum ad opificis maiestatem. Est enim hoc quasi consilium Dei, & deliberatio quædam super opere præstantissimo perpetrando; qui tamen in cætera molitione rerum, aut mole, aut multitudine maximarum, orbium inquam cælestium cum astris & luminaribus suis, & omnium plantarum & animalium, quæ cœlo, terra, & fluctibus continentur, nuda iussione contentus fuit. Id egregiè, vt cæteros omittam, notauit post Origenem in Genes. Tertull. & ante Magnum Gregorium, Magnus Basilius. *Nosse vis teipsum,* inquit, *vel hinc auspicium sumito. De nullo enim opificiorum, quæ eatenus condiderat, vox ista in literas transmissa est.* Et mox enumeratis reliquis; *non iam hic constiterat homo, & de formando homine initur consilium. Erudire hinc ô homo, atque edisce quanti vnus tu æstimandus venias, neque enim generationem tuam seu abiectitiam, aut pretij vulgaris communi creaturarum mandato censuit attexendam, in Deo consultatio prægreditur, quo pacto id animantis, quod tanti fuerat æstimandum, prouehi deberet ad vitam. En consultat sapiens, & quid secum instituerit artifex proponit decernendum.* Et mox: *Per hoc sanè quod curam eam condendo homini interserit scriptura, innuit Deum voluisse edere quippiam operis, quod eximiæ suæ artis specimen esset numeris omnibus absolutum, perfectum, solertíque artificio elaboratum.* Et Chrysostomus. *Vidisti sermone solo, & præcepto omnem creaturam quinque diebus formari? vide hodie quanta verborum diuersitas. Non enim iam dicit, fiat homo, sed quid? Faciamus hominem secundum imaginem nostram, & secundum similitudinem. Quid hoc noui? quid rari? Quisnam ille qui formandus? ad quem faciendum opifici tanto consilio & circumspectione opus? Ne mireris dilecte, homo enim inter visibilia omnia dignitate præcellit, propter quem condita sunt hæc omnia, cælum, terra, mare, Sol, Luna, stellæ, reptilia, iumenta, brutáque animalia omnia.* Et mox, *Figura verborum declarare voluit quam excellentem honorem homini, qui formabatur, impendat.* Idem habet Gregorius Nyssenus. D. tamen August. hinc hominis nobilitatem peti non vult, sed ex diuina imagine & similitudine.

Idque ad hominis gloriam spectat.

l. de resur. car. c. 5. | l. 9. Moral. c. 13. | hom. 10. | hom. 8. | l. de opif. hominis, c. 3. toto. | l. 6. de Gen. ad lit.

QVOD ad alterum attinet, notatur hic locus, quasi illustre testimonium san- XVI.
hom. 10. ctissimæ Trinitatis à sanctis Patribus, Basilio præsertim, cuius etiam pauca verba *In ea pro-*
subtexam. *Et quidem dixit nunc, faciamus, vt hoc insigni dicto agnoscas Patrem, & Filium, ductione*
& Spiritum sanctum. At posterius fecit Deus hominem, diuinam vt vnias maiestatem. Sanè sancta Tri-
vt vnias, non eas quæ ὑποστατικῶς *dicuntur, hoc est, ipsas tres personas, sed quatenus ad vni- nitas ma-*
tatem concernit potentiæ, vt vnam in diuinis retineas gloriam & maiestatem, &c. Fusiùs, *nifestatur.*
4. x. quæ etiam in hunc locum annotarunt plerique alij, quos seorsim referemus[4].
Proposuit quid facturus esset Deus Pater, cùm Filio suo magni consilij Angelo,
per quem facta sunt omnia, & Spiritu sancto, qui bonitatis suæ thesauros in ho-
minem, præ cæteris animantibus, erat effusurus. Nunc videamus quid fecerit, &
v. 27. intelligemus facta, fuisse cumulatiora promissis. *Et creauit Deus*, inquit Moses, *ho-*
minem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit
c. 2. v. 7. *eos.* Hæc summatim de hominis productione, sed mox distinctiùs de formatione
corporis humani, & animæ productione. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de*
limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuen-
tem. Ne quid autem mulier minùs viro suo habere videretur, etiam de eius crea-
tione diuinum concilium cogitur. *Adæ verò*, inquit, *non inueniebatur adiutor similis* *Etiam in*
eius. in omnibus videlicet animantibus, quæ Deus ad Adamum adduxerat. *Dixit* *condenda*
quoque Dominus Deus, Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. *muliere.*
Immisit ergo Dominus soporem in Adam, cúmque obdormisset tulit vnam de costis eius, &
repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem,
& adduxit eam ad Adam. Hæc sunt quæ de productione primorum parentum Mo-
ses tradidit.

IN qua sicut anima, quæ vel sola, vel maximè diuinam præfert imaginem, XVII.
corpus dignitate præit, ita corpus animam & tempore antecedit; non enim ani- *Ordo pro-*
ma, nisi in corpus iam dispositum, immittenda fuit. De corpore ergo primùm *ductionis*
dicamus, in quo & materia eius, & membrorum conformatio & configuratio *hominis,*
consideranda est, quæ diuitias sapientiæ, prouidentiæ, & bonitatis diuinæ miri- *& primum*
5. x. ficè prædicat ac prodit. Materia porrò terra est[5], aut potiùs puluis terræ minu- *materia*
tissimus, Id enim significat עָפָר ghaphar, siue ghophor, vt omnes hebraicè periti *terra, siue pulus.*
c. 3. v. 19. consentiunt, quòd confirmat editio vulgata. *Donec reuertaris in terram, de qua sum-*
ptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Id ipsum habet Paraphrasis Chaldaica,
& Septuaginta, χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς, tenuem intelligit puluerem, qualis ambu-
c. 6. 10. lantibus adhæret ex puluerulento solo. Sic apud Marcum, *Excutite puluerem de pe-*
dibus vestris, ἐκτινάξατε τὸν χοῦν τὸν ὑποκάτω τῶν ποδῶν ὑμῶν, qui scilicet subtilissi-
mus est, nec habet consistentiã, vt terra humida, sed diffluit, & effunditur quasi
aqua; à verbo enim χέω deducitur. Eóque allusit omnino Paulus, cùm ait, *Primus*
1. Cor. 15. 47. & sæpius ibid. 48. 49. *homo de terra terrenus,* &c. in græco ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ἐκ γῆς χοϊκός. *Et dicit de puluere*
terræ, inquit Caietanus, *ad differentiam tam vaporis, qui eleuatur ex aquis, quàm fumi,*
qui eleuatur ex igne. Grauitas enim corporis humani testatur illud esse terrestre, verùm non
ex terrestri crassiore, sed ex terrestri subtilissimo significato nomine pulueris. Significatur enim
terram redactam in supremam subtilitatem, ad quam potest perduci, esse illam ex qua con-
stat corpus humanum. Quòd manifestat tum perfectissimus in homine tactus, tum statura
hom. 12. *recta solius hominis.* D. Chrysost. *Formauit*, inquit, *Deus hominem, puluerem accipiens*
de terra. Quid dicis? acceptóne de terra puluere formauit hominem? Etiam, inquit, & non
simpliciter, nec quamuis fortuito terram dicit, sed puluerem, quasi si quis dicat tenuissimum,
& vilissimum quòd est in terra. Sic ipse. Nec absurdum est eundem puluerem vilissi-
mum dici ad humanos vsus, & secundum naturam suam esse perfectissimam terræ
substantiam.

FORMAVIT ergo Deus hominem, puluerem de terra, siue puluerem de ter- XVIII.
ra in hominem, vt ait Caietanus. Varablus vult esse phrasim Hebraicam pulue- *Deus ho-*
rem de terra, pro de puluere terræ, inuerso præpositionis ordine. Septuaginta *minis pla-*
ἔπλασεν, Hebr. וַיִּיצֶר vaizer à יָצַר fingere, est enim idem formare, quòd ab aliis di- *stes.*
citur fingere, plasmare, figurare, quomodo scilicet figuli solent, & significat Ter-
tull. Deum ipsum per se, non Angelorum opera, eam quasi statuam familiari ma-
cap. 4. nu elaborasse. Nam l. 2. contra Marcion. *Quis*, inquit, *dignus incolere Dei opera, quàm*
ipsius imago & similitudo? eam quoque bonitas & quidem operantior operata est, non imperiali

verbo, sed familiari manu: etiam verbo blandiente præmisso, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Inde Adamum Sapiens, & deinceps alij πρωτόπλαστον dixerunt, & Iob. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu*, alludens ad formationem Adami. Sicut & mater martyrum Machabæorum. Et ex his Ethnici. Nam Ouidius lib. 1. Met. vbi de prima hominis natiuitate. c. 7. 1. c. 10. 8. Mach. l. 2. 7. 23.

Siue recens tellus, seductáque nuper ab alto
Aethere, cognati retinebat semina cæli
Quàm satus Iapeto mixtam fluuialibus vndis
Finxit, in effigiem dominantum cuncta Deorum.

E luto. Tellus mixta vndis nihil est aliud quàm limus & lutum, quòd diuina sapientia, quasi alter Prometheus formauit in hominem. Addam hic D. Chrysostomum in ea verba, *Et formauit Deus hominem puluerem de terra. Animaduerte etiam obsecro*, inquit, *quanta statim varietas in ipso verborum proœmio. In omnibus enim aliis creaturis docuit nos Beatus Moses modum formationis dicendo, Dixit Deus fiat lux, & facta est lux*, &c. Et mox. *Vidisti quomodo omnia verbo formata sint? Sed videamus quid postea? cùm hominem format, inquit, & formauit Deus hominem. Vide quomodo verbis, quæ nostræ paruitati congruunt vsus est, simul & modum formationis, & in formando diuersitatem docens, & quasi, vt humano more dicam, manibus Dei ipsum formari depingit; sicut & alius Propheta inquit, Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me*, &c. Quibus ego non grauatè assentior, etsi non ignorem in Deo, qui spiritus est, metaphoricam manum intelligendã esse, vt placet D. Augustino l. 6. de Gen. ad lit. vbi prima fronte hãc assertionem videtur reiicere, ex eo maximè quod infra dicitur Deus formasse de humo omnia terræ animalia; sed ibi formare idem est quòd producere, vt notauit etiam Oleaster. Et rursum. *Quid ergo nunc dicendum est, In eo quod scriptum est, Sufflauit Deus. Nisi quia sicut non manibus corporeis finxit, ita nec faucibus, labiisque sufflauit.* Verùm de hominis formatione, quatenus dici possit à Deo, vel Angelis facta, consule Perer. l. 4. vbi concedit simulachrum illud corporis humani ab angelis figurari potuisse; sed cũ id nisi beneficio animæ, quæ sola à Deo est, non sit corpus humanum, certè corporis humani effectores angeli dici non possunt. Vide D. Thomam 1. part. Sed redeamus ad puluerem. Quia ergo puluis propter diffluentem siccitatem in solidum corpus conformari non potest, diuinus plastes puluerem aquæ miscuit, & lutum fecit, quòd Hieronymus limũ vocauit in editione vulgata, Imitatus Tertul. [6]. *Fidelissima*, inquit, *primordij exempla, de limo caro in Adam. Quid aliud limus, quàm liquor opimus.* Et lib. de resurrectione carnis. *Et finxit Deus hominem limum de terra, iam homo, qui adhuc limus.* Sanè quidem homo, qui adhuc limus, sed figuratè ex toto pars intelligenda est, sicut vice versa ex parte totum cùm dicitur Abrahã fecisse animas in Haram, id est homines genuisse, aut acquisisse. Et rex Sodomorum petit ab Abraham animas cæteris dimissis. Et Tertullianus ipse se explicat lib. 1. contra Marcio. *Et fecit Deus hominem*, inquit, *limum de terra, non animam, anima enim de afflatu.* Et rursum. *Bonitas dixit, Bonitas finxit hominem de limo in tantam substantiam carnis ex vna materia, tot qualitatibus exstructam, bonitas insfluit animam, non mortuam, sed viuam.* Alij pro limo lutum eadem planè ratione dicere maluerunt. Clamat enim Esaias. *Et nunc Domine Pater noster es tu, nos verò lutum; & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Hinc frequens illa comparatio figuli & luti in sacris literis, ac profanis.

Metaphorica manu. — Iob. 10. Vide Iren. l. 5. c. 15. c. 12. c. 2. 19. l. 7. c. 1. n. 92. 3. & 4.

Siue è limo. — q. 91 a. 2. ad 1. & a. 4. ad 1. l. de anima c. 23. 6. χ. Gen. 12. 5. 14. 21. c. 14. l. 1. c. 4. Esai 64. 8. Esai 45. 9. Ierem 18. 6 & seqq. Rom. 9. 20. 21.

XIX. *Homo terra ruffa.* PORRÒ terram de qua formatus est homo, fuisse terram ruffam notauit Iosephus, *Finxit Deus hominem humo telluris sumpta, immisitque in eum spiritum, & animam, homo autem hic vocatus est Adamus, significat autem hoc Hebræorum lingua ruffum, quandoquidem ex ruffa humo fermentata.* Macerata potiùs aut subacta, non enim dixit ζυμωτῆς, & nihil in ea mixtione erat instar fermenti *est factus*, ἀπὸ τῆς πυῤῥᾶς γῆς φυραθείσης ἐγεγόνει, *talis enim est intacta terra & vera*, παρθένος γῆ, ἢ ἀληθινή. Vide Pagninum in thesauro in voce אדם quæ est rubescere, ex quo אדמה terra ruffa, & in voce עפר vbi quatuor synonyma terræ ponit ex Rabbi Dauid, עפר ghaphar, id est puluis, ארץ ereth terra in genere תבל thebel, terra habitata אדמה Adama terra ruffa. De nomine Adam quo comprehenditur 4. mundi partes ἀνατολή, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία. vide Sixtum Senens. lib. 3. vbi de elementaria expositione. Facta porrò est mentio terræ, siue limi, aut luti ex aqua & terra coalescentis, & si constet ex qua-

l. 1. Antiq. c. 1. 7 χ.

tuor elementis, quia ea secundum quantitatem & substantiam in homine abundant, licet alia in eo secundum virtutem prædominentur, vt ita posset esse aliqua mixtionis æqualitas, vt rectè notauit D. Thomas.

1. p. q. 91. a. 1.

XX. *Diuina sapientia in humano corpore fabricando; quæ in facie maximè elucet.*

SED iamdudum expectas, mi lector, vt ex hoc quasi spineto educaris in amœniorem planitiem, in qua diuinam sapientiam agnoscamus, in humano corpore fabricando. In quo curriculo multi antiqui, recentioresque studiosè decurrerunt, vt in opere Deo in primis, atque hominibus glorioso, & nominatim Ambrosius, & Gregorius Nyssenus. Ego verò faciam, & libenter quidem, sed vtar, cum bona venia tua, labore & industria R.P. Ludouici Richeomi, viri cum aliis multis nominibus laudatissimi, tum Gallicæ linguæ præstantissima facundia vniuersæ Galliæ notissimi, qui in libro cui titulum esse voluit Migrationem, seu Valedictionem animæ, hoc argumentum elegantissimis verbis, sententiisque prosecutus est; quamquam certus sim me eius dicendi veneres longo interuallo repræsentare non posse. Cùm igitur plerisque Capitibus siue Colloquiis humanas corporis animique dotes eleganti penicillo depinxisset, Colloquio nouo & quadragesimo ostensurus animi imaginem in facie nominatum splendescere, hæc ferè habet.

l. 6. Hexa c. 9. & toto libro de dignitate cōditionis humanæ. l. de opificio hominis.

P. Ludou. Richeom.

XXI. *Vultus imago animi.*

HVMAVM *porrò vultum imaginem quandam animi referre, eique peculiari similitudine respondere, significasse videtur Moses, cùm, in explicanda hominis creatione, ait Deum corpus quidem Adami de limo terræ finxisse; mox autem inspirasse in faciem eius spiraculum vitæ, & factum esse hominem in animam viuentem. Cùm enim certò constet animum toto in corpore collocatum, cur vnius faciei meminisset, nisi ea illius esset imago, in qua se maximè videndum atque agnoscendum exhibet; vbi externi omnes sensus, internique se produnt; vbi motus omnes internarum facultatum, perturbationùmque visuntur. Ad eum planè modum, quo in ipsa quasi horologij facie, horæ, quas abdita intus rotæ conficiunt, foris agnoscuntur. Itaque sicut in anima imago Dei, ita in facie nostra ipsius animæ imago conspicitur. In toto homine nihil est anima pulchrius; in toto corpore nihil est ad speciem facie ipsa decentius. In qua tanquam in speculo radiante naturæ spiritalis decor, facultates, habitus, motus, ægritudinésque adamussim repræsentantur.*

XXII. *Dignitas & elegātia faciei ex varietate partium.*

FACIES *est quoddam quasi propylæum capitis, in quo humanus animus iura reddit hominibus, & nobilissima quæque munera consilij, & rationis exercet. Et sicut in capite maiore cum splendore & magnificentia Ratio imperat, quàm in cætero corpore: Ita magno illi Architecto placuit foris coniecturas exhiberi throni, & aulæ regiæ, appensis in ipso aditu insignibus multipertitis, quasi epitoma omnium titulorum nobilitatis suæ. Hoc insigne facies ipsa est, & compendium pulchritudinis corporatarum rerum, sicut animus spiritualium, ideóque ad illum repræsentandum egregie fictus est. Cùm autem corporea pulchritudo tribus nitatur fundamentis, tribúsque veluti basibus sustentetur, varietate, colore, proportione partium, num vllum est membrum in humano corpore, vbi plures, & magis diuersæ particulæ in eandem harmoniam coëant? Ibi quinque sensus cum suis organis collecti, ibi varietas eximia ossium, cartilaginum, musculorum, neruorum, venarum, arteriarum, pellium, pilorum, positionum, situum, figurarum. Ibi frons leniter rotunditatem iniens supremum occupat locum, quasi Thronum Rationis. Sequuntur lumina eiusdem sydera flammantia; inde auriculæ, quasi auditores eius, & primarij administri. Ordine quartus est nasus idémque odorum canalis, cerebri colicia, ianitor intromittendo aëri ad pulmones. Os inferne aperitur armatum maxillis, linguæ protector & dentium, ad vocem animi nunciam modificandam, & cibum stomacho ministrandum, in commune totius corporis alimentum. Supercilia frontem geminis arcubus terminant, & supernè oculos, tectorum instar, decenter protegunt, quos palpebræ obuelant. Nasus assurgit turriculæ in morem, oculos seiungit, & ab angulis internis muniens ad medium ciliorum protenditur. Auriculæ vlteriorem paulo stationem habent, & quasi concha eminens, in humano dumtaxat capite immobiles, arrectæ semper, quasi in vigilia ad excipiendos sonos, vt nasus ad spiritum reciprocandum. Genæ & mentum, singulari priuilegio homini data, prætereà nemini, hoc tam elegans propylæum vltimo complent, atque perficiunt.*

Pulchritudo tria requirit.

Descriptio humani vultus.

XXIII. *Colore & proportione.*

IAM *verò colorum hic amplius quàm reliquo toto corpore; in oculis albus, niger, viridis, cæruleus, fuscus, aliique complures pro varietate corporum. Supercilia quoque, barba, cæsaries, coloribus nigro, ferrugineo, aureo, argenteo, pro personarum diuersitate discriminantur, in reliqua facie, lilia mixta rosis, insignem in modum diuersas faciei partes exornant.*

Quid admirabilem symmetriam & partium inter se proportionem loquar? Quælibet enim

pars cognatam alteram æquissima commensuratione respicit; dexter oculus læuum, quantitate pari, qualitate motúque simillimo. Auris respondet auri, naris nari, labio labium, gena genæ, supercilium supercilio. Ori magnitudo, singulorum oculorum magnitudini exæquatur, latitudo frontis longitudini nasi, qui labiorum & menti longitudini commensuratur. Hæc proportio tam insignis ac diuina est, vt in illam, quasi in absolutissimum exemplar, perfectissimi quique artifices perpetuò intueantur, vt Epistylia, Zophoros, Coronides, aliáque id genus nobilium operum membra, suis magnitudinibus ritè definiant. Sic & corpus integrum, mensurarum modum magnis ædificiis, nauibúsque constituit, vt ex arca Noëtica, Mosaico tabernaculo, Salomonico templo, aliisque insignioribus fabricis, quas scriptura commemorat, facilè intelligi potest. Hactenus optimus ac disertissimus Pater, cui huius lucis vsuram magna ex parte debent Annales hi nostri, quos ille nondum natos, & ad Solis fulgorem verecundè conniuentes, plusquam materna charitate excepit, fouit, amplexus est; & ad nonnullam quasi maturitatem perduxit, pro sua illa singulari ac prolixa de omnibus benè merendi voluntate.

XXIV. *Aliisque ornamentis.* HIC idem Pater pluribus deinceps docet in humana facie depictas omnes animi facultates, intellectum in oculis, in lingua voluntatem & libertatem, in auribus memoriam, aliáque id genus plurima in reliquis membris philosophatur, quæ cum fructu & voluptate legere possis.

Porrò structuram corporis humani, præter medicos, & chirurgos, suppeditabit D. Gregorius Nyssenus l. de hominis opificio, & rursum orat. 2. in ea verba, *Faciamus hominem.* Cicero ex quo nonnulla Lactantius, cùm alibi, tum toto libello de Opificio Dei, vbi supplet, quæ ille in 4. de Repub. l. 1. de legibus, aliisque locis magis tentauit quàm executus est, vt ipsemet ibidem fatetur. Adi etiam Nemesium Philosophum Christianum in lib. de natura hominis. *c. 30. l. 2. de nat. Deor. cap. 1. l. 9. Bibl. Patrum.*

XXV. *Interior cõsideratio diuinæ sapientiæ in humano vultu.* SED fortassis aliquod à me quoque in hoc conuiuio symbolum petis: geram ergo morem voluntati tuæ, & defixis tecum in eundem humanum vultum oculis; quòd enim obiectum eligam sub cœlo contemplatione dignius? contemplabor, non exporrectam illam frontem candore gratissimam, aureola cæsarie decentissimè circumuallatam, non sydereos oculos colorum varietate pulcherrimos, lucis fulgore radiantes, genas molliculas cum suffuso rubore candidantes, mellita labia, diffusámque in singulas partes gratiam copiosissimam, & longè etiam in vniuersas copiosiorem (argumentum ingens Poëtarum, atque Oratorum parum pudicorum, ex quo rectiùs fructuosiúsque diuinæ pulchritudinis incomparabilem decorem suspicarentur.) Sed contemplabor interiùs aliquid, quòd minùs carneos perstringat oculos, internos autem non minore fortasse voluptate reficiat, in diuina sapientia hoc in opere ponderanda.

Aiunt sapientis esse quàm paucissima & quã efficacissima media fini consequẽdo adhibere, ne frustra per plura id fiat, ad quod pauciora sufficerent. Sed maioris etiam est sapientiæ ad plures fines vno, si fieri possit, medio peruenire, vt cùm quis vno, vt aiunt, lapide, geminos ictus facit, vno munere geminos amicos sibi conciliat, vna conuentione plurimas opprimit lites. At hic mihi diuinum illum opificem intuere, in primarium cuiusque partis finem ita collimantem, vt plures etiam alios simul eadem opera respiciat, non minùs potè omnibus, quàm si membrum illud singulis tantum vsibus, finibúsque destinasset.

XXVI. *Princeps oculorum vsus ac finis, aliique quasi secũdarij.* VIDE oculos hominis, tem omnium quæ sub cœlo sunt longè pulcherrimã,
& artificiosissimam; nam nihil est in hoc aspectabili mundo pulchriùs homine,
nihil in homine dignius capite, nihil in capire vultu decentiùs, nihil in vultu ocu-
lis elegantius & amabilius; hos oculos ita sapientissimus artifex fabricatus est, vt
ad lumen & colorem dignoscendum sibi mutuas præstarent vices, vterque se eo-
dem momento sursum & deorsum, ad dextram & sinistram, & omnino omnem 1.
in partem ad quippiam videndum inflecteret. Iidem nihilominus ad ornamentũ
faciei ita valent, perinde ac si ad eum vnum finem destinati essent; valent iidem 2.
ad dirigendos gressus si ambulaueris, ad vitandos ictus, si ingruant, ad cauendam 3.
quasi ex altiore specula offensionem si res tulerit; ad prodendos animi motus in 4.
tristitia lachrymis suis, in lætitia, hilaritate, & ita de cæteris motibus cordis no-
stri; ad ipsum linguæ officium supplendum, cùm locutio fuerit impedita; ad re- 5.
rum cognitionem lectione & experientia hauriendam.

QVID

1. QVID naſus vtrique lumini ſubiectus & medius? organum quidem eſt reci- XXVII. *Naſi item ac linguæ vſus multiplex.*
2. piendis odotibus fabrefractum; ſed idem nihilominus valet vt ſit inſtar canalis ad
3. purgandum cerebrum, inſtar ianitoris ad pulmonum reſpirationem, & interni ca-
4. loris temperamentũ, quaſi murus ad protegendos oculos, quaſi eburneola fiſtula
5. ad modificandam vocem, ideóque illo catharris impedito, ingrata vox reſonat
6. auribus noſtris; vt ſit ingenij, iudiciique index & nuncius, vt ſit non mediocre
7. 1. decoræ faciei ornamentum. Quid lingua? Ita ad exprimendos omnes animorũ
ſenſus, omninóque ad loquendum data eſt, vt illi vni muneri ſeruire videatur; at
2. res habet longè ſecus, ita enim locutioni ſeruit, vt nihilominus ad varios guſtus
3.4.5. dignoſcendos valeat, ad comedendum, ad deglutiendum, ad expuendum, ad
6. purgandum palatum, aliáque id genus miniſteria non pauca, quorum ſine lingua
nullum ritè conficias.

1. DENTES vides? ad conficiendum vtique cibum dati ſunt, enim anteriores XXVIII. *Dentium & ſaliuæ.*
ſcindunt & diuidunt, laterales confringunt, molares comminuunt, & tamen ita
2. vſui ſunt ad loquendum, quaſi is eſſet vnicus eorum vſus; itaque nec infantuli
ante adeptos dentes, nec edentuli ſenes poſt eos amiſſos ſatis articulatè loquun-
tur; vſui ſunt ad vim arcendam in palatum, ita enim ad eius aditum collocati
3. ſunt, vt à militum cohorte expedita fidelius officium expectare non poſſis; vſui
4. ſunt ad innumera miniſteria quibus manus ipſæ non ſufficiunt. Quid cætera
loquar diuinæ ſapientiæ in hac partium fabrica monimenta, cùm excremen-
ta ipſa tam egregios, varióſque vſus obtineant? Superfluam fortaſſe ſaliuam
dixeris, & ex crebro aut pectore inutiliter redundantem; cauè dixeris ſuper-
fluam, cùm illa ad impiorum cineres & memoriam deſpuendam valeat, &
ſine ea neque comedere, neque loqui poſſis, quibus nihil eſt in vita ma-
gis neceſſarium; rectiùs dixeris tantam eſſe diuinam ſapientiam, vt res nihili
ad laudatiſſimos vſus conuertat. Eadem philoſophia ad alias quoque vel ho-
1. minis, vel mundi partes contemplandas facilè conuerti poſſit, ad diui-
2. 3. nam ſapientiam admirandam atque prædicandam; omnia quippe tam ad-
mirabili ſapientia inuenta, formata, & inter ſe iuncta, ordinatáque ſunt, vt
ſi quid ſiue in facie, in qua res illuſtrius appatet, ſiue vlla in parte corporis
addideris, ſi quid detraxeris, ſi quid mutaueris, ſi quid laxaueris, & dolorem
& turpitudinem inuexeris. Sed nobis ſatis eſt in pulcherrimam exercitatio-
nem ſapientum, quaſi digitum intendiſſe; quoniam ad alia noſtra feſtinat
oratio.

SI tamen illud ex communi Doctorum ſententia addidero, Adami corpus XXIX. *Qua ætate conditus Adam.*
non infantilis ætatis è terra, ſicut hodie ex maternis vteris educimur, ſed perfe-
ctæ fuiſſe productum; facilè enim fuit, vt inquit D. Auguſtinus illi qui per ordi-
l.6.de Gen. ad lit.c.13. nariam temporum moram vinum producit ex vite, & illud in Cana Galilææ
puncto temporis produxit ex aqua, hominem etiam quem longo tempore for-
mat in vtero, & eductum longiore etiam ad perfectionem ætatis deducit, in æta-
te perfecta è terra producere. Sed nos nõ quærimus quid fieri potuit, inquies, ſed
quid factum ſit. Reſpondeo rationi eſſe conſentaneũ, vt in ætate virili & perfecta
creatus ſit, apta ad productionem ſibi ſimilis, in eadem ſpecie, ſicut in cæteris ani-
malibus factum apparet, alioqui penè fruſtra dictum eis eſſet, *Creſcite & multipli-
camini,* quis enim id infantulo dixerit, qui nec præceptũ intelligere poſſit, neque
l.4.n.97. exequi. Quin & Peterius exiſtimat comparatione & proportione longitudinis vi-
tæ, quæ longiorem pueritiam, & adoleſcentiam requirebat, iuuenilem ætatem in
qua conditus eſt, non ante quinquageſimum annum contigere potuiſſe, quos an-
nos ſi placet ad illos 930. quos vixit re vera adiungere, inueniemus eum plures an-
nos ſuos, quàm vllum mortalium numerare potuiſſe; ſi tamen Enochum & Eliã XXX. *Quando facta ani-mi productio qui hominis ſimulachrũ corpus humanũ reddit.*
n.99. & 100. excepetis. Vtrum autem Gigantea corporis mole fuerit, vide eundem Peretium.

AD illud ergo ſpiraculum vitæ feſtinat oratio, quòd Deus in faciem hominis
inſpirauit, quanquam erat illud adhuc hominis ſimulachrum, non homo, do-
nec illi anima vitam & naturam hominis tribueret. Audi enim D. Chryſoſto-
homil. 12 in Gen. v. fin. mum. *Nam cogita obſecro formationis ordinem, & expende tecum antequam inſpirare-
tur à Domino ſpiraculum vita, quid erat formatus ille? Omnino inanimis quadam imago,
operatione carens, & ad nihil vtilis. At totum illud, quòd in tantùm honorem ipſum prouehit,*

non est nisi spiraculum illud, à Deo inspiratum. Et homil. 13. *Sicut incorporeas virtutes produxit, ita certè corpus illud ex puluere factum, rationalem animam habere iussit, quæ corporeis membris vti possit, formatum enim corpus hoc, iuxta præceptum Domini, quasi instrumentum erat, quod egebat aliquo se mouente. Imò sicut lyra, quæ opus habet aliquo, qui possit arte & scientia sua per membra, quasi per fistulas, conuenientem illi melodiam domino repræsentare.* His videtur repugnare Gregorius Nyssenus in ea verba, *Faciamus hominem,* &c. *Nunquid formauit hominem, quemadmodum è luto figuli aliquid effingunt, aut quemadmodum ex ære conflant aliquid statuarij? Minimè verò, nam statuæ quidem extrinsecus tantùm speciem ac similitudinem præfert, at opus formatum à Deo non est huiusmodi, sic enim hominem conflauit, vt omnes illius partes intus etiam informaret, atque distingueret.* Non ergo repugnat Gregorius, sed dissimilitudinẽ eleganter ostendit. Vide etiã in hanc sententiam Eugub. in ea verba, *Et inspirauit in faciem eius,* &c.

Figlinum Dei opus etiam interius figuratum. — orat. 2. — in Cosmop.

XXXI. *Anima & corpus simul productum.* IDEOQVE D. Thomas docet Deum nec corpus sine anima, nec animã sine corpore, in prima rerũ institutione, produxisse, sed vtrumque simul, cùm vtrumque sit pars humanæ naturæ, & corpus ab anima pendeat, nõ è conuerso. Id eleganter docuit Gregor. Nyssen. disputans tam contra Origenistas, qui animas hominum quasi quandam nationem, seorsum quadam in republica existere longè ante corpora tradunt, quàm contra eos qui seriei narrationis Mosaicæ inhærentes, animũ corpore ortu posteriorem esse aiunt, vtramq; enim opinionem ait reprehensionẽ mereri; & concludens, *Nostra verò,* inquit, *hac toto in re sententia, media inter opinionẽ vtramque via incedendo, ipsa ad veritatem sese dirigit. Vtrumque videlicet simul productum esse.* quòd probat c. 29. *Sed cùm vnus,* inquit, *& idem homo sit, qui corpore & animo constat, vnum esse, communéque tribuendum et dicimus existendi principium, ne parte hac seipso prior, altera iunior sit & posterior.* Et mox: *Quocirca alterum alteri præponi non debere, quasi singularum in partium creatione, vel animus sit ante corpus conditus, vel è contrario corpus ante animum, idque hanc potissimum ob causam, ne secum ipse dissidere videatur homo, tanquam diuersas in partes diuisus, ob temporis in harum ortu discrimen.* Hac ergo doctrina tantò magis repudiatur eorum error, Platonis, inquam, & Origenis, qui animas omnes à principio conditas putauere, vt plerique tradunt, móxque suo tempore in certa corpora distribui [a].

1. p. q. 91. a. 4. ad 5. — l. de homin. opific. c. 28. — a. x.

XXXII. *Eius productionis modus cur dicatur inspiratio.* CVM autem constet animam ratione præditam vera à Deo creatione productam, quid causæ est, cur inspirata dicatur, aut per inspirationem producta? An quia volebat Propheta innuere eam corpus non esse, sed spiritum vnde Christus Dominus moriens, *In manus tuas,* inquit, *commendo spiritum meum,* móxque, *exspirauit,* vel, vt habet alius Euangelista, *emisit spiritum.* An vt doceret philosophos eam non educi è potestate materiæ, vt cæteras, sed à solo Deo produci, vt halitus à solo spirante proficiscitur; quòd mirificè cum Aristotelis sententia congruit, asserentis animam extrinsecus aduenire. λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον. *Restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit.* Ita Philosophus.

psal. 30. 6. Marc. 15. 37 Luc. 23. 46. Matth. 27. 50. — l. 2. c. 3. de gen. anim.

XXXIII. *Animus non est de diuina substantia. Chrysost. August.* AN vt intelligeremus eam non esse quandam diuinæ substantiæ particulam, ne eo fortè Aristotelem trahas, sicut nec halitus de substantia eius est, qui spirat, aut respirat, sed de aëre infuso vel circumfuso: vt rectè disputant Chrysostomus & Augustinus. *Credendum itaque est,* inquit, *& intelligendum, neque vllo modo dubitandum, quod recta fides habet, animam sic esse à Deo tanquam rem quam fecerit, non tanquam de natura cuius est ipse, siue genuerit, siue quoquomodo protulerit. Et quomodo,* inquiunt, *scriptum est, Sufflauit in faciem eius, & factus est homo in animam viuam, si non anima Dei pars est, vel Dei omnino substantia? Imò verò ex hoc verbo satis apparet ita non esse. Cùm enim homo sufflat, animo vtique ipsa subiacentem sibi naturam corporis mouet, & de illa, non de seipsa flatum facit. Nisi isti fortè tam tardi sunt, vt nesciant isto reciproco halitu, quem de hoc aëre circumfuso ducimus, & reddimus, fieri etiam flatum cum voluntate sufflantis.* Hactenus S. Augustinus, quibus similia habet Eucherius. Sugillat autem Manichæum teste Hieronymo aduersus errores Ioan. Hierosolym. *Dicis animam non de Dei substantia, pulchrè, damnas enim impiissimum Manichæum, quem nominare pollutio est.* Idem tradit Epiph. & rursus alibi August. Vide etiam Lactant. Eadem ferè fuit, & M. Tullij opinio, qui in Cat. maiore vult animum cœlestem esse, ex altissimo domicilio

hom. 13. in Gen. — l. 7 de Gen. ad lit. c. 2. — *Hieron.* Epist. 61. c. 6. — *Epiphan.* Hæres. 66. epist. 78. — l. 7. c. 5.

depreſſum, & quaſi demerſum in terram, locum diuinæ naturæ æternitatique cõtrarium. Sed redeo ad Auguſtinum productionem animæ ex ipſa inſufflatione
l. 7 de Gen. ad lit. c. 28. in fine. perpendentem, & alias eius diuinæ actionis cauſas expendentem. *Verùm de anima,* Nec corporea.
inquit, *quàm Deus inſpirauit homini ſufflando in eius faciem, nihil confirmo, niſi quia ex Deo*
ſic eſt, vt non ſit ſubſtantia Dei: & ſic incorporea, vt non ſit corpus, ſed ſpiritus non de ſubſtantia
Dei genitus, nec de ſubſtantia Dei procedens, ſed factus à Deo; nec ita factus vt in eius natu- Nec ex re alia.
ram natura vlla corporis, vel irrationalis animæ verteretur, ac per hoc de nihilo, & quòd ſit im- Immortalis
mortalis, ſecundum quendam vitæ modum, quem nullo modo poteſt amittere: ſecundum quendã Phyſicè, nõ
verò mutabilem, qua poteſt vel deterior, vel melior fieri, &c. Hæc ipſe in fine libri. moraliter.

AN etiam dicendum eſt animam per hieroglyphicum inſpirationis à Deo pro- XXXIV.
ductam, vt facilitas diuinæ huius operationis oſtenderetur? Nam Theodoretus Ab inſpirati animi
q. 23. in Geneſ. eùm ita quæſtionem poſuiſſet. *Si ex inſufflatione Dei creata eſt anima, erit vtique anima* cauſa.
ex ſubſtantia Dei. Reſpondet. *Extrema impietatis, & blaſphemia eſt ſententia huiuſmodi.*
Nam per hoc ſcriptura diuina facilitatem creandi demonſtrauit. Præterea etiam ipſius animæ
naturam obſcurè declarauit, nempè ipſam eſſe ſpiritum creabilem, inuiſibilem, & intellectiuum,
expertem craſſitudinis corporeæ. Hæc Theodoretus.

l. 4. o. 103. An fortaſſe etiam, vt notat Perer. ex communi doctrina, vt doceret animam
ſimul creari, & infundi in corpus; Deus enim creando eam infundit, & infundendo
creat, ſiquidem vtrumque fit eodem puncto temporis, quamquam ordine naturæ
prius eſt animam creari, quàm infundi corpori. Poſtremò ea ratione ſignificatur
animum quodammodo ex ore Dei prodiiſſe, quòd diuinæ gratiæ, & ſapien-
Eccl. 24. 5. tiæ, & vitæ factus ſit particeps. Nam ſapientia dicitur ex ore altiſſimi prodiiſſe.
2 Pet. 1. 4. Et participando gratiam eius, diuinæ naturæ conſors factus eſt; & ſicut Gentiles
Eph. 4. 18. 2. Cor. 4. 10 à Paulo dicuntur alienari à vita Dei: ita vita Ieſu dicitur manifeſtari in corpori-
bus piorum hominum.

vide etiam 1. Ioan. 5. 11. 12. CÆTERVM metaphoricam hanc eſſe inſpirationem, quod Deus qui ſpiritus XXXV.
homil. 13. in Gen. eſt ore ac membris careat, fuſiùs docet D. Chryſoſtomus. *Scriptura verò,* inquit, Hæc inſpiratio metaphorica.
loquendi modos noſtræ infirmitati attemperat, qui ſenſibilia cogitamus, quibus aſſueuimus. Et
concludens. *Quid eſt,* inquit, *inſpirauit ſpiraculum vitæ? voluit & imperauit, vt hoc cor-*
pus formatum haberet vitalem vim, quæ facta eſt animali in animam viuentem; hoc eſt effi-
caciter operantem, & ſuam artem membrorum motu oſtendere valentem. Quamquam non
abſurdè fortaſſe crediderint Eugub. & Oleaſter, Deum, ſaltem cum primis parẽ-
tibus colloquentem, nam ante eorum productionem id neceſſe non fuit, ſpeciẽ
quandam humani corporis præ ſe tuliſſe, quòd de angelis tota ſcriptura confir-
mat, ſed ea de re aliquanto poſt dicetur vberius.

FEREBATVR porrò hæc diuina inſpiratio in faciẽ hominis, ſiue quia ibi omniũ XXXVI.
ſenſuum organa collocata ſunt, quibus animal vitam, animæque præſentiam pa- Cur directa in faciem.
tefacit, ſiue quia in ea, tanquam in ſpeculo, imago animi dignoſcitur, quippe quæ
o. 26. triſtitiam, lætitiam, iram, timorem, admirationem, cupiditatem, deſperationem,
Ouid. Met. aliáſque animi perturbationes prodit, vt ſupra dicebamus. Hinc illud, *Heu quàm*
difficile eſt crimen non prodere vultu. Hebræus textus pro facie habet nares, quæ Siue nares.
ſcilicet ſunt reſpirationis de qua agitur, organum, ſed ex parte intelligendum to- 9. ⁂.
tum, ſicut Septuaginta qui verterunt πρόσωπον, & Hieron. intellexere [9]. Aquila
& Symm. retinentes figuram Hebraicam tranſtulerunt μυκτῆρες, vt notatum eſt
Sap. 2. 2. in Græca editione Xiſti, & à Lipomano in catena. Huc alluſit Sapiens in perſona
impiorum exiſtimantium animum humanum interitui obnoxium. *Quoniam,* in-
v. 3. quiunt, *fumus flatus eſt in naribus noſtris.* Et mox: *Spiritus diffundetur quaſi mollis aër, &*
tranſibit vita noſtra tanquam veſtigium nubis, fumum vocauit halitum calidum &
c. 2. v. 22. humidum quem expiramus. Alluſit & Eſaias. *Quieſcite ergo ab homine, cuius ſpiritus*
in naribus eius eſt, id eſt, Nolite timere hominem, cuius vita in inſpiratione & reſpi-
ratione conſiſtit, qui vitalem ſpiritum per nares haurit, qui ſi comprimatur, pro-
Vatablus. tinus perit aëris inopia [10]. 10. ⁂.

Pergit Moyſes, aitque Dominum inſpiraſſe in faciem, ſiue nares ſimulachri
huius, ſpiraculum vitæ, id eſt, halitum, quo viuere poſſet, id enim ſignificat Spiritus pro anima.
Hebraicum Neſſamaeh, ſiue vt alij legũt, Niſchmath, & Chaldaicũ Niſchmeta, נְשָׁמָה
ſiue, vt vertit Tigurina, ſpiritum vitalem, ſicut Hebraica phraſi lignum vitæ, pro נִשְׁמְתָא.
vitali, aut viuifico dictum eſt. Rectè autem per hunc ſpiritũ corporeũ, & voce &

reipsa, spiritus noster, qui est incorporeus, significatur, vt qui se continenter per respirationem prodit, eiusque causa est: eadem est elegantia in anima quæ respiratur, & anima quæ respirat, & in voce πνεῦμα quæ spiritum significat & spiratorem, minùs eleganter vel à vento animus, vel à refrigeratione ψυχὴ dicitur.

XXXVII. *Quomodo ab vna anima vitæ plures.*

Et si autem Hebraica dialectus spiritum vitarum dici postulat, pro spiritu vitali, nihilo secius in eo Caietanus eruditè philosophatur, eundem spiritum vitarum dici, quia ab eo vita intelligens, sentiens & vegetans vni eidémque homini datur, & per vnum eundémque animum, diuinitùs ab extrinseco datum, homo Deo similis est intelligendo, sentiendo brutis, & plantis vegetando. Ab eodémq; spiritu naturales, animales, & vitales spiritus, qui sunt instrumenta ad opera trium vitarum exercenda, proficiscuntur: Denique ab eodem spiritus, siue anhelitus agitatur, qui & ipse spiritus vitarum est, quatenus fouet omnes vitas in homine: & ab hoc, quasi notiore spiritu, Moses, qui rudibus loquebatur, voluit ipsum primarium fontem respirationis intelligi. Porrò ne posita multitudine vitarum, etiā plures animæ in homine fingerentur, dixit spiritum non spiritus; & rursus dixit factum esse hominem in animam viuentem, siue in animam vitæ, vt nomine animæ multitudo animarum excluderetur, & nomine vitæ daretur intelligi, multitudinem vitarum in homine, in vnam vitam reduci, vt secundum rei veritatem intelligeremus in homine esse vnam tantùm animam, quæ est ad imaginem Dei, & vnam tantùm vitam, quæ est esse viuentis (viuere enim viuentibus est esse) sed ex hac vna anima & vita essentiali, prodire multitudinem vitarum, hoc est potentiarum, & operationum vitalium, tam ad vitam vegetantem, quàm sentientē, internam & externam. Hæc ferè Caietan. quibus similia leges apud Gregorium Nyssenum. l. de opificio hominis, c. 14.

XXXVIII. *De anima secundum supremum eius gradū quo attingit Deum.*

In primo capite de anima secundum supremum eius gradum, quo est ad imaginem & similitudinem Dei, locutus erat Moses, cùm opera sexti diei breuiter enarraret, de eadem rursus secundum alios gradus vitæ sentientis & vegetantis differit, quæ nos in vnicam narrationis seriem reduximus, prout exigit etiam ordo temporis, quo facta sunt. v. 26. & 27. c. 2. v. 7.

Triplex rerum ordo.

Ad imaginem porrò Dei & similitudinem factus est homo, non secundum corpus, quo *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*, sed secundum animum, qui est substantia spiritalis intellectu, voluntate, & libertate prædita, sicut Deus. Et hinc intelligitur triplex rerum ordo primus intelligentium, qui sunt meri spiritus, vt Deus & Angeli eius; secundus corporeorum, qui nihil nisi corporeum habent & materiatum, vt elementa, mixta, plantæ, animalia; tertius ex spiritu & corpore constantium, in quo solus est homo, quem propterea horizontem vocamus rerum creatarum, & D. Gregorius Nyssenus, vocat mixtum quendam mundum duobus mundis cognatum, ex incorporea, immortali, & incorruptibili anima; & ex materiali, oculísque subiecto corpore, ex quatuor elementis composito coagmentatum & iunctum, qui primum postremúmque gradum attingit, imò ipsum Deum lucem inaccessibilem, & abyssum tenebrarū materiam, ipsum Deum spiritum infinitum spiritu suo, & lutum ipsum ac puluerem terræ corpore suo, vt quantū eleuaretur ex vno, tantùm deprimeretur ex altero. Denique *minuit illum paulò minùs ab angelis*, quem eodē die condidit, quo iumenta, & reptilia & bestias terræ. Ne illi fortasse contingeret quòd reprobis spiritibus, quorum excellentia nulla humilitate degrauata, facta illis fuerat in ruinam. Ps. 48. 13. 21. q. de imag. & similit. Dei. Psal. 8. 6.

Homo medius inter spiritus & corpora.

XXXIX. *An Dei & Angelorū eadē imago.*

At, inquies, Deum & angelos in eodem ordine ac gradu ponimus repugnantibus Patribus, ac magno Basilio in primis, qui hom. 9. in Hexaëm. Iudæos refellit, qui diuinum colloquium, & deliberationē de homine fabricando, non inter personas diuinas, sed cum angelis à Deo habitum mentiebantur; refellit, inquam ex eo quod non sit eadem imago Dei & angeli; ex quo etiam concludi possit ne hominem quidem esse imaginem Dei. Respondetur autem filium Dei esse imaginem Dei, & splendorem gloriæ, & figuram substantiæ eius. Angelum autem & hominem non imaginem Dei esse, sed ad imaginem Dei, siue imaginem imperfectam, vt docet diuus Thomas, quod videtur ex Augustino mutuatus, nec hominem ad imaginem angelorum factum esse, cùm sint conserui eius, 1 p. q. 93. a. 2. l. de Trin. c. 6.

Christus imago Dei homo ad imaginem.

nec eos habeant fuæ creationis auctores, vt rectè argumentatur Bafilius. Cuius verba hæc funt. *Audis ô tu qui bellum indixifti perpetuum Chrifto, Deum ipfum, fuum in creandis rebus focium alloqui, per quem fecit & fæcula, qui portat omnia verbo potentiæ fuæ? At non cum filentio & quietè, religionis rectæ fententiam perfidus Iudæus acceptat, fed vt ferarum eæ, quæ fummo profequantur hominem odio, cum viuariis includuntur, circum fua illius caueæ fepimenta frendent dentibus, & circumfremunt, amarulentiam feritatémque naturæ oftentantes, cùm non queunt conceptum explere furorem: fic & inimica gens veritatis, Iudæi in anguftum intrufi: multa funt, inquiunt, perfonæ, non vna ad quas oratio Dei dirigitur: Angelis enim aftantibus, faciamus hominem dicit. Iudaicum hoc eft profectò figmentum, vt ex illorum odio in Chriftum delira iftius, & futilis fabulæ excogitatio deriuata eft. Ifti enim vt ne vnum, nempe Chriftum admittant, innumeras introducunt perfonas; & per hoc, quod filium habent defpicatui, feruis ipfam tribuunt confultationis dignitatem, conferuófque noftros auctores noftræ creationis efficiunt. Homo enim vt primum ftatum affequitur fuæ perfectionis, ad angelorum rectà deducitur dignitatem. At quænam tandem creatura fuo adæquari vnquam creatori poßit? Confidera autem id quod continenter fequitur, ad imaginem noftram. Quid ad hæc dicere paras? num vna & Dei & Angelorum imago eft? prorfus filij patrifque forma eadem vt fit necesse eft,* &c. Eandem difputationem reperies apud Chryfoftomum, Theodoretum, D. Auguftinum, D. Ambrofium, Hilarium, Origenem in hunc locum, alióſque; de quibus pluribus Pererius.

Iudæorum malitia ex Bafilio.

hom. 8. in Genef. q. 19. in Genef. l. 16. de Ciu. c. 6. l. 6. hexa. c. 7. l. 4. de Trinit. l. 4. n. 8. & feqq. l. 6 c. 8. init. hom. 1. in Genef. l. 6. de Gen. ad lit. c. 12.

PORRO imaginem Dei ad folum hominis animum pertinere perfpicuè docet Ambrofius, & Origenes. *Hunc fanè hominem quem dicit ad imaginem fuam faciendum non intelligimus corporalem. Non enim corporis figmentum Dei imaginem continet, neque factus etiam corporalis homo dicitur, fed plafmatus, ficut in confequentibus fcriptum eft. Et plafmauit Deus hominem, id eft, finxit de terræ limo; is autem, qui ad imaginem Dei factus eft interior homo nofter, eft inuifibilis, & incorporeus, & incorruptus, atque immortalis. in his enim talibus rectius Dei imago intelligitur.* Ex quo patet in fola natura intelligente propriè imaginem Dei effe. Vnde Auguft. *Hoc,* inquit, *excellit in homine, quia Deus ad imaginem fuam hominem fecit, propter hoc quod dedit ei mentem intellectualem, qua præftat pecoribus,* (ex quo etiam patet, pecora ad Dei imaginem non pertinere.) Vnde fubdit: *Nam & pecora Deus fecit, fed non ad imaginem fuam.* Eo denique pertinet illud Ifai. *Cui ergo fimilem fecifis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Negat enim corporea, & artefacta hoc titulo decorari poffe. Sed quæftio eft qua in re peculiariter hæc imago confiftat: qua de re multa differit Pererius, Gregorius de Valentia, cum D. Thoma 1. p. q. 93.

XL. *Homo fecundũ animum tantùm imago Dei eft.*

Ifa. 40. 18.

Pecora ad Dei imaginem non pertinent.

l. 4. n. 15. & feqq. præferum n. 40. to. 1. difp. 7. q. 3. p. 1.

ET vniuerfè quidem dici poteft hominem effe ad imaginem Dei, fecundum omnem rationem, qua, propter gradum intelligendi, antecedit omnibus animantibus ratione carentibus; iis quippe omnibus accedit ad Deum, qui naturam intelligentem habet, in qua fimilitudo hęc, atque imago confiftit. Gregorius Nyffenus eleganter docet hanc imaginem latè admodum patere, fuóque complexu quam plurima bona comprehendere, non parcam labori meo vt plufcula verba defcribam. *Naturam humanam,* inquit, *non alia de caufa condidit, quàm quod bonus effet. Quumque talis effet, & vnam hanc ob caufam ad fabricationem humanæ naturæ acceßiffet; non ex femiffe vim bonitatis fuæ declarare voluit, ita vt nonnihil homini fuorum bonorum largiretur, nonnihil cum eo ne communicaret, inuidia præpediretur. Perfectè nimirum fe bonum oftendit, cùm hominem de nihilo conderet, omníque bonorum copia inftrueret. Quæ cùm adeò multa fint numero, vt recenferi fingula commemorando difficulter poßint, idcirco breuiter vniuerfa his verbis cõprehenduntur, quibus homo ad imaginem Dei factus effe dicitur, valent enim illa tantumdem, ac fi diceretur, naturam humanam à Deo in omnium bonorum focietatem vocatam effe. Nam fi Dei natura perfecta quædam copia eft bonorum omnium, homo autem eius eft imago, haud dubiè fimulachrum hoc Dei, princeps exemplum ita refert, vt & ipfum bonis omnibus abundet. Itaque in nobis eft expreffa omnino honefti fpecies, omnis virtus, omnis fapientia, quicquid denique præftantiffimum comprehendi vi intelligentiæ poteft.* Hæc S. Gregorius. Sed nos ab illa laxiore amplitudine digreffi, in fpecie contemplemur, quibus in rebus hæc imago confiftat.

XLI. *In quo hæc imago vniuersè confiftat.*

XLII. *In fpecie cernitur primo in dominio, ex Mofe.*

ET primo quidem cernitur in dominio, quod ei datum eft in cæteras animantes; idque fatis docuit Mofes, aut Deus ipfe potius, qui cùm dixiffet, *Faciamus hominem ad imaginem & fimilitudinem noftram,* quafi explicans in quo ea fita effet, fubdidit, *Et*

[Basilio.] *præsit piscibus maris, & volatilibus cæli,* &c. Idque animaduertit Basilius. *Illud itaque,* inquit, *faciamus hominem,* &c. *Itémque præsint siue dominentur, vtrúmque nihil obscurè prodit, in eo relucere Dei imaginem, quisquis facultate est præditus cæteris pro potestate iubendi.* [hom. 10.] [Nysseno.] Quibus persimilia ejus frater habet oratione prima, in ea verba, *Faciamus hominem,* &c. *Vbi ergo quæremus quod imaginem referat? Nimirum in iis, quæ ipse Dominus dixit: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram; & præsit piscibus, corporéne, an ratione? In animo situm est hoc imperium, an in carne?* &c. Fusius enim docet hanc imaginem in rationis imperio consistere, quo brutis animantibus, & corporis perturbationibus dominatur. Et lib. de opificio hom. [c. 4.] *Hominem,* inquit, *natura diuina, cuius omnia parent imperio, imaginem esse, nihil esse putandum est aliud, quàm regium et decus in ipsa creatione tributum esse. Quemadmodum enim more humano, qui principum imagines faciunt, natiua forma indicia effingunt, atque etiam purpuræ amictu regiam dignitatem exprimunt, eáque deinde suis imago numeris absoluta, ex consuetudine Rex appellatur. Ita & hominis natura sic condita, vt reliquorum creatorum domina essee, propter eam, quæ Regem huius vniuersitatis refert, similitudinem, imago quasi viua erecta est, cum qua & digneitas, & nomen archetypi communicaretur.* Hæc ibi Gregor. aliáque in eandem sententiam. Et S. [Ambros.] Ambros. *Anima igitur nostra ad imaginem Dei est, & in hac totus es homo, quia sine hac nihiles, sed terra es, & in terram resolueris.* [l. 6. c. 7. in fi.] Et mox: *Hæc est per quam cæteris ferarum, auiúmque dominaris animantibus, hæc est ad imaginem Dei, corpus autem ad speciem bestiarum.* Et [August.] S. August. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Talem quippe illi animam creauit, qua per rationem, atque intelligentiam omnibus esset præstantior animalibus terrestribus, & natalibus, & volatilibus, quæ mentem huiusmodi non haberent.* [l. 12. de ciu. c. 23. l. 3. de Gen. ad lit. c. 20. hom 8. in Genes.] Et apertius [Chrysost.] etiam Chrysostomus. *Expendite,* inquit, *verborum diligentiam. Neque enim cùm dicit faciamus hominem secundum imaginem nostram, & secundum similitudinem, hic sermonem finiuit; sed per ea quæ adiungit, manifestum nobis facit, quo sensu nomen imaginis posuerit, quid enim dicit? Et dominentur piscibus maris, & volatilibus cæli, & omnibus reptilibus repentibus super terram. Imaginem ergo dixit de principatu, & dominio, non de alio aliquo. Quia Deus fecit hominem principem omnium quæ sunt super terram, & nihil super terram homine maius est, sed omnia sub potestate illius sunt.* Hæc ibi. Et infra. [hom. 21.] *Quo die,* inquit, *fecit Adam, secundum imaginem Dei fecit illum, hoc est principem illum constituit omnium visibilium, hoc enim est secundum imaginem, secundum rationem dominy & principatus. Nam sicut omnium Deus principatum habet super omnia tam visibilia, quàm inuisibilia qui omnium conditor & opifex est: sic & cùm formauit rationale hoc animal, voluit omnium visibilium præfectura insigne esse.*

XLIII. [*Secundò, in similitudine diuinarum virtutum. ex Nysseno.*] SECVNDÒ, sita est hæc imago in similitudine diuinarum virtutum. Id docet eleganter Gregor. Nyssenus eodem libro. [c. 5.] *Cæterùm,* inquit, *pulchritudo illa diuina non vlla in forma, vel eximia venustate externa resplendet, sed in beatitate ineffabili secundum virtutem consistit. Idcirco quemadmodum pictores coloribus quibusdam figuras humanas in tabulis exprimunt, omníque studio colores proprios, & conuenientes addere picturæ suæ conantur, vt pulchritudinem eius quod exprimunt exemplaris, accuratè in ipsam imaginem transferant: sic nostrum etiam conditorem existimabis, indentem virtutes animis nostris iisdem veluti coloribus imaginem suam ad similitudinem propriæ pulchritudinis ornasse, vt principatus sui imago in nobis perspiceretur.* Hæc Gregorius; quæ pluribus etiam ibidem persequitur. [Origene.] Et Origenes. [hom. 1.] *Si enim ad imaginem Dei factus homo, contra naturam intuens imaginem Diaboli, per peccatum similis eius effectus est, multò magis intuens imaginem Dei, ad cuius similitudinem factus est à Deo, per verbum & virtutem eius recipiet formam illam, quæ data ei fuerat per naturam.* [Ambrosio.] Et S. Ambrosius. [l. 6. c. 7.] *Imago Dei virtus est non infirmitas, imago Dei sapientia est, & imago Dei iustitia est.* Et mox: *Illa ergo anima describitur, illa mens plena sapientia, plena pietatis atque iustitia, quoniam omnis virtus à Deo est, cui dixit Deus. Ecce ego, Hierusalem, pinxi muros tuos. Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renidentem, splendorémque pietatis. Illa anima benè picta est, in qua elucet diuinæ operationis effigies. Illa anima benè picta est, in qua est splendor gloriæ, & paternæ imago substantiæ.* Hæc ibi. In libro autem de dignitate humanæ conditionis non dissimilia refert de diuina similitudine pluribus. Vide & Bernardum in cantica. [serm. 80. sub init.]

XLIV. [*Tertiò, in modo existendi in rebus. ex Ambrosio.*] TERTIÒ, in modo existendi in rebus. Testis idem S. Ambrosius in libro de dignitate condit. humanæ. vbi de hac imagine. *Quæ imago,* inquit, *diligentius ex in-*

terioris hominis nobilitate consideranda est. Primò, quidem quia sicuti Deus vnus semper vbique totus est, omnia viuificans mouens, & gubernans, sicut Apostolus confirmat, quia in eo viuimus, & mouemur, & sumus; sic anima in suo corpore, vbique tota viget, viuificans illud, mouens, & gubernans. Neque enim in maioribus corporis sui membris maior in minoribus minor est, sed in minimis tota, & in maximis tota. Et hæc imago veritatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se. Huc etiam pertinet illud Nysseni. *Quocirca neque locum nouimus, in quo habitat Deus, sed omnino esse eum tantùm credimus, neque adeo locum animæ, in quo habitat in corpore scimus, sed hoc tantùm nouimus, eam in toto corpore esse & operari.* Nimirum neque Deus, neque animus hominis, cùm spiritus sint, loco circunscribuntur.

Act. 17. 28.

q. de imag. & simil. Dei.

& Nysseno.

Qvartò, in arbitrij libertate. Nyssenus agens de hac imagine. *Et animus quidem*, ait, *regiam excelsámque dignitatem suam, longè ab humilitate priuata seiunctam, in eo declarat, quod Dominum neminem agnoscit, & suo ex arbitrio agit omnia, meróque ac summo imperio* αὐτοκρατορικῶς *vt ipsi libet, seruat, gubernat.* Quæ repetit & confirmat c. 16. Idem sentit Damasc. & D. Bernardus, qui cùm triplicem in homine libertatem posuisset, arbitrij, consilij, & complaciti. *Puto autem*, inquit, *in his tribus libertatibus, ipsam, ad quam conditi sumus, Conditoris imaginem, atque similitudinem contineri; & imaginem quidem in libertate arbitrij, in reliquis autem duabus bipertitam quandam consignari similitudinem.* Liberum consilium ponit in potestate non peccandi, libertatem autem complaciti vt possit non turbari, quæ duo ait per peccatum perdita, libertate arbitrij integra remanente.

l. de hom. opif. c. 4.

l. de fide orth. c. 12.

l. de grat. & lib. arbitr.

XLV. *Quartò, in arbitrij libertate.*

Qvintò, in eius incomprehensibilitate. Nyssenus. *Ingredere*, inquit, *interius in teipsum, respice tanquam in speculo quodam in anima tua, discerne eius conditionem, & teipsum ad imaginem & similitudinem Dei factum videbis.* Id deinceps probat, quod anima, perinde ac Deus, nomine carens & ignota, spiritalis & immortalis sit, neutrius quippe vel substantiam, vel habitationis locum, vel existendi modum, vel pulchritudinis excellentiam nobis satis cognitam esse. Vnde ita concludit. *Quod verò percipi agnoscique non potest, nullius alterius rei est argumentum, quam illam verè, ac propriè incomprehensibilis Dei esse imaginem.* Huc referri potest quod habet S. Ambrosius. *Non ergo*, inquit, *caro potest esse ad imaginem Dei, sed anima nostra, quæ libera est, & diffusis cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, quæ considerando spectat omnia.* Et infra. *Ea igitur est ad imaginem Dei, quæ non corporeo æstimatur, sed mentis vigore, quæ absentes videt, transmarina visu obit, percurrit aspectu, scrutatur abdita, huc atque illuc vno momento sensus suos, per totius orbis fines, & mundi secreta circumfert, quæ Deo iungitur, Christo adhæret, descendit in infernum atque ascendit, libera versatur in cælo.*

q. quid sit esse ad imag. & simil. Dei.

l. 6. c. 8.

XLVI. *Quintò, in incomprehensibilitate.*

ex Nysseno.

ex Ambr.

Sextò, in immortalitate, & vacatione materiæ. Idem Nyssenus loco proximè citato, id supponit, cùm quærit, quanam tandem ex causa Deus non dixerit Angelos ad imaginem & similitudinem suam creatos, sicut hominem, cùm cõstet eos & spiritales, & ab omni materiæ concretione seiunctos, ac cælestes, Deóque proximos esse. *Etenim*, inquit, *principatum, atque imperium in terram vniuersam, atque in hominem ipsum obtinent illi, imo etiam amplius quàm homo; pari ratione immortalem esse, à materia segregatum, inuisibilem, & purum, atque omnia quæ de Adamo dixeris, excellentius insunt spiritalibus & cælestibus incorporearum mẽtium choris.* Sunt ergo ex Nysseni sententia hæc fundamẽta & rationes, cur & homo & Angelus possint dici ad imaginem Dei, quod nos quærimus. De causa verò quam inuestigat S. Gregor. postea dicetur. Nunc illa occurrit, non fuisse conueniens de angelis dici, eos ad Dei imaginẽ factos esse, quoniam de eorũ productione non fuerat facta mentio. Cæterùm immortalitatem, quæ est consentanea immaterialitati, tanquam fundamentum huius imaginis, agnoscit etiam Augustinus, & Eusebius Cæsar. apud Lipom. in cat.

XLVII. *Sextò, in immortalitate, & vacuitate & materia. ex Nysseno.*

l. de quant. ani. c. 2.

Septimò, in cognitione Dei, cui addi potest amor & cultus; nihil enim horum habet homo commune cum bestiis. Itaque imaginem Dei interpretatur Nyssenus, docens in imagine hac accuratè seruatam Dei similitudinem, quod mente & intelligentia valeamus, quod sermonis compotes, quod participes charitatis simus, & concludit. *Omnia intuetur diuinum numen, omnia exaudit, omnia perscrutatur. Etiam tu visu auditúque res percipis, & mentis intelligentia vniuersa inquiris, & perscrutaris.* Sed hæc explicatius diuus Bernardus. *Mens nostra*, inquit, *eo ipso eius imago est, quo eius capax est, eiúsque particeps esse potest. Non propterea eius imago*

l. de opif. hom. c. 5.

l. 1. medit. c. 1. sub med.

XLVIII. *Septimò, in cognitione, amore, & cultu Dei. ex Nysseno.*

Bernardo.

est, quia sui meminit mens, séque intelligit ac diligit, sed quia potest meminisse, intelligere, ac diligere à quo facta est, quod cùm facit, sapiens ipsa fit. Nihil enim est tam simile illi summa sapientia, quàm mens rationalis, quæ per memoriam, intelligentiam, & voluntatem, in illa Trinitate ineffabili consistit; consistere autem in illa non potest, nisi eius meminerit, eámque intelligat, ac diligat: Meminerit itáque Dei sui ad cuius imaginem facta est, eúmque intelligat, diligat ac colat, cum quo potest esse semper beata. Hoc Bernardus, quæ mens etiam est D. Augustini. (tract. 3. in 1. epist. Ioan.) Quod si intellectus intelligendo fit omnia, vt philosophis placet, certè intelligendo Deum eius imaginem sibi in mente exprimat necesse est; amore autem & cultu in eum feratur, eique similis fiat.

XLIX. *Octauo in sapientia ac prouidentia. ex Gennadio.*

OCTAVO in sapientia ac prouidentia, qua finem agnoscit actionum suarum, & media idonea scienter eligit: quod bestiæ, nisi ex instinctu quodam, non possunt; neque sciunt, (nisi fortè in actu exercito, vt loquuntur) quid faciant, aut qua de causa. *Hominem*, inquit Gennadius, *ad imaginem Dei esse hac ratione intelligendum est. Deus vniuersorum prouidentiam habet, homo quoque ex his nonnullis prouidet. Deus incircumscriptus est, & omnibus præsens adest, & homo per cogitationem momento temporis vbicumque voluerit, præsto adest. Deum scimus vniuersorum regem esse, homo quoque multarum rerum regnum tenet. Deus ita omnium iudex est, vt tamen nullius iudicio subiectus sit; homo quoque iudiciaria potestate à Deo honestatus est. Inuisibilis denique atque immortalis & opifex & creator Deus est, neque humana natura his diuinis insignibus vacua est.* Hæc Gennadius in eadem catena.

L. *Homo imago sanctæ Trinitatis.*

HÆC ergo omnia, & si qua sunt alia, in quibus homo tantùm accedit ad Deum, quantum bestias antecedit, faciunt hominem ad imaginem & similitudinem Dei. Et quidem non tantùm secundum naturæ vnitatem, sed Trinitatem etiam personarum. Id perspicuè intelligitur ex Scriptura, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, quæ verba omnes sancti Patres magno studio de sanctissima Trinitate interpretantur, & nominatim S. August. (l. 12. de Tri. c. 6.) quod ei tam singularis numerus, propter naturæ vnitatem, quàm pluralis propter personarum pluralitatem, æquè conueniunt. In quo autem huius imaginis ratio consistat, fusè disserit Gregorius Nyssenus. (q. de Imag. & simil. Dei. n. 47.) *In quo sita hæc imago. ex Nysseno.* Et primò docet tametsi angeli, iis maximè rebus prædiri sint, in quibus imago diuinitatis consistit, vt paulò antè dicebamus, de iis tamen non dictum esse, sicut de homine, *Faciamus hominem ad*, &c. Quod homo non vnam quandam imaginem, ac similitudinem Dei possideat, sed secundam sanctissimæ Trinitatis, & tertiam diuinæ incarnationis, ad cuius similitudinem pertineat illud animæ nostræ corporísque compositum. *ex Methodio.* Deinde quod, vt Methodio placet, trium primorum hominum productio sit ad similitudinem diuinæ Trinitatis figurata, quod Adamus, qui ingenitus est, Patris figuram gerat, Adami autem filius, qui genitus est, filij, qui *primogenitus est in multis fratribus*. Eua demum, quæ nec genita est, nec tamen est absque principio, sed ex substantia Adami miro modo processerit, sancti Spiritus personam, ex processione ortam designarit. *reprehenditur,* Hæc ex Gregorio, quæ non satis probant D. Augustinus, & D. Thomas: (l. 12. de Tri. c. 5. 1. p. q. 93. a. 6. ad 2.) Si quis tamen Methodium excusare vellet, eum bona vtriúsque venia satis esse diceret, *excusatur,* vt in eo similitudo conueniat, ad quod explicandum assumitur, licet in aliis rebus nullo modo conueniat. Conuenit ergo in eo quod tres diuinarum processionum modi, in tribus illis indiuiduis humanæ naturæ adumbrati reperiantur; licet Spiritus sanctus non sit principium filij, vt Eua Caini, nec vxor patris, vt Eua Adami. (l. de opif. hom. c. 16.) Itaque hic idem Gregor. ait imaginem à suo principe exemplari distare debere; ne si illud ita repræsentet, vt ab eo nihil differat, non iam illa imago sit, sed res ipsa, quæ repræsentatur.

LI. *Ex Augustino reiicitur.*

DIVVS ipse Augustinus cùm de hoc ipso argumento ageret, & sanctissimam Trinitatem tribus animæ facultatibus memoriæ, intellectui, voluntati ipse quoque compararet. (Ep. 102.) *Nec ideo*, inquit, *putanda sunt hæc tria Trinitati sic comparata, vt omni ex parte conueniant; cui enim similitudine in disputando conuenientia tanta conceditur, vt ei rei, cui adhibenda est, omni ex parte coaptetur, vel quando ex creatura ad Creatorem aliquid simile assumitur.* Deinceps autem ostendit, quæ sint in illa similitudine dissimilia. *Iterum ex Gregorio.* Redeo ad Gregoriũ, qui in eo præterea imaginem Trinitatis in homine reperit, quod in animæ nostræ substantiæ vnitate, tanquam in imagine, tres quædam hypostaticæ proprietates ostendantur, animæ nempè con-

ditio, quæ ingenita est, verbi generatio, quæ partim occultè in corde fit, partim generatione corporea ore producitur, in corde nihilominus remanens, ad declarandam duplicem Verbi diuini generationem & tertio Spiritus, siue mentis processio. Addit his etiam, ex quorumdam sapientum sententia, animam nostram in eo diuinam adumbrare Trinitatem, quod vna cùm sit, tres habeat facultates, ratiocinandi, qua scientiam à Deo, ac sapientiam hauriat; concupiscendi, vt eum Deo charitate coniungatur; & irascendi, qua nequitiæ spiritus possit obsistere. Deus autem trinus & vnus tres mundi partes administret, cœlestia, terrestria, subterranea; cœlestia virtute ac potentia conditoris; terrestria prouidentia gubernantis; subterranea castigatione iudicis, ad primum pertineat concupiscendi facultas, quæ ad actionem impellit; ad prouidentiam vis ratiocinandi, quæ maximè in gubernatione cernitur, sicut ira in castigatione apparet.

& aliis apud ipsum.

Quin etiam vt diuinæ personæ referuntur inter se Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Dei ad vtrúmque vt Deum, ita anima, ratio, & mens in homine. Et sicut huius, ita & illius vna & indiuisa est operatio. Quæ omnia si non mutuò inter se ad æqualitatem respondeant, intelligendum est animam nostram non ad æqualitatem, sed ad imaginem quandam typicam esse factam. Hæc pluribus Greg. D. autem Augustinus imaginem sanctissimæ Trinitatis in tribus animi facultatibus agnoscit, memoria, intelligentia, & voluntate, de qua re vide eundem
cap. 11. & 12. l. 10. de Trinit. & Epist. 102. quam paulò antè laudauimus.

Vervm ex communi Theologorum sententia nulla re magis homo diuinam in se Trinitatem refert, quàm cum intelligendo rem aliquam, eiusdem rei verbum producit; ex verbo autem quod est quid amabile, & notitia procedit amor eiusdem. Sicut Deo patre contemplante atque intelligente seipsum, producitur per eam intellectionem Verbum, qui filius est, veráque substantia Patris, inter quos, vt summè perfectos atque amabiles. Amor producitur, qui est Spiritus sanctus, eadem cum vtróque substantia, sed distincta ab vtróque persona. Quæ similitudo in homine esset expressior, si verbum nostrum atque amor non essent accidentia, sed subsisterent ipsa per sese, sicut in diuinis. Neque absurdum est Verbum in sanctissima Trinitate vocari Filium, & quidem iustiore titulo quàm quisquam hominum filium à se genitum posset filium appellare, quippe qui eum non producit quà rationis particeps est, aut vi aliqua atque operatione rationis, sed vt animal, & ea vi quæ ei communis est cum brutis, quorum fœtus scriptura ipsa filios appellat (vt pullum filium asinæ,) sicut ergo quàm maximè propriè filius hominis diceretur, qui ab homine quatenus homo est, ratione & intellectu præditus, esset genitus. Ita maximè propriè filius Dei appellari debet Verbum, quod à Patre vt intelligente, & per vim intelligendi productum est. LII.

In quo ea maximè cernantur.

Verbum quomodo valde propriè filius.

Qvoniam verò neque diuina natura, neque personæ corporeæ sunt, neque in corpore nostro reperiuntur dotes, & ornamenta, quibus ad diuinæ maiestatis consortium assurgimus, ideo deliramenta Antropomorphitarum detestantes, negamus hominis corpus esse ad imaginem Dei, nisi remotè admodum, & impropriè; quatenus in eo præstantia humanæ mentis elucescit, in qua propriè & per se
1. p. q. 93. a. 6. ad 3. est imago Dei, vt docet D. Thomas, cum D. August. *Quid habet homo excellentius*
l. 83. qq. q. 51. & l. 6. de Gen. ad lit. c. 12. *in hac re, nisi quod ipse ad imaginem Dei creatus est? Nec tamen hoc secundum corpus, sed secundum intellectum mentis. Quanquam in ipso corpore habeat quandam proprietatem, qua hoc indicet, quod erecta statura factus est, vt hoc ipso admoneretur, non sibi terrena esse sectanda, velut pecora, quorum voluptas omnis ex terra est, vnde in aluum cuncta pecora prona, atque prostrata sunt. Congruit ergo & corpus eiusdem anima rationali, non secundum lineamenta, figurásque membrorum, sed potius secundum id quod in cælum erectum est, ad intuenda quæ in corpore ipsius mundi superna sunt, sicut anima rationalis, in ea debet erigi, quæ in spiritualibus natura maximè excellunt, vt quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram.* Sic Augustinus, qui sicut ait humanum corpus indicare imaginem Dei, quæ est in anima; ita D. Thomas loco citato ait eam per modum vestigij repræsentari. Certè ad corpus quoque aliquo modo pertinere imaginem Dei, docet hoc ipso loco Moses, qui
c. 1. 27. eùm de illa loqueretur, statim nihilominus subiecit, *Masculum & fœminam creauit*
c. 9. 6. *eos.* Et rursus. *Quicúmque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Si ad solam animam imago pertinet, quid facit hæc LIII.

An, & quatenus imago Dei in corpore humano.

ratio ad exaggerandam culpam effusi sanguinis, qui ad animam non pertinet, sed ad corpus duntaxat?

LIV. *An Deus in humana quadam forma hominem cōdiderit.*

Ex his etiam sequitur, vt Perertius, à Valentia, aliique notarunt, nihil opus fuisse, vt Eugub. in sua Cosmop. & ab Oleastro fingerent, Deum speciem quandam humanæ ac corporeæ naturæ induisse, vt Adamum ad illam similitudinem conformaret; quasi Dei imago corpore debeat, & non potius animo æstimari. Verùm neutrius hæc mens fuisse videtur. Nam hic ad summum voluit Deum finxisse corpus ad similitudinem assumpti corporis, in anima verò diuinitatis imaginem procreasse. Nam inter alia, *Voluit*, inquit, *Dominus hominem se referre, & quantum ad corpus assumptum, & quantum ad spiritum vt corpore corpus assumptum, anima verò spiritum, qui Deus est, monstraret.* Eugub. autem cùm eleganter in describenda pulchritudine atque elegantia corporis à Deo assumpti, ad hominis corpus formandum excurrisset, ita concludit. *Non exclusa igitur interiore mentis similitudine, ad illam quoque formosissimam speciem dicitur homo creatus, in qua creatis omnibus, homini se conspicuum, spectabilémque exhibuit, vt creatorem suum omnibus modis cerneret, agnosceret, omníque posteritati eum prædicaret.*

l. 4. n. 13. disp. 7. q. 1. punct. 1. ad fin.

Eugub.

LV. *Et nominatim Dei Filius. ex Irenæo.*

SED nec absurdum est ipsum Dei filium in humana forma Adamo apparuisse: plerique enim Patrum senserunt multas visiones Patribus veteris Testamenti factas, ab ipso Verbo factas. Qua de re vide Serar. in Iosue, & Perer. in Genes. Nobis duos tresve testes proferre sufficiat. S. Iren. agens de cæco illuminato, scribit eandem manum, quæ fecit lutum & superliniuit oculos cæci, initio sumpsisse limum de terra, & plasmasse hominem; eandem ait, puta per veram corporis humani similitudinem, externámque speciem, non per humanæ substantiæ veritatem. Clemens Rom. *Hunc igitur vnigenitum Deum, & nos prædicamus, & euangelizamus, Deum verbum ministrantem Deo suo, eidémque patri in omnium rerum creatione. Si hæc credideritis, viuetis, si verò non credideritis, pœnas dabitis, &c.* Tertullianus. *Nam & profitemur Christum semper egisse in Dei patris nomine, ipsum ab initio conuersatum, ipsum congressum cum Patriarchis & Prophetis filium Creatoris, &c.* Quam assertionem multis aliis in locis reperias, vt ibi notauit Pamel. Sed ne id paradoxum ipsius putes, Augustini profectò hæc verba sunt. *Nondum venerat*, inquit, *Christus in carne, sicut venit, quando post hæc in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est, verumtamen ab initio generis humani, vel ad arguendos malos, sicut ad Cain, ac prius ad ipsum Adam vxorémque eius, vel ad consolandos bonos, vel ad vtrósque admonendos, vt alij ad salutem suam crederent, alij ad pœnam suam non crederent, ipse vtique non in carne, sed in spiritu veniebat, visis congruis alloquens quos volebat, sicut volebat. Quòd autem dixi in spiritu veniebat, & ipse quidem filius in substantia deitatis, quoniam corpus nō est, vtique spiritus est. Sed quid facit Filius sine Spiritu sancto, vel sine Patre, cùm inseparabilia sint omnia opera Trinitatis.* Et Epist. 111. ait se inconcusse credere, & intelligere Deum non per diuinam naturam atque substantiam, sed assumptam visibili specie, sicut voluit iis apparuisse quibus apparuit, quando per corporis oculos in scripturis sanctis visus esse narratur. Nihil ergo habet absurdi illa Eugubini oratio. *Accessit ergo Filius, ac Verbum Dei ad creationem humanam, in forma, imagine, habitúque humano, gerens speciosissimam, diuinissimámque formam, & iucundissimam, omniúmque humanarum formarum pulchritudinem superantem.*

in Iosu. q. 40. in c. 32. n. 11 l. 5. c. 15.

Clemente Rom. l. 5. constit. Apost. c. 19.

Tertullian. l. 2. contra Marc. c. 27.

Augustino. n. 187. Epist. 99. Baruch. 3. 38.

Et iterum.

Eugubin.

LVI. *Primi hominis pulchritudo ex eodem.*

HANC *speciem diuinámque pulchritudinem, clementissimus formosissimúsque assumens, quam erat post multa tempora vsque ad carnem & ossa assumpturus, creabat hominem largiens ei speciem hanc tantam, ipse primus archetypus; speciosissimus ipse, speciosissimæ prolis creator. Quantam, qualemve credas fuisse primi hominis illius venustatem? quantum in ore decus? quas gratias insedisse, &c.* Aliquanto post, eam speciem ei persimilem dicit quam Petrus vidit in Monte Thabor, Moses in Sina, aut qualem Elias & Moyses in transfiguratione exhibuerunt, vbi dicuntur visi *in maiestate*. Sed illa è contrario in paradoxis numeranda quæ paulò pòst subdit. *Videbat eum se creantem manúsque sibi admouentem fingentémque manibus manus suas & corpus.* Et mox. *Cùm fingeretur homo manus illas diuinas aspexit ambrosiósque vultus illius, pulcherrima brachia corpus suum fingentia, singulósque artus ducentia.* Admodum, inquam, paradoxa hæc sunt. ponunt enim Adamum fuisse antequam esset; quomodo enim videbat nisi per corpus? factum ergo iam erat vt videret, nec tamen fiebat, si iam factum erat. Num anima videbat? at ea corpori formato inspirata, simúlque producta est. Forte dicendum, Adamū

Luc. 9. 31.

Eugubini paradox.

sui creationem posteriore contemplatione vidisse, sicut eam & nos possumus in *explicatū.*
imaginatione meditando figurare.

EXPOSITIS hactenus quæ ad productionē corporis & animi Adami pertinent, sequitur vt eum in paradisum deducamus, si priùs tamen aliqua de eximus donis, quibus animo & corpore cumulatus est, dixerimus; quo de argumento pleni sunt doctorum omnium tam antiquorum, quàm recentiorum libri, vt planè inopem me copia reddat. Ne tamen ieiunum prorsus in tam copiosa messe lectorem dimittamus, pauca quædam libanda sunt. Nam præter ea quæ hactenus dicta sunt, *LVII. Eximia Dei dona homini collata.*
1. quæ primi hominis excellentiam vehementer exaggerant, quinque ex capitibus
2. eius dignitas peti potest, ex sapientia, & scientia, qua Deus intellectum eius or-
3. nauit; gratia & virtutibus, quibus ditauit voluntatem; impassibilitatem, atque
4. immortalitatem, qua donauit corpus eius; dominium in animantia, & originalem
5. iustitiam, quibus totum hominem mirificè nobilitauit.

DEVS igitur Opt. Max. qui hominem condiderat vt esset non solùm Dominus & princeps orbis terrarum, cunctorúmque animantium, sed etiam parens totius humani generis, ac magister, vt illa verba docent. *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, &c.* Voluit vt ab initio ea perfectione corporis & animi præditus esset, qua & propagare genus suum, ipsumque docere, ac seipsum interea gubernare, atque oblectare posset. In eum ergo liberaliter scientiam rerum naturalium infudit, quantam nemo mortaliū, quanuis longa experientia, consequi posset. Neq; enim coueniebat, vt qui liberalissimus fuerat, in cætera rerum supellectile, quæ ad corpus pertinent, subministranda; in scientia, quæ verum est animi pabulum, largienda, parcus esset ac tenax, & permitteret vt ignorantia magnam fœlicitatis illius partem detruncaret: idque affirmare videtur sapiens Eccli. 17. (v. 5. & 6.) vbi agens de primis parentibus, non solùm ait Deū dedisse illi consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor ad excogitandū, quæ ad inuentionem, & experientiam referri possunt, sed addit etiam *disciplina intellectus repleuit illos*, quod ad infusionem scientiæ pertinet; ad quam magis explicandam sequitur. *Creauit illis scientiam spiritus*, in Græco ἐπιστήμην συνέσεως ἐνέπλησεν αὐτούς. *LVIII. Quæ & quanta primi hominis scientia fuerit naturalis.*

IDIPSVM probant communiter doctores ex impositione nominum animantium, quæ nisi ab eo, qui naturam ipsorum & proprietates nosset, peritè fieri non poterat. Vnde Chrysostomus (hom. 14. in Gen.). *Hic considera*, inquit, *sapientiæ eius eminentiam. Nam qui potest congruis nominibus iumenta appellare, & volatilia cæli, & alias bestias, neque ordinem confundit, neque mansuetis animalibus conuenientia feris imponit, neque feris congruentia mansuetis attribuit, sed omnibus suadat nomina, quomodo non omni sapientia, & industria pollet?* Denique de Adami scientia ita scribit Hugo Victori (l. 1. de sacram. p. 6. c. 13.). *Rerum omnium visibilium*, inquit, *quæ cum homine, & propter hominem facta sunt, perfectam cognitionem hominem accepisse nulli dubium esse debet, quantum videlicet vel ad animæ eruditionem, vel ad corporalis vsus necessitatem pertinere videatur.* Sic ipse. *LIX. Quæ agnoscitur ex impositione nominum.*

A qua scientia non satis scienter Caiet. astrorum cognitionem, & elementorum excepit, quorum negat Adamum perfectam habuisse cognitionem. Sed absque fundamento negat, vt fusè docet Perer. (l. 5. n. 23. & 24.) nec est causa cur eam scientiam Deus negare voluisset, qui multo maiores dedisset, & perfectiores, & scientia rerum naturalium sine illis imperfecta sit. Sicut enim res ipsæ magnam inter se cognationem habent, ita & scientiæ, quarum res illæ sunt obiecta. Neque tamen per hanc sciētiam à Deo didicit cognitionem futurorum contingentium, aut secretorum cordis, aut indiuiduorum omnium, quandoquidem ea certa scientia naturali comprehendi non possunt. Cætera ita tenuit, vt amplitudine cognitionis, certitudine, ac firmitate mortales omnes antecederet. An autem etiam Salomonem superarit, consule Pererium (l. 5. n. 31.), Pined. (l. 3. de Salom. c. 10. § 12.) Gregor. de Valentia (disp. 7. q. 2. p. 1.), & Abulensem (In c. 4. 3. Reg. q. 7.), qui Adamo palmam concedunt, vt primo & maximo omnium mortalium Doctori, Pineda politicam scientiam excipit, quem consule. *LX. Habuit astrorum scientiam.*

Propter idem Doctoris officiū, quo Adamum insignitum fuisse dicimus, etiam supernaturali scientia eum præditum esse oportuit, quandoquidem ad finē supernaturalem creatus erat, vt non solùm de eo filios ac nepotes suos erudiret, sed etiam de mediis, ac nominatim de cultu Dei doceret. Fidem ergo habuit, neque *LXI. Quàm supernaturalis quàm multiplex fuit.*

enim claram habuit visionem Dei, beatus enim fuisset, nec lapsus esset, & maiori
quàm ipsi angeli in conditione sua priuilegio donatus. Fidem, inquam, habuit
primo de Deo vt auctore donorum supernaturalium, & remuneratore bonorum
operum, per eadem bona supernaturalia. Nam testis est Apostolus. *Credere oporte-*
re accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit; sine qua fide negat Heb 11. 9.
quemquam posse Deo placere, placuisse autem Adamum postea dicemus. Se-
cundò fidem habuit, & quidem distinctam, & explicitam mysterij sanctissimæ 2.
Trinitatis. *Adam,* inquit Epiphanius init. Panarij, *protoplastus formatus est. Non autem*
erat idololatra, & nouit Patrem Deum, & Filium, & Spiritum sanctum. Propheta enim erat,
& nouit quod Pater dixit Filio, faciamus hominem, &c.

LXII. *Sciuit mysterium incarnationis.* TERTIÒ quoniam Deus ab æterno constituerat, vt per Incarnationis myste- 3.
rium homines finem illum supernaturalem æternæ salutis assequerentur (*non* 4. Act. 12.
enim est, aut fuit vnquam, *aliud nomen datum hominibus, in quo possent salui fieri,*)
non oportuit Adamum, eiusve discipulos id mysterium ignorare. Itaque D.
Thomas fatetur hominem ante statum peccati habuisse explicitam fidē de Chri- 2. 2. q. 2. a. 7
sti Incarnatione, quatenus ordinabatur ad consummationem gloriæ, non autem
ad liberationem à peccato, quia, vt docet D. August. non fuit præscius peccati l. 11 de Gen.
sui; iam tum enim fuisset miserrimus, quæ miseria cum florentissimo illo statu co- ad lit. c. 18.
hærere non potest. Affirmátque ibidem D. Thomas coniunctionem Christi cum
Ecclesia quod *Sacramentum magnum* vocat Apostolus, primo parenti fuisse cogni- Ephes. 5.
tam, cùm dixit, *Propter hoc relinquet homo*, &c. quæ est D. quoque Augustini l. 9. de Gen. ad lit. c. 19.
sententia. Hæc autem cognitio ad mysterium Incarnationis pertinet.

LXIII. *Et historiā Angelorū.* QVARTÒ sentiunt viri eruditi, in quibus Catarinus in ea verba, *Crescite &* 4.
multiplicamini, &c. Pererius, Gregorius de Valentia, Adamo cognitam historiam l. 5. n. 15.
Angelorum; eorum scilicet creationem, & dona eis concessa diuinitus: tum pa- disp 7. q 2. pun. 1.
ctum cum iis initum, de promerenda æterna beatudine, vel amittenda; postre-
mo aliorum constantiam, aliorum ruinam, illorum beatitudinem, istorum dam-
nationem. Estque admodum probabilis ista sententia, tum quia admodum con-
sentanea est illis Scripturæ verbis. *Testamentum æternum constituit cum illis*, hoc per- Eccl. 17. 10.
tinet ad pactum cum primis parentibus initum, de quo postea dicetur, *& iusti*
tiam, & iudicia sua ostendit illis, nimirum quæ paulò antè exercuerat cum Angelis: 1.
tum quia non exigua inde oriebatur vtilitas diuini timoris, ne & ipsi peccarent,
& pari pœna plecterentur. Amoris item in Deum, à quo creati erant, vt amissam 2.
ab illis fœlicitatem consequerentur ipsi, filiique eorum post eos; nec probabile
est Deum illos hoc gemino fructu priuare voluisse.

LXIV. *Non potuit decipi ante peccatum.* DENIQVE tanta fuit Adami sapientia, atque scientia in statu innocentiæ, vt 5.
decipi, atq; in fraudem induci non posset, ne circa ea quidem, quorū cognitio illi
diuinitus data nō esset, vt rectè docuit D. Thomas. Quoniam in huiusmodi rebus 1. p q. 94. art. 4.
suspendisset assensum, & de rei tantùm possibilitate pronunciasset. Idq; consenta-
neum est doctrinæ D. August. qui ait *approbare vera pro falsis, non esse naturam instituti* l. de lib. arb c. 18.
hominis, sed pœnam damnati: quam pœnam prima incurrit Eua, quæ fassa est se à ser-
pēte deceptam, sed iam culpa erat infecta. Audi enim eundem Augustinū. *Quando* l. 11. de
his verbis serpentis *crederet mulier à bona, atque vtili re diuinitus se fuisse prohibitos, nisi iam* Gen ad lit.
inesset menti amor ille propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio, quæ per illam ten- c. 30.
tationem fuerat conuincenda, & humilianda. Sic ipse. Sed iam satis multa de scientia,
ornamento intellectus, transeamus ad voluntatem.

LXV. *Conditus est in gratia sine iustitia & sanctitate.* DE gratia ergo cum communi Catholicorum sententia, dicimus Adamum di-
uina gratia statim ab ortu suo fuisse donatum, vt cum ea promereri posset æter-
nam beatitudinem, quæ ipsi quoque proposita fuerat quasi corona iustitiæ. Hoc
sine dubio volebat Apostolus cum scriberet Ephesiis. *Renouamini spiritu mentis ve-* Eph. 4 23.
stræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate ve-
ritatis. Qui renouari iubetur, inquit Bellarminus, *fuit aliquando nouus. Quod si renoua-* c 4. l. de
tio consistit in eo, vt induamus hominem Christo similem, creatum secundum Deum in iustitia grat. pri.
& sanctitate veritatis. Fuimus igitur aliquando, videlicet in primo nostro parente homines no- hom. c. 3.
ui conditi secundum Deum, in iustitia, & sanctitate veritatis, id est phrasi Hebræa, vera
sanctitate, quæ in gratia gratum faciente consistit, sed pergit. *Dicit autem B. Paulus,*
renouamini spiritu mentis vestræ. Tum vt intelligamus in Adamo non solum carnem, sed etiam

mentem

mentem nostram fuisse vitiatam per amissionem gratiæ: tum quia non renouamur in hoc mundo ad eam innocentiam, quæ fuit in carne primi hominis, sed solùm ad eam quæ fuit in mente, expectantes interim redemptionem corporis nostri, vt idem Apostolus ait. (Rom. 8.) Hæc Bellarm. & deinceps alia plura ex sanctis Patribus Irenæo, Cypriano, Basilio, Ambrosio, Nazianzeno, Augustino, Chrysostomo, Cyrillo, Leone, Gregorio in eandem sententiam. Mihi sufficit illa Ecclesiæ Catholicæ definitio in Trid. sess. 5. *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, &c. anathema sit.*

LXVI. *Eadémque infusæ virtutes.*

CVM hac autem gratia, simul infusæ sunt illæ virtutes, & dona Spiritus sancti, quæ gratiam perpetuo comitantur, quarum officium est tam superiores, quam inferiores animæ vires rectè componere, tam secundum Deum, quàm ex recta ratione, sed cùm aliqua differentia. Nam quæ nullam supponunt imperfectionem, vt Charitas, iustitia, &c. In eo tam habitu fuerunt quam actu: at quæ imperfectionem supponunt, illi fœlicissimo statui non congruentem, vt pœnitentia, & misericordia, in eo habitu tantum fuerunt; qua de re consulendus est S. Thomas, & eius interpretes. (1. p. q. 95. a. 3.)

LXVII. *Ornamenta corporis Adæ.*

IAM quod ad corpus attinet, prætet omnia illa ornamenta, quæ nunc quoque in humanis corporibus cernuntur, nobilitatis, pulchritudinis, roboris staturæ, complexionis, optimæque dispositionis organorum, vt posset egregiè functionibus animi famulari, aliud etiam additum est, quod pænè his omnibus præponderabat, impassibilitas videlicet, atque immortalitas.

Nobilitas.

Nobilitas certè terreno corpori maior optari non poterat, quàm habere architectum & factorem ipsum Deum: nulla gloriosior affinitas, quàm animæ rationis compoti, quæ imaginem Dei indelebilem ferat, esse quasi coniugio longè iucundissimo, atque inseparabili copulatam.

Pulchritudo.

(n. 56.) Nulla pulchritudo maior Adamo, quàm vt illi simillimus esset, qui fuit speciosus forma præ filiis hominum, vt ex Eugub. dicebamus, qualis in monte Thabor enituit, qualem conueniebat esse eam, quam Deus sua ipse manu figurasset, cuius internas omnes externásque partes elegantissima proportione commensurasset, cui suo illo halitu suauissimo, lucis fulgorem, atque amabilem coloris suauitatem dedisset.

Robur.

Quantum porro fuerit eius robur, quæ firmitas laterum, quis neruorum vigor, quis contextus musculorum, docet nongentorum & triginta annorũ ætas, nullo, quod sciatur, languore debilitata, eadémque in multorum sęculorũ posteros propagata; etsi fortassis illam totius corporis firmitatem nõnihil tam diuturna pœnitentia, tam multiplex tristitia, de tot tantísque bonis, sibi suísque amissis, afflixerit.

LXVIII. *Statura.*

(1 Reg 10. v. 23. & 24. l. de opif. hom. c. 4.) STATVRA non solum recta fuit, vt cæteri mortalium, sed celsa atque erecta, qualem elegit Dominus in Saüle primo rege populi sui, qualem decebat imperatorem orbis terrarum, vt significat Nyssenus. Et sanè communis est nunc sensus hominum, omnes illos Patriarchas grandiore corporis statura fuisse præditos, vt ab ipso initio futuris corporum decrementis prouideretur: quò illud pertinet in homunciones crebro iactatum. *Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.* &, *Qualia nunc hominum producit corpora tellus.* (lib. Aeneid. 12. de emend. tēp. c. 4. Iosue. 14. fi.) Adeò vt nonnulli giganteam illis membrorum molem tribuerint, vt Ioannes Lucidus Adamo, qui etiã se Scriptura niti putabat, in qua legitur, in Cariatharbe Adam maximum inter Enacim, id est, gigãtes esse sepultum. Verùm satis constat ibi Adam esse nomen appellatiuum non proprium, quomodo vertit Andræas Masius, & Pagninus, & Tigurina. Idque totum à Septuaginta prætermissum est: & vt esset proprium, non est necesse id epithetum ad granditatem membrorum potius, quàm animi pertinere magnitudinem. Denique scriptura satis indicat ortum gigantum ad posteriora tempora propinquiora diluuio esse referenda. Vt ex 6. Genes. Pererius annotauit.

Complexio.

Iam illa attemperata humorum proportio, si qua vnquam excellens in aliquo mortalium fuit, in primo certè atque secundo Adamo fuit; quoniam vterque habuit immediatum fabricatorem Deum, cuius omnia perfecta sunt opera; & si quo alio in opere, hic certè omnia in mensura, & numero, & pondere disposuit, cuius rei validum testimonium inuiolata, vtriúsque sanitas esse potest.

Dispositio organorũ.

Denique neque id dubitandum videtur, quin organa externis internisque

sensibus necessaria, perfectissimè digesta essent, vt quæ diutissimæ vitæ functionibus rectè constanterque obeundis seruire oportebat.

LXIX. *Primi hominis immortalitas.*

QVÆ tamen necesse erat tandem aliquando marcescere, & in interitum vergere, id enim exigit elementorum inter se pugnantium compages, nisi Deus illum singulari munere immortalitatis, quæ maximè esu pomi vitalis arboris constabat, ab interitu vindicasset; vt propterea istiusmodi immortalitas non esset impotentia moriendi, qualis est in anima rationali, in angelis, & ipso Deo, sed potentia non moriendi, qualis modo in hominibus nulla reperitur. Hæc omnino mens est D. Augustini l. 6. de Genes. ad lit. vbi agens de Adami corpore. *Illud quippe*, inquit, *ante peccatum, & mortale secundum aliam, & immortale secundum aliam causam dici poterat; id est mortale quia poterat mori: immortale quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creauit Deus: aliud autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis, quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ: à quo ligno separatus est cùm peccasset, vt posset mori, qui nisi peccasset, posset non mori.* Verùm quoniam aliundè etiam morbi & interitus in hominem irruunt externis scilicet internísque causis, quæ illæ sint, & quî diuinitus ab illo innocentiæ statu excluderentur ex Pererio breuiter & accuratè accipere potes[11]. Concludimus ergo hunc locum illa breui Augustini sententia. *Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem* multiplici *beneficio conditoris.*

(c. 25. — l. 5. n. 142. & 143. — 11. ℞. l. 6. c. 25.)

LXX. *Eiusdem dominium in animalia.*

RELIQVA duo sunt hominis priuilegia, quæ communiter totum ipsum hominem attingunt, dominium in animantia, & iustitia originalis. Quanuis autem id dominium non prius homini verbo datum fuerit, quàm producta esset Eua, vt ex ipsis Dei verbis apparet, quæ ad vtrunque simul diriguntur, de ipso tamen hoc loco dicendum est consequenter, ne coniunctam natura materiam, locis ac tractatione distrahamus. Id dominium Deus tum verbo ipso attribuit, & in eius quasi vsum ac possessionem misit, cùm ait, *Replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, &c.* In signum tamen tam destinati, quàm naturaliter debiti Adamo dominij, animantia ad ipsum, Eua nõdum creata adduxit. Auctor huius rei mihi locuples S. Chrysost. *Factum autem hoc est*, inquit, *non vt discamus illius sapientiam solùm, sed vt & symbolum dominij per nominum impositionem cognoscatur. Nam & hominibus mos est hoc facere in signum dominij, vt cùm seruos emerint, ipsorum nomina mutent. Vnde & Adamum instruit, vt omnibus brutis tanquam dominus nomina indat.* & infra, *Vidisti consummatam potentiam? vidisti dominij auctoritatem? perpende cum aliis etiam hoc, quod & leones, & pardi, & vipera, & scorpij, & serpentes, & alia omnia etiam illis truculentiora, ad illum quasi dominum omni cum subiectione accesserunt, & nomina acceperunt, nec vllum istorum veritus est Adam.* Imo vice versa testatur Ecclesiasticus Deum posuisse timorem Adami super omnem carnem, & dominatum esse bestiarum, & volatilium. Cuius rei signum est, quod Eua nihil congressum serpentis exhorruit, tanquam innoxij, familiaritérque subiecti.

(c. 1. 28. — homil. 14. in Gen. — c. 17. 4.)

LXXI. *Homini datum, ad congruam subordinationem rerum.*

RECTE autem hoc dominium datum est homini, cui data est imago omnium Domini ac conditoris, vt superius dicebamus. Id etiam legitimus ordo, quem Deus in rebus constituerat, exigebat, vt esset quædam subordinatio inter creata omnia, vt quæ imperfectiora essent perfectioribus, & quæ inferiora superioribus subiicerentur: vt non solùm singulæ res, pro captu suo, diuinam prædicarent magnificentiam, sed vniuersæ cùm eleganti harmonia mutuas sibi vires atque operas ad eiusdem prædicationis perfectionem conferrent; sunt enim sibi mutuo, quasi altera alterius finis. Terra enim ad germinandum herbam virentem exerit vires suas, herbæ vsui sunt animantibus brutis, eisque quodammodo seruiunt, bruta hominibus, homines Deo. Adde quod dominium sine prudentia & ratione, qua bruta destituta sunt, rectè exereeri non potest, ideóque iure ipso naturæ mulier, quæ minus prudentia valet, quàm vir, audiuit, *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*

(n. 41. — Genes. 3. 16.)

LXXII. *Eius indicium etiã, naturalis hominis indigentia ex Nysseno.*

QVIN & illud, quod olim aliqui ingratè, insulséque iactabant, quasi idoneam in diuinam munificentiam querelam, quod hominem sine armis, sine vestibus, cæterísque necessariis rebus produxisset, non tam inopiam eius prodit (quippe mens manúsque, quibus donatus est homo, instar omnium aliorum sunt, vt disserit eleganter Gregorius Nyssenus) quam eiusdem imperium,

(l. de opif. hom. c. 7 & aliq. seqq.)

atque dominium; in cuius, vt principis sui, vsum, ac seruitutem, omnia animantia tributum suum pensitent perpetuo. Non enim si rex est homo, mundique huius aspectabilis Dominus, ideo nulla re indiget, imo & multis omnino ad tantum imperium ritè administrandum. Id vnius Dei priuilegium est, *vt bonorum nostrorum non egeat.* (Psal. 15. 2.) In eam sententiam Nyssenus loco citato. *Imperium*, inquit, *in res cæteras homo non occupasset, quando eis etiam imperio suo subiectis, nullam ad rem eguisset. Nunc hac ipsa de causa singula, quasi mancipia nostra, diuersos ad vsus vitæ deslinauimus, vt omnino nobis necesse sit ipsis cum imperio præesse. Itaque cùm ob corporis exiguitatem, loco non satis agiliter moueamur, equum scilicet deuictum ad vsum nostrum accitumus. Corporis nuditas, vt in oues imperium necessariò vsurparemus, effecit, quo ex annuis earum lanis, quod natura nostræ deerat sumeremus, &c.* fusius enim hæc Nyssenus persequitur. LXXIII.

Sed fuisset etiam sine necessitate dominium.

Verum hæc naturæ contemplatio & dominij humani in cætera animantia, præsentem hominum statum, innumeris post peccatum necessitatibus circumuentum intuetur. In statu autem innocentiæ, animalia quidem necessaria non erant, vt docet D. Thomas. (1. p. q. 9. a. 2. ad 3.) Nam neque ad tegumentum, vt qui nec nuditatem erubescerent, neque aëris iniurias timerent: neque ad cibum, quia paradisi fructibus abũdè vescebantur: neque ad vehiculum, propter corporis robur, agilitatem, ac vigorem, sed tamen vsui futura erant vt scientiam experimentalem de eorum naturis acquirerent. Itaque etiam citra necessitatem summo in bruta imperio dominabantur, eisque pro arbitrio ad scientiam, delectationem, animíque recreationem vti potuissent. Nec minus tunc leones & elephanti nostris mandatis obnoxij erant, quàm nunc equi & muli. Quid ergo est, inquies, quod eorum naturam efferauit? num intelligẽtia tunc præditi erant, vt intelligerent sibi esse homini obtẽperandum? certè peccatũ ne hominis quidem naturã, nedum animantiũ mutauit.

LXXIV. *Bestiarum subiectio alia est ab obedientia earum.*

(1. p. q. 96. a. 1.) Respondeo ex D. Thomæ & Caiet. doctrina, distinguẽdum esse inter obedientiam & subiectionem. Subiectio enim & animalium homini, & virium inferiorum rationi est naturalis, obediẽtia verò vtrorúmque erat supernaturalis. Gratia enim perficiebat naturam: & quod natura subiecerat, gratia obsequens reddebat: sic igitur vtrobique obedientia perdita, quia supernaturalis, subiectio naturalis remansit cum pugna. (vide infra die 13. n. 54.) Huius naturalis subiectionis, quæ ex diuina in homine imagine dependet, argumentum est, quod etiam post peccatum dixit Deus Noë, & filiis eius. (Gen. 9. 2.) *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis quæ mouentur super terram, &c.* Sed pugna nulla fuisset, sicut nonnulli sanctissimi viri suo exemplo probarunt, qui crebro trucibus expositi bestiis, eas non leones, sed catulos sunt experti, vt de iis vsurpari posset quod Sapiens de Dauide dicebat. (Eccl. 47. 3.) *Cùm leonibus lusit, quasi cum agnis, & in vrsis similiter fecit, sicut in agnis ouiũ.* Sic Daniel leones, & Eliseus vrsos habuit obsequentes, non diuersa natura, sed dissimili obsequio.

LXXV. *Quæ conciliarent hoc obsequium in statu innocentiæ.*

Ad hoc obsequium conciliandum, duo maximè valebant in statu innocentiæ; alterum est singularis hominis solertia, atque industria in ipsis edomandis, quod pendebat ex accurata cognitione naturarum, proprietatum, & propensionum huiusmodi animaliũ, quibus vtẽs homo facilè illa mitigasset, & in propriã redegisset seruitutem; quod etiã nũc, in ista corruptione naturæ, in ipsis leonibus cernimus. Vidi certè puerulum Biturigibus cum leæna prægrandi lusitantem, & in illa, sicut in asina, equitantem, eíque plagas pene ad defatigationem incutientem: gemebat illa cum fremitu, oculósque rotabat igneos, rictu oris tremendo, & nihilominus ad omnem motum quem eques exigeret inflectebat sese. De hac multiplici hominis industria audiendus est D. Augustinus. (l. 6 de Gen. ad lit. c. 14.) *Si enim homini donauit Deus, sic eũ instituẽs, vt etiam carnem peccati portans possit non solũ pecora & iumenta, suis vsibus subdita, nec tantũ domesticas aues, sed etiam liberæ voluntatis quaslibet etiam sæuas feras, & capere, & mansuetas facere, & eis mirabiliter imperare, potentia rationis non corporis, cùm earum appetitus & dolores captans, paulatímque illectando, premendo, laxandóque moderans, agrestes eas exuit consuetudine, & tanquam humanis moribus induit, quanto magis angeli hoc possunt, &c.* Dicamus nos, quanto magis hoc homines in statu innocẽtiæ potuissent? Certè D. Iac. in sua can. (c. 3. 7.) *Omnis*, inquit, *natura bestiarum, & volucrum, & serpentium & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana;* & quidem etiam post peccatũ; nisi fortè placet excipere minuta quædam animalia, quæ Deus ad hominis fastum comprimendum illi

innumeras permittit exhibere molestias, nec vlla industria, vel arte cicurari, vt muscas, cynifei, locustas, & id genus alia, vt notauit Hugo de S. Victore. In Gen. 2.

Alterum est eximia & singularis Dei in hominem innocentem cura & prouidentia, quam per angelos suos exercebat, qua fiebat, vt animalia non solùm homini non nocerent, sed illi etiam facile subiicerent sese. Cuius rei argumentum est illa omnis generis animalium deductio facta ad Adamum, adhuc iustitia originali præditum, de qua postea dicemus ex Augustino, atque adeo quæ longè post facta est ad Noëmum imminente diluuio, vt notauit Peretius. Quibus adde etiam potentiam, quam vocant, æstimatiuam brutorum, apprehendentem hominis potestatem in particularibus rebus. l. 9. de Gen. lit. c. 14. l. 4. n. 66. & 8.

LXXVI. *An tunc etiam in homines fuisset Dominium.*

SED quærat etiam aliquis, vtrum homini in homines datum sit dominium, cùm scriptura illud in animantia duntaxat videatur concessisse; quæ causa fuit D. Augustino vt diceret, hominem rationalem ad imaginem suam factum, non voluit Deus nisi irrationalibus dominari; non hominem homini, sed hominem pecori. Accedit & illa ratio, quod hoc dominium in homines in pœnam peccati videtur fuisse concessum, ideo enim Eua audiuit post peccatum, *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* l. 19. de ciuit. c. 20. Genes. 3. 16.

Duplex Dominium.

Respondet autem eleganter D. Thomas. Dominium quod opponitur seruituti, in qua homo industriam, & laborem suum ad alterius vtilitatem referre cogitur, non fuisse datum Adamo, nec in eo statu locum habiturum. Id autem dominium quod opponitur subiectioni, qua qui subest, à prudentiore dirigitur ad suam vel communem vtilitatem, in fœlici illo statu inuentum iri. Illa quippe seruitus pœna peccati est, ita subiectio nullum ponit peccatum, cùm etiam in beatis angelis, quorum maior est dignitas quàm hominum, ordo Dominationum reperiatur. Nec aliter sensit Augustinus quippe qui eodem libro dicit, *Iustos non dominandi cupiditate imperare, sed officio consulendi: hoc naturalis ordo præscribit*, inquit, *ita Deus hominem condidit.* Subiectio autem mulieris, quę iucunda futura erat, omnísque expers molestiæ, propter eximiam viri mansuetudinem & prudentiam, dura & coacta esse cœpit. 1. p. q. 96. a. 4. l. 19. c. 14.

LXXVII. *Quem ad finem data iustitia originalis.*

RESTAT iustitia originalis, quam non ad animum solùm, sed ad corpus etiam pertinere diximus: vt facilè intelligetur ex iis quæ perspicuè & eleganter disserit Bellarminus. Hominem scilicet naturaliter anima & corpore constare, quorum illa, vtpote spiritus, spiritualia naturaliter appetit, & cognata est cum Angelis; corpus autem, quod illi commune cum brutis, etiam in sensibilia bona propendet; ex quibus diuersis propensionibus, nascitur in vno eodémque homine pugna non leuis, & ex ea grauis ad benè agendum difficultas, dum vna propensio alteram impedit. Huic morbo ex conditione materiæ orto, vt diuina prouidentia mederetur, addidit insigne donum iustitiæ originalis, qua veluti aureo quodam fræno pars inferior parti superiori, & pars superior Deo facilè subiecta contineretur. Sic autem eo dono fuit subiecta caro spiritui, vt non posset ipso inuito moueri, neque ei rebellis fieri, nisi ipse fieret rebellis Deo; in potestate tamen spiritus, propter arbitrij libertatem fuit rebellem Deo fieri, vel permanere obsequentem. Id donum faciebat hominem omni ex parte rectum, & ad superiora & corpore & animo aspirantem, & sine vlla difficultate assurgentem; qui nunc ita corpore & animo ad terrena abiectus est, vt verè ille insultans dixerit. n. 59. t. 4. l. de grat pri. homin. c. 5. Eccl. 7. 30.

O curuæ in terras animæ, & cælestium, inanes. Pers.

Et alius: *Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant*
Antehac, dementi sese flexere ruina? Enn. apud Cic.

LXXVIII. *Fuit id donum supernaturale.*

PORRO fuit id donum supernaturale, vtpote homini datum, non ex principiis naturæ profluens, sed ex mera Dei munificentia concessum, vt docet D. Thomas. *Alioqui*, inquit, *post peccatum mansisset, cùm etiam in dæmonibus data naturalia permanserint.* Itaque non magis differt status hominis post lapsum Adæ, à statu eiusdem in puris naturalibus, quàm differat spoliatus à nudo; aut puer aliquis omnium rerum egenus, ascitus in amplissimam familiam, moxque à Patre familias propter intemperantiam eiectus, & pristinæ paupertati restitutus. Eadem etiam sentit Peretius. 1. p. q. 95. a. 1. l. 3. n. 88.

SED videamus quid eſſet iuſtitia hæc originalis id explicat eleganter idem Pe- LXXIX. *Et multorũ habituum complexio.*
rerius, ſtatuítque eam non fuiſſe vnum aliquem habitum, vel vnum aliquod Dei
donum, quo totus homo rectus ac perfectus euaderet, ſed fuiſſe quandam mul-
torum habituum complexionem, quibus homo ſecundum omnes vires ac facul-
tates ſuas perficiebatur, & reddebatur idoneus, ad perfectè & expeditè exercen-
das actiones omnes naturæ ſuæ conuenientes. Non poterat quippe vnus & idem
habitus tam diuerſas inter ſe corporis & animi facultates regere, aut in tam diffe-
rentibus ſubiectis reſidere. Et ſanè multiplicia vulnera naturæ, quibus per pecca-
1. p. q. 85. a. 3. tum afflictus eſt homo, id non obſcurè indicant, quæ Theologi cum D. Thoma
quatuor agnoſcunt, vnum in intellectu obſcurato, alterum in voluntate deprauа-
ta, tertium in concupiſcibili exardeſcente, quartum in iraſcibili languente, quæ
ſunt ignorantia, malitia, concupiſcentia, & infirmitas, quibus iuſtitia originalis
per varios habitus medebatur.

ITAQVE in ſpeculatiuo intellectu continebat omnes ſcientias ſpeculatrices LXXX. *Tam in intellectu.*
rerum omnium, quæ naturaliter ſciri ab homine poſſunt, philoſophiam ſcilicet
omnem, ac mathematicas diſciplinas. In intellectu practico, circa ea quæ agen-
da ſunt homini, tam publicè quàm priuatim, exquiſitiſſimam prudentiam, ſcien-
tiáſque morales omnes: atque adeo artes illas quæ vulgò dicuntur liberales, & li-
Peter. l. 5. n. 97. beralibus affines, Rhetoricam, poëſim, pingendi fingendique artes, agriculturæ
D. Tho. 1. peritiam, legendi, ſcribendique notitiam. Si tamen placet ex iis quæ Adamo, vt
p. q. 94. a. 3. c. & q. 101. ad 1. capiti humani generis, conceſſa exiſtimantur, de tota poſteritate innocente face-
re coniecturam. Illud tamen ſine dubitatione ſentiendum, virtutem fidei, quæ in
vtróque intellectu locum habet, in eadem iuſtitia contineri.

IN voluntate quatuor erant habitus, ſpei, charitatis, & religionis in Deum, LXXXI. *Quam voluntate in qua habitus ſpei, charitatis, religionis, ac iuſtitiæ.*
iuſtitiæ in proximum. Addo habitum naturalis charitatis præter mentem aliquo-
rum exiſtimantium ſuperfluum fuiſſe hunc habitum, quoniam in ſtatu innocen-
tiæ voluntas erat recta ſua ſponte, & quaſi pondere naturali ferebatur ad diligen-
dum Deum ſuper omnia, ſicut intellectu agnoſcebat eum ſuper omnia eſſe ama-
bilem. Nec ille impetus voluntatis ab inferiore appetitu vllo modo retardabatur.
Verùm hæc ratio, niſi ego valde fallor, ſupponit quod quæritur, voluntatem ſci-
licet eſſe in ſtatu innocentiæ, & propẽſam in Deũ, cùm nos eam ſupponamus eſſe
in puris naturalibus, vt loquũtur, in quo ſtatu corporis & animi appetitus ad obie-
n. 77. cta ſibi pugnantia ferebantur, vt ante dicebamus cum Bellar. eámque voluntatẽ in
ſtatu innocentię per diuerſos habitus, id eſt, iuſtitiam originalem conſtituere veli-
mus. Deinde ſi naturali impetu lata eſſet volũtas ad amandum Deũ ſuper omnia,
Deum inquam cognitum ſummo amore amabilẽ, certè nec habitus religionis in
eadem voluntate ponendus eſſet, quippe quæ naturali etiam impetu feratur, ad
ſummam illam maieſtatem congruo honore, cultúque proſequendam. Et nihilo-
minus iidem habitum religionis erga Deum in voluntate conſtituunt.

IN appetitu porrò ſenſitiuo, qui duplex eſt, concupiſcibilis, & iraſcibilis regna- LXXXII. *Et appetitu ſenſitiuo, & quæ ratio nominis iuſtitiæ originalis.*
bat iuſtitia originalis, vtens duabus virtutibus adminiſtris, temperantia & fortitu-
dine, quibus habitibus hæ facultates perficiuntur. Hæc autem habituum com-
plexio rectè dicitur iuſtitia originalis; iuſtitia quidem, quia eſt naturalis perfectio
totius hominis, omniúmque facultatum eius, & inter ſe, & in ordine ad ſuos cu-
iúſque actus, ratione cuius dicitur Deus feciſſe hominem rectum. Dicitur origi-
nalis, quod eam ab origine ſua homo habuerit, & deinceps habituri eſſent omnes
homines, & quod per originalem generationem transfundenda eſſet in eius po-
ſteros, quod ad virtutes attinet, non tamen quod ad ſcientias, vt fert communis
opinio, non quidem poteſtate ſeminis, aut vllius cauſæ naturalis, ſed proximè à
Deo, ſicut ipſa anima rationalis.

TRES autem erant præcipui iuſtitiæ huius effectus, prout à gratia gratum fa- LXXXIII. *Tres iuſtitiæ huius effectus.*
ciente diſtinguebatur, quæ intuebatur ſupernaturalem finem, & amiſſa recupera-
1. ri poterat, non illa iuſtitia. Primus effectus erat quod ſuperiorem animæ partem,
id eſt, rationem & mentem ita Deo ſubiiciebat, vt poſſet ſine vlla culpa veniali
omnia naturalia præcepta ſeruare, & eatenus rectè ſe habere erga illum, tanquam
2. naturæ auctorem. Secundus, quod partem inferiorem ſiue ſenſitiuam ſubiiciebat
penitus parti ſuperiori, ita vt nunquam, niſi ex præſcripto rationis, moueretur.

Tertius, quod subiciebat corpus animæ, sic vt neque animam vlla ratione degrauaret, neque vllo modo immutari posset, contra voluntatem, ac naturalem animæ propensionem; vt iam per morbos, & mortem, résque noxias perturbatur. Sic distinguit hos effectus Gregorius de Valentia ex doctrina D. Thomæ. Itáque sentiunt reliqui Theologi recentiores disputantes contra Sotum, qui gratiam cum originali iustitia magna ex parte confundebat. His ergo quæ ad animi corporísque humani dotes pertinent, quibus primus homo liberalissimè donatus est, magna sanè breuitate decursis, ad extrinsecam quandam excellentiam, quæ ex loci, cuius fiebat incola, dignitate pendebat, transeundum est, paradisum, inquam, terrestrem. In quo, tametsi deliciosissimo loco, breuis nobis mora facienda est, cùm de eo suo loco, id est, tertio die mundi actum sit, & Moyses de eo tantùm, ex occasione inducti in eum hominis, egerit.

3. — d. 7. q. 2. punct. 2. — 1. p. q. 95. a. 1. — n. 26. & seqq.

LXXXIV. *Homo ducitur in paradisum.*

HOMO igitur factus in animam viuentem, ab eo ipso, qui eum ad imaginem & similitudinem suam condiderat, in paradisum triduo ante præparatum inducitur. Extra paradisum enim formatum fuisse hominem apertè docet Moses, cùm enim dixisset formatum hominem de limo terræ, & factum in animam viuentem, omissam die tertio paradisi descriptionem inseruit, qua explicata. *Tulit*, inquit, *Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis.* Quomodo verè diceretur sublatus, & positus in paradiso, si in eo conditus fuisset? Nam in ea verba Chrysostomus. *Vide quantum honorem statim homini dedit; extra Paradisum quidem formauit illum, sed mox introduxit, vt reipsa sensu beneficiorum frueretur, sciretque quantus illi honor esset concessus.* Sic ipse, vbi non negligenda illa vox, *introduxit*, εὐθέως αὐτὸν εἰσαγαγών. Innuit enim speciem visibilem deducentis; consentaneè illis, quæ paulò antè dicebamus. Extra paradisum creatum confirmat quoque Ambrosius, Rupertus, Magister, D. Thomas. *Vt hoc*, inquit, *gratiæ Dei imputaretur, non humanæ naturæ.* Idem habent Caietanus, Lipomanus, Pererius, & alij recentiores. Ea deductio ante formationem Euæ facta est, quippe quæ in paradiso, de costa dormientis Adæ producta est: id series narrationis ostendit, cùm præsertim inde eiectam eum viro sciamus, nusquam tamen reperiamus introductam.

c. 2. v. 7. & 15. — homil. 13. — n. 54. & 55. — l. de parad. c. 4. — l. 2. in Gen. c. 4. & l. 2. c. 30. — 2. sent. d. 17. — ea 1. p. q. 102. a. 4.

LXXXV. *Quæ fuerit ista translatio,*

QVOD ergo dicitur Dominus tulisse hominem, vt habet vulgata editio, & aliæ passim omnes Pagnini, Caietani, Tigurina, Chaldaica, aut sumpsisse vt Hieron. & Augustinus, aut apprehendisse vt Ambrosius, notant omnes interpretes, (excepto Eugubino) Adamum extra paradisum factum esse, Euam autem in eo. Ambrosius nominatim ait Dominum apprehendisse Adamum, cùm esset in terra plasmationis suæ, eúmque in paradiso collocasse. Quo loci aduertit, etsi extra paradisum vir factus est; & mulier intra paradisum, virum tamen meliorem fuisse, quippe qui posterius peccarit, & à muliere illectus.

qq. Hebra. — l. 8. de Gen. ad lit. c. 8. & 11. — l. 1. de paradiso c. 4.

LXXXVI. *Et vnde.*

QVÆ autem fuerit terra illa plasmationis Adæ, quam tangit Ambrosius, constare non potest, nisi reuelatione diuina, præsertim cùm nondum diuisæ, ac denominatæ essent regiones. Audi tamen Lipom. in catena. *Communiter dici consueuit primum hominem in agro Damasceno de limo seu puluere terræ formatum extitisse, sed ex quo saltem idoneo loco hoc eruatur, ignoratur.* Idē significat & Lyranus hoc loco & Genebr. init. Chron. aliis Hebræis terram Israeliticam ambitiosè suggerentibus, neutrum satis probabiliter propter distantiam, statim enim cum nouo miraculo in hortum per multa terrarū spatia transferendus erat. Sed vt Hebræis amore patriæ peccātibus ignoscamus, non tamen peccare cum peccantibus æquum est. *Satis tamen ex hac scriptura patet*, ait idem Lipom. *non conditum primum hominem in paradiso, sed extrā eum, & deinde à Domino Deo angelico ministerio in eundem fuisse introductum, tanquam in conuenientem status innocentiæ locum. Facta autem fuit fortè translatio illa subito, non tamen in instanti, quemadmodum Angelus tulit Abacuc de Iudæa in Babylonem, iuxta hoc, & infra habetur, quod tulerit etiam Dominus Enoch, quem etiam in Paradisum tunc transtulit.* Sic ipse. Potuit etiam Dominus, interiore motu Adamum docere, quo ipsi eundem esset, puta in paradisum voluptatis, habitationi suæ destinatum atque præparatum, eóque iuisse quasi diuina illum inspiratione ferente, quomodo dicitur Dominus Iesus à spiritu ductus in desertum, aut potius quomodo dicitur tulisse Abraham de Mesopotamiæ finibus, quem tantùm vocauit. Denique opinari licet Adamum eò Angeli ministerio deductum fuisse, sicut Tobiam à Raphaële, vt putat Perer.

Dan. 14. 35. — Iosu. 24. 3. — Gen. 12. 1. — l. 4. n. 113.

die text. n. 15. Act. 8. 39. 40.

& Torniellus, præsertim si vicinus fuit locus, in quo formatus est; si autem remotus, raptum magis dicere conuenit, vt Philippum in Azotum, vt satis esset temporis reliquis rebus, quæ adhuc hac ipsa die erant agenda.

LXXXVII. *Et quem in finem.*

ADDIT Moses huius deductionis finem, etsi enim facilè erat intelligere eo translatum, vt illic habitaret, distinctius tamen expressit, *vt operaretur, & custodiret illum.* Noluit otio torpescere Adamum, aut prosperitate insolescere, vt ait Chrysost. sed rationem habere cum terra, & voluptates agricolarum longè suauissimas degustare, laboriosa operatione seclusa. Ex quo æstimare potes quàm vera sint illa vulgo intacta.

hom. 14.

Ipsa quoque immunis, rastróque intacta, nec vllis
Saucia vomeribus tellus inarata ferebat.
Nec renouatus ager grauidis canebat aristis.

Quæ tam vera sunt, quàm quæ ibidem subdit,

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant.

Quæ tamen merito vsurpes ad terræ fertilitatem exaggerandam. Nam Scriptura vocat regionem Chanaam terram lacte & melle manantem.

LXXXVIII. *Custodia Paradisi Adamo credita.*

1. p. q. 102. a. 3. l. 8. de Gen. ad lit. c. 9 & 10.

VOLVIT etiam Adamum hortum sibi custodire, ne ipsum peccando amitteret, vt ait D. Thomas, ex D. Augustino. *Quid ergo,* inquit, *abhorret à vero, si credamus hominem ita in paradiso constitutum, vt operaretur agriculturam, non labore seruili, sed honesta animi voluptate? Quid enim hoc opere innocentius vacantibus; & quid plenius magna consideratione prudentibus? vt custodiret autem, quid? an ipsum paradisum? Contra quos? Nullus certè vicinus metuebatur inuasor, nullus limitis perturbator, nullus fur, nullus aggressor.* At certè bestiæ excluduntur ab hortis, & à segetibus, & satis, & locis quibus nocere possent, quod quis dubitat etiam in paradiso contingere potuisse? nisi fortè sapientiora illa animalia dicamus fuisse nostratibus; & nihil periculi sit, fueritve, ne

4. Georg. init.

—— oues, hædique petulci
Floribus insultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, & surgentes atterat herbas.

l. 4. n. 134.

Quin ipsemet August. paulò pòst, *Custodiret autem non aduersus improbos & inimicos, qui nulli erant, sed fortassis aduersus bestias, non quidem ne sæuirent in hominem, sed ne rebus eius nocerent.* Itaque sentit ab Oleastro, Eugubinus, Del Rio, Perer. & D. quoque Basilius. Et mox idem August. *Proinde intellectum ante oculos positum cur prætermittimus? Custodiret eundem paradisum ipsi sibi, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli. Denique accepit & præceptum, vt sit per quod sibi custodiat paradisum,* id est, quo conseruato non inde proiiciatur. Sed de præcepto paulò pòst.

LXXXIX. *Deliberat Dominus de producenda muliere.*

homil. 14. l. 2. c. 32.

DVM autem Adamus in horto solitarius inambulat, & delicias sibi à Domino Deo præparatas attonitus contemplatur, intuitus eum Dominus dixit apud se, *Non est bonum esse hominem solum*, ab eo enim solo genus humanum propagari non poterat. Itaque de socia illi danda quasi deliberat, ne quid minus honoris productioni fœminæ ex parte opificis tribueretur, vt Chrysostomus etiam obseruauit, & Rupertus, (pluralis tamen numerus ex Septuaginta est, non ex Hebræo) quæ nobiliore etiam loco, præstantioréque materia producenda erat, aitque, *Faciamus ei adiutorium simile sibi.*

XC. *Quem ad finem producta fuerit.*

l. 9 de Gen. ad lit. c. 3. Vide infra die 13. n. 122. & 123. l. de parad. c. 10.

ID adiutorium ad solam liberorum procreationem refert Augustinus. *Si quæratur,* inquit, *ad quam rem fieri oportuerit hoc adiutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quàm propter filios procreandos: sicut adiutorium semini terra est, vt virgultum ex vtroque nascatur.* Et Ambrosius. *Et ideo quia ex viro solo non poterat humani esse generis propagatio, pronunciauit Dominus non esse bonum solum esse hominem.* Et infra. *Adiutorium ad generationem constitutionis humanæ intelligimus, vt verè bonum adiutorium, maior quippe in causa generationis operatio mulieris reperitur, sicut istius terræ, quæ semina primò accepta cohibendo, paulatim fœtu suo adolescere facit, & producit in segetem*[12]. Rupertus. *Non est bonum,* inquit, *non est vtile, non conducit ad propositum nostrum, esse hominem solum. Proposuimus enim præscitos, & *prædestinatos de primo homine propagare sanctos, imagini, ac similitudini nostræ conformes futuros. Ergo vt propositum istud impleatur, faciamus ei adiutorium simile sibi, adiutorium, inquam, ad multiplicandam prædestinatam progeniem sanctorum.* Itaque Caietanus ait

12. *. vide n. 125.

mulierem non esse productam ex primæua siue primaria intentione Dei, (consentit Pererius, & vt videtur, Paulus) sed tantùm ex necessitate; quia non potuit aliter propagari, & conseruari humana species secundum naturæ ordinem.

n 177.
1. Cor. 11. 9.

XCI.
An ad prolem tãtùm.

E T re vera si ab eo discesseris, non est negotium in quo non melius per virum, quàm per mulierem prouideri possit, vt disputat D. Augustinus, licet non planè consentiente Perer. l. 4. vbi officia domestica commodius à mulieribus regi putat, cum Caiet. in hunc locum. At Hieronymus. *Quod si propter dispensationem domus,* inquit, *& languoris solatia, & fugam solitudinis ducuntur vxores, multo melius seruus fidelis dispensat obediens auctoritati Domini, & dispensationi eius obtemperãs, quam vxor, quæ in eo se existimat dominam, si aduersum viri faciat voluntatem,* &c. fusè B. Hieronymus. Intelligi tamen possunt alia bona, sub adiutorij nomine comprehensa, quæ scriptura de bona muliere celebrat; quæ eam vocat viri bonum, auxilium, gaudium, donum, benedictionem, coronam, vt notauit hoc loco Lipomanus.

9. c. 5. & 7.
n. 176.
Vide Aristotelem l. 8. Eth. c. 12.
l. 1. contra Iouin. vers. finem ex l. Theophr. de nuptiis.

XCII.
Quale adiutoriũ viri mulier.

Q V A L E autem adiutorium hoc esse voluit Deus homini? Irridebat hoc adiutorium Iulianus Apostata, quia Eua nullo modo virum adiuuerit, sed deceperit, & facta fuerit auctor illi ipsi, & sibi, vt ex horto deliciarum excideret. Respondet D. Cyrill. fuisse vtilem ad id ad quod homini data erat, scilicet ad procreationem liberorum. Cæterùm abusam ingenij libertate peccasse. Vulgata habet, simile sibi, septuaginta, κατ' αὐτόν, secundum ipsum; Caietanus ex Hebræo, contra ipsum; sic. *Contra elata mari respondet Gnosia tellus.* Pagninus, Oleaster, Vatablus, Tigurina, quod coram eo. Chaldæus, quod sit penes eum. Eugub. pro illo, vel iuxta illum, siue ad illum. Sensus idem omnium videtur esse (quanquam vulgata omnium clarissima est atque optima, quam etiam Græci patres confirmant) voluisse scilicet Deũ hoc adiutorium illi quasi è regione respondere, propter maximam in eadem specie similitudinem; videtúrque sumpta phrasis ex rebus, quę sibi ex aduerso componuntur, quæ Gręci vocant ἀντίστοιχα, vt in ædificiis portæ portis, & fenestrę fenestris: In humano corpore oculus oculo, auris auri, & manui manus. Sic in eadem specie vir viro aut etiam fœminæ, in qua non solùm in animo, sed etiam in corpore præter sexus differentiam, omnia sunt viro simillima; nec obstat infirmitas corporis, nam in eodem etiam viro, non est par vigor vtriúsque manus, vel brachij: quæ tamen sunt simillima, vt vera ἀντίστοιχα, & ἀντίστροφα dici possunt. Quæ autem hic de muliere vt nuncia, vt famula, vt baiula, vt instrumento hebraizantes comminiscuntur, haud male commenta dixeris. Audiamus potius Chrysostomum. *Faciamus illi adiutorem secundum illum, id est, similem illi,* inquit, *hoc est eiusdem cum ipso substantia, ipso dignum, nihil ipso inferiorem.* ποιήσωμεν αὐτῷ βοηθὸν κατ' αὐτὸν, ὅμοιον αὐτῷ, φησι, τῆς αὐτῆς αὐτῷ οὐσίας, ἄξιον αὐτοῦ, μηδὲν αὐτοῦ λειπόμενον. Hanc autem similitudinem substantiæ Deum intellexisse, facilè intelligi potest ex eo, quod fecit, cùm Euam ex ipsamet Adami substantia produxerit, vt deinceps ibidem Chrysostomus exponit.

c. 1. contra eundem.
Æneid. 6.
simile & respondens.
hom 15.

XCIII.
Ducuntur animalia ad Adamũ ante productionẽ mulieris, & quare.

H O C consilium & deliberationem condendæ mulieris, excepit deductio animalium ad Adamum, iuxta ordinem Mosaicæ narrationis. siue quia, vt placet D. Chrysostomo, voluit Dominus ostendere ipsum quidem in animantibus multos inuenturum adiutores; adiutorium autem simile sibi nullum, proptereáque tale aliquod esse producendum. *Monstrans*, inquit, *nobis beatus ille, quod quantuncumque nobis ministerium exhibent hæc bruta, aliud tamen quoddam adiutorium est multis numeris excellentius, quod à muliere Adæ præstatur.* Quod etiam notauit Caiet. siue quia volebat ab Adamo intelligi, sicut in cæteris animantibus, ita & in humana specie vtrúmque sexum debere inueniri, inquit Ambrosius: siue etiam quia volebat, in signum iam destinati dominij, animantia ab eo denominari; & intelligi quanta præ illis dignitate ac muneribus à Deo cumulatus fuisset, vt hæc ei causa esset gratiarum agendarum Creatori suo; Eucherius in Cat. & Rupertus fusiùs. Vide Pererium, & Del Rio in hunc locum, etsi putat adducta animalia non solùm ad ostendendam Adæ sapientiam, sed dominij quoque in animantia traditi vsum atque possessionem, sed mallem ad dominij tradendi significationem esse adducta; quoniam vt dixi, vtrique datum est hoc dominium. ergo vtérque iam creatus erat, nec missus est in possessionem dominij, antequam id diuina largitione datum esset.

1. hom. 15.
2.
3. l. de paradiso c. 11.
4. l. 2. c. 35.
5. n. 11.

XCIV. *Ordo rei gesta.*

DICENDVM igitur est Deum creato Adamo, quasi de productione Euæ deliberantem dixisse, non esse bonum hominem esse solum, ideóque & sociá adiutricem sibi similem dandam esse, vt explicatum est. Vt autem id Adamus quoque necessarium esse cognosceret, adduxisse ad eum omnia animantia, in quibus duo agnosceret, alterum vnumquodque habere sociam generis sui, ad speciei perpetuitatem; alterum nihil esse in omni animantium genere homini simile, cum quo homo conuersari familiariter, & sibi simile producere posset. Ad id significandũ Moses post narratam deductionem & denominationem animalium, subdit, *Adæ verò non inueniebatur* (in cunctis scilicet prædictis animantibus) *adiutor similis eius.* [cap. 20.] Eua autem producta cùm tale adiutorium sibi simillimum se inuenisse testetur, significatur id ipsum adiutorium antea fuisse quæsitum, nec inuentum. Hæc loci huius ordinatio Caietani quoque est, Oleastri, Del Rio, & siquorum aliorũ. Etsi aliter Rupertus, & Eugubinus, qui in Cosmop. ait animalia adducta coram Adam, *Non aliunde*, inquit, *quasi ex longinquis locis, & extra paradisum iacentibus venerunt, sed erant ibi circum latè ex humo coorta recens.* Nec mirum ipsum ita sensisse de animantibus, quando de homine quoque idem affirmauit: sed contra eum satis est stare Scripturam sacram, iuxta communissimam interpretationem antiquorũ recentiorúmque Doctorum.

XCV. *Quò adducta fuerint.*

SED quomodo adducta sunt hæc animantia ad Adamum? Audi Augustinum, [l. 2. de Gen. ad lit. c. 14.] *Quomodo hæc adduxerit Deus ad Adam, ne carnaliter sapiamus, adiuuare nos debet quod de bipertito opere diuina prouidentia in libro superiore tractauimus. Neque enim sicut indagant, atque adigunt venantes aut aucupantes ad retia, quæcumque animantia capiunt, ita hoc factum esse credendum est: aut vox aliqua iussionis de nube facta est eis verbis, quæ rationales animæ audientes intelligere, atque obedire assolent. Non enim hoc acceperunt vt possint bestiæ vel aues: in suo tamen genere obtemperant Deo.* Inde autem ostendit ea animantia visis quibusdam, quæ ministerio angelorum ipsis obiecta sunt, suauiter mota, ad Adamum se contulisse. Sic intelligendum esse Dei iussione cetum deglutisse Ionã, [Ionæ c. 2. 1. c. 4. 7.] & vermiculum arrosisse radicem cucurbitæ, sub qua quiescebat idem Propheta. D. Ambrosius ait indomitas bestias, & volatilia cœli diuina potestate ad hominẽ [l. de parad. c. 11.] deducta, pecora verò domita ab homine congregata. *Itaque*, inquit, *illud diuinæ operationis fuerit, hoc humanæ diligentiæ.* Consentit Rabanus Augustino, sicut & Abulensis. *Non est autem*, inquit, *cogitandum carnaliter, quòd ita adduxerit Deus animantia terræ, vel aues ad Adam, quomodo solet pastor gregem minare suum de loco ad locum; sed magis intelligendum, quòd sicut diuina potentia cùm voluit hæc de aquis, vel de terra creauit, ita etiam eodem occulto nutu suæ potentiæ, quando voluit ad hominem conspicienda perduxit. Quomodo etiam ad arcam Noë cuncti generis volatilia vel quadrupedia, non hominis manu congregata, sed diuinitùs acta venisse, eamque intrasse leguntur, nescientibus quidem ipsis ad quid venirent, sciente autem homine, qui ea venientia in arcam Deo docente* (fortè ducente) *ac iubente suscipiebat.* Idem habet Tostatus.

XCVI. *Caietani opinio de imaginaria deductione.*

ITAQVE parum videtur probanda Caietani singularis opinio dicentis hanc [t. 1. in hoc c. 2.] adductionem factam non locali motu, sed intellectuali aduentu, idque significari ex fine, quo deducta dicuntur, vt scilicet videret oculis mentis naturam terrestrium, & volatilium animalium, vt sic sciret quo nomine quodcumque animal esset vocaturus. Huc fortasse respexit Lipom. in Cat. cùm diceret. *Nec desunt, qui oculos Adæ adeò illuminatos fuisse dicant, vt animalia omnia videre posset, sicut legimus* [Gregor. Magn. l. 2. Dial. c. 35.] *B. Benedictum totum mundum velut sub vno radio solis vidisse.* Verùm nihil est necesse [*Refellitur.*] ad hæc miracula confugere. Nam hæc visio, vt rectè notauit Pererius, non tan- [l. 5. n. 8.] tùm de intellectuali, sed de corporali quoque accipienda est, quæ tum excitabat, tum determinabat generalem scientiam de animalibus, quæ erat in mente Adami, ad singulas animalium species, quarum cernebat indiuidua, propriè ac distinctè contemplandas. Quin & aspectus illorum animalium summa voluptate Adamum perfundebat, dum quæ per scientiam infusam ratione ipsa percepta & cognita habebat, eadem sensibus & experientia propria recognosceret.

XCVII. *Bina adducta ex quaque specie.*

PROBABILE est autem bina tantùm adducta de singulis speciebus, masculum scilicet & fœminam, quia id sufficiebat; & vtriusque sexus, plurimi recen- [l. de parad. c. 11.] tiores meminerunt; ex antiquis Ambrosius. *Simul accipe quæ causa omnia deducta*

sunt ad Adam, vt in omnibus videret ex vtroque sexu substantiam constare naturæ, id est, ex masculo & fœmina, & ipse vsu exemplóque cognosceret necessarium sibi consortium mulieris adiectum; aut potiùs adiiciendum; nam paulò pòst duntaxat producta est Eua, idque innuit Augustinus. Ex recentioribus multorum instar erunt Tostatus, & Peterius, qui & rationem facti dabit. Narrat Moyses venisse ad Adamum animalia terrestria, & aues, videlicet cuiuslibet speciei duo indiuidua, marem dico & fœminam: tum quia sub qualibet specie ea est inter eius indiuidua principalis differentia, quæ spectatur in sexu: tum quia ex his liquidò cognoscere poterat Adam, nullum sibi de toto genere animalium idoneum, ad id quod quærebatur adiutorium, esse posse.

In c. 2. q. 22. l. 5. n. 9.

XCVIII. *An etiam pisces?*

SED num etiam adducti ad Adamum pisces? quidni enim per quatuor illa flumina quorum ortus erant in paradiso? Id tamen de marinis, à quibus saltem grandioribus multum aberat Adamus dici non posset, quorum magnitudinem flumina tota vix caperent. Vniuersè de piscibus Augustinus negare videtur ea adducta ad Adamum, quoniam eis negat tum ab Adamo imposita nomina. E contrariò D. Chrysostomus cùm ait etiam animantibus in aquis degentibus indita ab eodem nomina videtur significare, illa quoque ad ipsum adducta fuisse. *Sed cogita,* inquit, *quanta fuerit sapientia volatilibus, reptilibus, feris, iumentis, & aliis brutis domesticis, & aggrestibus, & in aqua vitam agentibus* (τῶν ἐν τοῖς ὕδασι διαγωμένων) *& è terra productis, & in summa omnibus propria, & conuenientia suæ naturæ, imponere nomina.* Et certè cum id fuerit indicium dominij, quòd homini in omnia prorsus animalia competit, omnibus oporteret dedisse nomina.

l. 9. de Gen. ad lit. c. 12. homil. 14. in Genes.

XCIX. *Non fuisse adductos.*

NIHILOMINVS rectè D. Ambrosius, ait tantummodo bestias agri, & volatilia cœli Deum ad Adam adduxisse. Et cùm Scriptura hæc duo tantùm genera animantium deducta dicat, non est quod nos tertium sine necessitate addamus. Nam licet dicat cuncta animantia, qua voce pisces vtique comprehendi possunt, terræ tamen animalia intellexisse patet ex proximè præced. vbi vox *terræ* addita est, hic subintellecta; tum ex Hebræo, in quo habetur omni iumento, vt habet Pagninus, Oleaster, & Tigurina; tum ex Septuaginta, qui habent κτήνεσι quod idem est. *Et ratio est,* inquit Tostatus, *quia ista animalia, bestias terræ scilicet, & volucres quotidie visurus erat, cùm habitaret in terra; pisces autem, qui sub aquis latent, non vidit prima ætas, cùm talibus cibis non vterentur, nec mare ad nauigandum intrarent.* Sic ipse, idque ex eo confirmat, quòd nomina piscium in Hebræa, omnique alia lingua minùs distincta reperiuntur, quàm cæterorum animantium, à quibus illa analogicè magna ex parte desumpta sunt. Vide eundem in c. 13. Gen. Neque necesse fuit vt Adam proderet dominium in omnia prorsus animalia, per istã denominationem, alioqui oportuisset & plantas omnes ab eo nomen accipere: imò & infinita genera lapidum, & mixtorum in quæ certum est illum à Deo dominium accepisse. Verùm satis erat præcipuis rebus sibi subditis dare nomina, qualia sunt animalia, inde enim dominium in minora facilè intelligebatur. Cæterùm dedit Adam nomina animantibus quæ ad se adducta sunt, pisces vel adduci non potuerunt, vel certè non stare coram Adamo sine miraculo, arbores quoque & plantas, lapides, & id genus alia è terra eruere, atque exstirpare oportuisset, vt fusiùs docet Tostatus loco proximè citato.

lib. de parad. c. 11. init. — c. 2. v. 19. & 20. — q. 328. & 329.

C. *Nomina animaliũ, & omnino primum idioma à Deóne, an ab Adamo.*

IAM verò quod ad nominum impositionem attinet, quam ab Adamo factam Scriptura dubitare non finit, dubitari tamen potest, an ea primus homo à Deo didicerit, an excogitarit ipse per sese, secundum sapientiam à Deo in sua creatione acceptam. Nam didicisse à Deo videtur, à quo erat inuentum idioma, quo vsus est cum homine hoc toto tempore, & homo ipse, tam cum Deo, quàm cum vxore. Debet autem perfectum esse huiusmodi idioma ad exprimendos conceptus, saltem de communibus rebus, in quibus maximè occurrunt animalia; nec decuit inuentum diuinitus idioma tam multis vocibus diminutum esse. Ex altera parte nisi eas voces ipse excogitarit, Deus potiùs quàm homo talium nominũ impositor existimandus esset. Et de primo quidem mortalium idiomate alia omnia suspicatur Diodorus Siculus. *Voce,* inquit, *adhuc confusa, & nihil significante pedetentim verba articulatè pronunciando, & signis vnamquamque rem subiectam notando, elocutionem tandem rerum omnium sibi notam fecerunt. Sed cùm per totum orbem huiusmodi*

c. 2. 19. 20. — lib. 1.

cœtus coirent, & quisque, vt fors dabat, verba conuerterent, non eadem omnes loquela vtebantur: ideóque variæ, omnisque generis formæ extiterunt. Sed hac de re non est necesse vt ab indoctis fabulis doceamur, cùm firmiorem habeamus Moysis propheticum sermonem.

in cap. 11 Gen q 141. & seq. — CI. *Idioma à Deo nomina ab Adamo.*

Dicendum est igitur cum Abulensi primum idioma à Deo fuisse, eóque vsum esse antequam formaret Adamum; neque potuisse illud ab Adamo integrè excogitari, ipsumq; Deum eius cognitionem tam Adamo, quàm Euæ cũ reliqua scientia infudisse, per firmam, & habitualem vocum cognitionem, cum qua statim potuerunt tam expeditè loqui, quàm post annos plurimos. Placuit tamen Deo relinquere propria volucrium & terrenorum animalium nomina Adami prudentiæ, & sagacitati, ad ipsum honorandum, vtque specimen aliquod scientiæ suæ, & dominij exhiberet, idque pro data sibi diuinitus sapientia, non difficiliter. Si enim nullæ voces significantes præexstitissent, difficile esset non solùm omnia, sed etiam pauca inuenire: at præexistente magna vocabulorum sylua, facile fuit per similitudinem, & comparationem, & deriuationem aliquam, quæ deerant excogitare, sicut quotidie in linguis experimur. Similique modo in artificibus videmus, nihil eos noui excogitare, nisi ad similitudinem aliquorum, quæ viderint, addendo, detrahendo, iungendo, &c. Idque tantò faciliùs, quantò liberiùs, aut res effingi, aut nomina imponi possunt, quæ dantur rebus ex instituto.

Gen. 2. 19.

Verùm quoniam hæc nominum ab Adamo impositio à Scriptura commendatur, quasi excellens aliquid, dici potest Deum illustrasse Adami intellectum, non quidem ingerendo menti eius hæc nomina, sic enim non Adam, sed Deus ipse nomina imponeret, sed tribuendo intellectui eius vim, ad excogitandum diuersa nomina, conuenienter naturis animalium. Sic impleuit Deus sapientia Beseleelẽ & socium eius, non solùm ad egregiè fabricanda opera sanctuarij, sed etiam ad excogitandum ingeniosè, quæ ad illius operis perfectionem faciebant.

Exod. 31. — l. 9 de Gen. ad lit. c. 12 v. 19. — CII. *Primum idioma Hebræum.*

Hoc porrò idioma à Deo inuentum, & ab Adamo auctum, fuisse Hebræum, quamuis Augustino dubitante, docent vocabula propria, quæ primis illis temporibus vsurpata, tempore Mosis perseuerabant; vt intelligitur ex illa Mosis sententia, *Omne quod vocauit Adam, ipsum est nomen eius,* est, inquit, nõ fuit, & nunc quoque licet alia idiomata post diluuium nata fuerint, post tot sæculorum curricula in sacris voluminibus conseruantur, quæ perspicuè in linguam Hebraicam resoluuntur. Nam etiam nunc Eua, quòd nomen Adam dedit vxori suæ, eo quod esset mater cunctorum viuentium; à viuendo deducitur חיה enim viuere est, vnde Septuaginta pro Eua ζωὴν posuere. Sic Cain à verbo quod possidere significat, siue acquirere, & Seth positionem, & Noë quietem, iuxta rationem nominum, quæ in Scriptura traduntur, idque affirmat Tostatus & Pererius. Sed hæc exactiùs expendere nostrum non est, ad alia ergo pergamus.

q. 147. in c. 11. — l. 5. n. 16. — l. de parad. c. 28. ante med. — CIII. *Quomodo indita animalibus nomina.*

Si tamen addidero, ex Mose Bar-Cepha, modum denominationis huius. *Quidam*, inquit, *putant Adamum voce, quæ sensu percipi, audirique posset pronunciata, singulis animantium speciebus, volucrúmque nomina indidisse; cùm editiore colliculo terræ pro paradiso insidentem, augustâque amictum maiestate, & splendore, quem habitu præ se ferebat, & Solis radios superantem; illa summissis capitibus prona, neque præ nimio decore, quo ille splendebat, intueri ipsum audentia, singulatim præterirent, suisque ab illo appellarentur ex ordine nominibus.* & mox: *Veluti verbi gratia, cùm Taurum ille nomine cieret, audito nomine suo Taurus transibat, coram illo capite demisso, neque obtueri ipsum valens. Similiter nominatim citatus Equus, agnoscebat nomen, præteribâtque deiecta ceruice, neque Adami conspectum sustinens, & ita de cæteris.* Hæc ille, si non vt gesta sunt, certè vt geri potuerunt, angelorum ministerio cooperante.

CIV. *Breuine an longiori tempore facta fuerit denominatio.* — n. 93.

Sed longiorine tempore an breui facta est hæc denominatio? Certum quidẽ est hoc sexto die inchoatam esse, antequam Eua produceretur, vt ex antedictis constat, an autem etiam perfecta fuerit, aut in longiùs tempus protracta dubitari potest. Et videtur sanè probabilius plus temporis huic negotio datum esse, quoniam ea nomina, quæ maximo sanè numero fuerunt, non dictata fuerunt, quasi ex memoria factæ diuinitus reuelationis, sed excogitata, studiosè scilicet considerata natura, figura, proprietatibus, motu, aliisque effectis, vel adiunctis singu-

Annot. in Gen. c. 7.

lorum. Quæ est sententia Hugonis de S. Victore: à qua non fuisse alienum S. Augustinus à simili colligimus. *Sed credendum est*, inquit, *paulatim cognitis piscium generibus nomina imposita; tunc autem cum pecora, & bestiæ, & volatilia ad hominem adducta sunt, vt eis ad se congregatis, generatimque distinctis nomina imponeret, quibus etiam ipsis paulatim, & multò citiùs quàm piscibus, si hoc factum non esset, posset nomina imponere: quid fuit causa nisi ratio aliqua significandi?* Rupertus quoque ait Adamum, in hac instituenda nomenclatura, singulorum considerauisse naturas, & ex qualitatibus diuersis diuersa formauisse vocabula. Non videtur id vnius horæ opus esse, & satis temporis postea illi suppetebat ad hoc officium, siue in paradiso, siue extra obeundum. Quòd autem Perer. contendit imposita nomina priusquam formaretur Eua; Sufficit ad textus veritatem, rem tum inchoatam fuisse, & omnibus obiter perlustratis, Adamum non inuenisse in illis *adiutorem similem sibi*. Ex quo etiam intellectum est, nouum opus à Deo faciendum, ad quod nos ipsa rerum series deducit. Sequitur ergo iam Adami somnus, & Euæ formatio.

l. 9. de Gen. ad lit. c. 12. — l. 2. c. 33. — Gen. 2. 21.

CV. *Adamus somnus qualis.*

IMMISIT *ergo Dominus Deus soporem in Adam.* Videndum est quis fuerit hic sopor, & qua de causa inductus. Et primùm habuisse aliquid hunc somnum, præter naturalem consuetudinem, ex eo indicatur, quòd dicitur à Deo immissus, cū alioqui sensim, sine sensu obrepere soleat. Sed hunc somnū extasim, siue vlla dubitatione vocant plerique omnes antiqui Patres, præsertim Græci, secuti Septuaginta interpretes, qui disertè hunc somnum ἔκστασιν vocant. Quibus & Latini consenserunt. Augustinus. *Ac per hoc etiam*, inquit, *illa exstasis quàm Deus immisit in Adam, vt soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, vt & ipsius mens per extasim particeps fieret tanquam angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium Dei, intelligeret nouissima.* Neque verò id vnus sensit Augustinus, neque primus. Tertull. enim ait Adamum in hoc somno accidentiam spiritus passum esse. *Cecidit enim*, inquit, *exstasis super illum, Spiritus sanctæ vis, operatrix prophetiæ.* Meminit & c. 21. eiusdem lib. vbi eam vocat amentiam, non quod exterminet, sed auocet mentem, vt idem scribit infra. D. quoque Hieronymus in tradit. Hebr. legit extasin, *& pro extasi*, inquit, *id est mentis excessu, in Hebræo habetur tardema, quòd Aquila καταφορὰν. Symmachus κάρον, id est, grauem & profundum somnum interpretati sunt.* Sic Hierony. probátque Vatabl. & eadem voce κάρον vtitur Chrysostomus, agens de hac ipsa re. Talē somnum habes, 1. Reg. Extasin quoque agnoscit D. Bernardus. *Mihi quidem non nisi incommutabilis veritatis intuitu, & abysso diuinæ sapientiæ corporeis excedens sensibus obdormisse videtur.* Et mox: *Neque enim communem arbitror fuisse soporem, aut nostris similem somnis, quos nec contemplationis excessus, nec miserationis affectus, sed infirmitatis defectus immittit.* Raptum etiam vocat Tostatus. Oleaster spasmū quoque, & syncopem vocari posse putat, vt scilicet quam maximè auocatis sensibus, nullus esset sensus, vel dolor costæ ereptæ.

l. 9. de Gen. ad lit. c. 19. — l. de anim. c. 11. — cap. 45. — תַּרְדֵּמָה. — homil. 15. in Genes. — c. 26. 12. — serm. 2. de Septuag. — in c. 13. q. 336.

CVI. *Cur immissus, & erepta costa dormienti.*

HANC quoque causam immissi soporis admittit D. Bernard. & D. Chrysost. hom. 15. vbi inter alia. *Itaque vt ne illum in auferendo, dolore, neque ob ablationem tristitia afficeret, vtraque sic dispensauit, vt & citra cruciatū illam auferret, & impleto eo loco vnde abstulerat, factorum sensum percipere non sineret.* Idem sentit Epiph. Nullum autē fuisse dolorem ex eo patet, quòd ne euigilauerit quidem, in quo etiā mirabilis Dei potentia agnoscitur, Vt notauit Magist. Quanquam potuit etiam vigilanti eripere, sine dolore, & maioris potentiæ miraculo: vt disputat Tostatus. Dormienti autē abstulit, siue quia sic res credibilior futura erat, vulgus enim id facilius credet factum dormienti, quàm vigilanti; siue quia noluit Deus eum esse spectatorem operis huius, ac fabricæ vxoris suæ: siue quia sic commendabatur notitia, quàm diuinitùs accepit de vxore sua, facta ex ossibus, & carne sua.

serm. 2. de Septuag. — Hæres. 48. — 2. sent. dist. 18. — in c. 13. Genes. 9. 152.

CVII. *Formatio Euæ ex opinione quorundā Hebræorum, & Eugubini.*

QVOD ad formationem Euæ pertinet, duas ea de re opiniones reperio, excogitatas, vel adamatas ab hominibus, eruditis. Eugubinum dico, & Caietanum quorum ille in Cosmopœia explicans hunc locum, putat Deum ex eodem limo tam Adami, quàm Euæ effigiem, solo sexu differentem efformasse, ita tamen vt altera cohæret alteri ex latere, vtrumque simul animatum, vtrumque soporatum, & in sopore alterū ab altero separatum; explicat autem modum quo cohærerent, vt scilicet essent quasi duæ statuæ quā simillimæ viri à dextris, fœminæ à sinistris, quæ se altero brachio amplecterentur, sinistra scilicet viri in ceruicem mulieris,

& dextra mulieris in ceruicem viri iniecta. Cæterum in amplexu hæreret capiti
caput, lateri latus, crus cruri, pedi pes. *Hoc exemplo*, inquit, *potest humana creatio in-* *Vt eam*
telligi, &c. Id autem probare conatur, quia Scriptura dicit, *masculum & fœminam* *probet.*
creauit eos, tum quia nisi simul creata esset mulier, aut non esset, aut non dicere- 1. 2.
cap. 5. 2. tur creata ad imaginem Dei: tum quia infra dicitur, *Vocauit nomen eorum Adam, in* 3.
die quo creati sunt. Cùm ergo vterque sit homo, vel Adam, vterque necessario de
terra, vterque γηγενὴς esse debet. Tum quia post hominem creatum dixit, *Crescite* 4.
& multiplicamini, quæ verba supponunt vtrumque iam esse creatum.

q. 18. in c. 2. Gen. VERVM hæc opinio, quæ aliquorum Hebræorum esse dicitur à Tostato, & CVIII.
stultissima appellatur, placuit tamen Eugubino, licet apertissimæ Scripturæ re- *Refutatur*
pugnet; quæ eodem quidem die Adamum & Euam creatos dicit, sed vtrumque *vt Scri-*
diuerso tempore, sicut & diuerso loco, ac diuersa materia; Alioqui quomodo *pturæ con-*
quærebatur adiutorium simile Adamo, si id iam creatum erat, & quidem eodem *traria.* 1.
prorsus tempore quo Adamus? Vidit hoc telum in se intentari Eugub. quòd ipse
in sua viscera condit, nedum repellit, cùm ait, *Debet*, inquit, *error ratione repelli, &*
spatium inter vtrumque creatum non interponi. Error ergo est Scripturæ, quia non con-
sonat inuentis eius; audax sanè oratio, & contumeliosa in Scripturæ auctorem
Deum. Conaretur potiùs aliqua expositione elabi, si quo modo posset, si memor
1. Tim. v. 13. esset hoc loco modestiæ Christianæ; sed quomodo posset, cùm Paulus ipse inter-
pretans Moysem dixerit. *Adam*, inquit, *primus formatus est, deinde Eua*. Ad hæc quo- 2.
modo simul ficti, formatique, si vnus extra paradisum formatus in eum inductus 3.
c. 10. 1. est. Eua autem ibidem formata est, vt est communissima Doctorum sententia, &
Scripturæ in primis consentanea, quæ docet non nisi post peccatum Adamum è 4.
paradiso eductum. Deinde quomodo verè dixit Dominus non esse bonũ hominẽ
esse solum, si solus nunquã fuit; quòd sapiens quoque consentiens Moysi affirmat,
l. de parad. c. 3. cùm dicit eum solum fuisse creatũ, quòd inculcat crebro Ambros. Quomodo vbi
formata est adducta ad Adam si is quandiu fuerat, habuerat mulierem lateri affi- 5.
xam & cohærentem suo?

QVOMODO verè dixit Adam, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea?* Certè CIX.
vtrumq; falsum esset, sed dicendũ fuisset, Hoc nunc os simile ossibus meis, & caro *Vrgetur*
similis carni meæ. Preterea cùm de solo Adamo Scriptura dicat obdormisse, quo- *refutatio.* 6.
modo ipse Euam quoq; eodem opprimit somno, & quidem antequam formaretur 7.
ex costa viri? Quomodo è costa viri, si è terra? quomodo formata ex costa Adæ, si 8.
separata tantùm ab illo, interueniente sopore? Quid necesse fuit replere carnem 9.
pro sublata costa, si nulla sublata est? Singula verba singulas hastas subministrant
quibus confodiatur hoc monstrum. Postremo si admittatur hoc somniũ, nónne 10.
æquè dici potest Adamus formatus ab Eua, ac viceuersa; nam æquè à seipsis vter-
Gen. 2. 23. que separati sunt, Scriptura tamen, *Hæc dicetur virago*, inquit, *quia de viro sumpta est*.
Eccl. 17. 5. *Creauit ex ipso adiutorium simile sibi*; quomodo ex ipso, si ex terra. Et Ambr. *Nec illud*
l. de parad. *otiosum, quòd non de eadem terra, de qua plasmatus est Adam, sed de ipsius Adæ costa facta sit*
c. 10. & refertur 33. q. *mulier, vt sciremus vnam in viro & muliere corporis esse naturam*. D. Paulus. *Non enim vir*
5. can. nec illud otio- *ex muliere est, sed mulier ex viro*. Quid clariùs dici potest ad verberandum os loquẽ-
sum. tis falsa, nec probabili saltem verisimilitudine roborata.

1. Cor. 11. 8. NAM qui dixit, *masculum & fœminam creasse eos*, num propterea & simul, & am- CX.
bos è terra creasse dicit, & inter sese cohærentes? at non esset alioqui, aut non *Responde-*
diceretur Eua creata ad imaginem Dei. Malè profectò narras: nam si vera est ista *tur ratio-*
sententia, ne tu quidem, aut vllus nostrum creatus esset ad imaginem Dei, qui *nibus Eu-*
Gen. 2. 6. 1. Cor. 11. 7. tantò post conditi sumus, cùm tamen id Scriptura affirmet. Sed & ratio ipsa ma- *gubini.*
nifestè huic commento refragatur, cùm hæc imago in natura intelligenti ita
impressa sit, vt deleri non possit, non magis quàm ratio ipsa, & intellectus.
Nauci quoque est illa argumentatio, vterque vocatus est homo, in die qua
creati sunt, ergo vterque de terra productus esse debet. Num ergo nos homi-
nes dici non possumus, quia de limo terræ immediatè non producimur? Ad
postremum respondeo, non dictum vtrique. *Crescite & multiplicamini*, nisi
vtroque iam producto. Sed hæc productio & iussio vtrique facta, per epito-
men in primo capite relata est, in quo sex dierum opus præcisè continetur.
In secundo autem capite nonnulla resumuntur distinctiùs explicanda, puta

quæ ad diem tertium pertinent de paradiso, & quæ ad sextum de viri & mulieris formatione, præceptóque illis imposito de non edendo fructu scientiæ boni & mali: quæ omnia si distinctè ordinentur, vt conati sumus initio expositionis creati hominis, nihil planè occurret absurdi, quo ad hæc verè absurda compellamur. (n. 14.)

CXI. *Caietano formatio Euæ parabolica.*

VENIO ad Caiet. opinionem, qui superatus nonnullis difficultatibus in sacro textu occurrentibus, eò confugit vt diceret productionem Euæ, non historicè, vt sonat litera, sed parabolicè accipiendam esse. Ita planè vt olim de paradiso Origenes, in quem eam ob causam plerique omnes antiqui Patres calamos strinxerunt. Et sanè non similis hic causa duntaxat, sed persimile ingeniū est. Sed quibus ipse rationibus in fraudem inductus sit, videamus; nam iis intellectis, ac confutatis, historica veritas illustrior fiet. Etsi plerique iam viri eruditione præstantes eum accuratè refellerunt, in primísque Catharinus, quem non habeo ad manum, & noster Pererius. (l. 4 q. 11, & seq. en 107. & seq.)

CXII. *Quibus rationibus probabilis videatur.*

COGI se ait ex ipso textu & contextu intelligere hanc productionem mulieris, non vt sonat litera, sed secundum mysterium parabolæ, sed quare tandē? quia
1.2.3. alioqui vel Adam fuit monstrum ante sublatam ex eo costam, vel mancus post sublatam. Secundò quia ridicula videtur Dei inquisitio inter animalia, num aliquod Adamo simile reperiri posset. Tertiò quia cùm manifestè scriptum sit sexto die masculum & fœminam à Deo creatos esse, cùm postea translato homine in paradisum describatur formatio fœminæ ex costa viri, frustra iam producta
4. iterum produceretur. Quartò si hoc loco verè producta esset mulier, & non illo sexto die, benedictio ad multiplicationem, quæ à Deo facta est, in hunc locum
5. fuisset differenda, & non illo in loco ponenda. Denique Dominus in Euangelio ex illis verbis, *masculum & fœminam creauit eos*, docet tunc institutum coniugium ab ipso Deo. *Nec obstat*, inquit, *si obiiciatur quod productio mulieris ex costa viri narratur per modum historiæ, seu rei gestæ, tum quia sex dies quasi naturales historicè recensentur, per opera in illis facta, & per terminos singulorum; cùm tamen res istæ non sic productæ sint, sed vno die, non pluribus; sed simul, non successiuè; tum quia pœna serpentis inferius per modum quoque historiæ describitur, & tamen puerile esse constat intelligere illam corporaliter, vt sonat.* Hæc Caiet. ferè totidem verbis, qui deinceps describit quî accipienda sit parabolicè ista descriptio; quàm, vt ad mysticum sensum pertinentem, nos prætermittimus: nunc quod instat agamus.

CXIII. *Refutatur opinio Caietani.*

ET in primis quod notauit Pererius noster aduersatur hæc opinio manifesto Scripturæ textui, vt eam omnes Catholici Doctores omnibus sæculis exposuerunt ad Caietanum vsque. Id autem nemo dubitauerit facere rem de fide; quibus etiam consentit Iosephus & Chaldæus paraphrast. Secundò D. Hieronymus (l. 1. antiq. c. 1.)
1. 2. *Arguitur infidelitatis à Hieronymo, & Augustino.* hanc assertionem infidelitatis arguit, & contra veram in Deum fidem esse dicit. *Credit quispiam*, inquit, *in conditorem Deum, non potest credere, nisi prius crediderit de Sanctis eius vera esse quæ scripta sunt, Adam à Deo plasmatum, Euam ex costa illius, & latere fabricatam, Enoch translatum, Noë naufrago solum orbe seruatum*, &c. Quibus enumeratis ita concludit. *Hæc, & cætera quæ de Sanctis scripta sunt, nisi quis vniuersa crediderit, in Deum credere non valebit.* D. Augustinus æquè arguit infidelitatis eum qui non crediderit Christum ex fœmina nullo interueniente concubitu genitum, & qui non crediderit Euam ex Adami costa productā. Audi eum. *Nullo*, inquit, *modo dubitamus, & hominum, & arborum non nisi Deum esse creatorem, fideliterque credimus factam fœminam ex viro, nullo interueniente concubitu, etiamsi fortè costa hominis ministrata sit per angelos in opere creatoris; sicut fideliter credimus etiam virum factum ex fœmina nullo interueniente concubitu, cùm semen Abraha dispositum est per angelos in manu mediatoris. Vtrumque infidelibus incredibile est, fidelibus autem cur ad rei gestæ proprietatem, quòd de Christo factum est, & tantùm ad figuratam significationem quod de Eua scriptum est credibile non videatur.* &c. Tertiò ex hoc loco probat Innocentius Tertius diuino (in epist. ad Philemonem.) (l. 9 de Gen. ad lit. c. 16.)
3. iure prohibitum plures simul vxores habere; quomodo autem id ex facto, dictóve parabolico probaret? Quartò quæcumque cōtra allegoricū paradisum Origenis, (c. Gaudemus, de diuortiis.)
4. cæterámque trium primorum capitum Geneseos expositionem à D. Basilio, Ambros. Chrysost. August. Hieron. Epiph. aliisque tam antiquis quā recentibus Ecclesiæ doctoribus dicta sunt, eadem contra hoc Caiet. commentū valent omnia.

Quintò cùm Caietanus non aliam Euæ creationem agnoscat, quàm quæ primo capite per epitomen traditur, oportet vtrumque coniugem simul esse creatum, quòd paulò antè, dum contra Eugubinum ageremus, refutauimus. Postremò valet illa Augustini regula, non esse ab historico & proprio Scripturæ sensu recedendum, nisi necessitas aliqua cogat; quam hic nullam esse, ex refutatione eorũ, quæ illum in has salebras coniecerunt, facilè intelligetur.

l.11. de Gen. ad lit. c.1. & alibi.

CXIV. *Satisfit rationibus eius.* *Costa an Adamo superflua.*

1.p.q.92.a.3. ad 2. in c.13. Genes. q.117.

Ad primum itaque argumentum iampridem D. Thomas & Tostatus responderant, illam costam ita se habuisse ad corpus Adæ, vt esset aliquo modo necessaria, & aliquomodo superflua. Necessaria quatenus erat Adamus principium productionis Euæ, sicut semen est necessarium patri ad productionem filij. Superflua verò, quia sine ea manebat integritas Adami, vt erat speciei humanæ quoddam indiuiduum; cui vt indiuiduum est superfluum est semen, nec tamen eum reddit imperfectum, aut monstrosum; sic nec Adamum costa illa. Præsertim quæ breuissimo tempore in eo resedit, nec id absurdum est in illis mundi principiis, in quibus placuit Deo res è statu imperfecto ad perfectum adducere. Nam cœli ipsi aliquandiu sine Sole & Luna, & stellis manserunt, & terra sine plantis, & aquæ sine piscibus. Nec est par ratio si nobis digitus vnus tollatur, quia omnes sunt de integritate indiuidui, quòd nos de illa costa negamus. Nec redditur imperfectum indiuiduum, quando ex eo tollitur quod est de perfectione speciei, imò perfectiùs redditur, quia assequitur finem suum, vt de semine diximus. Ex quo etiam sequitur non Adamum, sed Euam cum illa costa resurrecturam, quia ea non fuit de integritate indiuidui in Adamo, sed in Eua, quandoquidem ex illa totum Euæ corpus efformatum est. Cæterum ea de quæstione pluribus agit Pererius, qui est in manibus.

Adam cũ ea non resurget.

l.4. n.196.

CXV. *Inquisitio Adæ non absurda.*

Ad secundum dicitur hanc non fuisse Dei inquisitionem, sed Adami, vt agnoscit Vatablus docens hebraismum loquentis de se in tertia persona. Adæ non inuenit, pro homo non inuenit sibi: itáque intellexit Pagninus in versione sua, & Oleaster in hunc locum, Eugub. Del Rio, Fagius in Chaldæa paraphrasi. *Homo,* inquit, *sibi ipsi non inuenit, inter omnia sibi adducta animantia cum quo vitæ consuetudinem habere posset.* Qui omnes satis fuerunt Hebraicè periti. Quid ergo ridiculum est hominem, qui nunquam mulierem viderat, & in animalibus vtramque speciẽ agnoscebat, sibi etiam similem & planè respondentem in eadem specie inquirere inter ipsa, nec inuenire? quod nunc ridiculum foret, in illa rerum nouitate non ridiculum, sed maximè serium fuit. Quare autem voluerit Dominus inquiri ab Adamo, iam supra significatum est.

Ad tertium dico videri Caiet. non satis percepisse Moysis institutum in his duobus capit. qua de re paulò antè diximus contra Eugub. Dico tantùm non duas fuisse mulieris productiones neque duas tradi, sed vnam duobus in locis, priore compendiosiùs, posteriore distinctiùs.

Ad quartum, fallitur Caiet. nec satis ordinem Mosaicæ narrationis percipit, si putat hanc formationem Euæ ad sextum diem non pertinere; vt patet ex ordine, in quem hunc diem digessimus. Ex quo simul intelligimus benedictionem à Deo datam ad vtrumque hominem; & coniugium eorum ad hunc ipsum diem pertinere. Quòd autem ad confirmationem huius opinionis suæ affert de sex diebus pro vno intelligendis ibi quoque eum valde falli, alio loco demonstratum est. De pœna autem serpentis, suo loco dicetur nihil eam fauere errori Caietani.

supra n.14.

in Appar. c.5. n.4. & 5.

CXVI. *Historica Euæ formatio.*

His ergo reiectis opinionibus, veram & historicam esse Mosis de productione mulieris narrationem asserimus, nec eam aliter, quàm ipsa Scripturæ verba pronunciant, & Patres perpetuò interpretati sunt, contigisse. Deum Adamo consopito costam vnam eripuisse, & quidem non siccam & nudam, sed cum adhærente carne, qualiter in homine viuente reperitur, quòd ex eo satis constat, quòd mox Adam dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea,* & quidem siue ipsum per sese, siue angelico vtentem ministerio, vt paulò antè ex Augustino dicebamus, sine vllo vel dolore, vel deformitate, cùm satis constet ex fide dignissimis, oculatísque testibus, Dæmonem non semel brachium

Gen.2.23.

l.9. c.16 de Gen. ad lit.

vni iuueni, qui se ipsi dediderat, iussum ab exorcistis, apetuisse sine dolore, iterúmque sine deformitate clausisse.

Deus vt sufficeret, costæ rei materiam tribuenda.

CXVII. EAM costam Dominus ita amplificauit, nouæ adiectione materiæ elementaris, vt ad formandum totum Euæ corpus, in mole & quantitate perfectæ ætatis ipsius sufficeret, sicut tantò post Christus Dominus, ex quinque panibus hordeaceis tantam vim panum suffecit, quanta necessaria erat ad victum multorum millium. [Ioan. 6. 9.] Nec propterea dici debet Euam ex illa materia potiusquæ maior erat, quàm ex costa producta, quoniam hæc costa primò, & per se electa erat ad productionem mulieris, cætera adiectitia erant, sicut illa quinque millia virorum refecti dicuntur ex quinque panibus, non ex aduentitia materia in panes conuersa. Vide D. Thomam. [Matt 16. 9. 1. p. q. 92. a. 3.]

& Angelorum ministerio.

De ista formatione Euæ audiendus est August. *Quale*, inquit, *ministerium, Deo exhibuerint angeli in illa mulieris formatione quis audeat affirmare? Certissimè tamen dixerim supplementum illud carnis in costa locum, ipsiúsque fœmina corpus & animā, conformationémque membrorum, omnia viscera, sensus omnes, & quicquid erat quo illa, & creatura, & homo, & fœmina erat, non nisi in illo opere Dei factum, quòd Deus non per angelos sed per semetipsum operatus est.* [l. 9. de Gen. ad lit. c. 15. in fine.] Sic ipse. Quibus etiam verbis videtur explicasse vocem ædificationis, quam ex Hebræo ductam, Chaldææ, Grææ & Latinæ versiones retinuerunt. Rationem dat D. Thomas, quoniam opera quæ naturæ ordinem, & vires excedunt, non nisi ad auctorem naturæ referri possunt. [1. p. q. 92. a. 4.]

Cur ex viro producta mulier.

CXVIII. QVEM autem in finem Deus in hoc opere spectarit, docebit Ambros. *De ipsius*, inquit, *Adæ costa facta est mulier, vt sciremus vnam in viro & muliere corporis esse naturam, vnum fontem generis humani; ideò non duo à principio facti vir & mulier, neque duo viri, neque duæ mulieres, sed primùm vir, deinde ex eo mulier. Vnam enim naturam volens hominum constituere Deus, ab vno principio creaturæ huius incipiens, multarum & disparium naturarum eripuit facultatem.* [l. de parad. c. 10.] Elegantius etiam Augustinus in oppugnando quippe Donati schismate exercitatus. *Factus est homo vnus, sed nō relictus solus. Nihil enim est, quàm hoc genus tam discordiosum vitio, tam sociale natura. Neque commodius contra vitium discordiæ vel cauendum, cùm nondum existeret, vel sanandum cùm extitisset, natura loqueretur humana, quam recordationem illius parentis, quem propterea voluit Deus creare vnum, de quo multitudo propagaretur, vt hac admonitione etiam in multis concors vnitas seruaretur.* [12. de Ciuit. c. 26.]

Et quamobrem ex eius latere.

CXIX. QVOD *verò fœmina illi ex eius latere facta est, etiam hinc satis significatum est, quàm chara mariti & vxoris debeat esse coniunctio.* Addo illud Ruperti. *Quid autem hoc sibi vult, quòd cùm posset mulierem æquè vt virum formare de limo terræ, maluit costam viro subducere, eámque in mulierem ædificare? nisi vt firmam, & insolubilem debere esse ostenderet vnius coniugij charitatem.* [c. 34. l. 2.] Deinde fusiùs ostendit cùm non sint duo, sed vna caro, nō magis posse quemquam deserere suam vxorem, quàm seipsum, siue propriam carnem suam, quæ est mens D. Pauli. [Eph. 5. 28.] Addo & illud D. Thomæ, conueniens fuisse mulierem formari de costa viri, ad significandum inter virum & mulierem debere esse socialem coniunctionem. [1. p. q. 92. a. 3.] *Neque enim*, inquit, *mulier debuit dominari in virum, & ideò non est formata de capite, neque debet à viro despici, tanquam seruiliter subiecta; & ideò non est formata de pedibus. Secundò propter sacramentum, quia de latere Christi dormientis in cruce fluxura erant sacramenta, id est, sanguis & aqua, quibus est Ecclesia instituta.* Addo ex Aristotele ad hanc communionem firmandam prouisum esse diuinitus, vt fortior sexus infirmiori iungeretur, vt infirmior ad res custodiendas propter timorem aptior esset; robustior autem ad propugnandum propter fortitudinem vtilior; vir parta foris afferret, mulier intus conseruaret allata. [l. 1. Oecon. c. 1.] Mulier operi domestico assiduitatem præbere valet, foris excubare non posset. Vir quietis impatiens domi, validus est foris ad exercitationes, & motus. Illa liberos educat, iste instituit. Hæc ferè Aristoteles.

Vna non plures.

CXX. VNAM porrò tātùm non plures ex viro formasse mulieres, contra vxorū pluralitatē valere docet Innoc. III. apud Greg. *Absonū*, inquit, *hoc videtur & inimicum fidei Christianæ, cùm ab initio vna costa in vnam fœminā sit conuersa, & scriptura diuina testetur, quòd propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Non dixit tres vel plures, sed duo: non dixit adhærebit vxoribus, sed vxori.* Ita Pontifex. Et quia hoc poterat exemplo Sanctorū veteris testamenti infirmari, subdit, *Nec vlli vnquā licuit simul plures vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum, qua*

mos quandoque interdum etiam fas cenſetur, per quam ſicut Iacob à mendacio, Iſraelitæ à furto,
13.x. *Samſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ*[13]*, & alij viri iuſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe*
vxores, ab adulterio excuſantur.

EVAM longiuſculè ab Adamo dormiente fabricatam, & ſpiraculo vitæ im- CXXI.
butam, anima rationali præditam, proindéque Dei imagine, & ſimilitudine or-
natam, adduxit ad Adamum, ille idem, qui paulò antè animalia adduxerat futu-
hom. 15. ri coniugij paranymphus. Vnde Chryſoſt. *Adduxit illam ad Adam, oſtendens quod pro-*
pter illum iſtam condiderit. Quoniam nullus, inquit, *in omnibus aliis adiutor tibi inuentus*
eſt ſimilis, ecce hoc quod pollicebar. Promiſi enim tibi me facturum adiutorem ſimilem tibi, nunc
perfectum trado tibi. Hîc Adam. *Hoc nunc os,* inquit, *ex oſsibus meis, & caro de carne mea.*
Ex quibus verbis infert deinceps idem Chryſoſt. Adamum, præter cæteram ſa-
pientiam, etiam prophetica gratia fuiſſe in extaſi diuinitus donatum; vt qui, cùm
nihil planè, de iis quæ facta fuerant, aliunde ſciuiſſet, proclamarit eam mulierem
ex oſſe & carnibus ſuis ſumptam eſſe. Simul etiam intelligendum eſt eum, qui ſci-
ret dictum à Deo, non eſſe bonum hominem eſſe ſolum; quique in extaſi didi-
ciſſet, vnde, quomodo, & quam ob cauſam formata eſſet Eua, in coniugium
cum illa conſenſiſſe, & Euam vice verſa pari conſenſu Adamum in virum acce-
ptaſſe. Sed & diuinitus inſpiratum legem de legitimo matrimonio condidiſſe, ex
Matth. 19. 6. Euangelio diſcimus, cùm Chriſtus Dominus dixerit, Deum matrimonium con-
iunxiſſe, nec ab homine ſeparandum eſſe, quod etiam Marc. 10. inculcatur.

Deducit Deus Euã ad Adam, vt inter eos matrimonium ineatur.

v. 9. SED non omittamus Euæ primum & commune nomen. *Hæc vocabitur vira-* CXXII.
go, quoniam de viro ſumpta eſt. quaſi dicat, inquit Eugub. *Vt habet à me ſubſtantiam,*
ſic habeat nomen. Alluſit in hac denominatione Hieronym. ad Hebraicarum vo-
cum colluſionem, in qua vir dicitur is איש & mulier אשה iſſa, quaſi diceres, ſi id
conſuetudo latinæ locutionis pateretur, vir & vira; vt ait Vatablus, Sà, Del Rio,
Caiet. Eugub. ſicut dicitur puellus & puella; caper & capra, equus & equa. Pul-
chrè etiam Symmachus, vt notauit Hieronym. etymologiam in Græco ſeruare
qq in Gen. voluit dicens, αὕτη κληθήσεται ἀνδρὶς, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη αὕτη. *Hæc vo-*
cabitur vira, quia ex viro ſuo ipſa ſumpta eſt. Subtilius vtique quàm in Septuaginta,
vbi γυνὴ ponitur, voce ab ἀνδρὸς aliena. De proprio autem Euæ nomine, alio lo-
co dicendum erit.

Eua virago.

NATVRALIS ordo huius narrationis exigit, vt virum & mulierem in matri- CXXIII.
monium conſentientes, Deus, qui eos coniungebat, etiam benediceret; non tam
bene precando, vt ſolemus nos, & faciebant parentes Rebeccæ; quàm benefa-
Gen. 24. 60. ciendo, eis ſcilicet fœcunditatem largiendo, vt fecerat iam Deus terræ, & aquis,
c. 1. 28. & omnibus brutis animantibus: hanc benedictionem expreſſit Moſes, cùm per
epitomem humani generis productionem perſtrinxit. *Benedixit,* inquit, *illis Deus,*
& ait, Creſcite & multiplicamini, & replete terram, &c. Non prius datam benedictio-
nem, quam vtérque productus eſſet, & verba, quæ ad vtrúmque referuntur, &
res ipſa docet, quia vtrique erat neceſſaria benedictio, conſtat enim altero coniu-
gum ſterili, nullam eſſe ex coniugio propagationem. Nec priuanda fuit Eua con-
ſolatione diuinæ benedictionis; quæ mox præcepti, & comminationis particeps
facta eſt, vt dicemus. Et ita ſentit Caiet. in hunc locum, licet D. Chryſoſt. *Ante-*
hom. 10. in Gen. *quam,* inquit, *mulierem producat participem illam facit imperij, & benedictionis honore di-*
gnatur. Et iterum, *Quaſi ad duos ſermo ſit, quamuis nondum muliere producta.* Habuit
ſcilicet rationem ordinis, quem textus ipſe exhibet prima fronte.

Benedicuntur coniuges.

SED conueniebat Deum Opt. Max. qui has conciliabat nuptias, & vtriúſque CXXIV.
parens erat, vtrique etiam amplum patrimonium, & dotem dare, quoniam diui-
tem ſe negare non poterat, & eum liberalem, totius mundi productio gratuitò fa-
cta prædicabat. Ergo præter ingentes omnino corporis animíque dotes, quibus
n. 57. & ſeqq. eos ſtatim ab ortu ſuo cumulatè locupletauit, quas quinque capitibus compre-
henſas ſupra perſtrinximus, inſuper illis quaſi patrimonium dat vniuerſam terram.
Replete, inquit, *terram, & ſubiicite eam.* Hoc primo homini dandum erat, ſicut ſe-
Pſal. 2. cundo homini promiſit & dedit in poſſeſſionem terminos terræ. Non vult eos
ſubiicere terram edomitis hoſtibus, qui nulli erant adhuc, ſed oſtendere illam ſi-
bi quaſi dominis eſſe ſubiectam, vt vbique poſſent, quaſi in ſolo & fundo ſuo, ha-
bitare, plantare, ædificare, &c. quæ licent veris dominis; denique illud ad lite-

Quod patrimonium, quæ dos primis parentibus data.

ram de se vsurpare, *omnis locus quem calcauerit pes noster, noster erit.*

Addit autem famulos, seruitiúmque copiosum. *Et dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animalibus, quæ mouentur super terram.* Nec obliuiscitur redituum annuorum, quibus vita dominorum, famulorúmque sustentetur. *Ecce dedi vobis omnem herbam, & vniuersa ligna, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ*, &c. Deu. 11.24.

CXXV *Benedictio coniugum non habet præceptum.* VERVM hæc ipsa paucis decursa, & quasi deuorata, iterum regustemus. Crescere iussit, & multiplicari, & replere terram, non certi cuiuspiam impositione præcepti, idem quippe dictum fuerat piscibus auibúsque, vt notauit Chrysostomus, quas constat præcepti capaces non esse, vt ratione destitutas, præsertim cùm vicem præcepti omnis suppleat ingenitus ipsis animantibus prolis amor ad conseruationem speciei, non præcepti, inquam, impositione, sed largitione eximiæ fœcunditatis, qua à duobus hominibus non vicus aliquis, aut pagus, aut oppidum, sed totus terrarum orbis habitatoribus repleri posset. Ita profectò sensit Augustinus l. 14. de Ciuit. Vbi cùm retulisset quorundam opinionem, spiritualem hic fœcunditatem, non carnalem intelligentium; suam sententiam in ea verba pronunciat quæ doceant non præceptum hic, sed donum amplum atque efficax contineri. *Nos autem*, inquit, *nullo modo dubitamus secundum benedictionem Dei, crescere, & multiplicari, & implere terram, donum esse nuptiarum: quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit, creando masculum & fœminam, qui sexus euidens vtique in carne est. Huic quippe operi Dei etiam benedictio subiuncta est; Nam cùm Scriptura dixisset, masculum & fœminam creauit eos: continuò subdidit, Crescite & multiplicamini*, &c. Et rursus. *Nec dubitamus secundum benedictionem Dei corporaliter potuisse illos in paradiso multiplicari, & si non peccassent coituros sine vlla libidinis perturbatione, vt membra sola voluntas, non libido moueret. Illud tamen credendum quod tanta multitudo nasci potuit hominum, quoad vsque prædestinatorum sanctorum numerus compleretur, quanti & nunc per Dei gratiam colliguntur. Ea namque benedictio nuptiarum quamuis & in delinquentibus manserit, tamen antequam delinquerent data est, vt cognosceretur procreationem filiorum ad gloriam connubij, non ad pœnam pertinere peccati.* Hæc ferè Augustinus. Vide schol. 12. & sup. n. 90. hom. 10. — à cap. 21. & deinceps. — c. 22.

CXXVI *Neque reprehensionem continentiæ.* HÆC vtique mulierosos illos perstringunt hæreticos, qui insana libidine prurientes indicto continentiæ bello, eam hoc loco, si superis placet, Domini ore damnatam garriunt: nec minus eorum causam iugulant, qui altera extrema sectantes nuptias Diaboli opus esse mentiebantur, quos præuidens Paulus Apostolus tanto ante damnauerat, *Honorabiles nuptias, & thorum immaculatum* pronuncians, in quos etiam passim antiquissimi patres fortia tela vibrarunt, sufficiet nobis vnus hoc loco Beda in hexaëm. *Hæc autem*, inquit, *hominum multiplicatio, & repletio terræ, non nisi per coniunctionem erat maris & fœminæ perficienda. Si autem benedictione Dei crescit, & multiplicatur genus humanum, quanta sunt maledictione digni, qui prohibent nubere, & dispositionem cælestis decreti, quasi à Diabolo compertam, condemnant? Non ergo damnandæ sunt nuptiæ, quas ad propagationem generis humani, terrámque replendam superna gratia benedictionis instituit, sed magis honoranda, maioréque est digna benedictione virginitas, quæ postquam impleta est terra hominibus, casta mente simul & corpore agnum quocunque ierit, id est, Dominum Iesum in cælestibus sequi, & canticum nouum, quod nemo alius potest, ei cantare desiderat. Deus námque & Dominus noster, qui in primordio mundi nascentis fœminam ex viri latere formauit, vt mutua illorum coniunctione terram esse implendam doceret, ipse in fine sæculi assumpsit virum de carne virginis, omnis contagionis expertem, & tota diuinitatis plenitudine perfectam, vt virginitatis se gloriam potius, quàm nuptias diligere probaret.* Hactenus S. & venerabilis Beda. Heb. 13. 4. — *Laus virginitatis.*

CXXVII. *Mundus vniuersus homini subiectus.* IAM quod ad immensa illa latifundia, quæ Dominus largitus est homini, sic res videtur accipienda, vt homo, quamuis in paradiso quasi in ædibus regiis plurimùm habitaret, totam tamen terram haberet in potestate, vt quocumque ipsi visum esset proficisci, vbique in propriis esset bonis & suis; indéque mox tanquam in proprium palatium in paradisum reuerteretur, neque enim qui eum induxit in paradisum inde exire vetuit, & qui totam illi terram largitus est, eam visere prohibuit, qui etiam post peccatum solo illum paradiso exclusit; denique

Psal. 8. 6. hom. 10.

testante Dauide. *Gloria & honore coronauit eum, & constituit eum super opera manuum suarum, omnia subiecit sub pedibus eius*, &c. *Vidisti*, inquit Chrysostomus, *inenarrabilem potestatem, vidisti principatus magnitudinem; vidisti condita omnia sub huius potestatem redacta; ne post hac parum de rationali hoc animante imagineris, sed cogita honoris magnitudinem, & Domini erga illud beneuolentiam, obstupescens illius insuetam, & indicibilem misericordiam.* Sed quid mirum datas homini terras & maria, & aërem, & omnes incolas eius, quibus etiam famulati iussi sunt cœli. Neque enim alteri quàm homini in signa, & tempora, & dies, & annos esse potuerunt, vt notauit S. Bernardus. Sed iam de dominio, quod illi in omnia conuenit animantia, dictum est suprà, nunc de subiectis ei terris nonnihil libandum fuit.

serm. 14. in psal. *Qui habitat.* n. 42. 70. & seqq.

DE victu autem & vestitu quid dicemus? nihil sanè nos vestitus remorabitur, CXXVIII.
erant enim ambo nudi, sed luce innocentiæ, & candida simplicitate tecti, vestibus non indigebant. Victus amplius retinebit, quoniam in eo homini assignando prohibitionem inseruit, qua intelligeret, qui omnium Dominus factus fuerat, vnum se habere Dominum, factorem & conditorem suum. *Ecce dedi vobis*, inquit, *omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.* Geminus datur homini cibus, herbæ terræ, & arborum fructus, tametsi apud Iustinum Martyr. à quibusdam Patribus traditum fuerit, neque arborum fructibus; neque carnibus vti licuisse ante diluuium, sed datur homini brutisque communis, vt terrarum hic atque animantium Dominus intelligat, se in cibi necessitate brutis animantibus aggregari, ad elationem animi quotidie deterendam. Sed simul agnoscat quî magnus pater familiâs prouidentia sua non solùm filios amplectatur, sed ab ea ne seruitia quidem excludat. *Aperit* quippe *manum suam, & implet omne animal benedictione*: domesticum, & ferum, abiectum & nobile, validum & infirmum, perfectum & imperfectum, terrenum & volucre, nec est quod negligatur à bonitate eius. Quid ergo piscium nulla est hic mentio? An quia cum his nulla hominis conuersatio, vnde nec ab eo nomina acceperunt? An quia cibum habent sibi semper obuium, eundem fere cum potu? An potius quia meminisse tantùm voluit Dominus animalium, quæ cibum habetent cum homine communem? alioqui eorum æquè meminisset in assignando cibo, atque in tradendo super eos dominio.

Quis ei datus cibus.

q. 119.

Ps. 144. 16.

Et animantibus.

Quid piscibus.

VERVM facilè est intelligere hominem solis herbis, frugibúsque terræ, & fructibus arborum ante diluuium esse nutritum, propter eximiam eorum vim & bonitatem, quæ non solùm necessitatem, sed appetitum etiam ita explerent, vt nihil præterea desideraretur; quanquam nihil dubito eos & lacte de pecoribus, & melle de apibus esse vsos, fortè etiam non defuit natiuum saccarum, & manna, & id genus sponte ortæ deliciæ. Nec credibile est in tanta frugum copia patres illos porcis glandes inuidisse; etsi id plerique antiqui recentioresque in aureo sæculo solenne fuisse prædicarunt. Instar plurium sit vnus Boëtius, CXXIX.

An glandibus aut pane victitarint.

l. 2. de consolat. metr. 5. & refertur à Tostato in c. 1. Gen. qu. 33. & à Perer. l. 4. n. 248.

Fœlix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ sera solebat
Ieiunia soluere glande:
Nec bacchica munera norat
Liquido confundere melle.

Et mox. *Somnos dabat herba salubres,*
Potum quoque lubricus amnis,
Vmbras altissima pinus.

Et in fine. *Heu primus quis fuit ille*
Auri qui pondera tecti,
Gemmásque latere volentes
Pretiosa pericula fodit?

Hanc ipsam adumbrat vitam Seneca in Hippolyto.

—— *iuuat hic aut amnis vagi*

Pressisse ripas, cuspite aut nudo leues
Duxisse somnos, siue fons largus citas
Defundit vndas, siue per flores nouos
Fugiente dulcis murmurat riuo sonus
Excussa syluis poma compescunt famem,
Et frugu paruis vulsa dumetis cibos
Faciles ministrant:

Et mox. ——*hoc equidem reor*
Vixisse ritu, prima quos mistos Deis
Profundit ætas.

Et iterum aliquãto post, vbi non benè agriculturam negat opera domitorũ boum,
——*iussu nec Dominum pati*
Iuncto ferebat terru seruitium boue:
Sed arua per se fœtu, poscentes nihil
Pauere gentes. Sylua natiuas opes
Et opaca dederant intra natiuas domos[14]. 14. ✗.

Nam si operabatur terram, nónne & seminabat, & colligebat fruges, & ex tritico conficiebat panes? Nam audi Sapientem. *Initium vitæ hominis aqua & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.* (Eccli. 29. 28.) Et iterum, *Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis & ferrum, sal, lac, & panis similagineus, & mel & botrus vuæ, & oleum, & vestimentum.* (c. 39. v. 33.) Quæ si quis Adamo, & primis illis hominibus conuenire, & valde quadrare dixerit, nihil opinor absurdi dixerit. Quin potius indignans Orator dixerit, Quæ tanta est in hominibus peruersitas, vt inuentis frugibus glande vescantur? Num putemus ignatum Adamum aut Euam artificij molendi, aut pinsendi, aut omnino conficiendi panis? qui delicatas omnes artes nouerat, num necessarias ignorabat? quidni & vteretur? Esum carnium, & vini potum non sanè ignorabat, sed ab inconcessis, suo mox edoctus malo, temperabat. Vnde nec vlla vini mentio in citatis locis Ecclesiastici.

CXXX. *Cibus carniuorũ animalium.* At difficilius est intelligere quî satis tum prouisum fuerit à Deo animalibus carniuoris de conuenienti cibo, tam enim erat eis tunc naturale vesci carnibus quàm nunc, & eorum natura per hominis peccatum mutata non est, vt notauit D. Thomas. (q. 96. a. 1. ad 2.)

Existimo probandam hoc loco Caiet. sententiam, Mosem herbarum dumtaxat & fructuum arborum, in victum hominum, & animantium meminisse, quod hic sit communis animantium cibus, nec vllum sit animal quod his viuere non possit, vt tempore diluuij in arca probatum est. Tacuisse autem peculiarem cibum de quo à Deo huiusmodi rapacibus animalibus prouisum est, quod hic appetitus sit eis proprius, non communis, quem describebat. Nec absurdum est hæc animalia excepta esse, quantumcúmque locutio generalis sit de cunctis animantibus terræ, omníque volucri cœli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens; tum quia satis constat hic pisces non esse comprehensos, in quibus tamen est anima viuens; tum quia sæpe in huiusmodi scripturæ locutionibus aliqua exceptio intelligenda est, vt, *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum,* (Ps. 13. 1. 3.) quid Dauid? Et, *Omnis caro corruperat viam suam.* (Gen. 6. 12.) Et tamen eo ipso tempore iustitiæ testimonium habet Noë ab ipso Deo; tum quia carniuora comprehensa sunt sub (Gen. 7. 1.) communi ratione cibi, quo viuere possunt, & in arca vixerunt, & sæpe in fame viuunt. Nam Ouid. lupos & vrsos carniuoris aggregat,

Cúmque lupis vrsi dapibus cum sanguine gaudent. (15. Metam.)

At Plin. *Serratorum*, inquit, *dentium carniuora sunt omnia; vrsi & fruge, fronde, vindemia, pomis, viuunt, & apibus, cancris etiam, & formicis: Lupi, vt diximus, & terra in fame.* (l. 10. c. 73.) Sic ille. Quid mirum cum vice versa equi pro fœno & auena carnes nonnunquam vorasse dicantur, vt equi Diomedæi. Diuina quoque prouidentia factum esse, vt aliquanto tempore ab esu carnium abstinerent feræ carniuoræ, censet Abulensis, (q. 14. in c. 1. Genes.) ne alioqui facilè, nondum multiplicatis animalibus, species aliqua interiret, idémque dicendum illi erit de tempore diluuij.

CXXXI. *An mutatus post diluuium.* NEC tamen condemnarim eorum sententiam, qui sicut hominum ita & animalium temperamentum mutatum existimant post diluuij tempora; &

hominem diuino permissu, feras instinctu carnibus vesci cœpisse. Eam sententiam probat Perer. estque sine dubio Bedæ in hexaëm. Vbi simul nullas herbarum noxias aut venenatas fuisse ante reatû hominis existimat, quod supra refutatum est: & vniuersa animantia, etiam lupos & accipitres, concorditer herbis virentibus, ac fructibus arborum victitasse. Sed audiamus etiam Magnum Basilium: si tamen Basilium, sunt enim qui Nysseno Gregorio eius fratri eam homiliam tribuant. Et reuera apud eum quoque extat Orat. 2. in verba *Faciamus hominem*, diuerso tamen interprete. *Non dixit*, inquit, *dedi vobis pisces in cibum, dedi vobis pecora reptilia, quadrupedia. Neque enim in eum vsum hæc creaui, inquit, verum primaria illa legislatio esum indulsit fructuum: neque dum enim paradisi domicilio censebamur indigni. Hic proinde mysterij quiddam obscurioris delitescit: nobis enim in commune cum feris, volucribus cæli, denique cum vniuersis terræ bestiis collatus est fructuum esus, gramen quoque, cùm interim paucas ferarum liceat videre alî fructibus. Nam quo tandem fructu se pasci panthera sustineat? quis fructus cedat leoni in cibum? Attamen feræ istæ, tantisper dum iugum legis natura passa sunt, vitam tolerabant esitatione fructuum. Homo autem simul vt præstitutum sibi educendæ vitæ prætergressus est canonem, & limitem præfinitum transcendit; prænoscēs Dominus à diluuio homines nequaquam sibi ab inconcessis temperaturos, indulsit quouis cibo vesci. Omnia hæc, ait, quasi olera virentia comedite. Per hanc nobis indultam concessionem, & animalia quæque pari libertate donata sunt quiduis impune edendi ex eóque tempore & leo erudiuorus, & vultures cadauerum auidi.* Hæc ibi, ex quibus intelligis illam fuisse sancti Patris sententiam, vt illa prima mundi ætate bruta æquè atque homines carnibus abstinerent, additque aliquanto post huiusmodi feras tunc vi imaginatiua apprehendisse herbam omnem fœnaceam sibi collatam in cibum, ac proinde nihil insidiarum in se molitos esse.

l. 4. in Gen. n. 154. die 3. n. 22. & seqq.

hom. 11.

Basilij sententia.

Gen. 9. 3.

Ergo & aues tutæ mouere per aëra pennas,
Et lepus impauidus mediis errauit in agris,
Nec sua credulitas piscem suspenderat hamo.
Cuncta sine insidiis, nullúmque timentia ferrum
Plenáque pacis erant.

Psal. 8. 6.

IAM Dominus largè thesauros suos in genus humanum profuderat, quibus in eximiam, ac prope angelicam euehebatur dignitatem, attestante Dauide, *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum*, & quæ sequuntur, proximéque illi vniuersæ terræ, omniúmque animantium dominium tradiderat, cùm etiam visum est diuinæ sapientiæ atque æquitati hominem sibi præcepto imposito declarare subiectum. De quo postremo sexti huius diei opere quatuor illa nobis breuiter inquirenda sunt, quando, & quam ob causam datum fuerit homini hoc præceptum, quale id fuerit, & qua pœna sancitum. CXXXII.

Præceptum datur Adamo & Eua.

QVOD ad tempus attinet, dubium illud facit series Mosaicæ narrationis: in qua præceptum hoc statim introductioni Adami in hortum subiicitur; & phrasis ipsa videtur exigere, vt dicamus datum Adæ antequam Eua produceretur, cùm singulari numero in Latino, Hebræóque textu semper loquatur, *Præcepitque ei dicens, Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Itáque sensit Ambrosius. *Non adorsus est eum, qui coram acceperat cæleste mandatum, sed eam adorsus est, quæ à viro didicerat.* Et lib. de Institut. Virg. *Si Adam quod à Domino Deo audierat seruare non potuit, quomodo potuit seruare mulier, quod audiuit à viro? Si illum Dei vox non confirmauit, quomodo illam vox firmaret humana?* Sanctus quoque Chrysostomus secutus narrationis ordinem. *Nondum*, inquit, *muliere producta, quasi vtrique mandaret, dicebat. Ne comederitis ex eo.* Et mox, *Quasi vtrique loquitur, vt posthac formata ex viro muliere occasionem illi præbeat docendi illam illius præcepta.* CXXXIII

Datum ne fuerit ante Euam productam.

l. de parad. c. 12. init. c. 4.

hom. 24. in Gen.

At D. Augustinus anceps fuit; cùm enim hanc posuisset quæstionem in vtrámque partem argumentatus insolutam reliquit; ait enim fortè factam iam fuisse, posterius tamen eius productionem enarratam; fortasse etiam nondum factam, sed præceptum datum marito, quod vxor ab illo disceret. Dubius etiam Pererius noster, sicut & Abulensis probabilius tamen vtérque putat Euam nondum fuisse productam, propter ordinē in textu seruatum, & ne tardāte Domino dare præceptū, fortè Adā de fructu prohibēdo comederet, & sublata fuisset occasio tētatori.

l. 8. de Gen. ad lit. c. 17. in c. 15. Gen q. 116 & 117. l. 4. in Gen. n. 142. in fin.

CXXXIV. *An potius post eius ortum vtrique traditũ fuerit.*

IN contrarium autem est tum versio Septuaginta interpretum, quæ fere plurali numero concepta est: tum verba Euæ. *Præcepit nobis Deus ne comederemus.* Quomodo & serpens dixit. *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis, &c.* [c. 3. v. 3.] Num oblitus esset versipellis, si Adamo soli locutus fuisset Deus, dicere, cur præcepit Deus viro tuo, &c. vt significaret illam præcepto minimè obligatam. Iosephus secutus Septuaginta, vt solet, ait Adamum & vxorem de cæteris plantis à Deo gustare iussum, vnam arborem scientiæ solum illis interdixisse, præmonitis si attingerent, confestim exitium eis affuturum. Rupertus affirmat Euam Deo præcipiente iam productam, eique præceptum sicut & Adamo intimatum; ne alioqui, quod absurdum est, consequenter dici potuerit illam non fuisse præuaricationis ream; cùm præceptum nequaquam acceperit. [Idem sensit Gregor. l. 35. Moral. 10. l. 2. c. 32. In c. 3. Gen.] Caiet. ex verbis mulieris ad serpentem deducit, tam præceptum vtrique immediatè à Deo datum fuisse, (quod alioqui mulier dictura fuisset. Præcepit Deus viro meo,) quàm mulierem ante præceptũ fuisse productam. Eum sequitur Fonseca, Lipomanus in catena, Del Rio, qui in verbis præcepti enallagen numeri admittit. [Ibidem. c. 2. Gen.] Accedit etiam Cornelius à Lapide & Eugubinus in hunc locum. Mihi quoque longè probabilius videtur iam fuisse productam Euam, cùm hoc præceptum datum est. Nam & fieri potuisse clarum est, iuxta ordinem rerum gestarum hoc sexto die, quem numero decimo quarto digessimus, & factum esse Septuaginta sua versione docuerunt, & fieri decuisse apparet, vt tanto diligentius custodiretur, quanto certior vterque esset de prohibitione diuina, quam ex eius ore ambo suis ipsi auribus accepissent. Et conueniebat simul dari potestatem edendi fructus, & exceptionem poni de fructu scientiæ. Nec series Mosaicæ narrationis hanc euertit sententiam, cùm perspicuum sit illum non semper rationem temporis habuisse, alioqui productionem paradisi die tertio, non autem post septimum enarrasset. Moyses porro locutus est in singulari, quia nondum exposita fuerat formatio mulieris, nec alloqui deceret eam, quæ nondum est. At Septuaginta vt innuerent non seruatum à Moyse ordinem temporis, & singulari & plurali numero in eodem præcepto vsi sunt, sicut & Apostolus. [Gal. 6. 1. & 2.] Nec necesse fuit statim inducto in paradisum Adamo dari legem, quia satius erat dari vtrique, vt diximus, & tempus perbreue interiectum fuit [15]. [15. ✠.]

CXXXV. *Vt Deum agnoscerent Dominum.*

CAVSAM dati præcepti sancti Patres eam agnoscunt ex parte Dei, vt sese hominis Dominum ostenderet, quantumcúmque ille cæteris omnibus creatis rebus imperaret. [l. 8. de Gen. ad lit. c. 11.] Itaque D. Augustinus notat nusquã hactenus à Scriptura Deum Dominum appellatum, sed Deum duntaxat, nisi cùm hominem in paradiso constitutum præcepto obligauit, vt se eius Dominum ille intelligeret [16]. [16. ✠.] Quod D. quoque Gregor. Nyssenus obseruauit in cat. Lipomani. Ad id autem hoc præceptum conuenientissimum fuit; quippe quod datum est non de malo aliquo vitando, vel bono faciendo, quod naturæ lex & recta ratio vitandum, aut faciendũ dictaret: sed quod ex sola iubentis voluntate penderet, sola ipsius Domini auctoritate niteretur. Hinc autem etiam significabatur, vt notauit Caiet. Hominem ad finem supernaturalem creatum esse, quoniam præceptum ei dabatur quod merè positiuum erat, & non naturale morale, vt finis medio respondere intelligeretur. Eleganter porro hoc loco Chrysostomus. *Hæc faciebat*, inquit, *quasi dominus aliquis liberalis domum magnam alicui concedens, & vt dominium sibi saluum maneat, paruam tantum pecuniam dandam ab illo præscribit. Sic sanè & benignus noster Dominus concesso omnium, quæ in paradiso sunt, fructu, ab vno tantum ligno abstinere iussit, vt scire posset quod sit sub Domino, cui obedire debeat, & parere, si quid illi imperarit.* [hom. 14.] Hæc ibi.

CXXXVI. *Et obedientiam exercerent fructuosissimam.*

VOLVIT ergo Dominus hominem obedientiam exercere, & obediendo promereri fœlicitatem, quàm ipsis quoque proponebat vt coronam iustitiæ. Augustinus enim. [l. 8. c. 13. de Gen. ad lit.] *Ab eo ligno*, inquit, *quod malum non erat, prohibitus est, vt ipsa per se præcepti conseruatio bonum illi esset, & transgressio malum. Nec potuit melius & diligentius commendari quantum malum sit sola inobedientia, cùm ideo reus iniquitatis factus est homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionẽ, quam si non prohibitus tetigisset, non vtiq; peccasset.* Et infra. *Quare prohibitum est, nisi vt ipsius per se bonum obedientiæ, & ipsius per se malum inobedientia monstraretur? Denique à peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo, ne admitteretur, sola deberet iussio dominantis attendi*, & c. 6. eiusdem libri. *Oportebat autem vt homo sub Domino Deo positus, alicunde pro-*

hiberetur, vt ei promerendi Dominum, virtus eſſet ipſa obedientia, quam poſſum veriſſimè dicere ſolam eſſe virtutem omni creaturæ rationali, agenti ſub Dei poteſtate propriam, primúmque eſſe, & maximum vitium tumoris ad ruinam, ſua poteſtate velle vti, cuius vitij nomen eſt inobedientia. Non eſſet ergo vnde ſe homo Dominum habere cogitaret, atque ſentiret, niſi aliquid ei iuberetur. Eadem eſt Gregorij mens atque ſententia. *Neque*, inquit, *mala in paradiſo arbor extitit, quam Deus homini ne contingeret interdixit. Sed vt per melius obedientiæ meritum homo benè conditus creſceret, dignum fuerat vt hunc etiam à bono prohiberet, quatenus tanto verius hoc quod ageret virtus eſſet, quanto & à bono ceſſans, auctori ſuo ſe ſubditum humilius exhiberet.* Et rurſus Auguſt. *Tamē & alios ſumebant cibos, præter vnam arborem, quæ fuerat interdicta, non quia ipſa erat malum, ſed propter commendandum puræ & ſimplicis obedientiæ bonum, quæ magna virtus eſt rationalis creaturæ ſub creatore Domino conſtituta. Nam vbi nullum malum tangebatur, profectò ſi prohibitum tangeretur, ſola inobedientia peccabatur*[17].

Obedientiæ laus.

l. 35. moral. c. 10. vel 13.

l. 13. de ciuit. c. 20.

17. x.

cxxxvii. Iuſtiſſimā.

Ea porro inobedientia hoc maior agnoſcitur, quò præceptum ipſum iuſtius & facilius fuiſſe intelligitur. Quid enim iuſtius, quàm benè moratum filium optimo parenti obtemperare, & patris recta imperantis iuſſioni filij voluntatem & libertatem ſubeſſe, & in omnem partem flecti ac regi. Iniuſta eſt & ingrata inobedientia ſicut eius parens ſuperbia, vt eleganter docet ſiue Paulinus, ſiue Hieronymus ad Celanthiam. *Et nos*, inquit, *ſecuro ac bono animo ſumus, qui per ſingula quæque præcepta inhonorantes, Deum clementiſſimum ad iracundiam prouocamus; eiúſque imperium ſuperbiſſimè contemnendo, in tantæ maieſtatis imus iniuriam. Quid enim vnquam tam ſuperbum, quid verò tam ingratum videri poteſt, quàm aduerſus eius viuere voluntatem, à quo ipſum viuere acceperis? quàm illius præcepta deſpicere, qui ideo aliquid imperat, vt cauſas habeat remunerandi? Neque enim obſequij noſtri Deus indiget, ſed nos illius indigemus imperio.* Hæc ibi. Nihil ergo æquius erat aut iuſtius, quàm vnicum ſeruare mandatum, & in vna re gratificari hominem Deo, à quo cuncta acceperat, à quo pendebat quicquid erat & poterat, quicquid ſciebat & volebat, quicquid habebat & ſperabat.

Epiſt. 14.

Iniuſta inobedientia.

cxxxviii. Atque facillimam: & quæ videantur facere difficile præceptum.

Vervm enimuero iuſtum erat præceptum; quid enim iniuſtum proficiſci ab ipſa iuſtitia ſempiterna potuit? ſed arduum ac difficile; nam cibi & potus cupiditas ægrè in homine quantumuis iuſto ſuperatur, ideóque hanc arripuit anſam diabolus ſecundum hominem tentandi, & primum euertendi; Deinde cibus erat & guſtui ſuauis, & viſui delectabilis, vt gemino quaſi hamo ſuauitatis ac pulchritudinis irritaret appetitum. Denique ingens pondus difficultatis afferebat ſcientiæ appetitus, ab ipſo Deo naturæ humanæ inſitus, atque ingenitus, qui hîc conculcandus erat. Nihilominus hâc orationem facilè refellet Auguſtinus l. 14. de ciuit. vbi agens de huius inobedientiæ pœna. *Quiſquis huiuſmodi damnationem*, inquit, *vel nimiam vel iniuſtam putat, metiri profectò neſcit, quanta fuerit iniquitas in peccando, vbi tanta erat non peccandi facilitas. Sicut enim Abrahæ non immeritò magna obedientia prædicatur, quia vt occideret filium res difficillima eſt imperata: ita & in paradiſo tanto maior inobedientia fuit, quanto id quod præceptum eſt, nullius difficultatis fuit. Et ſicut obedientia ſecundi hominis eo prædicabilior, quia factus eſt obediens vſque ad mortem: ita inobedientia primi hominis eo deteſtabilior quia factus eſt inobediens vſque ad mortem. Vbi enim magna eſt inobedientiæ pœna propoſita, & res à creatore facilis imperata, quiſnam ſatis explicet quantum malum ſit non obedire in re facili, & tantæ poteſtatis imperio, & tanto terrenti ſupplicio.* Sed de ſupplicio poſtea.

c. 15.

cxxxix. Quibus reſpondetur & firmatur facilitas.

Facilitas autem ipſa, qua de agimus; ex illis ipſis, quæ contra facere videantur magis eluceſcit, non enim magno aliquo, ac perpeti ieiunio hominem affligere voluit, quod ſupponit illa ratio, ſed vnius duntaxat arboris fructu abſtinere, cæteris omnibus, quæ infinitæ erant, eius arbitrio, poteſtatique permiſſis, vt iis quando, quóque modo placeret, vteretur. *Omnes autem paradiſi arbores*, ait Gregorius loco cit. *ad eſum Dominus conceſſit, cùm ab vna prohibuit, vt creaturam ſuam, quàm nolebat extingui, ſed prouehi, tanto facilius ab vna reſtringeret, quanto ad cunctas latius relaxaret.* Et Chryſoſtomus luculentius. *Magna huius præcepti facilitas eſt. Sed, dilecte, graue malum eſt deſidia, facítque vt facilia omnia videantur difficilia.* Et infra. *Num moleſtum aliquid & graue peto ex te, frui enim omnibus tibi permitto, vnum præcipio ne tetigeris.* Et mox. *Quis pro dignitate admirabitur communis omnium Domini liberalitatem?*

hom. 14.

Cùm nullum adhuc bonitatis specimen præ se ferret Adam, tanta à Deo beneficia accepit. Neque enim dimidiatam illi dedit rerum fruitionem, neque à pluribus abstinere iussit, & cæteris frui; sed participem omnium, quæ sunt in paradiso esse voluit, ab vno solo ligno abstinere præcepit, monstrans reipsa, nullius alterius gratia hoc ipsum se facere, quàm vt tantorum beneficiorum auctorem agnoscere posset. Theodoretus. *Num leue tibi videtur esse peccatum? dederat ei plantarum omnium potestatem, vnius solius manducationem prohibuerat: ille verò reliquis omnibus prætermissis, ex hac prima & sola arbore fructum decerpsit.* Credibile etiam est fuisse in horto illo fructus alios longè suauiores ac pulchriores, puta palmarum dactylos, & saccari arundineta, & malogranata, & ficus, nisi fortè illa arbor ficus fuit, qua de re suo loco disputatum est, & malorum infinitæ species; sed fructum illum Euæ visum pulchriorem & suauiorem, quàm fortassis reipsa esset, æstimari potest, quia iam mala curiositate victa & corrupta incipiebat probare illud,

q. 37. in fin. — dies 3. n. 55. & seq.

Nitimur in vetitum semper, cupimúsque negata.

Et, *Aquæ furtiuæ dulciores sunt.* Quin etiam non desunt qui putent huiusmodi cibum humano corpori noxium fuisse[18], parum omnino probabiliter, siue corporum constitutionem spectent, quæ tum, si vnquam alias, optima fuit, siue diuinã bonitatem, quæ fructus innocentibus filiis non in pœnam, sed in cibum procreatat. Vnde August. *Mihi autem etiam atque etiam consideranti dici non potest quantum placeat illa sententia, non fuisse illam arborem cibo noxiam, neque enim qui fecerat omnia bona valde, in paradiso instituerat aliquid mali; sed malam fuisse homini transgressione præcepti.* Videtur tamen ita sensisse Ambrosius, & ab Augustino tacito nomine refutari. Denique scientia non ita irritabat, atque exacuebat appetitum, nondum per peccatum deprauatum; præsertim cùm iam speculatione ea omnia nossent, quorum praxim, & experimentum magno suo malo didicerunt.

Prouer. 9. 17. 18. ℞. — l. 8 de Gen. ad lit. c. 6. — l. de parad. c. 2. post med.

CXL. *De pœna imposita inobedientiæ.* QVIN & pœna ipsa capitalis, quæ huic præcepto imposita erat, appetitum ipsum frangere debebat, & intellectum docere, rem hic maximè seriam agi, cùm ab optimo ac sapientissimo parente profectam constaret; & rationis compotem percellere voluntatem in negotio, in quo innumerabilium hominum salus vel damnatio æterna verteretur. Itaque hæc pœnæ magnitudo, vt ex Augustino dicebamus, valde auxit inobedientiam, & in re natura sua leuicula, mortiferum scelus inuexit. Ostendit enim huiusmodi pœna quantum res cordi sit legislatori, in cuius voluntate sita est vis, ac vigor legis, Dei præsertim, cuius vnius voluntas est regula iustitiæ & æquitatis. Mortem autem corporis intelligi constat, ex interpretatione Pauli Apostoli.

l. 14. de ci. c. 15. — Rom. 5. v. 12.

CXLI. *Quamque lenis ea fuerit.* TANTA porro fuit diuina bonitas & clementia in huius vel interminatione, vel inflictione supplicij, vt, iuxta ea, quæ supra ex communi doctorum sententia constituta sunt, Deus reipsa minaretur duntaxat hominem peccati reum pristinæ suæ miseriæ, & mortalitati restituere, ei scilicet quæ ipsi, ex naturæ ipsius principiis, debebatur; & à qua iustitia originalis, & lignum vitæ reddebat immunem. Idque disertè Caietanus hoc loco docuit. *Non dicimus*, inquit, *hominem ante peccatum fuisse immortalem, quoniam mors naturalis est homini ex necessitate materiæ; sed dicimus fuisse seruandum à morte diuino dono, quo homo priuatus est merito peccati inobedientiæ. Et propterea mors, quæ absolutè erat homini naturalis, effecta est etiam pœna peccati primi hominis. Itaque nunc mors est & naturalis, & pœna peccati.*

n. 78.

CXLII. *Homo restitutus necessitati moriendi.* SIC ergo intelligendum est illud, *morte morieris*, id est, ad naturalem tibi moriendi necessitatem redibis, non autem quod statim moriturus esset, vt nongentorum triginta annorum vita comprobatum est. Quæ causa fuisse videtur Diuo Hieronymo vt diceret, melius vertisse Symmachum, Mortalis eris, θνητὸς ἔσῃ, quàm quæ tunc erat vulgata ex Septuaginta, Morte morieris, θανάτῳ ἀποθανεῖσθε. In versione tamen sua, ne à textu discederet, in quo est, moriendo morietis, Symmachum non est secutus; quanquam eandem esse vim Hebraicæ locutionis Hebraice peritissimi consentiant. Idem placet Vatablo, Del Rio, Sà, Eugubino, Caietano; Oleastro, qui tamen addit comminatoriè ad literam posse accipi de morte statim incurrenda, veram tamen pœnam esse, quod statim morti obnoxius redderetur per remo-

In qq. hebra.

tionem

tionem prohibentis à morte, ligno ſcilicet vitæ. Quod ad animam verò, cuius vita eſt gratia, mors peccatum, ſtatim mortui ſunt. Corporis autem mortem quotidie expectabant. *μετὰ γὰρ τὴν θείαν ἀπόφασιν καθ' ἑκάστην, ὡς εἰπεῖν, ἡμέραν, τὸν θάνατον προσεδέχετο*, inquit Theodoretus. *Nam poſt diuinam ſententiam fere quotidie mortem expectabat*[19]. D. autem Auguſtinus hanc mortis comminationem ita interpretatur, vt ea mortem corporis & animæ, & huius, & futuræ vitæ comprehendi velit. Et alibi ait hominem, ſtatim atque peccatum eſt, moriendi neceſſitatem incurriſſe[20].

[Margin: q. 38. in Geneſ. — 19. x.; l. 13. de ciui. c. 12. eodem lib. c. 23. — 20. x.]

CXLIII. *Epilogus diei ſexti.* Hoc porro præcepto primis parentibus impoſito, finem accepit dies mundi ſextus, cùm primi parentes viuere cœperunt in magna vitæ puritate, atque innocentia, magna conſolatione & lætitia, ſine pudore nuditatis, vt habetur c. 2. v. 25. quo diei fine, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, quia præter ſingulorum bonitatem, accedebat illa bonitas ordinis, & proportionis omnium membrorum iſtius magni corporis, quæ ſingulis affert aliquod extrinſecum bonitatis incrementum, ipſum autem totum ita perficit, vt nihil, aut redundet, aut
Eccl 72. deficiat. Itaque liceat cum Sapiente in fine dierum molitionis mundi dicere, *Magnalia ſapientiæ ſuæ decorauit*, omnibus ſcilicet à ſe creatis decorem, & ornatum ſuum attribuens, *qui eſt ante ſæculum*, & erat ab æterno antequam quicquam faceret à principio, *& vſque in ſæculum, neque adiectum eſt*, ab eo tempore quicquam noui operis, *neque minuitur*, per conuerſionem alicuius in nihilum, quæ ſola mundum minuere poteſt, *& non eget alicuius conſilio. Quàm deſiderabilia omnia opera eius!* quàm digna vt in eorum contemplatione mortales defixi admirentur ſapientiam conditoris, & nihilominus fateantur, hæc omnia quæ ſunt conſideratione dulciſſima, non exhaurire eius ſapientiam infinitam, aut immenſam potentiam: ſed vix eſſe ſcintillam eorum omnium, quæ ipſe in infinitum procreare poteſt Qui eſt laudabilis & glorioſus in ſecula.

SCHOLIA IN DIEM SEXTVM.

N. IV. 1. HÆc porro animalia cùm aliis in locis, tum etiam in ipſo paradiſo producta fuiſſe, loco videlicet fœcundiſſimo, atque opportuniſſimo dicendum videtur, nec ea ſolùm ad Adamum adducta fuiſſe, quod ex Moyſe conſtat, ſed ibi etiam diuerſata, ne homo in illo deliciarum loco ea careret. Iucunditate & fructu, qui ex animalibus ſumitur Auctor huius rei eſt Baſilius homilia de paradiſo.

2. בְּהֵמָה. Pro iumentis textus Hebræus habet behemach, qua voce quidam maiora animalia, ſiue armenta intelligunt, quæ victitant herbis, ſiue domeſtica ſint, ſiue ſylueſtria. Verùm
חַיַּת. tertia vox chaiath cum ſylueſtribus conueniat ſatius eſt Behemach tribuere mitibus. Qua de re conſule ab Oleaſtro, ex quo alio loco diximus huiuſmodi nominum ſatis incertam eſſe ſignificationem.

N. VI. 3. Nemeſius l. 1. de natura hominis c. 1 habetur t. 9. bibl. Patrum. Anaſtaſ. Nicenus q. 24. in ſcript Ioan. Damaſc. l. 2. cap. 2 de fide c. 10. Chryſoſtomus eleganter, in Pſalm. 148. Theophilus Antioch. lib. 2. ad Autolycum. Theodoret. q 18. in Gen. Eocherius in catena & lib. 1. in Gen. c. 7. Auguſt. l. 3. de Gen. ad lit. c. 15. Rupertus l. 1. c. 56. Beda in Gen. & in lib. de ſex dierum creat. & in qq. in Geneſim. Magiſt. 2. ſ. d. 15. D. Thom. 1. p. q. 72. Magiſt. hiſt. Schol. c. 8. Lactant. l. 7. c. 4 D. Thom. 1. p. q. 72. ad 6. D. Baſil. hom. 9. in hex. S. Ambroſ. l. 6. cap. 6. in hex. S. Chryſ. in Pſalm 148. ſub med. Theodoret. q. 18. Rupertus lib. 1. cap. 56.

N. XVI. 4. Annotauit Ambroſ. l. 6. hexaëm. c. 7. & in l. de dignitate humanæ condit Chryſ. hom 8. in Geneſ *Quis igitur hic ad quem*, inquit, *faciamus hominem? quis autem alius quam ille magni cõſilij Angelus ille, admirabilis, conſiliarius, potens, princeps pacis, &c.* Eadem eſt mens Greg. Nyſſ. l. de opific hominis c. 16. Athan. in orat. contra idola circa fin. Aug. lib. de Gen ad lit. imperf. & l. 3 c. 19. & l. 16. de ciuit. c. 6. Euſeb. l. 1. hiſt. c 1 Epiphan. in Anchorat & hæreſi 46. Cyril. l. 1. aduerſos Iulianum. Hilar l 4. de Trinit. Theodoret. q. 19. in Gen. Rupert. l. 2. in Gen. c. 1. Procop. in Gen D. Thom. 1. p q 91 a. 4. ad 2. præter recent Del Rio, Peter l 4 n. 2. Vaſques in 1. p. diſ 108. n 12 Atque à Deo Hebraizantes Caiet. Vatabl. Oleaſter, Eugub in Coſmop. & annot. in Gen. Ac ne Iudæi quidē hoc colloquium negant, ſed varia ſibi effugia comminiſcuntur vt ſibi in ſuo errore blandiantur, quos plerique prędictorum egregiè refellunt. Vide etiam Galatinum l. 2. c 8. Philo certè Iudęus, vt Eugubino placet fol. 44. b. & ipſe Platonis inſiſtens veſtigiis in l de quęſt. & ſolut. *Διὰ τί ὡς περὶ ἑτέρου θεοῦ φησὶ τό, ἐν εἰκόνι θεοῦ ἐποίησα τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' οὐχὶ τῆς αὐτοῦ; παγκάλως καὶ σοφῶς τοῦτο κεχρησμῴδηται. θνητὸν γὰρ οὐδὲν ἀπεικονισθῆναι πρὸς τὸν ἀνωτάτω, καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἐδύνατο, ἀλλὰ πρὸς τὸν δεύτερον θεόν, ὅς ἐστιν ἐκείνου λόγος*, &c. Quę ſic vertit Eugub in Coſmopœia p. 45. *Quamobrem veluti de altero Deo dicit, ad imaginem Dei feci hominem, non autem ad imaginem ſuam, præclarè & ſapienter hoc oraculum editum eſt. Nihil enim quod eſſet mortale poterat ad eum, qui ſupremus eſt, paterque vniuerſi figurari: ſed ad ſecundum Deum, qui eſt verbū eius.*

Et subdit mox. *Quem alterum Deum esse dicit, non quidem quod duo essent, sed quod veterum illorum ea esset loquendi consuetudo, nondum propter hæreses distinctionibus verbis repertis, nam alias prædicat patrem cum filio vnum Deum.* Hæc Eugubinus. Cæterum non est hic Philo Iudæus, nec id opus reperitur in eius operibus. Sed alius quidam Philo.

N.XVII. 5. Quod subobscurè inaudierant Ethnici, qui è terra hominem productum, sicut & reliqua animantia dixere; vide Diodorum Siculum, id ex Euripide, & Ægyptiorum relationibus referentem. Lib. 1. Biblioth.

N.XVIII. 6. Idem Tertul. l. aduersus Hermog. cap. 2. *Deinde qualiter fecerit reddit. Et finxit Deus hominem de limo terræ, & afflauit in faciem eius, &c.* Ipsam tamen phrasim crebrò variat vt lib. 2. c. 4. contra Marcio. *Bonitas finxit hominem de limo terræ, &c.*

Ibid. 7. Nonnus Ioan. 9.

Ὀφθαλμοὺς τελέων νεοτευχέας ἠθάδι πηλῷ
Ἐκ χθονὸς αὐτογένοιο.

Recens fabricatos perficiens oculos consueto luto ex puluere virigena.

Et Aristoph. ὀρνιθ. hominem vocat πλάσματα πηλοῦ. Et ante vtrumque Iob. cap. 10. 9. Μνήσθητι, ὅτι πηλόν με ἔπλασας. *Memento quod lutum feceris me.* Quæ causa est vt Trismegistus homines appellet γηγενεῖς, id est, terrigenas. Et Sapiens 7. 1. καὶ γηγενοῦς ἀπόγονος πρωτοπλάστου. *Et ex genere terreni illius, qui prior factus est.* Sic vniuersè homines dicuntur γηγενεῖς Ierem. 32. 20. Psalm. 43. 3. Et peculariter gigantes Prouerb. 9. 18. & 2. 18.

N.XXXI. 8. Vide Plat. in Timæo, & in Epinom. & 18. de legibus. Origen. ad Psalm. 89. & ad Hierem. c. 24. & 28. & tom. 20. in Ioan. init. & l. 1. Periarc. 7. & 8.

N.XXXVI. 9. Pagninus quoque faciem retinuit, & Eugubinus probat, aliique: Grammatici Hebræi eandem vocem אף aph, significare tradunt iram, propriè tamen nasum, in cuius flatu ira proditur, sed & pro tota facie per Synedochen sumi, quod ea pars in facie præcipuè emineat: docet idem Pagninus in radice אנף & alibi. Et sanè spiritus in nares inspiratus, in totam faciem diffusè inspiratur.

Ibid. 10. *Meminit autem nasi*, ait Caiet. *eo quod nasus est extrinsecum organum primum respirationis, & inspirationis. Cuius duo sunt signa, alterum quod nasus factus est patulus, os autem clauditur, vnde dormienda clauso ore inspiratio & respiratio fit sufficienter per nasum. Alterum est quod aer in ore inquinatur, ex vaporibus qui eleuantur ex stomacho, vt patet in iis qui sunt fœtidi anhelitus, aer autem per nasum respiratus, absque inquinatione ad pulmonem tendens.*

N.LXIX. 11. *Mors*, inquit Pererius, *& corruptio potest homini accidere, vel intrinsecus ex iis quæ sunt in homine, vel extrinsecus ex iis quæ mortifera homini accidunt. Intrinsecus mortis causa esse potest defectio caloris naturalis, aut primigenij humoris, quem radicalem appellant, vel immoderata vis alicuius passionis, & perturbationis animæ; quosdam enim nimio mœrore, timore, etiam gaudio interiisse proditum est: vel ex propria electione, vt qui præsentis vitæ tædio, aut malorum quibus premuntur, impatientia, aut ingruentem calamitatem præuertere cupientes; violentam sibi mortem consciscunt: vel ex immodico cibo & potu, venerisque intemperantia, vel denique nimio ex labore & defatigatione corporis. Hæ sunt in ipso homine mortis causæ. Extrinsecus autem mors homini potest contingere, vel ab alio homine, vel à bestiis; vel à dæmonibus, vel ab ipso Deo per Angelos; vel ex lethali aliquo potu, esuque, vel ex defectione necessarij cibi & potus, vel ex intemperie cœli, vel ex casu aliquo fortuito, vti est in ignem, aquam, vel foueam prolabi, vel lapidis, aut alicuius rei ictu, percussuque feriri: hæc homini extrinsecus interitum afferunt. Nec his addere oportet dissolutionem temperationis quatuor humorum, ex quibus humanum corpus constat, vnde multa & varia morborum genera existunt: hoc enim nunquam homini contingit, nisi aliqua subsit de supradictis causis. Hæc autem omnia Deo custodiente, & protegente facile præcauisset, ac propulsasset Adam. Etenim aduersus illas mortis causas efficacissima & paratissima habebat remedia. Primo quidem perfectam scientiam in vniuersali & particulari rerum omnium, quæ prodesse ipsi aut nocere possunt: tum summam omnium affectuum moderationem, quos nempe arbitratu suo vel excitabat, vel cohibebat: postea vsum, cibi, potus, veneris, & exercitationis corporis non nisi tantum, quantum ex rationis præscripto ei conueniebat, atque conducebat. Deinde arborem vitæ, cuius fructus perceptio & esus, ad integrum caloris naturalis vigorem conseruandum, & reficiendum natiui humoris defectum potentissimus erat. Ad hæc maximam & promptissimam ciborum maximè salutarium copiam. Denique nullus hominum fuisset alij homini non amicus & concors; cunctaque animantes fuissent homini non innoxiæ modo, sed mites etiam atque obedientes, nihil præterea fuisset permissum dæmoni aduersus hominem: à Deo autem & sanctis Angelis tantum abest, vt aduersi quicquam posset homini accidere, vt quæ ab eo non satis prouideri, & præcaueri possent, per Angelos arcerentur atque repellerentur.* Hæc Pererius.

Non est autem quod hîc mulierosi Apostatæ sibi blandiantur, quasi Deo improbante continentiam, quam tam serio Paulus Apostolus, & Christus ipse non solùm commendarunt, sed etiam matrimonio prætulerunt. Vide in hunc ipsum locum Augustinum l. 9. de Genes. ad lit. c. 7. *Vnde enim magnum*, inquit, *magnique honoris meritum apud Deum fidelis, & pia virginitas habet, nisi quia isto iam tempore continendi ab amplexu, cùm ex omnibus gentibus adimplendum Sanctorum numerum largissima suppetat copia, percipiendæ sordidæ voluptatis libido non sibi vendicat, quod iam sufficienda prolis necessitudo non postulat.* Hæc cùm S. August. dicat, num eorum orationem admitteret, qui fidem Deo promissam per incestas nuptias temerant? N.XC. 12.

N. CXX. 13 Scio vocem (duo) in Hebræo non haberi, nec in Chaldæa paraph. A Septuaginta additã quidam putarunt explicandi causa, diuina vtique inspiratione, proptereàque eam vocem Christus ipse, iuxta eorum interpretationem retulit. Math. 19. 5. Marc. 10. 6. Et Paulus ad Eph. 5. 31. 1. Cor. 6. 11. Leo Castrius in Apolog. l. 3. contendit erasam fuisse à Iudæis. Verùm satis intelligitur ex præced. cùm in singulari dicatur, homo adhærebit vxori suæ, vide D. Hieronymum l. 1. contra Iouinianum. Vbi citat hunc locum, Tertul. de monogam. c. 4. qui est etiam in hac re austerior.

N. CXXIX. 14. Ouid. etiam in 1. Metam.

Per se dabat omnia tellus,
Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fœtus, montanáque fraga legebant,
Cornáque, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.

Si glandes, certè melle dulcescebant. Nam sequitur condimentum.

Flauáque de viridi stillabant ilice mella.

Nec minus verum illud Eccl. 4. Virg.

Incultísque rubens pendebat sentibus vua,
Et duræ quercus stillabant roscida mella.

Huc referri potest illud Pythagoræ apud Ouid. 15. Metam. sub init. vbi prohibet esum carnium, quem fortè inconcessum inaudierat, sed stulta Metempsycosi temerauit.

Parcite mortales dapibus temerare nefandis
Corpora, sunt fruges, sunt deducentia ramos
Pondere poma suo, tumidaque in vitibus vuæ:
Sunt herbæ dulces, sunt quæ mitescere flamma
Mollirique queant, nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia florem,
Prodiga diuitias, alimentáque mitia tellus
Suggerit, atque epulas sine cæde & sanguine præbet.

Et infra,

At vetus illa ætas, cui fecimus aurea nomen,
Fœtibus arboreis, & quas humus educat herbas
Fortunata fuit, nec polluit ora cruore.

Vide Del Rio in Hyppol. Senecæ v. 536.

N. CXXXIV. 15. Cæsarius in 3. Dialogo q. 8. in fine ait non mox atque factus fuit Adamus præceptum ei datum fuisse, sed post aliquod tempus, *Quod tamen*, inquit, *minimè definitum habemus.* Eóque refert illud Apostoli Rom. 7. 9. in persona Adæ dicentis. *Ergo verò viuebam absque lege aliquando, &c.* Verùm satis constat ibi Apostolum agere de lege Mosis, in qua habetur, *non concupisces*, non de ligno vetito. Deinde cum ibi dicat D. Paulus. *Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit*, perspicuum est id in Adamum non quadrare, non enim in eo peccatum reuixit, quippe qui ante hoc mandatum nunquam peccator fuerat, neque in peccato siue sciens siue ignorans vixerat. Id ergo in sensu, quem vocant per accommodationem, accipiendum est.

Sed D. Augustinus videtur parum emendatis codicibus vsus, quibus cùm sæpè conflictatus est, vt patet l. 5. de Genesi ad lit. N. CXXXV. 16.
c. 3. Nam in libris Hebraicis, Græcis ac Latinis & paraphrasi Chaldæa initio huius cap. habetur, Dominus Deus: & deinceps quinquies antequam illi præceptum daret, Hebræa & Græca exemplaria id repetunt.

Hanc legem, si dignitatem spectes, Adamo datam Tertul. cap. 2. contra Iudæos N. CXXXVI. 17.
agnoscit quasi aliarum omnium compendium, in qua omnia præcepta condita recognoscantur, quæ postea per Mosem data repullularunt. Eandem vocat primordialem legem, & quasi matricem omnium præceptorum Dei. Eum consule.

Vide Ludou. Viuem lib. 4. de ciuit. cap. N. CXXXIX.
15. Eugub. in Cosmopœia in illa verba. *Vi-* 18.
dit igitur mulier, &c. forte non est absurdum, inquit, *quod aiunt nonnulli Hebræi, venenum quasi subesse fructibus illis, propter minas Dei: Ideóque mulierem dubitasse, hancque suspicionem serpentem remouisse.*

Cætera consentiens Theodoretus Hiero- N. CXLII.
nymo, οὐκ εὐθὺς, inquit, ἀπέθανε τὴν ἐντολὴν πα- 19.
ραβάς, φαμὲν δὲ καὶ ὅρον εἶναι, ὅτι τὸν τῆς θνητότητος ὅρον θάνατον ὠνόμασεν. *Non statim*, inquit, *mortuus est post transgressionem, ad quod dicimus decretum & definitionem mortalitatis, mortem scripturam appellasse.*

Prius est enim animale corpus, quale ha- Ibid. 20
buit primus Adam, quamuis non moriturum nisi peccasset. quale nunc habemus & nos, hactenus eius mutata, vitiatáque natura, quatenus in illo, posteaquam peccauit, effectum est, vnde haberet iam moriendi necessitatem. Et paulò antè. *Eo quippe die* (quo violatum est præceptum) *mutata in deterius vitiatáque natura atque à ligno vitæ separatione iustissima, mortis in eis etiam corporalis necessitas facta est, cum qua nos necessitate nati sumus.* Hæc ibi Augustinus.

Dies mundi Septimus.

1. 2. IGITVR *perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum*[1]. *Com-* Num. I.
pleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat. Non dicit quod fa- *Complexio*
ciebat, neque enim produxit aliquod prædictorum operum ad *operum sex*
diem vsque septimum, sed omnia perfecit die sexto extremo, se- *dierum.*
ptimus autem est terminus extrinsecus totius creationis proptereáque explicandi causa Septuaginta, καὶ συνετέλεσεν ὁ θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ τὰ ἔργα

αὐτοῦ, ἃ ἐποίησε. *Et perfecit Deus in die sexta opera sua quæ fecit.* Itaq; *requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat*, non quasi ex labore fatigatus, sed vt desinens aliquid noui producere, non cessans tamen omnia conseruare, atque gubernare vsque in præsentem diem. Itaque *benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo.*

II. *Sanctificatio diei septimi, eius que multiplex finis.*

ADEST igitur dies quietis, & cessationis ipsi Deo, ab omni opere quod fecerat, non quod facere potuerat si libuisset; dies benedictionis, id est approbationis, & laudis piorum operum, quæ huic diei destinata erant; (dies enim magnus & benedictus dicitur, propter opera, quæ in ipso fiunt) dies sanctificationis, id est segregationis à profano vsu, & dedicationis in cultum & honorem Dei; Dies contemplationis diuinorum operum, dies gratiarum actionis, dies religiosi cultus, & venerationis conditoris rerum omnium, vt fusius docet Philo. (l. de decalogo.) Dies denique reparationis virium hominibus, & iumentis addictis seruituti hominum. Eorum enim curam gerens clementissimus omnium Dominus, *Sex diebus*, inquit, (Exod. 23. 12.) *operaberis, septimo die cessabis, vt requiescat bos, & asinus tuus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena.*

III. *Dies septimi mundo coæua obseruatio ex scriptura.*

QVAMVIS autem ex hoc loco perspicuum sit quàm antiqua sit diei septimi sanctitas atque obseruatio, non desunt tamen antiqui, recentioresque scriptores, qui eius obseruationem lege Mosis antiquiorem negent. Nam Tertul. (l. contra Iudæ. c. 2.) contendit prioribus illis sæculis, neque circumcisionem frequentatam, neque sabbatismum; Adamum neque circumcisum, neque sabbatizantem, colonum paradisi à Deo factum, Abelem quoque sine circumcisione, aut sabbathi obseruatione ab eo laudatum, Noë de diluuio liberatum, Enoch de hoc mundo translatum, vt æternitatis candidatum, Melchisedech ad sacerdotium Dei allectum, Loth de Sodomitarum incendio liberatum; denique priscos illos omnes Dei amicos neque sabbata, neque circumcisionem obseruasse. Vatablus etiam putat dici hîc per anticipationem sanctificari diem septimum, quod septimus dies sanctus fuerit, data lege, non prius: quod tamen non persuasit Emanuëli Sà, rectius existimanti iam inde à principio sabbatum celebratum, idque ab Apostolo indicari. (4. ad Hebr.) Sed apertius etiam indicatur in Exodo. (c. 20. 8.) *Memento vt diem sabbathi sanctifices.* Vt quid enim renouatur memoria, nisi ad significandum rem, quæ iam in antiquo vsu est, lege noua stabiliri?

IV. *Probatur ratione.*

NEC sanè est cur existimemus Adamum, aliósque Patriarchas, non vnum aliquem diem diuino cultui destinasse, prælucente naturæ lumine, & dictante, tempus aliquod Deo colendo assignandum. Quis autem credat eos non potius, exemplo Domini, diem septimum, quàm aliquem alium elegisse? res autem ipsa, quæ in mores piorum abierat, lege postea Mosaica sancita est. *Propterea*, inquit Eugubinus in Cosmop. *numerus ille ac dies, quia maximè naturalis, operibúsque diuinis conuenientissimus fuit, habitus est deinceps in omni ætate apud omnes gentes venerabilis ac sacer. Itaque Pythagorei septem Græcè dici putauerunt ἑπτὰ, quasi σεπτὰ sacrum, venerabile. Quod Latini secuti σεπτὸν sanctum dixerunt.* Et apud eundem leges Hesiodum diem septimum sacrum appellauisse, & Linum septima die omnia opera creationis fuisse perfecta, scripsisse ad Mosis narrationem alludendo. Quò fortasse respiciens Philo. *Postquam*, inquit, *vniuersus hic mundus perfectus est, iuxta perfectam naturam senarij numeri, sequenti diei sabbato pater honorem addidit, quem vbi laudauit, mox sanctum appellare dignatus est.* (l. de hom. opif.) *Est enim festus, non vnius populi, regionisve, sed in vniuersum omnium: quæ sola digna est vt dicatur popularis festiuitas, & mundi natalis.* quibus similia reperit in lib. de Decalogo. Et alibi. *Quis enim sacrum illum diem per singulas hebdomadas recurrentem non honorat, remissionem laborum, feriásque afferentem, &c.* (l. 2. de vita Mosis, sub fi.) Quibus non dissimilia declamat Iosephus.

V. *Nec aliter sensit Tertullianus.*

IAM verò Tertulliano concesserimus quod de circumcisione contendit, id esse verissimum. Neque enim præceptum de illa antecesserat, vel exemplum; & lege naturæ auersanda potius videbatur circuncisio, quàm assumenda; at longè est diuersa ratio sabbati. Nam cùm Dei cultum, & beneficiorum gratitudinem ratio ipsa naturáque doceret, exemplum etiam Domini erat ad imitandum propositum, vt eo potius die quàm alio, Deo per hymnos & sacrificia seruiretur.

Itáque videtur sentire Tertullianus eos sponte ante legem latam, quæ legis erant
Rom. 2. 14. obsetuasse, quantum ea à naturæ lege dictabantur. Nam si Paulus auctor est etiam
gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt facere, quanto id
verius de Patriarchis illis dici potest? Et certè Tertull. eodem loco. *Denique*, in-
quit, *ante legem Mosi scriptam in tabulis lapideis, legem fuisse contendo non scriptam, quæ*
naturaliter intelligebatur, & à Patribus custodiebatur. Atqui ea lex Dei cultum
Vide D. Th. 2. 2. q. 100 a. 3. ad 2. & a. 5 ad 2. & 1. p. q. 75. & Caiet. in hūc locum Genes. quanuis indistinctè docet, determinario autem certi temporis, aut loci ad Iu-
dæorum cæremonias pertinet, ideóque id mutationi obnoxium fuit, reliquum
& legem scriptam antecessit, & ea antiquata perseuerauit.

SEQVITVR iam vt quoniam de productione rerum actum est, hominísque VI. *De ruina hominis per peccatū.*
ipsius propter quem gloria & honore coronandum hic aspectabilis mundus est
editus, vt eleganter docet Gregorius Nyssenus: sequitur, inquam, vt de ruina
l. de hom. opif. c. 2. eius consequenter cum Scriptura dicamus. Prius tamen inquirendum videtur,
quanto tempore in fœlicissimo illo statu vixerit, quidque in eo interea egerit, ad
quem statum extrema illa cap. secundi verba pertinent, *Erant autem vterque nudus,*
& non erubescebant. Priorem quæstionem multum suo more in omnem partem
In c. 3. Gen. in illa verba, *ad auram post merid.* & in c. 13. q. 606. ad 612. l. 6. n. 184 & seq. aliq. qu. ea de re versat Abulensis, Pererius, & Cornelius à Lapide sub finem tertij capite Ge-
neseos.

TRES reperio hac de re opiniones apud Cæsarium, vnam quæ vnum diem, VII. *Variæ opiniones de mora Adami in paradiso.*
nec integrum, facit Adamum paradisi colonum; alteram, quæ sex illum diebus
ibi retinet; tertiam quæ quadraginta, quam & ipse amplectitur, cui etiam quar-
Dial. 3 q. 8. ram addit quam mauult recipere. Verba eius hæc sunt. *Quot dies in paradiso exegit*
1. *Adamus? Siquidem multi, qui eius gesta memoriæ produnt, partim quidem tradunt dies sex,*
2. *ideóque, vt aiunt, sexto die venit Seruator, alij verò sex tantùm dicunt horas, ideóque sexta*
3. *hora crucifixus Seruator, alij quadraginta dies asserunt, quos in paradiso habitauerit, & in*
delicijs egerit, vnde propter transgressionem expulsus sit; quos aiunt retulisse Christum, & com-
pensasse quo tempore per quadraginta dies neque comedit, neque bibit in deserto, à Diabolo velut
homo tentatus. Respondet autem isti quæstioni Cæsarius. *Quod quadraginta dierum*
tempus attinet, id verò & ipse iam antea tradidi, ac videtur mihi haud absimile vero esse.
Nam hoc imitans sacer Ecclesiæ nostræ cætus, semel per totum anni ambitum cum abstinentia *Quadragesima.*
seuerissima tam ciborum quàm rerum ieiunat, pristinam paradisi patriam, & desiderabilem il-
lius victum desiderio maximo expetens. Nimirum vicissim primi parentis nostri debitis Chri-
stus se subiecit. Cùm ille dicto non fuerit obediens, vicissim hic obediit vsque ad crucem & mor-
tem. Ille tentatus per Euam, cùm illa iam à tentatore superata esset, gustauit de vetitis: hic
tentatus ieiunat compensans quadraginta exactos in paradiso dies à primo parente nostro Ada-
mo; & pro delicijs ad inopiam nos excitans, &c. Fusè enim diducit hoc argumentum
donec ita concludat. *Quemadmodum igitur felle pastus, aceto rigatur, eius cibi causa,*
quem Adamus sumpserat dum homo in diuina natura illius debita dependit, ita mihi viden-
4. *tur & hi quadraginta dies pro totidem diebus rependi.* Sic ipse, qui nihilominus in lon-
gioris etiam temporis commorationis huius opinionem propendet. Nam subdit.
Sed tamen pro illorum numero senario, & meo quadragenario, profectam ad nos à quibus-
dam haud obscuris senibus de hoc rationem, cuius fundamentum eximij Apostoli verbis niti-
tur, recipere malo, quod nimirum longiore temporis spatio in paradiso beatè primus ille pa-
Rom. 7. 9. *rens noster vixerit. Nam in eius persona D. Apostolus apertè clamat. Ego autem viuebam*
sine lege aliquando. His addo illud Mosis Barcephæ lib. de Parad. p. 1. in fi. *Qui-*
dam existimant, inquit, *triginta annos inibi fuisse, nempè quod Dominus noster in mundo*
egit pro expiando illius scelere, vt quandiu primi homines magnificentia paradisi sunt potiti,
tandiu ipse mundi huius humilitatem tolerauerit. Alij putant quadraginta diebus Adamum
illic hæsisse, eóque Christum dies totidem ieiunium durauisse, nimirum vt ieiunium reme-
dio esset illorum ingluuiei, per quam admisere peccatum in paradiso. Hæc ibi. Quarta est
igitur hæc opinio, omnium vt videtur minimè probabilis, cuius etiam fundamen-
tum supra à nobis dirutum est.

RELIQVARVM trium media mihi maximè videtur probabilis: neque enim VIII. *Videri fuisse sex dierum.*
credibile existimo primum hominem in horto illo voluptatis per sex septémve
horas, aut etiam nouem mansisse, aut omnino eodem die, quo productus est
in cap. 13. Gen. q. 611. peccasse, & è paradiso consequenter eiectum esse, quamuis eam communem
dicat Abulensis: tam multa enim sunt, quæ in hunc sextum diem cadant, de qui-

bus hactenus disseruimus, vt nullum prætetea tempus ad tentationem superfuisse videatur. Producta sunt quippe omnia terræ animantia, tum à Deo tanquam bona approbata. Initum de homine producendo consilium, formatum
Summa gestorum sexta diei. de limo terræ corpus hominis, & inspirata anima viuificatum; deducitur deinde in paradisum dudum productum: rursum deliberat Deus de producenda muliere; animalia in hortum ad Adamum deducuntur, quibus & nomina sapienter excogitata imponit, quod opus non vnius, aut alterius horæ quidam censuerunt, sed multorum dierum, aut longioris etiam temporis, vt supra dictum est. n.104.die 6 Deinde obdormiscit Adam, sopito costa eripitur, repletur caro pro ea, Eua ædificatur, Adam euigilat, deducitur ad eum mulier, agnoscitur, denominatur, conciliantur nuptiæ, datur vtrique benedictio, fœcunditas, & dominium in vniuersa animantia, eis cunctisque animantibus cibus assignatur, fructus vnius arboris sub pœna capitis excipitur. Si quid reliquum temporis eo die fuisse dicamus, quomodo id satis fuit tentatori, ad explorandum quomodo viuerent in illo horto, & qua ex parte essent ad tentationem, & fraudem opportuni, id enim vna aut altera hora fieri vix potuit; at oporteret etiam non parum superesse temporis ad tentationem, cuius summa tantùm refertur, & ad culpæ agnitionem, & ad vestes ficulneas, & ad latebras, & ad totum iudicium à Deo cum peccatoribus exercitum, & eam, quæ quamprimum subsecuta est, expulsionem. Denique ex iis quæ paulò pòst dicentur, de primorum parentum in horto consuetudine atque vsu luculentius illa præpropera eorum culpa, & eiectio refelletur. Nituntur autem istæ opiniones congruentiis & coniecturis, petitis à temporis spatio, quo Christus passus est, aliisque similibus partim falsis, partim malè cohærentibus, quæ à Tostato fusius confutantur. qq. cit. n. 6

IX. Qui sentiãt eodem conditionis die eiectum. VERVM Augustinus in hac sententia videtur fuisse. Cùm enim posuisset interrogationem, quare primi parentes non conuenissent, nisi postquam exissent de paradiso, respondet *quia mox creata muliere, antequam conuenirent facta est illa transgressio, cuius merito in mortem destinati, etiam de loco illius fœlicitatis exierunt*: 1. 9 de Gen. ad lit. c. 4 Pro eadem assertur Irenæus, cùm ait, *secundum vnam & eandem diem, in quo manducauerunt & mortui sunt, quoniam*, inquit, *vna conditionis dies*, cùm ea scilicet, qua manducauerunt, & mortui sunt. l. 5. c. 23. Cap. verò 15. Feuardentius. *Quin etiam*, inquit, *illo vespere, id est, eadem die qua conditus fuerat, & peccarat, eiectum fuisse de fœlicitate paradisi in hanc lachrymarum vallem, inter Græcos Cyrillus, Epiphan. & Diodorus Tharsensis.* (autumant) Barcepha l. de Parad. citat Philoxenum, Ephrem, Iacobum Sabugensem, & alios Syros, qui in eadem quoque secum opinione fuerunt, tametsi, vt ait, alij non pauci contrarium doceant. 1. p. c. vlt. in fi. Pro eadem sententia est Genebrardus in Chron. Eugub. etiam in Cosmop. in ea verba. *Maledicta terra in opere suo*, ait Chrysostomum putare ne vnam quidem perfectam diem fuisse eos in paradiso, eique assentiri Theodotum, iis rationibus motum, quod non tam facilè lapsus esset post multa tem-
1. pora, & roboratam consuetudinem præcepti obseruandi. Deinde quod non pro-
2. derat diu esse in paradiso ei, qui aliquando inde esset eiiciendus. Addit tertiò
3. Eugubinus credendum esse subito post creationem, factam probationem, mysteriáque fuisse inuicem sibi succedentia. Quibus similia refert dictus Moses loco citato, & huic opinioni adhæret Cornelius noster c. 3. Gen.

X. Eis satisfit. AT responderi facilè potest D. August. id dubitanter, atque inquirendo dixisse. Cùm enim paulò antè dixisset, commemorari tantùm, conuenisse & genuisse postquam emissi sunt de paradiso. *Tamen non video*, inquit, *quid prohibere potuerit, vt essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus.* Hebr. 13. 4. Mox autem quærens, quare ibi non conuenerint, citò responderi posse ait, id factum propterea quod mox Eua creata peccasset, vnde & statim subdit aliam responsionem. *Potest etiam dici*, inquit, *quia nondum Deus iusserat vt conuenirent: cur enim non ad hanc rem diuina expectaretur auctoritas, vbi nulla concupiscentia, tanquam stimulus inobedientiæ carnis, vrgebat.* D. quoque Irenæus multas dubitando congerit responsiones, ad explicandum, quomodo verum sit quod dixerat Dominus, qua die comederis morte morieris, nec opus est vt vna eadémque numero dies intelligatur, sed eadem specie sexta, vt mox dicetur. In Epiph. Cyrillo, Ephrem nihil tale reperi.

Moses autem Barcepha nobiscum fermè sentit, ibi enim relatis aliorum sententiis sic ait. *Verùm sententia aliorum doctorum est, nequaquam vno die omnia illa esse peracta, non quia, non potuerit Deus tam breui ea spatia conficere, cuius potentia prorsus voluntati respondet, sed quia non satis consentaneum videtur ea sic facta esse. Et verò si Adam etiam tum nullum paradisi fructum gustasset præter vetitum illum, neque satis adhuc aut locum ipsum, aut eius delicias expertus, solum vertisset, qui potuisset per comparationem ex eius terræ vnde exciderat, fœlicitate, eam in quam detrudebatur duram, horridam, atque infœlicem existimare?* Et paulò pòst. *Sed neque illud satis firmum est argumentum cur præpropera festinatione conturbemus rerum gestarum seriem, atque vnius eiusdémque diei spatio tam multa concludamus, quod de Christi cruciatibus allatum est. Nam vt lubentes fatemur Christum die sexto emendasse atque expiasse quæ ab Adamo admissa fuerant, ita fieri potuisse contendimus, vt Adamus cum die conditi orbis sexta fuisset creatus, atque eodem etiam deliquisset, alio die sexto pro ea dierum serie quæ recurrentes recensentur, sui flagitij condemnatus à Deo sit, atque eliminatus.* Hęc ipse.

XI. *Eiectis illo ipso die quo peccarunt.*

QVÆ nos quoque sentimus, præter illud quod sexto demum die post peccatum paradiso pulsum putat, cùm longè credibilius sit statim post peccatum expulsum, sed sex dies in beata illa innocentia vixisse, neque credibile est peccatores in loco innocentiæ tandiu toleratos, præsertim factos infœlices amissa innocentia; confusione, metu, morsu conscientiæ oppleros; quo etiam tempore potuissent edere de ligno vitæ, & viuere in æternum, iuxta ea quæ mox à Domino dicta sunt, in ipsis è paradiso eiiciendis.

Supra n. 9.

Ad primam Theodori rationem dicimus nos non requirere multa tempora, sed paucos duntaxat dies, quos ipsos degustasse profuit, ad tanto magis dolendum de peccato post lapsum, & ab illo abhorrendum in posterum. Nec necesse fuit tam subitam à creatione fieri probationem, ne si priusquam ille se suáque circumspicere, & agnoscere posset, in tentationem induceretur, Deus tentatori fauere voluisse videretur, qui homines in tumultu priusquam se colligant, solet inuadere, vt Philistæi adhuc semisomnem Samsonem.

Iud. c. 16. 9

XII. *Refutantur qui post 40. dies.*

SECVNDÒ loco minùs probabilem arbitror sententiam, quæ 40. dies, aut longiùs etiam tempus tribuit commorationi primorum paretum in paradiso: tum quia parum firmis nititur siue congruentiis, siue coniecturis. Non enim si secundus Adam post 40. ieiunij dies tentatus est, ac victor euasit, ideo primus, non ante 40 dies fœlicitatis, tentatus, ac prostratus est: tum quia cùm satis constet, semel tantùm illum fuisse tentatum, non videtur inuidia Diaboli tantam dilationem sine certamine ferre potuisse; ne ille habitu, atque vsu virtutis confirmatior effectus, euerti non posset; tum quia illa verba Pauli non in persona Adami dicta sunt, sed cuiusuis hominis sub lege scripta viuentis, vt diximus; nec tamen in ea breue, aut longum tempus assignatur.

XIII. *Statuitur septimo die eiectum.*

l. 6. in Gen. n. 189. in c. 3. Gen. n. 67. anno mundi 1. n. 11.

EXISTIMO itáque probabilius Adamum & Euam octauo à sua productione die, feria sexta secundæ mundi hebdomadæ peccasse, & paradiso eiectos esse. Ita sentit aut coniicit Pererius, Del Rio, Torniellus, Codomanus in suis annalibus. Idémque videtur sentire Lipoma. in cat. in Gen. quem mox referemus. Eadem fuit sententia multorum, quos refert Cæsarius Adæ gesta memoriæ prodidisse. Cùm enim sex dies memorant; primum quo creatus est, & vltimum quo peccauit, quasi inchoatos & imperfectos omiserunt. Eodémque modo duo Euangelistæ post dies sex, tertius post dies octo factam transfigurationem Domini affirmat, in eandémque sententiam facilè, vt diximus, adduci potest Irenæus, & quicunque cum dixerunt eadem die qua creatus est peccasse, & eiectum esse, eadem videlicet specie, non numero, eadémque ipsa Christum, ad tollendum peccatum mundi, passum esse.

Matth. 17. Marc. 9. Lucæ 9. n. 9.

Confirmatur.

l. 6. n. 67. l. 13. de Ciu. c. 20. l. 11. de Gen. c. 31. l. 1. antiq c. 1.

Deinde non paucas horas, sed plures dies videtur exigere illa vox Euæ, de fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur, quod significat non solùm vesci possumus, sed etiam solemus, vt notauit Perer. quæ phrasis consentanea est verbis D. August. quæ postea referemus. In Hebræo est, comedemus. Idem August. *Tale quippe pomum credendum est fuisse in illa arbore, cuius generis poma iam in aliis arboribus innoxia senserant.* Iosephus. *Mox cùm Deus in hortum venisset, Adamus antea cum Deo familiariter colloqui solitus, conscius sibi iniustitiæ, secedebat.* Et iterum. *Deus autem sciscitabatur, quid ita prius delectatus sua consuetudine, nunc fugitaret.* Quæ videtur il-

le non excogitasse, sed ex communi Hebræorum sensu, vel traditione retulisse. Quæ tangit etiam Chrys. homil. 69. in Matth.

XIV. *Quam vitam duxerint: primò immunem perturbationibus.*

QVONIAM ergo positum est aliquot diebus vitam egisse in paradiso Adamum & Euam, age quàm ibi vitam duxerint, siue quod ad corpus attinet, siue quod ad animam inspiciamus.

Primùm, nullis perturbationibus affecti erant. Auctor August. *Si enim habebant,* (l. 14. c. 10.) istos affectus inquit, *quomodo erant beati in illo memorabili beatitudinis loco, id est, in paradiso? Quis tandem dici beatus potest, qui timore afficitur, vel dolore? Quid autem timere vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, vbi nec mors metuebatur, nec vlla corporis mala valetudo, nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipisceretur: nec inerat quod carnem, animúmque hominis fæliciter viuentis offenderet? Amor erat imperturbatus in Deum, atque inter se coniugum fida, & syncera societate viuentium; & ex hoc amore grande gaudium, non desistente quod amabatur ad fruendum. Erat deuitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omnino alicunde malum, quod contristaret, irruebat.* Docet autem deinceps nec cupisse lignum vetitum, nec consequenter timuisse mortem, quia talis cupiditas contra præceptum, fuisset peccatum, quod supponitur nondum irrepsisse. Hinc etiam deducit Bellarm. hominem non potuisse venialiter in paradiso peccare. (lib. 4. de amiss. grat. c. 8.) Tota autem Augustini phrasis, sapit longiorem in paradiso vitæ consuetudinem.

XV. *Sine confusione nuditatis.*

VIVEBANT sine confusione nuditatis; cuius rei Scriptura testis est. *Erat autem vterque nudus, & non erubescebant.* (Gen. 2. 25.) *Non quod eis sua nuditas esset incognita,* ait August. *sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commouebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat.* Et mox. *Patebant oculi eorum, sed adhuc non erant aperti, hoc est non attenti vt cognoscerent quid eis indumento gratia præstaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant. Qua gratia remota, vt pœna reciproca inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens nouitas, & fecit attentos, reddiditque confusos.*

XVI. *Aliæ confusionis causæ.* 1.

NIHILOMINVS dici potest hanc non esse adæquatam confusionis causam; siue quia in mulieribus non haberet, opinor, locum; siue quia hanc confusionem videmus in paruulis, cùm primum rem illam tanquam indecoram apprehenderint, in quibus tamen nullus talis est præter voluntatem motus. An ergo causa pudoris est, quod actus ipse venereus hominis humilitatem prodit, eúmque bestiis maximè aggregat, rationis lumine obtenebrato, quo maximè homines sumus; consequenter etiam pudori sunt instrumenta naturalia isti officio destinata, quin & sermonis de talibus pudet, vt habes apud Augustinum. (l. 14 de Ciu. c 2.) Affert aliam rationem Moses Barcepha non inelegantem. (l. de Parad. p. 1 c. 28. post med.) *Is affectus,* inquit, *qui circa ea membra versatur,*

2. *Cur diuinitus data.*

cùm pertinacior, difficiliórque sit cæteris omnibus animi perturbationibus, quæ in nobis sunt, opus erat verecundia, tanquam freno iniecto, quo peccatum ea in parte cohiberetur, & simul vt nos ipsi ad habendum odio peccatum induceremur, ex quo illiusmodi verecundia in nobis nata sit. Et verò cùm arbitrij nostri libertas non satis valeret sola hunc affectum domare, atque ad se reuerendum adigere, adiunxit ei Deus verecundiam, quò saltem communi vtriusque opera cohiberetur, excinderetúrque; Arbitrij quidem liberi iudicio in anima, verecundia verò frenis in corpore.

XVII. *Sine necessitate, aut molestia corporis.*

VIVEBANT sine vlla necessitate corporis, aut molestia. Id elegantissimè docet D. August. (l. 14 de Ciu. c. 26.) & verbis quæ hîc quoque legi conueniat. *Viuebat,* inquit, *homo in paradiso sicut volebat, quandiu volebat quod Deus iusserat; viuebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: viuebat sine vlla egestate, ita semper viuere habens in potestate. Cibus aderat ne esuriret; potus ne sitiret: lignum vitæ ne illum senecta dissolueret; nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore vllas molestias vllis eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus æstus, aut frigus, sic in eius habitatore nulla, ex cupiditate vel timore, accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum: gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta:* (1. Tim. 1. 5.) *atque inter se coniugum fida ex honesto amore societas, concors mentis, corporisque vigilia, & mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat otiosum, non somnus premebat inuitum.* Addit deinceps de suscipienda illic prole, sine morbo libidinis, quæ

lector, si placet, consulet. Interim cogitabit an isthæc D. Augustini oratio iis faueat, qui pauculas tanrum horas habitationi isti attribuunt.

XVIII. *Rerum naturas contemplabantur.*

die 6. n. 104. die 7. n. 8.

ANIMALIVM cæterarúmque rerum creatarum naturas contemplabantur, vt explicat Lipom. in Cat. in ea verba, *Adduxit ea ad Adam. Obediebant*, inquit, *homini, donec homo quoque Dei sui præcepta seruabat, veniebant autem vt exploraret ingenia, & studia eorum, secundum quæ appellaret ipsa nominibus suis Adam, vt seipsum interim intelligens potiorem bestiis, tantò magis conditorem suum amaret. Non ergo in paradiso ociosus erat, sed pro maxima sapientia illi concreata, rerum naturas solerter indagauit, vnde nec tam parua mora credenda est fuisse ei in loco illo.* Sic Lipomanus.

XIX. *Résque cælestes ac diuinas.*

l. 9. de Gen. ad lit. c. 19. supra die 6. n. 105. hom. quod Deus non sit auctor mali, vers. med.

VIVEBANT spiritualibus contemplationis, ac deuotionis deliciis delibuti, angelorum penè ciues, & domestici Dei. Id in illa prima extasi contigit, cùm formata est Eua, dicente August. *Etiam illa extasis*, inquit, *quam Deus immisit in Adam vt soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, vt & ipsius mens per exstasim particeps fieret, tanquam angelica curia, & intraus in sanctuarium Dei, intelligeret nouissima. Erat aliquando Adam*, inquit Basil. *in sublimi non loco, sed arbitrio, quando statim anima sumpta in cælum lætus aspexit, ex iis quæ vidit maximè gauisus, ac eum vehementer amans, à quo beneficium tantum, & æternæ vitæ fruitionem acceperat: qui paradisi interesse deliciis, & æquè cum angelis & archangelis regnare ac viuere, & diuinæ vocis participem esse dederat*, &c.

Iuit. l. 4. Dialog.

Id etiam sæpiùs, hoc medio tempore inter creationem & culpam contigisse non obscurè significat S. Gregorius Papa. *Postquam*, inquit, *de paradisi gaudiis, culpa exigente expulsus est primus humani generis parens, in huius cæcitatis atque exilij, quam patimur, venit ærumnam: quia peccando extra semetipsum fusus, iam illa cælestis patriæ gaudia, quæ priùs contemplabatur, videre non potuit. In paradiso quippe assueuerat homo verbis Dei perfrui, beatorum angelorum spiritibus, cordis munditia & celsitudine visionis interesse. Sed postquam huc cecidit, ab illo, quo implebatur, mentis lumine recessit.* Quæ verba Gregorij (vt Perer. quoque notauit) apertè docent, Adamum aliquandiu in statu innocentiæ perdurasse, cùm dicat assueuisse verbis Dei perfrui, & beatorum Angelorum choris interesse: consuetudo enim in breuissimo paucarum horarum tempore vsurpari quî potest?

l. 3. n. 44.

XX. *Qualem huius vitæ finem expectarent.*

l. 2. de pecc. merc. & rem. cap. 2. & 3.

DENIQVE transitum expectabant ex hac vita qualem describit Augustinus. *Proinde si non peccasset Adam*, inquit, *non erat exspoliandus corpore, sed superuestiendus immortalitate & incorruptione, vt absorberetur mortale à vita, id est, ab animali in spiritale transiret. Neque enim metuendum fuit, ne dum fortè diutiùs hic viueret in corpore animali, senectute grauaretur, & paulatim veterascendo perueniret ad mortem. Si enim Deus Israëlitarum vestimentis & calciamentis præstitit, quòd per tot annos non sunt obtrita; quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia præstaretur, vt animale, ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum, quo sine defectu esset annosum; tempore quo Deus vellet, à mortalitate ad immortalitatem, sine media morte venturus.* Et iterum l. 13. de ciuit. vbi agens de corporibus nostris reparandis post resurrectionem in meliorem statum, quàm fuerit in primis hominibus ante peccatum, sic ait. *Qui licet morituri non essent nisi peccassent, alimentis tamen vt homines vtebantur, nondum spiritalia, sed adhuc animalia corpora gestantes, quæ licet senio non veterascerent, vt vetustate perducerentur ad mortem, qui status eis de ligno vitæ, quòd in medio paradisi, cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia præstabatur, tamen & alios sumebant cibos, præter vnã arborem, quæ fuerat interdicta.* Et mox: *Alebantur ergo aliis, quæ sumebant, ne animalia corpora molestiæ aliquid esuriendo, ac sitiendo sentirent: de ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis vndecunque subreperet, vel senectute confecti, decursis temporum spatiis interirent, tanquam cætera essent alimento, illud sacramento.* Hæc August. quorum verbotum *sumebant & alebantur*, durissima fuerit expositio, ali poterant ex iis, quæ sumere poterant, facilis & opportuna, vt de vsu ordinario accipiantur, vt diuturnior in paradiso mora D. August. probata videarut. Etsi enim de ligno vitæ dicat, *gustabatur*, de quo satis constat eos non gustasse, ipsemet tamen locutionem temperat, & aliter accipiendam significat, cùm dicat cætera fuisse alimento, illud Sacramento.

cap. 20.

SCHOLIVM IN DIEM MVNDI SEPTIMVM.

N. I. I. COELORVM quidem Angeli & astra: terræ verò, aquæ, & aëris, plantæ & animalia; quæ quia ornamento sunt suis locis, ornatus vocantur: Et Septuaginta interpr. habent κόσμος. Quia verò ea omnia magno numero constant, & ordine disposita sunt, nomine militiæ, siue exercitus, cui vtrumque competit, appellantur. Idque vox Hebræa significat: & Angelorum exercitus, & militia cœli crebro in Scripturis occurrit: & Deus cœlestium terrestriúmque Dominus, propterea Deus Sabaoth, siue exercituum appellatur. צְבָאוֹת.

Dies mundi decimus tertius.

Num. I. *Tentatio Diaboli an intellectualis.* HÆC ergo erat primorum parentum in paradiso vitæ ratio, istæ occupationes, ista fœlicitas, in qua ad octauum vsque diem perseuerabant, diem sextum, secundæ mundi hebdomadæ, diem ruina mundi & reparatione eius insignem, in qua callidissimus Sathan, quem iamdudum vrebat hominum non solùm præsens, sed etiam futura fœlicitas, statuit Adamum, eiusque coniugem, & cum iis totam eorum posteritatem omnibus bonis euertere, & in sempiternas præcipitare miserias. Sed priusquam sigillatim seriem certaminis huius, & tentationis exponamus, historiæ fun-
Caiet. damentum ponendum est, quòd Caietanus labefactare conatur. Negat enim in hac tota pugna, qua parentes nostri prostrati sunt, serpentem vllo modo interuenisse, sed Diabolum solum, qui serpentis nomine intelligatur, nec eius sermonem vocalem fuisse, qualis serpenti attribuitur, sed sermonem internæ suggestionis, quo Diabolus serpere venenosa cogitatione incepit: & eodem sermonis genere vniuersum istum dialogum, inter serpentem & mulierem intelligendum esse. Hæc est eius sententia totidem penè verbis eius expressa, cuius tamen non
Alij. primus inuentor fuit Caietanus. Nam Procopius Gazæus. *Nec desunt*, inquit, *qui affirmant serpentem præfigurasse Diabolum in quadam figura*, id est serpentem pro Diabolo metonymicωs positum. *Et nullo adhibito organo Diabolum per sese inspirasse mulieri, absque sensili voce, huiuscemodi consilia, & rationes.* In istorum itaque cogitationem incurrit Caietanus, quam cùm nouam esse crederet, plusque habituram admirationis quàm fidei suspicaretur, eam vndique communire ac stabilire conatus est.

II. *Quæ pro illa opinione faciant.* DOCET ergo hanc expositionem non debere absurdam videri, tum quia passim Scriptura animalium nominibus vtitur, pro ratione vtentibus creaturis, iuxta illud, *ecce agnus Dei.* Et rursus, *vicit Leo de tribu Iuda*; & Apocal. 12. Diabolus non
1. solùm Draco, sed etiam serpens appellatur, vnde sicut ibi non intelligitur Dia-
2. bolus in corporea specie serpentis, pari ratione nec hic. Tum quia falsum est serpentem callidiorem omnibus brutis animantibus, si natum rerum peritis philo-
3. sophis habeatur fides. Tum quia locutio attribuitur serpenti, quam constat animali bruto non conuenire; ergo de intellectuali serpente loquitur, nec par est ratio asinæ loquentis, quia ibi apertè miraculum significatur, cùm dicitur Dominus aperuisse os asinæ; at hic nullum à Mose insinuatur miraculum. Tum quia Num. 22.
4. constat pœnam non vero serpenti, sed Diabolo inflictam. Accedit ad hoc quod
5. nihil scribitur de aduentu serpentis ad mulierem, nihil de horrore mulieris ad eius præsentiam, cùm tamen Moses fugerit præsentiam serpentis. Nihil de admiratione mulieris quod serpens loqueretur, sed sermo tantùm refertur habitus,
Obiectio. quasi cum collocutore domestico. Quòd si dicas non intelligi Diabolum, sic enim diceretur non tantùm callidior cunctis bestiis terræ; sed etiam cunctis homi-
Responsio. nibus; Respondet id rectè dæmoni conuenire, qui propter peccatum in ordinem bestiarum redactus est, eo quod sicut illæ non sunt propter seipsas, sed propter hominem, & incapaces sunt fœlicitatis, sed nobis ad eam acquirendam famulantur. Ita dæmones, qui à fœlicitate consequenda defecerunt, nec eius sunt vltra capaces, nobis ad eam consequendam, licet præter suam intentionem, seruiunt,

Deo mala ipsorum voluntate, & tentationibus ad nostram exercitationem, &
gloriæ acquisitionem vtente. Postremò ait sensus istos metaphoricos vtiles esse 6.
Christianæ fidei professioni, præcipuè coram sapientibus mundi huius. Percipientes enim quod hæc, non vt litera sonat, sed metaphoricè dicta intelligimus,
ac credimus, non horrent hæc de costa Adam, & serpente tanquam fabellas, sed
venerantur mysteria, & faciliùs ea quæ sunt fidei complectuntur. Quòd si quis *Obiectio.*
ei diceret, aperire ipsum viam errori Origenis, iam pridem in Ecclesia condemnato, historiam omnem paradisi è sensu literali, & historico, in allegoricum transferente. Respondet non hinc dari ansam interpretãdi reliqua metaphoricè, quo- *Responsio.*
niam hæc habent ex ipsomet textu vt metaphoricè intelligantur, non alia. Hæc
nos ex Caietan. fidelissimè, ac totidem penè verbis; à qua sententia non multum
in cap. 3. Gen. abest Fonseca in notis in Caietan. & Eugub. in Cosmop. vbi serpentem quidem
admittit, sed phantasticum, eoque nomine propter externam speciem dictũ esse;
quales à Magis in Ægypto effecti coram Pharaone, re autem ipsa fuisse Dæmo-
2. ℞. nem, vtpote intelligentem & fallacem [2].

ALTERA opinio huic è diametro opposita Hebræorum fuit tempore Iose- III.
in cap. 13. Gen q 429 in fine. phi, vt ait Abulens. Non videtur tamen fuisse Philonis. Is enim qui sensum lite- *Quæ pro merè corporea.*
l. de parad. c. 2. in fine. ralem rarò sequitur, per serpentem intelligit voluptatem, cúmque secutus est
l. 1. antiq. c. 1. Origen. quem tacito nomine reprehendit S. Ambros. Fuit autem Iosephi, qui *Iosephus.*
in hac tentatione omnia serpenti, nihil Diabolo tribuit, videns Scripturam in
cortice literæ solius serpentis meminisse. Tanta autem eius fuit cæcitas, sicut &
cæterorum Hebræorum, quos superuenientis Messiæ splendor excæcauit, vt putarit serpentem tum locutione & intelligentia præditum fuisse, quibus instructus
familiariter cum parentibus primis versatus sit, esum vetiti cibi persuaserit. Moxque addit à Deo in eius malitiam irato serpenti vocem ademptam, venenum linguæ eius inditum, & priuatum pedibus iussum per terram trahi, ac volutari. Et *Confirmatur 1.*
confirmari potest ista sententia, quia si à Dæmone, non à serpente, erat ista tentatio, nihil intererat assumere animal stupidum, vel astutum, æquè enim per asinũ
poterat, ac per serpentem inducere mulierẽ in fraudem. Deus quoque post ten- 2.
tationem non fuisset indignatus in serpentem, sed in dæmonem, & dæmoni pœ-
nas intulisset, non serpenti, qui culpa vacaret, non minùs quàm energumenus, quẽ 3.
impotem sui dæmon vexaret, eóque ad cuiuspiam cædem, tanquam instrumento, vteretur.

DICENDVM nihilominus, iuxta receptissimam antiquorum Patrum, recen- IV.
tiorúmque Doctorum sententiam, mediam tenendo viam, Dæmonem verum ac *Tentationẽ*
solum huius tentationis auctorem fuisse, veri serpentis organo vtentem. Ita Au- *fuisse à*
l. 11. de Gen. ad lit. c. 27. gust. *Non est permissus Diabolus tentare fœminam, nisi per serpentem, nec virum nisi per fœ-* *Dæmone,*
minam, sed in serpente ipse locutus est, vtens eo velut organo, mouénsque eius naturam, eo *vtente organo serpẽtis.*
modo, quo modo verè ille mouere, & moueri illa potuit, ad exprimendos verborum sonos, &
signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem. Vides hîc apertè vtrãque opinionem prædictam, per singula penè verba reprehensam, vt ea studiosiùs
cap. 28. librare non sit necesse. Et rursus infra eandem sententiam tradit & declarat. *Non* *Serpens nõ*
itaque serpens, inquit, *verborum sonos intelligebat, qui ex illo fiebant ad mulierem. Neque* *intelligebat quod diceret.*
enim conuersa credenda est anima eius in naturam rationalem, quandoquidem nec ipsi homines
quorum rationalis natura est, cùm Dæmon in eis loquitur ea passione, cui exorcista requiritur,
in qq. super Gen. *sciunt quid loquantur.* Quæ habet quoque Albinus. Sed redeo ad Augustinum, qui
mox hanc veritatem ex serpentum, quæ fieri solent incantationibus confirmat:
Etiam hoc, inquit, *non parua testatio est, naturam primitus humanam serpentis seductam*
esse colloquio. Gaudent enim dæmones hanc sibi potestatem dari, vt ad incantationem hominum
serpentes moueant, vt quolibet modo fallant quos possunt. Hæc autem permittuntur ad primi
facti memoriam commendandam, quod sit eis quædam cum hoc genere familiaritas.

ALIBI etiam ait, propterea serpentem dici sapientissimum, quia alieno iam V.
cap. 2. eiusdem libri. spiritu, id est, diabolo plenus erat, *Quid ergo mirum*, inquit, *si suo instinctu Diabolus* *Qualis serpentis calliditas.*
tam implens serpentem, eique spiritum suum miscens eo modo quo vates dæmoniorum implere
solet, sapientissimum eum reddiderit omnium bestiarum. Et cap. 29. *Proinde & prudentissimus omnium bestiarum, id est astutissimus. Ita dictus est serpens, propter astutiam Diaboli,*
qui in illo, & de illo agebat dolum; quemadmodum dicitur prudens & astuta lingua, quam

prudens vel astutus monet ad aliquid prudenter, astutéque suadendum. Tostatus tamen ait Scripturam loqui de calliditate, quam habet serpens ex natura sua, non autem ex assistentia Diaboli, quia comparatur serpens animantibus terræ, ergo comparatur tanquam rebus sui generis, & sic comparatur secundum calliditatem quæ animantibus naturalis est; nec Scriptura supponit calliditatem à Diabolo acceptam, quia nullam de Diabolo mentionem facit, nec serpens Diabolicæ calliditatis est capax, quæ intellectualis est. Eadem disputat Pererius in tomo 1. in Genesim. [in c.13. Gen. q. 416. & seq. — l. 6. n. 19 & seq.]

VI. *Cur electus à Diabolo serpens.* [l. 14. de ciu. c. 11.]

NEC minùs clara est eiusdem sancti Patris sententia de vero serpente à Diabolo electo, propter suam inuidiam, & innatam illi vafriciem. *Postea verò superbus ille angelus, ac per hoc inuidus, male suada versutia in hominis sensum serpere affectauit. Cui vtique stanti, quoniam ipse ceciderat, inuidebat colubrum in paradiso corporaliter, vbi cum duobus illis hominibus masculo & fœmina, animalia etiam terrestria cætera subdita & innoxia versabantur; animal scilicet lubricum, & tortuosis anfractibus mobile operi suo congruum per quem loqueretur elegit: eoque per angelicam præsentiam, præstantioremque naturam spiritali nequitia sibi subiecto, & tanquam instrumento abutens fallaciam sermocinatus est fœminæ, à parte scilicet inferiore illius humanæ copulæ incipiens, vt gradatim perueniret ad totum.*

Plura ex Augustino retuli: ipse enim omnium accuratissimè hanc veritatem exposuit, quam tradit & Diuus Chrysostomus hom. 16. in Gen. vbi cùm dixisset Diabolum inuidia in hominem concitatum. *Et quid fecit*, inquit, *inuento animali hoc, serpentem dico, qui cætera calliditate sua vincebat, eo quasi instrumento quodam vsus est, per quod mulierem, vtpote simplicius & infirmius vas, illius familiaritate in errorem, & deceptionem prouocaret.* Et paulò infrà apertè Iosephum refellens. *At fortè quis hic quæsierit, num & hoc animal rationis fuerit particeps. Non ita est, absit. Nam sequentes Scripturam hoc expendere debent, quòd verba quidem sunt Diaboli, quem sua inuidia concitabat, vt ita hominem falleret, animali autem hoc vt instrumento accommodato vtebatur Diabolus, quo suarum fraudum esca deuorata, supplantare primùm posset mulierem, quæ facilius decipi poterat, & postea per illam etiam protoplastum supplantaret. Itaque hoc bruto vtitur ad insidiarum suarum machinationes*, &c.

VII. *An fuerit antea in paradiso.* [l. 3. c. 2.]

RVPERTVS repugnat quidem August. existimanti serpentes, & id genus bestias in paradiso esse versatas, excludit enim eas, & deforis serpentem allocutum mulierem inambulantem putat. Tostatus sentit re vera non fuisse in paradiso, sed opera dæmonis inductum serpentem eius permissione, qui & tentationem permittebat, quòd significat etiam Gregorius lib. 33. Moral. cap. 31. aut certè illum ibi remansisse, ex quo inducta fuerant in paradisum omnia animalia, vt nomen ab Adamo acciperent: quomodo etiam factum sit, vt familiarior, & minùs suspectus fuerit mulieri. Verùm nihil ego causæ reperio cur ab Augustino discedam, quem sequitur Perer. l. 6. n. 33. [in c. 13. Gen. q. 455.]

VIII. *Cõfirmatur de vero serpẽte sententia. ex Ruperto. Theodoreto.* [Vide Bellarm. lib de grat. prim. hom. c 15. 1.4. & Pere. l. 6. n 61. & Aug. l. 14. de ciuit. c. 13.]

CÆTERA Rupertus consentit Augustino serpentem factum organum Diabolo ad perditionem hominis, & ne de serpentis phantasmate locutum putes subdit, *Prudentia namque eius antequam illi patri mendacij ministerium præbuisset, talis erat, vt discipulis Christi, ipso teste Christo adhuc imitabilis sit, ait enim, Estote prudentes sicut serpentes.* Eadem & capite 3. confirmat. Idem docet Theodoretus. *Serpens*, inquit, *erat organum inimici veritatis.* Et mox: *Diabolus igitur per serpentem allocutus est Euam. Cùm enim à Deo omnium accepisset imperium in vniuersa ratione carentia, Diabolus ministerio vnius animalium subditorum laqueum tetendit, hoc pacto suasu faciliores componens insidias.* Deinceps ostendit Diabolum quod huius serpentis ministerio vsus esset, apud Esaiam serpentem appellatum, & à Domino, serpentes & scorpiones vocari *virtutem inimici.* Adde Basilium. *Idcirco nobis aduersus serpentem irreconciliabilis indita est inimicitia; si autem instrumentum hoc tanto dignum est odio, quanto magis illi nos qui serpentem adegit, aduersari oportebit?* Et Epiphanium in hæresi Ophytarum. *Non autem erat auctor solus serpens, qui apparebat, sed serpens, & qui in serpente locutus est, id est Diabolus, & qui aures hominis per mulierem turbauit.* Adde S. Damascenum, Bedam in Genes. vbi & Augustini verba vsurpat, quæ ante retulimus, postremo Scholasticos Theologos cum Magistro.

[Margin: *Basilio. Epiphanio. Damasc. Beda, &c.* — q. 32. in Genes. vide eundem q. 14 & 15. cap 27. 3. — *quod Deus non sit auctor malorum.* — hæres. 17. — l. 2. de fide orth. c. 10. — l. 2 de sent. dist. 21.]

l. 5. contra Iulian. Cornel. à lap. in c. 3 post Peter. l. 6. n. 8.

IX. *Quæ sit D. Cyrilli sententia.*

D. CYRILLVS pro eadem stat veritate, licet non desint qui dicant eum imaginarium inuexisse serpentem. Nam cum Iulianus serpentem loquentem derideret, eum Cyrillus multò magis deridendum ostendit, qui eos venerentur doctores, qui equum, qui flumina, qui quercus locutas prodiderent. Cæterùm nihil esse absurdi vocem hanc impij & auctoris malorum dæmonis operatione factam, *Serpente*, inquit, *velamentum malignitatis illius adumbrante. Nam cùm tunc non esset aliud rationale animal, mulier impendiò simplex, existimabat fortasse & aliis animantibus datum esse humana voce loqui posse* [2]. Hæc Cyrillus, qui sine dubio non maiorem dat ansam existimandi eum sensisse serpentem hunc phantasma fuisse, quàm reliqua animalia. De verò autem serpente locutum probant eiusdem Cyrilli verba, quæ mox subdit. *Igitur cùm omnibus sit manifestum quod serpens solus existens, per seipsum mulieri nihil ante locutus sit: natura enim est expers sermonis & mentis. Induerit verò personam eius malorum auctor Sathan, immortalitate concessa hominem deprædari volens*, & quæ sequuntur.

2. 𝔛.

X. *Confirmatur, ac concluditur communis, & vera sententia.*

PLVRIMOS ergo habemus huius veritatis testes, qui Scripturam de vero serpente, vt dæmonis instrumento, interpretentur; sed Scriptura ipsa dæmonem totius fraudis architectum apertè docet, imò Christus Dominus increpās Iudæos. *Vos ex patre*, inquit, *Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit*, homicida verò ab initio non aliter fuit, nisi quia *primos homines veneno suæ mortificauit inuidia*, vt ait S. Leo: nec alia de causa S. Ioan. in Apoc. Diabolum vocat draconem, & serpentem antiquum, nisi quia ab initio mundi serpentem in hominum ruinam induit. Denique *inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum.*

Ioan. 8. 44. c. 20. 2. Sap. 2. 24. l. 6. n. 12.

XI. *Qualis videatur opinio Caietani.*

VENIAMVS ergo ad Caiet. De cuius opinione hæc habet Pererius. *Verùm opinio Caietani non vt falsa modò, sed vt erronea & temeraria ab omnibus qui sapiunt, & conuenienter diuinæ Scripturæ, & Catholicæ doctrinæ sentiunt, repudiari & abiici debet: est enim contra doctrinam omnium Patrum, & Theologorum, contra sensum populi Christiani & Ecclesiæ; infixum enim est in animis mentibúsque omnium Christianorum, idque publicè docetur in Ecclesia Dei, Euam corporali & sensibili tentationi à Diabolo per serpentem fuisse deceptam. Peruertit etiam Caiet. fidem historiæ Mosaicæ, totam eius narrationem faciens figuratam, & metaphoricam. Quam ob causam in sexta Synodo generali damnatus est Origenes. Nec ratio vlla satis idonea & probabilis afferri potest, si, quæ scribit Moses de serpente ea non historicè, sed figuratè intelligenda sunt, cur non similiter quæ supra de paradiso, de arbore vitæ, & de arbore scientiæ boni & mali, de quatuor fluminibus, denique de formatione Adæ ex puluere terræ, & Euæ ex costa Adami interpretanda sint. Non enim magis illa quam hæc, vt non historicè, sed metaphoricè intelligantur, ex ipso Scripturæ textu testimonium habent.* Hæc ipse.

2. 2. q. 165. a. 2. ad 2.

XII. *Non fuisse hominem interna suggestione tentatum.*

QVOD autem omnia ad internam suggestionem refert longè distat à S. Thomæ doctrina, qui ait Diabolum minimum potestatis habuisse in homine ante peccatum, & ideò non potuisse eum interiori suggestione, sed tantùm exteriori tentare; quia nimirum interior fiat per interiorem immutationem hominis, saltem phantasiæ, quòd sine plurima dæmonis in hominem potestate fieri nequit: sed nec appetitum sensitiuum ab intrinseco mouere potuisse, vt qui tum maximè secundum rationem ordinatus esset. Denique nihil haberet intrinsecus, quod eum ad peccandum impelleret, vt idem alio loco differit, vbi refutat Rupertum, cuius illa sunt verba. *Per semetipsum intus corrupit hominem Diabolus, & non solùm per semetipsum intus, sed & per serpentem circumuenit exterius.* Sic ipse. At nunc longè alia causa nostra est, habemus quippe innatum peccati fomitem, qui in animi ruinam intentus, facilè cum dæmone colludit. Sic ergo ruit tota Caietani assertio. Quin & Eugubinus ipse, cæteroqui ab opinione Caietani non abhorrens. *Rectè*, inquit, *dicunt nostri non fuisse aliquam vehementem tentationem, nec interiorem animum attigisse, sed exterius tantùm & loquendo, monstrum virus afflasse.*

2. 2. q. 163. a. 3. in 2. arg. l 3. c. 2. in fine.

XIII. *Respondetur rationibus Caietani.*

NEC difficile est eius rationibus respondere. Dicimus enim ad primam; Scripturam quidem sæpè brutorum nomina tribuere rationali creaturæ, sed huiusmodi tropum facilè agnosci ex circunstantiis aut materiæ, aut verborum adiunctorum, quòd notat etiam Tostatus, vt cùm Christus dicitur agnus, sed Dei, & leo, sed de tribu Iuda: constat autẽ leones nõ esse homines, vt pertineant ad tribũ

Ad 1. in cap. 13. q. 417.

Iuda; nec gregem esse aliquem Dei, ad quem agnus ille pertineat; & ita dicitur Apoc. 12. 9.
proiectus Draco magnus, serpens antiquus, sed additur, *qui vocatur Diabolus*, &c.
At hîc nullum verbum reperias, quo serpens non intelligatur verus serpens, qua-
les cæteri esse solent. *At*, inquit, *tribuitur locutio serpenti*. Verum est, sed ea per- Ad 3.
inde fieri potuit à Dæmone verba in eius ore formante, sicut postea bonus ange-
lus in ore asinæ falsi Prophetæ, humana verba distinxit. Sic locutus est serpens
homini, sicut asina, in qua sedebar Balaam, locuta est homini, nisi quod illud fuit Aug. l. 2. de Gen. c. 29.
opus diabolicum, hoc angelicum. Notauit etiam Bellarm. imò D. Petrus. Nec l. 3. de amiss. grat.
est necesse, vt quoties à Scriptura narratur miraculum, toties nos miraculi admo- c. 3.
neat, omnésque circunstantias recenseat. Nam passim Euangelistæ simplici narra- 2. Pet. c. 2.
tione miraculorum contenti sunt. Eodémque modo in libris Regum miracula 16.
referuntur Eliæ & Elisæi, aliáque plurima. Verum autem Diabolo, an serpenti,
an vtrique pœna inflicta sit, postea dicemus. Ad 4.

XIV. *Nulla fuit admiratio Euæ, vel horror.*

NIHIL ergo mirum non referri serpentis aduentum, neque admirationem Ad 5.
Euæ ad sermonem eius, sed neque horrorem mulieris, qui nullus fuit, quòd sci-
ret nulla animalia hominibus esse noxia, quòd malè Moses, nec impunè fortasse
suo tempore credidisset. Nec rectè ait Caiet. Dæmones in ordinem bestiarum
redactos, cùm satis constet eis sua naturalia integra remansisse. Idémque de om-
nibus reprobis dici posset: omnia enim propter electos: non ergo rectè fieret com-
paratio inter res plusquam genere distantes [3]. Callidior autem bestiis omnibus 3. χ. Ad 2.
dicitur, non per se sumptus, sed vt dæmonis instrumentum, vt supra ex August. L. 11. de Gen. ad lit.
retulimus. Postremò sensus isti metaphorici aditum aperiunt ad sensum omnem Ad 6.
literalem tollendum, & illudendum Scripturæ. Neque enim vlli deerit ansa in-
terpretandi Scripturam in sensu mystico, ad eneruanda ea, quæ improbis & cu-
riosis non placebunt; siue ad blandiendum sceleribus suis, siue ad ostendendum
quantum ingenij subtilitate valeant.

XV. *Refutatur Iosephus.*

IAM verò Iosephus non dissimilia Æsopo fabulatur, sed hic laude dignus, il-
le non reprehensione solùm, sed etiam pœna, qui Scripturam diuinam idoneam
putarit, in quam tantùm non illuderet, eámque Romanis auribus, quibus ser-
uiebat, & quæ ex eius vnius ore Scripturam haurirent, deridendam propinaret.
Dicamus ergo cum Cyrillo loc. cit. serpentem natura sermonis & mentis exper-
tem fuisse, & quicquid de eo supra eius naturam dicitur à Moyse, id à Dæmone
profectum intelligi oportere. Ridiculum ergo est ei vocem ademptam, quam
nunquam habuit, recens venenum linguæ inditum, quo nunquam caruit,
etsi contra hominem tum vti non potuerit: pedibus priuatum, quos nunquam
possedit.

XVI. *Num serpens priuatus fuerit pedibus.*

HÆC porro quæ Iosephus de serpentis pedibus commentus est, studiosius refu-
tarem, nisi eodem telo Basilium à me peti formidarem. Is enim dum totus est in
amplificandis paradisi deliciis, vbi ne rosas quidem cum spinis ortas putat, de ser-
pente etiam ita loquitur. *Serpens tum non erat horrendus, sed mitis ac mansuetus; nec ter-* homil. de
ribiliter in telluris superficie velut natans reptabat, sed sublimis, & erectus pedibus insistens parad.
gradiebatur. sic ipse [4]. Sed dissentit Theodoretus q. 34. vbi agens de maledictione 4. χ.
serpentis. *At ipse quidem serpens*, inquit, *nullum inde damnum accepit, cùm ita gradi na-*
tus sit, hanc enim habet à natura motus speciem. Nihil autem naturale molestum videtur esse;
homo vero multum inde commodi consequitur. Hæc Theodoretus. vide Tostatũ in c. 13. q. 431. & seqq.
Gen. vbi pluribus Iosephi refutat ineptias.

XVII. *Cur electus ad tentationem serpens.*

AD confirmationem autem argumenti, certum quidem est Sathanam æquè
per asinum, atque per serpentem fallere potuisse, sed Dei permissu electum Aug. l. 11.
serpentem, naturá callidum & malitiosum, vt probabilior esset oratio impe- de Gen. ad lit. c. 3.
ritæ multitudini, cui credibilius fiat deceptam à versuto serpente mulie-
rem, quàm à stupido asello; præsertim cùm hic non fieret expressa Dæmo-
nis mentio. Vide Tostatum loco citato, qui etiam ait illa verba, quæ maledi- q. 435 & 448.
ctionem videntur importare, fuisse dicta, vt satisfactum videretur homini-
bus de nocumento recepto per serpentem. Sed de hac pœna iterum suo loco di- q. 679. & 688.
cendum erit.

XVIII. *Cōsilia Dæmonis antegressa tentationem.*

DVM ergo Adamus cum vxore eam quam diximus vitam in paradiso viue-
ret, ecce dæmon, quem præsens fœlicitas primorum parentum vehementer affli-

gebat, & spes futuræ beatitudinis, qua ipse exciderat, vrebar etiam vehementiùs, statuit versare dolos, & per fraudem, quoniam aperta vi nihil effici poterat, parentes nostros de gloriosissimo statu deturbare. Ergo consultat apud se, quî possit hominem deformare ad imaginem & similitudinem suam, Dei inimicum reddere, cœli extorrem ac paradisi: morti & miseriis temporalibus & sempiternis obnoxium. Huc vt perueniat pleraque mente versat. Primò, vtrumne ambos aggrediatur, an alterum; & quamuis vterque deiiciendus erat, singulos tamen placet inuadere, neque enim ignorabat illud, quòd tantò pòst à Salomone scriptum est. *Melius est duos simul esse, quàm vnum, habent enim emolumentum societatis suæ; si vnus ceciderit ab altero fulcietur; va soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se.*

Primũ deliberationis eius caput.

Eccl. 4. 9.

XIX. *Alterum de persona Euæ.*

SECVNDÒ, quoniam placebat adoriri singulos, expendit virúmne prius oporteat, an mulierem; & videbat ille quidem potissimam primum arcem deiiciendã, alteram sponte deditionem facturam; pluris multo referre virum in fraudem induci, quoniam sola muliere peccante non peribat humanum genus; & decepta muliere periculum erat ne Adamus euadens cautior, in plurima sæcula conatus eius redderet irritos, quòd illius superbiæ, atque inuidiæ odiosissimũ foret: Itaq; gradatim ad Adamum venire statuit, nec nisi eum auxiliaribus Euæ copiis, quæ infirmior esset, & expugnatu facilior, & gloriæ appetentior, si à superbia apetiendus esset aditus, & illecebrosior ad expugnandũ virum. Tertiò examinat qua de re sit futura tentatio, & ad quod peccatum impulsurus. Et quoniam exemplo suo didicerat quàm pellax sit superbia, & quàm facilè illa in animos eorum, quibus omnia ad arbitrium fluunt, insinuet sese, quamque dulcis sit propria excellentia iis, quos Deus in altum euexerit, eo melle linire statuit sagittas suas.

Tertium de re.

XX. *Quartum de occasione captanda.*

QVARTÒ considerat, ecquam sit occasionem capturus: & placet ingenitum scientiæ appetitum exacuere ad arborem scientiæ affectandam, vsque adeò, vt propterea & Dei præceptum, & mortis propositum supplicium contemneretur. Quintò deliberat ipse ne per se, an per intermedium aliquem sit in certamen descensurus; verùm quoniam solus nisi per internas suggestiones agere non poterat, quæ vix quicquam momenti erant habituræ, propter internam hominis dispositionem longè compositissimam, animal quodpiam externis oculis, auribúsque obicere statuit, ex cuius ore ipse loquatur. Sextò de animali inquirit, quodnam videatur ad institutum opportunius, & perinde quidem sibi esse intelligebat, quocunque tandem vteretur, siue naturali prudentia, siue simplicitate ornato, quoniam animalis astutia naturali vsurus non erat, sed propria & sua. Verùm non permisit Dominus tentatorem vti oue aut columba, animalibus sine fraude dolísque, sed serpente, quem nosset Eua vincere cæteras animantes calliditate, vt faciliùs ab eo sibi cauendum crederet. Vt notauit Augustinus.

Quintum.

Sextum.

l. 11. de Genes. ad litt. cap. 3.

XXI. *Qualis fuerit serpens.*

PROCOPIVS Gazæus. *Quapropter cùm res ita monere videbatur, Diabolus præter ipsius naturam erexit serpentem, vt verisimile est, & ex aduerso mulieris eum consistere voluit; deinde cum muliere per serpentem Diabolus sermocinatus est. Verùm mulier conspecto serpente non exhorruit. Quia cùm ipsa modo à Deo fuisset condita, ipsum non nouerat. Præterea ignorabat serpentem esse creatum vt foret in numero reptilium, & careret vsu sermonis humani.* Eugubinus in Cosmop. *Potest*, inquit, *nomine serpentis intelligi aut Draco ingens & alatus, aut coluber. Magis autem Draconem crediderim, vt quasi in forma basilisci se obtulerit, quem Latinè regulum potes appellare, quòd gestet in capite quasi coronam, perinde atque Gallus.* Et infrà: *Credendum est autem fuisse Draconem pulcherrimum, cristatum, sublato pectore & collo, qui speculatus formosissimam fœminam per paradisum exultantem, corporeásque delicias captantem; eam minimè occupatam, nec ad creatorem suum animo, sed ad delicias illas intentam, inuasit.* Sed Eugubinum refellit Pere. maximè ob corporis breuitatem, quam Plin. non amplius duodecim digitorum esse refert. Solinus autem ad semipedem longum tradit, ideóque mauult esse Scytalem propter pulchritudinem ex præfulgenti tergi varietate, & squamatum nitore ortam. Del Rio viperam, propter illud, *Genimina viperarum*, &c. Luc. 3. 7. Matth. 23. 33. sed redeamus ad vaferrimum tentatorem. Abulensis in c. 13. Gen. q. 696. Pharæam vocat serpentis genus recta incedentis.

in cap. 3.

vide Cass. collat. 8. cap. 10. l. 6. n. 30. l. 8. c. 21. c. 30.

Lucanus lib. 9. ait sulcum cauda in terra facere, dum serpit,

Et contentus iter cauda sulcare Pharias.

XXII. *Quis videatur ipsius tentationis modus.*

POSTREMÒ explorat serpens molles aditus adeundæ mulieris, & mollissima fandi tempora, cùm vir meditabundus in altera horti parte remotius inambularet; ipsa etiam verba exquirit, quibus se in eius beneuolentiam insinuet; statum eius prædicat fœlicissimum, atque ipsis prope cœlitibus inuidendum, in eã dignitatem atque auctoritatem euectos, vt eis cœlum, terra, & omnia elementa, deseruiant, omnia animalia placidè famulentur, miratur insignes animi, corporisque dotes, pulchritudinem, incolumitatem, vitam lætitiæ plenam, mortis expertem, rerum diuinarum, humanarúmque scientiam, ac libertatem. Vnum tamen aliquid deesse, quod si accesserit, fœlicitate in terris bonis omnibus cumulatissima fruituros. Neque nos, mi lector, hæc tantùm ex euentis, & humana ratione comminiscimur. Nam plerique existimant non fuisse hoc initium verborũ serpentis, *Cur præcepit vobis*, &c. sed post alia verba eô deuentum esse. Itáque sensit Vatabl. Caietanus, Eugub. Oleaster, Pererius, Interpres Chaldaicæ paraphrasis, ex Dauide Kimhi, & ante eos Procop. quem citat Del Rio, quòd tamen apud eum non reperio; eaque ratione moti sunt, quod initium verborum serpẽtis non satis aptum inchoandæ orationi videatur, iuxta textum Hebræum, aut Chaldaicam paraphrasim; atqueadeò iuxta Septuaginta, qui habent, τί ὅτι εἶπεν ὁ θεὸς, &c. id est, *Quid quod dixit Deus*, &c. Illa porrò antecedentia, quisque, prout putat conuenientius sequentibus, excogitat, vt apud eos leges, dum nos cœpto itinere progredimur. N. 64.

XXIII. *Quomodo primum labefacta mulier.*

MVLIER ergo in cuius sinum sensim iam illabebantur laudes suæ, hanc enim ptimam in ea mali labem agnoscit August. Quid tandem illud esset exquirit. Respondet ille, videri deesse libertatẽ pro arbitratu comedendi de quolibet fructu paradisi, quippe quos obseruarit ab aliquibus diebus ab illa arbore, quam gestu indicabat, abstinere, cùm cætera animantia liberam habeant in omne ciborum genus potestatem. *Obstat*, inquit, *illa diuinum præceptum.* Et serpens: *Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno paradisi?* In Hebræo, & Græco, & Chald. est cur dixit, eodem sensu [5], nisi quod cùm dicere latiùs pateat, quàm præcipere, reddit dubium tentator, dictúmne id Dei tantum fuerit, an præceptum. Non probo autem illam Vatabli paraphrasim. *Estne verum quod præcepit Deus, ne ex vllius arboris fructu comederetis*, etiam si Seuerianus apud Eugub. Rupertus, & multo ante eum Tertul. ita locum interpretentur, sicut & Ambrosius, & Chrysostomus, Diodorus Tarsensis in Catena Lipom. Sed non est necesse falsis onerare Diabolum, ne & ipsi falsi simus. Hæc enim interrogatio in omni lingua significat exceptionẽ tantum factam alicuius, non autem negata omnia; idque iam aliquot dierum experientia, vt supra diximus, refellebat, cùm de cæteris nullo discrimine vescerentur, ab illo autem vno fructu abstinerent: idque apertè confirmat Euæ responsio. *De fructu*, inquit, *lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur*, &c. Suggerit ergo Dæmon mulieri, in sua interrogatione exceptionem, quæ, vt notat Caiet. displicentiam diuinæ prohibitionis in animum mulieris occultè instillaret. Exceptio namque, cùm plenam libertatem circumscribat angustius, suapte natura odiosa est, præsertim rei eiusdem generis & rationis, & indifferentis; præ se fert enim non ex ratione, sed ex mera voluntate esse exceptionem, id est, excipi vnam arborem, non quia id ratio postulet, sed tantùm quia placet imperanti.

L.11. de Gen. ad lit. c.30.

5. ✗.

l.3. c.4. l.2. contra Marc. c.10. l. de parad. c.12. hom. 16. in Gen. semel & iterum.

XXIV. *Progressus tentationis.*

PVPVGERAT mulieris animum Dæmon, ostendens imminutam circa cibos hominis libertatem, & quia indefinitam exceptionem proposuerat, mulier perexiguam illam esse ostendit, ideóque neque tristitia, neque querela dignam. *De fructu*, inquit, *lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur*, id est, vesci solemus [6]: *De fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Rectè notat Caietanus ex his verbis elici, Deum per se ipsum, & non per Adam, hoc præceptum mulieri quoque imposuisse, vt supra retulimus. Neque enim, vt in odiosa re, dubitasset mulier rem totam ad mariti relationem referre, quòd facilè Dæmon elusisset, quippe qui etiam ad diuinum ipsum præceptum contemnendum inuenerit aditum. Sed quid dicimus inuenisse, cùm eum mulier aperuerit?

6. ✗.

dic 6. n. 132. & 134.

Illud enim sibi graue esse satis ostendit exaggerando verbis, addit enim de suo, *& non tangeremus illud.* Itáque sentit Tostatus & Pererius; quanquam Eugubi-
n.68. & 69. nus & Oleaster putant etiam tactum prohibitum à Deo fuisse, ad maiorem caute-
vt Exod.19. 12. lam, sed quod omissum fuerat à Moyse c. 2. hoc loco esse suppletum. Verùm ea cautela non fuit necessaria in statu innocentiæ, vt ait Perer. alioqui etiam aspectus prohibendus fuisset.

ADDITAM tamen à muliere dubitationem præcepto, quod sine vlla prorsus dubitatione enunciatum fuerat cum pœna mortis, omnes æquè consentiunt; XXV. *Eua dubitat de pæna peccato imposita.* quamuis illud, fortè, à Septuaginta sit prætermissum. Id tamen non solùm Latini omnes codices, sed Hebræi, & Chaldæi retinent: nascebatur autem hæc dubitatio ex displicentia præcepti; sicut enim quæ amamus facilè credimus esse, & fore quæ desideramus, ita quæ displicent nobis, facilè non credimus, aut in dubita-
Ioan.20. tionem vocamus, vt D. Thomas, cui displicebat in absentia sua apparuisse Dominum, elegerat potiùs non credere resurrectionem, quàm tristitiam subire, quod communis sociorum gaudij particeps non fuisset. Hinc autem illud quoque intelligitur, Diabolicum venenum cœpisse iam serpere, non vt anguis

Ille inter vestes, & leuia pectora lapsus,
Voluitur attactu nullo, fallitque furentem
Vipeream inspirans animam.——

Sed in ipsius etiam animum, eius intimam voluntatem, atque intellectum penetrando, per displicentiam præcepti, & hæsitationem circa futuram pœnam; quæ comminatoria existimari poterat, vt quæ multum culpæ leuitatem excedere videretur.

HIC penè iam victor Dæmon, promptè, atque audacter hæsitationem excutit, & timorem mortis: displicentiam verò præcepti, per calumniam, vsque ad XXVI. *Victoria Dæmonis, eiúsq; ambigua oratio.* præcipientis odium conatur augere; quasi is inuidia in ipsos motus, scientia vehementer desiderabili, priuare ipsos, nullo suo bono, voluerit. *Nequaquam*, inquit, *morte moriemini; scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum.* Oratio est ambigua, & sinuosa, & serpente digna, & illo qui à Græcis dicebatur λοξίας Apollo. Nam illud, *non moriemini*, de præsente morte, vel moriendi necessitate accipi potest, & *aperientur oculi* ad cognitionem, & ad confusionem possunt pertinere: & scientia boni & mali per experientiam mala est, per speculationem bona. Hic iam totum virus effundit impostor, incitans incautam mulierem ad ambiendam propriam excellentiam, vsque ad contemptum Dei; & auersam à sui creatoris amore, quem mendacij, & inuidiæ, non minùs impudenter, quam falsò accusat, ad amorem impostoris, quasi ipsi vehementer vtilia, & gloriosa suadentis, impellit, *& miseram spe lactat inani.*

ITAQVE iam planè victa dat manus, anhelans ad illam omni contentione XXVII. *Euæ ruina.* expetendam Dei similitudinem, ad expetitam libertatem, ad insolitam il-
Vide supra die 3. n.33. lam oculorum claritatem, ad scientiam boni & mali, quam non tam serpens, quàm arbor suo ipsa nomine polliceri videbatur, ad quam præsertim tam facilis erat via; ne tamen temerè ad credendum progressa videretur, voluit fructum diligentius considerare, quasi iudicium latura, vtri palmam ve-
l.3.c.9. ritatis, Deóne, an serpenti, tribueret. Hæc est hoc loco Ruperti meditatio, quam fusè apud eum leges. Vidit igitur mulier arborem, sed aliis quàm hactenus oculis, plenis scilicet concupiscentia, pro simplicitate pristina; oculis, qui deprædentur animam eius; oculis, qui iam à peccando abstinere nequeant, sed manum ad decerpendum fructum dirigant, fructum gustui suauem, pulchrum oculis, & aspectu delectabilem; siue vt vertit Varabl. ad contemplan-
7.x. dum desiderabilem, eo quod oculos contemplantium se remoraretur[7].

Opusc. 2. c. 190. DENIQVE *tulit de fructu illius, & comedit*, vnóque facto multiplex peccatum XXVIII. *Multiplex Euæ peccatum.* commisit, audi enim D. Thomam. *Mulier*, inquit, *repromissam celsitudinem, simul & perfectionem scientiæ concupiuit, accessit etiam ad hoc pulchritudo, & suauitas fructus alliciens ad edendum, & sic metu mortis contempto præceptum Dei transgressa est, de vetito ligno edendo, & sic eius peccatum multiplex inuenitur. Primò, quidem superbiæ, qua inordinatè excellentiam appetiit.* 1. *Secundò, curiositatis, qua scientiam vltra terminos sibi præfixos concupiuit.* 2.

3. *Tertiò, gulæ, qua suauitate cibi permota est ad edendum. Quartò, infidelitatis, per falsam*
4. *æstimationem de Deo; dum credidit verbis Diaboli contra Deum loquentis. Quintò, inobe-*
5. *dientiæ præceptum Dei transgrediendo.* Adamus & nos sextum scandali, quia fuit in la-
pidem offensionis, & petram scandali viro suo, & per ipsum omni generi huma-
no. Subdit enim Moses.

XXIX. *Inducitur Adam ad peccãdum.*

DEDITQVE *viro suo, qui comedit.* O quanta res paucis verbis comprehensa
est: vt facilè intelliget pius Lector ex lamentatione D. Chrysostomi super hoc homil. 16. in Gen.
tantum malum. *Consensit,* inquit Lipoma. loco cit. *In opus prohibitum, peccandóque*
proficiens, consortem sceleris inescando, virum præcipitauit, à qua fuerat, destinato inter eos
ordine, adiuuandus. Ex persuasione mulieris, inquit S. Doctor, *peccatum vsque ad virum*
peruenit, qui tamen, vt Apostolus dicit, non est seductus, vt mulier, in hoc scilicet quod crede- op. 2 c. 190. 1. Tim. 2. 14.
ret verbis Diaboli contra Deum loquentis. Non enim in eius mentem cadere poterat Deum men-
daciter aliquid comminatum esse, neque inutiliter à re vtili prohibuisse, allectus tamen fuit
promissione Diaboli, excellentiam, & scientiam indebitè appetendo. Ex quibus cùm voluntas
eius à rectitudine iustitia discessisset, vxori suæ morem gerere volens, in transgressione diuini
præcepti eam secutus est, edendo de fructu ligni vetiti. Sic ipse.

XXX. *Qui primũ vtriúsque peccatum superbia.*

Ex quibus apparet primam vtriúsque parentis culpam fuisse superbiam: ex
qua nata est inobedientia. *Nec arbitrandum est,* inquit August. *quod esset hominem de-* l. 11 de Gen. ad lit. c. 5.
iecturus iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda, vt per hu-
miliationem peccati, quam de se falsò præsumpserit, disceret. Verissimè quippe dictum est, ante Prou. 16. 18.
ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Et infra de muliere nominatim. *Quan-* c. 30.
do his verbis crederet mulier à bona, atque vtili re diuinitus se fuisse prohibitos, nisi iam ines-
set menti illa propria potestatis, & quædam de se superba præsumptio, quæ per illam tentatio-
nem fuerat conuincenda, & humilianda? Sic August. Et certè vniuersè loquendo pri-
mus superbiæ actus est, nolle subesse alteri, præsertim superiori. Neque aliud vo-
luit sapiens, *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo,* primus scilicet actus, quo se Eccli. 10.
prodidit superbia, est inobedientia, qua neglexit homo subiici eius imperio, & 14.
sic ab eo defecit, subdit enim, *quoniam ab eo, qui fecit eum, recessit cor eius,* implens sci- Hierem. 2.
licet illud Hierem. *A sæculo confregisti iugum meum, accepisti vincula mea, & dixisti non* 20.
seruiam [8]. 8. ☧.

XXXI. *Peculiaris Adami culpa.*

PECVLIARIS porrò culpa Adami fuit inordinatus in vxorem amor. *Assen-*
sit, inquit Lyranus, *suasioni mulieris, non quia crederet verba serpentis esse vera, quia in* 1. Tim. 2. 14.
hoc non fuit seductus, sed sola mulier, vt ait Apostolus, sed assensit ne contristaret delicias suas,
id est, vxorem suam, fuit enim deceptus in alio, quia credidit post transgressionem consequi
veniam; & sic in statu suo remanere [9]. Quod videtur ex Augustino mutuatus, qui lib. 9 ☧.
14. de Ciu. *Inexpertus,* inquit, *diuinæ seueritatis in eo falli potuit, veniale crederet esse com-* c. 11.
missum. Et c. 13. *Vel illa crederet verum dixisset serpentem, vel ille Dei mandato vxoris præ-*
poneret voluntatem, putarétque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vitæ suæ sociam non
desereret etiam in societate peccandi. Sic ibi. Sed elegantius etiam l. 11. de Genes. ad
lit. c. 42. Vbi etiam Salomonis exemplo rem declarat. *Ita Salomon,* inquit, *vir tan-*
ta sapientia nunquidnam credendum est quod in simulacrorum cultu credidit esse aliquid vtili-
tatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non eualuit, faciens quod sciebat
non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat, atque diffluebat, mortiferas delicias contristaret.
Ita & Adam posteaquam de ligno prohibito seducta mulier manducauit, eíque dedit, vt simul
ederent, noluit eam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alie-
naretur animo, & omnino illa interire discordia; non quidem carnis victus concupiscentia,
quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ: sed amicabili quadam
beneuolentia, qua plerúmque fit, vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus, quod eum
facere non debuisse, diuinæ sapientiæ iustus exitus iudicauit. Seuerius aliquanto Rupertus. l. 3. c. 9.
Mitius autem, vt solet, Bernardus multis in locis, quæ breuitatis causa missa fa-
cimus.

XXXII. *Quomodo inductus Adam ad peccandũ.*

REI gestæ modum sic probabiliter explicat Del Rio. Primùm, sola comedit,
cùm placeret pomum, tulit alia ad virum, vel Adam superuenit comedenti. Hæc
volens illum boni à serpente promissi participem facere, speciem pomi ostentat,
& inuitat porrectum comedere: iubens esse securum à metu mortis, cùm eam,
quæ comederat, superstitem videret, quæ ferè habes apud August. *Arbitror quod* l. 11 de Ciu.
putauerit Deum alicuius significationis causa dixisse, si manducaueritis morte moriemini, at- c. 30.

que ideo sumpsit de fructu eius, & manducauit, & dedit etiam viro suo secum, Vox, secum, in Hebræo, & Septuaginta, & Chaldaica paraph. *fortassis etiam cum verbo suasorio, quod scriptura tacens intelligendum reliquit, an fortasse nec suaderi iam opus erat viro, quando illam eo cibo mortuam non esse cernebat.* Sic August. quæ iterum tangit in fine c. 42. Sic ergo ille mulieri socium sese comestionis exhibuit, & peccati [10].

10. χ. 3. Gen. 7. N E C *mora aperti sunt oculi amborum, cúmque cognouissent se esse nudos consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Habes hic tristissimæ tragœdiæ agnitionem, quam proximè περιπέτεια siue commutatio fortunæ sequitur. Aperti sunt oculi ad cognoscendam satanæ fraudem, nuditatem, & turpitudinem suam, dudum benè rectam innocentia, nunc ficulneis foliis obtegendam. Aperti sunt oculi amborum ad sensum ac stimulum conscientiæ, qui eos temorderet, vt ait Theodore- XXXIII. *Agnitio culpæ, & pudor.*
q. 32. tus, atque adeo ad agnoscendam inctedibilium bonotum iacturam, & iam incœptantem innumetabilium malotum Iliadem. Aperti sunt ambotum oculi, vt quoniam socij fuerant culpæ, sic etiam essent desolationis. Aperti sunt oculi, simúlque patefacta est ianua, non solùm pudoti, sed etiam timoti, vnde & audito sonitu superuenientis Domini, fugitiuus seruus expalluit, & criminis tanti conscius, abscondit se à facie iudicis sui; sed quid potest esse absconditum illi oculo,
11. χ. qui scrutatur renes & corda [11]?

C O N S V E R V N T autem folia ficus, vtendo, vt ait Caiet. pedunculis frondium pro acu, & filo (aut si mauis cum Oleastro & Eugub. spinis) & confecerunt cincticulos, opetientes cotpus ab vmbilico circumcirca ad media vsque cruta. Del Rio mauult ramusculos teneriores circum latera plexuisse, vt foliis pendulis verenda vtriúsque occultarentur, quippe qui mutuum fœdæ nuditatis conspectum non ferrent, sed multo etiam magis diuinum conspectum vereren- XXXIV. *Consuunt folia ficus.*
l. 14 de Ciu. c. 17. & l. 11 de Gen. ad lit. c. 31. & 32. tur, vt mox ex August. dicemus, vtrum autem ex hisce foliis argumentum duci possit, arborem vetitam fuisse ficum, supra diximus, cettè in ficu non apparet illa pulchritudo, quæ oculos tantopere ad contemplationem sui allicete ac retinere possit, quod tamen prædicauit Eua, nisi fortè iam serpens eius oculos fascinaue-
an. 2. die 5. n. 34. 35. 36. l. 3. c. 17. l. 11. de Gen. ad lit. c. 32. in fi. rat. D. Irenæus hoc factum interpretatur ex pœnitentia culpæ admissæ, quod tamen non satis probat August. Et cettè sequentia verba patum ptodunt animum pœnitentem. Peccatum admissum est, secutus est pudor, conscientia, metus, latebræ, cùm exurgeret ad iudicium Deus, terra mota est, conturbatus est Adam cũ coniuge sua, viderunt quippe se nudos, & absconderunt. Quamuis enim texissent, quæ magis pudori erant, tamen & reliqua nuda diuino præbere conspectui, vel cum illis ipsis subligaculis apparere verebantur. *Quod enim iam ipsos pudebat erga*
l. 11. de Gen. ad lit. c. 34. *seipsos, vnde & sibi succinctoria fecerant, multo vehementius ab illo sic succincti videri verebantur. Nec iam illam nuditatem audebant ostendere talibus oculis, qua displicebat & suis.* vt ait August.

A D E S T ergo paulò pòst iudex, & præsentiam suam ex longinquo significat. *Et cùm audissent vocem*, inquit Moses, *Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei, in medio ligni paradisi.* Apparet densiorem aliquam syluã, in medio paradisi, vmbra sua latebras peccatoribus præbuisse, nihil præ animi perturbatione cogitantibus irritas se latebras ca- XXXV. *Iudicis aduentus, eiúsque forma.*
q. 596. in c. 13. Gen. ptare. Porrò non statim affuisse iudicem existimat Tostat. ad dandum peccatoribus tempus colligendi sese aliquantulum, à confusione illa, eóque qualicúmque aduersus pudorem temedio vtendi, móxque redeundi ad salubrem agnitionem culpæ suæ, & propositum veniæ à Deo postulandæ, siue testituendi essent in gradum pristinum, siue non essent.

Venit iudex, sed humana quadam forma, in qua solebat cum ipsis conuersari &
l. 15. de Ciu. c. 7. colloqui, vt ait August. quod confirmat itetatum hic nomen tetragtammaton, & quæ hominis ptopria est deambulatio, nec repugnat idem August. in Genes. ad literã. *Ab illo*, inquit loquens de prædicta verecundia, *etiam sic succincti videri verebã-*
l. 11. c. 34. de Gen. *tur qui tanquam familiari temperamento, ad eos videndos per creaturam visibilem, velut humanos oculos afferebat. Si enim propterea sic apparebat, vt homines tanquam cum homine loquerentur, quemadmodum Abraham ad quercum Mambræ, illa ipsa propè amicitia pudorem onerabat post peccatum, quæ fiduciam dabat ante peccatum.* Dici etiam potest fuisse angelum, qui Dei personã sustineret, nullus enim angelus adhuc in persona sua apparuerat.

XXXVI. *Vox item, & iudicij huius tempus.*

VOCEM audiuit, vel illam ipsam, *Adam vbi es*, ad quam iteratam mox emerserit è latebris, ne noua culpa in non respondendo committeretur: vel vocem appellat strepitum pedum, quem Deus de industria excitabat: & facilè in tanta solitudine poterat exaudiri, præsertim à peccatoribus, pudore ac metu exanguibus & mutis. Ad quem strepitum significandum facit, quod non dicuntur rei audisse vocem Domini simpliciter, sed vocem deambulantis in paradiso. Vt autem ex longinquo iudex audiretur, & tempus haberent rei ad latebras, aura pomeridiana valebat, quæ sonitum deferret ad sollicitos, & pauore, & tristi expectatione suspensos. Quamuis autem in Hebræo textu sit tantùm, ad auram diei; noster tamen interpres explicat fuisse pomeridianam, siue quæ sub vesperam flare solet: tunc enim Zephyrus aspirat, vt ait Vatabl. quò pertinet illud. *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Chald. habet ad quietem diei, vesperam intelligens, vt ait eius interpres, quod tunc æstus solis ac diei quiescere, ac remittere incipiat. Suboriuntur autem etiam venti ad auroram, sed series iam peractæ tentationis ostendit, vespertinum hoc potiùs tempus esse, neque enim noctu facta est tentatio, neque aspecta arbor, neque apparuit nuditas, neque orta confusio: hæc enim omnia lucem desiderant. Accedit & translatio Theodotionis apud D. Hieron. ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας. id est, *In aura ad refrigerium diei; vt meridiano*, inquit, *calore transacto refrigerium auræ spirantis ostenderet.* Hinc autem colligitur Adamum sub vesperam huius diei, peracto diuino iudicio, è paradiso exulem atque extorrem factum esse.

Vide Tost. in c. 3. & 13. Gen. q. 397. 398. & 399. Cant. 2. 17.

In tradit. Hebræi.

XXXVII. *Euocatur ad iudiciū Dei, & cōparent nec agnoscunt culpam.*

VIDEBAT Deus Adamum & Euam arboribus densis, & vmbra tectos, non minùs quàm in aperta planicie, nihilominus vocauit Adamum, quasi eum non videret, vt qui se humano more gerebat, quibus abscondita non apparent: eadémque est ratio cur quæsierit vbi essent, nec tamen adiit ad absconditos, sed euocauit ad se, quasi vocaret ad subeundum iudicium. Ista enim inquisitio virtute erat euocatio; vt sic suauiter daretur opportunitas eliciendæ causæ latebratum, & totius criminis manifestandi; ne ad præteritam confusionem, etiam verecundia deprehensionis accederet. Vnus euocatur, vtérque prodit, vt ex societate minueretur pudor & metus: inde etiam fortasse mitigato timore, quod non statim audissent, furciferi, siccine præceptum meum contempsistis? Ad impostorem, relicto Deo vestro, apostatæ profugistis? &c. Quin potius quærit vbi sit, μακρόθυμος ὢν ἀφορμὴν παρέχει αὐτῷ μετανοίας, καὶ ἐξομολογήσεως: ἐλεύθερον γὰρ καὶ αὐτεξούσιον ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν ἄνθρωπον. *Cùm esset misericors*, vt vertit Eugub. *præbuit occasionem pœnitendi & confitendi: liberum enim, & suæ potestatis hominem Deus fecit.* Ita Theophilus apud eundem in Cosmop. Adam qui nominatim euocatus, rei gestæ rationem reddere potiùs debebat, quàm Eua, vtpote familiæ caput, cùm oportuisset eum in genua procumbere, & confusa singultu lachrymisque voce culpam fateri, veniam & misericordiam postulare, vt parabolicus ille prodigus, pro se respondet, quod æquè pro Eua dici posset. *Vocem tuam*, inquit, *audiui in paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* Ad intentionem magis, quàm ad verba interrogantis respondet, latebratum causam præfert, timorem, seu pudorem ex nuditate profectum.

Theophyl.

c. 3. 10.

XXXVIII. *Conuincūtur, nec dū veniam petunt.*

Ex quo Deus vlteriorem causam elicit, & veriorem; peccatum scilicet, quod Adam tacebat, idque in medium profert. *Quis enim*, inquit, *indicauit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Apparebat Adamum non veniam petere, sed excusationes ineptè prætexere, atque adeo causam absconsionis reiicere in Deum, qui eum nudum creauerat. At Deus hanc primam excusationem repellens, eam in ipsius retorquet auctorem, cui peccatum probrosam, ac pudendam reddiderat nuditatem. Et oportebat saltem hoc tempore manifestato peccato, miserum hominem Deo supplicem fieri, & amissa prima veniæ impetrandæ occasione, quæ ex propria peccati confessione pendebat, non amittere secundam, quæ in humili eius agnitione, ac lugubri veniæ postulatione consistebat: præsertim cùm peccatum admissum nec vellet negare, nec posset; sed è contrariò, se iterum inconsultissimè excusando, peccatum à se in alium translaturus, & proximum incusat & Deum.

v. 11.

XXXIX. *Sed excusat Adam.*

MVLIER, inquit, *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi*, quasi

diceret, accuſanda eſt mulier, quæ dedit, cuius precibus acquieſcere volui, eius ſcilicet, quam mihi ſociam dederas, quam ſi non dediſſes adhuc viuerem integer vitæ, ſceleriſque purus, nec criminis conſcius, vlla poſſem palleſcere culpa.

l. 11. de Gen. c. 35. Auguſtinus. *Nunquid dixit, peccaui? ſuperbia habet confuſionis deformitatem, & non habet confuſionis humilitatem.* Et mox. *Aduertamus quo morbo ſuperbia laborent homines hodie, non niſi in creatorem conantes referre, ſi quid egerint mali, tamen ſibi velint tribui, ſi quid egerint boni.* Quibus alludens, vt videtur, Gregor. niſi potius ex eodem ambo ſpiritu. (4. Moral. c. 13.) *Exceſſus ſui vitium in auctorem latenter intorquet, ac ſi diceret, tu occaſionem delinquendi præbuiſti, qui mulierem dediſti. Hinc eſt quod huius erroris ramus in humano genere ex illa nunc vſque radice protrahitur, vt quod male igitur, adhuc* (peius) *etiam defendatur.* Lamentatur hic Rupertus, quod Adamus in pœnitentiæ lamenta non proruperit potiùs, quàm ad excuſandas excuſationes in peccatis. Eum vide. (l. 3. c. 15.)

(Serm. 1. de omnib. ſanct.) NON poſſum tamen hic mellitiſſimam Bernardi orationem reticere. *Ecce*, inquit, *ſcimus ô Adam quia os de oſſibus tuis, & caro de carne tua eſt, & eius amore peccaſti. Videamus nunc quantum diligas eam, venit Dominus*, ita legendum eſt, non vidit, *igneum tenens gladium, in vltionem præuaricationis. Oppone te diſcrimini propter illam, & dic. Domine mulier infirmior eſt, mulier ſeducta eſt, mea eſt iniquitas, meum peccatum, in me ſolum vindicta procedat. Sed non loquitur ſic: Mulier, inquit, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, &c. ô peruerſitas! pœnam pro ea ſuſcipere refugis, & culpam admittere non recuſaſti? Quomodo, proh dolor, omnia confudiſti, pernicioſe miſericors, vbi ſeuerus eſſe debueras, & pernicioſius crudelis vbi miſericordiam impendere oportebat. Nam delinquere propter illam nullo modo, ſatisfacere verò pro ea, libenti animo debuiſti.* Redituri hoc loco eramus ad Iudicem: ſed quia is differt refutationem defenſionis huius, donec ad fontem totius mali perueniat, eam nos quoque differemus, dum circa ea, quæ de culpæ huius manifeſtatione Scriptura docuit, Ioſephi Iudæi errata ſuggeramus, quæ ex parte attigit Abulenſis. (In c. 13. Gen. q. 633.) — LX. *Magna ſua culpa.*

PRIMVM autem verba ipſius fideliter proferemus. *Foliis igitur ficulneis ſeſe texerunt, atque ita conuelatis pudendis, videbantur ſibi fæliciores, qui inueniſſent, quo prius carebant. Mox cùm Deus in hortum veniſſet, Adamus antea familiariter cùm Deo colloqui ſolitus, conſcius ſibi iniuſtitiæ, ſecedebat. Deus autem miratus, cauſam ſciſcitabatur, quid ita prius delectatus ſua conſuetudine, nunc fugitaret, ac latitaret. Illo verò tacente, præ conſcientia non ſeruati præcepti, Deus ita inſit. Equidem proſpexeram vobis, quomodo vitam fælicem, omniſque mali expertem viueretis, nulla noua cura in animo ſollicitati, omnibus quæcúmque ad vſum, ac voluptatem conferunt, ſua ſponte vobis prouenientibus, mea vnius prouidentia, citra omnem veſtrum laborem, aut ſollicitudinem: quibus fruentes, vos neque ſenectus celeriter opprimeret, & vita diuturna quàm longiſſimè proferretur. Tu verò hanc meam ſententiam ludibrio habuiſti, mandato meo contempto: non enim propter bonum aliquod taces, ſed propter malam conſcientiam: quare & ſenectus ocyor ſuperueniat; & vita veſtra minus ſit diuturna. Adamus autem excuſabat peccatum, & iram Dei deprecabatur, culpam in vxorem referens, & dicens, ab illa deceptum ſe peccauiſſe: at illa ſerpentem accuſabat.* Hæc Ioſephus. (l. 1. antiq. c. 1.) — XLI. *De hac excuſatione Ioſephi oratio.*

(Toſtat. q. 633.) QVÆ conſiderans loco cit. Abulenſis. *Loquitur*, ait, *hic Ioſephus vt orator, ſcribens ea quæ venuſtare poterant eloquium Scripturæ, fide nequaquam ſeruata, quaſi illi non eſſet aſtrictus, quia aliqua horum præter Scripturam, aliqua contra Scripturam aſſerunt, &c.* quæ ibidem deinceps probat. Et ſanè contra Scripturam aliquid ſcripſiſſe illum, qui eam diuinam prædicet, ſceleratum profectò eſt, & inſanum: præter Scripturam autem ſcribere, ne Ioſepho quidem tolerabile, quippe qui hanc ſibi ſuſtulerit libertatem, cùm in præfatione in hos libros diceret, *Sed hæc omnia*, quæ ſcilicet ſcripſerit Moſes ante bis mille annos, & quinque millium annorum hiſtoriam ſacris literis proditam, *procedens oratio accuratè, ſuo quæque ordine docebit, ita vt nos facturos ſumus polliciti, neque ſubtrahendo quicquã neque addendo:* οὐδὲν προσθεὶς, οὐδ' αὖ παραλιπών. Quod vnum eſt de maximis eius, latiſſiméque patentibus mendaciis, atque erroribus, vt plus ſexcentis locis oſtendemus; & tamen cũ promiſſis tã mala fide ſteterit, etiam promiſſionem inculcare non veretur infra, vt ſuis inculcabimus locis. — XLII. *Examinatur.*

1.

(l. 10. c. 11.) ERRAT ergo primò, quod ait poſt admiſſum peccatum viſos ſibi fœliciores, contra Scripturam, quæ timore confuſos ait latebras quæſiſſe, quam omnem ex nuditate confuſionem, toties à Scriptura, & Patribus inculcatam, ille pro ſua ſcribendi libertate prætermiſit. — XLIII. *Nouem, aut decem erratorum arguitur.*

2. Errat secundò, quod ex illo esu sapientiam illis contigisse credidit, vt notauit Abulensis loco cit. propterea enim Iosephus ait eos inuenisse, quo prius carebant, sicque veram impostoris promissionem facit; cùm potius certò constet, vt postea docebimus, eos sibi, suisque omnia bona supernaturalia amisisse, & luctuosissima nuditate affectos, in grauissimas calamitates incurrisse, quarum initium in pudore & metu experiebantur.

3. Errat tertiò, quod latebras dissimulat, pro quibus nescio quomodo secedentem, ac fugitantem facit, etiam præsente iam Deo, cùm è contrario statim euocatus prodierit, nec vllo modo colloquium declinarit.

4. Errat quartò, quòd nullam in diuino cum Adamo colloquio nuditatis aut pudoris mentionem facit, cùm tamen id sit totius colloquij, & manifestatæ culpæ fundamentum.

5. XLIV. *Iosephi errata, circa hoc iudicium.* ERRAT quintò, cùm admirationem Deo, præter Scripturam affingit, quæ nullam ei hoc loco tribuit admirationem, vel veritatis dissimulationem. Nam si quid Hebræi hoc toto loco admirationis agnoscunt, id in mulieris interrogatione interuenire posse putant, vt notat Vatabl. Eugub. Admirationem saltem decorè fingeret, in aspectu nouorum perizomatum, quorum causam sciscitaretur.

6. Errat sextò, cùm facit Adamum tacentem præ conscientia peccati, falsò vtique, cùm nullum silentium appareat, imo nimis multa locutio in excusationibus, quæ debuerat esse in confessione peccati.

7. Errat septimò, quod ignauam & cura vacuam homini à Deo tributam vitam scribit. *Citra omnem*, inquit, *laborem vestrum, & sollicitudinem, omnibus sua sponte prouenientibus.* vtrumque falsò, & contra illud, *Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis,* sed, *vt operaretur, & custodiret illum.* Neque enim tum tellus segetes, sine semente ac terræ cultura profudisset. Quod Ethnici Poëtæ finxerunt, Iosephus pro oraculo habuit.

8. XLV. *Non audet profiteri immortalitatem.* ERRAT octauò, quod deprauat fructum iustitiæ originalis, immortalitatē; non ausus eam apud infideles profiteri, veritus ne non faceret fidem, irrisionique eorum pateret, generali mortalitatis experientia refragante; itaque rem totam velamento tardissimæ senectutis obtexit, fortè vt Romano illi Poëtæ inueniretur consentiens. l. 1. Ode 3.

Remotique prius tarda necessitas
Lethi, corripuit gradum.

Cum satius esset illud audire. *Ne fortè sumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.* Vide de hoc errore Iosephi Peter. l. 6. vbi Pelagianorum hæresim vocat dicentium Adamum, licet non peccasset, tamen moriturum. Gen. 3. 22. n. 165.

9. XLIV. *Fingit petitam ab Adamo veniam.* ERRAT nono, quod ait Adamum veniam petiisse, sic enim interpretandum est illud. Ἀδάμος δὲ παρῃτεῖτο τῆς ἁμαρτίας αὐτόν. *Adamus verò culpæ veniam ab ipso deprecabatur.* Quomodo olim vertit Ruffinus, & agnoscit Tostat. loco citato, & Suidas interpretatur παραιτεῖσθαι, συγγνώμην αἰτεῖν. quod pluribus confirmat exemplis, idque requirit oratio consequens, καὶ παρεκάλει τὸν θεὸν μὴ χαλεπαίνειν αὐτῷ. *Et rogabat Deum ne sibi irasceretur, vel ne se ipsi exhiberet infensum;* hæc enim rectius conuenit cum petitione veniæ, quàm cum excusatione peccati, quæ valet potius ad accendendam, quàm ad mitigandam iram. Quo posito, errat vehementer Iosephus, non

10. enim veniam petiit Adamus, sed peccatum à se in mulierem transtulit. Sed vtcũque excusari possit hoc eius peccatum, sine vlla dubitatione errat cùm ait Adamum dixisse se à muliere deceptum peccauisse, idque aliquanto post rursus affirmat, quod non solùm Moses non dicit, sed Paulus etiam contradicit. *Adam*, inquit, *non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* Quod si quo modo seductus fuit, vt supra cum Bellarm. dicebamus, certe à muliere non seductus, sed subuersus fuit, vt loquitur Bernard. Et cùm in deceptione interueniat ignorantia, idem asserit illam per ignorantiam, hunc per infirmitatem peccasse, dum eam non vult afficere molestia. Sed iam tantisper intermittamus cum Iosepho disputationem, dum reliquum de Adamo & Eua iudicium audiamus. 1. Tim. 2. 14. Serm. de S. Andr. serm. 27. in par. serm.

LXVII. *Interrogatur Eua.* ET *dixit Dominus Deus ad mulierem. Quare hoc fecisti?* Peccati confessionem iam satis ex Adami, & mulieris taciturnitate exploratam prætermittit, vt eius causam requirat, vtróque interim supplicij expectatione suspenso, nec sibi statim morien-

dum esset, vt lex ante lata exigere videbatur. Pertinet autem, vt ait Eugub. ad duas culpas hæc interrogatio, cur comederit, & cur viro dederit, quarum vtráque grauissima, sed & mox vtrique pœna respondit, vt videbimus. Quamuis autem, si verba expendantur accuratius, interrogatio dationem fructus respiciat, adhuc enim causa Adæ agebatur, responsio tamen de sola comestione est, quod ad illam interrogationem nihil occurreret, quod directè responderi posset: propriam autem culpam vltro vrgente conscientia confessa est, tam in eo virum secuta, quàm in venia non imploranda. Notanda porro diuina bonitas ac sapientia, quæ non ante condemnauit Adamum, licet iam conuictum sceleris, ac confessum, quàm interrogasset Euam; ne illa viri sui condemnatione audita, nullam sibi spem veniæ superesse crederet, quæ esset eiusdem non solùm particeps, sed etiam origo peccati: sed adhuc pendente iudicio, ad veniæ postulationem, saltem ipsa confugeret, & lachrymis suis ac lamentis mitissimum iudicis pectus, infirmior sexus infringeret ad misericordiam.

XLVIII. *Non agnoscit culpā, sed excusat.*

SED illa malè nunc facta rigidior, à sinuoso, & lubrico serpente, male sermonum parcior, *Serpens decepit me*, inquit, *& comedi*. Nec dixit quare comederit: ingenti enim verecundia obstruebatur eius os, ne coram ipso Deo diceret, se similem Deo fieri voluisse, per eam comestionem. Accedebat & grauioris supplicij metus, ab eo, qui Iudex esset in propria causa. Verè deceperat eam, tam vt comederet ipsa, quàm vt daret viro; vtrumque enim ille requirebat, cùm vtrique diuinitatem, si Deo placet, infelici comestione promitteret; sicque dici potest, de vtráque culpa eadem responsione satisfactum. Excusat etiam ipsa se, & culpam in serpentem transfert, ne sponte sua, propriáque ex malitia nullo incitante peccasse videatur, in vtróque Adamum imitata, vt culpa vtriúsque leuiore facta, pœna etiam, quam sibi imminere sentiebant, hoc ipso die quo peccauerant, diminueretur. Laudat in Eua Ambros. confessionem peccati. *Venabilis*, inquit, *culpa, quam sequitur professio delictorum; ideo non est desperata mulier, quæ non reticuit Deo, sed magis confessa peccatum est, quam medicinalis secuta sententia est*. At Augustinus. *Nec ista confitetur peccatum, sed in alterum refert, impari sexu pari fastu*. Et mox. *Quanto melius vterque. Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. Ad hoc quippe requisiti fuerant*, vt ait Greg. *vt peccatum quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent. Vnde & serpens ille persuasor, qui non erat reuocandus veniam, non est de culpa requisitus*. Sic Greg. quod iam consequenter videndum est.

l. de parad. c. 14.

l. 11. c. 35. vide eundem l. 14. de ciu. c. 14.

l. 2. Mor. c. 13. v. 16.

XLIX. *Iudex cum serpente agit, quem non interrogat.*

CUM ergo Eua culpam suam in serpentem transferret, vt eam in ipsam maritus transtulerat, Iudex reorum verba in inquirendo secutus, ad serpentem transfert orationem, nec tamen quærit, quare id fecerit. An quia nihil ille per se fecit; sed totius rei ignarus, Satanæ, cuius tota fuerat culpa organum fuit. An quia cùm tota esset Dæmonis culpa, is iam acceperat immutabilem damnationis sententiam, nec veniæ capax erat, vt primi parentes, nec vllum habebat à quo vel seductus, vel inductus esset, vt id rogatus causari posset. An potius, quia non decuit interrogare serpentem, animal rationis expers, qui absente iam dæmone, nihil respondere posset; nec dici potest pari modo, nec alloqui oportuisse, pœnam infligendo, quia talis locutio non exigebat responsionem; & oportebat, ab Adamo & Eua inflictionem pœnæ cognosci, ad eruditionem, & satisfactionem suam, ne iterum peccarent, & contra Deum murmurarent, si nescirent auctorem culpæ affectum, sicut & ipsi, supplicio. Vide tu Tostatum in c. 13. Genes. Ego hic addo perelegantem D. Gregorij hac tota de re sententiam. Is ergo. *Scutum*, inquit, improbæ defensionis, *primus ille peccator tenuit, qui requirente Domino cur lignum vetitum contigisset, non ad se culpam retulit, sed à muliere, quam Dominus dederat, se accepisse respondit, vt quasi reatum suum oblique in authorem relideret, qui ei mulierem dederat, quæ talia persuaderet. Hoc scutum etiam requisita mulier tenuit, quando neque ipsa ad se culpam retulit, sed serpentis illud persuasionibus replicauit, dicens: serpens decepit me, & comedi: vt ipsa quoque reatum suum oblique in creatorem reduceret, qui illuc intrare serpentem persuasurum talia permisisset. Serpens verò iam non requiritur, quia nec eius pœnitentia quærebatur. Hi autē quorū pœnitentia quæsita est, scutum nequissimæ defensionis, contra iustissimæ correptionis verba protulerunt, vnde nunc vsque in vsum peccantium trahitur, vt culpa cùm arguitur defendatur; & vnde finiri reatus debuit, inde cumuletur*. Vide eundem Gregorium eadem alibi inculcantē.

Vide D. Chrysost. hom. 17. in Gen. in illa verba. *Maledictus tu præ omnibus, &c.*

q. 688. & 689.

Excusatio.

l. 31. Moral. c. 32.

l. 22. c. 9. vel 13.

L. *Eius condemnatio.*

QVID autem serpenti Dominus? nam huc progressa erat narratio. *Quia fecisti hoc*, inquit, *maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ, super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Hæc serpentis condemnatio multis est implicata difficultatibus, quas deinceps amoliri perspicuè, breuitérque conabimur.

LI. *Vtrum in dæmonem, an serpentem feratur.*

QVÆSTIO ergo prima est hoc loco, an hæc de dæmone ad literam, an de vero serpente intelligenda sint. Et vt rem copiosam cõtrahamus in pauca, perspicuũ est, singula horum non nisi allegoricè dæmoni applicari posse, serpenti autem omninu propriè. Animal quippe terræ est, & cum iis comparari potest, & præ omnibus odiosus est, maledictus, & detestabilis hominibus, super pectus suum graditur, & terram comedit, omnésque vbi res tulerit, conamur eius caput conterere, & ipse pedibus nostris, quibus terram calcamus, in qua ille volutatur, morsu & veneno nocere conatur. Sensus tamen à Deo propriè intentus est allegoricus, vt maledictio in dæmonem contorta intelligatur. Ista omnino mens est Augustini, & cùm eo D. Thomæ, Chrysostomi, Theodoreti, Ruperti, eamque sequitur Pererius. Sicut quæ de serpente æneo Num. 21. narrantur, in literali sensu de illo omnino accipienda sunt, at in allegorico, eóque in primis intento, de Christo in crucem acto, qui ad speciem serpens, id est, peccator fuit, reuera non fuit. Intentus autem maximè videtur eo in loco, in quo de inimicitiis mulieris, & seminis eius cum serpente agitur, quem magno consensu Patres omnes de Christo, & B. Virgine obterente dæmonis caput interpretantur[12]. Nec iniquum censeri debet, vt notauit Del Rio in hunc locum, ex D. Chrysostomo, iudicium in bestiam ratione destitutam: nam pius parens etiam sicam, qua filius interemptus est, solet execrari; & sapientes iudices, omnia scelerum instrumenta flammis adiudicant. Addit & præclaram inter delictum, & supplicium serpentis analogiam. In amicitiam enim & familiaritatem hominis conatus erat irrepere, fit eius odium & execratio; erexerat eum Diabolus, vt cum fœmina loqueretur, in terram abiicitur, & super suum pectus serpere iubetur. Persuaserat esum pomi, ad esum pulueris condemnatur, fœminam in os intuitus, calcaneo eius nunc insidiatur.

In hunc in sensu literali, in illum allegorico.

12. *x.*

Analogia culpæ & pœnæ.

L. 11. de Gen. ad lit. c. 36. & l. 2. 1036- que de Gen. contr. Manich. 2a. q. 163. a. 2. hom. 17. in Gen. q. 14. l. 3. c. 17. l. 6. n. 57. hom. 17. in Gen.

LII. *Neuter noua afficitur pœna.*

SIMPLICITER porro loquendo, nec dæmoni recens aliqua pœna inflicta est propter hanc tentationem, magis quàm propter alias, aut propter quæuis peccata, ad quæ homines inducit; quia cùm sit extra statum viæ, quæcúmque facit, neque ad meritum illi, neque ad demeritum imputantur, & consequenter neque ad præmium, neque ad pœnam. Sed neque serpenti. Cùm enim nulla in eo culpa fuisset, ne pœna quidem vlla illi infligi debuit, & quamuís tam culpam in eo, quàm pœnam locum habere diceremus, certè illius natura non magis propter peccatum, quàm natura hominis, aut dæmonis mutari debuisset; cùm autem naturalia tantùm habuerit, & non gratuita, quorum non est capax, sequitur eum nulla fuisse pœna mulctatum; vt argumentatur Abulensis. *In c. 13. Gen. q. 68.*

LIII. *Qui maledicatur serpens.*

QVOD autem dicitur, *maledictus eris*, non autem maledictus es, eo pertinet, vt mulier intelligat pœnam illi animanti tribui; itáque satisfieri pro deceptione sui: reuera autem ipsum gradi super pectus, & terram comedere, sunt quidem mala ipsius serpentis, sed naturalia, & non in pœnam data, sicut nec asino stupiditas, nec lupo voracitas, nec crudelitas leoni. Et serpens illo ipso tempore, quo illi à Deo maledictio denunciabatur, non incedebat erectus, nec incessit antea, nisi ad tempus, vt apparet, cùm excitatus à Diabolo cum Eua colloquium miscebat, vt tanto facilius mox eadem Eua sibi persuaderet, in pœnam deceptionis, in terram abiectum esse, si tamen Eua ante tentationem serpentem non viderat, quod difficile creditu est, sed carebat pedibus vt nunc, aut tam breues habebat, vt iis non obstantibus, pectore & ventre terram euerreret, vt in quibusdam serpentibus cernimus, & sicut non potest vlla deterior esse progressio animalis quàm reptatio, sic nec deterior cibus quàm terra: ideo in vtróque videtur serpens maledictus, eóque magis, quòd in totam vitam id malum, non ad breue tempus denunciatur.

LIV. *Inimicit. & hominis cũ serpente & aliis animalibus.*

POSTREMÒ quod ad inimicitias iſtas attinet, quas Deus dicit ſe poſiturum inter mulierem & ſerpentem, ſatis intelligitur eas in ſenſu hiſtorico ad dæmonem non pertinere; quia inimicitiæ cum dæmone iam erãt, antequam hæc à Deo dicerentur. cùm enim inimicitiæ ex factis potiùs, quàm ex verbis æſtimandæ ſint, quod hoſtilius facinus ab inimico infenſiſſimo afferri poteſt, eo quod à dæmone contra
supra in die 6. n. 74.
homines perpetratum eſt? Sed Deus inimicitias poſuit inter hominem & animantia, quæ illi ſubiecerat tanquam legitimo Domino; vt manente ſubiectione, obedientia ſolueretur, in pœnam ſolutæ ab homine aduerſus Deum obedientiæ. Quod autem nominatim fit mentio ſerpentis, in cauſa eſt quod ſerpens organum fuerat huius totius mali, & vt Euæ magis ſatisfieret, ſi nominatim de muliere diceretur, quod æquè cadebat in virum, quia Eua à ſerpente prior iniuria fuerat affecta.

LV. *In quo ſitæ inimicitiæ hominis cum ſerpente.*

CONSISTVNT autem hæ inimicitiæ in naturali quodam odio tam hominis
Vide Abul. in c. 23. Gen q. 705. & 708
in ſerpentem, quàm ſerpentis in hominem. Nam prima hominis cogitatio viſo ſerpente, & quæ omnem electionem, & deliberationem anteuertit, eſt de illo interficiendo, & de eius capite conterendo, & vice verſa ſerpentis, vt apparet, de illo mordendo, & ope veneni ſui, perimendo. Quamuis autem principia inimicitiarum in vtróque eſſent, ex ipſa vtriuſque conditione & origine ſua, erant tamen quaſi ſuſpenſa pro ſtatu innocentiæ, quo perdito, redditus eſt vtérque naturæ ſuæ, vt ambo ſe hoſtiliter perſequantur, quod aduertit quoque Pererius. Di-
l. 6. in Gen n. 19.
cuntur autem poſitæ à Deo inimicitiæ, quia id habet locum pœnæ, cuius auctor eſt iuſtus & vindex peccati Deus. Phraſis etiam ipſa ad futurum reſpiciens, pertinet ad ſatisfactionem mulieris, vltionem de deceptore tacitè à Deo expeten-
Vide Toſt. q. 716.
tis. Nec tamen negantur viri ipſius contra ſerpentem inimicitiæ, cùm addatur, *& ſemen tuum, & ſemen illius*; vir enim omnis ab Adamo ad hanc diem eſt ſemen mulieris, ſed mulieris primaria mentio facta eſt, tam ad eius ſatisfactionem, vt dixi, quàm ad ſerpentis humiliationem, qui à ſexu debiliore contereretur.

LVI. *Exemplum harum inimicitiarũ.*

NON omittam hoc loco egregiam de iſtis inimicitiis experientiam, quã grauis
l. 4. c. 20.
auctor Rupertus recitat. *Præterea*, inquit, *inter mulierem & ſemen eius, & hoc genus animantis per quod mulier ſeducta eſt, grandes inimicitiæ poſitæ ſunt, vtrinque non tam rationis indicium, quàm ſenſus naturalis perpetuum ſeruat odium. Hæc enim etſi non ſemper actu, ſemper tamen poteſtate quadam conterit caput illius. Ille autem, vtpote humi depreſſus, & non arduus, calcaneo huius inſidiatur. Nam ſi nuda mulieris planta dentem ſerpentis præuenerit, & viuaciſſimum caput eius, vel leuiter preſſerit, ſtatim totum cum capite corpus repente interit, ita vt nullus omnino motus, nullus ſenſus in aliqua parte reſiduus ſit, quod nec malleis, aut vectibus, certè nec gladiis concidentibus, citò, aut leuiter effici poteſt. Siquidem exciſum caput, cum tribus, aut duobus digitulis viuere, & abire perhibetur. Hoc quoque quod prædictum eſt, ita eſſe, ipſorum, qui per induſtriam explorauerunt, fida relatione comperimus. Vnde & fertur quod nudum corpus eius contingere non auſus ſit, ſi vel extremæ plantæ dentulum infixerit, occidit. Morſu namque infuſa peſtis, per venas vegetatione corporis aucta diſcurrit, animámque eximit. Adeo graues inter vtramque inimicitiæ poſitæ ſunt, antiqui mali ſuper*, lege ſemper, *nouum exhibentes monimentum.* Hæc ibi. Qua in re maximè reſpiciebat Dominus, quamuis in myſtico ſenſu, ſerpentem illum tartareum, à beatiſſima Virgine, per Ieſum Chriſtum, verum eius vnius ſemen conterendum.

LVII. *Non eſſe abſurdum maledici ſerpenti in ſatisfactionem Euæ.*

SED hæc mulieris ſatisfactio diſplicet aliquibus, quibus difficile videtur inducere in animum, Deum voluiſſe ſatisfactionem dare, mulieri, quæ tam ſtultè, ſuperbè, & iniurioſè in ipſum peccauerat? Præſertim cùm iſtiuſmodi ſatisfactio, inanis, fucata & ficta ſit, quæque non veritate, ſed falſa mulieris opinione nitatur. Quòd ſi ſerpens, aiunt, cùm acceſſit ad mulierem, non habebat pedes, iam igitur antea mulier viderat, naturale ſerpenti eſſe pedibus carere. Denique aiunt eam ſimulationem Adamum, naturæ animalium ſcientiſſimum, latere non potuiſſe. Quibus reſponderi poteſt. Ad primum dicemus, non dari hanc ſatisfactionem mulieri ad illi gratificandum, quaſi benè de Domino meritæ; ſed ad impediendum ne contra Deum murmurando peccaret grauius, quaſi hominem peccatorem puniret; ſerpentem auctorem peccati, vt apparebat, innoxium dimitteret. Quid autem abſurdi eſt, ad impediendum aliquod

malum alicuius, aut promouendum aliquod bonum, ipsius ignoratione abuti? Pro Ligar.

Non malū abuti ignorantia cuiuspiam.

Non afferam oratorem ita affectum in causa Ligarij; aut Apostolum Paulum, quem D. Thom. putat fateri se bono dolo decepisse Corinthios, sed medicos omnes ac nutrices, & quotquot prudenter aliquos ad bonum aliquod nec opinantes inducunt, vel à malo auertunt; nec sanè insipienter cùm infantulus impegit in parietem, nutrix vt eius cohibeat fletum, parietem illum verberat. Nec fucatum reconciliationis signum à Deo datum est hominibus in arcu cœli, quem naturalem esse nemo ambigit. Adde quod conueniebat apparentem & non veram culpam, apparenti, & non vera pœna puniri. Scriptura porrò de serpentis pedibus nihil dicit: potuit autem dæmonis artificio non solùm erigi in tempore tentationis, sed ante, cùm illam instrueret: sed fortasse nullum viderat, quippe qui adducti erant in paradisum ante formationem mulieris, nec ibi retenti, vt plerique censuerunt. Ad postremū si Adam intellexit rem ipsam, & consilium Dei super illam, nō dubium est quin probarit, si non intellexit, potuit, ac debuit credere omnia hæc alta quadam sapientia administrari, & intellectum suum in obsequium fidei captiuare.

(Margin: 22. q. 55 a 4. 2. Cor. 12. 16. — Gen. 9. 13. — Vide supra die 13. n. 7. — 2. Cor. 10. 5.)

LVIII. *Quomodo naturalia serpentis sint illi in pœnam.*

CÆTERVM Pererius noster, cuius sæpenumero labore iuuamur, & proficimus, explicans quomodo quæ maledictione in serpentem conijciuntur, naturalia illi sint, post peccatum tamen primorum parentum fuerint illi pœnæ ac supplicij loco; id factum interpretatur non respectu serpentis, sed hominis. Nam quæ antea fuerunt serpenti naturalia, post peccatum eidem fuere apud homines in magnum opprobrium, & execrationem; qui enim antea non fuisset homini propter ista inuisus, & execrabilis, post peccatum infamis, exosus & execrandus extitit. Est autem quædam veluti pœna serpentis, vt ex eo tempore eum homo super alia animalia oderit, & auersetur. Et quidem vt notauit Tostatus, siue is fidelis sit, & cognitionem habeat eorum, quæ in exordio mundi contigerunt, siue infidelis, eorúmque prorsus ignarus. Circa illam tamen interpretationem dubitari potest, quod illa videatur vltimæ duntaxat parti maledictionis serpentis satisfacere, non enim illi apud homines in opprobrium vertitur, quod deteriore sit conditione quam reliqua animantia; nec inuisus est homini, quod supra pectus suum, aut ventrem gradiatur, vel quod terra pro cibo vtatur, quæ tamen illi dantur in pœnam.

(Margin: l. 6. n. 59. — loc. cit.)

LIX. *Serpens factus homini detestabilis.*

AN dicendum totum serpentem in se & in omnibus proprietatibus suis factum esse homini detestabilem, vt de omni eius malo ac pernicie lætetur, non quatenus à Deo sunt, sed quatenus eius mala sunt, eáque etiam accersat, Deo non solùm permittente, sed etiam agente, vt qui dicat, *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, &c.* Quæ videtur fuisse mens Pererij, cùm subdit. *Atque hæc fuit damnatio, vt cuius natura est ad fraudem adhibita, confirmata esset ad dedecus, vt esset ei turpe talem esse, cui talem esse prius naturale ac decorum erat. Deo volente, vt quod ipse antea serpentis naturam fecerat, deinceps instituto suo, cuius consilio omnis obsequitur natura, idem probro ac supplicio esset. Nihil igitur damni serpenti accidit, tantum infame iussum est esse, quod si non esset iussum, fuisset naturale.* Sed abeamus à serpente, si vnum verbum de insidiis eius addiderimus. n. 60.

LX. *Serpens insidiator.*

INSIDIATVR autem, quia timidus & astutus; timidum facit frigidum ac terreum temperamentum, non solent autem timidi palam in hostem insurgere, sed clam & latenter agere, & ex insidiis quò etiam illud pertinet, *Tu insidiaberis calcaneo eius*, à tergo scilicet non à fronte adoriens. Astutum autem & Moses initio huius cap. & Christus ipse testatur, dum nos prudentiam, & calliditatem serpentis imitari vult. Est autem astutorum insidiari, vt qui id peritissimè facere possint; quin & serpens ex conditione corporis sui, idoneus est ad insidias, vt qui humi iacens facilè latere possit, in herba, in frondibus, in puluere vix, in luto, in petrosis locis. Math. 10.

LXI. *Et interfector.*

SED an insidiabitur tantū, & non etiam mordebit, & occidet. Respondet Abulensis, id quidem verum esse, sed id à Deo prætermissum, quia non pertinebat ad satisfactionem mulieris, sed potius ad consolationem serpentis: Deus autem non hoc requirebat, sed illud. Ideóque pessimum, quod à muliere in serpentem fieri poterat dixit, nimirum, *Et ipsa conteret caput tuum;* & contra, minimum quod q. 718.

à serpente effici poterat retulit, quod est insidiari calcaneo, quasi nihil aliud facere posset; hoc enim requirebat maledictio, quæ dabatur serpẽti, vt proferretur maximũ quod pati poterat, & minimum quod agere ad vlciscendum valebat. Simpliciter autem loquendo, tam insidiæ, quã inimicitiæ cædunt in damnũ mulieris, quæ pro subdito habet hostẽ, quæ vtilius tota hac cum serpente contentione, & odio caruisset, licet plus damni ab hominibus in serpentes, quam vice versa inferri videatur; maius quippe malum est à serpente occidi vnam mulierem, quam ab vna muliere mille serpentes.

LXII. *Sententia in mulierẽ lata.*

VENIO ad sententiam latam aduersus mulierẽ, paucis quidẽ verbis comprehensam: sed multa mulieris mala continentẽ. Ea tamẽ mala huiusmodi sunt, quæ fuit incredibilis Dei bonitas, vt ipsi naturæ secundũ principia sua naturalia conueniãt, gratuitis tantũ homini sublatis; si enim in puris, quæ vocantur, naturalibus Deus mulierẽ condidisset, multiplicarentur ęrumnæ eius, & conceptus, in dolore peperisset filios, & sub viri potestate fuisset, ipséque mulieri dominaretur. Idemque de Adamo proportione dicendũ est. Sed antequam has tam mulieris quã viri pœnas consideremus, aliquid de vtriusque peccati magnitudine dicamus, quod è recentioribus egregiè, vt solet, præstitit Bellarm. & Peter. ex quibus pauca libabimus, Bellarm. præsertim, apud quem omnia sunt ordinatissima, atque clarissima.

t.4 l.3. de amiss. grat. c. 9 & 10. l.6.n.102. & seqq. In Ench. c. 45. lib. 2. de vita contempl. c.19. l.14. de ciu. c.13.

LXIII. *Peccatum primi parentis magnum, & multiplex.*

DICO igitur peccatum vtriusq; fuisse magnũ & multiplex, septémque omnino actus malos in eis reperiri. Primus actus malus viri fuit superbia, qua in sua maluit, quam in diuina esse potestate, vt ait August. *Non desererent*, ait Prosper, *Deum, nisi superbissent, & similitudinem Dei miserabiliter appetissent. Delectauit enim*, inquit August. *quod dictum est, Eritis sicut dij; quod melius esse possent summo, veróque principio cohærendo per obedientiam, quam suum sibi existendo principium per superbiam.* 1.

Secundus actus fuit, amor coniugis inordinatus, cui dum grauis esse Adamus non vult, grauiter offendit Deum. 2.

Tertius infidelitas, qua Deo non credidit dicenti, *Morte morieris*, & Diabolo credidit dicenti, *Eritis sicut dij*, quam infidelitatem vocat D. Augustinus sacrilegium, de qua fusè Bellarm. 3.

In Ench. c. 45. c.6. l.3. de amiss. grat.

Quartus curiositas. Nam August. *Sed etiam si virum*, inquit, *propter aliquam mentis elationem sollicitauit aliqua experiendi cupiditas, cùm mulierem videret, accepta illa esca, non esse mortuam, &c.* 4.

Gen. 3. 11. Quintus particularis expressa inobedientia, de qua Deus eum nominatim accusat. *Ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti.* 5.

Sextus actus est excusatio peccati, cum quadam accusatione proximi, & Dei, 6.
Gen. 3. 12. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.*

Septimus, damnum proximo illatum, tot damnis cum morte in totam posteritatem illatis, quæ tangit Apostolus. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* 7.

1. Cor. 15. 22

LXIV. *Multiplex item primæ parentis.* 1. 2. 3.

l.11. de Gen. c.30. IN peccato mulieris primus actus fuit superbia, vt supra ex Aug. retulimus; apud quem etiam rea fit infidelitatis, qua serpenti credidit, & Deo non credidit. Rata fortasse præceptum comminatorium duntaxat, non absolutum & irreuocabile.

Tertius actus est concupiscentia, cibi prohibiti; *Vidit enim mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile*, nec vidit tantùm, sed etiam concupiuit, imo *& tulit de fructu illius.*

Et ad quartũ actũ expressæ inobedientiæ progressa, *De fructu illo comedit*. nec eo cõtenta, induxit virũ ad peccandũ, qui est quintus actus, *Dedítque viro suo, qui comedit.* 4. 5.

Sextus excusatio peccati, siue translatio. *Serpens decepit me.* 6.

Eccl. 25. 33. Septimus euersio viri, & totius generis humani. Nam *à muliere initiũ factũ est peccati, & per illã omnes morimur.* Non mirũ igitur si à Scriptura & sanctis Patribus, modò superbia, modò inobedientia primorũ parentũ, modò gula, modò excusatio peccati, modò aliud crimen accusetur, cũ tã multa peccata in vno facinore cõcurrãt. 7.

LXV. *Vter grauius peccaris. Videri Adamum.*

QVI actus si inter se conferantur, partim iidem, partim suppares reperientur: nisi quod in excusatione peccati grauius delinquit Adam, nam vir sociam accusauit, mulier hostem, vir culpam in Deum reiicit, mulier in serpentem. In læsione item generis humani Euæ occasionem dedit ruinæ nostræ, Adam eius vera, & propria causa fuit. Nam si Eua sola peccasset, non propterea perierat genus hu-

manum, dicente Apostolo, *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & Rom. 5. 12.*
per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt, & cætera. Quæ ibidem sæpius versat atque inculcat, comparando gratiam Christi, & ef-
3. fectus eius, cum Adæ peccato, & damnis ex eo profectis. Denique concupiscen-
tiæ cibi, qua deliquit mulier, respondet curiositas experiendi, qua Adam in tenta-
tionem Dei labebatur, multo grauiorem, quàm sit gulæ tentatio. Ex quo vides
non satis accuratè dictum à Ruperto, tria diuinæ sententiæ verbera in mulierem l. 3. c. 21.
peculiariter inflicta, quia peccati quantitas in muliere triplo maior fuerit, quàm
in viro. At idem vice versa dici poterit de viro, qui etiam propriis à Deo verberi-
4. bus cæsus fuit. Quod si non actus solùm mali, sed personæ peccantium conside-
rentur, quis non videt maiorem esse Adami culpam; qui sapientior erat, & for-
tior; qui mulieris rector, & caput; qui hostem habuit infirmiorem, qui culpam
minus agnouit, & in maiorem Dei reprehensionem incurrit.

LXVI. *Vnde censeri possit hoc peccatum omnium grauissimum.*

HÆC ferè ex Bellarm. qui deinceps fusius ostendit hoc peccatum dici posse
omnium grauissimum, non absolutè quidem, & ex genere suo, sicut esset odium
Dei, aut blasphemiæ ex illo prorumpentes, sed adiunctis eius & effectis, cũ & ma-
gna facilitas esset non peccandi, vt supra diximus, & magna ratio non peccandi dict. 6. n. 139.
ob tam ingentia beneficia recens à Deo accepta, & magna pœna peccanti propo-
sita, & magna pernicies in totum genus humanum ex peccato diffundenda. Nam
pœna peccati primorũ parentum, omniũ princeps, & latissimè patens, fuit amissio
iustitiæ originalis, quæ vt Adamo totique posteritati data erat, ita eius priuatio
omnes cõstituit peccatores, nec peccatores modò reddidit, sed iisdẽ omnino cala-
mitatibus obnoxios, quibus ex necessitate materiæ oportebat esse tã animo quàm
corpore subiectos; quibus omnibus iustitia originalis remedium adhibebat; qua
sublata, illico —*macies & mala febrium* *Terris incubuit cohors.* l. 1. Od.
Sed de hac pœna dicemus aliquanto post.

LXVII *Pœna diuinitus inflictæ peccato.*

HANC pœnam non nisi indirectè, & quatenus ad vitam, quam in corpore duci-
mus pertinet, infert Dominus, ad eius nimirum vitæ ingressum, progressum, & e-
gressum; quorum primum ad mulierem pertinet, per quam in mundũ ingredimur;
alterum ad virum, qui familiam laboribus suis eiusque sustentare debet; tertium
ad vtrumque, quia vterque de puluere factus, in puluerem reuertetur. Horum au-
tem maximè meminit; siue quia à carni mancipatis hominibus, quales ipsi facti
erant, maximè sentiuntur; siue quia huiusmodi mala omnium notissima sunt, &
communissima; siue quia iam illa experiebantur, rebellem scilicet concupiscen-
tiam, nuditatem, confusionem, timorem, & cætera naturæ vulnera.

LXVIII. *Et primum mulieri in conceptibus ærumnosis.*

PRIOR mulier audit. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries fi-*
lios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui[13]. Vbi conceptus non simpliciter in 13. ℣.
pœnam ponitur, cùm in benedictione Domini censeatur, vt patet in Gen. Nam
Lia liberis abundans, *Hoc,* inquit, *pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent mulieres,* Gen. 30. 13.
non solùm se benedictam, sed etiam beatam prædicat in multitudine liberorum.
Et contra Racheli mortis instar erat liberis carere, adeo vt diceret viro suo, *Da mi-* Gen 30. 1.
hi liberos, alioqui moriar. Adde Dauidem. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus* Psal. 127.
tuæ, filij tui sicut nouellæ oliuarum, &c. Sed ærumnæ conceptuum meritò numerantur Vide Exod 21. Esai. 31.
in pœnis, quibus tam mater, quàm infans tanto tempore affliguntur. Vnde Poëta.
Matri longa decem tulerunt fastidia menses. Virg. Buc. Inc. 23.
Quæ omnia fastidia, sub nomine ærumnosi conceptus cõprehenduntur, vt To- Gen. q 75.
stat. quoq; intellexit, D. Tho. & Lipumanus in catena. Sed de his ærũnis vulgo no- 2. 2. q 164.
tissimis, etiã medici plura suggerũt; quibus omnib. cariturus erat innocẽtiæ status. a. 2. in cor. & ad 2.

LXIX. *Gestatio in vtero an breuior in statu innocentiæ.*

NON tamen certo tempore, nouem circiter mensium, quo in muliebri vtero
maturesceret fœtus, etsi Oleaster hoc loco. *Decreuerat,* inquit, *Dominus vt fœmina* Oleaster.
suscepto semine & formato fœtu statim illum emitteret, & non gestaret in aluo ad nouem men-
ses, cum maxima molestia, ideo in pœnam peccati multiplicauit tempus. At August. contra.
Ad pariendum, inquit, *non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus fœminea viscera relaxa-* l. 14. de ciu. c. 26.
ret. Atqui maturitas non cõtingit statim formato fœtu. Quid quod in tã noua re
nihil probationis, aut à reipsa, aut ab auctoritate affert; molestias quidem abfutu-
tas vltro concedimus, temporis autem multiplicationem in pœnam datam nega-
mus. quin etiam oporteret totum naturæ ordinẽ in hominũ generatione mutatũ,

cùm tamen naturalia, ne in bestiis quidem, mutata sint, vt fatentur omnes. Denique cùm per peccatum gratuita dumtaxat fuerint sublata, oportet quæ sunt humanæ productionis, ad debitum naturæ ordinem esse reuocata; in statu ergo innocentiæ omnis hominum productio contra naturæ ordinem fuisset, quæ requirit in vtero nutritionem fœtus, & accretionem ad certam quantitatem & vires, vt hunc aërem ferre possit. Sed hæc absurda missa faciamus.

Conceptio reproborũ.

Illud autem non absurdum ducimus in ærumnis conceptuum comprehendi posse, quod multi concipiantur futuri pabulum ignis æterni, cùm, si status innocentiæ perdurasset, soli prædestinati concepti forent: quod notauit, & eleganter exposuit Rupertus. *Quanta putas hæc ira, quanta est vindicta concipi, vel nasci tot homines, qui numerum excedant, qui ad Dominum, vel vitam æternam non pertinent, quibus proinde melius erat si nati non fuissent*, &c. Quæ apud eum videre potes.

l. 3. c. 22.

LXX. *In dolore partus.*

ALTERA pœna est dolor partus, de quo eodem modo quo de conceptione philosophandum est, naturale esse fœminæ, & maximè in humana specie, cum dolore parere. Laxanda quippe sunt claustra vteri, pro magnitudine fœtus emittendi, & seiungenda, quæ inter se maximè cohærentia sunt & compacta, quod sine grauissimo doloris morsu fieri non potest; præsertim in muliere, quæ tactum habet molliorem, corpus tenerius, atque infirmius, & sensui doloris magis obnoxium: vt meritò mulier omnis, excepta vna, quæ virgo simul & mater, maiore priuilegio potita est, quàm vlla vnquam mulier in paradiso sperare potuisset; mulier, inquam, omnis filios suos appellare possit Benoni, id est, filios doloris sui. Quin etiam non raro tantus est hic dolor, vt non nisi alterius, aliquando etiam & matris & filij morte terminetur; & quamuis naturalis sit hic dolor, (& non tantùm pœna peccati, cùm in brutis quoque reperiatur, in quibus non est peccatũ; & alioqui nunc dicendum esset omnem partum esse contra naturam, cùm nullus sine dolore contingat) durante tamen statu innocentiæ, non quidem sine corruptione, sed sine dolore laxato vtero, ex particulari Dei gratia, & benignitate, fœtus emissus esset in lucem. Ea gratia, in pœnam peccati sui iam priuata mulier, quæ filios iræ Dei sui concepit, & cum multis ærumnis filios Adæ circumtulit, parit denique filios doloris sui.

Gen. 35. 18. — בן־אוני — *Is naturalis est,*

LXXI. *In dura & coacta subiectione,* *quæ fuisset suauissima.*

OBSCVRIOR est tertia mulieris pœna; quomodo enim pœna dicenda est subiectio mulieris viro suo, cùm ea in statu quoque innocentiæ futura esset, sicut & filiorum sub patre, & discipulorum sub magistro, & ciuium sub magistratu, & omnium creaturarum sub omnium creatore Deo. Non enim in paradiso mulier futura erat maior, vel æqualis viro, vtpote facta à Deo animo & corpore infirmior, ideóque minus idonea ad gubernandum quàm vir; ergo inferior, & indigens prudenti directione viri sui, quæ sine subiectione, & obedientia esse non potuisset. Sed illa subiectio non haberet rationem pœnæ, tum quia spontanea esset, & sine coactione, sicut Apostolus ait, legem non esse iusto positam, quia sponte sua quæ sunt legis exequitur: tum quia vir nihil imperasset, quod non esset consentaneum rationi, & ad alterius vel vtriúsque vtilitatem, ad quam vtérque naturaliter propenderet: denique vna esset vtriúsque mens, voluntas, appetitus, iudicium, quandiu manerent diuinæ legi obsequentes. Nunc autem subiicitur vel inuita; & ille non raro in eam exercet penè tyrannicam dominationem: eámque sæpè tam iustis, quàm iniustis coërcet pœnis, nulla eum lege politica coërcente, neque tamen id mulieri vice versa licet in virum. Quod significant illa verba, *Et ipse dominabitur tui*, quæ interpretans D. August. *Dixit quidem Apostolus, per charitatem seruite inuicem, sed nequaquam diceret inuicem dominamini. Possunt itaque coniuges per charitatem seruire inuicem, sed mulierem non permittit Apostolus dominari in virum; hoc enim viro potius Dei sententia detulit, & maritum habere Dominum meruit mulieris non natura, sed culpa; quod tamen nisi seruetur, deprauabitur amplius natura, & augebitur culpa.* Illud autem, dominabitur, prænunciando à Deo dicitur, non iubendo, vt docet Tostatus. Iustum itaque fuit multiplicari ærumnas conceptuum mulieris, quæ suos fœtus ad multiplices parabat ærumnas: æquum fuit, vt cum dolore corporis sui pareret, quos ferebat ad tot animi corporísque dolores; vt dominantem vsque ad mortem experiretur virum, quem fecerat seruum mortis & peccati, & illum rigidum nunc sentiret, quem blanditiis antè perdiderat.

1. Tim. 1. 9.

l. 11. de Gen. ad lit. c. 37.

Gal. 5. 13.

in cap. 13. Gen. qu. 787.

Iusta mulieris pœna.

LXXII. *Pœna inflicta Adamo, maledictio terræ.* Sed nec ipse impunè feret Adam peccatum suum, illi quippe denunciatur multiplex labor, & miseria in subueniendo suis, suotúmque vitæ huius necessitatibus, hoc enim illi munus incumbit, mulieris ærumnis respondens. Adæ ergo dixit Dominus. *Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Significat illa vox sterilitatem, sicut benedictio fertilitatem, quasi dicat, etiam culta non feret, aut malignè feret, triticum vertet in siliginem, & continget illud,

Grandia quin etiam committimus hordea sulcis,
Infælix lolium, & steriles dominantur auenæ [n]. 11. *χ*.

Quæ accipienda. Porrò Tostat. existimat in terræ fertilitate hac maledictione nihil esse mutatum; & terram paradisi mansisse fertilissimam, saltem vsque ad diluuium, in reliqua nihil ex peccato imminutum, cùm autem creata esset minùs fertilis quàm paradisus, eius tamen fertilitatem paulatim imminui naturaliter, & quotidie germinando eius virtutem exhauriri, & veterascere. Adamum autem eiiciendum ex paradiso sensurum terram steriliorem quasi maledictam, & nihil ex ea boni, sine multo labore collecturum, cui alioqui iucundissima, simúlque fructuosissima fuisset agricultura. *in c. 3. Gen. q. 19. & 20. & in c. 13. q. 225. & seq.*

LXXIII. *Laboriosa vita, & spinarum germinatio.* Nam hoc est alterum malum. *In laboribus & sudore vultus tui comedes ex ea cunctis diebus vitæ suæ.* Laboriosa videlicet veteris agricultura, quæ antea tota voluptatibus circumfluebat. Tertium malum, *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Non in senticetis tantùm pullulabunt, sed in agro atque horto tuo, quæ seuetis malignè prouenient, quæ non seuetis, copiosè germinabunt, sed huiusmodi erunt, quæ suffocent sementem tuam, quæ cruentent te, quæ lacerent vestes tuas. Vide porrò hac de re plura in die 3. *n. 22. & seq.*

LXXIV. *Mortis pœna vtrique communis.* Postremum malum vtrique commune. *Donec reuertaris in terram de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quod malum *est necessitas moriendi, quam Deus,* inquit Bellarm. *cùm pœnis quæ ad virum magis propriè pertinent coniungere voluit, tum quia peccatum viri propriè causa mortis fuit, tum quia viro dictum fuerat, quacúmque die comederis ex eo morte morieris,* at vtrique simul id dictum fuerat, vt supra docuimus, *tum quia in viro mulier intelligitur, cùm vir sit caput mulieris; tum denique quia vir grauius peccauit quàm mulier.* Porrò hæc pœna in illis verbis continetur, *puluis es, & in puluerem reuerteris,* ex quibus verbis intelligimus illud. *Quocúmque die comederis, ex eo, morte morieris,* nihil aliud significare, nisi morti certissimæ obnoxius eris. *lib. 3. de amiss. grat. c. 11.* *c. 3. 19. c. 2. 17. Theod. q. 38.*

LXXV. *Analogia pœnæ & peccati Adæ.* Vide autem analogiam supplicij Adæ & peccati eius, Adam fructum terræ
comedit contra iussionem Domini cœli & terræ, terra maledicta erit & sterilis, vt
non ferat fructus suos. Adam maluit vxori malè suadenti gratificari, quàm Deo
obedire iubenti, nihil ergo illi terra gratificabitur, sed omnia ipse ab ea multo
sudore, & labore exprimet. Superbiuit Adam ambiens similitudinem Dei, com-
1. paratus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Oblatum à serpente
2. cibum comedit. In cibo damnatur serpens, vt terram comedat cunctis diebus
3. vitæ suæ, & quidem sine labore; Adæ verò dicitur, in laboribus comedes ex ea,
4. cunctis diebus vitæ tuæ. Adam pro fructu laudis & benedictionis quem debebat
5. Deo, protulit superbiam, & inobedientiam, & infidelitatem, & curiositatem, &
cæteras peccatorum spinas, & terra maledicta, pro fructibus spinas, & tribulos
germinabit illi, in damnum scilicet illius ac miseriam. Adam comedendo de li-
gno vitæ sine molestia transferendus erat ad æternam vitam; at post esum ligni
6. vetiti in sudore vultus sui vitam toleraturus est, donec reuertatur in terram, de
qua sumptus est. Adam donorum diuinorum magnitudine in superbiam elatus,
7. oblitus est originis suæ: nunc in suum prostratus puluerem, audit, *Puluis es, & in*
puluerem reuerteris. Non irata iustitia, inquit Rupertus, *sed miserantis est gratia, quod*
vitiatum hominem Deus mortalem esse & interim dum viuit, in laboribus pane suo vesci vo-
luit, vt videlicet antequam veniat dies iudicij, quo, cùm antiquo peccatore Diabolo, damnandi
sunt omnes iniqui, resipiscant aliqui laboribus & doloribus, tandémque ipsa morte eruditi, qua- *l. 3. c. 25.*
tenus, vel sola vexatio det intellectum auditui. Hæc & alia ibidem & c. 24. in eandem
sententiam.

LXXVI. *Quid sentiat Iosephus de* Iosephvs autem de his tam primorum parentum pœnis, quàm serpentis ipsius hæc habet. *Tum Deus mulctauit eum, quod muliebri consilio cessisset, terrámque vul-*

los posthac sponte fructus proferre iussit, laborantibus autem & opere attritis aliâs dare, aliâs negare. Euam autem parturitionibus, & hoc genus doloribus castigauit, eo quod ipsa à serpente decepta, Adamum eisdem dolis illectum in calamitates coniecisset. Quin & serpenti vocem ademit, iratus ob malitiam, qua erga Adamum est vsus, venenúmque eius linguæ indidit, & hostem eorum declarauit, admonuitque caput eius plagis impetendum esse, tum quod in hoc pernicies hominis sita sit, tum quod ipsa bestia hoc pacto facillimè opprimatur. Ad hæc pedibus priuatum trahi per terram, ac voluit fecit. *pœnis primorum parentum & serpentis.*

HÆC quàm aliena sint à Scripturæ textu, & veritate nemo non videt: quàm multa in paucis versiculis addita, detracta, mutata, vt tot penè sint errata, quot sententiæ. LXXVII. *Quã multa eo loco peccet.*

Errat primò, quod ait iussam terram nullos deinceps sponte proferre fructus, quod hoc loco à Scriptura non dicitur, & ab eadem alibi contrarium dicitur. *Septimo anno sabbatum erit terræ requietionis Domini, agrum non seres, & vineam non putabis. Quæ sponte gignet humus non metes, & vuas primitiarum tuarum non colliges*, &c. Idémque mox repetitur, & 4. Regum. 19. 29. Esa. 37. 30. Sed licet etiam Iosephum ipsum contra se proferre testem. Nam lib. 3. *Septimo quoque anno remissionem agris dedit, intactósque aratro & plantatione esse iussit.* Et mox, *Quæ verò per hunc annum sponte sua terra protulerit publica esse, & promiscui vsus iussit*, &c. Vtrobique eadem phrasis Latina & Græca περὶ τῶν ἀπὸ τῆς γῆς αὐτομάτως ἀναδοθέντων. Sed hoc Iosephi erratum alteri consentaneum est, quasi in statu innocentiæ tellus, omnia sine cultura ferret, quod supra refutatum est.
(Leuit. 25. 4. — v. 11. — c. 10. — die 13. n. 44.)

Errat secundò & tertiò, quia secundam & tertiam Adæ pœnam intactam reliquit, qui spoponderat nihil se additurum Scripturæ, aut detracturum.
(in præfat. operis sui.)

Errat quartò, quod cùm mortis supplicium inobedientiæ impositum vix summis tactum articulis superius attigisset, hic planè prætermisit; vt videri alicui possit eum aut nolle, aut non audere mortales docere, quæ fuerit illis causa mortis. Vide supra in errore eius octauo.
(sup. die 13 n. 42. — n. 45. die 13.)

Errat quintò & sextò, quod de tribus mulieris pœnis, duas commiscuit, atque confudit, tertiam prætermisit.

Errat septimò, octauò & nonò, circa serpentem, quòd, vt antè diximus, serpenti articulatam, & humanam vocem adimit, quam nunquam habuit: quòd eiusdem linguæ venenum indidit, quo nunquam caruit: quòd prædictionem conterendi capitis in admonitionem vertit.
(die 13. n. 25.)

Errat decimò & vndecimò, circa eumdem, quod eum pedibus priuatum dicit, cùm constet naturalia planè integra in brutis mansisse, vt quæ nihil peccarint; cùm ea misericordia Dominus etiam in homines, angelósque peccatores vsus fuerit: quodque cibum ei à Scriptura assignatum omiserit.

NONDVM hic pœnarum finis, siue in Adamo, siue in posteris; aliæ sunt multo maiores his, atque luctuosiores, quas si prætermisero manca omnino videbitur hæc mundi exorientis historia, nec minùs vtile est mala nostra agnoscere, vt ea deploremus, ac propter illa sub potenti manu Dei humiliemur, quam eximias hominis dotes scrutari, quibus in altum elati deiiciamur ab eo, *qui deponit potentes de sede, & exaltat humiles.* Denique hinc inæstimabile odium, quo Deus prosequitur peccatum non obscurè cognoscetur, vt & nos in illud quo par est animo affecti simus. LXXVIII. *Aliæ pœnæ grauissimæ peccatũ originis, eiúsque mala spiritualia maxima.*
(Luc. 1.)

Minimum censetur intentione peccatum originis, vtpote in quod voluntas nostra tenuissimè influit; si tamen intueamur in vltionem, quam Deus quotidie sumit, sumétque de eo, vsque ad consummationem sæculi, & ad vltimam vsque, vt ita dicam, æternitatem, & super animas, & super corpora super infantulos & super adultos, nihil à Deo seuerius vindicari posse videatur.

FATENTVR omnes Ecclesiæ doctores, cum D. August. plurimis in locis, hoc peccato ab Adamo cõmisso, quod Ioannes Bapt. vocat peccatum mundi, totum genus humanũ quasi quandam massam perditionis esse factum, massam Deo inuisam, & indignam bonis omnibus illi à Deo præparatis, & suppliciorum æternorum ream. Facta est tota posteritas Adami cum parente suo, quasi immensus quidem exercitus ad metalla damnatorum per totam vitam, effosso altero oculo, LXXIX. *Per quod totũ genus humanum factum est massa perditionis.*
(Ioan. 1. 29.)

& altero poplite succiso. Quasi vastissima quædam ciuitas Babylonica, vel Niniuitana, plena reis imminutæ diuinæ maiestatis, plena criminosis, antequam per ætatem crimen vllum nosse possent. Viderique possit, si res prima fronte videatur, Deum propter Adami culpam, ita in homines se gessisse, vt Aman ille, qui propter culpam Mardochæi, *Iratus est valde, & pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus suas, magísque voluit, omnem Iudæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem*. Sed pergamus. (Esth. 3.6.)

LXXX. *Pauci ex ea eximantur.* Devs cuius natura bonitas, noluit *in ira sua continere misericordias suas*, statuit quippe mittere filium suum in mundum, qui tolleret peccatum mundi, & vitæ mortísque suæ meritis pro totius mũdi peccatis copiosissimè satisfaceret. Nihilominus in huius peccati odium, & vindictam, hæc abundantissima merita non omnibus sunt efficaciter applicata, imò neque maiori parti, sed minimæ, *multi* quippe *sunt vocati, pauci verò electi*. Reliquis omnibus reposita est, vel relicta perditio sua; & cùm homines de decem peccatoribus vnum puniant, Deus de quinquaginta morte satis mortique datis, vnum aut alterum à damnatione eripit. (Ps. 76. 10.) (Matth. 22. 14.)

LXXXI. *Permissio primi peccati.* Devs non amat peccatum, imò id detestatur, prohibet, & seuerissimè punit; tanta tamen fuit istius peccati malignitas, vt in illius pœnam, Deus primum omne cuiúsque hominis peccatum actuale permittat; quo patefacto aditu, plurima alia peccata, quà data porta ruunt: perinde ac si, dicat aliquis, Rex in vindictam vnius inimici sui, plurimos alios in regnum suum intrare permittat. (Vasq. 1. p. disp. 95. c. 4.)

LXXXII. *Amissio omnis gratiæ.* Devs virtutem infinito quodam amore prosequitur; ab eo quippe sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, eáque infinita mercede remuneratur. In huius tamen peccati pœnam, statuit ne minimam quidem conferre gratiam ad boni quippiam aut faciendum, aut dicendum, aut cogitandum, nisi in virtute meritorum eius, qui verissimè dixit, *Sine me nihil potestis facere*, Omni eiusmodi virtute in primo parente Adamo perdita, vt disputat S. Fulgentius. Et quamuis hoc peccatum fuerit in suo auctore deletum, pœnitentia 930. annorum, obligatio tamen ad eam culpam & pœnam in tota posteritate remansit ad annum 5670. quo hæc mittimus in lucem. (l. de Incarn. & grat. c. 12. & 13.)

LXXXIII. *Recusatio primæ gratiæ.* Devs tanta liberalitate in homines fuit, quantam bona omnia naturalia, & supernaturalia largissimè in eos effusa testantur; & voluntas æternæ fœlicitatis, ad quam nos, non solùm admittere, sed etiam compellere desiderat. *Compelle intrare*, inquit, *vt impleatur domus mea*. Quibuscúmque tamen reprobis Deus primam gratiam denegat, quæ eos ad efficaciter respondendum permoueret, propter peccatum primi parentis denegat; tametsi nulla vel culpa, vel causa sit in eo, qui eam non recipit, nisi esse filium primi præuaricatoris. Et ea gratia negatur omnibus, qui non conuertuntur, sed in peccatis suis viuunt, ac pereunt. (Luc. 14. 23.) (Vasq. in 1. p. disp. 95. c. 5.)

LXXXIV. *Paruuli priuantur remedio huius peccati.* Devs paruulos generis humani diligit, voluit quippe à filio suo dici. *Sinite paruulos venire ad me, eorum enim est regnum cælorum*. Et, *Si quis scandalizauerit vnum de pusillis istis*, &c. Et in fine prophetiæ Ionæ fatetur, se misericordia cõmotum in ciuitatem peccatricem, in qua peritura erant plusquam 120. millia paruulorum, quorum humilitas & expers omnis doli simplicitas amabilis est admodum, præsertim patri. Et tamen in vltionem peccati huius, de quo iamdudum agimus, Deus nulla re alia in eis inuenta, quàm quod sint filij Adæ, priuat eos gratia sua, & iustitia originali; quo fit vt veniamus omnes in lucem resti ad collum iniecta, cum lachrymis & eiulatu, certissimis miseriarum, in quas nascimur, testibus. Quin etiam, quod acerbius est, plurimi paruulorum horum, in vindictam huius peccati non potuerunt vlla parentum industria, aut studio aliorum pertingere ad remedium illis diuinitus destinatum. Ita vt non nisi ad damnationem nati videantur. Quis hîc non exclamet, *Tantæne animis cælestibus iræ?* (Matth. 19. 14. & 18. 6.) (Iona vlt.)

LXXXV. *Deus etiam in hac animaduersione clementia.* Hæ ferè sunt spirituales pœnæ, debitæ & inflictæ huic peccato: quæ non ægrè iustæ, atque adeo mites videri possunt, si quis attentius contempletur, quæ principes agant in rebelles subditos, etiam cum opinione clementiæ. Non solùm enim ciuitatem rebellem priuilegiis spoliant, sed insuper plerósque morte afficiunt, euertunt muros, tributis opprimunt, nobilitate priuant, aliísque in eos

supplicijs animaduertunt. At Deus solis priuilegijs spoliauit homines, nihilque planè aut boni abstulit, quòd eis iure naturæ deberetur, aut inflixit pœnæ, quæ non illis ex necessitate naturæ conueniret. Pactum initum erat cum summo generis humani parente, ac magistratu, de amittendo aut conseruando sibi, suisque statu florentissimo iustitiæ originalis; totúsque contractus vsque adeò cedebat in fauorem nostrum, vt si fortè abnuisset Adam, ita suo nostróque nomine pacisci, inimicus potiùs quàm pater: non sapiens, sed insanus meritò æstimari posset. Præsertim cùm iustissimum esset, facillimúmque præceptum, Dei infinita quædam beneficentia: nostra verò tanta vtilitas, vt meritò quasi pupilli & impuberes rursum admitti ad contrahendum cum Domino postulare possemus.

Oseæ 6. 7. C V M ergo Adamus diuinum pactum esset transgressus, nósque cum illo in paradiso præuaricati essemus in Deum, & ita in naturalem nostram redierimus egestatem, quid seueritatis habet illa massa perditionis? Homo locuples filios habuit improbos ac rebelles, quos hæreditate priuauit. Occurrit illi nescio quis mendicus, quem idem intulit in domum suam, cum filiolis suis, hæredémque constituere voluit, si benè seruiret, hic mox tumultuari incipit, seruos percutit & ancillas, ludit, potat, &c. Quid facit pater familias? non illum verberatum, aut malè mulctatum conijcit in carcerem, quòd nemo seueritatis argueret, sed manu apprehensum eijcit domo cum suis, & pristinæ restituit egestati. Nec par est ratio Mardochæi, quippe qui in culpa non fuit: & vt maximè fuisset, certè Iudæi reliqui erant innocentes. Itaque crudeliter Aman in Iudæos, Deus humanissimè se gessit in homines. LXXXVI. *Purgatio seueritatis in massa perditionis.*

C V M autem potuerit Dominus, etiam cum laude clementiæ, omnes homines suæ miseriæ restitutos deserere, quanta bonitas est velle omnes ex eadem iterum miseria ereptos reddere beatiores? *Vult quippe omnes homines saluos fieri*; quanta misericordia redemptionem offerre, quæ omnibus in libertatem asserendis sufficiat, omnibus offeratur, acceptetur à paucis, repudietur à plurimis arbitrij libertate abutentibus: pauci autem illi ita præueniuntur à gratia, ita tempore ac loco excitantur, vt omnino respondeant, & interitum euadant. Quid ergo seueritatis est, quibus nihil debeas, imò quibus debeas supplicium, iis si gratiam offeras, ac veniam? Quid istis fit iniuriæ, si quibusdam ex ipsis singularis gratia præstetur? E quinquaginta coniectis in carcerem vnum pecunia tua educis. E quinquaginta mancipiis vnum eximis à seruitute. E quinquaginta pauperibus vnum efficis locupletem, quàm iniuriam reliquis facis? quid habent, quod conquerantur? Princeps de decem peccatoribus vni supplicium mortis infert, Deus ne vni quidem malum infert, sed relictis cæteris in statu suo, vni gratiam optatissimam elargitur. LXXXVII. *In exemptione paucorum ex ea.* 1. Tim. 2. 4.

A T permittitur peccatum, nec datur gratia, qua impediri possit, in pœnam præuaricationis primæ. Quænam obsecro est ista seueritas? non datur gratia, quæ non debetur, *alioqui non esset gratia*, & non datur reo, cùm rectè possit non dari innocenti, vt angelis contigit, quibus adhuc innocentibus potuit dari gratia, qua non peccarent. Quid autem est de hac permissione queri, quàm de propria libertate indignari? quam nihilominus diuinæ anteferas voluntati, qui eam dedit, nec vult auferre, ne homines, quasi circæo poculo, conuertat in bestias. Ergo *dimittit eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* LXXXVIII. *In permissione peccati.* Rom. 11. 6. Psal 80. 13. Act. 14. 16.

Esa. 3. 10. I A M verò ista infirmitas, aut verius bene agendi impotentia, non maiorem præbet homini occasionem amarioris in Deum animi, quàm membri vnius paralysis in medicum, qui nihil cooperatus est morbo, imò illum quantum potuit debellauit. Morbo ergo iste, si lubet, & nos peccato nostro indignemur, quo tanta calamitas in omnes animi nostri corporisq; facultates importata est; non Deo, qui eo grauissimè offensus est, qui id seuerissimè prohibuerat, cui aditum studiosissimè præcluserat. Et quemadmodum nemo iure admiretur arborem aliquam nullum bonum fructum afferre posse, quæ in radice sua veneno viciata sit, cùm licet neque venenum, neque boni aliquid in radice habeat, nihil nisi aggrestes fructus afferat ipsa per se, brutis potiùs quàm hominibus vsui futuros. Ita nec incredibile videatur humanam voluntatem, ex qua bona omnia nostra proficisci debent, nihil boni parturire, quæ veneno peccati originalis infecta sit, quæ, si LXXXIX. *In bene agendi impotentia.*

veneno peccati, aut gratia careat, nihil nisi in hanc vitam vtile producat, nihil autem dignum Deo, aut æterna fœlicitate. Et verò quid interest, quo ex fonte bene agere possimus, modo quando libeat, id possimus? Denique non magis mirum est Adamum, aut quemuis alium post nongentorum annorum pœnitentiam, verissimásque ad Deum preces & lachrymas, in misero adhuc statu versari, quam eum qui furore copiam correptus, sibi inuolasset in oculos, eósque suffodisset; viueret hic vtique cæcus decem millibus annorum, si tamdiu vitam propagaret, quantouis animi dolore, ac pœnitentia culpam in Deum, ac seipsum admissam abstersisset, nisi ei Deus nouo miraculo redderet visum; & homo in omnem æternitatem miser esset, nisi ingenti miraculo Deus humanum genus miseratus, ei salutem sponte attulisset.

Adamus post pœnitentiam miser.

XC. *In denegatione primæ gratiæ.*

REPROBIS porrò denegat primam gratiam, qua reuera conuertantur, perseuerent, & salui fiant. Num illis iniuriam facit, quibus dat quæ sufficiant ad salutem; cùm tamen & illis, & omnibus alijs nihil debeat, nisi supplicium? Tollant ergo isti quod suum est, & vadant; an non licet Domino, quod vult facere? aut cuiusquam oculus nequã esse debet, quia ipse bonus est? Quid si & per illos stat, quo minus eam obtineant? Audi S. Ambros. in ea verba. *Misericordia Domini plena est terra. Mysticus*, inquit, *Sol ille iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit: si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, vt si quis clausis fenestris radios Solis excludat.* &c. Eadem alij sancti scripto reliquerunt, quos alibi refero [25]. Non omittam tamen hic Prosperum Aquit. *Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.* Et mox: *Quæ opitulatio per innumeros modos siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia; quòd autem à multis recipitur, & gratiæ est diuinæ, & voluntatis humanæ.* Hæc Prosper, quæ pluribus persequitur Bellarm.

Matth. 20. 14. 15.

in Psal. 118.

25. χ. l. 2. de voc. gent. c. 26.

XCI. *In perditione paruulorum.*

QVOD ad paruulos attinet, Deus illis suauissimo remedio ad salutem prouidit, & maximè consentaneo accepti vulneris modo. Vt sicut aliena iniustitia facti sunt peccatores, aliena quoque iustitia fiant innocentes. Hoc autem remedio si caruerint, nec Christi corpori insiti fuerint, manent in perpetuum alieni à vita Dei, nec vnquam hæredes fieri possunt, vt qui naturaliter sint filij iræ, nec supernaturaliter fuerint adoptati. Nec rationi consentaneum est Deum nouis perpetuo miraculis parentum, aut aliorum præstare culpam, aut deteriori conditioni illius corpusculi in vtero remedium afferre. Nec in eo apparet extraordinaria vlla in prima causa seueritas, quæ permittit secundas peragere cursus suos, nec vult ordinem stabilitum in rebus, omnibus momentis commutare, causas naturales aut liberas impediendo, ne non possint agere quod volunt.

2. 4. l. 2. de grat. & lib. arb. c. 5.

Ex his ergo apertissimum est pœnas spiritales vitæ huius, esse quidem huiusmodi vt magnitudinem mali culpæ huius penè infinitam aperiant; non autem vt Deum in culpam aliquam nimiæ seueritatis vocent; sed multam eius potius misericordiam probent. Ex quo etiam facilè intelligi, aut æstimari deinceps poterit, in reliquis pœnis, quas sine defensionis examine percurremus, verissimum esse illud Prophetæ. *Iustus Domine, & rectum iudicium tuum.*

Ps. 118. 137.

XCII. *Alia mala huius vitæ ex peccato originis profusa.*

VENIO igitur ad alias huius vitæ pœnas, quas peccatum originis infœlici fœcunditate profudit, quas ex Bellarm. magna ex parte mutuabor, sunt enim historica omnia, & longè vtilissima, & digna, quæ hic quoque legantur, sed contractiora, ne fastidiosi epitomistæ litem nobis aliquam intendant, quibus, si placet, ipsi numerorum indices sufficient. Initium autem sumemus à morbis, seu vulneribus humanæ mentis; tum de plagis voluntatis partísque irascibilis ac concupiscibilis, indéque de corporis miseriis dicemus; quibus de malis quæ extrinsecus accidunt, aliquid annectemus.

2. 4. l. 6. de amiss. grat. c. 8. & seq.

XCIII. *Infantium ignorantia.*

PRIMVM ergo vulnus humanæ mentis est ignorantia rerum necessariarum, in infantibus tanta, quanta ne in bestiis quidem cernitur. Notauit S. Augustin. *Multorum*, inquit, *pecorum pulli, etiam minutissimi, matres agnoscunt, nec sugendis vberibus cura & ope admouentur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita, mi-*

l. 1. de pec. mer. & remiss. c. 38.

rabili facilitate nouerunt. Contra homini nato, nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendū habiles, & nisi ope nutrientis admotis labris papilla vberis ingerantur, nec vbi sint sentiunt, & iuxta se iacentibus mammis, magis possunt esurientes flere, quàm sugere.

XCIV. *Ingeniorū tarditas.*

in epist. 28. ad Hieron quæ est de origine animarum.

SECVNDVM est insignis quædam ingeniorum tarditas, atque etiam fatuitas, cum qua aliqui nascuntur. De qua August. *De ingeniorum vero diuersitate quid dicam, quæ quidem in paruulis latet, sed ab ipsis exordiis naturalibus ducta apparet in grandibus; quorum nonnulli tam tardi & obliuiosi sunt, vt ne prima quidem discere litterarum elementa potuerint: quidam verò tanta sunt fatuitatis, vt non multum à pecoribus differant, quos Moriones vulgò vocant.* Sic ipse. Hæc discendi difficultas ad omnes res ferè pettinet, præterquam ad lachrymas in vitæ initio, & ad malum in eius progressu; eáque difficultas tanta est, vt plerique malint totam vitam suam in nobilissimarū rerum ignoratione traducere, quàm discendi labores, & ætuinnas subire, quæ eos in doctorum odium, & doctrinarum vocant.

XCV. *Scientia puerulorū in statu innocentiæ faciles.*

q. 101. a. 1.

CVM in paradiso terrestri pueruli ipsi, vel scientia planè non caruissent, quomodo quidam interptetantur D. Thom. 1. p. vbi concludit tantùm, pueros in statu innocentiæ non nascituros perfectos in scientia; vel eam certè breui mox tēpore magna facilitate acquisituri essent inueniendo, vel addiscēdo. Idque propter eximiam docilitatem, profectam ab excellentia ingenij, & externorum, internorúmque sensuum; propter doctorum hominum multitudinem: propter vitæ longitudinem, ad necessariam rerum experientiam; propter firmam corporis constitutionem à morbis immunem, & facilitatem prouidendi omnibus eius necessitatibus; propter perfectam æquanimitatem, & perturbationum quietem. Denique ob singularem Dei prouidentiam, quæ per crebras illustrationes angelorum, qui cum ipsis familiariter agerent, ipsos erudiret, & omnia discendi impedimenta auerteret. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

XCVI. *Ignorantia vltimi finis.*

l. 19. de ciu. c. 1. & seq.

TERTIVM vulnus est ignorantia vltimi finis, & veri Dei, propter quem omnia creata sunt; quæ tāta est, vt mortales omnes in summa æternæ beatitudinis ignoratione versentur, nisi diuinitus lumine fidei illustrentur. In beatitudine autem naturali coniectanda, quàm illi, qui erant tum sapientissimi, cæcutierint, docet infinita de ea re diuersitas opinionum, quas memorat D. August. cùm constet & omnes falsas esse posse, & plus vna veram esse non posse.

XCVII. *Et mediorū ad ipsū.*

l. 1. serm. Satyr. 1.

QVARTVM est ignorantia mediorum ad illum finem. Quotus quisque est, qui satis prudenter statum vitæ eligat; perpaucos sanè esse experientia multorum docet quos pœnitet malæ electionis. Notum est illud,

Qui fit Mæcenas vt nemo quem sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors obiicerit, illa
Contentus viuat, laudet diuersa sequentes.

l. 1. epist. ad Villicū.

Et alibi: *Optat ephippia bos piger; optat arare caballus.*

Sap. 9. 14.

Sed certiùs est illud Sapientis, *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentia nostra.*

XCVIII. *Et naturalium & nostri, &c.*

Sap. 9. 15.

QVINTVM est immensa quædam, atque incredibilis rerum naturalium, atque adeò nostri ipsius ignorantia, in qua ipsa explicanda, immensa quoque requiratur oratio. Adde propriæ mentis ignorantiam, cùm mentes angelicæ se ipsæ perfectè norint. Adde impedimentum ab ipso corpore, quòd homini datum est ad scientias comparandas, *Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animum*, &c. cùm nullum aliud sit corpus quod impediat actionem præstantissimam propriæ formæ. Adde curiositatem in alienis rebus, erratis præsertim addiscendis, negligentiam in propriis; Itaque Poëta idem,

l. 1. Sat. 3.

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutùm
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?

to. 4. l. 6. de amis. gratiæ c. 9.

An denique leue malum est, quòd cùm homo breuissimæ vitæ sit, eiusque partem multò maximam tum ætatis ineuntis, aut exeuntis infirmitas, tum quotidianæ corporis necessitates sibi vendicent: illud tamen ipsum quod superest, multa inania, leuia, inepta voluentes animo, imò noxia, & molesta (quæ causa Themistocli fuir artis obliuionis requirendæ) magna ex parte perdamus? Sed hæc pluribus apud Bellarm. leges.

XCIX. *Morbi voluntatis plurimi, tres maximi, pronitas in malum.*

IAM verò quod ad voluntatem attinet, idem cap. 10. octo vulnera ac morbos nostræ voluntatis recenset; nobis hæc tria sufficiant, ne lectoris patientia diutius videamur abuti. Et sanè sapiēter fingitur spiritalis quædā arbor mortis in humano genere, cuius radix sit peccatum originis, truncus amor proprius, ex quo tres rami ingentes, & quoquo gentium effusi, amoris scilicet honorum, diuitiarum, voluptatum proficiscuntur. Sed his omissis quis maior voluntatis humanæ morbus fingi queat, quàm tam ægrè ab ea vitium superari, tam facilè deseri virtutem, tam pronam esse, ac ceream ad peccandum, tam rigidam, ac ferream ad amplectendam virtutem; cùm tamen virtus consentanea sit, maximéque cognata rationali naturæ, ab eáque vitium naturaliter alienissimum sit, quòd æquè mirum videri potest, ac si homini facile esset ac suaue quatuor progredi pedibus, equo duobus: aut si procliue nobis esset brachia retrorsum flectere, genua non in anteriorem, sed in posteriorem partem inclinare. Testes huius facilitatis peccandi innumerabilia suppliciorū genera vbique exeogitata, & in praxim redacta; in quibus tamen omnibus nun satis est vel terroris vel mali, ad tam terribile malū coërcendum, aut opprimendum. Quanta igitur hæc miseria est, non posse à magna miseria, nisi per aliam magnam miseriam liberari?

C. *Neglectus beatitudinis, & verorum bonorum.*

ALTERVM malum æquè latè patens, nec minus perniciosum est incredibilis quædam, atque intolerabilis negligentia, in iis quæ ad beatè viuendum, tum in hac vita, tum etiam post mortem pertinent. Nam cùm satis constet beatitudinem in hac vita in virtute perfecta sitam esse; & simul experiamur viam ad perfectam virtutem esse difficilem, ratio postulat, vt magno in hanc rem studio incumbamus. Rursus cùm animam esse immortalem natura duce cognoscamus, par esset vt nihil sæpius, nihil diligentiùs, nihil maiori cum sollicitudine tractaremus, quā quid nobis sit euenturum post mortem. At contra plerique hominum nihil minus curant quàm de parandis virtutibus, vel beatitudine sempiterna; &, quod magis est admirandum, ne in extrema quidem senectute, cùm certum est mortē esse in ianuis, studium incipiunt adhibere ad procurandam propriam salutem, & comparandum se ad comparendum diuino iudicio. Tanta videlicet obliuio, tantus stupor, tanta securitas genus humanum meritò primæ præuaricationis oppressit.

CI. *Summum pro inanibus acquirendis studium.*

TERTIVM malum huic è regione respondens est, quòd qui in veris & summis bonis quærendis sunt negligentissimi, iidem in comparandis falsis, & inanibus sint attentissimi. Nónne prodigiosum est videre homines tam ardenter captare lucra temporalia, honores, voluptates, perinde ac si nihil præterea aut in hac, aut in futura bonum esset? Vt meritò Poëta ille exclamarit.

O curuæ in terras animæ, & cælestium inanes! Pers.

Qui fieri potest vt voluntas rationis particeps in tantam peruersitatē flectatur, vt exiguum emolumentum, honorem, voluptatem armis & castris persequatur; negligat nihilominus bona tam vera, tam solida, tam æterna? Portentum sanè æstimari debeat, vel vnam huiusmodi reperiri voluntatem! Quod genus ergo monstri est maiorem humanarum voluntatum partem tali ac tanta peruersitate laborare? Maius vtique monstrum est quàm Cyclopem aliquem monuculum, aut Satyrum cornutum, & capripedem, aut Anubim latratorem, aut Centaurum offendere, ex homine & equo mixtum.

HÆC, aliáque non pauca mala superiorem animi partem affligunt. Quid inferiorem, quæ in irascibilem, ac concupiscibilem distribuitur? vtraque sanè in prima illa calamitate generis humani ingentem accepit cladem.

CII. *Morbi in parte irascibili ex prima culpa nati. Iræ officia.*

Ira data est animanti, vt ipsum tueatur à noxiis, & eius bona conseruet, homini quoque ad custodiam data est, vt instar militis armati ad manum sit rectæ rationi, siue inuadendus sit hostis, siue eius incursioni resistendum. Hæc cos fortitudinis esse debet, tam ad tolerantiam, quàm ad aggressionem: hæc neruus animi ad constantiam, & firmitatem. Nunc autem, vt apparet, in quinque ipsius affectibus, omnia passim perturbata reperiuntur atque peruersa. Videas hominem in rebus quas sperat impatientem & importunum, quòd si eam spem improuisus aliquis fefellerit casus, quàm miserrima desperatione frangi. Si malum aliquod imminet, totus timore constringitur, pallescit vultus, quatiuntur dentes,

labascunt,

labascunt, & succussantur genua, manus, pedésque tremunt, & ad munera sua inepta fiunt. Quantum temeritatis, inconstantiæ, & vanitatis est in eius audacia? Iram verò quod monstrum esse dixeris? Circémne aliquam, quæ hominem, animal natura mite ac mansuetum, in feram truculentam conuertat? Hæc calcitrare instar equorum iubet, mordere luporum more, aut boum mugire, venabula quasi apros inducre, aut quasi leones obuia quæque discerpere, aut taurorum indomitorum ritu spumas agere, felleos serpentum oculos, linguásque vibrate. Et vt agnoscas huius mali originem, etiam infantulos constat, hoc infectos veneno. [l.1 confess. c. 7.] *Vidi ego*, inquit August. *& expertus sum zelantem paruulum, nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aspectu collectaneum suum: Ita infælicitas membrorum infantilium innocens est, non animus infantium.*

Ira monstrum.

CIII. *& in concupiscibili.*

IAM verò concupiscentia, quæ prima post amissam iustitiam illam contra rationem insurrexit, & miserum iam hominem ad folia ficus adegit, iam tum quasi [Ierem. 2. 20.] soluta legibus, iugum confregit, dirupit vincula, dixitque, non seruiam, vsque adeò flagrat amor, ebullit desiderium, obtenebratur voluptas fumo, nihil vt loci propemodum humanæ rationi relinquatur. Quàm insanum est odium, quàm [lib. 6. de amiss. grat. c. 11.] amarior fuligine auersio, quàm desperata tristitia. *Quantum imperium*, inquit Bellarminus, *in rationem hic affectus acceperit, & contra, quam debiles sint vires rationis aduersus impetum huius indomitæ feræ, testatur vita plurimorum adolescentium, qui tam immenso voluptatum turpissimarum incendio flagrant, vt penè ad insaniam redigantur. Testantur nouæ, & inauditæ libidinum adinuentiones, quibus concupiscentia hominum longè superat concupiscentiam bestiarum, vt ostendit Plutarchus in opusculo, Quod bruta ratione vtantur. Testantur ieiunia, vigiliæ, sacci, humicubationes, spinarum aculei, aliáque id genus, quibus sancti viri tanquam armis cœlestibus, vt hoc malum reprimerent, vtebantur. Testantur horribiles tragœdiæ, quæ singulis ætatibus, & in omnibus mundi partibus occasione carnalis concupiscentiæ acciderunt. Certè in scripturis sanctis horrorem incutiunt quæ de Samsone, Salomone, & Dauide leguntur exempla, quorum primus fortitudine, secundus sapientia omnibus antecibat, tertius ad fortitudinem, sapientiam, sanctitatem, & pietatem planè singularem iunxerat.* Hæc Bellarm. Sed in his miseriis haud scio an illud miserrimum sit, quòd pro miseriis non agnoscantur; & qui hisce morbis maximè ægrotant, se ægrotare phrenetici non sentiant, nec se medicis animorum permittant.

CIV. *Et in externo corpore, tum alia mala.*

ECCE ergo alias pœnas, non maiores illas quidem, sed notiores & vulgo confessas & deploratas, ab iis maximè, qui maius habent cum corpore, & terra, quā cum animo, cœlóque commercium: cæcitatem dico, surditatem, loquelæ, aut alius cuiuspiam sensus orbitatem, quàm vix ab ortu ipso in cæteris animantibus [l. 6. in Iulia. c. 4.] cernimus, in homine solo deploramus; solus quippe ipse peccauit. Itaque S. August. ad pœnam peccati originis etiam hoc refert, quod tam multi orbi, morbidi, monstrosique nascantur.

[Horat. l. 1. Od. 3.]
Post ignem (imò post pomum) *ætheria domo*
Subductum macies, & noua febrium
Terris incubuit cohors.

Certè tot quotidie experimur morborum genera, vt nec medicorum, chirurgorum, pharmacopolarum omnium immensis voluminibus comprehensa sint omnia.

CV. *Eorúmque remedia.*

DEINDE in eorum pluribus, ac penè omnibus, etiam ipsa adiumenta & medicamenta tormenta sunt, inedia, pharmaca, sectiones, vstiones, euiscerationes, vt multi sæpè leuius malum æstiment morbum, quàm medicinam, &c. quæ pluribus [lib. 6. de amiss grat. c. 12.] apud Bellarm. ex August. leges, maximè quæ pertinent ad cibi & potus inopiam, & laborem ad eam arcendam in maxima hominum parte infinitum.

CVI. *Tum ipsa mors.*

QVID breuitas vitæ? *Semotíque priùs tarda necessitas lethi corripuit gradum.* [l. 1. Od. 3.] Quid amara illa, atq; inimica mors; nostris perpetuo ceruicibus imminens, separationē ambiens antiquissimæ, notissimæq; societatis. *Cùm moriendum sit*, inquit Romanus orator, *nónne miseri sumus? quæ enim potest in vita esse iucunditas, cùm dies & noctes cogi-* [1. Tuscul.] *tandum sit iamiamque esse moriendum.* Quid genera mortium insperatarum, horrore, cruciatu, infamia formidatarum? Quæ mala, quæ pericula, quos sumptus, quæ tormenta non subeunt homines vt mortem effugiant? & tamen

Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur vrna, serius, ocyus
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impositura cymbæ. Horat. l. 2. Od. 3.

Et vice versa tamen, præ vitæ miseriis, non raro
Mors est in votis, & mora mortis atrox. Ouid.

Itaque propriis accersita manibus properat, & furiosum parricidam in exitium præcipitat sempiternum.

CVII. *Alia mala ab inimico Deo.*

SVPERSVNT ex peccati pœnæ, quæ extrinsecus hominem affligunt, quæ nullis aliis, aut multitudine, aut grauitate cedunt. Quarum prima & summa est, quòd factus sit inimicus Dei, posterósque suos omnes natura reddiderit filios iræ. Hoc vno in malo tantùm est mali, ac confusionis, vt neque dici, neque satis Ephes. 2. 3. æstimari possit. Cùm enim Deus in supremo rerum gradu sit, & titulos omnes honoris, amorísque, qui in humanis aut cœlestibus reperiri possunt, meritò dignitatis & beneficentiæ suæ infinito spatio antecedat, certum est plus illi honoris, atque amoris deberi, quàm patri, quàm matri, quàm vxori, quàm Principi, quàm Angelo, quàm vlli Sanctorum omnium, vel qui in cœlo regnant, vel qui adhuc peregrinantur in terris; cùm autem peccatum hæc euertat omnia, & diuinum honorem, amorémque rebus nihili, intolerabili peruersitate postponat, maius malũ inuehit in rerum naturam, maiorémque confusionem quàm quæ maximè execrationi esse solent [16]. 16. x.

CVIII. *Ab hoste cacodæmone.*

ALTERVM malum est, quòd per hoc peccatum facti sumus Sathanæ mancipia, in quæ, si permittat Deus peccatori inimicus, dirissimè perpetuo sæuiat, dum pertrahat ad æterna supplicia, immortalis atque indefessus eorum tortor aliquando futurus; qui tam crudeli ardet in nos odio, vt vel triduo totam Adami posteritatẽ, si Deus annuat, funditus deleturus sit: qui iusti ac vindicis Dei nutu, permissúq; plurimorum etiam paruulorum corpora inuadit, eósque miserabiliter vexat, & cruciat. Omnium autem mentes sollicitat ad peccatum, & mille nocendi artibus instructus, bella ciet ipse per sese, & sibi, nobísque fœderatam carnem, hostem intestinum, ac domesticum in ruinam nostram exstimulat.

CIX. *Ab hominibus ipsis. In bello.*

TRANSEO ad alterum malum, tertium hominis inimicum, hominem ioquã, ipsum, hominem homini lupum, imò hominem homini dæmonem, qui se illius exhibet ministrum, vt crudelissimas eius exequatur voluntates suppari malitia, impari potestate. Nemo satis lamentari queat, quæ mala, bellico diluuio inundante, in totas prouincias, & regiones exundent; quæ obsessa ciuitas, quæ occupata atque oppressa ferat, stupra & raptus mulierum ac virginum, virorum horribiles cædes, domorum incendia, expilationes templorum, exilia, deportationes, & ingenuorum, ac nobilium corporum indignissimæ seruitutes. Sed bella mittamus.

In pace.

Quotusquisque hominum est quem non affligant, aut vsurarij in vrbibus, aut fures in domibus, aut incendiarij in agris, aut latrones in syluis, aut piratæ in mari, & nonnunquam titulo iustitiæ, iniustissimi aliqui iustitiæ administri.

CX. *Ab animantibus.*

MINVS nobis mali est à feris, à volucribus cœli, à bestiis terræ, quarum inobedientia peccati nostri pœna est, nec nisi inuitæ seruiunt, quòd facilè facturæ erant. Itaque qui ante dixerat. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram*; Gen. 1. 28. Posteà immutata phrasi. *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ*; Gen. 9. 2. excusserunt quippe hominis iugum, vt ipse Dei; nec ea nisi per vim, artémque subiicimus, plurimáque ipsorum in nostram sæpenumero perniciem & moriuntur, & viuunt. Nemo satis explicet, quàm multi canibus & lupis, vulturibus & coruis in escam cesserint, quot in arenis & amphitheatris, quot in syluis ac desertis locis, quot in fluminibus & mari, ab immanibus monstris ferísque perierint. Animalia ipsa domestica efferata nonnunquam aguntur in rabiem, & dominis suis in leones, tygridésque vertuntur, tantò periculosiora, quantò minùs formidolosa esse solent.

CXI. *A rebus inanimis.*

DENIQVE, vt finem aliquando imponam molesto isti molestiarum catalogo; quot mala homini contingunt, à cœlo, ab igne, ab vndis, ab omnibus elementis, siue ordinariis eorum actionibus, siue fortuitis casibus, & euentis. Nemo

enumerare queat malignos cœlorum, vt putantur, influxus; ac peſtilentes famis,
ſterilitatis, morborúmque ignotorum origines; nemo cometas, & fulmina, incen-
dia & deflagrationes, ventos, grandines, tempeſtates, naufragia, inundationes, ve-
nena, terræ motus, domorum ruinas cum oppreſſione incolarum, præcipitia & la-
pſus, denique creata omnia, quæ ad hominis famulatum nata ſunt, in eius perni-
ciem obarmata. Quis tantus ille draconis eſt vterus, ex quo tot venenatorum ſer-
pentiũ examina pruſeminata ſunt? Quòd tam amplũ, tanquã capax maledictionis
dolium eſſe potuit, ex quo tanta malorum inundatio tot ſæculis iam profluxit.
Quantum denique malitiæ in peccato eſſe cenſendum eſt, quando in illius vltio-
nem, Deus tantam pœnarum molem, in miſerum hominem permiſerit exun-
dare? CXII. *Adamus induitur pellibus, & eis vſus.*

EXCVRSVS propemodum hic fuit, mi lector, vtinam non ingratus. Nunc
ad Adamum redeo, & vxorem eius, quos Dominus indutos pelliceis tunicis irri-
ſit, atque ex paradiſo voluptatis eiecit. Non video autem cur Vatablus prius irri-
ſos dicat quàm indutos pellibus; opportunior eſt enim iocus irridentis, poſtquã
eos viliſſimo tegumento operuit, quàm ante. Itaque maneat idem narrationis or-
do, qui & hiſtoriæ.

Vnde portò veſtes iſtas pelliceas habuerit, an eas noua creatione produxerit,
17. q. in c. 3. Gen. vt putauit Procopius in hunc locum, an potius eas miniſterio Angelorum ex oc- 1.
q. 22. ciſis ouibus parauerit, aliqui quæſiuerunt", & poſterior ſententia communis eſt, 2.
quam Abulenſis amplectitur, idque factum, tum vt ſe mortales intelligerent, qui 3.
ſe exuuio mortuorum animalium viderent circumfuſos; tum vt aëris calidi, fri-
gidique intemperies deinceps vitarentur, quoniam mox erant eiiciendi ex amœ-
l. 6. n. 177. niſſimo, temperatiſſimóque loco; tum vt hominibus demonſtraret poteſtatem ſe
illis facere ea in huiuſmodi vſus occidendi. Addit Pererius, hac ratione Deum
docere voluiſſe homines, licet peccatores, à ſua prouidentia nequaquam exclu-
l. 3. c. 27. dendos, quandoquidem veſtium illis neceſſariarum curam geſſerit; quòd notarat
etiam Lipomanus in Catena, & Caietanus ſignificarat. *Benè*, inquit Rupertus, *non
tantùm tunicas, ſed & tunicas pelliceas illis feciſſe dicitur Dominus Deus, quia iuſtè talia
voluit eſſe illorum corpora, quæ non ſolùm tegi propter turpitudinem, ſed etiam calefieri opus
l. 6. n. 176. eſſet propter infirmitatem* Meritò ergo Lucretium redarguit Pererius de primis ho-
minibus differentem, & huiuſmodi tunicarum vſum eis negantem.

lib. 5. *Necdum res igni ſcibant tractare, nec vti*
Pellibus, & ſpoliis corpus veſtire ferarum.

Plura in hanc ſententiam ibidem apud eundem collecta reperies, quæ ego breui-
tatis cauſa miſſa facio.

ITA vtroque induto, Dominus ad Adamum obiurgandum conuerſus, is enim CXIII. *Adamus deridetur à Deo.*
ſtultitiæ nomine in primis deridendus erat, qui maximè in culpa fuerat, & vera
ſapientia paulò antè pollebat. *Ecce Adam*, inquit, *quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens
bonum & malum*. Agnoſcunt hic penè omnes interpretes ironiam Domini, ad ver-
q. 40. ba ſerpentis, quibus ſimilitudinem diuinam promittebat, alludentis, in quibus
l. 11. de Gen. ad litt. c. 39. Theodoretus, Eucherius, Chryſoſtomus, Rupertus, Lyranus, Gennad. & rēcen-
tiores alij. Nec diſſentit Auguſtinus. *Verba*, inquit, *hæc ſunt Dei, non tam huic inſul-
tantis, quàm cæteros, ne ita ſuperbiant, deterrentis propter quos iſta conſcripta ſunt*. Sed &
l. 3. c. 28. perſonas diuinas inter ſe colloquentes agnoſcunt Rupertus in primis, & Tertul-
l. contra Prax. c. 12. lianus, quem Perer. Cornelius, Del Rio, aliique ſequuntur. Abulenſis tamen in
q. 23. hunc locum mauult de Angelis interpretari, vt & Lyranus, Caietanus, & Olea-
ſter, Eugub. ait, Hebræos de Angelis, noſtros de perſonis diuinis explicare, &
vtramque expoſitionem exiſtimat poſſe defendi.

PERGIT autem cum eadem ironia. *Nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam; & CXIV. *Atque è paradiſo extruditur*
ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*, prouidendum (ſupple)
eſt: hoc enim aut huiuſmodi verbum ſubintelligendum eſt, niſi fortè placet geſtu
ipſo, atque actione completam fuiſſe orationem, hoc modo. Nunc ergo ne for-
tè mittat manum ſuam; & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat
in æternum, eiiciamus eum de paradiſo; ſed loco vltimorum verborum
Deus manu correptos eduxerit, vnde Moſes eam actionem explicans ſubdit.
Et emiſit eum Deus de paradiſo voluptatis. Et in hanc ſententiam non inuitum addu-

xerim D. August. lib. 11. de Gen. vbi explicans illud, *Et dimisit illum Dominus. Superiora verba*, inquit, *Dei sunt, hoc autem factum, propter ipsa verba secutum est.* Quasi dicat, locum deficientium verborum suppleuit. Eiiciamus eum, ne qui similis factus est nobis in scientia boni & mali, etiam in immortalitate nobis similis fiat. Ironia est, non enim magis poterat fieri immortalis, cùm peccator esset esu illius ligni, quàm scientia Deo similis per esum vetiti ligni. Cui expositioni fauet illud, fortè, quòd in dissimulato sermone aliquando sumitur[18].

c. 40.

18. x.

CXV. *Ligni vitæ non redderet peccatorē immortalem.* FAVET & ratio, quia nec arbor vitæ poterat ex se dare æternam vitam, etiam innocentibus, sed tantùm diuturnam, vt supra probatum est: nec Deus eos, iam in peccatum prolapsos, sine morte euecturus erat in cœlum. Ergo ironicè dicitur, Ne fortè viuat in æternum. Necessariò enim morituri erant, quamuis eo fructu post peccatum vsi essent; & illi arbori vis naturalis esset ad protogandam vitam.

D. etiam Thomas apertè ait hominem, si post peccatum de ligno vitæ comedisset, non propterea immortalitatem recuperaturum fuisse. Non enim propterea effecisset, vt eum Deus in cœlum transferret, & ita aliquando moriendum erat. Et sancti Patres cùm dicunt Adamum esu ligni vitæ liberatum iri à necessitate moriendi, addunt, nisi peccasset, vt videre est apud August. idque admodum consentaneum est doctrinæ S. Thomæ, eadem est expositio Gennadij, apud Lipoman. & Eugub. *Vehementi dolore*, inquit, *affecit ipsum Adam Deus hoc dicens, reuocans ad memoriam promissionem falsam serpentis, qui dixerat, Eritis sicut Dij. Quid, inquit, indiget Adam nostra hac arbore vitæ? assecutus est, quæ serpens promisit*, ἰδοὺ γοῦν ἀκριβῶς μεμάθηκεν, ὅπως γέγονεν εἷς ἐξ ἡμῶν. *Ecce igitur accuratè didicit, quomodo factus sit vnus ex nobis. Discedat igitur; nefas enim est præuaricatorem, & in mortē prolapsum ex peccato, vitalem arborem attingere, quæ cibus est immortalitatis.* Nec repugnat huic expositioni Lipom. in Catena. *An*, inquit, *in eadem perseuerat Dominus ironia Adam deridendo, & subsannando, optimè sciens nequaquam eum posse vlterius immortalem fieri, quamuis de ligno comederet vitæ, cùm iam moriendi necessitatem incurrisset? Licet non desint qui dicant, quòd quanquam lignum vitæ non posset vitam protoplastorum æternam post peccatum reddere, eo quòd necessitatem incurrerant moriendi, poterat tamen ipsam ex sua bonitate prorogare; quæ quidem prorogatio hic nomine æterni significetur.* Hæc ipse Lyranum significans, & D. Thomam. sed hæc inter se non pugnant.

2. 2. q. 164. a. 2. ad 6. Vide supra die 3. n. 48. p. 77.

l. 13. de ciu. c. 20. 20. 23. & lib. 11. de Gen ad litt. c. 40. 2 p q. 97. a. 3 & 4. Gennad.

2. 2. q. 164 a. 2 ad 6. l. 3. c 28 29 & 30.

CXVI. *Ex misericordia fit mortalis post peccatum.* INCVLCAT hic Rupertus misericordia Dei in homines factum fuisse, ne homo iam miser factus post peccatum, per esum ligni vitæ fieret in perpetuum miser, per mortem non finiente, miseria, vbi inter alia. *Quid enim si cùm talis factus sit viuat in æternum? vtique nihil nisi malum æternum. Iam enim miser factus, si æternus quoque sit, quid nisi miseriam æternam habebit?* Et infrà. *Parcamus homini, & quia felicitatem perdidit, æternitatem quoque præripiamus infælici, vt in neutro sit quasi vnus ex nobis, quibus est æterna fælicitas, fælix æternitas, sit illi temporalis miseria, vel misera temporalitas, vt tunc illi commodius reformetur æternitas, cùm fuerit recuperata fælicitas.* Eadem est hoc loco mens Chrysost. Eucher. & Theodori apud Lipom. & Theodoreti. Idem sentit Claudius Marius victor, sed poëticè scribit Deum vi ventorum illos paradiso exturbasse.

hom. 18. in Gen. q. 40. in Gen. l. 1. in Gen.

At ne perpetuam vitali ex arbore vitam
Protraherent, miserósque reos grauiora manerent
Supplicia, in tantis nimium diuturna periclis
Tempora ducentes, dirísque obnoxia pœnis:
Continuò sacris iussos decedere lucis
Expellunt venti nemoris, quos sylua profundi
Concitat, atque illos librantis turbine nexos
Aura vehens, sacra paradisi ab sede repellit.

CXVII. *Verè expulsus Adamus & quò.* ET *emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est*; quia verò vtrumque eiectum constat, & mulier non est satis idonea agriculturæ, supplet Rupertus. *Et mulier operaretur circa cultum viri, de quo sumpta est.* Cæterum cùm hanc eiectionem tam clarè tradat Propheta, & ei assentiantur omnes antiqui, miror Temporarium, vtique sectarium nisi valde fallor, initio suæ chronologiæ ita ausum scribere, *Expulsus quidem fuit, non soli versione*,

l. 3. c. 31.

sed terra naturaque permutatione. At satis iam supra demonstrarum est nullam factam esse terræ mutationem, nec eo pertinere maledictionem terræ daram. Er quomodo non ridiculum est expelli aliquem ex aliquo loco, sine mutatione loci: & si mansit in eodem loco, & terra sterilis facta est, neque fuit vltra voluptatis locus, statim ergo periit paradisus, nec opus fuit ab Angelo custodiri. *Nec explicatur*, air Caietanus, *certus terra locus, ad quem missus fuerit, seu quo terit quamuis reddatur ratio, quare ad seruendum terra missus fuerit, quia de terra sumptus est, vnde non scitur vbi Adam habitauerit, vbiue mortuus, aut sepultus fuerit, sicut nec vbi factus fuerit.* Sciuisse tamen videtur D. Basilius. *Obtinuit*, inquit, *fama quædam in Ecclesia memoriam conseruans non scripto proditam, quæ & talis est, quod prima vtique Iudæa hominem habebat incolam, nimirum Adam, simulátque excidit delicus paradisi, in hac terra collocatum ad mitigandam iacturam bonorum, quibus fuerat exutus.* Sic Basil. Hebræorum traditionem memorans patriæ suæ fauentium. Vbi autem mortuus fuerit, & sepultus etiam non ignorari, suo loco dicetur.

Caiet. — in c. 5. Esa. Basil.

RVPERTVS tamen. *Vbi autem, vel in qua parte terrarum hic infælix operarius habitauerit non legimus, nisi quod eum sepultum esse in Hebron ciuitate 14. millibus ab Hierosolymis distante sacra Scriptura testatur. Sic enim scriptum est. Nomen Hebron ante vocabatur Cariatharbe. Adam autem maximus ibi inter Enachim situs est. Porrò Cariatharbe interpretatur ciuitas quatuor, sic dicta pro eo quod tres Patriarchæ Abraham, & Iacob, & ante hos Adam maximus ibi siti sint.* Hæc Rupertus, ex quo Tostat. & vtérque ex D. Hieronym. vt in Adami morte dicetur. Sed de hoc loco vide pluribus Pererium. Secutus est Rupertus editionem nostram vulgatam, quæ consentanea est Hebraico rextui. In quo nulla est menrio habitationis Adæ, sed tanrùm constituræ custodiæ circa paradisum, vt notauit D. Hieronym. in qq. Hebraic. At Septuaginta ita interpretati sunt textum Hebraicum, vt significent habitationem Adæ fuisse iuxta paradisum. Habent enim, Καὶ ἐξέβαλε τὸν Ἀδὰμ, ϗ κατῴκισεν αὐτὸν ἀπέναντι τοῦ παραδείσου τῆς τρυφῆς. *Et exegit Adamum, & habitare fecit ipsum è regione paradisi voluptatis.* Deinde subdit collocasse Cberubim cum gladio ad custodiendam viam ligni vitæ. Sancti autem Patres secuti Septuaginta agnoscunt hac in re diuinam in Adamum misericordiam. Maximè D. Chrysost. *Sed & contra paradisum illum habitare faciebat, vt ingem dolorem haberet, quotidie cogitans vnde exciderit, & in quem statum se coniecerit: Et quamuis grauissimi doloris spectaculum erat, est tamen magnæ vtilitatis occasio, vt dolens continuo aspectu munitior, & cautior esset in aliis, ne iterum in eadem peccata incideret.* Hæc & alia in eandem senrentiam pluribus Chrysostom. quem sequitur Theodoret. & Procopius; qui addit Deum delinquenti propinquum indixisse exilium, vt spem faceret reuocationis, & restitutionis in integrum.

l. 3. c. 31. — CXVIII. *Vbi habitauerit.* — Iosue 14. 15 — in c. 3 q. 24. l. 4. n. 99. & 100. — hom. 18. — q. 40. in Genes.

POSTREMO eiecto Adamo cum vxore sua, collocauir ante paradisum voluptaris Cberubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. *Muniuit Deus*, inquit Pererius, & Del Rio in hunc locum, *paradisi aditum duplici custodia, & quasi præsidio, tum Angelorum, tum earum rerum, quæ maximè sunt homini formidabiles ac terribiles, quales sunt ignis, & gladius; voluit enim Deus ingressum paradisi occludere tam contra Diabolum, quàm contra hominem: Ad arcendum Diabolum, apposuit multos Angelos, quod significatur vocabulo Cherubim; licet enim id nominis propriè tribuatur octauo Angelorum ordini, extenditur tamen ad omnes ordines Angelorum.* Et infra air arceri oportuisse Dæmonem, ne in eum locum penetrans decerperet fructum arboris vitæ, cuius promissione, ac donatione mortales protogandæ vitæ auidissimos, ac curiosissimos falleret; & ad sui culrum, & obsequium adduceret. Sic ipse, quæ iamdudum docuerat Abulensis. Sed & Hugo Victorinus. *Quia*, inquit, *& homo, & Diabolus vtérque in paradiso peccauerant, vtérque eiectus est, & ne alterutri illorum iterum liceret intrare, contra vtrúmque posita est custodia, & offendiculum, Cherubim, vt repellant Diabolum, ignis vt hominem.*

CXIX. *Præcluditur homini, Dæmoni regressus in paradisum.* — l. 6. in fin. — in c. 3. Gen. q. 25. Ibid.

PER gladium autem flammeum idem Pererius, Del Rio, Abulensis, Cornelius, Vatabl. Eugub. in Cosmop. & Bellarm. nihil aliud intelligunt, quàm illos ipsos Angelos, sub specie & figura hominum, tenenres manibus suis gladios acutissimos, & vibratione ipsa fulgurantes. Sic, visus est Angelus cum stricto gladio, quo perterrefacta est asina Balaam, & mox Dominus ipse bestiæ. Sic Iosue

CXX. *Quid gladius flammeus.* — l. de grat. 1. hom. c. 16. num. 22. 23. v. 31. Iosu. 5. 13. 1. Paral. 21. 16.

vidit virum, reuera angelum, euaginatum tenentem gladium. Sic Dauid vidit angelum Domini stantem inter cœlum & terram, & euaginatum gladium in manu eius. Bareepha ait hoc spectaculo Deum humano captui se aecommodasse. Nos enim si quam rem saluam cupimus, et custodem sollicitum, sedulum, prudentem præficimus terribili aliqua lancea munitum, qui procul arceat accedentes. Vide & Daniel. 13 59 part. 2. de parad c. vlt. in fi.

CXXI. *Inchoata hominum propagatio.*

EGRESSI è paradiso primi homines liberis operam dare cœperunt. Id Moses initio cap. 4. refert. (cap. 4) Expositis enim hactenus rerum primordiis, & hominis, propter quem omnia illa condita fuerant, productione, gloria & ruina, consequens fuit vt de eiusdem propagatione, quæ lapsum secuta est, diceret. Id studiosè notauit sanctus Chrysostomus in ea verba, *Adam verò cognouit vxorem suam.* (hom. 18.) *Considera*, inquit, *quando hoc factum sit, post inobedientiam, post paradisi amissionem, tunc primum rei vxoriæ cœpit. Ante inobedientiam enim angelicam vitam imitabantur, & nullus ea de re sermo erat. Quî enim potuit, cùm neque corporalibus necessitatibus obnoxij fuerint. Itaque ab initio virginitas palmam principatus accepit: sed postquam per desidiam intrauit inobedientia, & aditus patefactus est peccato, illa quidem auolauit, vtpote ab iis, qui indigni tantæ virtutis magnitudine facti erant, & subintrauit lex coniunctionis.*

CXXII. *An eadem futura in statu innocentiæ, quod aliqui patres negarunt. Chrysost. Nyssenus.*

ET paulò pòst. *Postquam per inobedientiam intrauit peccatum, & sententia mortales illos fecit, consequenter omnipotens Deus secundum sapientiam suam humani generis durationem gubernans, concessit per vsum coniugij augeri humanum genus.* In eadem sententia fuit Gregor. Nyssenus. Existimat enim nullum in statu innocentiæ vsum coniugij futurum fuisse, sed ineffabili quodam modo, sicut angeli, multiplicatum iri, (l. de opif. hom. c. 17.) idque probat ex eo dicto Christi Domini. *In resurrectione*, inquit, *neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* (Matth. 22. 30.) *Quamobrem*, ait Gregor. *si vita restitutorum et similis erit, qua fruuntur Angeli, nimirum & hominis ante lapsum vita, Angelorum fuit vita consentanea, eámque haud dubiè ob causam vita nostra in integrum restitutio, comparatione ad Angelos facta declaratur.* Et infra. *Pro præstante illo angelicæ naturæ modo, alium quemdam nobis concessit, vt brutorum, rationísque expertium animalium more, nosmet propagando perpetuaremus.* Eodémque refert illud Psalm. *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, &c.* (Psal. 48.) Gregorium secutus est Procop. (*Procop.* in c. 4. Gen.) Idem sensit S. Damasc. l. 2. de fid. orthod. (*Damasc.* c. 30.) vbi ait Deum præuidentem lapsum hominis creasse masculum & fœminam, vt per cohabitationem genus humanum propagaretur, alioqui Deum alio quodam modo multiplicaturum homines, vt refert l. 4. Et Euthym. (*Euthym.*) in ea verba Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Denique S. Hieron. (*Hieronym. dubitat.* c. 25. l. 1. contr. Iouin.) incertum esse dicit, an nuptiarum vsus futurus esset non superueniente peccato. *Quid futurum fuerit*, inquit, *incertum est: neque enim Dei possumus scire iudicia, & ex nostro arbitrio illius sententiæ præiudicare: hoc quod factum est in propatulo est, quod qui in paradiso virgines permanserunt, eiecti de paradiso copulati sunt.*

CXXIII. *Eandem speciem futuram.*

VERVM contrariam sententiam iam supra statuimus, (n. 90. die 6.) & Scripturæ & doctrinæ Ecclesiæ, & communiori Sanctorum Patrum assertioni magis conuenientem. Nam Scriptura docet homines ante peccatum, cum sexuum diuersitate creatos, benedictionem, vt multiplicarentur, accepisse, nec sanè per peccatum natura, ita mutata est, vt naturale aliquid per peccatum aut conferretur homini, aut tolleretur; nec decuit diuinam prouidẽtiam, vt priùs in homine ostenderet vestigia pœnę (sexuum scilicet diuersitatem) quam in eo existeret vestigium culpæ. Adiutorium quoque diuinitus datum ante peccatum, in hunc vel maximè vsum, aut etiam solum supra ex August. demonstratum est; quibus addo illud ex eodem. (Ibid. l. 9 de Gen. ad lit. c. 3.) *Si autem quæritur ad quam rem fieri oportuerit hoc adiutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quàm propter filios procreandos, sicut adiutorium semini terra est, vt virgultum ex vtróque nascatur.* Et infra. *Quanquam enim iam emissi de paradiso conuenisse, & genuisse commemorentur; tamen non video quid prohibere potuerit, vt essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus. Hoc Deo præstante fideliter, iustéque viuentibus, eique obedienter sanctéque seruientibus, vt sine vllo inquieto ardore libidinis, sine vllo labore ac dolore pariendi fœtus ex eorum semine gignerentur.* Multa deinceps in eandem sententiam inculcat, sicut & in lib. de ciuit. (14 c. 26.) & l. 1. de retractat. (c. 10 & 19.) vbi reuocat, quæ aliás pro contraria sententia significauerat. Denique sicut post peccatum per naturalem generationem communicatur peccatum originis; ita & ante peccatum per eandem erat communicanda iustitia originalis.

q. 98. dist. 20. EADEM est doctrina D. Thomæ 1. p. & aliorum Theologorum in 2. sent. quæ ante D. Aug. minùs fuerat examinata; sanctis Patribus ardorem libidinis inordinatum auersantibus, & corporum puritati fauentibus; quem si exclusum fore cogitassent, vtique in veram hanc, communémq; sententiam consensissent. Nã modus ille multiplicationis Angelorum, non solùm ineffabilis est, sed etiam impossibilis: multóque magis admirandum, corpora per angelicam mentis agitationem ab hominibus procreari posse. At post resurrectionem, cùm nulla sit futura procreatio, nihil mirum si homines similes Angelis fore dicantur, qui nunc similes brutis in generando fiunt, propter effrenatum libidinis ardorem, quem originalis iustitia repressisset. Quod autem primi parentes in paradiso à cohabitatione abstinuerint, id D. August. refert aut ad exiguam in paradiso moram, aut ad expectatum diuinum super ea coniunctione mandatum[20]. CXXIV *Respondetur sententiæ Patrũ.*

Vide D. Thom. 1 p. q. 98 a. 2. ad 1. & ad 3. l. 9. c. 4. 20. ℣.

SUB egressum igitur è paradiso conceptus est Adami primogenitus: neque antè, vt fusè docet Del Rio in hunc locum; sed neque diu distulisse credibile est, cùm statim ab admisso peccato, libidinis intemperiis agitari cœperint. Accedebat amor, & desiderium propagandæ prolis, & multiplicandi generis humani vehementissimum; & corporum habitudo perfectissima, quæ coniunctionis conciliatrix est, nec diuino aliquo præcepto retardabantur, sed potiùs admonitione quadam inuitabantur. CXXV. *Conceptus Caini.*

Nam Hebræorum fabulas, de annis quindecim continenter ab Adamo post eiectionem traductis, vt fabulas contemnimus. Refert Petrus Comestor in historia scholastica visionem ea de re, siue reuelationem S. Methodio factam, quam, cùm parum habeat probabilitatis, missam facimus, retulit ex eo Abulens. in hoc cap. & Peterius l. 7. fusiúsque refellit, & cum eo Torniellus in fine anni primi. Tangit etiam Genebr. init. Chron. & non nemo è sectariis. Verùm noster Raderus in notis ad Chron. Alexand. hæc eius verba refert. *Sciendum námque est exeuntes Adam & Euam de paradiso virgines fuisse. Anno autem trigesimo expulsionis eorum de paradiso genuerunt primogenitum*, quem satis constat fuisse Cainum, *& sororem eius Deboram.* Quod sanè minimè probabile est. Quis enim sibi persuaserit primos parentes totos triginta annos in solitudine vixisse, præter Dei vel intentionem, vel voluntatem, contra naturalem inclinationem, contra rationem omnem, repugnante etiam Hieronym. qui ita alludit ad verba Methodij, vt eum corrigere videatur. *De Adam quidem & Eua*, inquit, *illud dicendum, quod ante offensam in paradiso virgines fuerint, post peccatum autem, & extra paradisum protinus nuptiæ.* Quomodo protinus, si post annos triginta? Sed iam aliquando fine primo anno imposito, quo in materno vtero habitauit Cain, ad annum mundi, & Adami secundum transeamus.

q. 2. n. 9 & seqq. — n. 7. — l. 1. contra Iouin.

SCHOLIA IN DIEM MUNDI DECIMUM TERTIUM.

N. II. 1. EO QUE refert Homeri Proteum, qui primum leo fuerit, deinde draco, pardus, aper, vnda, & arbor. Eodem & Alecto Virgilij, & Megæram, Euæ conferens Latini vxorem; nec alias offert opinionis suæ probationes, nisi quod Dæmon loqui posset, assumpto quod libuisset instrumento. At id non probat serpentem fuisse phantasticum, non autem verum, qui sine dubio peracta tentatione euanuisset, vt solet in huiusmodi contingere; nec Dei aduentum, & maledictionem expectasset, vt ipsemet Eugub. postea penè inuitus fatetur. Cætera cum Caiet. sentiens, cum eodem constituta veritate refelletur. Contra Eugub. autem particulariter disputat Tostat. in c. 13. Genes. q. 454.

N. IX. 2. Tostatus quoque ait in cap. 13. qu. 457. non horruisse Euam serpentem quem loqui videbat, quia putauit non esse contra naturam serpentis loqui, sed locutionem illi à Deo in creatione datam, sicut & homini.

De hac comparatione vide Tostat. in cap. 13. qu. 437. *Si de Dæmone*, inquit, *intelligeretur & ageretur, ibi de eius sapientia diceretur, quod erat serpens callidus valde, sed dicitur quod erat callidior cunctis animantibus terræ, ideo illud quod ibi comparatur, erat aliquod animal terræ: alioqui non connumeraretur animalibus, cùm non fiat connumeratio nisi in rebus eiusdem speciei, quia sunt sub vna forma. Dæmon autem non est animal, sed spiritus: ergo quod hic comparatur non est Dæmon, sed verus serpens, totóque cœlo distat calliditas Dæmonis à calliditate serpentis.* N. XIV. 3.

Quo alludens Cassian. collat. 8. c. 10. *Sententia Domini vtiliter in ima deiectus est, vt non iam, sicut antè, sublime aliquid intuens, & excelsus incederet, sed vt solo cohærens reperet potiùs, & hu-* N. XV. 4.

miliatus super ventrem, terrenis vitiorum escis, & operibus pasceretur.

N. XXIII. 5. Vt, *dic vt lapides isti panes fiant. Et quæcumque dixerint vobis seruate, & facite. Sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Dic vt sedeant hi duo filij mei*, &c.

N. XXIV. 6. Vt 1. Cor. 10. 16. *Panis quem frangimus. Calix benedictionis, cui benedicimus.* Genes. 32. 32. *Non comedunt neruum filij Israel.* Exod. 16. 3. *Sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.* Genes. 27. 9. *Faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur.* Genes. 39. 7. *Nec quicquam aliud nouerat, nisi panem, quo vescebatur.* Sic Eccle. 10. 17. Thre. 4. 5. Ezech. 42. 13. Dan. 1. 13. 15. & alibi passim.

N. XXVII. 7. Improbat enim hebraizantes qui לְהַשְׂכִּיל *lehaskil* Hebræum vertunt *ad faciendum intelligere*, vt ad Diaboli suggestionem alludatur. Iosephus. quod sine dubio sensit Iosephus l. 1. antiq. c. 2. cùm ait, τὸ γὰρ φυτὸν ὀξύνοιας, καὶ διανοίας ὑπῆρχεν. *Arbori enim acuminis, & cogitandi vis inerat*; Non contentus Iosephus facere serpentem rationis compotem; etiam arbori acumen & mentem videtur attribuere. In quo longiùs etiam aberrauit, quam qui dixerunt, arborem vim habuisse, ad faciendum intelligere, quod posset intelligi, per remotionem prohibentis liberam, & subtilem hominis intellectionem: quod tamen impedimentum, in tanta corporis & organorum omnium perfectione, nullum fuit; denique habetétne hæc arbor vim ad dandam intelligentiam, visu, de quo agitur, cognosci non potuit, vt rectè notauit Del Rio, nec repugnant Septuaginta, καὶ ὡραῖόν ἐστι τοῦ κατανοῆσαι. *Et speciosum ad contemplandum*, vt vertit interpres Chrysostom. hom. 16. non vt verterunt quidam, *ad intelligendum*, pulchritudo enim oculorum obiectum est, non intelligentiæ. Nec admodum repugnat, aut Eugub. in Cosmop. aut Lipom. in catena.

N. XXX. 8. Confregit iugum mandati diuini, sub Deo esse nolens, sed in sua potestate potius, sine Domino, nec legem eius obseruare, sed se ipse regere, vt ait August. l. 2. de Genes. contra Manich. c. 15. Non deposuit autem, neque abiecit iugum Domini, sed confregit, vel in signum vetioris rebellionis, vel quod nollet in posterum vlli esse vsui, neque enim huiusmodi præceptum vlli deinceps mortalium datum est. Rupit vincula gratiæ & charitatis cum Deo, & iustitiæ originalis, quæ partem animi inferiorem rationi subditam, & obsequentem tenebat; rupit vinculum vnionis animæ & corporis, factus morti obnoxius; rupit vinculum directi, vtilísque dominij, quo omnia animalia sibi obligata retinebat. Denique opere ipso dixit *non seruiam*. Imò seruies ei, sed in multiplici miseria, amarissimísque lachrymis, donec morte mulctatus redigaris in puluerem, aut si ei non seruias, seruies Dæmoni latroni scelestissimo, coniurato in ruinam tuam, qui subsannabit te, cùm ea tibi aduenerint, quæ timere nolueras; sed mulieri seruies, quæ tibi & diuino, & naturæ iure subdita est,

Anne fuit satius tristes Amaryllidis iras,

Atque superba pati fastidia?

Sed cupiditatibus tuis, quasi indomitis bestiis seruies, in quas amplissimum tibi imperium concreditum fuerat; sed necessitatibus tuis laboriosi victus atque vestitus; sed innumeris animi corporísque morbis.

N. XXXI. 9. Hoc ineptæ, imò & perniciosæ verecundiæ primi hominis malum, vocat Eugob. ex Plot. δυσωπίαν, quam lexici interpretantur, pudorem qui nos non sinit, in faciem intueri eos, qui aliquid à nobis postulant, fit enim ab ὤψ, significante oculum.

N. XXXII. 10. An autem, & quatenus dici possit Adamus seductus, eleganter disserit Bellarminus to. 4. l. 3. de amiss. grat. c. 7. vide etiam Abul. in c. 13. Genes. q. 655. & seqq. vsque ad 606. & August. l. 11. de Gen. ad lit. c. vltimo.

N. XXXIII. 11. Neque verò in ista oculorum apertione verax inuentus est serpens, sed vafer phrasim consultò vsurpauit, quæ ad oculos mentis & corporis referri possent, ne posset mendacij coargui; intelligebat autem mentis oculos, ad quos scientia pertinet, cùm animaduersio nuditatis ad oculos corporis pertineat, vt supra dictum est. Vocem porrò περιζώματα retinuit ex Septuaginta interpret. in vulgata Hieronym. quæ alij cinctoria, siue succinctoria, aut etiam campestria, vt habet August. l. 14. de Ciuit. c. 17. quibus athletæ in lucta vtebantur, alij subligacula verterunt, alij lumbaria aut ventralia, dimidiatè vtraque significationis, nam vtrimque nuditatem circumtegebant.

N. LI. 12. In quibus Eucher. in hunc locum, Ropert. l. 3. c. 19. & l. 2. de vict. verbi Dei c. 16. Leo Papa serm. 2 de Natiuit. Serapion in caten. Lipom. Epiphan. hæres. 78. Cypr. l. 2. contra Iudæ. cap. 9. Beda, & alij. Consule Canis. l. 5. Mariani cap. 9. Perer. lib. 6. in Genes. n. 54.

N. LVIII. 13. Probo Bellarminum loco cit. c. 11. & Perer. l. 6. n. 152. & Del Rio hic explicantes ærumnas conceptuum, siue conceptus ærumnosos, ex phrasi hebraica, quam miror ab Oleastro non animaduersam. Eodémque modo c. 4. 4. Abel dicitur obtulisse de primogenitis, & de adipibus eorum, id est, de primogenitis adipalibus, siue adipe refertis, & Paul. Rom. 1. ait se accepisse gratiam, & apostolatum, id est, gratiam apostolatus. Cui non dissimis est illa,

—*pateris libamus & auro*, &

—*Chalybem frenísque momordit.*

Pro pateris aureis, & fræno chalybeo. Ea figura Grammaticis opinor est ἓν διὰ δυοῖν.

N. LXXII. 14. Videtur porrò D. Hieronym. secutus Septuaginta interpretationem qui habent ἐν τοῖς ἔργοις σου, & operis nomine intelligere peccatum Adæ, & transgressionem. Sic enim habet in quæstionibus hebraicis. *Opera hic non ruris colendi, vt plerique putant, sed peccata significant, vt in Hebræo habetur, & Aquila non discordat dicens. Maledicta humus propter te. Et Theodotion. Maledicta Adama in transgressione tua.* Sic Hieronym. Recentiores quoque versiones & paraphr. Chald. habent propter te,

& ita interpretatur etiam Rupertus l. 3. c. 24. Sed ita vt alteram quóque recipiat. Originem huius diuerſitatis ſuggerit Lippom. in Caten. & Del Rio hoc loco, & Bellarm. l. 3. de amiſſ. grat. c. 11.

N. XC. 25. Eadem fere habet D. Chryſoſt. homil. 7. in Ioan. explicans illa verba, *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et Cyrill. l. 1. in Ioan. c. 11. & Auguſt. l. 3. de Liber. arbitr. c. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras; ſed quod negligis quærere quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentē ſanare contemnis.*

N. CVII. 16. Parum eſt videre fratrem ſtricto ferro in germanum irruentem, ardentémque deſiderio illud in intima eius viſcera condendi: parum eſt nepotes ſuos eorum parenti epulandos præbere. Non magnum eſt patrem ipſum ferre accenſam facem, qua rogus, in quo viuus arſurus eſt filius, accendatur. Non magnum eſt matrem occidere, lacerare, in ventum ſpargere filios ſuos, lupis & vulturibus deuorandos, & ſi quid ſceleſtius tragica theatra excogitare potuerunt. Non magnum, inquam, eſt id totum, ſi contempleris magnum illum vniuerſi patrem, ira incenſum atque armatum aduerſus hominem natura filium, culpa inimicum, patrem, inquam, illum temporalis atque æternæ mortis ſententiam fulminantem, in pœnam confuſionis huius, vt in cū locum deiiciatur præceps, *vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.*

N. CXII. 17 Tunicas pelliceas Theodorus apud Eugub. interpretatur arborum cortices, *χιτῶνας δερματίνους.* Septuaginta, *οὐ μόνον*, inquit, *τὰ ἐκ τῶν ζώων ἀφαιρεθέντα δέρματα λέγεται, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐκ τῶν δένδρων, ἃ καὶ φλοιοὺς ὀνομάζειν ἔθος τοῖς πολλοῖς. ἐκ δένδρων τοίνυν ἐπιτηδείους τοὺς φλοιοὺς ἐχόντων εἰς ἐνδυμάτων κατασκευὴν οἱ περὶ τὸν Ἀδὰμ τῷ θεῷ κατ' ἔννοιαν αὐτοῖς ὑποτιθεμένου πῶς χρὴ τοῦτο ποιῆσαι.* Non ſolum, inquit, *dicuntur pelles, quæ ex animalibus detrahuntur, ſed etiam quæ ex arboribus, & à multis ſolent cortices appellari. Ex his ergo, quæ tales haberent aptos ad induendum detraxit, & fecit ſibi Adam veſtis inſtar indumentum.* (deeſt in Græco *χιτῶνα δερμάτινον ἐποίησεν*, vel quid ſimile) *Deo animis ſuggerente, qua ratione oporteret id fieri.* At Theodoretus neque hanc ſententiam probat, neque communem: nec tamen aliquid melius affert. Eum vide q. 39. & Procop. in hunc locū.

Vt Iud. 11. 25. Luc. 9. 13. ſic forſitan Exod. 14. 11. Iudicum 8. 6. 15. 3. Reg. 18. 27. Iob. 11. 7. cap. 26. 3. c. 37. 18. c. 39. 14. N. CXIV. 18.

Scio Caluinum hic Ironiam improbare, ſed hoc ipſo probanda merito videatur: quid enim ille boni probet, qui veritati quaſi dedita opera bellum indixit? Ex dictis autem ſequitur non probandum quod ſcribit autor quæſtionum veteris & noui teſtamenti q. 19. *Quādiu homo*, inquit, *in Creatoris lege durauit, dignus fuit edere de arbore vitæ, vt mori non poſſet:* lege ex Auguſt. ſæpè citato, vt poſſet non mori, *neque enim corpus tale erat, quod diſſolui impoſſibile videretur, ſed guſtus arboris vitæ, corruptionem corporis inhibebat. Denique etiam poſt peccatum potuit indiſſolubilis manere, ſi modo permiſſum eſſet illi edere de arbore vitæ.* Hæc ille. Non probandum, inquam, non enim reuera potuit indiſſolubilis manere, ſed poteſt ſumi indiſſolubilis pro ægrè ſolubili, ſicut in textu æternùm ſumitur pro valde diuturno, D. Thoma interprete 22. q. 164. a. 2. ad. 6. N. CXV. 19.

Ex quibus omnibus tanto magis reiecta intelligitur Hebræorum fabula de conceptu Cain in paradiſo, ſtatim ac Eua producta fuit ex Adam. vbi enim Scriptura nihil aſſerit, quis dubitet ſanctorum conſenſum, Rabbinorum ſomniis anteferre? Licet eis illud ex libro primo Sibyllinorum oraculorum addas de primorum parentum *ἀναισχυντίᾳ*. N. CXXIV. 20.

Nec pudor vllus erat, ſed praua mente carebant,
Luce palam vulgò coëuntes more ferarum.

In Græco eſt,

——— ὅτι μὴν αἰδῶ
Εἶχον, ἀλλ' ὅσιοι κραδίην ἀπάνευθε κακοῖο,
Καὶ ὡς θῆρες δὴ γίνονται ἀνὰ σκοπιάς.

ANNVS MVNDI II. ADAMI ET PRIMÆ ÆTATIS, SECVNDVS, ABELIS ET CAINI I.

ANTE CHRISTVM ANNVS 4051.

Appar. c. 4. n. 6. & ſeqq. QVONIAM mundum initio veris creatum fuiſſe ſtatuimus, & Adamum octauo à productione ſua die peccaſſe, & Paradiſo eiectum fuiſſe; móxque Cainum genitum eſſe, conſequens eſt illum natum ſub initium Ianuarij, habita ratione annorum Iulianorum, ſi eos ad mundi exordium accommodare voluerimus. Nam ſi placet audire Marianum Scotum & Adonem Vienn. feria ſexta, qua natus eſt Adam, fuit 10. Cal. Aprilis, id eſt, 23. Martij: Ergo dies culpæ & eiectionis, iuxta ea quæ ſupra diſputauimus, eſt tertius Calendas, ſiue 30. Martij. Mox ſecuta eſt conceptio Caini; à qua poſt nouem menſes ſequitur natiuitas, quæ cadat in ipſum primum anni noſtri diem: Mundi autem primo nondum euoluto, vſque ad vernum æquinoctiū. Sed nos deinceps, quantum licebit, anni Iuliani rationem habebimus, neglecto Num. I. Ortus Cain.

Iulianus ſila. non 8 Cal. April. mundum creatum ait habetur in Bibliotheca Patr. t. 7.

ad faciliorem supputationem modico tempore, quo alter ab altero differt, qua commoditate carent, qui in Autumno mundum productum volunt.

II. *Partúne simplici editus fuerit.*

NEQVE verò dubium est, in tanta fœcunditate quantam naturæ vigor, & cæterarum causarum concursus, & desiderium multiplicationis humanæ persuadent, statim Euam concepisse. Quin etiam libenter audio Genebrard. cum Nangiaco, & Rabbinis dicentem, eodem partu enixam Caini sororem, (quam Caimanam vocat Comestor. in histor. Schol. Methodius autem, si tamen Methodius Martyr, Deboram.) *Nam primi illi partus*, inquit, *fuere gemini, tergeminive, & masculus & fœmina simul nascebantur, inter quos matrimony nexus nondum esset prohibitus.* Sic ipse: consentaneè iis, quæ tradit Epiphanius. [hær. 39.] Certè Scriptura, quæ mox Caini vxoris meminit, eius ortum tacuit, sicut & cæterarum, quarum in hac prima ætate mundi nulla est distincta mentio. Quin etiam multiplices illos partus valde persuadet Ciuitas à Caino condita, & suis nepotibus attributa. [Gen. 4. 17.]

III. *Ratio nominis eius.*

ADAM ergo cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit & peperit Cain dicens, *Possedi hominem post Deum.* Quæ verba duo non obscurè significant; alterum est Cainum fuisse primogenitum Adæ. Illa enim hominis siue acquisitio, siue possessio primogenito conuenit; ergo si alius quispiam ante Cainum natus fuisset, illi nomen hoc attributum esset, vt notat D. August. & ex eo Pererius. [l. 15. de ciui. c. 15.] Alterum notat Chrysostomus in Genes. *Vide*, inquit, *quomodo pœna inflicta mulierem emendauerit, melioremque reddiderit. Nam puellum natum non natura, sed Deo acceptum refert: suámque gratitudinem declarat.* [l. 7. in Gen. n. 8.] Addit Abulens. ex his nominibus propriis intelligi sermonem Hebræum primum fuisse, quod in nullo alio idiomate. Horum nominum origo reperiatur. Nam perspicuum est Cain fluxisse à קָנָה quod est acquirere, & possidere. Vide & Theodoretum in Genesim. [hom. 18.]

IV. *Natiuitas Abelis, an gemini fuerint.*

HOC ipso anno sub Octobrem natus videtur Abel; credibile enim est mox à partu iterum concepisse Euam, eámque simul & prægnantem fuisse & nutricem, vigore naturæ ad omnia sufficiente. [q. 59.] Quod autem non nemo putat gemellos fuisse Cainum & Abelem, quod refert Procopius, nec asserit, habet Scripturæ textum sibi repugnantem, quæ ait rursum peperisse, id est alia vice, vel conceptione, vt explicat Abulens. Del Rio, alij; licet conceptionis Abelis non fiat mentio. [in Gen. c. 4.] Ita Scripturam intellexit Chrysost. *Quia pro nato filio grata fuit, & prius beneficium agnouit, assecuta est & aliud.* [hom. 18.] Si vnius fuit vtriusque conceptus, vnum beneficium fuit, nec posterius grati animi indicium, aut merces fuit. Idem sensit Ambros. ac supposuit cùm ait, *In nobis ante nascitur Cain, seipsum præferens, postea Abel generatur.* Et mox, *Non est otiosum quod ante generatus sit Cain, &c.* ergo non simul cum eo. [l. de Abel & Cain c. 3.] Idem & Epiphan. qui hoc modo paraphrasticè recitat Scripturæ verba. [hæres. 39.] *Cognouit enim*, inquit Scriptura, *Adam Euam vxorem suam, & concepit ac peperit Cain, & imposuit ipsi nomen Cain, quod est possessio, dicens possedi filium per Deum. Et rursus cognouit Adam vxorem suam Euam, & concepit, ac peperit filium, & vocauit nomen ipsius Abel.* Quid clarius ad ostendendam geminam conceptionem, & partum?

V. *Ratio nominis Abelis.*

NEVTER parentum in secundo filio nominando scribitur philosophatus. Abelis tamen vocabulum propheticum quiddam, & ominosum sonat. Nam Abel à Iosepho, Eusebio, Origene, Theodoreto, Hieronymo, Ruperto, aliisque passim exponitur luctus. [l. 1. ant. c. 2. tr. 26. in Matth. q. 59. in Gen. de nom. hebr. l. 3. in Gen. c. 34.] *Et hoc illi nomen congruit*, inquit Rupertus, *non solùm quia primi luctus causa fuit parentibus, verùm etiam quia primus illorum est de quibus dictum est. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Legerunt quippe nomen Abelis cum א, non cum ה, vt hodie legitur, & vertitur vanitas, quasi iam vsurparent illud Dauidis. *Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo viuens.* Recentioribus consentit Rabanus cùm vaporem interpretatur, *quoniam cito*, inquit, *tanquam vapor disparuit*; respexit illud Iacobi, *Quæ est vita vestra? vapor est ad modicum parens.* Vtrouis autem scribatur modo, apparet nomen consultissimè à parentibus impositum, siue propter dolores matris in parturitione ipsius; siue ex præsentione quadam immaturæ mortis eius, quam incognitus quidam casus allaturus esset.

אָבַל, *lugere.*

הֶבֶל, *vanitas.*

VI. *Quæ causæ luctus Adamo.*

SEV potius ex acerbo Patris dolore (priorem nominauerat mater) vt esset id nomen testimonium, & monimentum luctus in quo versabatur. Si quis enim aliquando mortalium grauioris luctus causam habuit, is maximè fuit, qui posteritatem suam omnem, quasi capite damnatam, morte mulctarat, tantóque magis

lugere debuit, quo illa posteritas maior fuit, pluresque ad æternam miseriam præsciti. Qui tot & tanta bona perdiderat, quæ illi ipsa Paradisi obiecta præsentia in horas singulas exprobrabat, nec sinebat obliuisci, qui mortem, vt supra ex Theodoreto dicebamus, in caput suum perpetuò imminentem circumferebat, cuius etiam mortuarum bestiarum exuuiæ, quibus quoquo modo tegebatur, admonebant illum. Qui intellectum experiebatur obscuratum, voluntatem in malum propensam, memoriam infœlicem, imaginationem vagam, iram præferuidam, concupiscentiam rebellem, ac peruicacem, conscientiam extimulantem, laboriosam agriculturam, aliáque plurima peccati sui damna patiebatur. Quid quod mala omnia quæ ferebat, acriorem ei doloris morsum inferebant, quàm nobis, qui eius successimus malis: vt qui gustarat bona, quæ amiserat, exúlque agebat ab ea patria, in qua florentissimam vitam, & omnibus bonis circumfluentem agere cœperat; nos autem in carcere, & in seruitute nati, non gustauimus libertatem filiorum Dei: non nouimus quid habeat boni sanitas, qui in languore nati, morbum ad sepulturam vsque perducimus. Videnti superueniens cœcitas, aut diuiti paupertas longè inclementius affligit, quàm in mendicitate natum, aut cœcitate. Hinc illa vox ac sensus prodigi, *Quanti mercenarij, &c.*

q. 18. in Gen.

Luc. 15. Gen. 50. 3. Deut. 34. 8. Num. 20. 10.

VII. *Quámque is diuturnus.*

QVID quod hic luctus non paucorum, puta 30. aut 70. dierum fuit; non vnius anni, quod spatium legitimum filiis esse solet ad parentes lugendos, non annorum plurium, vt Iacobi dilectum Iosephum tres & viginti annos inconsolabili mœrore lamentantis; sed multorum seculorum fuit; in quo mortuus est ipsemet Adam, & vxor eius, in quo vixerunt filij eius, ac nepotes. Nam Lamech in natiuitate Noë post mille & quinquaginta septem annos à lapsu Adæ, adhuc in luctu erat, cùm diceret, *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Et Apostolus post quatuor annorum millia. *Infœlix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius?*

Vide an. m. 1057.

VIII. *Alia causa luctus.*

QVOD si cognoscebat ex reuelatione diuina Dei filium non solùm in carne ad mundi redemptionem venturum, quod minimè dubium est; sed mortem etiam per atrocissima supplicia, probrosissimáque, pro culpæ ipsius expiatione subiturum; apparet vtique hinc, eum incredibilem quendam luctum ac dolorem sensisse; vt illud quoque Adamo ritè congrueret, filium ac Seruatorem suum siue tum in contemplatione, siue postea in limbo alloquenti,

Aen. 6.

Funeris heu tibi causa fui; nec credere quiui
Hunc tantum tibi me peccando afferre dolorem.

IX. *Consolatio Adæ.*

NEC tamen deerat consolationis etiam medio in luctu materia; nimirũ fruitio plurimorum donorum, tam naturalium, quæ illi singulariter data fuerant, vt principi ac Magistro generis humani, quæ peccatum non sustulerat, quàm supernaturalium, quæ vera pœnitentia iam restituerat, fidem, spem, charitatem. Sed eminebat consolatio illa maximè, quæ ex Verbi Dei incarnatione efflorescebar, ex qua tanta in humanum genus dignitas, tanta vtilitas redundabat, vt non dubitarit sancta Dei Ecclesia, inspirante numine vsurpare. *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.*

Sed & ipse Adam, cùm huius diuini mysterij, ac beneficij crebro suos admoneret, vt in ea fide, ac spe viuerent; sine qua salui esse non possent; & qua vna omnia ipsorum sacrificia, oblationes, preces, sacramenta niterentur, non exiguum lætitiæ fructum delibabat; tum etiam in oratione apud Deum, cum illud Dauidicum anticipans inculcaret. *Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti: hæc me consolata est in humilitate mea.* Cetrè Tamuldici eum Psalmos, & nominatim 92. condidisse putant.

Bonum est confiteri Domino, &c.

X. *Ex infantium iustificatione, & quis eius modus.*

SED & alia suberat consolatio Adamo, quam mihi subobscurè innuit hæc non temeraria, sed mystica nominum impositio, quod scilicet quàm primùm ex originali culpa purgati recens nati filij, Deo inimici esse desinerent. Constat enim ex communi Theologorum sententia, ante institutam circuncisionem, fide parentum infantes iustificari solitos ab originali culpa. Quis enim ferat eos qui dicunt ante institutam circuncisionem paruulos omni remedio contra peccatum originis caruisse? *Absit enim,* ait Innocentius tertius, *vt vniuersi paruuli pereant; quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin misericors Deus, qui neminem vult perire, ali-*

c. Maiores, de Bapt.

quod remedium procurauerit ad salutem. Quæ Pontificis oratio ad omne omnino tempus pertinet, ex quo peccatum originis generatione contrahi, ac diffundi cœpit.

XI. *Nudáne fides.*

EA fides si sola sufficiebat paruulis, satis constat ab Adamo filiis recens natis applicatam; & ab aliis deinceps patribus, ex eius institutione. Nam D. Thomas, [3 p q. 70 a 1. ad 1.] *Immediatè*, inquit, *post peccatum primi parentis, propter doctrinam ipsius Adæ, qui plenè instructus fuerat de diuinis, adhuc fides, & ratio naturalis tantum vigebat in homine, vt non oporteret determinari hominibus aliqua signa fidei, & salutis; sed vnusquisque, pro suo libito, fidem suam aliquibus signis protestabatur.* Sic sanctus Thomas.

Quæ doctrina consentanea est sententiæ Gregor. Magni. [l. 4. Mor. c. 3.] *Quod verò*, inquit, *apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides; vel pro maioribus virtus sacrificij; vel pro iis, qui ex Abrahæ stirpe prodierant mysterium circuncisionis.* Gregorium secutus est S. Bernard. in Epistolis, [Ep 77.] *Vbi ait paruulis solam fidem profuisse, imo suffecisse.* Eadémque est sententia D. Thomæ, [1. p q. 70. a. 4. ad 2.] qui videtur explicare illud, *suffecisse*, quasi præter eam non necessariò requireretur aliquod signum, quo eam fidem exterius protestarentur. Probabile tamen esse ait, parentes fideles pro paruulis natis, & maximè in periculo existentibus, aliquas Deo preces fudisse; vel aliquam eis benedictionem adhibuisse, quod erat quoddam signaculum fidei: aut adultos pro seipsis preces, & sacrificia obtulisse.

XII. *An aliquo testata sacramento.*

SIN autem dixerimus fidem illam non potuisse prodesse paruulis, nisi particulari aliquo signo exteriori, puta oblatione, vel sacrificio illis applicaretur; quod esset sacramentum legis naturæ, minimè dubiũ esse potest quin Adamus id quodcunque vel sacrificium, vel oblationem, pro suis filiis, in expiationem peccati originis magna cum fide, & sensu pietatis obtulerit; eandémque sacram ceremoniam in filiorum, filiarúmque natalitiis semper vsurparit: Idque Cainus & Abel ab eo didicerint, atque imitati fuerint. Tale autem quodpiã extitisse illo tempore iustificationis sacramentum sentit August. contra Iulianum Pelagianum. [l. 5. cõt. Iul. Pelag. c. 9.] *Nec tamen credendum est*, inquit, *& ante datam circuncisionem famulos Dei, quandoquidem in eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis: quamuis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.* Alibi etiã ait fuisse [l. 2. de nupt. & conc. c. 11. in princ.] quidem superioribus temporibus sacramentum aliquod iustificationis ex fide, sed id omni modo latuisse, id est, sacris literis proditum non esse. Vide etiam Bedam l. 1. in Lucam, vbi de circuncisione agitur. qui vtrámque sententiam probabilem putat; cui & nos libenter assentimur.

XIII. *Et quando vsurpatum.*

EAM autem vsurparam ab Adamo ceremoniam suspicari libet, cùm filiis nomen imponeret aut eius vxor, ipso minimè repugnante, quod non temerè, vt dixi, sed cum studio, & cura factum apparet ex Caini nomine, & Abelis. Sed octauóne die, quo die postea data circuncisio, & nomen infanti? An potius primo, quandoquidem nulla erat ratio differendi, sicut in circuncisione, quæ si prius daretur infanti, eum in euidens vitæ discrimen adduceret. Et conueniebat, si nihil obstaret, infantem quamprimum reconciliari Deo, & de filio iræ fieri filium Dei. Et certè testis est D. Thom. in lege circuncisionis, ad hoc remedium fidei & oblationis Iudæos recurrisse pro fœminis, & pro masculis de vita periclitantibus. [3. p. q. 70. a 4 ad 3.]

ANNVS MVNDI III. ADAMI ET PRIMÆ ÆTATIS, TERTIVS, ABELIS ET CAINI II.

ANTE CHRISTI DOMINI ORTVM 4050. Genes. 4.

I. *Multiplicatio filiorũ Adami.*

HABET hic annus, & plurimi sequentes, quos sigillatim rebus gestis distinguere non possumus, annuam multorum filiorum, filiarúmque generationem, vt impleretur quod Euæ in primis ac nominatim dictum fuerat, *Multiplicabo ærumnas tuas, ac conceptus tuos*; [Gen. 3. 16.] neque illud de innominatis filiis ac filiabus, *genuítque filios ac filias*, ad ortum vsque Se-

thi,

thi, post annos videlicet 130. differendum est. Etsi id facere videatur Epiphanius,
num.39. hæresi quæ est de Sethianis, vbi ex quodam libro, cui nomen λεπτογένεσις ait Adamum post Sethum genuisse nouem filios, vt essent omnino mares duodecim, filiæ autem duæ, Saue, & Azura. quorum illa fuerit Caini coniux, hæc Sethi. Verùm longè probabilius est Adamum multo plures vtriusque sexus, & quidem maturius produxisse, fœminas præsertim, ne dicamus decem filios Adæ vxoribus caruisse, aut quod longè grauius atque incredibilius est, eandem sororem pluribus fratribus vxorem fuisse, quod humanæ propagationi repugnat. Rectius ergo sentiunt qui pene quotannis geminos, alterum marem, alterum fœminam produxisse putant. Fertur etiam in traditionibus Hebræorum partus fuisse perpetuo geminos, & tergeminos, ob corporis molem & copiosos humores, sic prouidente Deo humani generis multiplicationi, ob quam gradus cognationis non obseruabantur, neque alia impedimenta contrahendorum matrimoniorum, præter disparitatem religionis, vt colligunt ex 6. Genes. & notauit Genebr. in sua Chron. verùm de separatione Cainitarum à cæteris postea dicetur.

ANNVS MVNDI 10. ADAMI, ET PRIMÆ ÆTATIS 10. ABELIS ET CAINI 9.

ANTE CHRISTI ORTVM 4043.

Gen. 4. HOc ferme tempore credere par est studiosius notatam à parentibus Caini & Abelis indolem, in ipsa infantia, ac prima pueritia efflorescentem; & ex vna timorem & luctum, ex altera spem & consolationem hausisse. Videbant in Caino non leuiter impressa vestigia peccati sui, qualia probabile est in principe, ac capite omnium hominum reproborum extitisse; & in conditore Ciuitatis, quæ in peruerso sui amore fundata, per omnia peccatorum genera constructa, exædificaretur vsque ad contemptum Dei. Indolem asperam, querulam, intractabilem, in malum propensiorem, parentibus minimè morigeram & obsequentem, mendacem, sermonibus piis ægrè ac repugnanter aures præbentem, Dei cultum obiter, & perfunctoriè vsurpantem, & eorum malorum semina ostentantem, quæ mox magno & parentum luctu, & damno suo adoleuerunt. Denique, *Puer erat* fortasse *ingeniosus*, nec
Sap. 8.19. tamen *sortitus animam bonam.* I. *Indoles Caini.*

ABEL contra mitis erat ac placidus, mente candidus, vultu verecundus, lingua syncerus, nihil in eo simulatum, nihil duplex: insignis in fratrem natu maiorem obseruantia, in patrem reuerentia, in matrem amor, in Deum religio. Denique ille Esaü, hic Iacobum à prima ætatula tam moribus, quàm diuina destinatione referebat, vt significat S. Ambros. in lib. quem de vtróque conscripsit. II. *Abelis indoles.*

6.1. IGNORABAT hoc quidẽ Adam; neq; enim credibile est ei sigillatim à Deo vnius prædestinationem, alterius reprobationem reuelarã, sed indicia quędã vtriusque, qualia nos quoque notamus, facilè agnoscebat; nec tamen certi quippiam habebat, quia ignorabat quo vtérque statu vitam clausurus esset. In illo ergo priore diuinam iustitiam, vindictam, odium in peccatum: in hoc altero misericordiam, clementiam, placabilitatem animaduertebat. In illo Dominum ac seuerum iudicem exhorrescebat, in hoc mitissimum parentem amplexabatur; in illo lugens, quę ventura erant formidabat: in hoc spe gaudens, & quæ tanta indoles promittebat, ante præcipiens consolabatur. Vtrúmque agnoscebat suum, sed alterum quasi peccati sui pœnam, alterum quasi inchoatæ dudum pœnitentiæ fructum minimè pœnitendum. Sic Adami vita in duobus hisce filiis luctu, lætitiáque alternabatur, dum illi sensim adolescebant, alij identidem pullulabant; Eua perpetuò aut ferente vterum, aut parturiente. III. *Adami sensus.*

ANNVS MVNDI 50. ADAMI ET PRIMÆ ÆTATIS, 50. ABELIS ET CAINI 49.

ANTE CHRISTI DOMINI ORTVM 4003. IVBILÆVS I. ABSOL. Genes. 4.

I. *Iuuenilis ætas primorum fratrum.*

NE pœniteat nos in his decurrentium annorum maioribus quasi saltibus, in primo Mundi Iubilæo gradum figere, atque cum Eusebiũ imitantes notare: In quo duorum fratrum ætas maturitatem quandam erat assecuta; quando implebatur illud, *Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola.* Nec est quod quis quàm miretur tot annos à nobis pueritiæ & adolescentiæ horum fratrum dari; & anno fere quinquagesimo iuuenilem ætatẽ inchoari. Nam, vt rectè scripsit Aug. tanto serior fuit proportione pubertas, quãto vitæ totius maior annositas. Itaque non malè coniectat Perer. ante quinquagesimum annum hominem perfectam ætatem non attigisse. Cùm enim tunc longissima esset hominis vita, hoc est decuplo fermè longior quàm nunc est, singulæ etiam ætates pariter longiores erant; infantia ac pueritia longior, productior etiam adolescentia; vnde consequens est vt virilis ætas tardius contingeret. Comparatione igitur & proportione totius vitæ, quæ nongẽtesimum superabat annum, iuuenilis ætas horum hominum non ante quinquagesimum annum eis contingere potuisset. Eadem est coniectura Caiet. in c. 5. Genes. vbi de annis Adæ agitur, Del Rio, Genebrardi in Chron. & aliorum*.

[Marg.: init. Chron. — l. 15. de ciui. c. 15. — l. 4. in Gen. n. 7. — c. 5. n. 7. — 8. *]

II. *Caini mores, & vitia.*

CAIN igitur tametsi bonum semen domesticæ institutionis à parente Adamo quotidie accipiebat, ob terræ tamen propriç malignitatem, infœlix lolium, atque adeo spinas & tribulos germinabat, *Nam,* vt ait Ambr. *penes authores culpa non stetit, sed quod peius est, deteriorem inuenit hæredem.* Qualia autem fuerint eius vitia non obscurè docuit Iudas Apost. in sua canon. vbi enumeratis variis quorundam hæreticorum sceleribus, subdit, *Væ illis quia in via Cain abierunt*, id est ipsam Caini viuẽdi rationẽ secuti sũt. Ergo isti Pseudoprophetæ vitia Caini in sua vita repræsentarũt, quæ idem Apost. & ante eum S. Petr. seuerissima oratione accusarunt, superbiam, gulam, auaritiam, luxuriam maximè, blasphemiam, abnegationem fidei, introductionem sectarum perditionis, & blasphemiæ. Præter illa minora, *Murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes,* hæc autem vitia, si non omnia in hoc tẽpus, in reliquam certè vitam quadrare, partim sequens Scriptura declarabit, partim fœdissima Caianorum vita, quam scribit Epiph. satis ostendit: vtrique enim eundem præceptorem Diabolum habuerunt. De quibus nihil amplius dicã, quam eam inter ipsos opinionem viguisse, quam fœtidissimus quóque Carpocras docuit, non potuisse quemquam saluari, nisi per omnia scelerum genera cucurrisset.

[Marg.: l. de Abel. c. 2. — v. 11. — Ep. 2. c. 2. — Iude ibid. — hæref. 38. — Hær. 27.]

III. *An carniũ vsus ab eo introductus.*

E QVIBVS peccatis maximè Caino conuenit introductorem esse sectæ perditionis & blasphemiæ, vt primum perditionis filium, imo omnium generis humani perditorum caput. Iosephus illum accusat auaritiæ, D. Ambrosius negligentiæ in diuino cultu; possumus etiam nos gulæ in esu carnium introducto. Cùm enim existimet Caiet. vsum carniũ vsurpatum ab hominibus, postquàm eiecti sunt ex Paradiso: idque tum ex Beroso confirmet, qui referat homines ante diluuium etiam humanas carnes comedisse: tum ex Abelis officio, qui cùm pastor esset ouiũ, non credibile sit solas ouium pelles humanis vsibus reseruasse, carnes volucribus & feris abiecisse, aut in terram defodisse: certè si id concedimus, æquum est existimare eam licentiam à Caino, eiusque fratribus, aut filiis primũ vsurpatam fuisse. Adamum autem deinde interpretatum esse, Deo id ingratum non fore, quandoquidem ita hominibus alium cibum assignarat, vt tamen illum disertè nõ negauerit, sicut fructum scientiæ boni & mali. Nec absurdum est mali quippiam ab aliquibus inchoari, quod mox inualescente consuetudine, dissimulante magistratu vulgò sine culpa perpetretur.

[Marg.: l. 1. c. 2. — in c. 4. Gen. — *]

Cõmunior tamen videtur sententia Hier. contra Iouinianum, nõ nisi post dilu-

[Marg.: l. 1. sub med.]

uium eſum carnium in vſu fuiſſe. *Quod autem*, inquit, *nobis obicit* Iouinianus *in ſecunda Dei benedictione comedendarum carnium licentiam datam, quæ in prima conceſſa non fuerat, ſciat quomodo repudium iuxta eloquium Saluatoris ab initio non dabatur, ſed propter duritiam cordis noſtri, per Moyſem humano generi conceſſum eſt; ſic & eſum carnium vſque ad diluuium ignotum fuiſſe: poſt diluuium verò, quaſi in eremo murmuranti populo coturnices, ita dentibus noſtris neruos, & virulentias carnis ingeſtas.* Hæc ibi, quæ mox inculcat. Sed ea de re alibi diligentius nobis dicendum erit, in ſecundæ ætatis initio.

an.m.1657 n.18. Mat.23.25.

ABEL interea vir ſanctus & iuſtus, hoc quippe eum cognomine Chriſtus Dominus honorauit, maiora in dies ponebat incrementa virtutum, Deo probatus & hominibus, quippe quem iuuabat propter manſuetudinem, cedere potius quàm ſuperare, & iniuriam accipere, quàm inferre. Et quoniam amabilis eſt virtus ipſa per ſeſe, in parente Adamo mirabiles amores excitabat ſui; & vtique debebat in fratre; quippe quæ, ſi quid rectè ſaperet, in eius gloriam redundabat: ipſa tamen lenitas contemptum, & diſſimilitudo morum paulatim auerſionem in malo Caini animo gignebat; quæ facile occaſione data, in inuidiam atque odium capitale prorupit. Cuius hæredes Caiani hæretici, *Cùm tenebrarum ſint amatores*, inquit Epiphan. *& malefactorum imitatores, ipſum Abel odio habent, Cain verò diligunt.* IV.

Abelis ſanctitas.

hæreſ.38.

PERTINERE etiam videtur ad hoc tempus, quo incipiebant Adami filij atque diſcipuli multiplicari, tam agriculturæ quàm architecturæ, cementariæ, atque lignariæ, artium in primis neceſſariarum, praxis & frequentatio, & eorum inſtrumentorum quibus huiuſmodi artes rectè exercentur vſurpatio: Adamo ſcilicet inuentore, atque opifice. Neque enim ille ſcientiam rerum, ſibi à Deo ſingulariter datam peccando amiſerat, non magis quàm nos. Factus quippe eſt per peccatum quaſi vnus ex nobis, quibus ſcientiam peccata non tollunt. Quis autē dubitet in latiſſima illa rerum cognitarum ſylua, primo homini, poſterorum ſuorum magiſtro, diuinitus patefacta; & agriculturam, & mechanicas, ſaltem pleráſque contentas fuiſſe? Certè Caiet. in verba, *Fuit Abel paſtor ouium, & Cain Agricola,* Hinc coniecturam ducit adeo multiplicatos fuiſſe tunc homines, vt opus eſſet grege ouium, & iam ad colendam terram, & excoriandas pecudes, ferrea fabrefacta fuiſſe inſtrumenta, cùm Cain eſſet agricola & Abel paſtor; nec huic ſententiæ aduerſari, quæ de Tubalcaim poſtmodum Scriptura commemorat. Hinc autem efficitur non ignotam fuiſſe Adamo artem ferri conflandi, quidni etiam cæterorum metallorum? Quamquam, vt demus aliquid probabili famæ, ratio conflandi auri & argenti tardius aut quæſita, aut inuenta videri poſſit. Quam famam ſecutus Ouidius, V.

Ex doctrina Adami exercentur artes.

Gen.4.

Et metalla conflant.

l.1.Metam.

——Itum eſt ad viſcera terræ,
Quaſque recondiderat, Stygiiſque admonerat vmbris
Effodiuntur opes irritamenta malorum.

FRVSTRA ergo canebat idem olim in aureo ſeculo, aut prima ætate domus antra fuiſſe. Id enim ſi contigit, ſatis conſtat nō ignorantia, ſed voluntate, aut negligētia laboris contigiſſe. Nec ſatis cōſentanea veritati Vitruuius aut Lucretius * de primorū ædificorū informitate ſcripſiſſe reperietur. Habebat enim illa ætas tātæ ſolertiæ, induſtriæque artificē, cui ſine dubitatione nulla ætas vidit parē. Fuit enim Theodidactos, & ætatē vixit, quæ infinitæ penè experientię par eſſet. Quātùs infra mediocritatem potius, vt in luctu & pœnitentia viuentem decebat, quàm ſupra mediocritatem eum ædificaſſe, aliáque fabricatū eſſe crediderim; nec tamen omnia quæ norat, in praxim, vſúmque reuocaſſe. Progreſſu autem temporis non exiguam Aſtrologiæ, cæteriſque Mathematicis diſciplinis, naturæque contēplationi operam dediſſe nemo iure negauerit; multáque de ſtellis ac planetis, eorum motibus, actionibus, viribus obſeruaſſe, atque annotaſſe. Sed nec his aduerſantur plurimæ variis ætatibus apud varias gentes rerum inuētiones. Nihil enim vetat vnam eandémque rem à pluribus, nihil inter ſe communicātibus inueniri. Ars enim typographica exempli cauſa, multis ſeculis apud Sinas prius inuenta dicitur, quàm apud Europæos. Qua de re conſule Ioſephum à Coſta qui negat Sinarum veras eſſe literas, ſed meras imagines, quæ conceptus exprimant, non voces. VI.

2.✻. l.2.c.1. l.5.

Prima ædificia, Adami occupatione & inuenta.

an m.3.n.1 Georg. Pisides Georg. Monach.

SVB hoc ipſum tempus poſt annum ſcilicet vitæ 50. minimè dubium eſt Cainum vxorē duxiſſe, quàm ſupra ex Epiphan. hereſi 39. Sauen dictam retulimus; eam tamen Cedrenus, & alij Aſuam appellant ſororem natu maiorem. At Toſtatus in VII.

Caini coniugium.

4. Geneseos q. 2. 9. & 10. ex traditione Hebræorum eiusdem vxorem Calmanam vocat [3], quæ eodem quo ipse partu edita fuerit, quod in multis deinceps eodem modo contigerit. Verùm vt dubium sit nomen vxoris, quin tamen soror ipsius fuerit dubium esse non potest, nam aliæ nullæ erant: quod Scriptura maluit à nobis intelligi, quàm à se distinctius explicari.

3. Raderus in notis in Chron. Alexandr. heres. 39. 1.3. August l.1.c.3.

VIII. *Abel an vixerit cælebs.*

IAM quod attinet ad Abelem, maior est de illius coniugio dubitatio. Nam Epiphan. ait Abelem iuniorem occisum à fratre, nondum vxore ducta. Auctor quóque mirabilium sacræ Script. ait Abelem, si longiori tempore vitam produxisset, coniugium initurum fuisse, quippe qui in tempore illius legis viueret, quæ dixit, *Crescite & multiplicamini, & implete terram.* Itaque eum ibid. virginem vocat [4]. Rupertus virginem quidem eum non vocat, sed filios genuisse negat. Certè neque Hieronymus, neque Aug. eum virginem perseuerasse crediderunt. Nam eùm Hierony. l. 1. contra Iouin. virginum ac continentium exempla studiosissimè cōquireret, eáque ex Ethnicorum etiam libris emendicaret; virginitatem in Paradiso celebraret, nuptias terram implere diceret, virginitatem Paradisum; nunquam Abelem in numero virginum, aut continentium collocauit. In quo tamen ponit Iosue, Melchisedech, Eliam, Elizæum, Danielem, & socios eius. Inauditum ergo id erat homini, qui omnia legerat, audiuerat, notauerat, retinebat. August. autem, agens de iis, qui ab opere generandi se abstinuerūt; *Hoc tamen*, inquit, *nemo fecisse ante diluuium reperitur, quandoquidem etiam ipse Enoch septimus ab Adam, qui translatus refertur esse, genuit filios & filias antequam transferretur.* Abelem sine dubio excepisset, si quo modo virginem permansisse existimasset. Non absurdè itaque dici potest Abelem duxisse vxorem, quam Abulensis, Comestor & alij ex Methodio vocant Delboram; sed & filios suscepisse; qui tamen in Scriptura, quæ tota in eius cæde narranda intenta erat, omissi sint; præsertim cùm ij ad lineam Messiæ non pertinerent. Quod si Epiphan. Author mirab. & Rupert. existimassent Abelem centum annos viuendo superasse, (vt postea dicemus, & Rabini aliqui tradunt,) vxorem vtique duxisse faterentur; nec probabile putarent dilectissimum Deo virum, benedictione fœcunditatis, eo tempore priuatum fuisse tamdiu.

4. ☧. 1.4. c.9.

l.15. de Ciu. c.20.

Genebr. l.1 Chron.

SCHOLIA IN ANNVM 50.

N. I. 1.

ADDE quod natura ita comparatum videmus, vt quæ ad maiorem perfectionem destinata sunt, tardius eam consequantur; ita olera prius debitam sibi perfectionem obtinent quàm arbores; in animalibus vt quęque ex genere suo vilissima sunt & imperfectissima, ita quod suæ perfectionis est ocyos assequuntur. Volucris illa hemerobios apud Plinium intra vnum atque eundem diem, nascitur, perficitur, moritur. *Reliquis talium*, inquit idem, *ab initio ad finem septenary sunt numeri, culici & vermiculo ter septeni; corpus parturientibus quater septem: mutationes, & in alias figuras transitus, trinis aut quadrinis diebus. cætera ex his pennata autumno fere moriuntur.* Sic ipse. In domesticis etiam animalibus canibus, felibus, columbis videmus intra vnum circiter annum vim esse producendi sibi simile, quod est certum adeptæ perfectionis indicium. In equis, bobus, asinis tardius id agnoscitur, perfectiora quippe sunt, & diutius natura in illorum absolutione elaborat. In humana specie fœmina prius viro pubescit; & in viris vt quisque maior robustiórque futurus est, ita lētius adolescit. Qui ergo in prima illa mundi ætate non nisi octauo aut nono seculo senes erant, quid mirum si eos dicamus ad quinquagesimum annum adoleuisse? A qua sententia non multum abesse S. Ambros. facile intelligi potest.

L.11. c.36.

l. de Abel c. 5. & 6.

N. VI. 2.

Addo hic verba Vitruuij, si quis ea requirat. Cœperūt in eo cœtu alij de fronde facere tecta, alij speluncas fodere sub montibus: nonnulli hirundinum nidos, & ædificationes earum imitantes de luto & virgultis facere loca quæ subirent. Tunc obseruantes aliena tecta, & adiicientes suis cogitationibus res nouas, efficiebant in dies meliora genera casarum. Et mox. Primúmque furcis erectis, & virgultis interpositis luto parietes texerunt. Alij luteas glebas arefacientes struebant parietes, &c. nōnulla his similia leges apud Lucretium.

l.5.

N. VII. 3.

Laudat Abulensis, propter scriptorem historiæ Schol. Iosephum & Methodium Martyrem, neutrum tamen selegisse, ipse præ se fert, qui Iosephum etiam in paucorum tantum manibus reperiri fateatur, nunc autem vulgo notissimus, nusquam Calmanę aut Delboræ, aut Saue, siue Assue meminisse reperitur.

N. VIII. 4.

Genebrard. l. 1. Chron. ex Irenæo refert Abelem, virginem, Sacerdotem & Martyrem fuisse, ob quas tres dotes, Ecclesia ab Abele incipere dicatur, non ab Adam, qui alioqui ad eam pertinuit, & diuturno, mille fere annorum luctu cœlum promeruit. Verùm id non habet Ireneus; tres illas dotes in Abele prædicat Author mirab. sacræ Script. apud Aug. t. 3. l. 1. c. 5.

ANNVS MVNDI 100. ADAMI, ET 1. ÆTATIS 100. ABELIS ET CAINI 99.

ANTE CHRISTI ORTVM 3953. IVBILÆVS 2. ABSOLVTVS. Genes. 4.

I. *Sacrificia Abelis, & Caini.*

LIBET quoque secundo mundi Iubilæo nonnihil subsistere, vt sacrificiis & oblationibus duorum fratrum attendamus; non quasi nunc primum hoc pietatis munere functi fuerint, sed quod hoc maximè tempore, exeunte scilicet primo ab orbe condito sæculo, quasi secularia sacrificia tam ab Adamo, quàm à filiis eius frequentata videantur; Deo fortasse iam tum religionem quandam in quinquagesimũ quemque annum, sicut & in diem septimum inspirante. Nec credibile est aut Cainum primo statim Abelis sacrificio animaduertisse non esse grata munera sua Domino, fratris autem accepta, ideóque capitali in fratrem inuidia statim exarsisse; aut iram ad triginta circiter annos continuisse; quandoquidem non ante id tempus occisum Abelem suo loco docebimus.

II. *An certo tempore ac loco celebrata.*

DICENDVM igitur videtur, Cainum progressu temporis id obseruasse, obscurius primùm; deinde apertius, postremóque certò cognouisse sibi infensum esse Deum, fratri autem amicum. Inde autem odio quodam in Deum, & æmulatione in fraudem concepta, statuisse ad illum vlciscendum, istum de medio tollere. (hom. 19. in Gen.) Vnde Chrysost. inducit Deum dicentem Caino. *Sed fortè mea beneuolentia hanc illi cædem peperit, & cùm non posses mecum pugnare, in illum indomitum furorem tuum effudisti.* Id scelestum consilium dum animo versat, concidit vultus eius, secutúmque est illud cum Deo colloquium quod 4. Geneseos memoratur. Sed hæc plenius anno sequenti intelligentur, quæ nunc pro ratione temporis delibanda erant.

Quod autem dixi de progressu temporis, aliquo modo ex hebraico textu confirmatur, vbi habetur Cainum à fine dierum sacrificasse, vbi Fagius cum Aben-
1. χ. Ezra dies pro anno sumunt [1], volúntque singulis annis certo & statuto tempore munus suum ad certum locum, qui cultui diuino publico destinatus esset, attulisse; vt ita annua solennitas, qua ad colendum Deum publicè conueniebant, hac locutione significetur. Quod autem de loco dicunt, confirmatur ex Hebræo textus, vbi non dicitur Cain obtulisse, sed attulisse de fructibus terræ. Quamquam adducere pro offerre sæpè in Scriptura sumatur, quod afferrentur ad Dominum,
2. χ. quæ illi in sacrificium offerebantur [2].

Factum est autem, inquit Scriptura, *post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain verò, & ad munera illius non respexit.* Hic vides separata bona inter fratres, quod indicium est, alterum iam eorum, vel vtrúmque separatam sibi familiam cum vxore, & liberis habuisse. Sed vide præterea quo impulsore, vel authore sacrificent, quale sit vtriúsq; sacrificium, ex quo planum erit quare alterum præ altero acceptetur.

III. *Quo authore, Dei ne, an lumine natura, an Adamo.*

(hom. 18. in Gen. l. 2. in Gen. coll. 8. c. 23. 2. 2. q. 85. a. 1.) D. CHRYSOST. in hunc locum semel iterúmque tradit eos nullo alio impulsore venisse, quàm lumine naturali, quo sciebant Deum, etsi nulla re indigentem, nostris tamen muneribus honorandum esse. Idem affirmat S. Cyrillus, & Cassianus, Procopius in hunc locum, & D. Thom. qui ait ex naturali ratione procedere, vt homo sensibilibus quibusdam rebus vtatur, offerátque Deo in signum subiectionis debitæ & honoris; quomodo subditi Dominis suis in agnitionem dominij. *Hoc*, inquit, *pertinet ad rationem sacrificij, & ideo oblatio sacrificij pertinet ad ius naturale, vnde in qualibet ætate, & apud quaslibet hominum nationes semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio.* Et ius quidem naturæ magistrum interiorem agnoscit, sed exteriori etiam non caruisse hosce fratres merito affirmari potest. (in Genes.) Itaque Hugo à S. Victore *Credimus*, inquit, *Deum docuisse Adam cultum*

diuinum, quo eius beneuolentiam recuperaret, quam per peccatum transgressionis amiserat, ipsumque docuisse filios suos dare Deo decimas & primitias. Idem habet D. Athanas. in Epistola de perfidia Eusebij, & in libro super illo, *Omnia mihi tradita sunt*, vt notauit Del Rio, cui meritò assentitur. (in c. 4 Gen.) Lipomanus quoque, & Lyranus, & Tostat. eos putant Patris exempla secutos, gratitudinem Deo de acceptis fructibus protestari voluisse. Cùm autem legamus etiam Cainum Deo sacrificasse, quis dubitabit idem de Adamo confiteri, à quo verbis & exemplis ad omnem virtutem, maximéque pietatem in Deum informabantur? Vide Genebr. in Chron. ex Guillelmo Nangiaco idem affirmantem. (l. 1 Chro. p. 8 fi.)

IV. *Quæ Sacrificij materia.*

SACRIFICII porrò nomine, non victimas pecudum duntaxat accipi oportere, sed terræ quoque fruges, & quidquid Deo offeratur in signum supremi honoris, & venerationis illi debitæ, satis ex hoc loco intelligitur; vbi vtriúsq; oblatio modo munus, modo sacrificium appellatur, consentientibus omnium linguarum codicibus. Et nominatim Cain apud Septuaginta dicitur sacrificasse, quod illi maximè vt primogenito conueniebat. Vnde Tertull. (l. cont. Iudæos c. 5.) *A primordio maioris filij, id est Israel, terrena fuisse in Cain præostensa sacrificia, & minoris filij Abel, id est, populi nostri sacrificia diuersa demonstrata. Obtulit autem*, ait Chrysost. (hom. 18.) *de frugibus terræ sacrificium* (θυσίας tam de Caino, quàm de Abele ibidem crebrius vsurpat) quasi diceret, qualiacúmque obueniebant, nulla ad delectum adhibita opera, vel diligentia.

V. *Quæ in sacrificio Caini desiderarentur.*

S. CYRILLVS l. 2. in Genes. (Cyrillus.) *Ergo sacer ac sapientissimus Abel, quæ in grege suo præstantissima erant, quæque æquissimo animo delecta fuere Deo optimo offerebat; modúmque sacrificandi haud ignorans, adipes quoque apponebat. At Cain non eo modo, sed contra magna cum negligentia offerebat; quæ enim ex tempestiuis frugibus excellentiores essent, suis delitiis reseruabat; quæ verò deteriores haberentur, Deo maximo offerre non erubescebat.* Philo in libello de sacrificiis Abelis & Cain, quem multum sequitur S. Ambros. (Philo. Ambros.) in l. de iisdem fratribus, tria in sacrificio Caini reprehendit, quod tardè obtulerit, quippe μεθ' ἡμέρας, quod non de primis fructibus, quod non optima quæque. *Cæterùm Abel*, inquit, *obtulit Deo nec eadem, nec eodem modo, sed pro inanimis animata, pro iunioribus & secundariis, grandiora & primaria, pro deterioribus integra atque pinguiora. Nam de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum sacrificasse dicitur, iuxta præceptum sacratissimum.* Hæc ipse, vbi videtur, sicut & alibi passim, sola *exemplaria Græca Nocturna versasse manu, versasse diurna.* Proptereáque non animaduertisse; aut notasse geminum Hebraismum de fine dierum; & de primogenitis, & adipibus, id est primogenitis pinguibus, & adipatis. Nam hic quoque Hendiadyn eruditi notant[3]. D. quoque Paulus cùm ait fide plurimam hostiam obtulisse Deo, (3. ✠. Heb. 11. 4.) videtur intellexisse pinguissimam atque optimam, aut pinguiorem ac præstantiorem quàm Cain: quo etiam erat longè superior fide, pietate, & religione in Deum, & venturum mundi Reparatorem. Ex quibus facilè intelligimus, quare alterius sacrificium præ altero fuerit acceptum Deo.

SCHOLIA IN ANNVM 100.

N. II. 1. NOTAT idem Aben-Ezra vocem ימים quod est à יום dies, pro anno sumi vt Leuit. 25. 29. in Hebræo est, *Diebus erit redemptio eius.* Hieronym. *Habebit licentiam, redimendi, donec vnus impleatur annus.* Sic 1. Reg. 1. *Et ascendebat vir ille de ciuitate sua statutis diebus*, in Hebræo à *diebus in dies*, Pagninus, *annuatim*, quod confirmans vulg. v. 7. *Sicque faciebat per singulos annos.* Quæ & plura reperies apud Pagn. in thes. in יום à med.

Ibid. 2. Vide eundem Pagnin. in thes. in radice בוא in hiphil. & nominatim Leuit. 17. 5. *Ideo sacerdoti offerre debent filij Israel hostias suas, quas occident in agro, vt sanctificentur Domino.* in Hebræo habetur, ad verbum: *Propterea vt adducant filij Israël sacrificia sua, quæ sacrificant in agro, & adducant ea Domino.*

N. V. 3. Vt supra, Gen. 3. 16. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos.* Et ita hoc loco accipit Vatablus, Del Rio, alij. Quamquam [illegible] seorsum potuit adipem sacrificasse, quod [illegible] ea in lege præceptum est; quod interpres [illegible] Chaldæi paraphrastæ dixit hic, adipem substantiæ, & adiectiuè sumi posse.

Cæterùm multo est hoc loco ineptior Iosephi oratio de causa cur sacrificium Abel prelatum fuerit diuinitus sacrificio Caini, sed ea de re seorsim postea, vbi de morte Abelis.

ANNVS MVNDI ET ADAMI 130. PRIMÆ ÆTAT. 130. ABELIS 129. ET VLTIMVS, CAINI 129.

ANTE CHRISTI ORTVM 3923. Gen. 4.

EXISTIMAMVS hoc anno Abelem à fratre Caino nefario sce- I.
lere trucidatum, ab eóque primùm mortem reipsa introductam *Hoc anno*
in orbem terrarum. Cùm annum ageret Abel 129. vt qui natus sit *mortuũ esse*
intra secundum Adami parentis annum, vt ibi dictum est. Ante *Abelem.*
autem quã causam, & modum, & effecta illius cædis exponamus,
ratio temporis lectori danda est. Methodius, quem refert Rade-
rus noster in Chronico Alexandrino n. 7. *Anno*, inquit, 130. *vitæ*
Adæ occidit Cain fratrem suum Abel, & fecerunt planctum super eum. Adam quoque & Eua
annis centum. Hæc ibi, non tamen abstinentes à coniugio, vt quidam somniarunt.
Hoc quoque anno Rabini, vt refert Genebr. in Chron. Abelem occisum tradunt,
anno Adami 130. sed addunt de suo illum centesimo vitæ suæ mortuum; quia vo-
lunt eum natum 30. anno vitæ Patris sui, quod supra reiectum est. Idipsum confir-
in 4. Gen. mat ex Scriptura Caiet. vbi agitur de natiuitate Seth, qui cùm dicatur natus cùm
vixisset Adam 130. annis; & à Deo positus & subrogatus in locum Abelis, quem
occidit Cain, videtur proximo anno à morte Abelis natus esse. Si enim suppona-
1. χ. mus, quod merito quisque concesserit, Adamum non abstinuisse coniugio [1], me-
morem illius dicti. *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Neque Euam tam citò
effœtam esse redditam; dicendum est singulis annis eam singulos filios, vel etiam
geminos produxisse; & consequenter Sethum proximo à morte Abelis anno in lu-
cem venisse; alioqui si quis immediatius natus fuisset, de illo, non de Setho dicen-
2. χ. dum fuisset ab Eua, *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain* [2]. Hanc cõ-
l. 15. de Ciu. c. 15. iecturam multis merito probatam, infirmare videtur August. *Potuit quippe Adam,*
inquit, *diuinitus admonitus dicere, postea quam Seth natus est. Suscitauit enim mihi Deus se-*
men aliud per Abel, quando talis erat futurus, qui impleret illius sanctitatem; non quod ipse prior
post eum temporis ordine nasceretur. Sic ipse. At memor esto nos hanc assertionem con-
iecturam vocasse non demonstrationem, nec ea sunt verba Adę, sed vxoris eius, vt
ותקרא patet ex Hebræo fœminino Vattichra, & vocauit, nimirum ea quę peperit. Voca-
uit autem quando ea nomen imposuit, quod mox à natiuitate fiebat.

CAVSA cædis fuit ira, atque inuidia Caini, sed eius occasio obiectum ante- II.
cessit, quod Dominus ad munera Abelis respexisset, ad sua autem non respexis- *Occasio cædis.*
hom. 18. in Gen. set, id est, ait Chrysostom. *Approbasset, laudasset mentem, coronasset voluntatem, & quasi*
quis dicat, facto contentus fuisset. Et infra. *Vult autem dicere quod cognoscere illos fecerit se*
illius approbare voluntatem, huius autem repellere ingratitudinem. Sed vnde scire poterat Cain,
in qq. Heb. inquit Hieronym. *quod fratris sui munera suscepisset Deus, & sua repudiasset; nisi illa in-*
terpratio vera esset quam Theodotion posuit; Et inflammauit Dominus super Abel, & super sa-
crificium eius; super Cain verò, & super sacrificium eius non inflammauit. Ignem autem ad
sacrificium deuorandum venire de cælo, & in dedicationem Templi sub Salomone legi-
mus, & quando Elias in monte Carmelo construxit altare. Sic Hieronymus; quam
in c. 4. Gen. l. 2. in Gen. Theodotionis expositionem probat & sequitur Procopius Gazæus, & alij, no-
minatim D. Cyrillus. *Quamobrem ad munera Abel ignem cælitus emissum consumere*
sacrificium effecit. Ad Cain autem & ad sacrificia eius non respexit, non enim ignem assuetum
oblatis emisit. Nota autem verbum Cyrilli, *assuetum*, propter ea quæ dixi anno mun-
l. 15. de Ciu. c. 7. di 100. n. 1. D. etiam August. idem innuit, cùm ait. *Dubitandum non esse potuisse co-*
gnosci, signo aliquo attestante visibili, Dominum amborum sacrificia discreuisse. Poterat
etiam diuinus in Abelem fauor apparere ex fœcunditate terræ ipsius & pecorum,
qualem Cain videret sibi à Deo minimè concessam, vt notauit Lipom. sed igneũ
3. χ. illud signum propter authorum numerum & autoritatem, merito recipimus [3]. III.
HIC Cain irascitur vehementer, non in culpam suam ad obtinendam veniam, *Ira & in-*
sed in Deum à quo despiceretur, præ minore natu fratre: simúlq; fratri, quem sibi *uidia Cain.*

præferri vidit, diuinum fauorem & gratiam inuidit. Vnde demisso capite quasi cœlum auersarus sibi aduersariun, è sacrificij loco cogitandus abscessit, machinans ac versans animo, & vehementer amplificans malum, quod pridem mente conceperat.

IV. *Diuina Caini correctio.* ET *vide*, inquit Chrysostom. *bonitatis diuinæ excellentiam, & patientiæ magnitudinem. Nam postquam vidit illum supra modum mæstum, & vt ita dicam, à tristitia fluctibus submersum iri, non despexit: sed quam erga Patrem ipsius benignitatem declarauerat, dando illi satisfaciendi occasiones, fiducia ianuam aperiens, & dicens, Vbi es? post grauem illam ruinam. Eandem & nunc benignitatem erga ingratum illum declarat, manum illi, quasi in praceps eunti porrigens, & occasionem prabere volens vt delictum corrigat, ait illi. Quare iratus es? & cur concidit facies tua? nónne si benè egeris recipies, si autem malè statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Quorum verborum, quæ in multas trahuntur expositiones, illa nobis in primis placet, quæ Hieronymo quoque placuit. *Quare irasceris*, inquit, *& inuidiæ in fratrem liuore cruciatus vultum in terram dimittis? Nónne si benefeceris, dimittetur tibi omne delictum tuum, vel secundum Theodotionem, acceptabile erit, hoc est munus tuum suscipiam, sicut suscepi munus fratris tui? Quod si male egeris, illico peccatum* (id est pœna peccati) *ante vestibulum tuum sedebit, & tali ianitore comitaberis. Verùm quod liberi arbitrij es, moneo vt peccatum non tibi, sed tu peccato domineris.* Hæc Hieronymus, & alij de quibus seorsim[4]. hom. 18. in Gen. in qq. Heb. in Gen.

V. *Sed irrita.* HOC *ipsum quod Deus ad Cain locutus est*, inquit August. *eo modo quo primis hominibus per creaturam subiectam, velut eorum socius forma congrua loquebatur, quid ei profuit? Nónne conceptum scelus in necando fratre; etiam post verbum diuinæ admonitionis impleuit? nimirum quia*, vt paulò antea dixerat idem sanctus. *In electis Spiritus sanctus operatur intrinsecus, vt valeat aliquid medicina quæ adhibetur extrinsecus.* Quibus consentiens D. Chrysost. *Vide*, inquit, *post tantam prouidentiam & sui curam, in quantam inciderit insaniam. Oportebat enim conscium peccati sui, in emendando postea occupatum esse. At ille quasi ebrius affectioni & vulneri priori aliud vlcus coniungens, & medicinam tanta diligentia adhibitam non admittens, sed destinatam cædem in opus perducere festinans, à dolo & versutia exorditur, & fallacibus verbis fratrem decipit.* Hæc ibi. 4. X. l. 15. de Ciu. c. 7. hom. 19 in Gen.

VI. *Apparatus ad cædem.* DIXITQVE *Cain ad fratrem suum, egrediamur foras.* Absunt hæc duo verba ad Hebræo, vbi datur intelligi retulisse Cainum ad fratrem suum, quæ illi dixerat Deus. Habentur aut in editione Septuag. quæ licet D. Hieronym. superflua dicat, in Samaritanorum tamen volumine repetiti fatetur. Superflua verò dicit non simpliciter, rectè enim cum sequentibus coniunguntur, sed ratione præcedentium, quæ iis carere possunt: quod intelligi possit Cainum dixisse siue retulisse ad Abelem, quæ Dominus ei dixerat. Quæ est interpretatio Aben-Ezra, Vatabli, Caietani. Eadem verba vt legitima agnoscit, & explicat Philo Iudæus, in lib. quod deterius potiori insidietur. Et post eum D. Ambrosius, & Tertullianus, S. Cyrillus, Procopius, S. Chrysost. & alij Græci Patres. Aliter exponit paraphrastes Hierosolym. vulgatæ nostræ lectionem confirmans, cuius expositionem Fagius retulit. Verba referam, vt ex ore inimici intelligatur quàm meritò vulgatæ adhæreamus, & quàm immeritò Marlotatus in sua catena illum scribat insultare hoc loco editioni vulgaræ, quasi ab aliquo sciolo vitiatæ. Ignoscat lector si pluscula eius verba retulero; inuitus penè facio, vt qui sciam Christum Dominum non permisisse Dæmonia loqui, licet verum de se testimonium proferrent. in trad. in Gen. l. 2. de Abel. c. 8. l. cont. Iudæos c. 5. l. 2. in Gen. in c. 4. Gen. hom. 19. in Gen. Marc. 1. 34. Luc. 4. 41.

VII. *Colloquium Abelis cũ Caino ex paraphr. Hierosol.* ALII *sentiunt*, inquit, *eum amicè, ac fraternè locutum fuisse Abeli, dissimulando odium, quo facilius ipsum in rus pertraheret, atque ita incautum ibi opprimeret. Author paraphrasis Hierosol. hunc locum ita explicuit. Et dixit Cain ad Abel fratrem suum, Veni & egrediamur in agrum. Et accidit cùm egressi essent ambo in agrum respondit Cain. Non est iudicium nec iudex, nec seculum aliud, nec merces bona pro iustis, nec pœna pro impiis. Nec Dei misericordia creatus est mundus, nec Dei misericordia regitur mundus, eo quod suscepta est oblatio tua, cum beneplacito, mea verò non est suscepta cum beneplacito. Respondit Abel, & dixit ad Cain, Est iudicium, est iudex, éstque seculum aliud, merces item bona pro iustis, & pœna pro impiis. Misericordia quoque Dei conditus est mundus, atque misericordia illius gubernatur, vtique propter opera bona gubernatur. Quia enim meliora fuerunt opera mea tuis, suscepta est oblatio mea cum*

beneplacito, tua verò non est suscepta cum beneplacito; cúmque duo isti contenderent in agro, insurrexit Cain contra Abelem fratrem suum, & occidit eum. Hactenus ille.

E x *quibus etiam apparet*, subdit Fagius, *vnde vel Septuaginta, vel vulgata Latina editio desumpserint illud quod ipsi habent, Egrediamur foras, nempè ex paraphraste Hierosolymitano. Quare satis temerè agunt, qui sicubi Latinam illam vulgatam editionem non ad literam per omnia textui Hebraico correspondere vident, exsibilant eam, damnant, reiiciunt, ac penitus explodunt, non attendentes quid, vel quem secutus fuerit eius author. Hoc enim ferè semper deprehendo, quòd si quando à veritate Hebraica dissentire videatur, eum vel Septuaginta, vel Paraphrasim Chaldaicã, vel aliquem ex Rabbinis Hebræorum secutum fuisse; non est ergo temerè nata vulgata Latina editio, vt quidam scioli stultè, & impudenter clamitant.* Sic ipse. Quæ par fuerit audiri à nonnullis Catholicis hebraizantibus, & ab hæretico discere editionem ab Ecclesia Catholica approbatam, si non defendere, certè revereri. Sed meminerit etiam Fagius Paraphrastem Hierosoly- VIII. *Sectatim defendit vulgatam.*
l. 1. de Arcan. c. 3. mitanum longè posteriorem esse Septuaginta interpretibus, & quidem plus ducentis annis, vt constat ex Galatino, vt ineptum sit dicere illos ab hoc quidquam esse mutuatos. Discat etiam ex eodem Paraphraste meritum bonorum operum apud Deum, contra dogmata sui Patriarchæ. Sed nec illud ei concesserim editionem vulgatam illa verba, *Egrediamur foras*, ab isto Paraphraste mutuatam, cùm lieuerit à Septuaginta. Sed omnes ex hebraico textu, in quo habebantur olim, vt Del Rio ex S. Cyrillo refert, vnde per incuriam librariorum exciderint. Li-
in Cat. in Gen. pomanus etiam, vir grauis in primis, *Sunt tamen*, inquit, *ex Hebræis, qui dicant, Origene teste, in eorum arcanis verba hæc, quæ Septuaginta excipientes posuere, haberi, vt propterea de sacro textu censeri debeant, quidquid dicat Lyranus.*

C v m ergo fratres in agro essent, & Abel diuinam prouidentiam propugnaret, alter siue rixæ initium quærens, siue ex ægritudine animi contra Deum lo- IX. *Cædis modus, & instrumentũ.* quens, eam impugnaret, inuasit in incautum Abelem Cain, & percussum occidit. Sed quo telo? Pictores manum eius armant mandibula, authore proprio
homil. 19. iudicio. Chrysostomus gladij meminit. *Quomodo*, inquit, *potuit tenere gladium*, κατέχων τὸ ξίφος, *& intentare plagam.* Et infrà: *Dextram armauit contra ipsum.* D.
l. 4. c. 67. in fine. Irenæus falce occisum significat. At Prudent. in Hamartigenia,

Frater probatæ sanctitatis æmulus,
Germana curuo colla frangit sarculo.

cap. 2. Isidorus libro de vita & obitu Sanctorum, *Abel*, ait, *quem impius Cain, & fratricida nouus, ira stimulante inuidiæ innocuum, ferro mundum, sanguine immaculatum prostrauit: cùm adhuc innocens ferrum cruoris humani facinus non haberet.* Dicatur etiam si placet, ad manum habuisse rusticam aliquam ex agricultura furcam, siue ea lignea, siue ferrea fuerit; quam secum de more sine suspicione tulerit, quam in sanctissimum fratris pectus immiserit, vnde latè sanguis in terram effusus est, quòd Scri-
vt habes v. 11. q. 6. in c. 4. Gen. ptura testatur. Vnde refellitur strangulatio, quam aliqui introducunt. Sed quid facias insanis illis Hebræis, qui volunt Abelem Caini morsibus dilaniatum, vt scribit Tostatus vbi is mauult lapidibus oppressum. Caietanus ex eo quod Scriptura dicit Cainum insurrexisse in Abelem, suspicatur illum ex improuiso inuasisse, cùm iaceret aut sederet, vt faciliùs, & omnino illæsus eum occideret. Addit Iosephus de cadauere, *Interfecit fratrem, & cadauere eius abdito rem clam fore putabat.* Significat, quòd credibile est, nullam eum sepulturæ curam habuisse, id tantùm curasse, vt nusquam appareret, siue in aquas, siue in puteum proiectus, seu lapidibus obrutus. Procopius. *Humo coopertum dicit, ne appareret, sed sanguine facinus proditum fuisse.*

N o n diu lætatus est Cain in scelere suo, si tamen lætatus est, & non statim cõscientiæ tortor affuit; monuerat quippe Dominus, statim in foribus affore pecca- X. *Diuinum criminis examen.* tum. Sed mox etiam affuit peccati absconditi propalator atque vltor Deus; qui salutis nefarij hominis curam gerens, eúmque volens ad culpæ agnitionem adducere, miti oratione. *Vbi est*, inquit, *Abel frater tuus?* in eruditionem iudicum, vt in reos quantumuis criminosos verborum contumeliis abstineant. Quam ver-
homil. 19. borum humanitatem prædicat D. Chrysost. eàque vsum Dominum ait, non vt iudicem, sed vt medicum, & patrem. Et sicut antea erga patrem se gesserat, ita & nunc erga filium eius; vt cum criminis confessione resipisceret. *Ignorantiam*

simulat, inquit, *benignus Dominus hac interrogatione, eum qui talia commiserat præparans, vt ad peccati confessionem adduceretur, possetque veniam, fortè & misericordiam assequi*[1]. 5.χ.
Videtur mens Chrysostomi veniæ quidem illum sine dubio, sed fortasse etiam beneuolentiæ & amicitiæ iteratò participem fore, idque humano more. solent enim homines ignoscere, & tamen non amare: nam Deus simul & veniam largitur, & infundit gratiam. Pergit autem. *Quid igitur ad hæc ingratus & stupidus, temerarius & impudens? Debebat cogitare quod Deus non ignarus rei rogaret, sed ab ipso confessionem criminis exigeret, & nos doceret nunquam, causa non examinata, sententiam contra fratres debere ferri.* Eadem ferè habet Ambros. & Caiet. lib. 2. de Abel. c. 9.

XI. *Responsio Caini, eiusdémque refutatio.* Ex hoc quod nusquam apparebat Abel, poterat Cain audita huiusmodi interrogatione agnoscere crimen suum esse deprehensum; Deo præsertim interrogante, & nihilominus in cumulum peccati sui, & mentitur coram Deo, & superbè respondet. *Nescio*, inquit, *num custos fratris mei sum ego? Extendens*, inquit Irenæus, *& multiplicans malum per responsionem. Etenim si malum est occidere fratrem; multo peius sic audacter & irreuerenter respondere omnia scienti Deo, quasi possit frustrari eum; propter hoc & ipse maledictionem portauit.* At Deus simul & hominem conuincens, & admissi sceleris magnitudinem exaggerans. *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*[b]. Quæ verba eleganter expendunt D. Ambrosius, D. Chrysostomus, & Eucherius apud Lipomanum. Quò allusit Apostolus cùm ait, Per fidem Abelem defunctum adhuc loqui. quid autem diceret ille sanguis, ex Ioanne Euangelista discendum est, qui refert se audisse animas clamãtes voce magna, & dicentes, *Vsquequo Domine (sanctus & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* At sanguis celerem habuit auditorem & vindicem. Sequitur enim. l. 3. c. 36. 6. χ. l. 2. c. 9. homil. 19. Hebr. 11. 4. 12. 24. Apoc. 6. 10.

XII. *Ac condẽnatio, & prima pœna.* NVNC *igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui, de manu tua, cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, vagus & profugus eris super terram.* Homini terreno, cuius crimen terra prodat, & accuset, quæ immanissima cæde nunc primùm violata est, & imbuta impia effusione innocentissimi sanguinis, pœna è terra assumitur, quàm ille magis nunc horreat, quàm spiritualem & æternam. Et primùm pronunciatur pœna vniuersè, quòd futurus sit maledictus super terram, siue de terra vt Hebr. & Septuag. ἀπὸ τῆς γῆς, quasi diceret, terram imbuisti sanguine, terra vltionem de te repetet, & se tibi maledictam, sterilem scilicet, & infœcundam præbebit. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos. Hæc ergo prima pœna est, quam homo agricola vehementer sentiat, vt fructus labori eius parcè, ac malignè respondeat.

XIII. *Alia Caini pœna. Vagari. Profugere.* EAM pœnam altera sequitur, vt sit futurus vagus, alia scilicet ex aliis crebrò loca mutans, siue ex pronitate animi in tædium loci cuiusque, siue quod vnius loci sterilitatem pertæsus, alium atque alium fœcundiorem & labori fœlicius respondentem quærat. Tertia vt sit profugus, fugiens videlicet nemine persequente. Quòd Moyses postea impiis Iudæis comminatus est, propter sceleris cõnscientiam, & internum timorem, quem fallax imaginatio amplificet; timorem, inquam, qui in corpus redundans gemitus excutiat, & tremorem. Nam Septuag. hoc loco habent, στένων, καὶ τρέμων. Vbi Chrysost. *Rursus & hoc maximum est supplicij genus, assiduè gemere ac tremere. Quia enim*, inquit, *abusus es robore corporis, & membrorum viribus, propter hoc continuum hunc tremorem & motum tibi infero. Vt non solùm ipse habeas iugem admonitionem, & memoriam huius nefarii sceleris, sed vt & omnes qui te intuebuntur, viso te, quasi clara illis voce denunciaretur, discant, ne talia audeant*, &c. Ad quæ alludens Procopius in hunc locum. *Quidam tradunt Cainum perpetuo corporis tremore fuisse excruciatum. Membra siquidem eius non firma cohæsisse compage, ob parricidium commissum, cùm robore corporis esset abusus, priuatus est quoque corporis firmitate, adeò vt subinde palpitaret, & tremore quateretur. Non facilè quiuit vel cibum vel potum admouere ori, post impium illud perpetratum facinus. Nec etiam manus rebus necessariis facilè inseruire poterant. Et quamuis sic esset affectus, tamen ineffabilis quadam necessitas ei incumbebat colendi terram. Hæc ita illum vrgebat, vt nullam ipsi à labore concederet quietem, & quòd erat calamitosissimum, cùm terra maledictione violata esset, fructus laboribus non respondebant.* Hæc ibi. Meritò autem credi potest hac quarta pœna tremoris vexatum Cainum, licet id Hebræus aut Latinus textus non habeat, Deo Se- Leuit. 26. 17. *Tremere.* hom. 19. in Gen.

ptuaginta senioribus inspirante id scribere, quòd operæpretium esset nos non ignorare.

AVDITA sententia damnationis suæ reus, eámque iam ex parte sentiens, *Maior est*, inquit, *iniquitas mea, quàm vt veniam merear;* siue, vt est in Septuaginta, *quàm vt dimittatur mihi.* Itaque antiqui omnes Græci Latinique Patres, hæc verba hominis de misericordia Dei desperantis esse profitentur, & ita Hebræi olim censuerunt. Nam Aben-Ezra fatetur se primùm hic peccatum de pœna peccati interpretatum esse, vt sit sensus; maiore me supplicio afficis, quàm vt illud ferre possim; itáque passim recentiores accipiūt [7]. Verùm cum vtramque expositionem verba non inuitè ferre possint, cur libeat à communi Patrum expositione recedere? quàm pluribus noster Del Rio, aliíque persequuntur. Id certè apud omnes constat improbam Caini fuisse responsionem, siue Deum inclementiæ accuset, quòd ignoscere nolit, siue iniustitiæ, quòd maiorem pœnam inferat, quàm pro magnitudine culpæ; cui expositioni etiam fauet, quòd & paulò antè, & deinceps de pœnis agatur; quas peccatores Caino similes magis reformidant quā offensam Dei: magis agnoscunt quàm peccati ipsius fœditatem [8]. Itaque Cain querulus subdit. — XIV. *Impia Caini desperatio.*

7. ✗.

8. ✗.

ECCE *eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra. Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* Quæ verba Diuus Hieronymus sic paraphrasi explicat. *Iuxta versionem Septuaginta*, inquit, *eiicior à conspectu tuo, & conscientia sceleris tremebundus lucem ipsam ferre non sustinens, abscondar vt latitem, erítque, omnis qui inuenerit me, occidet me, dum ex tremore corporis, & furiata mentis agitatu eum esse intelligit, qui mereatur occidi.* Sic ipse. Fortè placeat hæc altera paraphrasis, ex multorum conflata sententiis, propiórque textui hebraico, quem repræsentat editio vulgata. Ecce eiecisti me hodie hac tua sententia à patrio solo, in quo natus & educatus sum; nec audebo sistere me, vt solebam, conspectui tuo, vt sacrificia offeram, quæ tibi esse ingrata perspexi: sed exul ero, nec tamen euadam loci alicuius incola, sed quo me feret impetus, ad notos ignotósque ibo; vnde & continget vt quilibet me, quasi erronem, & ex conscientia scelerum fugitiuum, interficiat. — XV. *Et querela.*

t. 3. ep. 125.

VERVM Deus suam in ipsum prouidentiam verbis factísque demonstrat. Dicit enim illi Dominus, *Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain septuplum punietur;* id est grauissimas pœnas luet, qui scilicet sine authoritate publica, quamuis facinorosum, & reum tanti criminis occiderit. Alia est D. Hieronymi huius loci expositio, quæ verba Domini in eam sententiam trahit, quasi nollet Deus eum compendio mortis finire cruciatus, nec tradere pœnæ, qua se ipse damnarat, sed vsque ad septimam generationem viuere, & conscientiæ suæ igne torqueri, proptereáque grauiter punitum iri, qui eum esset occisurus, qui vitæ fuerat derelictus ad pœnam. Verùm Hebræi ac Latini libri, imò & Græci satis ostendūt Cainum à morte abhorruisse, & ideò à Deo ad eam vitandam signum accepisse. Et D. Ambros. id beneficij loco numerat non pœnæ. *In hoc*, inquit, *reflectere voluit errantem, & beneficio suo inuitare ad correctionem.* — XVI. *Diuina in Cainū prouidentia.*

ep. 125. ad Damasum. q. 1.

l. 2. de Abel.

CÆTERVM ex hoc loco facilè intelligitur vehementer iam amplificatum fuisse genus humanum, vt quocunque profugeret Cain illic homines inuenturus esset, à quibus de vita periclitari posset. Nam de homine agi indicat pœna diuinitùs imposita occisori Caini, quæ in bestiam aliquam minus conueniret, vt notauit Caiet. hoc loco. Neque mirum est intra 130. annos mundi, quando occisus est Abel, vt diximus, multiplicatos fuisse homines, vsque ad multa centena millia hominum, cùm filij Israël intra 215. annos quos in Ægypto posuere, vsque ad sexcenta millia virorum qui arma ferre possint exereuerint, non numeratis mulieribus neque paruulis. Id autem facillimum fuisse intelliges ex progressione logistica Temporarij de filiis Cham. Tametsi Diuus Ambrosius non habens rationem nisi eorum qui nominatim à Moyse ponuntur, ita Cainum alloquatur. *Cur nescis vbi est frater tuus? Soli eratis cum duobus parentibus, inter paucos, frater te latere non debuit.* — XVII. *Amplificatio generis humani.*

. 2. c. 2. l. 2. c. 9. de Abel.

PORRÒ non verbis solùm, sed factis etiam demonstrauit Dominus suam in Cainum prouidentiam, quando *posuit in eo signum, vt non interficeret eum omnis,* — XVIII. *Quod fuerit signum in Caino.*

qui inuenisset eum. Quòd fuerit hoc signum omnes penè exquirunt, & vt in re ad modum incerta, nihil statuunt. Genebrardus ait veteres Hebræos putasse eius fronti impressam vnam literam nominis eius quem occiderat, puta n. Erant ergo iam hebraicæ literæ in vsu, quas Suidas ait à Setho inuentas. Alij volunt notabilem fuisse ex sanguinea & volubili oculorum acie, aspectúque toruo; quæ putant homicidarum indicia & notas. Probabiliorem sentio eorum sententiam, qui timorem, & tremorem corporis inditum diuinitus Caino velint; quoniam id fundamentum habet in versione Septuaginta interpretum, & eam Diuus Hieronymus in dicta epistola amplectitur. *Ipsa*, inquit Theodoretus, *membrorum concussio notum manifestúmque eum reddebat.* Idem probat Eucherius, nec repugnat Rupertus, vbi illudit hebraicis fabulis, in quibus habetur Cainum, cornu in fronte posito, insignem factum esse. Oportuit certè hoc signum externum esse, & aspectabile, quo non tam protegeretur Cain, quàm infamis & execrabilis ob parricidium fieret. At si iam tremore afficiebatur, quomodo posuit nunc Dominus hoc signum in Caino, vt Scriptura videtur exigere? an tremor iam contractus ex culpa, qui ex natura sua exigui temporis fuit, deinceps constans & in signum fuit? Sicut arcus pluuius in cœlo, quem Dominus promittit se positurum in nubibus, qui multis ante seculis in nubibus apparebat, sed deinceps in signum fuit voluntarium, qui antea naturale tantùm erat.

q. 42. in Catena Lipom. l. 4. c. 9.

XIX. *Historia Iosephi de duobus hisce fratribus.*

HACTENVS historia Abelis, & Caini scelus atque damnatio: nunc priusquā ad vlteriora progrediamur, videndum est primò, an aliquid in hac historia à Iosepho de more peccatum sit. tum Abeli antiquorum iustorum coryphæo parentalia iure meritóque celebrabimus.

Hi fratres, inquit Iosephus, *suis quisque studiis intenti erant, Abel iustitiam colebat, & omnibus actionibus suis Deum præsentem ratus, virtuti operam dabat. Cain verò cùm alioquin etiam pessimus esset, lucrúmque solùm spectaret, terram quoque arare primus excogitauit; ac postremo fratrem etiam interemit tali ex causa. Cùm visum eis esset sacrificare Deo, Cain agri & arborum fructus obtulit, Abel lac & primogenita pecorum. Huius sacrificium Deo fuit acceptius, quòd sponte natura genitis constaret, quàm ea quæ homo auarus & industrius, per vim quandam à natura extorserat. Ideò Cain agrè ferens prælatum sibi à Deo Abelem, interfecit fratrem, & cadauere eius abdito, rem clam fore putabat. Quò cognito Deus venit ad Cain, rogans de fratre vbinam esset: multis enim diebus se non vidisse eum, quem reliquo omni tempore cum ipso versari animaduertisset. Tum Cain anxius, nec habens quid responderet Deo. Primùm se quoque demirari ait, quî factum sit quod frater nusquam compareat. Instante verò Deo, & accuratiùs inquirente, iam commotior, negauit se pædagogum fratris, aut rerum eius obseruatorem esse. Tum Deus coarguit Cain parricidij, mirari se dicens quod negaret se quicquam de fratre scire, quem ipse interemisset: Et supplicium quidem quod cæde commeruerat ei remittit, sacrificio placatus, ne grauius in supplicem sæuiret, sed malè ominatus ei, & posteris ipsius, vsque septimam progeniem puniturum se est comminatus, & ex illa regione extorrem vna cum vxore fecit. Illo autem timente ne oberrans in feras incideret, atque ita periret, securum esse iussit, quòd ad hoc periculum attinet, impauidè terras peragrare, & signo ei indito quo nosci posset, abire procul iussit.* Hæc Iosephus, partim ex Scriptura sacra, partim proprio iudicio vt proximo examine docebimus. l. 1. ant. c. 2.

XX. *Examinatur, & arguitur multipliciter.*

EMENDANDVS est primò, quod Cainum dicat primum excogitasse terram arare, quòd ante ipsum genitum Adamus diuinitus didicerat, atque adeò in Paradiso exercuerat, positus quippe in eo fuerat, vt operaretur ibi terram, eámque coleret, sciens vtique ac peritus, non autem vt plantarum tantùm curam gereret, vt supra dixit Iosephus. Et potuit reuera in illo octiduo aliquoties exercuisse. 1.

Emendetur secundò, quod videatur in agriculturam iniquior, eámque auaritiæ tribuere, quàm constat viros bonos sacros prophanósque seculis omnibus constanter adamasse; imò, si superis placet, crimen contra naturam agriculturam putet, quæ segetes per vim à terra extorqueat [9], quæ nemo non videt esse ineptissima, vt quæ putidas quorundam antiquorum nugas iampridem sepultas exumulent, quas non est operæpretium reuocare in lucem. Neque sanè, opinor, est qui credat Deum, qui voluit Adamum in paradiso rationem habere cum terra, vim voluisse afferri naturæ, aut auaritiam suasisse, aut iussisse [10]. 2. 9. ※ 10. ※

EMEN-

3. EMENDETVR tertio, quòd sacrificium Abelis emendare voluerit, & adipem in lac commutarit, vtrobiq; reus, quod lac de suo addiderit, & adipẽ de sacræ historiæ veritate sustulerit: Eúque nocentior est quod lac nunquam inueniatur aut præceptum diuinitus, aut vltro oblatum à piis in sacrificium Domino; adeps autem perpetuo. Eius quippe esus Iudæis prohibitus erat, sicut & sanguinis; sed sanguis effundebatur ad crepidinem altaris, adeps verò igni comburebatur, idque in odium idololatriæ. Nam ethnici libabant sanguinem victimarum, & comedebant adipes, vt ait Diuus Thomas, & probat ex Deuteronomio. *De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.* Vinum ergo pro sanguine ibi positum est; vide & illa, *inebriabo sagittas meas sanguine*; &, *Sanguinem vuæ biberent meracissimum.* Alludit ad eum morem Ezechiel, *Et bibetis sanguinem in ebrietatem de victima, quam ego immolabo vobis.*

XXI. *Iosephus malè mutat sacrificium Abelis.*

1.2. q. 103 a. 3 ad 8 c. 32. v. 38. c. 39. 18. 19.

4. Quartò quod acceptius ait fuisse sacrificium Abelis, quòd sponte naturæ genitis constaret, quàm ea quæ homo auarus per vim quandam à natura extorserat. Quasi vtrumque gratum & acceptum fuerit, cùm constet Caini sacrificium cum autore, aut sacerdote suo inuisa fuisse. *Ad Cain verò, & ad munera illius non respexit.* Solius autem Abelis gratum & acceptum fuisse.

5. Quintò, quomodo lac & pecora sponte genita potius dicantur, quàm arborum poma, sanè non video: nec minor adhibetur à Pastore cura circa pecora, quàm ab agricola circa agrum suum.

6. EMENDANDVS sextò qui non intellexerit, aut certè dissimulauerit causam accepti, reiectique sacrificij, idq; non ex rebus ipsis oblatis, quæ bonæ erant, & sacrificio tunc idoneæ, sed ex offerentiũ virtute à Deo æstimatum esse. Propterea enim Scriptura ait Deum respexisse ad Abel, priusquam ad eius munera: & vice versa de Cain. Quòd tot sancti Patres notarunt. Vnus sit instar multorum Irenæus, qui de Abelis & Caini sacrificiis locutus, ita concludit. *Igitur non sacrificia sanctificant hominem: non enim indiget sacrificio Deus; sed conscientia eius qui offert, sanctificat sacrificium, pura existens: & præstat acceptare Deum, quasi ab amico.* Et paulò ante, *Ab initio enim respexit Deus ad munera Abel, quoniam cum simplicitate & iustitia offerebat. Super sacrificium autem Cain non respexit, quoniam cum zelo & malitia, quæ (ei) erat aduersus fratrem.* Neque hoc in Iosepho valde mirum. Ex illo quippe grege Iudæorum erat, qui opera tantum mala, bonáque in vitio aut laude ponerent; bonam autem vel malam voluntatem neque probarent cæci, neque respuerent, vt alio in loco ex eius verbis apertissimè docebimus.

XXII. *Non intellexit causam reiecti sacrificij.*

l. 4. c. 34.

7. Missam facio frigidam, & ineptam Caini cum Deo loquentis admirationem, cuius nullum est in Scriptura vestigium, sed potius iracundiæ, qua Deum à se penè cum contumelia repulerit.

8. OCTAVO quod sanguinis clamorem, ne is scilicet risum moueret infidelibus, omiserit; simúlque terræ pollutionem per effusionem sanguinis innocentis; totius videlicet tragœdiæ istius ἀναγνώριον. Ea quippe vna re parricidij conuictus est Cain: eáque Deus vti voluit, in homicidij detestationem, cùm aliis eum modis facilè posset sceleris admissi coarguere.

XXIII. *Omisit ἀναγνώριον totius tragœdiæ.*

9. NONO etiam grauius peccat, cùm ait Deum Caino remisisse supplicium, quòd cæde commeruerat. Nam vox illius, siue de obtinenda venia desperantis, siue de grauitate pœnæ conquerentis, & Deum iniustitiæ arguentis satis docent neque illi culpam, neque pœnam fuisse remissam. Sed ipsemet sibi contradicit Iosephus, qui mox dicat Deum execrabilem illum, & maledictum reddidisse. (ἐπάρατον αὐτὸν ἐποίει) pro quo interpres, *malè ominatus ei*, frigidè sanè. Quin & comminatum posteris eius punitionem, vsque ad septimam generationem.

XXIV. *Falsò ait remissum Caino supplicium.*

10. Ex quo etiam 10. notabis Iosephum, ex Græcis etiam codicibus, & non ex Hebræis solis, vt ipse in præfatione pollicebatur, hæc scripta sua esse mutuatum; vt patet ex iis, quæ supra ex D. Hieronymo hunc locum interpretante retulimus.

XXV. *Et Deum eius sacrificio placatum.*

11. VNDECIMO emendandus quod ait Deum eius sacrificio fuisse placatum. Tam falsus placationis modus, quã ficta placatio. Quî enim potuit impij & sanguinarij

hominis sacrificium placere Deo? Si ante fratricidium non placuit Deo sacrifi-
cium eius, quanto minùs postea? nulla interueniente vera pœnitentia, quòd no-
tauit etiam Pererius. Duodecimo, Quòd dicit Cainum sibi à feris timuisse; ob id- l. 7 in Gen. n. 63.
que periculum, Deo querulum fuisse. At potius quam Deus interfectori Caini 12.
comminatus est, vsque ad septimam, vt ipsemet Iosephus ait generationem, non
de feris, quæ talis præcepti, aut minarum non sunt capaces; sed de hominibus, qui
iam plurimi erant, eum locutum esse demonstrat.

Decimo tertio denique, ne singula persequar, falsum est Deum iussisse Cainũ 13.
procul abire, & impauidè terras peragrare; prædictionis tantùm, & permissionis
sunt illa verba; *Vagus & profugus eris super terram.* Et hæc quidem hoc loco cum
Iosepho.

XXVI. *Abelis parentalia.* Ad Abelem transeamus, vt Christi Domini figuram, à sanctis Patribus magno
numero prædicatam. Et vt silerent omnes, res ipsa loqueretur, vt sequens excur-
sus demonstrabit, in quo, ad Abelis nostri funus honorandum, eundem Abelem
& Christum Dominum quasi parallelas lineas componemus; sed quo modo licet
parua componere magnis: quo modo figuræ figuratis rebus, & imagines prototy-
po, & vmbræ corpori respondere possunt.

XXVII. *Magna eius laus, quod Christi fuerit in mysteriis.* 1. ABELIS porrò funus quid magis nobilitare potest, quàm eximia viri san- 1.
ctitas, & innocentia, etiam ipsius Christi Domini ore celebrata? qui eum non
iustitiæ restitutum, vt eius parentem profitemur, quem diuina Sapientia eduxit Sap. 10 a.
de delicto suo, sed iustum appellat; qui in statu natus non iustitiæ & innocen-
tiæ; sed malitiæ, infirmitatis & ignorantiæ, sicuti nos, primam tamen iustitiæ
stolam intaminatam seruauerit; vt meritò illius figura sit, qui Sanctus Sancto-
tum, qui iustitia sempiterna, qui singulari modo & fuit, & appellatus est Iustus,
non solùm primus iustorum vt Abel, sed primus author iustitiæ & sanctitatis.
Ille primus lapis ciuitatis Dei; hic eiusdem ciuitatis fundator & architectus.
Hinc est quod Autor mirabilium sacræ Scripturæ eum vocat totius humanæ l. 1 c 3.
iustitiæ principem, qui in hominum iustitia primatum tenuerit. 2. Abel in 2.
paterno luctu natus est, & toto orbe per Adami præuaricationem in deterius
commutato. Natus est Christus cum toto orbe terrarum, atque adeò in po-
pulo Dei abundaret iniquitas, præuaricatio cuncta consumeret, nullum fi-
nem acciperet peccatum, iusti omnes in luctu essent in terra, & in inferis,
expectantes aduentum eius. 3. Ex prima Eua falsa matre viuentium, verius 3.
morientium, natus est Abel. Ex secunda Eua vera matre viuentium natus est
Christus. 4. Abel pastor ouium, fuit figura verissima illius, qui se dicit pa- 4. 1 Pet. 2. 25.
storem bonum; ad quem nos conuerti oportet, sicut ad pastorem, & Epi- Aug. l. 15. de
scopum animarum nostrarum. 5. Abel aut virgo fuit, aut, quia nulla eius ciu. c. 7. fin.
progenies in Scriptura memoratur, virgo creditus est. At Christus & virgo, & 5.
virginis filius, & virginum immaculatarum sponsus integerrimus, virginitatis
vexillum erexit; angelicæ puritatis zelum, hominibus carne constantibus, nec
secundum carnem viuentibus dedit.

XXVIII. *Nominatim in vtroque sacrificio.* 6. ABEL sacrificium obtulit Deo, proptereàque & sacerdos appellatur in 6.
eodem loco mirabilium; obtulit autem primogenita pecorum suorum, & l. 1. c 3.
adipem eorum. Sacerdos autem & Pontifex Christus seipsum, agnum Dei,
primogenitum virginis, imò & omnis creaturæ, gratia & meritis plenum
obtulit Deo. Et respexit Dominus Deus ad hunc Abelem, & munera e-
ius, tam in cœnaculo, quàm in cruce oblata. *Hostiam puram, hostiam san-
ctam, hostiam immaculatam*, & cætera. Vide etiam Rupertum in hunc locum
Geneseos. l. 4. in Gen. c. 4. & 5.

7. Abelis sacrificium sibi incruentum, secutum est cruentum, quo pro
iustitia martyrio coronatus est. Id sensit Tertullianus, *Habes*, inquit, *hic* 7.
quoque Esaiæ 57. *& prædicationem, & remunerationem martyriorum. A primordio* in Scorpia co. c. 8.
*enim iustitia vim patitur: statim vt coli Deus cœpit, inuidiam religio sortita est. Qui
Deo placuerat occiditur, & quidem à fratre, quo procliuius impietas alienum sangui-
nem insectaretur, à suo auspicata.* Clariùs etiam Autor ille Mirabilium. *In ipso*, l. 1. c. 3.
inquit, *mundi principio, sanguinis sui tripudio coronatus, martyrio arripitur.*

Et infra. *Tota enim iustitia hæc est, Virginitas, Sacerdotium & Martyrium; quæ triplex iustitia in Abel primo fuit, qui & munera Deo placita obtulit, prosapiam generis in seculo non reliquit, & martyrij coronam sanguinis effusione promeruit.* Et mox: *Rectè ergo competebat, vt qui primus in terra iustus eligitur, in eo totius iustitiæ forma seruaretur: cui primo in hominibus post delictum gestare figuram conceditur saluatoris, qui Virgo & Sacerdos, & Martyr esse videtur.* Eundem primum Martyrem appellat Marianus
l.4.c.42. Scotus. Irenæus etiam in eandem sententiam; *Passio iusti*, inquit, *ab initio præfigu-*
l.4.c.67. *rata in Abel, & descripta à Prophetis, perfecta verò in nouissimis temporibus in filio Dei.*
l.12. contra Faust. c.9. & 10. Quæ & alibi inculcat. Diuus Augustinus quoque, Rupertus, Isidorus in Ge-
l.4.c.2. nesim, cap. 6.

8. 8. ABEL innocens, à fratre nocentissimo, per inuidiam, in campo, extra — XXIX.
locum habitationis communis, immatura ætate occisus est. quot verba tot fi- — *Mortisque*
Hebr. 2.11 guræ, totidémque mysteria. Noster Abel *qui peccatum non fecit, nec inuentus est* — *circunstā-*
dolus in ore eius, à Iudaico populo, fratre suo secundum carnem, *neque enim confun-* — *tiæ.*
ditur eos vocare fratres, per inuidiam, ne ipsi quidem Pilato ignotam, extra ci-
9. uitatem eiectus, in ætatis suæ flore, in Caluaria crucifixus est. 9. Abelis sanguis
in terram funditur, & è terra clamorem mittit in cœlum vindictam sceleris
Hebr. 12.24 expetentem. *Accessistis*, inquit Paulus, *ad testamenti noui mediatorem Iesum, &*
Luc.23.34 *sanguinis aspersionem melius loquentem, quàm Abel.* Veniam scilicet postulantem, &
dicentem. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.*

10. 10. ABELE occiso parricida Cain frustra ad pœnitentiam prouocatur, nec — XXX.
tamen occiditur, sed eiicitur à facie terræ, & à conspectu Domini; Et fit *va-* — *Et pœna*
Chrysost. hom. 19 *gus & profugus*; & signo tremoris, non tam ad tutelam, quàm ad infamiam — *parricidæ.*
notatur; dum miserè & corpore, & animo pereat; fratre regna cœlestia pos-
sidente. Iudæi quoque fratris sui Messiæ parricidæ, maxima ex parte obsti-
nati, ad Apostolorum prædicationes obdurucrunt, nec tamen funditus tot bel-
lis & calamitatibus, tam diuturna & generali seruitute deleri sunt. vt implea-
Psal 58. tur illud Dauidis. *Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei. Disperge illos*
in virtute tua, & depone eos protector meus Domine. Eiiciuntur à facie terræ san-
Malac. 2.3 ctæ, in qua sacrificiis Deum sibi olim placabant: & à conspectu Dei, qui
stercus Iudaicarum solennitatum detestatur, irridet lugentem, vagum, profugúm-
que vbique persequitur; & insito timore non miserabilem hominibus, sed exe-
crabilem facit; dum miseri in æternas miserias rapiantur. Vide in hanc senten-
l.2. in Gen. l.4.c.6. tiam D. Cyrillum, Rupertum, Isidorum. Ego hic epitaphium Abelis, quasi à pa-
tente Adamo positum subiicio.

EPITAPHIVM ABELIS

Appensum ad Mausolæum, ab Adamo, in ipso cædis loco, dulcissimo filio excitatum.

QVIS TANTVS HOC LOCO, TAMQVE SONORVS CLAMOR? — XXXI.
ROGAS VIATOR? ADHVC INAVDITVM TIBI PARRICIDIVM
PRIMVM, AC LONGE MAXIMVM, A PRIMOGENITO MORTALIVM AVSV INDIGNISSIMO PERPETRATVM? IVIT IAM CLAMOR COELO, NECDVM IN TERRIS AVDITVS EST TIBI? VIDES PVNICEAS NVNC AC RVBRICANTES, ANTEA GRAMINE VIRIDANTES GLEBAS? NE FALLARE NON GLEBÆ, SED LINGVÆ SVNT; QVÆ FRATERNAM INVIDIAM, QVÆ FVROREM NON REPENTINVM, QVÆ MALITIAM INVETERATAM CLAMENT, QVÆ IMPLACABILI GEMITV PECTORA PARENTVM QVATIANT, QVÆ PATERNOS OCVLOS AD FLETVS QVOTIDIE INTEGRANDOS PROVOCENT, QVÆ REPROBI HOMINIS MENTEM MALAM, ET PRIMÆVÆ CVLPÆ MEÆ MALIGNITATEM DEMONSTRENT.

AT ME MAGIS DECVIT, O DEVS, MORTIS AVTOREM, MORTEM VIOLENTAM AC PRÆMATVRAM PATI. CLAMAT EFFVSVS SANGVIS ABELEM MEVM, GAVDIVM ET LVCTVM MEVM! ABELEM IVSTITIÆ CORYPHEVM, MARTYRII PRINCIPEM, CONFESSORVM PRIMATEM. VIRGINITATIS ETIAM, SI PLACET, ORNAMENTVM. CLAMAT MESSIÆ PRODROMVM, EXPRESSAMQVE VITÆ IPSIVS AC MORTIS IMAGINEM. PRIMVM SVBTERRANEÆ QVIETIS AC DOMICILII CIVEM; QVI LONGO ORDINE VENIENTES IVSTOS COMPLEXV EXCIPIAT SVO, EXPECTANS CVM EIS BEATAM SPEM, ATQVE ADVENTVM GLORIÆ MAGNI DEI. POSVIT MOERENS PATER, CVI A FILIO IVSTIVS POSITVM FORET. ANNO AB ORTV RERVM CXXX. ANTE CHRISTI MESSIÆ ORTVM CIↃ CIↃ CIↃ IↃ CCCC XXIII.

XXXII. *Exilium Caini.* Non videtur longum temporis spatium, inter condemnationem Iudicis, & pœnam rei intercurrisse; statim à lata sententia subdit Moses, *Egressum à facie Domini, habitasse profugum in terra ad Orientalem plagam Eden.* Septuaginta non habent, *habitauit profugus in terra*, sed vt notauit Hieronymus, *habitauit in terra Naid.* Et subdit. *Quod Septuaginta Naid transtulerunt in Hebræo* נוד *nod dicitur, & interpretatur σαλευόμενος, id est fluctuans, & instabilis, ac sedis incerta. Non est igitur terra Naid, vt vulgus nostrorum putat, sed expletur sententia Dei, quòd huc atque illuc vagus, & profugus oberrauit.* Hæc Hieronymus, volens נוד esse nomen appellatiuum, non proprium, vt videntur Septuaginta sensisse, & cum iis Iosephus de more. Et fieri sanè potest vt ille locus postea à Caini profugio ita dictus fuerit: Idque D. Chrysostomus eleganter explicat. Cùm enim dixisset egredi à facie Dei, esse nudari diuino præsidio, propter abominabile facinus, subdit, *Et habitauit in terra Naid è regione Eden; narrat nobis Scriptura locum, in quo postea habitauit, & docet quomodo & hic non procul à Paradiso versatus sit; vt è regione illius existens, continuò memor esset tum eorum quæ patri suo, ob præuaricationem contigerunt, tum magnitudinis eorum, quæ ipse perpetrauerat, propter quæ tanta sibi, neque patris correptione emendato, pœna irrogata est. Et verò locus ille, in quo habitauit perpetua memoria fuit, non illi soli, sed & seculis posterioribus, ob tremorem & motionem; nomen enim Naid hebraica dictio est, & vertitur motio (σάλος) itaque vt crimen illius notum esset, etiam à loco, quasi in columna ærea scriptum, illic eum collocauit.* Sic S. Chrysost. Sed de his hoc loco satis; nonnulla insuper addemus in notis ". cap. 6. in trad. Hebr. in Gen. l. 1. ant. c. 3. homil. 20 in Gen. II. x.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 130.

N. I. 1. RABBINIS longùm delirare permissis, qui luctum Adami, propter Abelis mortem, centum annos attribuunt, quibus ab vxore abstinuerit in valle lachrymarum ad Hebron plorando, donec à Deo per Angelum admoneretur vt ad vxorem accederet; quòd Dominus Christus nollet de semine Caini nasci. quæ refutat Tostatus in cap. 4. Genes. q. 4. & 17.

Ibid. 2. Eam coniecturam probat etiam Perer. lib. 7. in Gen. n. 93. & Torniellus in hunc annum, nec admodum dissentit Del Rio, qui Sethum putat genitum paucis annis post Abelem à Caino necatum. Sed credibilius est Deum minimum distulisse hoc beneficium subrogandi alium in locom Abelis demortui.

N. II. 3. Præter Hieronym. & alios quos retuli, idē refert Del Rio, & alij quos citat, refert nec improbat Vatab. Genebrard. & Fagius, idem referunt ex Hebræorum traditionibus; quin & addunt in illo igne leonis faciem fuisse conspectam, vt adumbraretur leo de tribu Iuda, quod huiusmodi sacrificia typus essent sacrificij Christi, & per eum Deo placerent, qui seipsum veram & vnicam hostiam, pro peccatis nostris oblaturus erat. At Hebræos in ea forma excogitāda puto respexisse ad suum altare holocaustorum; quod vocabant Ariel, quòd in eo leones ad ornatū sculpti essent. Vide Villalpandum nostrū in Ezechielem c. 43. l. 4. c. 76. & Pagninū in Thes. Vide etiā Caiet. Lipom. Oleastr. Perer. Tostat. in hunc locum.

N. IV. 4. Quibus non repugnat Vatablus, aut Caiet. Plura in huius loca expositionem suggeret Lipom. Perer. Del Rio, Tostatus, ego pergo.

N. X. 5. Verba ipsa Chrysostomi sunt, *καὶ δυνηθῇ συγγνώμης τινὸς, ἴσως καὶ φιλανθρωπίας ἐπιτυχεῖν.*

N. XI. 6. In Hebræo est pluralis numerus, vox sanguinum, siue ex propria linguæ dialecto, vt Psal. 50. *Libera me de sanguinibus*, siue ad innuendū, vt Caiet. & aliis quibusdam placet, pluribus vulneribus ex pluribus locis effusum sanguinem; siue vt Onchelos Paraphrastes Chaldæus, ad significandum plurimam po-

posteritatem, quæ exoritura erat ab Abele diu viuente, quæ tota in Abele excisa sit, quãquam ille non vtitur plurali numero; habet enim apud Fagium. *Vox sanguinis familiarum, siue seminum, quæ futura erant, vt egrederentur ex fratre tuo, clamant coram me de terra. Clamare*, inquit Eucherius, *sanguis Abel ad Dominum dicitur, non voce, sed causa. Ac si dicat; Arbitraris me quod gessisti nescire, qui cogitationem quam impiè conceperas inspiciens, ne opere consummares præmonui. Sed ne causeris iniustè me aduersum te proferre sententiam, ego tibi accusationem non infero, sed est testis qui te accusat, vox sanguinis fratris tui, quæ clamat ad me de terra. Id est reatus parricidij, quo terra imbuta est, vindictam à me vehementer expostulat.*

n. XIV. 7. Certè peccatum pro pœna peccati, sæpè in Scriptura legitur, occurrit illud ex Iob 7. 20. *Peccaui*, id est, esto, peccauerim (nam reuera negat se peccasse cap. 13. 28. Si fuero iudicatus scio quod iustus inueniar) *cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?*

n. eodẽ 8. Nec absurdum est veniam de pœnæ diminutione accipere. Quid enim aliud rogabat Iob vir iustus & innocens, & cui Deo teste non erat similis in terra cùm in medio cruciatuum suorum diceret c. 7. 16. *Parce mihi, nihil enim sunt dies mei.* & iterum, *Vsquequo non parcis mihi, nec dimittis me vt glutiam saliuam meam?* Volebat vtique vt Dominus manum suam longè faceret ab ipso, nec eius formidine terreretur c. 13. 21. Sic ignoscere est dimittere pœnam Deuter. 29. 20. & Iosue 24. 19. 20. Nihil ergo prohibet hoc loco veniam de pœnæ remissione accipere.

n. XX. 9. Ἀλλὰ οὐχὶ τοῖς κατ' ἐπήρειαν ἀνθρώπων πλεονεκτηθεῖσι μηνιῶν. *Sed non iis, quæ per vim extorta erant, iuxta auari hominis industriam.* Hæc ibi ad verbum Iosephus.

Ibid. 10. Certè ἐργάζεσθαι, qua voce 70. vtuntur in eo loco, etiam sine additione τῆς γῆς, terram colere significat, idque non infrequens scriptoribus prophanis notauit Eustathius, sicut & ἐπεργάζεσθαι, nec mirum addi vocem γῆν: nam etiam γεωργεῖν eam aliquãdo adsciscit. 1. Paral. 27. 26. Καὶ ἐπὶ τῶν γεωργούντων τὴν γῆν τῶν ἐργαζομένων Ἐσδρί. Vbi vulg. *Operi autem rustico & agricolis qui exercebant terram præerat Ezri.* Sic τὰ ἐργάσιμα loca culta, ἐργατικὸς & ἐργάτης, inquit Budæus, *Operarij rustici, cultores, fossores.* Sed hæc lexicographi viderint. Itaque ἐργάζεσθαι cũ de terra agitur, nemo dubitet esse, terram colere, siue agricolari: & ἐργάζεσθαι παράδεισον, esse agricolam in horto illo, illiúsque non solùm arbores, vt Iosephus ait, sed etiam terram colere, quę cultura potiùs & frequentius indiget, quàm arbores. verbum quoque עָבַד *ghabad*, quo Scriptura ibi vtitur, quod est seruire, ad terram relatum significat eam colere, eique quodammodo seruire operando. Eóque verbo non solùm agendo de Cain, sed de Adamo etiam in eadem significatione vtitur. Genes. 2. 5. c. 2. 15. c. 4. 2.

Caiet. in incerto est vtram magis lectionem probet; Del Rio vtrámque probat, & vt videtur Tostat. cap. 4. q. 9. Lipom. in Cat. c. 4. Perer. l. 7. n. 66. etsi qui alij: quibus libenter assentior. Non tamen interpreti Iosephi, qui Ναΐδ ciuitatem facit à Caino conditam, quod Iosephus non dicit, sed tantùm sedem habuisse Naidem, aut Naide subsistisse. Hinc tamen perspicuum est Iosephum, vt ante monui, historiam suam sæpè à Græcis codicibus, non semper ab Hebræis mutuari. Cæterùm Ναΐδ pro Νὼδ scriptum fuisse, αι, ex ω per imprudentiam scriptoris substituto, Del Rio existimat, admodum probabiliter. Nisi fortè Naid ex נוד vel נע deduci placet, quod vagum significat, sed נד siue cum ו, siue cum ׳ æquipollẽt, vt ait Eugub. in hunc locum. In Gręco autem quidam diphthongum αι dissoluunt, quidam non dissoluunt, & dicunt Ναΐδ, pro Ναΐδ. n. XXXII. 11.

ANNVS MVNDI ET ADAMI 131. PRIMÆ ÆTAT. 131. CAINI 130. SETHI PRIMVS.

ANNVS ANTE CHRISTI NATIVITATEM 3922.

Gen. 4. 25. NVMERABIMVS deinceps annos eorum duntaxat Patriarcharum, in quorum natiuitate certas notas, & sedes suæ Chronologiæ, ad diluuium vsque deducendæ Scriptura collocauit; quo modo numerandum est omnibus, qui certos ac definitos primæ ætatis annos habere volunt, siue Græcam, siue Hebraicam ac Latinam periodum sequantur: Eadémque omnino retinenda lex est à diluuio ad Abrahamum, & inde ferè ad Moysem, & exitum ex Ægypto. Cæterùm cum Scriptura annos duntaxat nominet, nec eos aut inchoantes, aut prouectos, aut absolutos definiat, visum est de absolutis eam interpretari, nisi aut textus ipse, aut ratio temporis aliud exigat, idque plurimorum grauium scriptorum exemplo, & Scriptura nonnihil fauente, quæ de singulis Patriarchis ait vixisse eos tot vel tot annis, & genuisse talem filium, volens scilicet tot annos præcedere istius ge- Num. I. *Ratio Chronologiæ generalis.*

nerationem siue natiuitatem[1]. Quoniam ergo Adamus vixit annos 130. vt ait Scriptura, & genuit Seth, dicemus post elapsos centum & triginta annos natum esse Sethum; & annum primum Sethi esse 131. Adami. Exactè tamen loquendo nouem ante mensibus, in anno 130. Adami genitus est; verùm, vt diximus, generatio pro natiuitate hoc loco sumitur. Ita postea 106. Sethi erit primus Enos; & 91. Enos, erit primus Cainam, & ita de cæteris, alioqui prima ætas non erit 1656. annorum, vt nunc penè omnes affirmant, deserta Græcorum Chronologia. 1. x.

II. *Diuersitas inter Hebræos & Græcos.* SED in hac Sethi natiuitate grauis primùm occurrit controuersia inter Græcos, Hebraicósque numeros. Vbi enim vulgata editio Hebraico textui consentiens, ait Adamum annos natum 130. genuisse Sethum; Græci habent Adamum vixisse 230. annos, & genuisse filium, manifesta centum annorum diuersitate; sed mox sequitur alia discordia, quæ totam vtriúsque numeri summam parem facit. Vbi enim nos habemus, Adamum à nato Setho vixisse octingentis annis; Græci habent vixisse septingentis. Hæc difficultas quia multis aliis annis vsque ad natiuitatem Isaac, communis est, tota differentia ob oculos primum in tabella ponenda, tum diiudicanda est. Præiuit Torniellus, rem tamen valde ac sæpe necessariam nobis quoque duximus delineandam esse, cùm hoc sit totius sacræ Chronologiæ fundamentum, & aliqua in ea supplenda.

230 / 700 / 930 — 130 / 800 / 930

III. *Tabella diuersitatis.*

Generationes. Patrum Series.		Iuxta Hebr. & vulgat.	Iuxta edit. Romanam.	Iuxta edit. Antuer. & Basil.		Iuxta Hebr. & vulgat.	Iuxta edit. Rom. 70.	Iuxta edit. Antuer. & Basil.		Iuxta Hebr. & vulgat.	Iuxta edit. Roma. 70.	Iuxta edit. Antuer. & Basil.
1. Adam	genuit	130	230	. .	vixit deinceps	800	700			930	930	
2. Seth	filium	105	205			807	707			912	912	
3. Enos	sub-	90	190			815	715			905	905	
4. Cainam	scri-	70	170			840	740			910	910	
5. Malaleel	ptum	65	165			830	730			895	895	
6. Iared	annos	162	162			800	800		omnes	962	962	969
7. Henoch	natus	65	165			300	200		vitæ	365	365	
8. Mathusalē		187	167	165		782	802		singu-	969	969	963
9. Lamech	Dilu-	182	188			595	565		lorum	777	753	
10. Noë	uium.	500	500			450	450		anni	950	950	
11. Sem	1656	100	100	2242		500	500			600	600	
12. Arphaxad		35	135			403	300	430		338[a]	435	569
13. Cainam			130				330				460	
14. Sale		30	130			403	330			433	460	
15. Heber		34	134			430	270	370		464	404	504
16. Phaleg		30	330	134		209	209			239	339	343
17. Rheu		32	132			207	207			239	339	
18. Sarug		30	130			200	200			230	330	
19. Nachor		29	179			119	125			148	304	
20. Thare	genuit	130	130			75	75			205	205	
21. Abram	Isaac	100	100			75	75			175	175	

[a] Vulgat. Hebr. verò 438.

[1] De hac codicum diuersitate iampridem plerique disputarunt, vt videre est apud D. August. lib. 15. de Ciuit. c. 11. & 12. vbi hanc ipsam quæstionem accuratè versat, & S. Hieronym. in qq. Hebraicis, Bedam lib. de sex ætat. Et ex recent. disputat Driedo, Tostat. in Gen. vbi & citat comment. sua super Euseb. Peret. & ex eo Torniel. anno mundi 131. 2. x. l. 1. c. 3. c. 1. Gen. q. 1. & seqq. l. 7. n. 131. & seqq. n. 4 & seqq.

IV. *Hebræam siue Latinam Chronol.* ET sanè satis constat plurimos antiquos Ecclesiæ Patres, quibus ferè soli Græci codices noti fuerunt, eos magno consensu esse secutos. A quibus tamen postea duo Ecclesiæ lumina Hieron. & August. quibus Hebraicus textus innotuit, discessere. Hieronymus enim ex Hebraico fonte editionem Latinam molitus est[1]. 3. x.

Quæ nunc editio vulgata appellata, ab Ecclesia vniuersa recepta, summam autoritatem consecuta est. Cui libenter assentimur, & quia necesse est viro Catholico, & quia longè probabiliorem exhibet veritatem. Nam D. August. lo. citat. Græcis codicibus, quatuor maximè ex locis derogat fidem. Primò, quia ex illis sequitur Mathusalem quatuordecim annis superuixisse diluuio. Cùm tamen certò constet eum non fuisse in illo octo animarum numero, quas S. Petrus memorat in Epistola sua. Idque facilè & ab ipso, & à Hieronymo in tradit. Hebraicis ostenditur, & ex tabula nostra demonstratur. Nam ad eius annos 167. qoando genuit Lamech, adde 188. eiusdem Lamech, antequam Noë nascetetur, & sexcentos annos quos vixerat Noë quando superuenit diluuium, inuenies eum ad 14. annos diluuio superuixisse *. Cùm potius dicendum sit ex Hebraicis, Latinisque codicibus, illius mortem in ipsum diluuij annum incidisse. Nam 187. anni ante natiuitatem Lamech, & 182. ante Noë; & sexcenti ipsius Noë, exactè complent totam Mathusalæ vitam. Eadem disputat in hanc sententiam Hieronym. in qq. Hebraicis, & ep. 125. ad Damasc. q. 2. verùm vide quæ infra habentur, anno mundi 875. n. 1.

*[margin: r. eferendi probatur ab August. — 1. Pet. 3. 20. — *. x. — 187 / 182 / 600 / 969]*

SECVNDÒ, quia credibilius sit ab interpretibus erratum fuisse, quàm in ea lingua esse falsum, vnde in nostram pet Græcam Scriptura ipsa translata est. Tertiò, quia non sit probabile Iudæos, dum nobis inuident, mutasse quædam in codicibus suis, vt in nostris minueretur authoritas. Quis enim credat Iudeæorum gentem tam longè latéque diffusam in hoc conscribendum mendacium, vno consilio conspirare potuisse, & dum aliis inuident autoritatem, sibi abstulisse veritatem.

[margin: V. Quæ faciāt pro Hebræa Chronologia. ex August]

Credibilius ergo quis dixerit, vt latius idem c. 13. Cùm primùm de Bibliotheca Ptolemæi describi ista cœperunt, in codice vno erratum esse, ex quo dum cæteri describūtur, latius errorem in codiees omnes emanasse. Primi autem codicis errorem in aliquibus locis casu aliquo & per imprudentiam contingere potuisse, in aliis autem ipsam errandi constantiam, non casum redolere, sed industriam. Nam exempli causa in prima 2. 3. 4. 5. & 7. genetatione, eodem semper modo centum anni adduntur à ptincipio, deinde substrahuntur in medio, vt par summa reperiatur in fine.

Postremo ita coneludit. *Rectè fieri nullo modo dubitauerim, vt cùm diuersum aliquid in vtrisque codicibus inuenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum vtrúmque esse non potest verum, ei linguæ potiùs credatur, vnde est in aliam per interpretes facta translatio.* Quæ autem causa induxerit eum, qui errorem de industria induxit, fusè disputat idem S. Augustinus eodem loco, & suspicatur illum breuiores illos annos Patriarcharum existimasse; ita vt decem ex illis vnus esset ex nostris, quod idem perspicuæ conuincit falsitatis. Sed siue illa, siue alia potiùs errandi causa fuerit, nos vulgatæ editioni, præsertim cum Hebtæa consentienti adhæreamus.

SED iam ad Sethi ortum veniamus. Cui addimus & Enochi filij Cain; quoniam vtrúmque eodem anno genitum ex eo colligimus, quod proximo à cæde Abelis anno, eius iacturam suppleuit Deus, vt supra diximus. Quodque legamus statim à Caini expulsione, quæ anno proximè præcedenti facta est, Cainum cognouisse vxorem suam, eámque eoncepisse & peperisse Enoch. Et fortè in editione vulgata illud, *Cognouit quoque adhuc Adam vxorem suam*, respicit illud antecedens de Caino; *Cognouit autem Cain vxorem suam*, &c.

[margin: VI. Seths & Enochi ortus.]

[margin: c. 4. 25. c. 5. 3.] Potrò de ortu Sethi illud tantùm Scriptura, genitum ab Adamo ad imaginem & similitudinem suam, anno ætatis suæ 130. vocatúmque Seth à matre, vt supra dicebamus, addita etiam ratione nominis.

[margin: in trad. Hebr. Gen. — Græco-Lat p. 185. in elogio Mosis.] POSVIT, inquit, *mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Seth*, inquit Hieron. *propriè שית, id est, positio dicitur, quia posuerat eū Deus pro Abel, sit enim à שית quod est ponere.* E Græcis, Seth alij fundamentum, alij resurrectionem interpretantur. Chton. Alexandrinum. *Seth*, inquit, *fundamentum per interpretationem dicitur. Quia enim Cainus, & tota Caini posteritas aquarum diluuio periit; Abel autem natu minor absque liberis vitam finiit; his posterior Seth fundamentum factus est, ex quo per*

[margin: VII. Ratio nominis Sethi.]

Noë totus terrarum orbis velut à radice, seu fundamento propagatus est. Alij aliò fundamentum trahunt, quia futurus erat fundamentum ciuitatis Dei in terris, loco Abel; inter viuos scilicet, neque enim Abel morte amiserat gradum suum, sed illustrarat. Verùm quia in Græco est ἐξανέστησε suscitauit, alij Sethum maluerunt interpretari resurrectionem quod placuit D. Augustino, & D. Chrysostomo. *Vide quomodo*, inquit, *obscurè nobis hoc verbo resurrectionis exordia hic ostendit. Nam dicebat, quasi diceret aliquis, pro eo qui cecidit, excitauit mihi hunc. Ille*, inquit, *in terram dextra fratris percussus cecidit, & mortis periculum fecit, sed Dei virtus pro lapso hunc mihi suscitauit. Sed quia nondum tempus erat resurrectionis, non lapsum suscitauit, sed alium pro eo.* Vtriúsque tamen vocis eadem est sententia, vt notauit Rupertus, Epiphan. hæres. 34. Sethum interpretatur ἀντιμαγλιὸ, id est compensationem.

l. 15 de Ciu. c. 17. & 18. init. hom. 21. l. 4. in Gen. c. 12.

VII. *Sethus Adami consolatio.*

DATVM diuinitus hunc filium Adamo ad eius consolationem, docet S. Chrysostom. *Deus*, inquit, *volens solari Adamum, qui non solùm ob suam transgressionem adeo mœrebat; sed & ob flagitium Caini luctum grauissimum habebat, eo quod viderat mortem suis oculis (neque enim mortis speciem scierant, tametsi lata esset sententia) vnde duplex eorum ac triplex luctus est factus, quia & primum viderunt mortem in vitam introductam, & violentem mortem, & à filio perpetratam; & in fratrem eodem patre, eadémque matre natum, & qui in nullo nocuerat. Volens ergo benignus Deus parem pro tristitia afferre consolationem, alium illi dat filium.* Hæc Chrysostomus. At, inquies, alios quoque filios Adamo consolationem eodem modo afferre potuisse. Respondeo, propterea hinc colligi, vt supra dicebamus, Sethum Abelis morti immediatè successisse. Ideóque Chrysostomus ibidem, semel atque iterum vocat ortum Sethi, ταχεῖαν παραμυθίαν, acceleratam parentum consolationem. Deinde in hoc maximam Patris lætitiam, præ cæteris filiis constare, quia per hunc vnum recta linea Messias mundi perditi restaurator venturus erat in mundum; & in eiusdem semine, vt paulò antè dixi, genus hominum in diluuio conseruandum, & deinceps propagandum erat.

hom. 21. anno Abel. vit. n. 1.

VIII. *Generationes Cain.*

CAIN porrò, vt ante dixi, eodem ferme tempore genuit Henoch, codem cum patre Mathusalæ nomine in omnibus linguis. De filio autem Caini cæterísque vsque ad Lamech nihil tradit Scriptura. *Vt doceret nos*, inquit Chrysostomus, *quod generationes illas, quasi reprobas factas, neque memoria posthac dignetur. Sed ex Seth, qui nunc illis natus est, quasi de integro genealogiam orditur.* In eandem sententiam Augustinus. *Noluit spiritus Dei in terrenæ ciuitatis generationibus tempora notare ante diluuium; sed in cœlestis maluit, tanquam essent memoria digniores.*

n. 6. hom. 21. in Gen. l. 15. de Ciu. c. 15.

IX. *A primogenitis à Scriptura recenseantur.*

NON est autem credibile Henoch fuisse primogenitum Caini, aut illum ab vxore vsque ad 130. annum abstinuisse; sed omissis cæteris, quos ante vel post Enochum genuit, illius tantùm Scriptura meminit, ex cuius posteris natus est is, qui vltus est parricidium Caini. Sic etiam non est existimandum aut Sethum vsque ad 105. annum caruisse liberis, aut Enos vsque ad 90. aut Iared vsque ad 162. aut Mathusalem vsque ad 187. aut denique Noë vsque ad quingentesimum: Sed quemadmodum postea dicantur genuisse filios & filias; ita & ante valde credibile est genuisse, atque adeo necessarium, cùm Cain tam maturè ex filiis ac nepotibus congregauerit ciuitatem. Neque enim alios Adæ filios, aut nepotes, cùm extorri & quasi excommunicato Caino communicasse credendum est. Qua de re fusiùs disputat D. Augustinus in Ciuit. Dei. Causa autem cur isti nominatim à Scriptura recenseantur, est quia per illos generatio recta linea vsque ad Noë, Abrahamum, Iacobum, Iudam, Dauidem, Salomonem, Christum producta est, cùm aliæ omnes familiæ tam Caini, quàm cæterorum filiorum Adæ, atque adeo Sethi ipsius, exceptis iis, qui ab Enos descenderunt, in immensum, per annos 1656. propagatæ, diluuio funditus interierint.

l. 15. c. 8. & seqq.

X. *Iosephus lapsus.*

NOTA interim Iosephum in hoc Caini filio dupliciter argui posse, primùm quia eius nomen cum filio Sethi confundit, quæ nomina in Hebræis, Græcis, Latinis, Chaldaicis codicibus valde distinguũtur tam significatione, quàm voce. Deinde quia illum vocat liberorum Caini natu maximum, quod paulò antè refutatum est, & reprobatum à D. August. Tostato, aliisque passim. Sed & illud

l. 15. de ciui. c. 8. in c. 4. Gen. q. 12.

notare possumus Iosephum scripsisse Sethum anno Adami 230. natum, cum Septuaginta; non 130. cum Hebræis, quos se fideliter sequi, non satis fideliter asseruit.

SCHOLIA IN ANNVM ADAMI 131.

N. I. I.

GENERATIONEM enim pro natiuitate sumimus, vt Genes. 29. 32. & 34. dicitur Lia concepisse tertio, & genuisse alium filium, id est peperisse: nam subdit, *eo quod ei peperrim tres filios*, & ibidem textus Hebræus, Græcus & Chald. pro genuit, habent, peperit. Eodémque modo Gen. 16. 1. scribitur Saram non genuisse, aliæ linguę habet non peperisse. Sic etiam Genes. 21. 3. c. 22. 20. 23. c. 30. 20. c. 36. 4. 5. 14. c. 44. 27. c. 46. 15. Leuit. 18. 9. c. 22. 27. Num. 11. 12. c. 26. 59. Iudicum 8. 31. 2. Reg. 12. 24. c. 21. 8. 3. Reg. 3. 21. c. 11. 20. & alibi. Nec tamen ita desipimus, vt velimus Adamum peperisse Sethum: sed dicimus generationem pro natiuitate positam, quia in enumeranda successione non fit mentio fœminarum, propterea neque partus, neque natiuitatis, sed eius locum subit generatio.

N. III. 2.

Ex his quæ habes in hac tabella patet Hebraicam & Latinam Chronologiam habere à mundi ortu ad diluuium 1656. annos. Græcam autem 2242. aut potius 2262. vt in 1. anno Lamechi, n. 1. & Schol. 1. dicemus, itaque abundat annis 587. aut etiam 606.

Rursus à diluuio vsque ad ortum Isaac, in nostris habentur anni 450. & cum biennio diluuij vsque ad ortum Arphaxad 452. in Græcis autem cum eodem biennio, 1332. itaque superant 880.

Pono autem, quod suo loco perspicuè docebimus, Abrahamum anno patris 130. natum, non autem 70. vt plerique putauere.

Omisimus autem hoc loco annos secundi Cainam, quos tamen anno post diluuium 38. docebimus non esse omittendos.

Itaque addendo 30. annos pro hoc Cainam Hebraicæ & vulgatæ Chronologiæ, fiunt anni ab orbe condito, vsque ad primum Isaaci exclusiuè 2138. in Græcis autem 3574. differentia tota est 1436. annorum.

Græcæ Chronologiæ numeri aliquot confirmantur ab Augustino l. 15. de ci[●] c. 10. 11. 13. Iosephi autem Chron. l. 1. c. 3. tota mendosa est, vt docebimus in anno 1. Abrahæ. n. 8.

N. IV. 3.

Hoc ponimus quasi indubitatum, Hieronymi esse editionem Vulgatam, idque pluribus atque eruditè docet præfatio ei præmissa, & D. Hieron. in singulos pene libros præfationes, pro qua re fusè & eruditè disputauit Eugub. in libello de eo arg. sed & commentaria eius præferunt interpretationem ipsius tam in Prophetas quàm alios libros. Et sanè qui attendat ad stylum bibliorum Latinorum, si quis neget eum esse Hieronymi, oportet non legisse Hieronymum. Non sic viri eruditissimi, & linguarum scientissimi Leo Castrius in Esaiam, Andreas Masius in Iosue, Pagninus in Thesauro, Arias montanus in biblijs regiis, Baron. in an. Christi 231. Bellarm. l. 2. de verbo Dei c. 9. & ibi Gretser. Del Rio in Gen. reg. 3. & alij qui ab istis celebrantur. Nec fere modo qui repugnent reperies, præter sectarios.

N. IV. 4.

Nam 167. 188. & 600. summam exhibent 955. quo tempore reuera adhuc 14 annis aberat diluuium, & totidem fines vitę Mathusalem. At Septua. anno Mathusalem 955. ponũt diluuium, ex quo sequitur, Mathusalem ei 14. annis superuixisse.

167.
188.
600.
955.
969.
955.
14.

ANNVS MVNDI ET ADAMI 150. PRIMÆ ÆTATIS, 150. IVBILÆVS. SETHI 20.

ANTE CHRISTI DOMINI ORTVM 3903.

Gen. 4. 17. — I. *Prima omnium ciuitatum Enochia quando condita.*

AEDIFICAVIT *Cain ciuitatem, vocauítque nomen eius ex nomine filij sui, Henoch*, siue Enochiam. Quo autem potissimum anno hæc prima mundi ciuitas à Caino condita fuerit, nemo certo definire potest, cùm id Scriptura tacuerit, nec vlla extent Moysi antiquiora monimenta; & Moses in hac prima ætate mundi, obiter duntaxat, & quasi aliud agens res impiorum attigerit. Abulensis negat eam à Caino conditam immediatè eo tempore, quo recessit à parentibus suis orientem versus, vt placuit aliquibus, quibus visum est genitum Enochum cùm ciuitas conderetur, vt ea occasione ab illo nomen acciperet, sed potius circa septimam generationem, cùm iam admodum succreuisset hominum multitudo. Alibi autem idem Tostar. negat cũ ad finem vitæ suæ ciuitatem hanc condidisse, sed circa annum vitæ suæ trecentesimum, vel quadringentesimum [1]. Priorem sententiam non planè improbat S. Augustinus; quia non putat Enochum fuisse Caini primogenitum. *Quod tamen si concedatur, non ideo putandum est*, inquit, *tunc à patre conditæ ciuitati nomen eius impositum*

q. 11. in 4 Gen. Torniel. an. m. 133. n. 2.
q. 12 in Gen.
[1] l. 15. de ciui c. 8.

quando natus est, quia nec constitui tunc ab vno ciuitas poterat; quæ nihil est aliud quàm hominum multitudo aliquo societatis vinculo colligata. Sed cùm illius hominis familia tanta numerositate cresceret, vt haberet iam populi quantitatem, tunc potuit vtique fieri, vt & constitueret, & nomen primogeniti sui constitutæ imponeret ciuitati.

II. *Circa tertium Mundi Iubilæũ.* VERVM quoniam credibile est Cainum multorum iam non solùm liberorum, sed etiam nepotũ ante Henoch parentem factũ fuisse, centum & triginta annorũ spacio, aut certè centũ & viginti, si placet 30. annos tribuere pubertati, nullo modo existimo vsque ad tertium, vel quartum, nedum quintum seculum expectandum esse ad initium ciuitatis huius: mallémque ad aliud potius extremum declinare. Vt tamen mediam quasi viam sequamur, in tertium mundi Iubilæum illam distulimus, quo Henoch pueritiam egressus, patrem comitari studiosius, eiq; ita placere cœperit, vt illius nomine conditam recens ciuitatem insigniret. Innuit id S. August. *Nec illud*, inquit, *necessario argumento vt primogenitum patri existimemus Henoch, quod eius nomine illa ciuitas nuncupata est; non enim ab re est vt propter aliquam causam, cùm & alios haberet, diligeret eum pater cæteris amplius.* Hanc etiam dilationem suadet, quod conueniat illam Dei prophetiam per satis multum temporis veram comprobari; *Vagus & profugus eris super terram.* Certè Iosephus ait eum multas regiones, cum vxore, & reliqua scilicet familia, emensum esse. Nimirum sæpè loca ob sterilitatem, aut ferarum incursus, aut animi inconstantiam, aliámve causam commutando. l. 15. de ciui. c. 8. 2. 9. l. 1. c. 2. antiq.

III. *Causæ denominatæ, & conditæ ciuitatis.* NON à se, inquit Del Rio, *quia nomen ipsius omnibus inuisum, sed à filio, in quo cupiebat memoriam sui conseruari vocauit Henochiam.* Et D. Chrysost. *Hominibus factis mortalibus studium fuit, vt immortalem suam memoriam facerent, partim ex filiis quos generabant, partim ex locis quibus filiorum nomina imponebant.* hom. 20. in Gen.

1\. Causas conditæ ciuitatis referre possumus duas, alteram ad inditum à Deo metum propter admissum scelus; quem illa verba significant, *Omnis qui inuenerit me, interficiet me*; cùm ergo timeret, ac fugeret nemine persequente, receptaculum sibi construxit, ac suis. Fortassis etiam tutum se à feris præstare voluit, quæ Dei instinctu homicidam persequebantur.
2\. Altera fuit vt eo congereret quæ per vim ac latrocinia ipse, suique congregarent. Hæc videtur Iosephi mens, cùm de Caini moribus, post Abelis cædem, & pœnam ipsi à Deo inflictam, loquitur. l. 1. ant. c. 2.

IV. *Quæ de Caini moribus Iosephus.* CÆTERVM *tantum abfuit*, inquit, *vt hac castigatione in melius vitam mutauerit, vt peior etiam sit factus, suis voluptatibus cum aliorum iniuria indulgens; & facultates domesticas per vim ac rapinas accumulans, accitis vndecunque latrociniorum, & nequitiæ sociis, magister illis ad facinorosam vitam est effectus. Ad hæc simplicem hactenus viuendi rationem excogitatis mensuris & ponderibus immutauit; pristinamque synceritatem ac generositatem, ignaram talium artium, in nouam quandam versutiam deprauauit, primus agrorum terminos fixit, vrbémque extructam, & communitam, coactis in vnum domesticis ac clientibus inhabitandam tradidit, Enosa nomine imposito, ab Enoso liberorum natu maximo.* Hæc Iosephus.

V. *Examinatur eius latrocinia.* QVEM reprehendit Abulensis, ficta enim putat ista Caini latrocinia, duplici ex causa, tum quia in terra quam inhabitabat, nemo manebat nisi de semine ipsius; non sit autem probabile ipsum in filios suos tyrannidem exercuisse: tum quia licet prædari voluisset, nihil erat tunc quod prædari posset, cùm rapinæ fiant de bonis mobilibus, pecunia, supellectile; quæ tum nulla, aut pene nulla erant. q. 12. in c. Gen.

Verùm pro Iosepho dicere possumus, Cainum non filios suos, sed fratres Adamo genitos, corúmve filios, ac nepotes: à quibus non tantùm habitatione secretus erat, & quasi diuina sententia excommunicatione separatus, sed etiam conuersatione, conuictu, amicitia, moribus, latrociniis vexare potuisse, nocturnis, diurnísque excursionibus in eos insiliendo; ac quæ sibi grata erant vi aut fraude auferendo. Nec deerat rapinis materia, terræ fruges, arborum fructus, ramenta & greges pecorum, eorúmque pelles ac lanæ, rustica insuper ac domestica supellex. cuius conficiendæ scientissimum fuisse Adamum nemo rectè dubitarit. Hanc autem scientiam totis centum & quinquaginta annis, quibus paradiso exulabat, non reuocasse in praxim, probabile non est.

VI. *Separatio Cainitarũ à cæteris.* NON tamen Iosephum probauerim, cùm ait acciuisse vndecunque latrociniorum ac nequitiæ socios, quod ille è vulgaribus Sicariorum moribus mutuatur, primæ illius ætatis parum memor; nam tales tunc nulli erãt, nisi apud ipsum. Om-

nes enim homines tunc bifariam diuiſi erant, alij cum Adamo viuebant, omnes
Gen. 6. Dei iuſtitiæque cultores, & propterea filij Dei à Scriptura appellati. Alij à Caino
geniti cum ipſo morabantur, nec vlla erat inter eos, vt dixi, communicatio,
vſque ad diluuio vicina tempora, quando eorum conſuetudine illis ſimiles effe-
cti, eadem cum illis eluuione impliciti perierunt. Theodoretus enim agens de
q.47 in Gen. Setho, & filiis eius; *Illi igitur*, inquit, *tanquam pij, & boni, cognominati ſunt filij Dei. Se-
paratum enim erat genus Sethi, & non permiſcebatur cum cognatione Cain, propter illatam ei
in c.4. Gen ab omnium Deo maledictionem.* Et Procopius ei conſentiens ait non fuiſſe contracta
matrimonia inter Sethi & Caini liberos, tametſi iſti illos pellicere non ceſſarent.
hæreſi 39. Nec alia eſt Epiphanij ſententia.

NEC illud probauerim quod Caino vitio vertat excogitata pondera, menſu- VII. *Inuentio ponderum & menſurarum.*
3. ✠. ráſque, poſitos agrorum limites [3]; quaſi id ſynceritatem vitæ violarit, & verſutiam
4. ✠. induxerit, nam neque id Caini inuentum, ſed Adami crediderim [4]: nec inſtru-
menta, quibus ſuum cuique reddatur magis improbanda, quam iuſtitiam ipſam
putem. Nec diuinam imitationem arguendam exiſtimem, quam ſcimus omnia
Sap.11.21. diſpoſuiſſe, *In menſura & numero & pondere.* Et ſanè ſi quando hæc vſui non erant,
eo tempore non erant, quo amicorum, imo fratrum, ſub eodem patre viuentium,
erant omnia communia. Poſt ſeparationem autem potuit eadem vitæ ſimplicitas
apud Adamæos perſeuerare. Inter Cainitas autem, apud quos illud valebat.

Ouid. 1. Meta. ——*Fratrum quoque gratia rara eſt.*

In remedium auaritiæ, ac fraudum rectè potuerunt pondera, & menſuræ vſur-
pari: quæ tamen iam ante omnia commercia vſurpabantur, & omnino quando-
cunque, *Meum & Tuum* introductum eſt.

QVO porro loco Enochia fuerit condita, non conſtat; niſi à parte orientali VIII. *Enochia vbi condita.*
Gen.4.16. Paradiſi terreſtris, quandoquidem eò ſeceſſiſſe Cainum memorat Legiſlator. Ideo
qui in Meſopotamia illum conſtituunt, Henochiam in Aſſyria collocant, vt Ge-
nebr. in Chron. Ioannes Annius, vir ex ſuppoſititiis libris notiſſimus, in notis ad
Beroſum ſuum circa Libanum montem eam confidenter collocat, additque ſuo
tempore etiam ruinas fundamentorum illius oſtendi ſolitas, atque ab incolis vo-
cari ciuitatem Cain. Atque id ait ſe ex peregrinis, qui in Libano, & Damaſco
Peter.l.7. n.73. verſati erant, accepiſſe. Iſidorus, etiam ad Indos transfert.

IN ea ciuitate quaſi reges dominatos fuiſſe ſeptem illos qui à Scriptura de pro- IX. *An dominata regibus.*
l.15. de ciui c.20. genie Cain numerantur, ſuſpicatur Auguſt. nec dicit quid factum ſit, vt quibuſ-
Torniel. an.133. n.2 dam viſum eſt, ſed quid fieri potuerit. Credibile autem non eſt Cainum, qui vſ-
que ad ſeptimam progeniem produxit ætatem, tam modeſtum, atque ab ambi-
tione alienum fuiſſe, vt filiis ac nepotibus imperio cedere voluerit: Niſi fortè illi
ſe mutuò per vim atque arma regno extruſere. Neque enim ſoli, aut primo Achil-
Hor, in arte. li quadrat illud, *Iura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.*

DE Sethi porro inſtitutione puerili, quæ in hoc tempus cadit, hæc tantùm ha- X. *Inſtitutio Sethi.*
l.1.c.3. antiq. bet Ioſephus. *Hic à patre educatus, vbi eo ætatis venit, vt iam quod rectum eſt diſcernere
valeret, virtutis ſtudiis ſe totum dedidit: & cùm ipſe vir optimus euaſiſſet, etiam nepotes ſui
ſimiles poſt ſe reliquit.* Sic ipſe. Et ſanè par erat eum qui ſanctiſſimo Abeli à Deo
ſubſtitutus eſſet, qui ſecundum Adamum, Eccleſiæ Dei, & Ciuitatis Sanctorum
caput erat, qui Chriſti Domini figura, etiam vitæ rudimenta ac fundamenta po-
nere, quæ tali faſtigio reſponderent. Corpore quoque vehementer auctum eſſe
credere par eſt, ſi Methodio credimus, qui eum gigantem vocat, vt refert Rade-
rus in chronico Alexandrino, & n.5. refert è fragmento cuiuſdam Chronici ex Pa-
latina bibliotheca Sethum 40. anno ætatis ſubito raptum ab Angelo, & 40. die-
bus non fuiſſe viſum, eóque tempore diuinitus didiciſſe filios ſuos peccaturos, &
mundum aquis inundatum iri, ac præter paucos periturum. Venturum etiam
ſalutis authorem Chriſtum, eáque parentibus expoſuiſſe. In illo autem cum An-
gelo congreſſu cœleſti ſplendore circumfuſum, quem per reliquam vitam tenue-
rit. Quæ non ſine cauſa veretur Raderus ne ex Sethianorum Hæreticorum libris
excerpta fuerint, qui raptum ferebant Sethum, vt refert Epiphan. hereſi 40. quæ
eſt Archonticorum.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 150.

N. I. 1. DEL Rio putat ciuitatem conditam multis post Henochum natum annis, cùm iam quingentorum vel amplius annorum esset Cain; quod Perer. habet l. 7. in Genes. n. 70. idque tribuit D. August. qui id non dicit. eius verba in textu referimus.

N. II. 2. Quod ibi Iosephus ait de Naide à Caino condita, aut eius potius interpres, consule quæ dixi ann. m. 130. n. 32. & in Schol. n. 11.

N. VII. 3. Videtur alludere ad illa Poëtica ætati ferreæ attributa,

Communémque prius, seu lumina à Solis & auræ,
Cautus humum longo signauit limite mensor.

Nedum Phidonis Argiui, cui mensurarum & ponderum inuentionem tribuit Plin. l. 7. c. 56. aut Palamedis vt maluit Gellius, alius scilicet ab authore noctium atticarum, qui posterior fuit Plinio qui illum Gellium citat. Vide eundem l. 18. c. 34. sed potuerunt illi rerum alibi iam excogitatarum, suis in locis esse inuentores. N. VII. 4.

ANNVS MVNDI ET ADAMI, 180. PRIMÆ ÆTATIS 180. SETHI 50.

ANTE CHRISTI NATIVITATEM 3875.

1. *Coniugium Sethi.* NON inuenimus, sed elegimus hunc annum Sethi quinquagesimum, quem ipsius coniugio probabiliter dicaremus. quod erat tempus florescentis ætatis, aut si placet, maturescentis primorum illorum patriarcharum, quorum senectus vix post nongentos annos in vitæ huius stadio decursos perueniebat ad metas. Nec nimiũ distulisse putabir, qui credet Genebrardo in ortu Malaleel dicenti hac ætate non nisi circiter septuagenarios procreasse. Eius coniugem Azutam vocat Epiphan. ipsius Sethi sororem, & quidem, vt non nemini placet, eodem partu genitam. Cedrenus eam vocat Asuam, sed satius est Epiphanio assentiri, eum Georgio Piside, & Georgio Monacho; vide Raderum nostrum in annot. in Chron. Alexandrinum. Cæterum de hisce coniugiis vide eundem Epiph. ibid. & August. *hæres. 39.* *l. 15. de ciu. c. 16.*

ANNVS MVNDI, ET ADAMI, ET PRIMÆ ÆTATIS, 200. 4. IVBILÆVS. SETHI 70.

ANTE CHRISTI ORTVM 3853. Genes. 5.

1. *Eius filij priores Enos.* HOc quarto Iubilæo, & altero mundi seculo exeunte, cùm Septuagesimum annum ageret Sethus, multos iam natos illi fuisse liberos arbitramur. Neque enim Enos, qui primus & solus in Scriptura de Sethi filiis nominatur, primogenitus dicitur. Et rectiùs, opinor, assentiemur Augustino, dicenti sibi credibilius videri, primogenitos filios non commemorari à Scriptura hoc loco, sed quos successionis ordo poscebat, vt perueniretur ad Noë, à quo rursus ad Abraham videmus esse peruentum; quam R. Kimchi, qui ab Adam vsque ad Noë vno Seth excepto, omnes primogenitos fuisse dicit, vt refert Genebr. in Cainan. *l. 15. de ciui. c. 15.* *inic l. Paralip.*

ANNVS

ANNVS MVNDI ET ADAMI, 236. PRIMÆ ÆTATIS 236. SETHI 106. ENOS 1.

ANTE CHRISTVM 3817.

Gen. 5.6. VIXIT *Sethus centum & quinque annis, & genuit Enos*, vt Moses scriptum reliquit. Verùm si meminerit lector nos annos numerare absolutos, vt anno mundi 131. diximus, facilè intelliget primum Enos esse centesimum sextum Sethi, sicut primus ipsius Sethi fuit 131. Adami; Sicque nos nihil Mosaicæ Chronologiæ repugnare. Iam quod ad nomen attinet, habemus eum à patre appellatum Enos, quæ vox hominem quidem significat, sed vt linguæ huius peritiores affirmant[1], hominem miserum & ærumnosum, aut *virum dolorum & scientem infirmitatem*; vt de Messia dixit Esaias. Quod videtur referendum ad afflictiones, quas tum Sethus cum suis, Cainitis patiebantur; quas suspicari possumus, ex innata malis aduersum bonos antiparhia; referre non possumus, sic perpetuum seculis omnibus deinceps fuit, vt probos improbi variis modis diuexarent. A diuina quippe prouidentia decretum est, vt non sine lucta, in eius famulatu suscepta, brauium obtineamus, nec sine certamine triumphemus. Posuit enim æternam fœlicitatem *coronam iustitiæ, quam reddet nobis Dominus in illa die iustus iudex.*

(Left margin: Gen. 5.6. — n. 2. — 1. χ. c.53.n.3. — 2.Tim.4.8.)
(Right margin: I. Enos ortus, & nomen.)

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 236.

IN quibos Paulus Fagius in paraph. Onch. c. 4. Del Rio in Genes. & Pagnin. ipse in Thes. qui deducit ab anasc. quod est dolere, vnde fit אנוש cum quinq; punctis. quod omnibus diebus vitæ suæ doleat, vt Ps. 9. 21. sciant gentes qui homines sunt. Tigur. vertit, mortales. inde fit etiam אנוש 1. Dolor est afflictio. Cæterùm quod D. August. l. 15. de ciuit. c. 17. ita Enos distinguit ab Adam, vt licet vtraq; vox hominem significet, prior tamen vtrique sexui communis sit. Enos autem soli viro cōueniat, *Vt periti linguæ illius asseuerant*, inquit. At Pagninus, vtique inter peritissimos commune esse affirmat. Vt Psal. 8. 5. *Quid est homo quod memor es eius?* & Ps. 103. 15. *Homo sicut fœnum dies eius*, vtrobiq; est Enos, & tamen ad vtrūque sexū pertinet, nec magis Adā de sola muliere dicitur, quàm Enos. Sunt qui hanc vocē ab inuocatione, alij ab obliuione deducant, vt rursum aliquanto post dicendum erit. Certè Euseb. l. 11. de præp. c. 4. ita vtrāmque vocem hominem significare ait, vt Adam, quod in homine terrenū est, Enos, quod rationale significet.

(Left margin: אנוש.)

ANNVS MVNDI, ET ADAMI, 250. PRIMÆ ÆTATIS, 250. IVBILÆVS 5. SETHI 120. ENOS 15.

ANTE CHRISTVM 3803. Genes. 4.

HVNC annum quinti Iubilæi absoluti elegimus, in quem referremus, illa Scripturæ verba, non minus ad laudem Enos illustria, quàm ad intelligendum obscura; *Iste cœpit inuocare nomen Domini.* Cùm enim singulos annos Iubilæos notandos censuissemus; & hic quintus in annum Enos 15. caderet, quo anno radij luminis naturalis, & diuini clarius emicare incipiunt, existimauimus in re incerta, non temerè hoc inuocationis initium, quod memorat Moses, ad hoc circiter tempus reuocari posse. Ex quo illud etiam consequimur ne tot annos vacuos tetum, hac prima ætate transcurramus.

ILLA porro Mosis oratio multiplicem ingerit difficultatem, primùm in editione vulgata, in qua istud inuocationis initium refertur ad personam inuocantem,

(Right margin: I. Ratio temporis. — II. Quomodo intelligenda, inuocatio Enos.)

quod in Hebræo ad tempus relatum est. Secundò apud Septuaginta interpretes,
apud quos legitur, *Hic sperauit inuocare*, non cœpit; inter spem autem, & inuocationis initium non modicum est discrimen. Tertiò in Hebræo textu, qui apertè ad hoc tempus refert initium inuocationis Domini; habet enim, tunc cœptum est inuocari in nomine Domini. Quod tamen iampridem ab Abele & Caino sacrificantibus, imo ab auis Enos, Adamo, & eius coniuge, atque eiusdem parente Setho vsurpabatur. Quartò in Chaldæa paraphrasi, in qua Onchelos sententiam horum verborum in contrarium vertit, quasi scriptum esset, tunc profanata est inuocatio nominis Domini. Habet enim ad verbum, *Tunc in diebus eius inceperunt filij hominum, vt non orarent in nomine Domini.* Quæ nobis, quantum licebit elucidanda, & concilianda sunt.

III. *In editione vulgata.*

An ergo dicendum est Hieronymum in editione vulgata declarationis causa dixisse, *Iste cœpit*? Nam si tempore ipsius cœptum est, satis intelligi datur, id ab ipso viro pio, atque insigni initium accepisse. An potius ad nomen Enos allusũ est, vt passim toto libro Geneseos fieri cernimus, quod significet inuocantem, vt ait homo minimè Hebraicè imperitus Abulens. in hunc locum; quod cùm à patre deuotè in Dei cultu educaretur, inuenerit orationes aliquas, quibus Deum inuocaret, & alios ad eãdem orandi rationem institueret. (c. 4. in fi.) Quin nec ab eo videtur alienus Hieron. vbi agens de voce Enos, significante hominem: *Et pulchrè*, inquit, *quia hoc vocabulum habuit, de eo scriptum est, tunc initium fuit inuocandi nomen Domini.* (in trad. Heb.) Certè Oleaster, Hebraicæ linguæ bene peritus, ingenuè fatetur significationem huius nominis neque sibi, neque Hebræis plenè notam esse; proptereà non mirum est, si Eusebius in Præp. Euangel. אנוש ab obliuione deducit, ex illo Dauidis loco, *Quid est homo quod memor es eius?* allusione ad נשה quod est obliuisci. (l. 11. c. 4.) Vertitque Ἐνὼς, ἐπιλήσμονα. (Psal. 8. 5.) quamquam ea allusio potius est, vt dixi, quàm interpretatio. (an. m. 236. & in Schol.) Itaque certior est ea notatio, quam supra ex Pagnino retulimus.

IV. *In Græca.*

Iam quod ad Græcam Editionem attinet, hic sperauit, agnoscitur à Theod. & Aug. qui vtebatur editione vulgata è Græco versa, sicut & Hieron. in trad. Hebr. (q. 47. in Genes.) D. Chrys. & Greg. Nazian. in oratione ad eos, qui facto morbo essent impliciti; (l. 15. de ciu. c. 18.) apud Eug. Itaque si mendum hic aliquod irrepsit, vt nonnulli suspicantur, certè perantiquum est. (hom. 20. in Gen.) Aquila enim apud Theod. l. c. sic olim vertit hunc locum, τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι κυρίου, *Tum ceptum est vocari in nomine Domini*, ex quo hũc elicit sensum Theod. (loc. cit.) *Subindicat*, inquit, *sermo ille, quod propter pietatem primus hic diuinam appellationem sortitus est, & à cognatis vocatus est Deus, vnde & qui ex eo nati sunt, vocati sunt filij Dei. Quemadmodũ & nos à cognomine Christi Domini nostri nuncupamur Christiani.* Sic ipse, cui consentit Proc. in Gen. D. Cyrill. (nisi quod tribuit Enos, quod Theod. attribuit Setho parenti eius) D. Chrys. Eusebius Emesenus in catena Lipomani. (l. 2. in Gen. hom. 22.) Verùm huic expositioni, quæ recentioribus etiam nonnullis placet, non satis quadrat textus Latinus, aut Hebraicus, qui palam loquuntur de inuocatione Domini, non de appellatione Enosi, aut Sethi. Ideóque Aquilæ versio, vt propior Hebrææ, ac Latinæ, alteri Græcæ videtur præferenda.

V. *In Hebraica, & Latina.*

At quomodo verum est quod habetur Hebraicè, tunc cœptum est vt inuocaretur in nomine Domini. Caiet. existimat Deum quidem antea inuocatum fuisse, & sacrificiis honoratum, non tamen inuocatum sub nomine tetragrammato יהוה quod primus Enos fecerit. A qua expositione non videtur abesse Rupertus, cũ ait, *Enos dictum cœpisse inuocare nomen Domini, qui creatorem Deum cum hoc ipso nomine, quod est Dominus, primus inuocauit.* (l. 4. c. 11.) Verùm in Exodo significatur id nomen primùm reuelatum Moysi. Alij putant facta secretione proborum ab improbis, Enos quasi primogenitum, sacerdotij officio functum esse. (6. 7. 3.) At quis illis concesserit Enos esse primogenitum Sethi? (Fonseca apud Caiet.) quasi is totis centum & amplius annis liberis caruerit? aut illum ipsum Sethum non prius hoc functum officio: aut primogenitos tantùm hoc munus exercuisse? certè Abel sacrificauit, nec tamen primogenitus fuit.

VI. *Expositio maximè probabilis.*

An fortè Enos id cœpisse dicitur, quod maiore pietate ac studio fecerit. quomodo Noe dicitur cœpisse exercere terrã, quia maiore quã ante studio atq; industria. Vnde subditur plantasse vineam. Non enim ante eum quisquam in vno loco vites digesserat, & ex iis arte vinum expresserat. Et rursum dicitur de Nembroth, ip- (Gen. 9. 20. Gen. 10. 8.)

ſe cœpit eſſe potens in terra; potentes vtique fuerant gigantes ante diluuium, ſed
4. Reg. 10. 12. iſte ingenioſius cœpit exercere tyrannidem poſt diluuium. Sic in diebus Iehu
cœpit Dominus tædere ſuper Iſraël, quando ſcilicet is, qui aſſumptus fuerat ad
ruinam domus Achab, & Idolorum eius, cœpit & ipſe idola colere. At iampri-
1 Reg. 15 & 11. 1 Reg. 8. 7 dem pœnituerat Dominum, quod conſtituiſſet Saülem regem. Et apud Samue-
lem ex huiuſmodi tædio querebatur, *Non enim te abiecerunt ſed me, ne regnem ſuper*
1. χ. *eos*[1]. Sic ergo Enos dicitur cœpiſſe inuocare, id eſt, vt ait Sà, palam colere, ſeu ex-
cellentius quàm vulgus ſoleret; prædicando verbi gratia, vel certas cæremonias,
& precum formulas adhibendo, ex inſtitutione patris ſui, quæ videtur expoſitio
l. 7. n. 98. l. 4. c. 11. omnium maximè probabilis, éſtque Lyrani, Abulenſ. Peter. Lipom. in Cat. Del
Rio, Vatab. & Rupert.

PARAPHRASIS denique Chaldaica, & quicúnque Hebræi volunt hoc loco dici — VII. *In Chaldaica, quæ improbatur.*
cœpiſſe prophanari, aut pollui nomẽ Domini per idololatriam; eo quod Hebræa
2. χ. in qq. Heb. vox הוחל huchal eam quoque interpretationẽ admittat[2], reiiciuntur à D. Hier. &
recẽtioribus Burgenſi, Oleaſtro, Pererio, Del Rio, Fagio, qui etiã refert, Complu-
tenſem editionem illius paraphraſ. cum Hebraico textu conuenire, ſed textus
quoque Latinus & Græcus eam repudiant, in quibus illa homonymia locum non
habet, nec inuenias aut inuocare, aut ἐπικαλεῖσθαι in deteriorem partem ſumi. Nec
quicquam probat qui Burgenſem hac in re improbat, qui etiam ex D. Thoma il-
lam expoſitionem refellit, quod idololatria ante diluuium introducta non fuerit.

ET quia non deſunt, qui hoc maximè paraphraſte nixi, inuectam iam hoc tem- — VIII. *Non exortam hoc tempore, neque ante diluuium idololatriã.*
pore in mundum idololatriam putent, age ipſos breuiter idoneis teſtibus refella-
3. χ. mus, D. Cyrillus Alexandr. l. 1. contra Iulian.[3]. *Homines ſanè*, inquit, *qui ab Adam
vſque ad Sem fuere, Deum omnium natura & vere vniuerſorum conditorem & Dominum co-
luerunt; nullus enim eorum arguitur, quod diis alienis fuerit deditus, vel immundis dæmonibus
obtulerit. At poſt diluuium, & conſtructionem turris, & linguarum diſcretionẽ etiam de Deo in-
dignam habuerunt opinionem, qui per vniuerſam terram diſperſi erant.* Et rurſum alio lo-
l. 3. contra Iul. v. finẽ. co. *In ſacris autem literis nullum omnino inuenimus, qui per illud tempus*, ab Adam vſque
4. χ. ad Noë ab illo decimum[4], *idololatriæ criminis fuerit implicitus. Accuſantur enim de aliis,
& pereunt, non fruſtra inducto diluuio.* Sic ipſe, qui pergit deinceps oſtendere, neque
l. 5. c. 29. l. 1. recog. Clem. à filiis Noë inductam idololatriam niſi poſt aliquot ſecula. D. Irenæus ait errorẽ
commentatorem idolorum à diluuio fuiſſe; temporibus autem Noë nequiſſimam
fuiſſe generationem dicit, non tamen idololatram.

D. PETRVS in recognitionibus Clement. *Quartadecima verò*, inquit, *generatione,* — IX. *Probatur ex Patrib.*
ex maledicta progenie (Cham) *quidam propter artem magicam primus aram ſtatuit, dæmo-
nibus honorem ſanguinis litans. Quartadecima generatione primum omnium homines ido-
lum ſtatuentes adorauerũt.* Epi. ſub initium Panarij, ait tẽpore Sarug, qui fuit proauus
Abrahæ incœpiſſe inter homines idololatriam, & Græciſmũ: idémque repetit in
l. de idol. c. 4. Anacephalæoſi. Tertullianus ſcribit Enochum, quem Apoſtolus Iudas ſeptimũ
ab Adam appellat, prædixiſſe *omnia elementa, omnem mundi cenſum, quæ cælo, quæ ma-
ri, quæ terra continentur, in idololatriam verſuros dæmonas, & ſpiritus deſertorum angelorum,*
c. 15. *vt pro Deo aduerſus Dominum conſecrarentur.* Et mox. *Denique idem Henoch, ſimul & cul-
tores idoli, & fabricatores in comminatione prædamnat.* Et rurſus inferius. *Hæc igitur ab
initio prouidens Spiritus ſanctus etiam oſtia in ſuperſtitionem ventura præcecinit per antiquiſſi-
mum Propheten Enoch.* Hæc ibi Tertul. Ex quibus intelligitur idololatriam tempo-
ribus Enoch ſeptimi ab Adamo, nondum exortam fuiſſe, ſed superuẽturam præ-
dici: nedum nunc ſub Enos, qui ab eodem Adamo eſt tertius, eandem idolola-
c. 23. & vlt. triam viguiſſe credendum ſit. Denique Lactant. l. de falſa religione, inuentionẽ
idololatriæ ad Belum Saturni æqualem refert, quæ eſt communis multorum ſen-
5. χ. tentia vt ſuo loco dicetur. quem clarum eſt multum, poſt diluuium extitiſſe.

CÆTERVM qui idololatriã, Noetico diluuio antiquiorẽ faciunt, nihil pro ſe af- — X. *Quæ contra faciant, refelluntur.*
ferunt, quod ſpeciẽ aliquam habeat probabilitatis. Philo quidẽ ille τῶν βιβλικῶν
22. q. 94. a. 4. Vide Replicam Correct. Burg. in fi. c. 4. l. antiquit. biblicarum, ait tempore Tubalcain cœpiſſe homines ſculptilia facere,
eadémq; adorare. Verùm oportet hunc Philonem probare nobis antiquitatẽ ſuã,
priuſquã credamus antiquitatibus eius. Ratio autẽ D. Thomæ quã illi impugnãt,
cõtrouerſiã hanc dirimere nõ poteſt. Non enim ſi infirma ratione probatur idolo-
latriã ante diluuiũ non fuiſſe, ideo dicendum eſt eam impietatem iã tum viguiſſe.

Contrarium enim idoneis testibus confirmatum est. Quanquam nec D. Thomæ ratio adeo infirma est, vt quidam putant. Ait enim in prima ætate non fuisse idololatriam, propter recentem memoriam creationis mundi, ex qua adhuc vigebat cognitio vnius Dei in mente hominum. At, inquiunt, si memoria recens creationis exclusit idololatriam per mille & sexcentos annos: memoria seueræ punitionis per diluuium, debuit eam excludere adhuc per plures annos, quod tamen non fecit. Addūt etiam punitionem non minus valuisse ad testimonium de vero Deo præbendum, & ad memoriam eius renouandam, quàm creationem. pœnam enim vulgò meminerunt potius quàm beneficium, & ea potius homines, quàm benefactis in officio continentur.

XI. *Confirmatur ratio D. Thomæ* RESPONDERI potest hoc esse verum cæteris paribus. Verùm mundi productio, & creaturarum omnium, plenius loquitur Creatorem, quàm diluuium; cùm illæ permaneant, earúmque testimonium lumine naturæ confirmetur; & nihil inter homines magis illa prima ætate decantatum esset, quàm mundi creatio. At diluuium cito præteriit, & secum abstulit eos, qui potuissent eius pœnæ maximè meminisse, reliquit aliquos, qui beneficij conseruationis facilius obliti sunt; facta maiore, quàm ante diluuium, hominum per terras omnes dispersione. Quo pertinet illud Lactantij, fontem erroris, Dei obliuionem esse. Nam quod Cassianus ait, posteros Sethi post communicata coniugia cum filiabus Cain, ex iis curiosas maleficiorum artes atque præstigias, ac magicas superstitiones didicisse, quibus docebantur vt sacra illa cultura diuini nominis derelicta, vel elementa hæc, vel ignem, vel aëreos dæmones venerarentur, & colerent. Hæc, inquam, Cassiani oratio, non potest tot grauiorum authorum testimoniis præponderare, & magiam potius idololatriæ cognatam[6], quam idololatriam probat; eámque non publicam, sed priuatam. Denique etiam magiæ inuentionem passim ad Zoroastrem scriptores sacri, profanique referunt. Quod autem Enoch apud Tertullianum inuehitur contra idololatras qui seruirent lapidibus, & imagines aureas facerent, nihil aduersarios iuuat. cui enim in promptu non est illa responsio, Enochum Prophetam esse, ideóque de futuris, quasi de præsentibus prophetico more disseruisse, quod confirmatur ex eo quod nominatim superstitionem circa ostia venturam præcinebat, vt paulò antè retulimus[7].

Lib.c.1. Collat.8. c.21.

6. x. l. de idolol.

Num. 8.

7. x.

SCHOLIA IN ANNVM 250.

N. VI. 1. HVc etiam nō malè retuleris illud Tob. 10.3. vbi de Tobia & vxore ipsius dicitur, cœpisse ambos flere. at constat ex c.5.t.23. eos dudum ante sæpe fleuisse calamitates suas, atque adeo absentiam filij sui, sed tunc ex noua causa flere cœperunt; quod filius eorum ad præstitutam diem non reuertisset.

N. VII. 2. Notauit Fagius hoc loco huchal significare incipere, interdum etiam prophanare, & hoc posteriore modo videri acceptam vocem illam à paraphraste. Idem reperies in Thesauro Pagn. in Rad. חָלַל in coniugatione hiphil.

N. VIII. 3. In Græco manuscripto sic habetur. οἱ μὲν οὖν ἐξ Ἀδὰμ, καὶ μέχρι τοῦ Νῶε γενόμενοι ἄνθρωποι, θεὸν ἕνα τὸν φύσει, καὶ ἀληθῶς τὸν ὅλον δημιουργὸν, καὶ κύριον τετιμήκασι. διαβεβαιοῦται γὰρ οὐδεὶς εἰς θεοποιΐαν ... ἑτέρας, ὃ ... τὸ σέβας ἀναθεῖς, &c.

Ibid. 4. Id spatium fuit bis mille ducentorum & 42. annorum, vt ibid. habetur tam in Græcis quàm Latin. libris, qui numerus exactè conuenit cum Chronologia Græcorum, vt habes super anno Mundi 131. n.3. addit porro Cyrill. hoc ipso loco, nulli prorsus ex filiis Noë idololatriæ notam inustam reperiri, nisi porro nongentis & quadraginta duobus annis exactis, & vndequaque dispersa posteritate Noë.

N. IX. 5. Hic interim assero Cyrillum eodem l.3. contra Iulian. versus finem. *Primus*, inquit, *regnauit in Assyriorum terra vir superbus & arrogans Arbelus, qui & primus hominum dicitur à subditis nomen deitatis accepisse.* In Græco est, αὐτὸς ἀλαζὼν καὶ ὑπέροφρος ἄρα βῆλος, ὃς καὶ πρῶτος ἀνθρώπων λέγεται τὸ τῆς θεότητος ὄνομα παρὰ τῶν ὑπὸ χεῖρα λαβεῖν. Interpres legit ἄρβηλος, vtique mēdose: planéque illud ἄρα otiosum est, sed & mox vbi in Græco habetur, εἶτα βήλου γίγνεται ὁ Νῖνος υἱὸς, vertendum est, deinde Beli filius natus est Ninus, non Arbeli, vt idem habet.

Idololatriæ cognatam artem magicam præter ea quæ ex Cassiano retulimus, asserunt alij antiqui patres, D. Basil. in c.2. Esaiæ, ait idololatriam, & id genus instituta Gentilia à Magia, & diuinationibus ortum duxisse, quarum principatum tribuit Zoroastri Epiphan. init. lib. contra hęreses, & Plin. l.30. c.1. Theophilus Alexand. Episcopus Epistola Paschali secunda, (quam vertit Hierony. & habetur tom.3. Bibliothecæ Patrum) sub finem. *Nullas*, inquit, *Origenis patrocinium habebit vires, quia Christus magorum præstigias suo delenis aduentu. Respondeat nouæ impietatis assertor, imo aperte audiat, si non est malum ars magica, non erit malum & idololatria, quæ artis magicæ viribus nititur. Quod si malum est idololatria, malum erit & ars magica, ex qua subsistit idololatria.* N. XI. 6.

Hæc ibi. Tertullian. quoque lib. de Idololatria c. 9. magiæ & idololatriæ cognationem pluribus oſtendit. Si ergo teſte Baſilio idololatria ex magia ortum ducit, & hæc multo poſterior eſt diluuio, quomodo illa diluuium antecedet?

N. xi. 7. Hac de tota materia idololatriæ præter eos quos retulimus, vide etiam D. Cypr. in orat. cont. idola. Athanaſ. tractatu de vanitate idolorum, Clementem Alexand. in oratione adhortatoria ad gentes, & Iuſtinum in parænetica. Denique quod propius rem noſtram attingit D. Auguſtinus l. 16. de ciu. c. 10. affirmare non audet ante diuiſionem linguarum genus humanum alienatum fuerit à vero Dei cultu, quanto minùs id de tempore ante diluuium, quando hominibus erat vnum idémque labium, ſiue idioma credimus fuiſſe affirmaturum?

Cæterùm de ortu idololatriæ in Græcia, quam Euſebius Cecropi tribuit, qui Moyſi coæuus fuit, ſuo tempore dicemus. Vt de eius ortu in Aſſyria anno mundi 2000. Nini 4. n. 5.

ANNVS MVNDI ET ADAMI 300. PRIMÆ ÆTAT. 300. IVBILÆVS 6. SETHI 170. ENOS 65.

ANTE CHRISTI ORTVM 3753.

in 6. Gen. TERMINATVR hoc anno tertium mundi ſeculum, & ſextus Iubilæus. Vbi rerum ipſarum defectu, nudas temporum notas ponimus. Si tamen liberet audire R. Salomonem, huc referre poſſemus Oceani inundationem, quam dicit in diebus Enos contigiſſe, quæ tertiam mundi partem perdiderit, vt hoc quaſi præludio maioris caſtigationis à ſuis ſceleribus mortales reſipiſcerent. Quæ res parum videtur probabilis. Quis enim credat Scripturam rem tantam præterituram fuiſſe, quæ pœnam Caini non prætermiſerit, licet ea ſexta poſt generatione contigerit. Adamum potiùs credidetim pro ſua in mortales omnes autoritate, in diebus iſtis, imò ſeculis hiſce nouem, præconem fuiſſe iuſtitiæ, vt Cainitæ Dei vindictam reformidarent, qui tam ſeueram ipſe Dei manum eſſet expertus. Nam huc pertinet quod Ioſephus ſcripſit, Adamum generalem rerum interitum præcinuiſſe, vnum incendio, diluuio alterum. I. *Adamus iuſtitiæ præco. 6. Iubilæus.*

l. 1. ant. c. 2. extremo.

ANNVS MVNDI ET ADAMI 326. PRIMÆ ÆTAT. 326. SETHI 196. ENOS 91. CAINAN 1.

ANTE CHRISTI ORTVM 3727. Geneſ. 5. 9.

NOLI mirari, lector, ſi primum annum Cainam ponamus nonageſimo primo patris ſui. Non enim repugnamus Scripturæ dicenti, vixiſſe Enos 90. annis, & genuiſſe Cainan, annos enim abſolutos numeramus, vt ſupra diximus; quo fit vt Cainan primus, ſit nonageſimus primus Enos. Etſi autem quidem Hebræi putent, in quibus R. Kimhi, cui aſſentitur Genebrard. in Chron. tam Cainan quàm Enos, alióſque ab Adam vſque ad Noë, excepto Seth, fuiſſe primogenitos, maior tamen meliórque pars doctorum, in quibus Auguſtinus ſupra relatus non putat fuiſſe primogenitos. Cui etiam ſententiæ Caini ciuitas ſuffragatur. Vide Toſtat. I. *Ratio Chronologiæ.*

ann. mundi 131. n. 1. mit. Paral. — ann. mundi 100. q. 9. in 5. Geneſ.

Cæterùm cùm Caini poſteritas ita à Scriptura notata ſit, vt quantum quiſque illorum vixerit non ſit notatum, ſi perſonæ perſonis, & generationes generationibus componantur, Seth Caino, patet ſcilicet filiorum Dei, patri filiorum hominum, Enos Enocho, inuocator Domini, dedicatori terrenæ ciuitatis, & Cainan Irado, & Malaleel Mauiaëlo, & Iared Mathuſaëlo, & Henoch qui tranſlatus eſt, polygamo Lamecho, qui Cainum reproborum patrem occidit, è regione reſpondebunt. Quid autem ab iſtis tot annis geſtum fuerit ignotum nobis eſſe vo- II. *Reſponſus generationum Caini & Sethi.*

Gen. 4. 17. & ſeqq.

luit diuina Sapientia, omnia aliquando in conspectu omnium mortalium manifestatura, cùm *cuncta adducet in iudicium*. Eccles. 12. fi. vt omnes perspicuè intelligant, quàm iustè aliis æterna supplicia, aliis fœlicitatem dederit. Et omnes vno ore cum Dauide dicant, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*. Psal. 118. 137.

	Adam	
Cain	Abel	Seth
Henoch		Enos
Irad		Cainan
Mauiaël		Malaleel
Mathusaël		Iared
Lamech		Henoch
Iabel, &c.		Mathusalem
		Lamech
		Noë

ANNVS MVNDI ET ADAMI 350. PRIMÆ ÆTAT. 350. SETHI 210. ENOS 115. CAINAN 25.

ANTE CHRISTI ORTVM 3703.

Septimus Iubilæus.

EST hic annus Iubilæus septimus, quem de more notatum voluimus, à Patribus vti credimus, sicut & reliqui, celebratus. Vide quæ diximus anno mundi centesimo n. 1. Silent autem hic quoque sacræ omnes, & prophanæ historiæ. Gen. 5. 12.

ANNVS MVNDI ET ADAMI 396. PRIMÆ ÆTAT. 396. SETHI 266. ENOS 161. CAINAN 71. MALALEEL 1.

ANTE CHRISTVM 3657.

Accommodatio nominum.

VIXIT *quoque Cainan septuaginta annis, & genuit Malaleel*, vt scriptum est in 5. Genes. Non est quod inculcemus, quæ hoc quoque loco de annis perfectis dici possunt, ne sine causa memoriæ lectorum diffisi esse videamur. Quoniam autem rebus hic destituimur, nomina ipsa

Cainan.

consideremus; quæ cum causa indita esse Adami, Euæ, Caini, Abelis, Sethi & Enos nomina satis docent, quæ rebus, quæ tum gerebantur, congruunt. (ann. mundi 130.) Cainan ergo D. Hieronymus in nominibus Hebraicis interpretatur lamentationem, vel possessionem eorum. Vnde suspicari possumus, non defuisse tum, cùm is editus est in lucem lamentandi materiam, siue ob iniurias à Cainitis acceptas, possessiones ereptas, aliásque iniurias verbo factísque irrogatas, siue ob magna eorum aduersus Deum scelera atque flagitia. Cuius eùm prouidentiam & iudicium iampridem Cainus negare cœpisset; iuxta ea quæ supra ex Hebræis dicta sunt, de contentione inter Abelem & ipsum exorta; facilè intelligi potest quo

Irad.

impietas, malo semper superante, progressa his temporibus fuerit; Irad, qui Cainæ è regione respondet, apud eundem Hieronymum vertitur, Ciuitatis dissensio. Ex quo etiam coniectura est, tempore natiuitatis eius, turbas & seditiones in Enochia ciuitate concitatas. *Neque enim pax est impiis, dicit Dominus.* Malaleel autem (Esaiæ 48. 22.)

Malaleel. Mauiaël.

ibidem est laudans Deum, in paternæ probitatis indicium, vel virtutis filij prognosticon. At qui ei respondet ex Cainitis Mauiaël nomen habet insolentissimæ temeritatis; exponitur enim à D. Hieronymo, *Quis est Dominus Deus?* Vt iam tum agnoscere possis eundem spiritum, qui in Pharaone dicebat, *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius?* (Exod 5. 2.) Exponitur etiam, *Ex vita Dei.* Augurantibus videlicet parentibus, eum rebus gestis gloriosissimum fore, & quasi quendam Deum.

ANNVS MVNDI, ADAMI, ET PRIMÆ ÆTAT. 400. ET 450. SETHI 270. ET 320. ENOS 165. ET 215. CAINAN 75. ET 125. MALALEEL 5. ET 55.

ANTE CHRISTI ORTVM 3653. ET 3603.

DVOS sub hunc titulum annos Iubilæos coniecimus, propriis rebus, scriptorum inopia, inopes ac ieiunos; octauum scilicet, ac nonum, quorum ille quartum seculum absoluit, iste quintum dimidiat.

ANNVS MVNDI ET ADAMI 461. ÆTAT. PRIMÆ 461. SETHI 331. ENOS 326. CAINAN 136. MALALEEL 66. IAREDI 1.

ANTE CHRISTI ORTVM 3592.

Gen. 5. 15. VIXIT *Malaleel*, ait Scriptura, *sexaginta quinque annis, & genuit Iared.* I.
Quod nomen D. Hieronym. interpretatur Descendens, siue Roborans. Quo autem respiciat hic siue descensus, siue robur, quis tam oculatus, qui satis videre possit? Mathusaël autem Cainita, qui illi è regione respondet, apud Vatablum exponitur, mortem suam postulans; nomine vtique infausto, atque ominoso, homini inter impios nato & educato, ad reprimendam superbissimam patris insolentiam, qui Deum contemnere vel ignorare videatur, si nomini facta & vita respondeant.

l. 1. c. 2. ant. HVC quoque non incongruè referre possumus illud Iosephi de posteritate Caini. II. Bella Cainitarum.
Cæterùm, inquit, *superstite etiam tum Adamo Caini soboles sceleratissima euasit, dum posterior quisque fit deterior, nec solùm imitatur priorum vitia, sed & superat; Interim nec à bellis, nec à latrocinijs temperando. Et qui à cædibus abstinebant, alioqui auarè, & superbè apud suos viuebant.* At, inquies, nondum fuisse arma bellica, quæ postea Tubalcain inuenit. Respondeo non defuisse arma ferrea, vt suprà non semel attigimus; neque huic rei, quæ de Tubalcain Scriptura memorat, repugnare; & quando defuissent tum maximè illud Virgilianum habebat locum, (ann. mundi 50. n. 5. & 130. n. 9. l. 7. Æneid.)

Improuisi adsunt, hic torre armatus obusto,
Stipitis hic grauidi nodis, quod cuique repertum
Rimanti telum ira facit, &c.

ANNVS MVNDI, ADAMI, ET PRIMÆ ÆTAT. 500. SETHI 370. ENOS 265. CAINAN 175. MALALEEL 105. IAREDI 40.

ANTE CHRISTI ORTVM 3553.

animad. 7. in Chron. Alex. DECIMVS adest mundi Iubilæus, de quo scribit Methodius, vt refert Raderus, *Quingentesimo anno in prima mundi Chiliade, filios Cain abusos fuisse vxoribus fratrum suorum, in fornicationibus nimiis.* Quod caue ad hunc præcisè annum referas, sed ad eos quoque, qui aliquot fortè decuriis vel antecedunt, vel subsequuntur. Quod autem primum millenarium mundi anno Iaredi 40. quem titulus noster hoc loco exhibet, pertransisse ait, id referre oportet ad Septuaginta interpretum, quam Methodius sequitur, supputationem, in qua Mundi annus millesimus exactè in Iaredi 40. cadit.[1] A qua vides Hebræam & vulgatam Scripturæ Chronologiam toto semisse distare. Deinceps autem ad diluuium longè minor est distantia. (1. X.)

SCHOLIA IN ANNVM DECIMI IVBILAEI.

N. L. I. VIDE Tabellam diuersitatis, anno mundi 131. n. 3. inuenies quinque primas summas, additis 40. annis Iaredi, exactè mille annos conficere, vt vides in altera huius loci columna.

230	Adæ
205	Sethi
190	Enos
170	Cainan
165	Malaleel
40	Iared
1000	

ANNVS MVNDI, ADAMI, ET PRIMÆ ÆTAT. 550.
SETHI 420. ENOS 315. CAINAN 225. MALALEEL 155. IAREDI. 90.
ANTE CHRISTVM 3503.

Iubilæus vndecimus. HIC est annus vndecimi Iubilæi, quo Iared tametsi nonagenatius, nondum eum genuerat filium, per quem linea generationis propagatur ad Noë, & alteram mundi Ætatem.

ANNVS MVNDI, ADAMI, ET PRIMÆ ÆTAT. 600.
SETHI 470. ENOS 365. CAINAN 275. MALALEEL 205. IAREDI 140.
ANTE CHRISTVM 3453.

Duodecimus. SCRIBIT idem Methodius, quem supra retulimus ex Radero, sexcentesimo anno primi millenatij, homines valde in libidinem profusos fuisse, idémque vitium tam viris, quàm mulieribus fuisse commune, vt penè ad insaniam verterentur, quod præcisè de hoc anno, vt ante dixi, accipiendum non est. Est porrò hic annus vt sexti seculi absoluti, ita & duodecimi Iubilæi.

ANNVS MVNDI, ADAMI, ET PRIMÆ ÆTAT. 623.
SETHI 493. ENOS 388. CAINAN 298. MALALEEL 218. IARED 163. HENOCH 1.
ANTE CHRISTVM 3430.

I. *Mores horũ temporum.* VEL ex hoc loco maximè refelluntur Hebraicæ nugæ de primogenitis tantùm in hac serie Patriarcharum recensitis. Quis enim credat in tantis viribus ac fœcunditate naturæ Iaredum 162. annos liberis caruisse? Sed hæc alibi quoque iam disputata omittamus. De his temporibus scribit Epiphanius peccata quidem plurima abundasse, hæreses tamen abfuisse. *Quemadmodum autem*, inquit, *traditio habet quæ ad nos deuenit, hinc incæpit fraus in mundo fieri: Et ab initio quidem per inobedientiam ipsius Adam; deinde per ipsius Cain parricidium. Nunc autem in temporibus Iared & vltra, veneficium, incantatio, petulantia, adulterium & iniustitia; non opinio aliqua alia, non doctrina immutata, sed vna lingua, vnum genus in terra illo tempore dispersum.* Hæc ibi. *init. Panarij.*

II. *Ortus Henochi.* HOC porrò anno natus est Henoch septimus ab Adam, vir admodum illustris, sacrisque vtriusque Testamenti literis celebratus. Sed eæ laudes ad vitæ progressum, finémque pertinent; quem etiam ad locum commodiùs differentur. Id

tantùm dicamus eùm Henoch dedicationem significet, quòd nomen à piis parentibus accepit in ortu suo, non leuem suspicionem dare, existimandi eum peculiari desiderio, aut voto oblatum fuisse Deo. Idque secuta deinceps vita, in qua ambulauit cum Deo, & translatio, qua eum Dominus quasi suum, mortis ad hanc diem immunem, ad se transtulit, non obscurè demonstrat. Hoc munus iampridem debebatur Deo, à filiis Dei; quando ante tot annos filij hominum in condenda ciuitate hominem dedicauerant mundo. Vide D. August. l. 15. de ciu. Dei, c. 17. & 19.

ANNVS MVNDI, ADAMI, ET PRIMAE ÆTATIS 650. SETHI 520. ENOS 415. CAINAN 325. MALALEEL 255. IARED 190. HENOCH 28.

ANTE CHRISTI ORTVM 3403.

IVBILÆVS decimus tertius hoc anno terminatur. sequens decimum quartum inchoabit. *Iubilæus decimus tertius.*

ANNVS MVNDI, ADAMI, ET PRIMAE ÆTATIS 688. SETHI 558. ENOS 453. CAINAN 363. MALALEEL 293. IARED 228. HENOCHI 66. MATHVSALÆ 1.

ANTE CHRISTVM 3365.

CONCVRRVNT hoc quoque tempore duæ quasi bigæ familiarũ Num. I. *Concursus Henochi, & Lamechi.*
1. ※ duarum [1] videlicet filiorum Dei, ac filiorum hominum, sub earum principibus Enocho & Lamecho: quorum ille ambulat cum Deo,
2. ※ hic vxoris vnius ferreis [2] vinculis non contentus, duabus alligatur. Ille penè victor mortis, & immortalitatis candidatus transfertur ad Deum: hic primi vltor parricidij, pœnam expectat septuagies septies. De illo tria Scriptura tradidit, vitæ sanctimoniam, viuendi apud nos finẽ; & scripta posteritati tradita: De hoc tum polygamiam, ab ipso siue ortam siue vsurpatam, tum agnitionem admissi facinoris apud vxores.

Quòd ad Enochum attinet, huius loci ac temporis est in primis singularis illa commendatio, qua dicitur ambulasse cum Deo; id est, vt explicant Septuaginta interpretes, *εὐηρέστησε τῷ θεῷ*, vt habetur etiam apud Iesum Sirach, & Apostolum, II. *Ambulauit cũ Deo.*
Eccl. 44. 16 Hebr. 11. 5. c. 6. v. 8. *placuit Deo.* Nimirum idipsum iam tum docebat Enochum Spiritus sanctus, quod postea Micheæ Prophetæ dictauit. *Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Id est, sanctè, inculpatéque viuere, eius non solùm amicitia, sed etiã præsentia, & familiaritate gaudere, progressum in via virtutis perpetuò facere, cœlestem denique & angelicam in terris vitam ducere. Hæc enim in illa Metaphora continentur. Itaque in sanctissimorum quorumque virorum laude eam
3. ※ sententiam Scriptura vsurpauit [3]. Nam quod Eugubinus, ambulauit cum Deo, interpretatur, ad locum diuinitatis assumptus est, profectus est in beatorum terras; minimè probandum est; siue quia non est assumptus in cœlum, quod ipse dicere videtur; siue quia incpta esset huius loci sententia. Cùm enim subdatur, *quia tulit eum Deus*, perinde esset ac si Scriptura dixisset, Enoch assumptus est ad locum diuinitatis, quia assumptus est à Deo. Sed hac de re iterum commodiore loco. Quòd autem semel iterumque eadem sententia in Enocho vsurpata est, siue vt
homil. 21. visum est D. Chrysost. ne quis arbitraretur obstaculum virtutis esse coniugium,

ideò cùm primum geniti Mathusalæ meminit, addidit patrem ipsius placuisse Deo, & rursum cùm eiusdem translationem adiecit. Siue vt Caiet. interpretatur, ad explicandũ, ipsum ab ineunte ætate in via Dei profecisse, & perseuerasse in eadem proficiendo vsque ad finem. Alij malunt subintelligi posteriore loco, inquam, quasi post parenthesin hoc modo. *Ambulauit Enoch cum Deo, & vixit*, &c. *ambulauit inquam cum Deo, & non apparuit.* Ita pleríque recentiores; quæ expositio valde literalis videtur, nec editioni vulgatæ aduersatur, & piorum omnium sensui consentanea est.

Vatabl. Tigurin. Del Rio hoc loco.

III.
An pœnitentiam egerit.

NAM quod scribit Procopius Gazæus nescio quomodo animus auersatur. *Sitùm demum*, inquit, *postquam genuit Mathusalem placuit Deo Henoch, certè antequam gigneret*, vt Scriptura docet, *non gratus & acceptus erat Deo. Quòd igitur amore eum complexus est Deus, pœnitentiæ quam egit imputari debet.* Fortasse etiam idem sensit Philo. Nam in libro de Abrahamo agens de pœnitentia, & correctione peccatorum, ipsum adducit in exemplum. Videtúrque secutus Iesum Sirach apud Septuaginta interpretes, καὶ μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς. Et translatus est exemplum pœnitentiæ generationibus.

in c. 5. Gen. & ibid. ab Oleastro.

Eccl. 44. 16

IV.
Non egisse.

VERVM in fraudem inducti sunt Procopius & Philo, non obseruantes inter verba illa, *Enoch autem placuit Deo*, & illa, *postquam genuit Mathusalam.* Interserendum, aut subaudiendum. *Et vixit*, quòd fecit Hieronymus in vulgato textu, vt ab eo verbo regantur illi trecenti anni, qui mox subduntur. Et ita legitur in Bibliis regiis, & Complut. & apud D. Chrysost. in duobus MS. codicibus regiis, sed non consentaneè ipsi expositioni Chrysost. Et sanè inepta est illa Procopij consecutio, *Placuit tunc, ergo non placuit ante.* Sed qui placuit ante, etiam placuit tunc, non obstante coniugio; quæ est mens D. Chrysost. itaque exponunt Genebrard. & alij recent. Mens porrò Scripturæ est in eo loco Eccl. Enoch fore exemplum pœnitentiæ, non quo modo Dauid & Manasses, Petrus aut Magdalena, sed quo modo Ioannes Baptista, qui vita & lingua prædicabat hominibus pœnitentiam. Quòd significatur in vulgata, in qua legitur, vt det gentibus pœnitentiam: aut certè, vt exponit Iansen. significatur eum translatum, qui cùm viueret erat omnibus exemplum pœnitentiæ: Nimirum quia vitæ suæ integritate sui seculi homines docebat pœnitentiam, & ad eam trahebat; vel denique vt homines eius translationem videntes, agnoscerent quantum illi placeant sancti viri, & sic ipsi ad pœnitentiam incitarentur Deo sese commendare studentes. Itáque eum locum Lorinus etiam, & Perer. interpretantur.

hom. 21.

in c. 4. Sap. l. 7 in Gen. n. 137.

V.
Lamech interfector Cain, & eiusdem interfector sub hæc tempora.

VENIO ad Lamechum Cainitam, quem huc series generationem adegit, quẽ illi locum etiam ascribunt Hebræi, quos refert Genebrard. qui & existimant Cainum à Lamecho pro fera occisum, sub annũ vitæ septingentesimum. Is autẽ hoc primo anno Mathusalæ à septingentesimo duodecim tantùm annis aberat. Paulo etiam tardius Abulensis interfectum putat, tempore scilicet Tubalcain, *Cùm fortè*, inquit, *octingentos annos non compleuisset; præuentus morte violenta.* Hic Lamech non ille est Noëmi pater ab Adamo nonus, sed filius Mathusaël à Caino Atauo sextus: quem aliqui per Metathesim Lamech, quasi Melech, id est, Regem dictum volunt: Diuo Hieronymo nihilominus interpretante humiliatum, aut percutientem siue percussum. An quia Caini percussor fuit, & ipse vice versa metu multiplicis ex ea cæde vindictæ percussus est? vt ipse suo ad vxores sermone significat.

l. 1. chron.

in c. 4. q. 13.

Gen. 4. 5.

VI.
Polygamus, & an primus.

HIC est Lamech in quo Polygamia primùm notatur: etsi fortasse non primus eam attentauit. Polygamia, inquam, non successiua, sed quæ plures simul vxores amplectatur, quòd ipse haud obscurè docet, cùm vtramque simul alloquitur. Etsi autem Scriptura non asserat Lamechum inuexisse digamiam; Nec Augustinus hac de re agens lib. 15. de ciuit. id affirmet, sed tantùm fuisse digamum: Id tamẽ affirmat D. Hieronymus. *Primus*, inquit, *Lamech sanguinarius & homicida, vnam carnem in duas diuisit vxores. fratricidium, & digamiam eadem cataclysmi deleuit pœna; de altero septies, de altero septuagies septies vindicatum est, quantum distat in numero, tantùm & in crimine.* Eadem & alibi inculcat, vbi eum reperies in polygamiam, etiam non illicitam, paulò austeriorem fuisse: dum ex pio, ac religioso amore continentiæ, aduersus hominem mulierosum disputat, nonnulla à Tertulliano mu-

c. 4. v. 27. cap. 17. l. 1. in Iou. ep. 9 ad Saluinam. ep. 11. ad Ageruchiã quæ est de monogam. ep. 125. ad Damas.

tuatus, qui hoc in argumento multum vltra Catholicæ fidei regulas prouectus eſt, quæ diligenter notauit Pamelius. Quòd autem ad Lamechum attinet in exhortatione ad caſtitatem. *Numerus*, inquit, *matrimonij à maledicto viro cœpit; primus Lamech duabus maritatus, tres in vnam carnem effecit.* Eadem ferè habet libro de monogam. c. 4.

cap 5.

Contra eandem Lamechi polygamiam inſurgit Nicolaus Pontifex: Nec dubitat Lamechum adulterum appellare, quòd ſcilicet iam vxoratus, alteram mulierem, quæ ſua non eſſet vxor, adiret. Scribens enim ad Lotharium Regem polygamiæ reum. *Annon*, inquit, *districta vltione feriendus es, qui in duabus vxoribus adulterium Lamech, & flagitium imitatus eſſe dignoſceris, quòd Dominus non niſi poſt ſeptuaginta ſeptem generationes ſuo ſalutifero aduentu deleuit, cùm Cain fratricidium ſeptima generatione aquis abolitum ſit cataclyſmi.* Alludit omnino Pont. ad verba Hieronymi contra Iouinianum, & maximè ad epiſtolam eius ad Damaſum. Huc pertinent etiam quæ ſupra ex Innocentio tertio retulimus.

Refertur 31. q. 1. Quomodo virginibus epiſt. 125. tom 1. die 6. n. 110. to. c. 8.

VII. *Quæ olim excuſarent polygamiã.*

VERVM ne quæ contra Lamechum tela vibrantur, eodem ictu Abrahamum, & Iacobum Patriarchas, & Dauidem regem petant; Exiſtimandum eſt illum, vt prophanum hominem, nullo diuino monitu, vel diſpenſatione vſum, ſicuti cæteros pios ac religioſos viros. Itaque D. Auguſt. lib. de nuptiis & concupiſcentia, de hac ipſa re agens, ait quibuſdam, etiam ſingulis, plures ſimul habere vxores fuiſſe conceſſum. Et libro de doctrina Chriſtiana, ad inculpabilem conſuetudinem refert, quæ generali diſpenſatione nititur. Et lib. de ciuit. ait nullam tum legem prohibuiſſe plures vxores accipere multiplicãdæ poſteritatis cauſa. Tametſi non ignoraret iampridem dictum ab Adamo, imò ab ipſo Domino, *Et erunt duo in carne vna.* Significat Auguſtinus ab ea lege poſt diluuium fuiſſe diſpenſatũ; quod exiſtimat etiam Del Rio, D. Chryſoſt. agens de ſecundo coniugio Iacob, *συνεχωρεῖτο*, inquit, *permiſſum fuit, vt humanum genus propagaretur. Nunc verò quia per Dei gratiam humanum genus valde multiplicatum eſt, gratia quoque incrementum accepit. Adueniens enim Chriſtus, & virtutem in hominibus plantans, angelóſque, vt ita dicam, ex hominibus faciens, omnem illam veterem conſuetudinem aboleuit.* Ita Chryſoſtomus. vide etiam Auguſtinum lib. 22. contra Fauſtum, & de hac tota materia Bellarminum, in diſputatione de matrimonio.

c. 12. & 18. c. 38. Gen. 2 24. Matt. 19. 5 in 4. Gen v 19. hom. 56. in Gen. c. 47. l. 1. de matr c. 10. & 11.

VIII. *Cain cædes, eiuſque modus.*

FACINVS porrò Lamechi, & verbis, & ſententia perobſcurè explicatur in textu, vt propterea valde diuerſas interpretationes admittat. Expoſitio hiſtoria nititur, ex Hebræorum traditione petita, quàm nonnullis ſublatis erroribus, & ineptiis depuratam, cùm noſtro Del Rio hoc loco exhibemus.

Cain ergo iam ſenex admodum, vrbe Enochia animi gratia aliquando egreſſus, & ſyluam captandi frigoris cauſa ingreſſus, inter denſiſſima arbuſta conſedit: Lamech autem venationi deditus, eo tempore in illa ſylua vagabatur, cùm vnus de Lamechi famulis ex foliorum & ramorum agitatione ſuſpicatus illic feram latere, herum admonuit, qui puero temerè fidem habens, iaculum in eum locum deſtinat, eiaculatur, & miſerum ſenem lethali vulnere configit. Mox autem errore animaduerſo, ſubita iracundia incenſus, famulum fuſte vel arcu contrucidatum, & liuore ac vibicibus oppletum reliquit, qui paulò poſt ex plagis, & contuſione interiit. Quæ cùm vxores accepiſſent, neque enim res tanta latere poterat, timuerunt magnum aliquod toti familiæ infortunium, non ignaræ vulgo iactatæ comminationis Dei aduerſus eum, qui Cainum occidiſſet. Sed eas conſolans Lamech, culpam geminæ cædis agnoſcit, & diuini oraculi repræſentat minas, quibus graui pœna Caini occiſorem punitum iri conteſtatus eſt. Verùm ſi quis Lamechum occiderit, multò grauiùs ſupplicium luiturum affirmat. Nec immeritò; Cainum enim iuſtius quàm ſe interfici potuiſſe, quippe qui ſciens & volens fratrem interfeciſſet innocentem: ipſe autem per imprudentiam hominem nocentiſſimum peremiſſet; ille maligno odio atque inuidia tabeſcens fratrẽ ætate florentem ſuſtuliſſet: ipſe ex ſubita iracundia adoleſcentulum in flagranti crimine deprehenſum, caſtigare duntaxat volens, occidiſſet.

IX. *Probatur ea narratio.*

NIHIL ego hac tota in narratione video, quòd nomen fabulæ mereatur; niſi fortè pro fabulis habenda ſunt omnia, quæcunque veterum Hebræorum traditionibus, quæ nihil abſurdi, ſiue contra Scripturam, ſiue contra rationem præ-

ferunt, continentur. Ea præsertim quæ grauissimos, doctissimósque viros adstipulatores habent, in quibus S. Hieronymus in epistola ad Damasum, Rabanus & Strabus in Catena Lipomani. Comestor, Lyranus, Abulensis, Lipomanus in sua Cat. Caietan. Glossa decreti, Genebrardus in chron. Del Rio hoc loco, vir minimè fabularum amans. Pererius & Torniellus in annum mundi 875. quibus libenter assentior, etiamsi non omnes in omnibus consentiant, & aliqui absurda quædam referant, quibus expurganda est ista narratio,

[Margin: 125. to 1. q 16. in 4. c. Gen. 11. q 1. Quomodo virginibus. l. 7 n. 79.]

X. *Et emaculatur.*

ABSVRDVM enim est Lamechum tam senem fuisse, vt eius oculi caligarent, & opus haberet qui sagittam in vulnus dirigeret. Quæ enim venationis tam dira cupido impellat decrepitum hominem, venatoriis accingi telis, quæ quò dirigenda sint videre non possit? Aut quomodo tam senex fingitur, qui Henocho suppar erat ætate, qui sextum & sexagesimum duntaxat agebat annum? totidem certè gradibus ab Adamo distabat. Absurdum item quod ait Procopius. Duas vxores Lamechi fuisse Sethi neptes, & prius vxores illorum virorum, quos Lamech occiderat, & mox ab eodem Lamecho ductas. tum quia satis constat vnum de occisis fuisse Cainum, cuius vxorem quis credat à Lamecho ductam, Atauiam ab atnepote, decrepitam ab adolescente. tum quia non est credibile viuis adhuc & spirantibus Adamo & Setho illa coniugia filiorum Dei, cum filiabus hominum coaluisse. Absurdum quoque quod aiunt Lamechum ab vxoribus in senectute vexatum, eúmque veritum ne occideretur, pœnas longè grauiores luituras dixisse si ab iis necaretur; qui enim, vt de senili ætate improbabiliter ficta sileam, tres filij, & vna filia eam iniuriam parenti fieri passi essent?

XI. *Lamechum de Caini cæde agere.*

SED illud etiam absurdiùs, quòd à quibusdam Rabbinis malè excogitatum, & à nonnullis Catholicis probatũ, sectarij auidè arripuerunt; Nihil hîc de Caini morte agi, quippe qui diluuio, aut naturali morte interierit, sed iactari à Lamecho vires suas, qui viros possit, atque adeò validissimos iuuenes interficere, vt propterea nihil vxoribus timendum sit. Sed hi vim faciunt sacro textui, qui rem gestam apertè narrat & præteritum, occidi, quòd omnes antiqui, & penè recentiores omnes retinent, commutant in, occidero. Atque ita communissimum Ecclesiæ, atque Doctorum sensum euertunt. Diluuio autem interiisse Cainum tam falsum est, quàm inauditum aliquem illis temporibus ad 1656. annos vitam produxisse. Illum autem sub hæc tempora à Lamecho occisum, licet aliter Theodoretus, satis indicat Scriptura, quæ q. 44. ea de causa Caini posteritatem commemorat, vt vltio de eo sumpta intelligatur. Ideóque tota historia Caini in hac cæde tanquam præcipuè intenta terminatur. Idque confirmat comparatio pœnæ Caini cum pœna Lamechi, quæ alioqui frustra hoc loco repeteretur, vt rectè Caiet. annotauit.

[Margin: Moyse Gerundensi, Thuringio, Oleastro.]

XII. *Punitio Lamechi in seipso.*

NEC vim vllam habet quod affert Hieronymus ab Oleastro ad communem opinionem conuellendam. Quòd scilicet si Lamech occidit Cainum, 1. oporteret, iuxta verbum Domini ipsum Lamechum septies punitum esse, quòd non legimus contigisse. Deinde quia Deus non implesset verbum suum 2. ipsi Caino, cui promiserat ipsum non occidendum ab eo, qui eum inueniret. Verùm vnde habet ab Oleastro Lamechum non fuisse punitum? Num etiam leuis est pœna infamia, & reatus gemini homicidij; quorum altero & senex & progenitor, alter adolescentulus, & filius Tubalcain, vt Hebræi autumant, fuerit interfectus? Quòd si ipse cum vxoribus, & septuaginta septem liberis Diluuij aquis obrutus periit, num exiguam criminum pœnam exoluit? Iam verò nusquam legitur Deum promisisse Caino, eum non occisum iri; sed non passim, neque à quolibet obuio, quòd timebat Cain, neque impunè; quòd accuratè præstitit.

XIII. *Et liberis fuit, & quot ij fuerint.*

IAM quod attinet ad Lamechi liberos, quatuor duntaxat Scriptura memorat, Iosephus autem septem & septuaginta ex duabus susceptos vxoribus; quòd minimè absurdum puto, cùm post tot secula Gedeonem 70. filios habuisse legamus. Nec Achabum regem pauciores. Consonat etiam quodammodo iis, quæ legimus apud Diuum Hieronymum. *Referebat mihi quidam Hebræus,* inquit, *in Apocryphorum libris septuaginta septem animas ex Lamech progenie reperiri,*

[Margin: 8 Iud. 10. 4 Reg 10. ep. 125. ad Damas.]

qua

quæ diluuio deleta sint; & in hoc numero de Lamech factam vindictam, quòd genus ipsum vsque ad Cataclysmum perseuerauerit. Sic ibi. Apparet tamen discrimen manifestum, cùm Iosephus ipsiusmet Lamechi filios faciat 77. ille autem Hebræus non filios tantùm, sed nepotes quoque, & pronepotes, denique progeniem totam ex eo propagatam eo numero comprehendat. Et sanè si ex Iosephi ingenio, toto iam eius opere mihi spectato & cognito, fas est suspicionem ducere: is filiorum numerus ab eo excogitatus videtur ex occasione pœnæ, Lamechi interfectoribus septuagies septies assignatæ: cùm eo tamẽ numero longè grauior pœna duntaxat pro Lamechi cæde infligenda denuncietur.

XIV. *Primus Iabel, qui.*

OMISSIS porrò aliis Lamechi liberis, Scriptura binos tantùm ex singulis vxoribus refert; Ex Ada Iabelem, & Iubalem: ex Sella Tubalcain, & Noëma.
Chald. paraph. Vatab. Caiet. Eugub Lipoman. ab Oleastro, Del Rio. l.1. ant. c.2. Quorum omnium primus *fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum.* Id est, hic primus inuenit artem habitandi in tabernaculis vt pasceret greges, vt plerique omnes interpretantur. Quàm inuentionis laudem illi penè inuidisse, videtur Iosephus, qui dicat tantùm eum construxisse tabernacula, & pastoritiam vitam adamasse, *σκηνὰς ἐπήξατο, καὶ προβατείας ἠγάπησεν.* quòd peruulgare fuit, nec notatione dignum. At Septuaginta, & vulgata, retenta Hebraici textus metaphora, eundem agnoscunt patrem, id est authorem & principem huius artificij; vt scilicet Iabel primus instituerit habitationem in tentoriis; inuenerit quoque vsum iumentorum ad vehenda tentoria, & fortè ad sedendum in iumentis, vt scribunt Caiet. & Lipomanus, cui suspicioni vox Hebræa nonnullam occasionẽ
4. x. dedit. Nam מקנה Miene, Possessionem, Peculium & Pecora significat [4].

XV. *Alter Iubal musicus.*

ALTER Adæ & Lamechi filius, Iubal nomine. *Pater fuit canentium cithara & organo*, id est, interprete Iosepho, musicæ operam dedit, psalteriúmque & citharam inuenit. Caietanus vertit, pater fuit attrectantis citharam & organum: *Ita vt non sit sermo de cantu*, inquit, *sed de sono qui fiebat tactu, ad differentiam sonorum, qui fiunt flatu.* At Oleaster mauult vertere comprehendentis, vel amplexantis, & referri ad tibias quas cancos complectitur, quæ ars vt rudior, ita prior fortasse fuerit. Videtur noster interpres comprehendere voluisse omnia instrumenta musica, siue flatu, siue tactu resonent, cùm præsertim propria nomina instrumentorum illius temporis ignota sint, quòd ad germanam & propriam ipsorum significationem, vt fatentur Caietanus & ab Oleastro. At, inquies, quomodo hæc inuenta nunc, quæ iampridem cognita fuisse Adamo nemo negauerit? An dicendum musicam quidem artem atque instrumenta non ignota fuisse Adamo, sed vt in statu pœnitentiæ, non vsurpata. De cæteris operibus dici posse arbitror Cainitas separatos penitus à cæteris, suas sibi res egisse, atq; excogitasse, quæ apud alios Adæ filios iam in vsu erãt, vt contingit in regnis multũ à se distantibus.

XVI. *Tertius Tubalcain & eius inuenta.*

TERTIVS Tubalcain, Sellæ & Lamechi filius, *fuit malleator & faber in cuncta opera æris ac ferri.* Textus Hebraicus facit hunc eximium in acuendo & poliendo ære, ac ferro: vt intelligas non fuisse ipsum inuentorem æris ac ferri, quibus Adam & Cain ad colendam terram, Abel ad excoriandos agnos iampridem vsi fuerant, vt Caietano placet, sed ea metalla ad varios vsus malleo in laminas produxisse: proptereáque videtur Iosephus hoc artificium ad arma militaria traduxisse. Ait enim, *Thobel autem* (non ait Tubalcain, vt Hebræi, sed Thobel vt 70.) *vnus ex altera vxore prognatorum viribus excellens rem militarem egregiè tractauit, cuius artibus & opes ampliores, & victum lautiorem sibi comparauit. Musica*, inquit Proco-
in 4. Gen. pius, *inseruiebat conuiuiis, & comessationibus; Ars æraria iuuabat bellum. quin & ærariam*, inquit Iosephus, *primus commentus est* [5]. Habemus ergo quid respondeamus Poë-
5. x. tæ quærenti,

Tibul. *Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?*
Quàm ferus & verè ferreus ille fuit.
Nempè Tubal quæris, & stirpe & voce Cainæu,
6. x. *Nam pugnaturis primus hic arma dedit* [6].

XVII. *Noëma lanificij & texturæ inuentrix.*

in Caten. RELIQVA est Noëma, de qua, ait Lipomanus, incerto autore fertur eam texturæ artem inuenisse. *Noëma*, inquit Genebrardus, *istorum soror, ingeniosa*
Gen. 4. *fœmina, ideóque nominata in Scriptura præter eius consuetudinem, qua non solet in generationibus mulieres commemorare, nisi sint virtute, vel mysterio singulares. Lanificij &*

texturæ inuentrix, linum in fila traxit, & pannum texuit, cùm antea pellibus bestiarum, lanis similibúsque materiis consutis, contortis vel deductis, ad tunicas, vestes, stragula, atque huiusmodi alia vterentur.

XVIII. *Eadem res sæpius inuenta est.* NEC propterea cum Tertulliano in libro de Pallio digladiabimur, qui alios lanificij autores ex prophanis autoribus recenset, Mineruam, Arachnem, Mercurium. *Quem autumant*, inquit, *palpati fortè arietis molitie delectatum deglubasse oueculam: dúmque pertentat quod facilitas materiæ suadebat, tractu prosequente filum eliquasse, & in vestis pristinæ modum, quàm philyra tenui vinxerat, texuisse.* Neque Plinium falsi arguam, qui Ægyptiis textilium inuentionem tribuit. Cuidam autem Cyniræ Agriopæ filio, metallorum æris in insula Cypro. Nihil enim obstat, vt alibi dictum non semel, eandem rem diuersis in locis & temporibus à diuersis inuentam. Nam idem Plinius paulò post, *Aes conflare*, inquit, *& temperare Lydum Scythem monstrasse, Theophrastus Delam Phrygem putat. Aerariam fabricam alij Chalibas, alij Cyclopas.* Sic ipse, pergitque deinceps singulorum metallorum inuentionem enumerare, quæ inuentio non prima simpliciter, sed in certo quopiam loco censenda est. Nam prima, mortalium primo Adamo à Deo edocto meritò tribuenda est. c. 3. n. 33. l. 7. c. 56.

XIX. *Errata Iosephi in hunc locum.* VERVM vt redeamus in viam, nonnulla hic in Iosepho notanda sunt. Nam cùm de Tubalcain ageret, quem cum Septuaginta, vt dixi, vocat Thobel. *Qui & ærariam*, inquit, *primus est commentus, & filia factus est pater vnius, nomine Naama.*
1. *Porrò diuini iuris non imperitus, videns pœnas se exoluturum parricidij à Caino perpetrati, vxoribus hoc indicauit.* Sic ipse. Vbi, vt mitissimè cum Iosepho agamus, dicendum est vocem Lamechi in eius textu deesse, quam suppleuit interpres, nouúsque typographus, vbi agitur de peritia diuini iuris, sed abest etiam superius cum Noëmam, siue Naaman filiam facit Thobelis, non sororem, vt 70. & Hebraici libri. Falsum etiam est Lamechum luiturum pœnas patricidij à Caino perpetrati, sed
2. à seipso potius; falsum quoque id eum ex iure diuino agnouisse. Nunquam enim Deus dixerat, aut ipsum Lamechum, aut alium quempiam, daturum pœnas, ob crimen à Caino perpetratum.

XX. *Pœna filij pro patre contra ius naturæ, diuinum & ciuile.* QVIN potius id iuri naturæ videtur repugnare ex cuius lumine, *Sequitur sua pœna nocentem.* Et iuri diuino, Deuter. 24. *Non occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus, sed vnusquisque pro peccato suo morietur.* quòd alibi quoque inculcatur. Cōtra ius humanum L. Callistratus. *Crimen vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest. Nam vnusquisque ex suo admisso sorti subiicitur, nec alieni criminis successor constituitur.* Arcadius & Honorius l. 22. *Sancimus ibi esse pœnam vbi noxia est; propinquos, notos, familiares procul à calumnia summouemus, quos reos sceleris societas non facit.* Falsum deniq; est id eum vxoribus indicasse: quid enim illis indicarit, ex textu ipso, & ex dictis satis patet. cætera in Scholiis attingam. 4 Reg. 14. 6. 2. Paralip. 25. 4. Ezech. 18. 20. 26. D. de pœnis. C. de pœnis.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 688.

N. I. 1. PORRÒ *Henoch vixit sexaginta quinque annis*, inquit Scriptura, *& genuit Mathusalem.* Græci de more addunt hic quoque centum annos; at Iosephus lib. 1. ant. c. 3. vel 4. ait Mathusalem natum Enochi quinto & centesimo anno, verùm hoc typographi erratum. Sed aliud est ipsius Iosephi, aut certè Græci textus erratum. Habet enim, Ἔσχε δὲ υἱὸν διαδέχεται γεννηθεὶς πρὶν ἐτῶν δύο, καὶ ἑξήκοντα, καὶ ἑκατὸν τῷ πατρὶ αὐτῷ, τυγχάνοντος. *Enochum verò filius excepit, natus cùm pater esset ferè 162. annorum.* Legendum est πρὶν ἐτῶν πέντε: vt habent omnia Græca Biblia.

N. I. 2. Sic ea vincula vocat Augustin. in fine Psalm. 149. tom. 8. & iure fortia, non enim vnquam nisi alterius coniugum morte rumpuntur: & grauia, multa enim secum onera trahunt, quæ peculiariter matrimonij dicuntur onera; & frigida, amor enim coniugum breui tēpore calidus, diutissimè frigidus perseuerat. sed hæc obiter.

N. II. 3. Enoch primùm, deinde Noë, Genes. 6. 9. Abrahæ 17. 1. c. 24. 40. Isaac 48. 15. Iacob, ib. Dauid 3. Reg. 9. 4. Ezechias 4. Reg. 20. 3. Iosiæ 4. Reg. 22. 2. & aliorum.

N. XIV. 4. Eandem vocem מקנה Diuus Hieronymus non semel transfert iumenta, & armenta, vt Iosue 14. 4. Numer. 32. 1. 4. Eccles. 2. 7. radix est קנה acquirere, possidere; pecora enim erant antiquorum possessiones, & diuitiæ, vnde à pecoribus, siue pecudibus pecuniæ dictæ putantur. Porrò vtriusque fratris nomen, Iobel, inquam, & Iubal, eandem habēt originem cū Iobel, siue iubilæo, qui à productiore buccinæ sono, quo anno quinquagesimo Hebræi vtebantur, nomen habet, vel ab ipsa productiore buccina. Fit enim à יבל quod est deducere, siue producere. vbi vide Pagnin.

N. XV. 5. Refert ex Hieronymo Lipomanos in Catena, quòd vix apud Hieronymum reperias. *Naſcitur*, inquit, *Tubalcain, qui per opera artis concupiſcentiam oculorum inuitauit; & arte ferraria crudelitatem bellorum excitauit. per cuius ſororem, quæ Noëma, id eſt voluptas vocitur, carnis concupiſcentia ſignatur.* Hæc ipſe.

N. XVI. 6. Æneid. 7. Armis ergo ad pugnas inuentis,

—— non iam certamine agreſti
Stipitibus duris agitur, ſudibúſve præuſtis,
Sed ferro ancipiti decernunt: atrâque latè
Horreſcit ſtrictis ſeges enſibus, æráque fulgent
Sole laceſſita. ——

In clypeis ſcilicet politis, & ad Solis radios fulgurantibus. Itaque & æratiam hic iungit Ioſephus, & Procopius.

Neque his obſtat, quòd Dominus ipſe dicat ſe *viſitare iniquitates patrum in filios eorum, qui oderunt ipſum.* Exod. 20. 5. nam ibi additur, vſque ad tertiam & quartam generationem, at Lamech pertinebat ad ſextam, ſic etiam alibi ad quartam vſque generationem, & non vltra, Dominum vlciſci peccata patrum in filios Scriptura teſtatur, Exod. 34. 7. Numer. 14. 18. Deut. 5. 9. vbi econtrariò, vt miſericordiam ſuperexaltet iudicio, ait ſe in millia, ſiue in mille generationes, beneſacta amicorum ſuorum repenſurum. N. XX. 7.

ANNVS MVNDI ADAMI, ET PRIMÆ ÆTATIS 700. SETHI 570. ENOS 465. CAINAN 375. MALALEEL 305. IARED 240 HENOCHI 78. MATHVSALÆ 13.

ANTE CHRISTVM 3353.

Iubilæus. XIV. ABSOLVITVR hoc anno ſeculum mundi ſeptimum, & Iubilæus annus decimus quartus. Etſi autem hi anni ſunt rerum vacui, exhibent tamen, oculis concurſum annorum Patriarcharum in prima ætate, in quouis ſeculo, & Iubilæo: quòd videtur operæpretium.

ANNVS MVNDI ADAMI, ET PRIMÆ ÆTATIS 750. SETHI 620. ENOS 515. CAINAN 425. MALALEEL 355. IARED 290. HENOCHI 128. MATHVSALÆ 63.

ANTE CHRISTVM 3303.

ANNVS Iubilæus decimus quintus. Omnia apud vtrâmque Rempub. ſiue Ciuitatem ſuum curſum tenebant.

ANNVS MVNDI, ADAMI, ET PRIMÆ ÆTATIS, 800. SETHI 670. ENOS 565. CAINAN 475. MALALEEL 405. IARED 340. HENOCH 178. MATHVSALÆ 113.

ANTE CHRISTVM 3253.

SECVLVM octauum, Iubilæus annus decimus ſextus. Ignota hîc omnia.

ANNVS MVNDI, ADAMI, ET PRIMÆ ÆTAT. 850. SETHI 720. ENOS 625. CAINAN 525. MALALEEL 455. IARED 390. ENOCHI 228. MATHVSALÆ 163.

ANTE CHRISTVM 3203.

ANNVS Iubilæus decimus septimus, æquè rerum inops, ac priores.

ANNVS MVNDI, ADAMI, ET PRIMAE ÆTATIS 860. SETHI 730. ENOS 625. CAINAN 535. MALALEEL 465. IARED 400. HENOCH 238. MATHVSALÆ 173.

ANTE CHRISTVM 3195.

NOTAT hunc annum Iaredi quadringentesimum Methodius apud Raderum in animad. in chronicum Alexandrinum, n. 7. ex eiusdem codice Græco. *Anno*, inquit, *quadringentesimo Iared secundi millenarij* (iuxta supputationem Græcorum, in qua hic annus est 1360.) *surrexerunt viri malæ artis inuentores iniqui, & omni nequitia pleni ex filiis Cain; vt Iobeth, Tholucel filij Lamech, qui fuit cæcus, qui & Cain interfecit, in quos dominatus Diabolus conuertit eos postea in omnem artem magicam, & omnem speciem musicam componendi.* Hæc ibi. Ex his autem quæ paulò ante de filiis Lamechi diximus, quæ hic differt Methodius, apparet annum Iaredi non esse præcisè sumendum. Cætera ex dictis intelliguntur.

ANNVS MVNDI, ADAMI, ET PRIMAE ÆTATIS 875. SETHI 745. ENOS 640. CAINAN 550. MALALEEL 480. IAREDI 415. HENOCH 253. MATHVSAL. 188. LAMECHI 1.

ANTE CHRISTVM 3178.

Num. I. *Lamechi ortus.* PRIMVS est hic Lamechi annus, qui cum Mathusalæ patris sui anno 188. concurrit, cùm 187. genitus esset, quòd habet Scriptura. Et Septuaginta quidem Vaticana habent 167. Regia verò 165. vt habes supra anno Adami 131. n. 3. Verùm Africanus, vt refertur in Chronico Alexandrino, Hebræam & Latinam chronologiam apertè confirmat; tametsi Græcã sequi soleat, aitque accurata Geneseos volumina ostẽdere à Mathusala 187. annos nato (ρπζ) Lamechum procreatum fuisse. quod si recipimus, iacet illa obiectio de Mathusala quatuordecim annis Diluuio superstite. Gen. 5. 25. p. 45. græcolat. in Sem. l. 9. de qua supra anno 131. n. 4.

II. *Et probitas.* HABEMVS ergo hic alterum Lamech, non mulierosum & homicidã, sed pium, & insignem in filiis Dei, cuius probitas in sanctissimo Patriarcha Noë filio eius se prodit; qui & à parente suo Mathusala pietatem hausisse creditur. Is enim commendatur apud veteres Hebræos à iustitia, & multarum rerum cognitione, & sapientia, vt refert Genebrard. ex Rabbino Abraham in fasciculo myrrhæ.

III. *Astrologia inuenta à filiis Sethi.* PORRÒ quoniam quæ de filiis prioris Lamechi diximus, & rebus ab ipsis inuẽtis ad hęc Mathusalæ tẽpora etiã pertinent, illi enim in tabella supra posita è regione l. 1. chron. an. m. 688. n. 14 & seq. & an. 160

respondent, vt quadrigam penè conficiant. Adam hoc loco ex Iosepho, quæ ad
l. 1. ant. c. 2. vel 3. hanc ipsam rerum inuentionem pertinent. Is ergo agens de Sethi nepotibus. *Qui quoniam*, inquit, *erant omnes bona indole præditi, & patriam absque seditione incolebant, in perpetua fælicitate vitam exegerunt, & syderalem scientiam, ac cœlestium rerum cognitionem excogitauerunt.* Rectissimè Iosephus artium inuentoribus primum egregiam indolem, deinde otium & quietem à turbis attribuit. Sed erat in primis congrua ac necessaria vitæ diuturnitas, præsertim ad notationem variorum motuum cœlestium, qua illi omnes ante diluuium fruebantur. Motuum autem notatio, singulorum, quoad fieri potuit astrorum notitiam requirebat; imò & suggerebat. Quædam enim facilè, & quamprimum notarunt, communi quodam, & insuper proprio ferri motu, vt Solem & Lunam; tum paulatim reliquos planetas, quos videbant variam, ac versatilem inter se habere positionem; à quibus ea ipsa re astra fixa differrent, multum etiam inter se luce, & magnitudine discrepantes: Quorum multitudo ne oculos & memoriam falleret, digesta est tota cœlorum militia, in certas quasi figuras, quas constellationes posteriora secula vocauerunt, & fabulis referserunt.

At Diodorus Sieulus l. 1. *Quia verò Deos*, inquit, *in Aegypto natos fabulantur, eisque prima syderum obseruatio tribuitur*, &c. Verùm id Ægyptij probare non possunt, nec ea, quæ apud ipsos cœli perpetua serenitas viget, satis firmum est ad eam rem probandam argumentum; idque Babylonicis potiùs regionibus tribuendum, mox è Plinio docebimus. Iosepho igitur potiùs hoc loco, quam Diodoro fidem habebimus, præsertim cum iste, de primis illis temporibus, fabulas se scribere profiteatur.

SED pergit Iosephus. *Ne autem inuenta sua ex hominum notitia dilaberentur, & priùs perirent, quàm pernoscerentur, scientes Adamum vniuersalem rerum interitum præcecinisse, vnum incendio, diluuio alterum, excitatis duabus columnis, vtrique sua inuenta inscripserunt: vt si lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet. Aiunt enim lapideam illam ab istis dedicatam, qua & nostris temporibus extat in terra Syria.* Hæc ipse. Quæ ex iis confirmantur IV. Quomodo conseruata.
l. 1. quæ scribit Diodorus, Antiquissimos Ægyptios Isidi atque Osiridi duas columnas erexisse, in quibus etiam rerum ab ipsis gestarum, atque inuentarum fieret
l. 7. c. 56. mentio. Et ex iis, quæ habet Plinius. *Epigenes*, inquit, *apud Babylonios septingentorum viginti annorum obseruationes syderum coctilibus laterculis inscriptas docet, grauis author in primis. Qui minimùm Berosus, & Critodemus 480. annorum. Ex quo apparet æternus literarum vsus.* Ita Plinius.

ITA licuerit dicere Mundi ortum & eius authorem ignoranti; rectiùs dicturo, V. Inuentio literarum Hebraicarum antiquissima. si æternam literarum scientiam, apud æternum Deum fuisse dixisset, eámque postea ipsius benignitate communicatam mortalibus. Neque enim est, opinor apud Catholicos qui non facilè concedat Adamum tam insigni innumerabilium rerum cognitione diuinitùs donatum, non etiam hac peritia instructum fuisse; simúlque & Hebræum Idioma à Deo, cum quo colloquebatur, & literas, quibus scribi & legi posset, accepisse. Itaque istis Sethi nepotibus non tribuitur inuentio literarum, aut scriptionis à Iosepho, sed vsus duntaxat inuentarum. Nisi magis placet Deum Adami solertiæ literas, sicut & animalium nomina excogitanda reliquisse. Quamuis Suidas Sethum dicat diuinum ab hominibus nomen accepisse,
2. X. quod & literas Hebraicas, & astrorum denominationes inuenisset [2]. Verùm vt redeamus ad Plinium. Ab eo nihil minùs cogitante videntur confirmari, quæ de literarum Hebraicarum antiquitate dicebamus. Nam eodem ipso in loco. *Literas*, inquit, *arbitror semper Assyrias fuisse, sed alij apud Aegyptios à Mercurio, vt Gellius, alij apud Syros repertas volunt.* Assyriarum literarum nomine intelligendæ sunt eæ, quibus vtebantur, qui circa Assyriam & Mesopotamiam viuebant, primi omnium mortalium Patriarchæ, de quibus agimus, quorum & sermo Hebræus erat, vt supra demonstratum est, & ipsæ sermonis literę. Qui eas postea Syris & Ægyptiis,
3. X. apud quos versati sunt, communicarunt, vt quiuis prudens vltro concesserit [3]. Quæ tamen temporum decursu, & variis populorum mutationibus, & bellorum, & barbararum gentium inundationibus, magnã vt fit varietatem acceperunt. Ex Hebræis enim alias omnes natas, Alphabeta ipsa, & nomina literarum clamant.

Quin & Petrus Victor in Paradigmate de quatuor linguis Orientalibus præcipuis Arabica, Armena, Syra, Æthiopica, fatetur eas linguas huiusmodi esse, vt ab eodem Sacrosancto linguæ Hebraicæ fonte antiquissimo fluxerint, etsi magna riuulorum confusione. Sed ita vt quo quæque ipsarum propiùs fontem alueum duxit, hoc etiam illius flexum & fluxum fœlicius inter suas crepidines conseruarit; reliquæ vt remotiores ab ipsa scaturigine decucurrere, ita plura extranea intra suos aggeres admiserint.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 875.

N. 3. 1. VT sanè meritissimo recipiendum est, sic enim habet Niceph. Constant. qui non nisi Græcam Chronologiam sequitur, & Africanus apud Chron. Alex. & eiusdem Chronici author, p. 45. edit. Græco-Lat. & ibid. Rader. p. 14. & Contius in Nicephorum, & omnino quicunque iuxta Græcorum Chronologiam volunt diluuium contigisse anno 2262. vt Epiphan. initio Panarij. Iosephus quoque qui passim 70. sequitur dat 187. annos Mathusalæ gignenti Lamechum, prout habet Aldina editio Sept. interpretum & Basil. licet interpres, vt sæpè solet, infideliter verterit. Et Eusebius Pontaci, in exordio libri, nam in editione Scaligeri aliter habet. Porrò tota Eusebij summa annorum ante diluuium debet esse 2262. non autem 2242. desunt enim isti summæ anni 20. Mathusalæ.

N. V. 2. Consule hic Feuardentium in l. 2. Iren. c. 41. n. 6. & l. 4. c. 30. n. 5. Irenæus vocat literas Hebraicas Græcorum literis antiquiores, & firmiores, licet in eod. l. 2. c. 41. se earum ignarum fuisse significet, vt qui peritos earum cōsuleret, à quibus deceptum suspicatur Feuardent. per immensō ipsorum in Christum, Christianósque odio.

Ibid. 5. Idque Plin. eodem loco non obscurè significat, qui quas dixerat in Assyria perpetuas, vel vt alij legunt, in Syria repertas, à Cadmo è Phœnice, Syriæ prouincia in Græciam illatas 16. numero, tradit, quibus postea Troiano bello 4. à Palamede, totidem post eum à Simonide adiectæ fuerint, *quarum omnium vis*, inquit, *in nostris*, Latinis scilicet, *recognoscitur*. Sed hæc longè post diluuium.

ANNVS MVNDI, ADAMI, ET PRIMÆ ÆTAT. 900.

SETHI 770. ENOS 665. CAINAN 575. MALALEEL 505. IAREDI 440. ENOCH 278. MATHVSALÆ 213. LAMECHI 26.

ANTE CHRISTVM 3153.

Hoc anno nonum seculum, & decimus octauus Iubilæus absoluitur.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTAT. 930. ADAMI 930. ET VLT. SETHI 800. ENOS 695. CAINAN 605. MALALEEL 535. IAREDI 470. ENOCHI 308. MATHVSALEM 243. LAMECHI 56.

ANTE CHRISTVM 3123. Gen. 5.

1. *Mors Adæ, & vitæ diuturnitas.* ADEST aliquando annus, quo longissima primi parentis pœnitentia terminatur, quo veritas diuinæ sententiæ, quo impostura cacodæmonis, circa hominum mortalitatem, digito tangitur. Moritur inquam hoc anno primus homo, triginta supra nongētos natus annos, cùm nullam neque infantiam, neque pueritiam, neque adolescentiam esset expertus, vt qui in ætate perfecta, atque ad generandum habili procreatus fuisset; quod si eorum temporum pubertas, proportione durationis reliquæ vitæ sera erat, productúsque est Adamus instar quinquaginta annorum, vt nonnulli non improbabiliter sentiunt. (Peter. l. 7. n. 100. & 101.) Dicendum profectò erit illum posteros omnes suos, si non vitæ diuturnitate, certè senectute superasse. Vidit autem posteros suos vsque ad nonam, aut etiam decimam generationem; habes enim nouem recensitas in hoc titulo, & credibile est Lamechum, anno ætatis suæ sexto & quin-

quagesimo, nonnullos iam liberos suscepisse, qui silentio prætereantur, cum aliis
multis. Quod ad setiem Abrahæ, Dauidis & Christi Domini non pertineant.
Cum singulis porrò tot annos conuersatus est aut certè vixit, quot in indice an-
ni huius continentur, qui totus ex Genes. 5. cap. colligitur.

Ingentem planè liberorum manum ab Adamo ipso generatam admodum — II. *Et liberis immediate genitis permultis.*
credibile esse dixerit, qui eius ætatis longitudinem, qui robur ac vigorem corpo-
ris, qui tot terrarum ad ortum & occasum, ad austrum & septentrionem iacen-
tium solitudinem; qui desiderium satisfaciendi diuinæ voluntati, & augendi
numerum filiorum Dei, quo flagrabat Adamus considerauerit. Hoc tamen de-
siderium quasi infusa frigida reprimebat, & penè restinguebat, multiplex animi
eius mœror, quem alio loco depinximus: multiplex luctus in variis filiorum ca-
ann. mundi a. n. 4. — sibus, querelis, damnis, morbis, mortibus, quæ in eius maximè caput redunda-
bant; eo quod tum mortales omnes, vna quasi ipsius domo, ac familia dum adhuc
erat in viuis continebantur. Accedebat studium pœnitentiæ, vt ipsius ope in pace
Sap. 10. 2. — aliquando dimitteretur è corpore, *& educeretur à delicto suo.* Reprimebat etiam for-
tasse metus ille, ne filios gehennæ pro filiis lucis produceret in lucem. Denique vi-
debat multa iam esse hominum millia, qui liberis operam darent. Sunt ergo in
ann. mundi 1 n. 1. — vtrámque partem coniecturæ. Verùm vt supra dixi, quamuis daremus Epiphanio
hæres. 36. — Adamum duodecim tantùm produxisse filios, de duabus tamen filiabus nullo
modo id concedendum est.

Cæterum quod ad Adami, quam dixi, pœnitentiam & luctum attinet, il- — III. *Pœnitentia & salus.*
lum ante mortem pœnitentiam egisse de peccato suo, imò toto vitæ suæ tempore
in luctu pro suis, suorúmque peccatis fuisse, & salutem consecutum, nunc om-
nes æquè consentiunt. Nunc, inquam, nam superioribus seculis plerique dissen-
sere. Tatianus in primis hæreticus, qui zizaniam sparsit circa duodecimum an-
hæres. 46. — num Antonini Pij, vt author est Epiphanius. Hic cum iis, qui eum secuti sunt,
Tatianitis, negauit Adamum salutem esse consecutum. Idem de istis refert Eu-
l. 4 hist Eccles. c. 27. — sebius Cæsari. & ante vtrúmque Irenæus, & August. in lib. de hæresibus n. 25.
l. 1. c. 31. — & alij antiqui, recentioré sque, qui catalogos hæresum texuerunt. Rupertus au-
l. 3 in Gen c. 31. — tem, licet huius sententiæ authorem Tatianum, Encratitarum hæreticorum
principem agnoscat; in illius tamen videtur inclinare sententiam, cùm non dubi-
tauerit dicere *saluationem Adami & à multis liberè negari, & à nullo satis firmiter defendi.*

Verum Adami salus, tuto nunc ab omnibus Catholicis, certóque asseritur, — IV. *Probatur ex Scriptura.*
& validissimè defenditur. Primò, quia id disertè asserit Scriptura canonica. *Hæc,*
Sap. 10 1. — Sapientia, *illum qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus,
custodiuit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Ecce edu-
ctum Adamum à delicto suo; Et ne calumnieris, interpretando eductum è para-
diso, post admissum peccatum. Non enim eam expositionem patitur contextus
Græcus, ϗ ἐξείλατο αὐτὸν ἐκ παραπτώματος ἰδίου, & exemit eum, liberauit, vindica-
uit à lapsu suo, vt vertit etiam Tigurina. Neque hic habetur ratio temporis, vt ἐκ
loco μετὰ positum dicamus; ideóque subdit datam Adamo potestatem continen-
di omnia, sub imperio scilicet, ac potestate sua: quod factum est antequam pec-
caret, aut eiiceretur, aut veniam impetraret. Adde quod manca esset oratio: non
enim explicaret vnde eduxisset eum. Neque est quod Rupertus excipiat de libro
non Canonico. Nam, vt rectè notauit Perer. multis ante Ruperti ætatem seculis
l. 7 in Gen. n. 114. — Ecclesia in Concilio Carthaginensi, & Laodicensi eum canonicum agnouit, &
c. 1. — Concil. Tolet. 11. librum Sapientiæ sacram Scripturam nominat, Concilium Sar-
to 1. l. 1. de verbo Dei — dicense ex hoc libro probat filium Dei esse rerum omnium effectorem, & verum
c. 13. — Deum, vt docet Bellar. qui & Patres citat. Dionysium, Melitonem, Cyprianum,
Cyrillum, Augustinum, qui eundem librum canonicum agnouerunt. Sed adde
nunc Concil. Trid. sess. 4. quod eum in catalogo librorum canonicorũ recensuit,
nec rem vllo modo dubiam esse permittit. Habet ergo contra se scripturã Rupert.

to 2. ep 99. — Evndem fuisse communem totius Ecclesię sensum etiam D. Augustini tem- — V. *Et Ecclesiæ cõsensu Patrúmque.*
pore, idem S. Doctor apertè testatur, vbi agens de descensu Christi ad inferos, ne-
que nullum inde eduxisse tradit, sed in primis Adamum. *Et de illo quidem*, inquit,
*primo homine patre generis humani, quod eum ibidem soluerit Ecclesia ferè tota consentit, quod
eam non inaniter credidisse credendum est, vndecúnque hoc traditum sit.*

Defenditur quoque eadem sententia ab iis omnibus, qui assertionem de Adami damnatione inter errores & hæreses Tatianorum & Encratitarum numerant, quos ante memoraui. Nunc S. Irenæum afferre sufficiat. *Contradicunt quoque eius saluti, qui primus plasmatus erat, & hoc nunc adinuentum est apud eos.* Et mox: *Tatiano quodam primo hanc introducente blasphemiam, Adæ saluti ex se contradictionem facit.* Vbi Feuardentius hæc, variis ex locis eius, colligit argumenta pro Adami salute. Primùm quod contraria Tatianorum sententia noua esset & inaudita. Secundò, quod noluerit Dominus maledicere Adamo, vel Euæ, sed tantùm terræ ac serpenti. Tertiò, quia fructibus pœnitentiæ seipsos mox addixerunt. Quartò, quod decuerit Christum pastorem optimum, hanc primam ouem suam aberrantem quærere, ac saluare. Postremò ne Diabolus aduersus Deum gloriaretur, quod adhuc inuictus, cum primis spoliis suis remaneret. Denique Tertullianus ait Adamum Exomologesi, siue pœnitentia restitutum in Paradisum.

[l. 1. contra hæres. c. 30. c. 31. l. 3. c. 33. 34. 35. 37. 39.] [l. de Pœnit. in fi.] [l. 3. c. 39.]

VI. *Egisse pœnitentiam.* Neque vim vllam habet illud Ruperti. *Quando*, inquit, *vel vbi peccatum suum agnouerit, aut pœnitentiæ satisfactionem attulerit, non ostenditur.* Id tamen ostendit S. Irenæus, vbi signa pœnitentiæ ex Scriptura exhibet, confusionem, timorem, latebras, succinctorij asperitatem vltro quæsitam. [l. 3. c. 31. l. 3. c. 37.]

Sed quoniam non vera eum pœnitentia adhuc motum fuisse ex eius verbis agnoscitur, quæ excusationem sui, & aliorum, imò Dei ipsius tacitam accusationem habent; ideo & aliud argumentum pœnitentis animi, hoc facto posteriùs affert idem Irenæus, cùm ait Adamum peccatorem diuinam sententiam, & pœnitentiam sibi impositam æquo atque humili animo subiisse. *Condemnationem autem*, inquit, *transgressionis accepit homo, tædia & terrenum laborem, & manducare panem in sudore vultus sui, conuerti in terram ex qua assumptus est.* Idem ostendit S. Epiphan. qui Adamum sanctum vocat, quod illi, qui ante peccator fuerit, sine pœnitentia contingere non potuit. *Vnde etiam*, inquit, *sanctum Adam patrem inter viuos credimus:* Illos scilicet de quibus Dominus ait, Deum dici Deum Abraham, Isaac, & Iacob, non mortuorum sed viuorum; pergit, *Propter quem & nos qui ab ipso sumus omnes, Christus venit, vt iis quidem qui olim ipsum cognouerunt, & ab ipsius deitate, non aberrauerunt, verùm propter errata in inferno detenti sunt, indulgentiam largiretur.* Ibidem etiam Tatianum arguit, quod is Dominum argueret impotentiæ, quasi non posset hominem primum à se formatum saluare, qui propter vnam inobedientiam eiectus fuisset è paradiso, & castigationem non vulgarem nactus esset, qui in sudore & labore vitam egisset, & è regione Paradisi habitasset, quò memor esset bonæ vitæ per pœnitentiam in memoriam reuocatæ[a]. Sed concludamus hunc locum de Adami pœnitentia, & salute S. Irenæi elogio. *Erubescant*, inquit, *omnes qui à Tatiano sunt, & concertant de Adam, quasi magnum aliquid lucrentur, si ille non saluatur.* Et mox: *Sic & si qui contradicunt saluti Adæ nihil proficiunt nisi hoc, quod semetipsos Hæreticos, & Apostatas faciunt veritatis, & aduocatos se serpentis, & mortis ostendunt.*

[Vide supra die 7. n. 48. & 41.] [l. 3. c. 33.] [hæres. 46.] [Irenæus ἐρμηνά...] [a. χ. l. 3. c. 39.]

VII. *Sepultum Hierosolymis in mõte Caluariæ, quod asserunt, Tertull.* Sed iam locum sepulturæ Adami perquiramus. Nam eum D. Hieronym. & aliqui ipsum secuti, ambiguum reddiderunt; cùm antiqui plerique omnes magno consensu sepulchrum eius Hierosolymis, atque adeo in ipso Caluariæ monte collocent: quorum non grauabor verba ipsa fideliter proferre, quia in citationibus multa peccantur; & sæpè exscribuntur non consultis fontibus, in quibus alius sæpè scaturit latex.

Primus in hoc Senatu sententiam dicet Tertull. in carmine contra Marcionem, etsi rudiore metro, vbi ait eodem die, & loco mortuum, & sepultum tam primum, quam secundum Adamum. [l. 2. n. 9.]

Qua die, quóue loco cecidit clarissimus Adam,
Hac eadem redeunte die, voluentibus annis,
In stadio ligni fortis congressus Athleta:
Extendítque manus, pœnam & pro laude secutus
Deuicit mortem, quia mortem sponte reliquit.

Fortè dicendum, *Vitam sponte reliquit*, iuxta illud, *Ego pono animam meam*, &c. Cuius facti merito mortem deuicit, nam mortis relictio, quæ est resurrectio meritum non habet, vt quæ sit extra viam. Posset etiam legi quum, pro quia, ne vlla meriti [Ioã 10. 17.]

l.5.c.23 die 7.n.9. & 11. an.m.131. n.1. l.c.n.12.

mentio facta videatur. Quod autem de die dixit Tertull. idem sensit Irenæus, vti supra dictum est, cùm de eius mora in paradiso ageremus. Verùm nos in recensendis annis, quoniam eos completos ponimus, neque dici, neque mensis ratione habita, sub finem anni Adamum mortuum esse ponimus, iuxta ea quæ alibi monuimus. Sed redeamus ad locum sepulturæ, de quo iterum Tertull.

Golgotha locus est capitis Caluaria, quondam
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit.
Hic medium terræ est, hic est victoria; signum;
Os magnum hic veteres nostri docuere repertum.
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum.
Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit:
Puluis Adæ, vt veteris possit cum sanguine Christi
Commistus stillantis aqua virtute lauari.

Cyprian. de resurrectione Christi. *Nos ad Christum*, inquit, *pertinentes cuius sanguine conspersa creditur Adami Caluaria, qui sub loco, quo crux Domini fixa est, humatus traditur ab antiquis, &c.* Disertè meminit traditionis Origenes. *Venit*, inquit, *ad me traditio quædam talis, quod corpus Adæ primi hominis ibi sepultum est, vbi crucifixus est Christus: vt sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes viuificentur; vt in loco illo, qui dicitur Caluariæ locus, id est locus capitis, caput humani generis resurrectionem inueniat cum populo vniuerso, per resurrectionem Domini Saluatoris, qui ibi passus est, & resurrexit.* D. Basilius, qui in c. 5. Esaiæ, vt supra retulimus, dixerat eiectum paradiso Adamum in Iudæa consedisse. *Prima etiam*, inquit, *mortuum hominem excepit; qui & illic eam, cui addictus erat sententiam condemnationis plenè est executus.* Subdit inde pluribus os capitis, defluente carne nudum in loco reconditum, qui inde Cranium, siue Caluaria nomen acceperit. Eius autem rei famam, ab ipso Noë à diluuio fuisse propagatam, quod repetit Theophylactus, quem inferius referam.

(Margin: S. Cyprian. — tract. 35. in Matth. — Origen. — S. Basil. — in 16. Ioan.)

D. Epiphan. apertissimè ait se in libris reperisse Christum Dominum in Golgotha crucifixum esse, & non alibi, quàm vbi corpus Adam iacebat. *Egressus enim*, inquit, *de paradiso cùm habitasset è regione ipsius multo tempore, & per multos dies progressus, tandem in eum locum peruenit, Ierosolyma inquam, vbi natura debito persoluto, in loco Golgotha sepultus est. Vnde meritò cognomen habuit locus, quem crany, siue Caluariæ locum interpretantur.* Et mox. *Vnde igitur cognominatio crany est? Imo quia primum formati hominis Adam Caluaria illic inuenta est, & illic reliquiæ sitæ erant, ea de causa crany locus cognominatus est. In quo crucifixus Dominus noster Iesus Christus per aquam & sanguinem, qui fluxit ab ipso, per compunctum ipsius latus, in ænigmate salutem nostram ostendit ab initio massæ primi patris reliquias respergere auspicatum.* Et c. fusius.

(Margin: S. Epiphan.)

S. Athanasius in fragmento de Christi passione. *Quapropter*, inquit, *non alibi patitur, neque in alia regione crucifigitur, nisi in Caluariæ loco, quem Hebræorum magistri dicunt Adami sepulchrum fuisse: ibi enim post maledictionem humatū esse asseuerant.* D. Chrys. *Et exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locus, vbi quidam dicunt Adam & mortuum & sepultum esse: & Iesum, vbi mors dominata est, ibidem trophæum erexisse, hoc est crucem, quam tulit contra mortis tyrannidem.* D. Ambros. in Lucam, in ea verba, *Qui vocatur Caluaria. Ipse crucis locus*, inquit, *vel in medio terræ, vt conspicuus omnibus, vel supra Adæ, vt Hebræi disputant, sepulturam. Congruebat enim, vt ibi vitæ nostræ primitiæ locarentur, vbi fuerant mortis exordia.* S. August. *Etiam hoc*, inquit, *antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo in ipso loco, vbi crux fixa est, fuerit aliquando sepultus; & ideo Caluariæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum.* Nec retulisse contentus, etiam approbans subdit. *Et verè fratres non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus, vbi iacebat ægrotus: & dignum erat vbi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret diuina misericordia: & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter puluerem antiqui peccatoris, dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.*

(Margin: S. Athan. — hom. 84. in 19. Ioan. init. — D. Chrys. — l. 10. in c. 23. Lucæ. — S. Ambros. — serm. 71. de temp. — S. August.)

ADDAMVS etiam D. Hier. *In hac vrbe*, inquit, *imo in hoc tunc loco & habitasse dicitur, & mortuus esse Adam. vnde & locus in quo crucifixus est Dominus noster Caluaria appellatur: scilicet quod ibi sit antiqui hominis Caluaria condita, vt secundi Adā, id est Christi sanguis de cruce stillans, primi Adam, & iacentis protoplasti peccata dilueret.* Sic Hieronym. perspicuus est enim eius stylus, etsi nomine Paulæ, & Eustochij scribit. Quæ eo libentius descripsi, quod alibi aliam probare videatur sententiam, quæ putat

(Margin: Ep. 17. ad Marcell. — VIII. Quæ Hieronymi sententia, & an sepultus in Hebron.)

Adamum in Hebron fuisse sepultum. Vt in Epitaphio S. Paulæ; quod tamen nec valde affirmat, nec ex propria sententia; Id verba ipsa docebunt. *Atque inde consurgens*, inquit, *ascendit Hebron, hac est Cariath-Arbe, id est oppidum virorum quatuor Abraham, Isaac, Iacob, & Adam magni, quem ibi conditum iuxta librum Iesu Naue Hebræi autumant: licet plerique Caleb quartum putent, cuius ex latere memoria monstratur.* Hæc ibi. Vt autem ostenderet hanc opinionem non esse planè certam, in comment. in Mathæum. *Si Golgotha*, inquit, *tumulus est Adam, & non damnatorum locus; & ideo Dominus ibi crucifigitur, vt suscitet Adam, duo latrones quare in loco isto eodem crucifiguntur?* (in c. 27. Math.) Quod ipsum plenius paulò antè disputarat. At responderi facilè potest, Golgotham fuisse & tumulum Adæ & damnatorum locum, neque alterum alteri repugnare. Ideóque Dominum quidem ibi crucifixum vt suscitaret Adam; duos autem latrones, quia ille idem collis erat etiam damnatorum locus. Denique in c. 5. ad Ephes. non negat Adamum ibi sepultum, quippe quod lectoris relinquit arbitrio: sed tantum ait id non benè probari illis verbis Apostoli, *Surge qui dormis & illuminabit te Christus.* Quem locum ad hanc rem accommodat S. Epiphan. in fine libri primi. (hæres. 46.) Negari tamen non potest D. Hieronymum in eam proniorem fuisse sententiam, quæ communi repugnat, tædio fortasse Iudaicarum fabularum. (l. de obitu Sanctorũ. in Chron. l. 3. c. 31.) Eum sequuti sunt Isidorus, Rupert. Marianus Scotus, Lyranus, Tostatus, Carthus. in 14. Iosuæ.

IX. *Alij scriptores pro communi sententia. Theophyl. Euthym. S. Cyrillus. Anastasius Sin. S. German. Baronius. Pererius. Feu-ardẽtius, Torniellus. Genebrardus.*

ADDE etiam potest pro communi sententia Theophylactus, cuius verba non afferam, quarer enim afferenda essent in singulis quippe euangelistis idem refert. (Math. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.) Et Euthymius in Mathæum. Et Moses Bar-cepha, in libro de Paradiso, refert (part. 1. c. 2. & 14.) S. Cyrillum, in comment. in Esaiam dicentem, *Adamum postquam paradiso esset egressus in Iudæa primum habitasse, & postquam varia peruasisset loca, tandem Hierosolymis obiisse mortem.* Anastasius Sinayta lib. 6. in hexaëm. *Hortus*, inquit, *fuit in Caluaria, vbi Adam iacebat mortuus, illuc cùm venisset Christus, pendens in ligno latroni aperuit paradisum.* (Habetur in tom. 1. biblioth. Patrum.) Idemque paulò pòst repetit. S. Germanus Patriarcha Constantinop. in Theoria rerum Ecclesiasticarum, eo quandam ceremoniam Eccle. refert. (Habetur t. 6. bibl.) Cum his denique sentiunt recentiorum plerique viri grauissimi. Baronius anno Christi 34. Pererius l. 7. in Genes. n. 116. (n. 112. 1 & seqq.) Feu-ardent. qui hanc ait constantem esse Ecclesiæ sententiam. (l. 3 in D. Iren. c. 14. n. 7. & seq.) Torniellus anno mundi 930. Genebr. in primo Chronol. refert sepulturam in Hebron, vt Hebræorum; in Caluaria verò, vt sanctorum Patrum; quorum in vestigiis libenter pedes pono.

X. *Adæ ossa qui à diluuio conseruata.*

SED existit hoc loco non leuis difficultas. Cùm enim credibile sit diluuio diruta fuisse sepulchra omnia, ossa mortuorum disiecta, atque dissipata. Disturbata etiam ipsa ædificia, quomodo Adæ ossa conseruata fuerint, vt in Golgotha conderentur? Soluit hunc nodum Moses Bar-cepha Syrus in l. de Paradiso, & ex eo Andreas Masius. (1. p. c. 14 to. 2. bibliot. in c. vlt. Iosue n. 32.) Sic autem scribit Bar-cepha. *Athanasius & Cyrillus inter alia scribunt habitationem primam post Paradisum fuisse Adamo in Iudæa. Præterea ipsum, posteaquam per plurimas regiones vagatus, in aliis atque aliis habitasset locis, tandem sub vitæ finem venisse in montem Iebus, ibique sepultum esse. Certum est autem Iebus esse Hierusalem. Et verò Dominus Iacobus Orrohæta* (siue Edessenus, scriptor apud Syros cum primis nobilis, & magni Ephraimi olim doctor, vt scribit Masius, qui hunc Mosem in Latinum vertit[1]) *tradit etiam Noe illic habitasse, atque in regione Sodomorum plantasse illas cedros, ex quibus arcam construxit; Quam arcam cùm esset vna cum liberis suis conscensurus, impendente diluuio, secum in eam intulisse ossa Adami;* (3. χ.) *eáque deinde post diluuium Arca egressum suis filiis distribuisse, prout orbem terrarum inter illos habitandum partiebatur. Verbi gratia Caluariam Adami dedisse primogenito suo Sem, & terram assignasse ei Iudæam, atque ita posteritatem Semi, cùm in Iudæam ceu suam hæreditatem venisset; illam Adæ Caluariam, quæ sibi de illius ossibus ex paterna distributione obuenerat, in Adæ sepulchro, quod alioqui iam tum illic extabat, reposuisse.* Hactenus Bar-cepha. Cui traditioni fauet quod supra ex D. Basilio, & Theophylacto retulimus de fama ab ipso Noëmo hac de re sparsa. Consentanea etiam est ista traditio iis, quæ habet S. Epiphan. in Ancorato, vbi ait orbem terrarum filiis tripertito diuisum à Patriarcha Noë post diluuium: (vers. finem.) & Asiam totam vsque in Ægyptum Semo primogenito sorte cessisse, qua in parte Syria, cum tota Iudæa, & Palæstina, & circumpositis regionibus continetur. Chamo Africam totam, Iapheto autem Europam. Confirmatur denique iis quæ

de Semo dicuntur, quaſi is fuerit Melchiſedech, qui in Salem & Iebus habitarit; qua de re pluribus poſtea dicendum erit.

NVNC illud videndum eſt, quod maiori etiam mihi videtur probabilitate niti. Adamum moribundum præcipuos quoſque filiorum ac nepotum ſuorum, qui viderentur capita familiarum ad ſe conuocaſſe, quod poſteriora exempla, quæ ex illius inſtituto expreſſa videri meritò poſſunt, & ratio ipſa ſatis docet. Nam in ea re Abrahamum patriarcham minimè paſſum eſſe deſiderari officium ſuum, Deus ipſe prænuncians teſtatur. Iacob patriarcha filios ſuos, duodecim tribuum principes conuocauit, & benedixit. Et Moſes filiorum Iſrael maiores natu congregauit, vt carmem illud ſolenne ipſis audientibus loqueretur, *Et inuocaret contra eos cælum & terram*, & poſtremùm benediceret. Ioſue quoque ſucceſſor Moſis, illius exemplo maiores natu populi totius, & principes, & Iudices, & magiſtratus coëgit, & illis monita ſalutis dedit. Idem fecit in lege gratiæ Chriſtus pridie quàm pateretur. Et Paulus apud Epheſios, & deinceps ſancti Antonius, Dominicus, Franciſcus vterque, & paſſim parentes omnes, paſtoréſque familias. Hoc ab eis patrius amor & ſollicitudo, hoc pietas in Deum poſtulat; hoc naturæ lumen oſtendit, quo intelligimus Deum vnicuique mandaſſe de proximo ſuo; quanto magis Patri? idque cum reliqua vita, tum maximè extrema, quando eos poſtremùm vident & monent; quando poſtrema monita altius in ipſorum corda deſcenſura videantur, & memoriæ conſtantius adhæſura. Id ergo de ſancto omnium parente Protoplaſto minimè ambigendum videtur; cùm etiam materiam poſtremæ ipſius ad filios adhortationis Ioſephus ſuggerere videatur: cùm ait *Adamum rerum interitum vniuerſalem præcecinisse, vnum incendio, diluuio alterum*, quæ prædictio poſtremis eius diebus, cùm eis vltimùm valediceret, maximè quadrat.

Gen. 18. 19 Gen. 49. Deut. 31. 28 & 31. Ioſue 24. Ioan. 13. & ſeqq. Acto. 20. 17

XI. *Adamus moribundus ad ſe conuocat ſuos.*

L. 1. c. 2. extremo.

IN illo ergo filiorum ac primariorum nepotum cœtu, rectè opinor dixerimus Adamum, prænunciata, quæ ſibi immineret, migratione ad Abelem filium ſuum, compendio expoſuiſſe tam ſuam, quàm totius humani generis cladem; & promiſſam ſibi ſuiſque redemptionem; & mundi verum principem, doctorem, atque Saluatorem Meſſiam; in cuius vnius venturi fide, ac ſpe ſalui eſſe poſſent: illum vt Dei filium adorarent, vt ſupremum benefactorem diligerent, vt mediatorem de Sethi progenie naſciturum ſperarent; per illum vnum ſe ex Tartari faucibus ereptum iri crederent, eum iam tum aſſiduis precibus, & ſacrificiis colerent; vitam ex timore Dei, qui ſit futurus iudex viuorum atque mortuorum traducerent; improborum conſuetudinem & vitarent ipſi, & ſuos vitare edocerent; deniq; quod ſibi fieri nollent, alteri ne facerent. Et quoniam optatiſſimo illo innocentiæ ſtatu, quem ipſe aliquando deguſtaſſet frui non poſſent, pœnitentiam Patris ſui imitarentur, vt fœliciori etiam fœlicitate in cœlis poſt mortem; quoniam per peccatum mors intraſſet in mundum, & *ſtatutum eſſet omnibus hominibus ſemel mori*, & de vniuerſa vita diuinum ſubire iudicium, aliquando fruerentur.

XII. *Quæ ſumma monitorum eius*

Actor. 20. 18.

MEMORES, inquit, à prima die, qua egreſſus ſum ex Eden, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſeruiens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus quæ mihi acciderunt, ex malitia Cainitarum, quorum pater abiit in locum ſuum, & recepit mercedem iniquitatis ſuæ. Quomodo nihil ſubtraxerim vtilium, quò minus annunciarem vobis, & docerem vos publicè & per domos, teſtificans in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum Meſſiam Saluatorem. Et nunc ecce ego ſcio quia amplius non videbitis faciem patris veſtri, vos omnes, quos nunc poſtremùm alloquor, & moneo: Et conteſtor hodierna die, quia mundus ſum à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi quo minus annunciarem vobis omne conſilium Dei, quod mihi minimo prophetarum reuelatum eſt, de ſuperuenturo interitu mundi, tam aquarum inundatione, quàm ignium deflagratione: De diuina venturi Redemptoris miſericordia, de ſyncera in Deum religione, omniúmque virtutum ſtudioſo cultu. Non dubito nihilominus quin, poſt diſceſſionem meam, inuaſuri ſint lupi rapaces gregem ouium Domini, filiorum Dei, & hæredum promiſſionum eius. Ego enim ſcio contentionem illorum, & ceruicem duriſſimam. Adhuc viuente me, & ingrediente vobiſcum ſemper contentioſè egerunt contra Dominum, quanto magis cum mortuus fuero? Sed ex vobis ipſis exurgent viri facientes peruerſa, &

XIII. *Quæ oratio morientis, ad Pauli orationem ad Epheſios adumbrata.*

Deut. 31. 27

ſuos cum illis familiaritate, atque affinitate iungentes. Quod erit vobis in laqueũ, & in ſcandalum, & in interitum, qui ſuperueniet vniuerſo orbi, per cataclyſmum, quem videbit filius tuus, ô Lamech, qui nondum natus eſt tibi, cui repoſitum eſt vt mundi reliquias conſeruet. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per nongentos & triginta annos non ceſſaui nocte & die, cum lachrymis monens vnumquemque veſtrum.

XIV. *Quæ poſtrema mãdata.* Qvod reliquum eſt, commendo vobis reliquias corporis mei, quoniam iuxta ſententiam Domini, puluis ſum, & in puluerem, de quo ſumptus ſum modò reuertor. Quia in ſpe reſurrectionis & iudicij Dei, & æternæ ſalutis abeo ex hominibus: certus quod aliquando in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo. Tu autem in primis Sethe, eam curam geres; qui mihi es inſtar primogeniti, quia primogenita amiſit impius Cain, qui occidit fratrem ſuum Abel meliorem ſe: eáque cùm venies ad me, & colligeris ad patrem tuum in locum quietis, committes Lamecho iſti nepoti meo, qui ea per filium ſuum à naufragio eripiat, & aliquando ad montem collocari curet, quem Deus demonſtrauerit.

Honorate etiam matrem veſtram, quandiu eam Deus reliquerit in viuis, vt ſitis longæui ſuper terram huius exilij veſtri. Cùm autem & ipſa compleuerit dies peregrinationis ſuæ, ſepelietis eam circa me. Et nunc commendo vos Deo. Finitíſque mandatis, quibus filios inſtruebat benedixit eis, & collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obiit plenus dierum. Magnus autem fletus factus eſt omnium; & procumbentes ſuper corpus patris ſui, certatim oſculabantur eum, nec à complexu venerandi corporis, quod diuina formauerat manus, auelli poterant. Denique cum multo honore & pompa funeris ſepelierunt eum. *Tob. 4. 5. Gen 49. 32. Act. 20. 37.*

Hanc Adami morientis valedictionem, ex variis ſcripturæ locis pene parodicè collectam, non ingratam habebit lector pius; reperiétque meo iudicio à ſtatu temporum illorum minimè diſcrepantem; conſentaneè illis quæ narrata ſunt hactenus, & quæ de morte Euæ poſt decennium dicentur. Sed ornemus etiam ſepulchrum patris noſtri Adami Epitaphio, in hunc ferè modum.

ADAMI EPITAPHIVM.

XV. *Adami Epitaphium.* ADAM MAXIMVS HIC SITVS EST, PRIMVM HVMANI GENERIS CAPVT, ORBIS VNIVERSI MAGISTER, ET PRINCEPS. HIC NEC PATREM HABVIT, NISI DEVM, NEQVE MATREM, NISI TERRAM, DE QVA SVMPTVS, ET FICTVS EST. HIC VNVS OMNIVM MORTALIVM NVLLAM NEQVE INFANTIAM, NEQVE PVERITIAM, NEQVE ADOLESCENTIAM EXPERTVS, PRIMA IPSA DIE SVA, QVÆ VI FVIT AB ORBE CONDITO, VIR FACTVS EST: ANIMO ET CORPORE LONGE PERFECTISSIMVS; DIVINARVM ATQVE HVMANARVM RERVM SCIENTIA EXCVLTISSIMVS; DIVINA GRATIA; CVM RELIQVO VIRTVTVM, AC DIVINORVM DONORVM COMITATV ORNATISSIMVS. ET PRÆTER ILLA, OMNIA CORPORIS ORNAMENTA, NOBILITATIS, PVLCHRITVDINIS, ROBORIS, STATVRÆ, COMPLEXIONIS, OPTIMÆQVE OMNIVM ORGANORVM DISPOSITIONIS FACTVS EST. OMNIBVS VITÆ NOSTRÆ MISERIIS, CLADIBVS, MORBIS, AC MORTIBVS SVPERIOR. DOMINATVM INSVPER IN OMNE GENVS ANIMANTIVM, TERRASQVE OMNES, AC MARIA, A PATRE, AC CONDITORE SVO LIBERALITER ACCEPIT. IPSVM AVTEM VT AGNOSCERET DOMINVM, PRÆCEPTVM ABSTINENTIÆ ACCEPIT. ET OCTIDVVM IN DELICIOSISSIMO EDENIS LOCO DIVERSATVS, OBSERVAVIT. SED ILLVD MOX CVM

INVIDIA

INVIDIA DIABOLI, VXORI GRATIFICANS, INFREGISSET, CONVICTVS CRIMINIS, DAMNATVSQVE, PARADISO EIECTVS EST: MISEREQVE SPOLIATVS, ET VVLNERIBVS INSVPER CONTRVCIDATVS, EXVLAVIT: ET POENITENTIAM AGENS, MVLTIS SVIS, SVORVMQVE MISERIIS EXERCITVS, IPSOS DCCCC. ET XXX. ANNOS IN LVCTV VIXIT. DENIQVE MORTEM, QVAM IN MVNDVM INVEXERAT, EXPERTVS, FIDE, AC SPE REDEMPTIONIS HVMANÆ PLENVS; EDVCTVS A DELICTO SVO, VIVERE DESIIT, ET DESTINATVM ADIIT SANCTIS PATRIBVS LOCVM. ANNO AB ORBE CONDITO DCCCC. XXX. CVM FILIOS, AC NEPOTES VIDISSET VSQVE AD DECIMAM GENERATIONEM. TV VIATOR QVISQVIS ES, PARENTEM HVNC TVVM ET VENERARE MORTVVM, ET IN COELO REGNANTEM INVOCA, ET COLE. I.S.P.

1. XVI. *Christi & Adami παράλληλος.*

1.Cor.15. 45 47.

EXPECTAS etiam, mi lector, promissam atque in Abele inchoatam Christi cum sanctis Patriarchis, atque Adamo in primis, omnium primo, ac principe comparationem: quoniam illum admodum expressam, & quasi geminam Christi imaginem, ac figuram esse necesse est, cùm ad id demonstrandum, etiam nominis communicatio facta sit, tanta, vt vnus primus Adam, alter secundus dictus sit; quod haud scio an vlli alij, præterquam Dauidi contigerit, apud Ierem. Ezechielem, & Oseam Prophetas.

Ierem. 30. 9. Ezechiel. 34.23 24.& 37 24 25. Osee.3.5.

Adamus ergo quasi concilio à Sanctissima Trinitate conuocato conditus est. Dicente *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, quod videri vellet aggredi opus, quod præcedentia omnia superabat, & propter quod facta fuerant illa omnia. Initum est à Sanctissima Trinitate de Christi incarnatione concilium, cuius interpres & nuncius factus est postea Archangelus Gabriel: quod opus maximum omnino fuit omnium diuinorum operum: & propter Christum gloria & honore coronandum, omnia fuisse facta Paulus ad Hebræos agnoscit.

c.2. 10.

2. XVII. *Similitudo formationis & nominis.*

1. Cor. 15. 45.

ADAMVS diuina manu coagmentatus factus est in animam viuentem. Nouissimus Adam, quem Spiritus sanctus ex terra benedicta, & impolluta formauit in vtero sacratissimæ virginis, non solùm factus est in animam viuentem, sed, in spiritum etiam viuificantem. Vtérque sine semine, sine confusione pudoris, sine gemitu, sine dolore procreatus; vtérque patrem nullum habuit nisi Deum; nullam matrem, nisi virginem terram, aut virginem Mariam.

3.

Gen 5.2. Lucæ 2. 21. Isa 62.2. Isa. 49.3.v. 5.

Vtérque nomen accepit à Deo, vtérque habuit *nomen nouum, quod os Domini nominauit*. Ille vt se famulum Dei ac seruum agnosceret. Sed & hic quoque secundum humanitatem. Propter quod audit Patrem per Prophetam dicentem. *Seruus meus es tu Israël, quia in te glorabor*. Et mox ipse filius, *& nunc dicit Dominus formans me ex vtero seruum sibi*. Et ibidem queritur se quasi seruum in vacuum laborasse, quod ad Iudæos attinet, sine causa, & vanè fortitudinem suam consumpsisse.

4.

1.Cor. 15. 47. Esa.9.6. Coloss 2.3. Ioan.1.14.

Vtérque pater factus est futuri seculi, primus Adam prioris & terreni, secundus posterioris & cœlestis, vtérque non solùm mundi propagator, sed etiam magister & doctor futurus, scientia & sapientia repletus est. Et maximè Christus, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*, imò & gratiæ, & virtutum omnium. Hæc est enim *gloria vnigeniti à patre*, vt sit *plenus gratiæ, & veritatis*.

5. XVIII. *Corporis Domini, & ætatis.*

SVMMA fuit corporis vtriusque perfectio, vt decebat immediatum vtriusque architectum Deum, *cuius perfecta sunt opera*, & posita in Ideam, & exemplar aliorum.

6.

Gen 2. Heb.1 6.

Adamus inducitur in paradisum voluptatis; & ad illum adducta sunt omnia cœli ac terræ animantia, vt ab eo nomen acciperent; & ipse se eorum Dominum indito illis nomine deinceps agnosceret. Primogenitus Dei introducitur in orbem terræ; auditque, *Et adorent eum omnes Angeli Dei*, vtpote famuli ac ministri Dominum, & creaturæ creatorem.

7. Adamus nullam infantiam, pueritiam, aut adolescentiam expertus, prima ipsa
die sua vir factus est; vtique in expressam illius figuram, de quo, etiam in vtero po-
sito dictum est, *Fœmina circundabit virum*: Et cui præ omnibus conuenit illud Apo- Ierem. 31. 22.
stoli, *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti estote.* Imò 1. Cor. 14. 20.
& illud Ezechielis, non minus quàm Lucifero, aut Principi Tyri, *Plenus sapientia,* c. 28. 12. & seqq.
& perfectus decore, in delitiis paradisi Dei fuisti, omnis lapis pretiosus operimentum tuum, &
foramina tua in die qua conditus es, præparata sunt. Vtérque in delitiis paradisi Dei fuit,
vnus ex gratia, alter ex natura. Vnus eiectus in culpa, in suam, & suorum perni-
ciem, alter emissus ex misericordia ad totius mundi salutem.

8. XIX. *Coniugij cum Eua & Ecclesia.* ADAMO data est Eua in matrimonium vna vni, sed ex dormientis latere edu-
cta; quam dilexit vt os suum, & carnem suam, *Quam nemo vnquam odio habuit. Hoc* Ephes. 5.
sacramentum magnum est in Christo & in Ecclesia, quæ vna est, è dotmientis in cruce
latere educta; quam Christus dilexit, *& tradidit semetipsum pro ea*, quia illi similis 10. 20. ser. 256. de tēp. in fine.
factus est, quando *Verbum caro factum est.* Vide August.

9. Ablata est Adamo costa, & repleta est caro pro ea, infirmitate carnea supplente
locum roboris, & firmitatis ossis. Ita Christus dedit sanctis Martyribus suis nobi-
lissimis Ecclesiæ suæ membris fortitudinem suam, qua roborati, tormenta non
solùm ferre; sed etiam irridere potuerunt. Ipse è contrario in agone suo *cœpit paue-* Matt. 26. 37. Marc. 14. 33.
re, & tædere, & mæstus esse.

10. Vtérque ob peccatum, ex nuditate confusione affectus est, sed Adam ob pec-
catum perpetratum; Christus autem persolutum. Ille violando præceptum bra-
chia extendit ad lignum; hic obediendo brachia extendit ad crucē, *Vt vnde mors*
oriebatur, inde vita resurgeret, & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.

11. XX. *Habitatio & mors eius.* ADAMVS incola Iudææ creditur, in eáque mortuus; certè quidem communi
antiquorum Patrum consentione, sepultus, vnde ad Limbos, locum Patribus de-
stinatum descendit, mundi redemptionem expectaturus. Secundus Adam in Iu-
dæa natus & educatus, in ea mortuus & sepultus, veteris Adami Caluariam pre-
tioso cruore respersit. Móxque descendens ad inferos ipsum Adamum, & reli-
quam eduxit captiuitatem mundi redemptione perfecta.

12. ADAMVS dum mortem pœnitentiam agendo præstolatur, vidit nepotes in-
numerabiles, vsque ad decimam generationem. Christus pro Dei gloria & homi-
num salute plurimos labores mortémque subeundo, vidit semen longæuum; & Esa. 53. 10. 12.
Dominus dispertitus est ei plurimos, sicut promiserat per prophetam, & per Apo- Hebr. 2.
stolum declarauit.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 930.

N. V. 1. ADDE etiam quę idem Feu-ardent. apud D. Irenæum refert. *Nicodemus*, inquit, *Christi discipulus in historia, quæ eius nomine circumfertur de passione & resurrectione Domini. Refert Dominum Iesum cùm secundum animam descendisset ad inferos, manum Adam tenuisse, & dixisse. Pax tibi cum omnibus filiis tuis, iustis meis. Ipsum autem Adam Christi genibus aduolutum lacrymabiliter deprecatum cum magna voce his verbis. Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me. Eduxisti ab inferis animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum, &c.* quæ accomodatè ad humanum sensum de spiritibus intelligenda sunt.

N. VI. 2. Adami pœnitentiæ suffragatur etiam apocryphus ea de re scriptus liber, quem Gelasius distinct. 15. proscripsit, suas enim nugas illi non scriberent, aut receptum iri sperarent, quæ probabili carerent fundamento. [illegible] cū Gnostici Adæ reuelationem finxerunt, vt auctor est Epiph. ea quam Scriptura memorat Exstasi Adami nisi sunt. Eudémque modo liber de Genealogia, siue de filiis & filiabus Adæ, quem Sixtus Senensis scriptum ait à Manichæis, & authorem laudas Augustinum in lib. contra Faustum, aperto textu Scripturæ, quasi clypeo vsum fuisse verisimile est. Neque hæretici solùm, sed Iudæi etiam ingeniosi in affingendis libris videri voluerunt. Librum enim quēdam de Creatione, quem refert Andreas Masius, Adamo tribuunt.

N. X. 3. Verba Andreæ Masij non retuli, quod satius sis ipsum adire fontem, quàm quantumuis limpidum riuum: non grauabor tamen ipsius aliquot versus describere, quos in honorem reliquiarum subiicis, vt intelligatur virum eum fuisse planè Catholicum; quamuis aliqui immeritò de ipsius fide dubitarint. *Dissimulare*, inquit, *non possum, cùm præsens hoc à me locus postulet, videri mihi magnis rationibus sanctissimorum hominum ossa, iustam apud omnes pios semper habuisse venerationem.* Hæc ipse.

ANNVS MVNDI, 940. PRIMAE ÆTATIS 940

SETHI 810. ENOS 705. CAINAN 615. MALALEEL 545. IAREDI 480. ENOCHI 318. MATHVSALEM 253. LAMECHI 66.

ANTE CHRISTI DOMINI NATIV. 3113.

l. 1. Chron. l. 5. c. 23. n. 7.

DECIMO ab Adami morte anno, & Lamechi 66. Euam matrem generis humani obiisse scribit Marianus Scotus in Chronico, eique assentitur Genebrard. & Feu-ardentius in D. Irenæum. I. *Eua obitus, & vita diuturnitas.*

Idque ex Iudæorum traditionibus ortum credere par est. Itaque cùm eodem die quo maritus procreata fuerit, decennio ætate prouectior marito migrauit è vita, non obstantibus tot ærumnis conceptuum & parturitionum, tot doloribus partuum, & perpetua dominatione viri; Abelis morte, & schismate Cainitarum, & assiduo mœrore pro crimine suo, quo morbi, omnibúsque huius vitæ miseriis aditum patefecisset.

ET celebratior quidem est Adami apud Patres, quàm Euæ pœnitentia: sunt tamen, qui huius quoque pœnitentiæ, & saluti suffragentur. D. certè Irenæus, de Eua quoque nominatim dicit illam *in pœnam peccati sui suscepisse tædia, & labores & gemitus, & tristitias partus, & seruitium; & increpationem Dei, sicut & virum suum, ne maledicti à Deo in totum perirent* (anima scilicet & corpore, vt Cain, & cæteri reprobi, sed corpore in terram abeunte vsque ad resurrectionem, anima in pace quiesceret.) S. Ep. de Euæ salute interpretatur illa Apostoli verba, *Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide & dilectione*, quia proximè ibi Apostulus de Adamo, & Eua locutus fuerat; sed quidquid sit de probatione, de sententia Epiphanij clarè constat. Tertullianus in libro de habitu muliebri, Euam non solùm animo, sed etiam corpore & habitu pœnitentem repræsentat. *Si tanta*, inquit, *in terris moraretur fides, quanta merces eius expectatur in cælis, nulla omnino vestrûm, sorores dilectissimæ, ex quo Deum viuum cognouisset, & de sua, id est fœminæ conditione didicisset, lætiorem habitum, ne dicam gloriosiorem appetisset, vt non magis in sordibus ageret, & squalorem potius affectaret, ipsam se circumferens Euam lugentem, & pœnitentem, quo plenius id quod de Eua trahit, ignominiam dico primi delicti, & inuidiam perditionis humanæ, omni satisfactionis habitu expiaret.* Libro autem secundo aduersus Marcionem vocat Adamum & Euam *restitutionis candidatos, & confessione releuatos*, quibus propterea Deus non maledixerit, sicut serpenti. II. *Pœnitentia & Salus.*

l. 3. c. 35. — hæresi 46. 1. Tim. 2. 15. c. 5.

HONORIFICE porro à Patriarchis omnibus parentatum Euæ, & suæ, & cõmuni omnium mortalium matri demortuæ; Euæ matri viuentium, aut potius morientium, rationi consentaneum est: sed & ipsius ossa cum Adami ossibus condita, & sublata fuisse facilè credi potest. Sicut postea Abrahami & Saræ lipsana, eodem sepulchro condita fuere. Eodem Isaac cum Rebecca coniuge: Eodem Iacob cum Lia. Eodem Tobias & Anna vxor ipsius, Manasses cum Iuditha. Idémque ab ipso Adamo, à reliquis Patriarchis factitatum meritò credi potest, vt qui in vita coniuncti fuerant, ne post mortem quidem separarentur. III. *Sepultura Euæ.*

Gen. 25. 10. c. 49. 31. Ibid. & 50. 13. Tob. 4. 5. 6. 14. 12. Iudith. 16. 28.

EXPECTAS vt arbitror, hoc loco lector, vt Euam cum beatissima virgine componamus. At longè promptius est, atque expeditius antithesin ex sanctis Patribus, innumeris in locis, colligere, quo nos labore iamdudum leuauit Canisius noster in opere Mariano. Nonnulla tamen satis apertam, atque illustrem similitudinem habere videntur, cum aliqua, quod necesse est, dissimilitudine. IV. *Euæ & Mariæ comparatio.*

l. 1. c. 2. & maxime l. 4. c. 14.

Eua prima est omnium mulierum ordine temporum, Maria prima dignitate ac prædestinatione diuina: sicut enim secundi Adami prædestinatio, antecedit destinationem primi, ita secunda Eua prius à Deo electa quàm prima; vt esset meliore iure mater viuentium spiritu, quàm illa corpore. 1.

Vtráque nobilissima mulierum, & corporis pulchritudine præstantissima: 2.

vtráque miraculo nata, & sine culpa originis producta.

3. Eua primi iustorum Abelis mater, cum in flore ætatis per inuidiam occisum lamentata est, vt B. Virgo primum iustorum Christum Dominum filium suum, & ipsum per inuidiam in flore ætatis crucifixum. Et sicut Eua alterum filium pro Abelo à Domino accepit, vnde & dixit, *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel quem occidit Cain*: Sic B. Virgo alterum filium Ioannem Euangelistam accepit pro Iesu, quem Iudæi parricidæ peremerunt, dicente Domino, *Mulier ecce filius tuus.*

4. Denique vtráque decennium Adamo suo superuixisse fertur, de Eua id iam retulimus, de B. Virgine id tradit Nicephorus ex Euodio, & quicúmque eam 57. 58. vel 59. annos vixisse arbitrantur. Vtriúsque funus à Patriarchis tam noui quam veteris Testamenti honoratum est. l. 2. c. 3. & 21.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 950. SETHI 820. ENOS 715. CAINAN 625. MALALEEL 555. IARED 490. ENOCHI 328. MATHVSALÆ 263. LAMECH. 76.

ANTE CHRISTI DOMINI NATIVITATEM 3103.

Hic est annus Iubilæi decimi noni. In quo Sethus, princeps, & Pater filiorum Dei, solemnibus Deum sacrificiis, cum reliquis Patriarchis iunioribus, honorasse credendus est.

ANNVS MVNDI, ET PRIMAE ÆTATIS 987. SETHI 857. ENOS 752. CAINAN 662. MALALEEL 592. IARED 527. HENOCHI 365. ET VLT. MATHVSALEM 300. LAMECHI 113.

ANTE CHRISTI ORTVM 3066.

I. *Annus translationis Henochi.*

Celebres est hic annus translatione mirabili Henochi Patriarchæ, vt ex Scriprura necessariò deducitur. Cùm enim natus sit anno mundi 623. eorúmque annorum vltimus fuerit Enochi primus, oportet hoc anno, trecentos sexaginta quinque, quibus in terris versatum Scriptura testatur, esse absolutos. Maior etiam Hebræorum Chronologia scribit Adamum ab Henocho sepultum, vixisséque post eum quinquaginta septem annos, quos si nongentis & 30. addideris, præsentem mundi & primæ ætatis annum conficies. Hoc ergo anno translatio est Henoch cùm tot annos vixisset in terris, quot diebus sol anni circulum metitur in cœlis [1] de quo, præter ea, quæ superius anno mundi 688. de ipsius sanctitate diximus, quærendum breuiter 1. mortuúsne fuerit, necne, 2. si translatus in viuis, quò, 3. quem ad finem, 4. quæ eius olim scripta fuerint, 5. quæ eius vita præsens, 6. quæ similitudo cum Christo. 1. ℞. n. 2 c. 4.

II. *Non mortuum, sed translatum esse, ex script.*

Qvod ad primum attinet, D. Paulus dubitare non sinit, mortuúsne fuerit Henoch, necne, qui disertè asserat, *Non vidisse mortem*. Simúlque obstruit ora iniqua loquentium Hebræorum, & de eius morte falsa garrientiũ, in quibus Aben-Ezra: & Hereticorum, quos refellit Del Rio in c. 5. Gen. quibus adde Temporariũ & Capellum. Imo & Cathol. quorundã, qui probabilius tantùm putant eũ non esse mortuũ, vt Oleaster, in 5. Gen. & Eug. qui in dubio relinquit an cum corpore assumptus sit, vt mox contra eum disseremus. Nunc id quæro, Num D. Paulus rem quam asserit tantum probabilem facit? Aut Sapiens, cùm ait viuentem, Heb. 11 5. Sap 4. v 10

inter peccatores esse translatum? Quid opus fuit meminisse vitæ, si translatus est mortuus? Aut quid opus erat aliter de Henocho, quàm de cæteris hactenus commemoratis scripturam loqui, cùm illos disertè mortuos dicat, istum non inuentum, non comparuisse, translatum esse, idque in omnibus codicibus, atque linguis?

III. Et Patribus. Irenæo. Tertull.

l. 5. c. 5. & l. 4. c. 30. c. 2. — ACCEDANT & sancti Patres. Irenæus: *Enoch*, inquit, *placens Deo, in quo placuit corpore translatus est, translationem iustorum præmonstrans.* Tertull. lib. aduersus Iudæos. *Nam & Enoch iustissimum non circumcisum, nec sabbatizantem de hoc mundo transtulit, qui necdum mortem gustauit, vt æternitatis candidatus*, &c. Et libro de Anima. *Translatus est Henoch, & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet; cæterum morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant.* Et libro de Resurrectione carnis. *Quod hodie Enoch & Helias nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, qua tamen de orbe translati, & hoc ipso iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni iniuria, & contumelia immunitatem carnis edis cunt*, &c. Clemens Romanus. *Quod si voluisset esse omnes homines immortales, facere quidem potuisset. Demonstrauit hoc in Enoch, & Elia quos noluit mortem experiri.* D. Chrysost. *Domi ipsi natum est, & ex voluntate profectum, quod Deo placuit, vt vsque hodie perduret, nondum gustum mortis expertus.* Et inferiùs crebro asserit Deum, ipsum viuentem transtulisse. D. Hieronym. contra errores Ioannis Hierosolymitani. *Enoch translatus est in carne, Helias carneus raptus est in cœlum, necdum mortui, & paradisi iam coloni, habent quoque membra, cum quibus rapti sunt, atque translati.* Hæc ibi: quibus similia apud eundem alibi leges.

(Margin: c. 50. & c. 35. de Elia tantum. c. 58. — l. 5. constit. c. 6. Clem. Rom. — hom. 21. in Gen. D. Chrys. — D. Hieron. epist. 61. epist. 148. ad Marcel & in psal. 20.)

l. 1. c. 3. D. August. — D. Augustinus in lib. de peccat. mer. & remiss. contendens Adamum ante peccatum mortalem fuisse, nec tamen moriturum. *Talem puto*, inquit, *habitudinem adhuc in corpore animali, atque mortali, etiam illis* (Enoch & Eliæ) *qui sine morte hinc translati sunt, fuisse concessam.* Et alibi. *Quid de Enoch*, inquit, *respondebit, qui filiis gentis Deo placens, non mortuus, sed viuus translatus est.* Et rursum alibi. *De vtróque, quos non dubitamus*, inquit, *in quibus nati sunt corporibus viuere*[2]. Adde Gregor. l. 9. mor. c. 3. Nemes. l. 6. de nat. hominis c. 4. Epiph. contra Origenem, & in Ancborato. Afferri huc possunt omnes penè interpretes Apocalyps. tam antiqui, quàm recentiores, quibus si placet adde Chron. Alexand. vbi de Henoch. *Hic est Henoch*, inquit, *à mortis sententia eximius; translatus est enim à Deo ne videret mortem, vt sacra literæ testantur*, &c. Sed in re planè certa satis est testium[3]. Quæramus potiùs quò translati sint. Nam de vtróque vna est eadémque quæstio, ex qua prior illa magis, magisque confirmabitur.

(Margin: l. 9. de Gen. ad lit. c. 6. l. 2. de pec. orig. c. 23. 2. ☧. — in c. 11. Interpr. Apoc. — Græco. Lat p. 45. Chron. Alexand. 3. ☧.)

IV. Quò translatus fuerit. Plerisq; res dubia & incerta.

EST autem hæc de translationis loco disputatio, multò præcedente difficilior. Cùm enim omnes Patres scripturam secuti, quæ multis locis Henoch & Eliam translatos sine morte tradit, id fateantur, de loco tamen, in quem translati sunt, plerique planè tacuerunt; id se ignorare significantes. Itaque S. Cyprianus in lib. de Sina & Sion aduersus Iudæos, aut quicũque eius libelli perantiqui author est. *Henoch*, inquit, *qui ante diluuium Deo iustus complacuit, & ideo de isto mundo in carnis suæ natiuitate viuus translatus est, in loco vbi Deus scit, ex quo loco in consummatione mundi innouari habet in hoc mundo.* D. Ambrosius cum multis in locis eius translationis meminerit, nunquam eos in paradiso collocauit. Nisi fortè cum in lib. de Paradiso, dicit *eum raptum in cœlum*, nomine cœli paradisum terrestrem velis accipere, quod satis absurdum est. Eodem modo satis intelligitur D. Hieronymum, cùm eos dicit paradisi iam colonos, non intellexisse paradisum terrestrem, sed quod paulò antè vocauerat cœlum. Tacet quoque locum translationis Tertullianus, licet tot locis ea de re agat: tacet Gregor. Papa hom. 29. in Euang. imò de Elia dicit, (eadémque est ratio de Enoch, *In cœlum aëreum subleuatum, & in secretam quandam terræ regionem repente ductum*, &c. Et Epiphan. etsi multum de vtriúsque translatione disputet contra Origenistas. Et alibi. Par silentium ab Hippolyto martyre de Paradiso seruatur, vbi tamen sæpè meminit Henoch & Heliæ. Imò neque D. Paulus ad Hebræos, licet id videretur admodum opportunum. Quin etiam D. Augustinus non solùm nihil de loco asserit, in quo sint: nisi obiter, & cum dubitatione l. 1. de pecc. mer. & re. c. 3. Sed vt rem disputabilem ponit quærere, An Henoch & Helias in eo paradiso sint, an alibi. D. Chrysost. curiosam eam quæstionem appellat, verátque humanis cogitationibus obsequentem curiosiùs ea quæ à

(Margin: S. Cyprian. — c. 3. D. Ambr — D. Hieron. — Tertull. — S. Gregor. — hæresi 64. & in Anchorato. S. Epiphan. — S. Hippol. — c. 11. 5. — l. 2. de pec. or. c. 23. S. August. — hom. 21. in Gen. S. Chrysost.)

Theodoret. *Rupertus.*

Deo fiunt explorate. Theodoret. cùm in quæstione posuisset, quem in locum Deus transtulisset Henoch, respondit non inquirenda esse, quæ silentio sunt tradita, sed veneranda quæ scripta sunt. Denique Rupert. *Nusquam*, inquit, *Scriptura dat intelligi, quod illos tulerit in ipsum paradisum, vbi comederent de ligno vitæ, & viuerent in æternum, sed ita sublati sunt, vt in secreta quadam regione terræ ducerentur, vbi in magna carnis & spiritus quiete viuerent, quousque ad finem mundi redeant, & mortis debitum soluant.* Sic Rupert. ex Gregorio, vt vides.

(q. 45 in Gen. — l. 3. in Gen. c. 33.)

V. *Alij in paradisũ terrestrem affirmant.* ALII nihilominus certum definiunt translationis locum, paradisum terrestrem. In quibus S. Irenæus, qui ait, eam doctrinam esse presbyterorum, qui fuot Apostolorum discipuli. *Vbi ergo*, inquit, *primus positus est homo, scilicet in paradiso, quemadmodum Scriptura dicit. Et plantauit Deus paradisum in Eden contra Orientem, & posuit ibi hominem, quem plasmauit, & inde proiectus in hunc mundum, non obediens. Quapropter dicunt presbyteri, qui sunt Apostolorum discipuli, eos qui translati sunt, illuc translatos esse.* Sic Iren. quo vno testimonio plurima, eáque grauissima continentur. Iustinus etiam martyr agens de iis, qui sub Christi resurrectionem surrexerunt, & apparuerunt multis. *Quam ob causam*, inquit, *resuscitati illi denuò mortem non oppetiere, sed in immortalitate manent* [4], *sicut Henoch & Elias, cum quibus in paradiso sunt, restitutionem sempiternam, qua omnes immutabimur, expectantes.* D. Athanasius in Epistola de Nicena synodo contra Eusebium. *Siquidem*, ait, *& Adam anticipans gratiam, & statim vbi natus est in paradiso collocatus, nihil quicquam differentiæ habuit ab Henoch, qui post tempora natiuitatis suæ, cùm Deo placuisset, in paradisum translatus est.* Isidorus in lib. de vita & morte Sanctorum, ait, *Enoch meruisse in eum locum transferri, vnde fuerat Protoplastus exclusus, scilicet in æqualem habitationem beatæ vitæ.* Procopius Gazæus. *Præceptum*, inquit, *Domini diligenter conseruauit Henoch: quapropter ipse ingressus est in paradisum, vnde Adamus fertur expulsus.* Denique vt omittam plures alios, quos refert Feuardent. in D. Iren. l. 4. Non est alienus ab hac sententia. D. Thom. non vno in loco, & nominatim in 3. p. *Et similiter*, inquit, *Enoch raptus est ad Paradisum terrestrem, vbi cum Helia simul creditur viuere, vsque ad aduentum Antichristi.* Ita D. Thomas, vulgarem sententiam referens, non asserens suam.

(*S. Irenæus. Apostolorũ discipuli. S. Iustin. S. Athan. Isidorus. Procopius. D. Thom.* — l. 5. contra hæres. c. 5. — q. 85. ad Orthodoxos. — 4. χ. quæ incipit, Rectè à te factum est, &c. — c. 3. — in c. 4 Gen. — l. 4. c. 30. n. 6. & l. 5. c. 5. n. 2. & 3. — 1. p. q. 102. a. 2. ad 3. & 3. p. q. 49. a. 5. ad 2.)

VI. *An Scriptura id tradat.* SED quid opus est pluribus? cùm legamus in Scriptura; *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam.* Etsi enim vox, paradisi, nusquam repetitur in Græco textu, satis est tamen in Latina vulgata editione reperiri, quam authenticam agnoscit, ac haberi vult ab omnibus Concilium Trident. Iansenius in eum locum, ait interpretem id addidisse de suo, secutum receptam in Ecclesia opinionem. At Del Rio ait, ex eo quod in vulgata legatur, constare, olim in libris, quibus est vsus interpres, ita lectum fuisse. Et Sixtus Senens. hanc sententiam pro Ecclesię sententia, & diuinæ Scripturę amplectitur. Quod refellit pluribus Perer. Et sanè huiusmodi libri quos Del Rio cogitat, ignoti fuerunt omnibus antiquis illis Patribus, qui locum incertũ esse contenduot, vel paradisum silent, vel de eo scriptũ reperiri in sacris literis negant. Neque esse necesse paradisũ intelligere de loco, in quo habitauit Adamus, satis docuit Gregor. Magnus, & totidem verbis eum secutus Rupertus, cùm aiunt in secretam quandam terræ regionem abductos, vbi in magna carnis & spiritus quiete viuerent, quo videlicet modo in paradiso viuebatur. Idémque satis clarè docet Isidorus, explicans paradisum, æqualem habitationem beatæ terræ: quò etiam videtur allusisse Tertull. in lib. de resurrect. carnis, quem antè retulimus. Denique certum est paradisum non rarò in Scriptura, pro quouis amœno, ac deliciis affluente loco sumi, & hic nullo epitheto restringi vocem, ad illum Adami paradisum. Quid autem ad Irenæi, & discipulorum, Iustinique martyris testimonia dicendum sit, consule Perer.

(Eccli. 44. 16. — sess. 4. — l. 5. Bibl. annot. 56. — l. 3. de Parad. q. 5 & l. 7. disp. vlt q. 7. — hom 29. in Euang — c. 58. — l. 3. in Gen. n. 47. & seqq.)

VII *Excutitur hæc de re Eugubini sententia.* EGO facere non possum, quin hoc loco Eugubinum conueniam, qui audacter sanè suam hac de re profert sententiam. *Quod autem Enoch, & Elias, & Ioannes Apostolus in eum locum translati feruntur, id eadem facilitate refellitur, qua asseritur. Quo quæso ex idoneo loco scripturarum id colligitur? Elias fateor assumptus est, sed num in paradisum? quis tam audax est, qui hoc ausit asserere? cùm id nusquam memoria proditum inueniatur. Eodem modo Enoch assumptus est, sed quem in locum Scriptura non refert. Eadem de Ioanne dici possunt. Quod si hi cum corpore assumpti sunt, arbitror eos ibi positos, vbi & Iesus cum corpore ver-*

(Annotat in Gen c. 2.)

satur. Hæc & alia Eugub. In quibus sine dubio multa peccat. Primò, quòd Ioan- 1.
nem aggregat Eliæ & Enoch, & eandem eorum sortem putat, contra communio-
[Apoc. 11. S. Hippolytus l. de Antich. vide & Pamel. in lib. Tertull. de Anima n. 166.] rem, & probabiliorem sententiam Doctorum, qui duos tantùm istos retineri fa-
tentur in viuis, ad pugnandum postremis temporibus contra Antichristum. Licet
non nemo de Ioanne idem olim dixerit. Peccat secundò, quòd vel ignoret scri- 2.
pturam, quæ translationem Enochi in paradisum dicit: vel quod deterius est, eam
pro scriptura non habeat, contra Ecclesiæ definitionem. Peccat tertiò, quòd in 3.
sanctos Patres, qui asseruerunt, quod ipse negat, contumeliosus sit, quorum verba
paulò antè protulimus, Irenæi, Iustini, Athanasij, cum presbyteris Apostolorũ di-
scipulis. Quartò, quòd dubitat an cũ corpore assumpti sint. Nam si sine corpore, 4.
ergo mortui sunt, neque enim anima à corpore teipsa separatur, nihilque eis præ
cæteris mortalibus contigit; contra communissimum omnium Patrum, totiúsque
Ecclesię iudicium. Quintò, deniq; peccat, quòd eos in cœlo cũ Christo, imò super 5.
omnes cœlos ponit. Aut certè, quòd multò deterius est, Christum excludit cœlo.

VIII. *Autoris sententia.*

Vt ergo concludamus hunc locum, cùm Scriptura facilè explicari possit, de quouis amœno loco, itáque à sanctis Patribus explicata fuerit, & perpauci eorum disertè asserant Enoch in paradisum terrestrem translatum, longè plures incertũ locum esse cõtendant, & rem ambiguam, & in vtrámq; partem disputabilem esse velint, neque à Scriptura certò traditam; denique multi pro hac sententia referantur, siue à Feuardentio, siue ab aliis, qui nihil tale asserant, aut ex aliorũ sententia loquantur. Existimo de loco in quẽ aut Enoch hoc anno, aut Elias post annos ferè 2150. translatus fuerit, non liquere. Quo modo sentit & Emanuel Sà in Gen. [c. 5.] & in 4. Reg. [c. 2.] Perer. locis ante citatis, qui totũ hunc locũ accuratissimè examinauit.

IX. *Causa trãslationis.*

Seqvitvr vt translationis causas inquiramus. Quas nonnulli minùs probabiles asserunt, vt Procopius in 4. Gen. *Enoch*, inquit, *iustus narratur raptus à Deo, ne & ipse à Lamecho vita priuaretur*. Putat enim duos, qui ab illo fuerunt occisi, fuisse filios Sethi: & occisorum vxores ab eo ductas, quòd suprà reiecimus, & communissima sententia est vnum de occisis fuisse Cainum, qui non fuit de stirpe Sethi. Sed & multos alios rapi necesse fuisset, quibus idem periculum, in tam deprauatis moribus hominum imminebat. *Non reor*, inquit Hieronym. [l. 1. in Iouin.] *idcirco translatum Enoch, quod vxorem habuerit, sed quod primus innocauerit Deum, & crediderit in Saluatorẽ.* Verùm hæc inuocatio non conuenit Enoch, sed eius abauo Enos, filio Sethi: hũc memoriæ lapsum notauit ibi Marian. Victor. & Six. Senens. [l. 2. Bibliothec. verb. Enoch.] & Perer. in Gen. [l. 7. n. 133.] D. Chrysost. [hom. 21. in Gen.] non aliam affert translationis causam, quàm quod Deo multùm placeret, sed multi quoque alij placuerunt, qui transferri non sunt. Tertull. l. contra Iudæos c. 2. ait placuisse Deo, non circumcisum, non sabbatizantem, vt ostenderet sine legis Mosaicæ onere nos posse Deo placere.

X. *Aliæ eius leuis causæ errores: Prima, futura, & spes resurrectionis.*

An potiùs raptus dici debet in figuram futuræ immortalitatis? vt ibidem Chrysost. subobscurè significat. At Tertullianus apertè. Cùm enim de vtriúsque translatione ageret. [l. de resur. carn. c. 58.] *Cuinam*, inquit, *fides testimonium signant, nisi quã credi oportet hæc futuræ integritatis esse documenta?* &c. fusè. quæ est sententia D. Thomæ in epist. ad Hebræos, [in c. 11. lect. 2.] vbi inter alia. *Data sententia mortis voluit Dominus ducere homines in spem vitæ, quod fecit in Patribus vtriúsque status* (fortè, cuiúsque, legendum, nam sequitur) *scilicet naturæ, legis, & gratiæ, vnde in primo statu dedit spem euacuendi necessitatem mortis in Enoch, in lege in Elia, in tempore gratiæ in Christo per quem datur nobis effectus huius promissionis.* Idem habet & Epiphan. in Anchorato. [vers. finem, fusè.] Et Iræneus, [l. 5. c. 5.] cùm ait, *Translationem Enochi præmonstrare translationem iustorum, & coauspicari incorruptelam, & viuere cum socii translatum, ad exemplum futuræ longitudinis dierum.*

XI. *Altera, ne inuerteretur.*

Aliam suggerit Sapiens in Scriptura, [c. 4. v. 10.] *Viuens inter peccatores translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius.* Noluit ergo Dominus eum deprauari ab improbis, aut ab impostoribus circumueniri. Ex quo intelligitur, quod notauit Pererius, [l. 7. n. 137.] tunc corruptelam humanæ naturæ, ex Adami peccato natam, magnas vires accepisse. Nec tantùm posteros Caini, sed etiam pij Sethi nepotes, religionis alioqui, ac pietatis cultores, impunitate vitæ, ac licentia, morúmque improbitate valde infectos fuisse, atque deprauatos. Quo

Enochi legatio.

fortasse respexit D. Irenæus. [l. 4. c. 30.] *Enoch*, inquit, *placens Deo cùm esset homo, Dei legatione ad Angelos fungebatur*. Angelorum enim nomine videtur intelligere eos, quos Moses,

paulò inferiùs appellat filios Dei, & à quibusdam, Angeli Dei dicti sunt, apud Augustinum, & Philonem Iudæum; qui cùm improbam vitam degerent, & Enochi virtus insignis, Deique erga illum beneuolentia nota omnibus esset; Consensu maiorum natu electus est non semel, vt ad eos legationem obiret, à flagitiis auocaret, ad studium virtutis accenderet: quo modo rectè eum locum interpretatus est Feu-ardentius; idque consentaneum est iis, quæ habet Theodoretus. Vocatur autem Dei legatio, quia Dei nutu, & Dei causa agebatur: Nisi malis Enochum appellatum ab Irenæo hominem Dei, sicut Timotheum à Paulo. Ergo etiam homines Dei discrimen adeunt, ne dum aliis prædicant, ipsi reprobi efficiantur.

c. 6. l. 15. de Ciu. c. 23. l. de Gigantibus. q. 47 in Gen. 1. Tim. 6. 11.

XII. *Tertia, vt prædicet in fine mundi.*

HÆC ergo causa priuatam spectat Enochi vtilitatem; quæ sequitur, publicam; & cùm illa mundi attingat initia, hæc mundi spectat interitum, vt scilicet det gentibus pœnitentiam, id est, vt plerique interpretantur, prædicet in fine mundi; cùm, vnà cum Elia, traducet homines, Iudæos præsertim, ab adoratione Diaboli, & Antichristi ad verum Deum. Et ita eum locum accipit Emanuel Sà, & alij vulgò interpretes, sed aliam expositionem nos supra attulimus, & magnam habet ex historia Apocalypseos probabilitatem. Itaque illa, quam ex D. Irenæo retuli, legatio, præludium quoddam fuerit, ad postremam illam prædicationem. Ad hãc causam pertinet, quod ait Irenæus, *Translatus est, & conseruatur vsque nunc, testis iusti iudicij Dei;* Sicut & in certamen cum Antichristo, quoniam, vt ex Tertulliano dicebamus, *Reseruantur morituri, vt Antichristum sanguine suo extinguant.*

Eccli. 44. 16. ann. mundi 688. n. 4. Apoc. 11. v. 3. l. 4. c. 30. l. de anima c. 50.

XIII. *Prophetia Enoch cuiusmodi fuerit.*

IAM verò de prophetia, vel scriptis Enoch, dicamus aliquid. Et primùm ipsum prophetasse, quod non solùm probabile facit illud Irenæi testimonium, quod paulò antè retulimus, de Enochi legatione ad angelos Dei, sed indubitatum reddit Iudas Apostolus in Epistola sua. *Prophetauit & de his septimus ab Adam, Enoch, dicens, Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes,* &c. Quæ hic Apostolus ait dicta in hæreticos sui temporis, quæ tamen in sensu historico, siue literali dicta videntur potiùs contra improbos homines illius primæ ætatis; sed quia optimè quadrant in hæreticos, de illis dicta videntur, & dicta dicuntur per accommodationem. Quo modo Christus Dominus dicebat Iudæis, *Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Esaias,* &c. Itaque in sensu literali id iudicium accipi potest de diluuio tũc appropinquante: In accommodatitio verò, de eo iudicio, quod nos quoque expectamus. Iam illud minimè dubium, septimum ab Adam dici, ad differentiam alterius Enoch, qui fuit filius Cain, & tertius ab Adam. Eam prophetiam sine scripto vllo diuinitus reuelari potuisse Iudæ; quemadmodum dicta factáque Adæ Mosi reuelata fuerunt, satis patet, aut etiam traditione retineri, quod docet Tertul. lib. de habitu mulier. *Recordentur*, inquit, *pronepotem ipsius Henoch fuisse superstitem Cataclysmi Noë, qui vtique domestico nomine, & hæreditaria traditione audierat, & meminerat de proaui sui penes Deum gratia, & de omnibus prædicatis eius: Cum Enoch filio suo Mathusalæ nihil aliud mandauerit, quàm vt notitiam eorum posteris suis traderet.* Hæc Tertullianus.

n. 14. Matth. 15. 7. c. 3.

XIV. *Scripto tradită fuisse.*

DICAMVS secundò, admodum certum videri Enochum prophetiam suam scriptis tradidisse; quia id plurimi, grauissimique Patres affirmant, in quibus D. Augustinus de Ciuit. Dei. *Scripsisse quidem*, inquit, *nonnulla diuina Enoch illum septimum ab Adam negare non possumus; cùm hoc in Epistola canonica Iudas Apostolus dicat* (non dixit tamen scripsisse, sed prophetasse quod sine scripto facere potuit, vt Adam, hoc nunc os ex ossibus meis, &c. sed pergit) *sed non frustra non sunt in eo canone scripturarum, qui seruabatur in templo Hebræi populi, succedentium diligentia sacerdotum. Cur autem hoc? nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei iudicata sunt, nec vtrum hæc essent, quæ ille scripsisset poterat inueniri.* Sic August. Tertulliano consentiens, cuius est illa oratio. *Scio scripturam Enoch non recipi à quibusdam, quia nec in armarium Iudaicum admittitur. Opinor non putauerunt illam ante cataclysmum editam, post eum casum orbis, omnium rerum abolitorem, saluam esse potuisse,* &c. Quibus ibidem fusè respondet. Et sanè cùm

l. 15. c. 23. c. 3. de habitu mul.

XV. *Quæ in scriptis traderentur.*

eius prophetiam deprauatam plerique sentiant, vt mox dicemus, oportuit aut librum, qui corrumperetur extare, aut subesse fundamentum aliquod verorum scriptorum, vt suppositia probabiliter fingerentur.

NEC librum tantùm memorat Enochi, Origenes, sed libellos, & materiam

iis explicatam. Nam homilia 28. in Numeros. *Qui fecit*, inquit, *multitudinem stellarum, vt ait Propheta, omnibus eis nomina vocat; De quibus quidem nominibus plurima, in libellis, qui appellantur Enoch, secreta continentur, & arcana: sed quia libelli ipsi non videntur apud Hebræos in autoritate haberi, interim nunc ea, quæ ibi nominantur, ad exemplum vocare differamus*. Et in fine lib. 4. de princip. refert Enochum in libro suo dicentem, *Ambulasse se vsque ad imperfectum, quòd ipse explicat ambulasse mentem Prophetæ perscrutantem, & differentem singula, vsquequo ad illud principium veniret, in quo imperfectam materiam, absque qualitatibus peruideret. tum omnes materiæ diuisiones, quæ ab vna in singulas quasque diruptæ sunt species, id est hominum, vel animalium, vel cœli, vel Solis, vel omnium, quæ in hoc mundo sunt*. Hæc ibi. Sed & contra Celsum significat ipsum *de Angelis è cœlo delapsis scripsisse, qui & mali redditi fuerint*.

l. 5. in fine.

XVI. *Deprauata fuisse ab hæreticis, & Iudæis.*

MVLTO plura de illorum libellorum argumentis, ex diuersis Tertulliani libris colliguntur, de idololatria, de cultu fœminarum, de muliebri habitu, ex quibus apertum est ab hæreticis esse deprauatos, inspersósque errores, eum maximè, qui est de Dæmonibus mulierum corruptoribus, ex malè intellectis Moysi verbis, quem errorem amplectitur, & tuetur Tertul. l. de habitu muliebri. Ex quo sumit aliqua D. Cypr. lib. de disciplina & habitu virginum. In quem etiam impingit lapidem Lactantius l. 2. diuinarum instit. c. 15. Nec ab eo videtur alienus D. Irenæus l. 4. c. 30. vt ibi Feuardent. non negat. S. Iustinus Martyr in Apologia prima pro Christianis, & Clemens Alexandrinus lib. 3. & 5. Strom. Iosephus lib. 5. antiq. cap. 3. Deprauatos à Iudæis & Hæreticis, affirmat quoque Raderus noster in chronico Alexandrino. Verùm hac de re pluribus postea dicemus in Sethi morte [1].

c. 4. c. 10. c. 2.
l. Genes. c. 6. 1.
c. 3. & 4. n. 54. & 55.
l. 4. c. 30. n. 5.
sub init. animadu. 3. 5. 20.

XVII. *Præsens Enochi & Heliæ vita*

SVPEREST vt quæ sit præsens vita translatorum dicamus. Id nisi coniecturis sciri non potest, nec meliorem inuenio coniectorem D. Augustino l. 1. de pecc. meritis & remiss. *Neque enim*, inquit, *Enoch & Elias per tam longam ætatem senectute marcuerunt. Nec tamen eos credo iam in illam spiritalem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur; quæ in Domino prima præcessit. Nisi quia isti fortasse nec his cibis egent, qui sui consumptione reficiunt, sed ex quo translati sunt ita viuunt, vt similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Helias ex calice aquæ, & ex collyride panis, sine cibo vixit. Aut si & his sustentaculis opus est, ita fortasse in paradiso pascuntur, sicut Adam priusquam propter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim quantum existimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem*. Sic August. Sed quoniam probabiliorem putauimus sententiam, quæ Paradisum illum deletum putat, in priore Augustini sententia consistamus. Quæ videtur etiam esse Hieronymi in epistola contra errores Ioannis Hierosolymitani. *Quod nos*, inquit, *imitamur ieiunio, illi possident Dei consortio, vescuntur cœlesti pane, & saturantur omni verbo Dei, eundem habentes Dominum, quem & cibum*. Id est, vt arbitror, Dei potestate sine cibo & potu, aut eorum appetentia, quasi in perpetuo ieiunio, perseuerant in viuis. Nec sanè apparet commodior faciliórque ratio qua illic viuant, sine cibi necessitate, quàm si Deus caloris actionem suspendat consumptricem humidi naturalis. Sed illo etiam Paradisi priuilegio, authore Tertull. lib. de resurrectione carnis, fruuntur, vt nullis huius vitæ miseriis, atque incommodis affligentur, eámque vitam addiscant hoc tempore, quam à resurrectione perpetuò possidebunt. vnde subdit, *Hæc futura integritatis esse documenta*. Nec tamen vult Tertullianus omnia esse paria, constat enim nunc mortalia esse eorum corpora, & carere dotibus quibus corpora à resurrectione donabuntur; vt significauit, paulò antè D. August. Denique vt ait Gregor. & Rupert. *In magna carnis & spiritus quiete viuunt*. quod Epiphan. hæresi 64. vocauit, *in corpore existere spiritualiter*.

cap. 3.
t. 2. ep. 61. ad Pammach.
c. 58. vt sup. n. 3.
l. 1. de pecc. mer. c. 3.

XVIII. *Enoch figura Christi.*

VERVM ne sine Elogio dimittamus primum hunc, imò etiam postremum Christi Domini præcursorem, præsertim integrum vitæ, scelerísque purum. Qui & ipse translatus est à conspectu hominum, *Ne leuis saltem maculare vitam famine posset*.

Certè vel in eo Christi figuram fuisse negare non possumus: quòd sicut Enoch propter virtutis eminentiam, dictus est præ cæteris viris bonis, qui tunc

viuebant placuisse Deo. Ita Christus præ Sanctis omnibus audiuit, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Math. 3. 17

2. Eius prædicatio, qualis & Christi. Nam Enoch, dum hic viueret, improbos hortabatur ad pœnitentiam, etiam legatione in eum finem obita, & vbi redierit, hominibus pœnitentiam prædicaturus est. Christus autem legatus & mediator reconciliationis Dei cum hominibus locum pœnitentiæ peccatoribus prædicatione aperuit, tam sua, quàm eorum, qui pro eo legatione fungebantur [6]. 6. χ.

XIX. QVID quod Enochi postremum prædicationis tempus trium annorum e- Apoc. 11. 2.
3. rit & dimidij, seu mensium 42. quod spatium traditur fuisse prædicationis ipsius Christi.

4. Enoch in spem & figuram resurrectionis translatus est, quam nobis Christus promeritus est morte & resurrectione sua, qui se vitam esse & resurrectionem fatetur. Sed & in eo quod dicitur à Paulo, *primitiæ dormientium.* Persimilis est enim vita Enochi dormientibus, qui hoc ipso neque cum hominibus conuersantur, nec cibo vtuntur aut potu. In fine autem mundi ipse cum Elia primitiæ erunt dormientium, extra ordinem, & ante alios resurrecturi, & in cœlum ascensuri. Ioan. 11. 25. 1. Cor. 15. 20. Apoc. 11. n. 12.

5. Denique eius certamen cum Diabolo, & Antichristo, Christi Domini cum iis pugnam, victoriámque repræsentat; In qua tamen vterque occisus circa Hierosolymam, vt notauit etiam Ioannes Apostolus. Nam Diabolum mundi principem eiecit foras. *Et illum iniquum Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui*, vt scribit Apostolus ad Thessalonicenses. Et de Enoch hactenus. Apoc. 11. 8. Ioan. 12. 31. 1. Thess. 2. 8

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 987.

N. I. 1. ANASTASIVS Synaita, lib. 7. in Hexaëmer. qui habetur tom. 1. Bibliothecæ Patrum, ait translatū Enoch an. mundi 1500. nimirum iuxta Græcorū chronologiam. Qui tamen annorum numerus exactus non est, cū inueniantur tantùm 1487. numerum scilicet rotundum maluit, quàm exactum reddere, cū id parum interesset; sicut & mox ibid. in annis Noë. At planè fallitur Xistus Sen. lib. 2. Biblioth. in voce Henoch, cùm ait eum versatū in hoc nostræ mortalitatis exilio, vsque ad annum orbis conditi 1015. quod neque in Græca, neque in Hebrea chronologia, aut Latina verum esse potest; sed abest à vero computo annis omnino viginti octo.

N. III. 2. Anthor mirab. sacræ Script. lib. 1. c. 3. apud August. to. 3. *Enoch verò sine morte, per totius penè seculi tempus, remotus ab hominum conuersatione custoditur, vt in eo qualiter homines, si non peccarent, generata prole commutarentur, in vitam spiritalem sine morte ostenderetur.* Clarissimè loquitur Epiphan. hæresi 64. quæ est contra Orig. aliquanto ante finem. *Quemadmodum translatus est etiam Enoch, vt non videret mortem, & non reperiebatur. Non autē translatus est & reliquit corpus, aut corporis partem, si enim reliquit corpus, vidit ergo mortem. Ipse verò cum corpore translatus, non vidit mortem. In corpore enim viuente est spiritaliter ablatus, & non animaliter, propter translationem, & quidem in corpore existens spiritualiter.*

N. III. 3. Mirum potiùs, ac nouum quod ait Procop. in c. 4. Gen. *Enoch credidit se nunquam moriturū, hoc immortalitatis donum dedit fides naturæ.* Et mox: *Cæterum nec Elias, nec Enoch domuerūt mortem, mortem vincere, & penitus è medio tollere, Christi opus est. Attamen Christus naturā humanā restaurans, illis qui natura erant mortales, immortalitatis munus elargitus est, quod nobis omnibus præstat.* Videtur dicere eos iam consecutos, quòd nos speramus, quod vtique videtur repugnare iis, quæ 11. Apocal. recitantur. Mirum autem etiam magis, ac nouum quod ait Pamel. in lib. Tertull. de anima, n. 565. dubiam esse hac de re D. Nazianzeni opinionem. quomodo enim aut ipse dubitare potuit de re quam tam perspicuè Scriptura tradit? aut quomodo nos de tanto doctore dubitare possumus ei ignota fuisse tot Scripturæ loca, quæ hac de re testimonium perhibent? Nam quod orat. 34. dicit, de Enocho nondum constare, an Dei naturam comprehenderit, aut comprehensurus sit, id est Deum videat aut visurus sit, viuens scilicet, vt Moyses, aut D. Paulus, & pari cū eis priuilegio fruiturus. quod non est de eius vita aut morte dubitare.

Longè alia dicit D. Iustinus à Procopio, sequentia enim ipsius verba ostendont, eum agere de diuturna, & temporaria tantùm vacatione mortis. Porrò non desunt qui illos iterum mortuos putent. alij autem probabilius in cœlum assumptos cum corporibus suis. Vide D. Thom. 3. p. q. 53. art. 3. Maldonat. & Iansen. negant iterum mortuos. Barad. autem t. 4. l. 7. c. 21. affirmat.

De scriptis Enoch plura suggerit Sixtus Senens. lib. 2. Biblioth. in voce Henoch. Pamelius diuersis locis in Tertoll. præsertim de habitu muliebri, cap. 3. Pererius lib. 7. n. 156. & seqq. Genebrard. lib. 1. chronolog. vbi de Enoch. Ingens fragmentum ex primo libro Enoch recitat Scaliger in notis in *μεταφρασιν* Eusebij, & aliud ex Geor-

gio Syncello, quòd vertit Raderus noster. not. 3. in chron. Alexandr. vbi multa de Angelis, quos vigiles, siue ἐγρηγόρους vocabant, de quibus rursus infrà dicendum erit.

Matth. 4. 17. Cœpit Iesus prędicare & dicere. Pœn. a. appr. n. e. r. c. Petr. Act. 2. 38. Ioannes Bapt. Matth. 32. Paul. Ephes. 6. 20. Actorum 20. 21. &c.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1000.

SETHI 870. ENOS 765. CAINAN 675. MALALEEL 605.
IARED 540. MATHVSALEM 313. LAMECHI 126.

ANTE CHRISTVM 3053.

TERMINAT hic annus primum mundi millenarium, seculum decimum, Iubilæum vigesimum; estque à morte Adami 70. ab Enochi translatione 13. quem & notatum ab illis Patriarchis, & variis tum sacrificiis, tum ludis celebratum, par est credere. Eum chronologi nonnulli notant, in quibus Marianus Scotus, sed nihil ad memoriam insigne annotant. quod dolendum, sed alia etiam magis dolenda, ac desideranda sunt, quæ oppressa silentio. *Iubilæus 20.*

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1042.

SETHI 912. ET VLT. ENOS 807. CAINAN 717. MALALEEL 647.
IARED 582. MATHVSALEM 355. LAMECH 168.

ANTE CHRISTI ORTVM 3011.

Gen. 6. 1. ADEST annus vltimus Patriarchæ Sethi. vt liquet ex iis, quæ initio 5. Genes. annotantur; & ratio aperta est, quæ docet rectè hactenus numeratos annos. Nam nongenti & duodecim anni Sethi, additi ad 130. quos vixerat Adam, ante ortum Sethi, mille & 42. annos exactè conficient. Moritur ergo hoc anno Sethus, vir vtique sanctissimus, & princeps filiorum Dei; vt qui diuinitus in locum innocentis Abelis suffectus esset; & in quo familia iustorum, sicut in Caino ciuitas impiorum, fundata erat. Quem credibile est, vt priùs Adamum dum viueret pro sua authoritate, & prudentia, virtutúmque exemplis & monitis, nepotes suos in officio ad mortem vsque retinuisse; annitente in primis Enos, qui pietatis laude florebat. Num. I. *Sethi obitus.*

II. *Deprauatio nepotum ipsius.* VERVM mortuo Adamo, translato Enocho, mortuo Setho, torrens iniquitatis vltra retineri non potuit. Itaque insignem nepotum Sethi deprauationem ante eum defunctum contigisse non existimamus; ideóque illam ad hunc locum L. 1 ant. c. 4. distulimus. Neque nobis repugnat Iosephus, cùm ait *filios Sethi*, de illis enim agit, *per septem generationes perseuerasse vnum Deum colentes omnium rerum Dominum; sempérque virtutis respectum habuisse. Procedente deinde tempore*, octaua scilicet generatione & deinceps, *à patriis institutis degenerasse*. Octaua autem generatio à Setho cadit in Lamechi ætatem, in qua versamur, & sub qua Hebræi generalem hanc morum euersionem agnoscunt, vt notauit Genebrardus, & obscurè significauit Lamechus ipse in natiuitate Noë, quæ post 15. annos contigit, vt ibi declarabimus. 1. 2. c. 3. Nam de Caini posteris alia est ratio. Eos quippe idem Iosephus ait. *Superstite etiam tum Adamo sceleratissimos euasisse. Dum posterior*, inquit, *fit deterior, nec solùm imitatur priorum vitia, sed & superat: interim nec à bellis, nec à latrociniis temperando. Et qui à cædibus abstinebant; alioqui auarè, & superbè apud suos viuebant*, vt suprà quoque retulimus. an. m. 461. an. m. 625. n. 1. De quibus etiam Cainitis intelligenda reor, quæ temporibus Iaredi contigisse, antea ex Epiphanio recitauimus.

III. *Commixtio Sethianorũ cum Cainitis.*

A D hæc ergo ferè tempora pertinet illa & personarum, & vitiorum multiplicatio, de qua sexto Geneseos fit mentio. *Cùm cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchra, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Non habita scilicet vltra ratione præcepti Adami, siue Sethi vt mauult Abulensis, de non miscendis connubiis cum Cainitis. *Separatum enim erat genus Seth*, inquit Theodoretus, *& non permiscebatur cum cognatione Cain, propter illatam ei ab omnium Deo maledictionem*[1]. Non apparet autem à quo prohibitio manarit conuenientius, quàm à parente; quem ratio postulat in filiorum suorum, filiarúmque matrimoniis authorem fieri, nuptiásque conciliare, aut respuere. Pergit autem. *Multo autem post tempore, nam post annos plus bis mille Diluuium induxit Deus*[2], *videntes filias cognationis Cain speciosas & illecti, vt verisimile est, instrumentis musicis ab eis excogitatis* (Tubal enim inter eas florens psalterium, & citharam inuenerat) *permixti sunt illis, & contaminauerunt suam nobilitatem, & eadem perpessi sunt, quæ Israëlitæ, qui Madianitarum filiabus permixti, impietatis earum participes facti sunt, & diuinam vltionem pertulerunt. Sic & hi qui ex Seth genus duxerunt, olim quidem, vt virtutum studiosi, vocabantur filij Dei, verùm impurarum mulierum pulchritudine capti, confuderunt familias alioqui distinctas, & pro fructu hæreditario omnem nequitiam acceperunt.* Hæc Theodoretus, & fusius Cassianus.

c. 6. init. — *in c. 6 q. 4. q. 47. in Genes.* — 1. ✠. — 2. ✠. — *Coll. 8. c. 21.*

IV. *Iubal & Noëma cõciliatores huiusmodi nuptiarum.*

H I S quæ de Tubal, aut potius Iubal, vt patet ex cap. 4. Genes. nam ille malleator & faber, hic pater canentium cithara & organo, his, inquam, quæ de Iubale dicit Theodoretus, consentanea sunt quæ ex Rabinis affert Genebrardus de Noëma, quam aliqui à suauitate & dulcedine, alij à virtute & iustitia, alij denique probabilius à pulchritudine, & forma commendant, qua decepti fuerint filij Dei. Et quamuis non de vna muliere agatur, sed de pluribus, quæ acceptæ fuerint in vxores, potuit tamen hæc in plurimis eminere, & suarum, aliarúmque nuptiarum agere pronubam. Quin etiam iidem Rabini sanè confidenter, vt solent, asseuerant fuisse illam vxorem Patriarchæ Noë, & matrem Sem, & fratrum eius. Verùm iis refragantur posteriores Hebræi, aliíque doctores Catholici, qui passim tradunt omnem Caini posteritatem Diluuio fuisse deletam. Et fortasse vocabulorum Noë & Noëmæ affinitas Rabinis occasionem dederit, hanc affinitatem conciliandi de cerebro suo. Neque enim putandum est Noë virum sanctissimum, hac sese impiorum affinitate contaminare voluisse.

v. 21. & 22.

V. *Filij Dei, & filiæ hominum Sethi & Caini soboles.*

C Æ T E R V M nomine filiorum Dei, & filiarum hominum intelligi Sethi & Caini posteritatem, permulti antiqui, recentioréſque sentiunt, vt meritò communissima, verissimáque sententia dici possit. Nam præter Theodoretum, & Cassianum, qui ea de re ex professo disputant, ita sentit Diuus Chrysostomus, qui & serio aliam expositionem impugnat, vt dicemus; sicut & Diuus Augustinus l. 15. de ciuitate Dei, & sanctus Cyrillus lib. 3. in Genes. & lib. 9. contra Iulianum, Rupertus lib. 4. cap. 12. Albinus Flaccus quæst. 95. in Genes. & Procopius Gazæus, Suidas in vocabulo Seth, qui tamen in filiis Dei, non solùm Sethi, sed etiam Enochi & Enosi filios numerat, & chronic. Alexandrinum, & ibidem Raderus numero quarto. Sixtus Senensis in sua bibliotheca, Pererius quam ait esse perquam celebrem, & magnorum scriptorum autoritate valde nobilitatam interpretationem. Cui postremo suffragium suum addit Diuus Thomas in 1. p. secutus Diuum Augustinum. Del Rio quoque hanc expositionem amplectitur, probátque Eugubinus, afferens ex nescio qua dogmatica panoplia, υἱοὶ θεοῦ, οἱ ἐκ τοῦ Σὴθ, θυγατέρες δὲ ἀνθρώπων, αἱ τοῦ Κάϊν. filij Dei, qui ex Setho geniti, filiæ verò hominum, quæ ex Cain. Addo Nicolaum Lyranum, Abulensem q. 4. Feuardentum in Irenæum, Emanuel Sa in Genes. Vatabl.

Theodoretus q. 47. coll. 8. c. 21. hom. 22. in Gen. l. 15. c. 23. in c. 6 Gen. — *l. 5. annot. 77. l. 8. in Gen. n. 7. & 21. 1. p. q. 51. a. 3. ad 6.* — *l. 4. c. 30. n. 5.*

VI. *Potius quã viri principes.*

E T S I autem prior expositio plurium Hebræorum est, nonnulli tamen nomine filiorum Dei, filios principum & magistratuum intellexere. Itaque vbi Aquila vertit υἱοὺς τῶν θεῶν, Symmachus interpretatur τῶν δυναστευόντων, quia huiusmodi sunt instar Deorum in terris, & in Scriptura quoque dij appellantur. Quam expositionem plurimum probat Eugubinus, existimans hos Patrum

Exod. 22. 8. 9. 15.

potentia

potentia, & authoritate confisos, nihil inausum reliquisse, adeò vt opprimerent inopes, eorúmque filias in veneream seruitutem pertraherent, siue vt ait Tostatus, nouas nuptas, antequam à viris suis attingerentur, adulterio pollúerent: idque confirmatur ex eo loco, vbi dicitur terra repleta iniquitate, vbi chamas חמס violentiam & oppressionem significat, vt notauit Eugubinus. At Lyranus & Abulensis id meritò improbant; quòd huiusmodi peccatum paucorum tantum esse posset, cùm Deus de malo vniuersali, quòd ad omnes pertineret, conqueratur. *Vidit enim Deus terram esse corruptam, & omnem carnem corrupisse viam suam.*

[Margin: in c. 6 q. 4. — Gen 6. v. 5. 11. & 12.]

VII. *Plerique angelos censuere.*

HANC & superiorem sententiam huius loci, Eugubinus rectè cæteris anteponit, an non rectè ait omnes scriptores Græcos harum alteri adhærere. Nam plerique antiquissimorum etiam Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum, aliorúmque Scriptorum qui in textu Græco, non filios Dei, sed angelos Dei legerunt, intellexerunt angelos illos apostatas qui ex cohabitatione cum mulieribus genuerint gigantes. In iis Iustinus Martyr qui sine dubio huc allusit, in prima pro Christianis Apologia, quæ est ad Senatum Romanum, *Angeli*, inquit, *Dei dispositionem transgressi, mulieribúsque mixti filios procrearunt, qui dæmones sunt dicti.* Et in altera ad Antoninum Pium. *Quandoquidem*, inquit, *& antiquitus peruersi Dæmones, per spectra apparentes, mulieres constuprarunt & pueros corruperunt, terriculamenta hominibus exhibuerunt*, &c. Addit Clemens Alexandrinus nunciasse arcana mulieribus, & quæcunque venerunt ad eorum cognitionem, indéque profluxisse doctrinam prouidentiæ, & sublimium rerum reuelationem: quæ plenius explicat Zosimus Panoplites apud Photium. Et Scaliger in Notis in Eusebium, ex libro Enoch. Tertullianus libro de habitu muliebri. *Angeli*, inquit, *qui ad filias hominum de cælo ruerunt, vt hæc quoque ignominia fœmina accedat. Nam cùm & materias quasdam benè occultas, & artes plerásque non bene reuelatas sæculo multò magis imperito prodidissent (siquidem & metallorum opera nudauerant, & herbarum ingenia traduxerant, & incantationum vires promulgauerant, & omnem curiositatem, vsque ad stellarum interpretationem designauerant) propriè & quasi peculiariter fœminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt*, &c. Et paulò post: *Enimuero qui vtique interdum cogitabant vnde cecidissent, & post libidinum vaporata momenta cælum suspirabant*, &c. Quam opinionem ex magistro hausit etiam Diuus Cyprianus in libro de disciplina & habitu virg. & in lib. de Singularitate clericorum, qui putatur Origenis. Sed hi de gigantibus inde procreatis tacent. Non ita Eusebius Pamphili, de præparatione Euang. vbi suspicari se ait, quæ ab Ethnicis de Gigantibus, & Titanibus decantantur, ad hunc Mosis locum pertinere, in quo gigantes ab angelis Dei procreati dicuntur. Et clariùs Iosephus. *Multi angeli Dei cum mulieribus congressi, progeniem procreauerunt insolentem, & fiducia roboris omne ius & fas contemnentem, quorum facinora non absimilia iis, quæ de gigantibus Græci memorant, posteritati sunt tradita.* D. Ambros. *Non Poëtarum more gigantes illos terræ filios vult videri diuina Scriptura conditor, sed ex angelis & mulieribus generatos asserit.* Sumpsit hoc fortasse à Philone, sicut alia pleráque S. Ambros. is enim pro filiis Dei, legit angelos Dei, & quos alij Philosophi genios vocant, illos ait Mosem vocare angelos, id est animas per aërem volitantes, quæ descendant in corpora, & scilicet illa patrarint, quæ narrantur à Mose. Lactantius de origine erroris, ait *Deum misisse angelos in terram, ad tutelam, cultúmque generis humani, sed ipsos consuetudine ipsa paulatim ad vitia pellectos sese mulierum congressibus inquinasse, & qui ex his procreati essent, neque angelos, neque homines fuisse, sed mediam quandam gessisse naturam*[1]. Pro eadem opinione referuntur Athenagoras, & Methodius Olympi Episcopus[4].

[Margin: l. 5 Strom. — cap. 2. 197. 38. p. 244. — n. 54. — l. 2. de Noe & Arca, c. 4. — l. 1. ant. c. 4 — l. de Gigãt. init. — l. 2. c. 15. — 3. ※. 4. ※. — S. Iustinus. — S. Clemens Alexand. — Tertull. — S. Cyprian. — Origenes. — Eusebius. — D. Ambr. — Philo. — Lactant. — Athenagoras. — Methodius.]

VIII. *Quæ opinio reprobata est.*

VERVM hæc opinio ex ignoratione angelicæ naturæ, & angeli vocabulo non intellecto, & Apocrypho Enochi libro profecta, iampridem ab Ecclesia Catholica proscripta est; & inter hæreses à Philastrio Brixiensi numerata, & refutatur à Diuo Augustino non vno in loco. D. Chrysostomo homil. 22. in Gen. vbi opinionem hanc vocat, *Fabulas omnia inconsideratè loquentium, & blasphemas voces hominum aduersum capita sua blaterantium.* Sanctus Cyrillus vocat, *falsam prauissimorum hominum opinionem*, eámque accuratè & eruditè refellit. Et rursus contra Iulianum apostatam eadem sentientem, in l. 9. init. & eum secutus Ana-

[Margin: c. 108. — q. 3 in Gen. & fusius. l. 15. de ciu. c. 23. — l. 3 in Gen. init.]

stasius Episcopus, Nicenus quæst. 25. habetur tom. 1. Bibliothecæ Patrum & Chronicon Alexandr. Theodoretus etiam animosè quæst. 47. *Quidam nimis stupidi, & stolidi, existimarunt eos angelos esse; putantes suæ forsan intemperantiæ patrocinium habituros, si angelos eiusdem criminis reos tenerent.* Omnes autem eo fundamento nituntur, quòd angeli incorporei sint, isti autem de quibus est sermo carnei, vnde mox Dominus, *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Et certè si hoc Dæmonum fuisset peccatum, & mulierum duntaxat, in dæmones, non in homines diuina exarsisset ira; quæ tamen genus humanum Diluuio perdidit, *quia omnis caro corruperat viam suam.* Cato, inquam, qua angelici spiritus carent [t].

Græcolat. p. 47.

§. X.

IX. *An nunc primū exorti gigantes.*

NON ergo ab angelis, siue dæmonibus procreati sunt gigantes, sed ab iis hominibus, qui cùm prius pietatis ac iustitiæ cultores extitissent, totos sese in libidinem, inconcessáque coniugia profuderunt. Sed inquiramus, si possumus, quo primum tempore emerserint *potentes illi à seculo viri famosi*, tum quales illi fuerint considerabimus. Sunt qui putent tum primum natos gigantes, *cùm filij Dei filias hominum vxores acceperunt.* eáque videtur prima fronte Scripturæ sententia, quæ dierum illorum disertè meminerit. Verùm si quis animum intenderit animaduertet etiam longè antea fuisse homines staturæ maximæ, sed Scripturam dicere, tunc quoque, siue, etiam post ista connubia, gigantas esse procreatos. Idque consentaneum est Hebræo, Græcóque textui. Itáque Pagninus, Lipomanus, Tigurina, ad verbum ex Hebræo vertunt. *Gigantes fuerunt in terra in diebus ipsis; & etiam postquam ingressi sunt.* Non autem: *Postquam enim ingressi sunt. Ac si diceret*, inquit Lipomanus, *Non solùm gigantes geniti fuerunt ex aliis coniugiis, verùm & ex istis quoque.* Eadémque est sententia vtriusque paraphraseos Chaldaicæ, & Caiet. & Del Rio, & Vatabli. Sed & Septuaginta cùm dixissent fuisse gigantes super terram eo tempore, subdunt, ϗ μετ᾽ ἐκεῖνο, ὡς ἂν εἰσεπορεύοντο οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ, &c. *& post illud, posteaquam ingressi sunt filij Dei.* Quæ omnino est Diui Augustini sententia, de ciuitate Dei, vbi relatis Scripturæ verbis, *Hæc*, inquit, *libri verba diuini satis indicant iam illis diebus fuisse gigantes super terram, quando filij Dei acceperunt vxores filias hominum.* Et mox: *Sed & postquam hoc factum est, nati sunt gigantes, ergo & ante in illis diebus, & post illud.* Et inferius. *Igitur secundum Scripturas canonicas Hebræas atque Christianas, multos gigantes ante Diluuium fuisse dubium non est, & hos fuisse ciues terrigenæ societatis hominum, Dei autem filios, qui secundum carnem de Seth propagati sunt, in hanc societatem deserta iustitia declinasse. Nec mirandum est quod etiam de ipsis gigantes nasci potuerunt, neque enim omnes gigantes fuerunt, sed magis multi vtique tunc fuerunt, quàm post Diluuium temporibus cæteris.* Hæc D. August.

Gen. 6. 1. 2.

l. 15. de ciui. c. 23.

X. *An potius à mundi principio.*

HANC sententiam de antiquitate gigantum duo in vulgata editione confirmant, 1. vox, *erant*, quæ remotissimis temporibus, & ab vltima antiquitate repetitis tribui solet. *In principio erat Verbum; Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram*, idcò Vatablus plusquam perfecto vtitur. cuius est ista huius loci paraphrasis. *Gigantes autem fuerant super terram in diebus illis, & etiam postea quando ingressi sunt filij magnatum ad filias hominum, & illæ pepererunt illis*, id est, in diebus Cain, & Henoch fuerant gigantes, & etiam postea fuerunt, quando filij principum congressi sunt cum filiabus plebeiorum, & illæ filiæ pepererunt illis filios. 2. eidem antiquitati patrocinatur vox *à seculo*, quæ idem valet, atque à mundi principio, vt ibi, *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum eius*, in illis enim Prophetis est Adam, vt Christus Dominus, & Paulus Apostolus eius docent. Idem valent illud, *A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.* Et, *Notum à seculo est Domino opus suum.* Et, *A seculo confregisti iugum.* Et, *Tu Domine pater noster, redemptor noster, à seculo nomen tuum.* Et, *Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt.* Et, *Firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Parata sedes tua ex tunc, à seculo tu es.* Sic Ps. 118. 52. Ergo Gigantes à seculo, & ab ipso mundi initio fuerunt, id est Adam ipse, & Eua, & Cain, & Abel, & Seth, & reliqui, procerissimæ staturæ fuerunt. Cui sententiæ fauet illud Iosue, de maximo Adamo, inter Enacim in Hebron sepulto, vt placet Hieron. & illa fabula quam refert Moses Bar-cepha, de transgresso Oceano vado, à pri-

Luc. 1. 70.
Act. 3. 21.
Ephes. 5.
Math. 19.
Gen. 2.
Ioan. 9. 32.
Act. 15. 18.
Ierem. 2.
Esai. 63. 16.
Psal. 24. 6.
92. 1. 2.
c. 14. in fin.

mis parentibus, cùm è paradiso pulsi, in has terras emigrarunt, & authoritas Methodij, aut eius potius paraphrastæ, nam in Græco lacuna est, qui Sethum
p. pr. de parad. c. non dubitat Gigantem appellare, vt supra diximus. Denique Baruch *Gigantes ab initio fuisse* tradit, interpretans hunc locum.

an.m 150. n. 10. c. 3. 26. in c. 6 Gen. ACCEDAT Diuus Chrysostomus, vt refertur ab Eugubino: nam apud authorem ipsum non reperio, qui Gigantes vocat Heroës prælongos, tales enim, ait, produxit Deus filios Sethi excelsos, filios autem Cain humiles, & tenui corpore, vt aspectu ipso appareret differentia [6]. Significat ergo Chrysostomus non obstante humilitate fœminarum, è Cainea stirpe genitarum, progenitos tamen fuisse ex hisce coniugiis viros ingentes, & statura excelsa, quales primi illi à seculo, siue à mundi exortu fuerant. Verùm Cainitas potius gigantea statura fuisse significat Baruch. *Ibi fuerunt*, inquit, *Gigantes, nominati illi, qui ab initio fuerunt statura magna* [7], *scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ inuenerunt, propterea perierunt.* Atqui Dominus elegerat filios Sethi, abiectis Cainitis, posteri ergo Cain potius gigantes fuerunt, quàm Sethi nepotes. Quidquid sit, illud certè constat fuisse hos viros statura procerissima, cui etiam cætera corporis amplitudo responderet, vt ratio postulat, & naturæ modus; alioqui minimè fortes fuissent. cùm tamen constet eos non solum magnitudine, sed etiam fortitudine præstitisse. *Arbitror*, inquit Theodoretus, *fuisse quosdam prægrandes homines, παμμεγέθεις ἀνθρώπους. Deo hoc sapienter dispensante, vt cognoscant Deum, quasi omnipotentem creatorem, tantam hominibus distribuisse mensuram. Perfacile enim erat ei etiam maiores creare*, & cætera. Eam porrò altitudinem ex Scriptura etiam probat. Nam apud Amos Prophetam Dominus. *Ego*, inquit, *exterminaui Amorrhæum à facie eorum, cuius altitudo, cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus.* Certè statura gigantæa in primis celebrata est in Scriptura, Numer. 13. Deuter. 2. & 3. Vbi *lectus Og regis Basan ferreus dicitur nouem cubitos habuisse longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus*; non gigantææ scilicet manus, sed communis. Longitudo autem cubiti est pedis vnius cum dimidio, spatium scilicet à cubito brachij, vsque ad extremos digitos; faciamus autem lectum fuisse longiorem vno cubito, quam esset iste Rex, supererunt ipsi giganti octo cubiti longitudinis, id est duodecim pedes, quæ est longitudo duplo maior, quàm sit eorum, qui nunc procera sunt statura; rarissimi enim visuntur, qui sex pedes longitudine superent, vt mirum sit Temporarium asseuerare nusquam esse proditum maiore statura fuisse homines ante Diluuium, quàm nunc sint.

Left margin notes: 6. x. — 7. R. — q. 48. in Genes. — c. 2. v. 9. Num. 13. Deut. 2. v. 33. & 34. v. 10. 20. 21. — pag. 10. n. 4.

Right margin: XI. *Quales fuerint, & primũ statura.* — *Cubitus.*

XII. *Vulgares tum homines etiam procerissimos, ex August.*

l. 15. de ciu. c. 9. Quòd Diuus Augustinus ne de vulgaribus quidem illius temporis hominibus, nedum de gigantibus, concesserit. *Nam præter quòd*, inquit, *erant omnium multo maiora, quàm nostra nunc corpora, gigantes longè cæteris anteibant.* Et paulò antè: *Ita quippe non credunt etiam magnitudines corporum longè ampliores tunc fuisse quàm nunc sunt. Vnde & nobilissimus eorum Poeta Virgilius, de ingenti lapide, quem in agro pro limite infixum, vir fortissimus illorum temporum pugnans, & rapuit, & cucurrit, & intorsit, & immisit.*

Vix illum, inquit, *lecti bis sex ceruice subirent:*
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Significans maiora tunc corpora producere solere tellurem. Quanto magis igitur temporibus recentioribus mundi, antè illud nobile, diffamatúmque Diluuium. Sed de corporum magnitudine plerúmque incredulos, nudata per vetustatem, siue per vim fluminum, variósque casus sepulchra conuincunt vbi apparuerunt, vel vbi ceciderunt incredibilis magnitudinis ossa mortuorum. Vidi ipse non solus, sed aliquot mecum in Vticensi littore molarem hominis dentem tam ingentem, vt si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse. Sed illud gigantis alicuius fuisse crediderim [8].

8. x. Quæ meritò pudefaciant Temporarium, qui statuit in sacris literis Gigantes non pro insuetæ proceritatis hominibus, sed pro tyrannis accipiendos esse, & omnino paucos fuisse staturæ illius insolitæ. At non de paucis loquuntur legati illi, qui visa referebant, *populus quem aspeximus procera statura est.* In He- XIII. *Ex sacris literis.*

bræo, *& omnis populus, quem vidimus in medio eius, viri mensurarum*, nimirum insolitarum. Septuaginta, ὑπερμήκεις ἄνδρες, *viri supra modum longi.* adeò vt illis comparati Israëlitæ, *se quasi locustas reputarent.* verùm amplificant, inquies, isti metu. Quid Moses ipse? Agens de Emim, populis, qui fuerant multò antiquiores his, putà ante Lothum & Abrahamum, vocat eos *populum magnum, & validum, & tam excelsum, vt de Enacim stirpe quasi gigantes crederentur.* Et rursus de primis terræ Ammonitarum cultoribus, quos vocabant Zomzomin. *Populus magnus, & multus, & proceræ longitudinis, sicut Enacim.* Ecce proceræ longitudinis homines gigantes dicuntur, aut gigantibus similes in Scriptura, & erit qui statuat in sacris literis gigantes non accipi pro insuetæ proceritatis hominibus? [Deut. 2. 10.]

XIV. *Deformes fuerunt ex libidine.*

QVAMVIS autem statura excelsior ad dignitatem, & pulchritudinem pertineat, vt de Saüle ex Scriptura constat, & Dauide, qui ex humili statura contemptibilis videri poterat. Diuus tamen Cyrillus hisce gigantibus corporum deformitatem in pœnam libidinis tribuit. Elegans est eius oratio. *Donec*, inquit, *sanctissimum illud genus* (filiorum Dei) *solum per se viueret, nullóque se vitio commisceret, pia in Christo religionis pulchritudo syncerissima, quæ inter eos splendesceret, dignum laude planè reddebat. Sed vt primùm ad auidas carnis libidines prolapsi sunt, mulierum pulchritudine incensi, à via recta plurimùm aberrarunt. Acceperunt etenim, inquit, sibi vxores ex omnibus filiabus hominum, quas elegerunt. Et quamquam Dij, deorúmque filij, atque potentum appellarentur, mox ad eorum mores, & instituta se conuerterunt, atque turpissimam, sceleratissimámque vitam sequebantur. Atque ita fiebat vt vxores eorum prodigia parerent. Deus enim ob eorum effrenatam libidinem, & ipsam humanorum corporum pulchritudinem deformem sanè reddebat. Erant enim Gigantes, id est indomiti, robustíque homines, plurimúmque deformes, atque ob corporum magnitudinem cæteris excellentes.* Hæc Cyrillus; qui & mox eos dicit fuisse visu horribiles, sicut & Iosephus. Et lib. 9. in Iulianum. *Fuerunt autem Gigantes & potentes quidem, & fortissimi, sed aspectu valde deformi.* & infrà, *eos dicimus fœdos aspectu, monstrosos, & temerarios.* Hæc Cyrillus, quem sequitur Procopius. [1 Reg. 10. v. 23 24. 1 Reg. 16. 7 l. 3. in Gen. l. 3. c. 2.]

XV. *Robusti & bellicosi.*

BARVCH Propheta non solùm Gigantes à staturæ magnitudine celebrat, sed à bellica scientia, Moyses autem à potentia, siue robore corporis. Cyrillus, *Gigantes illos esse intelligimus, qui horribiles visu, robore incorporabiles, indomiti, inuictíque homines ob corporum magnitudinem fuerunt, cæterósque propterea contemnentes, non tamen (vt ipsi Poëtæ volunt) vt ipsas nebulas attingerent, aut vnus Siciliam totam in cœlum proiiceret.* Huic robori subscribit Dauid, cùm ait, *Et gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.* LXX. enim verterunt gibbor, id est potens, in gigantem, quasi quoddam roboris exemplar, atque ideam. Sic & Iesus Sirach ait *Gigantes virtuti suæ*, id est robori ac viribus corporis, *fiduciam habuisse.* Denique August. ait Deum creasse huiusmodi homines, vt ostenderet magnitudines, & fortitudines corporum (S. Damascen. vocat eos ἰσχυροὺς τὸ σῶμα) non magni pendendas esse sapienti. [in c. 6 Gen. c. 3 26. Genes. 6 4. l. 3. in Gen. Psal. 32. 16. sicut Esai. 13. 3. גבור. Eccl. 16. 8. l. 15 de ciui. c. 23. fi.]

XVI. *Violenti, ac feroces.*

VIRI bellicosi, ac robusti, facilè in tyrannicam ferociam, ac violentiam delabuntur. id tam proprium gigantum fuit, vt inde nomen accepisse, & in exemplum sumpti esse videantur. *Irruit*, inquit Iob, *in me quasi gigas*, vbi allusum videri potest ad hunc locum, vbi Hebraicè gigantes dicuntur *Nephilim*, id est cadentes, cum impetu scilicet in alium, siue irruentes. Non quod, vt fabulatur Aben-Ezra, omnes qui in eos inciderent corporis vastitatem mirati, ac formidine correpti, corruerent; sed quòd ferociter in alios impetum facerent. Itaque Symmachus, teste Hieronymo, Nephilim vertit βιαίους violentos, Aquila ἐπιπίπτοντας, &c, vt habent alij, etiam δυσιάτους insanabiles, Arias Montanus terrore consternantes, præ ferocia scilicet, ac violentia sua, & præfidentes viribus, omnia per vim tyrannico latrocinio agentes. Itaque & pro violentis tyrannis ab Esaia capiuntur. *Morientes non viuant, Gigantes non resurgant*, vt explicat Emanuel Sà, & Tigurina: qualem depinxit Horat. [c. 16 14. הַנְּפִלִים. in tradit. Hebr. Num 13. fi. c. 26. 14.]

Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis. [in arte Poet.]

Mos est sacræ scripturæ, inquit Cyrillus libro nono contra Iulianum, *gigantes vocare agrestes, & feroces, & robustos; vnde vniuersorum Deus, de Persis*

Esaiæ 13. 3. secundum 70. *& Medis Iudæam deuastaturis dicit ; Gigantes venient , vt impleant furorem meum, gaudentes simul , & iniuria afficientes* [9]. Quem locum vsurpat etiam Chrysostom. hom. 22.

9. χ. l. 9. contra Iul. l. 3. in Gen. D. CYRILLVS ait Gigantes istos iustitiam conculcasse propter fœdas affectiones, & abominabilem voluptatem. Et alibi, ait eos ad auidas carnis libidines XVII. *Flagitiosi.*
prolapsos, mulierúmque pulchritudine incensos, à via recta plurimùm aberrasse. Hinc factum vt nequitiæ dediti prouerbio Gigantes appellentur, & in domo me-
Prou. 9, 18. retricis collocentur. *Et ignorauit quod ibi sint Gigantes.* Vbi 70. vocant eos γηγενεῖς terrigenas. Aquila & Symmach. retinuerunt Hebræam vocem Raphaim, à quopiam Rapha celebri inter Gigantes. Cæterùm huius nequitiæ certum est argumentum, quod ea fuerit vna de præcipuis diluuij causis, vt suo loco dicemus.

HIC superbiam eorum, atque impietatem ex Scriptura notemus. Etsi enim XVIII. *Superbi.*
violentus ille, ac ferox animus sine superbia esse non potuit. Ea tamen nomi-
Sap. 14. 6. natim accusatur à Sapiente. *Sed & ab initio cùm perirent superbi Gigantes*, ὑπερηφάνων, qui supra cæteros se conspiciendos præbebant, de iis agit, quos diluuium perdidit. Quo non immeritò referas quod hic à Moyse vocentur viri famosi, malæ vtique famæ, propter scelera sua, Hebræus & 70. viri nominis, siue nominati, & celebres, qui ambiebant, sicut extructores Babyloniæ turris, celebra-
Gen. 11. v. 4. re nomen suum in omnibus terris. Superbiam fouebat corporum magnitudo &
q. 48. in Gen. robur, quod notauit Theodoretus. *Perfacile*, inquit, *ei erat etiam maiores homines creare, sed vt superbiam amputaret, & arrogantiam cohiberet, non dedit hominibus maxima corpora. Nam si exiguis corporibus praditi non contra se modò, sed contra Deum creatorem attolluntur ; quid non commisissent si maxima corpora* (puta 20. aut 30. cubitorum) *sortiti essent*. Hæc ipse.

VBI vides superbiæ annexam impietatem, est enim ad eam gradus. Vbi enim XIX.
mortales superbè contempserunt, humanum modum supergressi, *Affectasse feruntur regnum cæleste Gigantes.* Itaque passim θεομάχοι dicti, & θεομαχεῖν pugnare cum *Atque impy.*
Deo. Sed quia Deus superbis resistit, nec est qui ei resistere possit, proptetea &
Prouerb. 21. 16. miserè perierunt, perditionis etiam exemplum facti. Nam Sapiens. *In cœtu*, inquit, *Gigantum commorabitur*, idem est quod malè peribit, vt olim Gigantes. Et
Eccli. 16. 8. Sapiens alter. *Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui Gigantes , qui destructi sunt , con-*
c. 14. 9. *fidentes sua virtuti.* Ideóque Esaias illos in inferis collocat, sicut & scriptores pro-
10. χ. fani omnes [10]. Sibylla huc pertinet cùm ait, Gigantes sceleratos blasphemias pol-
11. χ. luto ore locutos [11].

hæref. 19. l. 15. de ciui. c. 18. SED ante quàm ad alia progrediamur Patriarchæ Setho iusta parentalia non negemus : cùm sciamus Epiphan. & Augustinum scribere, Sethum Christi Domini figuram gessisse. Et sanè res ipsa loquitur, vt qui positus fuerit fundamentum XX. *Sethus figura Christi Domini.*
c. 28. v. 16. 1. Cor. 3. 11 ciuitatis Dei pro Abel, in figuram illius *lapidis probati, angularis, pretiosi, in fundamento fundati.* Vt loquitur Esaias, Christi inquam Domini, qui est Ecclesiæ Dei fundamentum.

Substituitur loco Abelis, quasi in eius locum excitatus, vnde & resurrectionem Christi figurauit. Ex duobus namque illis hominibus, Abel, qui interpretatur luctus ; & eius fratre Seth, qui interpretatur resurrectio, mors Christi, & vita
l. 15. de Ciu. c. 18. eius ex mortuis præfiguratur, vt ait D. Augustinus, & Isidorus. Sed expressior
in Gen. c. 6. n. 5. etiam figura est in eo, quod propter eminentem sanctitatem, quasi Deus quispiam dictus, & reputatus sit : & filij eius, filij Dei appellati, vt supra dictum est.
in fi. l. 2. & init. 3. in Gen. & l. 9. contra Iul. Quamuis Anastasius Episc. Nicen. q. 25. in script. & S. Cyrillus id eius filio aliquoties attribuant, vt antea quoque significauimus. Christum autem, Deum di-
c. 9. v. 6. sertè appellat Esaias Propheta cap. 9. De filiis autem eius, quos secundum spiri-
1. Ioan. 3. 1. tum genuit. *Videte*, inquit Ioannes, *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei*
hæref. 39. *nominemur & simus.* In libris autem Sethi nomine ab hæreticis conscriptis, de quibus meminit Epiphan. etiam libri hæreticorum, sub Christi nomine editi, non malè figurantur. Etenim vtrique erroribus, & blasphemiis referti sunt, & vtrique sanctum nomen suæ malitiæ, mendaciisque prætenderunt.

SCHOLIA IN ANNUM MUNDI 1042.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 1042.

N. III. 1. HVIC commixtioni etiam fidem aliquam conciliant fabulæ Sethianorum apud Epiph. hæresi 39. Non enim illi suas fabulas, nisi super aliqua celebri veritate fabricarunt, vt Poetæ solent.

Ibid. 2. Numerant videlicet Septuag. quos sequitur Theodoretus hoc loco, & Euseb. in Chron. & alij passim 2242. (nonnulli tamen 2262. vt
p. 45. Chron. Alexand. & alij, vt dicemus in Mathusala, & videre licet apud Scalig. in Euseb. p. 242. & 243.) at Hebræi codices quos cum vulgata sequimur, habent tantum 1656. id est quingentos & octoginta sex annos minùs, vt dixi in ann. mundi 131.

N. VII. 3. Non dissimilia Lactantio fabulatur Apostata Iulianus, apud D. Cyrillum, l. 9. contra ipsum. Aiebat enim eos, qui hîc vocantur angeli, verè angelos fuisse, idque significasse Moysem, qui non homines, sed Gigantes ab iis factos dixerit. *Certum enim est*, inquit, *quod si quidem homines putasset ipsorum esse patres, & non melioris, ac fortioris cuiusdam naturæ, non ab illis natos dixisset Gigantes. Vnde ex mortalis & immortalis commixtione declarasse mihi videtur Gigantum genus subsistere.* Sic ipse: ratus angelos non solùm immortales, sed etiam corporeos esse, quod falsum est, nec in assumptis corporibus exercere possunt opera vitæ. Nam alioqui non solùm Gigantes, sed omnes omnino homines alteram partem corpoream habent & mortalem, alteram spiritualem & immortalem, cuius beneficio, ac præsentia pars illa terrea, & caduca subsistit.

Ibid. 4. Athenagoras in legat. pro Christianis, versus fi. & habetur to. 9. Biblioth. Patrum, ait, *Ex angelis amatoribus virginum Gigantes natos esse, cùm alioqui res diuinitùs concreditas malè in terris administrassent: atque ideo reditu in cœlum negato, circa aerem & terram obuersari solitos. Animas item Gigantum dæmones circa mundum oberrare, & libidinis curam gerere.* Hæc ipse. Methodius quoque Olympi Episcopus in serm. de resurrectione vt refertur à Sixto Sen. l. 5. annot. 77. *Diabolus*, inquit, *prauus factus est circa concreditorum ipsi administrationem, & inuidiam contra nos concepit; quemadmodum & qui postea carnes amauerunt cum filiabus hominum, ob concubitus amorem conuersati sunt.* Denique Sulpitius Seuerus l. 1. Sacræ Historiæ inter alia scribit *angelos, quibus cœlum sedes erat, humanam corrupisse progeniem, Gigantésque procreasse, cùm diuersa inter se natura permixtio monstra gignat.*

N. VIII. 5. *Quod autem de angelis quidam senserunt*, ait Eugub. in hunc locum, *id tanquam profanum, atque impium reiiciendum. Non solum enim à sacris scriptoribus refellitur, sed etiam in Christiana veritate est commentum improbissimum.* Vide eundem infrà, in voce Gigantes. Vbi ostendit Gigantes non fuisse dæmones.

N. XI. 6. Ipsa eius verba hæc habet. *Γίγαντες ἐκεῖ ἦσαν τοὺς ἀπ᾽ ἀρχῆς, τοὺς ὀνομαστούς. τούτους γὰρ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τοὺς υἱοὺς τοῦ Σὴθ ὑψηλούς. τοὺς δὲ τοῦ Κάϊν, μεγάλους, καὶ εὐτονίας, ἵνα καὶ ἀπὸ τῆς ὄψεως φαίνηται ὁ δυνατός.*

N. XI. 7. August. l. 15. de Ciu. c. 23. citat hunc locum Baruch, vbi pro statura magna, legit staturosos.

N. XII. 8. Quantum obsecro fuit illud os; quanta laxitas palati, quod tot palis esset obuallatum? Ludouicus Viues in hunc Augustini locum ait vidisse se molarem dentem pugno maiorem. Quales ergo erant mandibulæ in quas triginta duo huiusmodi dentes inserti fuerant. Quale mentum, & nasus, & reliqua tota facies ei proportione respondens? Quale postremo totum caput & corpus, cuius sexta pars est ipsum caput?

N. XVI. 9. Hic locus longè aliter habetur in Græco, quàm in vulg. Nam in 70. *Γίγαντες ἔρχονται πληρῶσαι τὸν θυμόν μου χαίροντες, ἅμα καὶ ὑβρίζοντες*, Hebr. & vulg. pro gigantibus fortes siue גבורי *gibborai, fortes meos. Ego mandaui sanctificatis meis & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea.*

N. XIX. 10. Hæc in genere de Gigantibus. In Græcis autem fragmentis omnimodæ historiæ Eusebij, quæ edidit Scaliger, referuntur ab Abideno, & Apollodoro, qui Berosum laudat autorem, decem Chaldæorum reges ante diluuium, quos Gigantes fuisse ait Chronicum Alexandrinum. Conueniunt Abidenus, & Apollodorus in numero regum, & annorum quibus regnarint. Sed nomina non planè consentiunt. Apollodorus hæc habet.

1. Alorus regnauit saros decem.	10
2. Alasparus saros tres.	3
3. Amelon. Abid. Amilarus.	13
4. Amenon.	12
5. Metalarus. Ab. Megalanus.	18
6. Daorus. Ab. Daos.	10
7. Ædorachos. Ab. Anodaphos.	18
8. Amphis.	10
9. Otiartes siue Artus ex Cyrillo l. 1. cõt. Iul.	8
10 Xixuthrus. Abi. Sisuthrus.	18
	120

Saros singulos Abidenus ibid. interpretatur spatium trium millium & sexcentorum annorum, seu verius, dierum, vt apud Syncellum interpretantur Anianus, & Panodorus. Itaque Sari decem, erunt 98. anni Ægyptiaci (id est 365. dierum, 7. menses & 20. dies. 3. Sari, 29. anni, 7. menses, dies 5. Tertius rex comprehendit tempus duorum præced. 128. annos, 2. menses, dies 25. Quartus 118. 4. menses, dies 10. Quintus 177. a. 6. menses, dies 15. Sextus 98. 7. 20. Septimus vt quintus 177. 6. 15. Octauus vt primus & sextus. Nonus 78. 11. Decimus vt quintus 177. 6. 15. Nota 1. Centum & 20. Saros redactos in dies facere 1183. ann. 6. menses, & dies 25. inueniuntur tamen septem menses, & 25. dies. Quoniam menses omnes ponuntur 30. dierum, commodioris supputationis gra-

[a]2. Quasi annus esset 360. dierum, cùm sit 365. Prædicta autem supputatio ita digeri potest.

Anni	menses	dies
98.	7.	20
29.	7.	5
128.	2.	25
118.	4.	10
177.	6.	15
98.	7.	20
177.	6.	15
98.	7.	20
78.	11.	
177.	6.	15
1183.	7.	23

Nota secundò, D. Cyrillum lib. 1. contra Iulianum. Meminisse Xysuthri ex Alexandro Polystore, & Abydeno, qui fuerit Noë, nam illi diluuium sub Xysuthro ponunt. Nota tertiò, istos annos decem primorum regum ante diluuium, iunctos cum præcedentibus annis, quos Georgius Syncellus vocat ἀβασιλεύτους efficere summam annorum, quos Chronologia Græca suggerit 2242. idque ratione minimè arguta, vt putauit Scaliger, quid enim tam argutum est, de hac tota summa 2242. sublatis 1183. 7. mens. 25. dies videre quid superfit, quod tempori ἀβασιλεύτῳ tribuatur? itaque non probandus est exitus τῆ χρόνε ἀβασιλεύτε, vt ille vult, sed potiùs totum ipsum tempus horum regum, quod facilè conuelli potest, cùm non consentiat Hebraicæ, aut Latinæ Chronologiæ, ex qua dicendum esset tempus, quod regibus caruit, fuisse tantùm 472. annorum 4. mensium, & 5. dierum.

2242		
1183	7.	25
1058.	4.	5

1656.		
1183.	7.	25
472.	4.	5

Γίγαντες σκληροὶ, μεγάλοι ὀνόματα χάριτες, in fragmento Enochi, quod recitat Scalig. in Notis in Eusebium p. 244. habetur Gigantes cœpisse carnes humanas deuorare, valdéque afflixisse homines, hos autem clamauisse in cœlum, & deuocasse 4. Angelos, Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, & Vrielem, qui viderent mala, quæ à Gigantibus perpetrata essent, & querelas hominum ad Deum deferrent, &c. N. XIX. II.

De Gigantibus nonnulla refert Pausanias in Arcadicis, in Arcadia ipsos, non ad Pallenem Thraciæ, cùm diis præliatos, ibique Arcades rem diuinam fulgoribus, procellis, & tonitribus facere. Eosdē videri, qui apud Homerum, Læstrigones, Phæaces, Cyclopes. Et ad Orontem fluuium Syriæ repertum in vrna fictili cadauer cubitorum vndecim, humana specie ex omni parte corporis, quem Orontem Indum fuisse Clarius Apollo respondit.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1050.

ENOS 815. CAINAN 725. MALALEEL 653. IARED 590. MATHVSALEM 363. LAMECHI 176.

ANTE CHRISTI ORTVM 3003.

HIc est Iubilæus annus vigesimus primus, de quo nihil reperimus, præter communem cæteris annis multiplicationem hominum, & malorum, in vtraque Republica.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTAT. 1057. ENOS 822.

CAINAN 732. MALALEEL 662. IARED 597. MATHVSALEM 370. LAMECHI 183. NOE 1.

ANTE CHRISTI ORTVM 2996. Gen. 5. 20. & 29.

QVINDECIM anni intercurrere inter Sethi mortem, & ortum magni 1. Ortus Patriarchæ Noë.
Patriarchæ Noë, quem ponimus natum anno 182. Patris expleto, iuxta ea quæ habentur quinto Geneseos extremo, & à nobis alibi dicta sunt, sæpiúsque iterata[1]. Magni, inquam, Patriarchæ, & in paucis in Scriptura celeberrimi, vt diuina illa restantur elogia. *Noë vero inuenit gratiam coram Domino. Noë vir iustus, atque perfectus fuit. Noë cum Deo ambulauit.* Et id genus alia, quæ in progressu, & maximè in extrema eius vita notabimus. Nunc eius ortui attendamus. De quo illud vnum

ann. mundi 131. n. I. t. χ.

Scriptura memorat, Lamechum eius patrem ipsi nomen Noë indidisse, nulla facta aut matris, aut fratrum, sororúmve mentione; sed nec quotus ordine generationis fuerit, quamuis primogenitum non fuisse parentis ætas apertè clamat; eámque vocem omnes exaudiunt, præter surdastros aliquot Hebræos, & si quos alios hebraizantes.

II. *Ratio nominis, & prophetia Lamech.* NATVM puerulum parens appellauit Noë, addidit etiam rationem denominationis. *Iste*, inquit, *consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum, in terra, cui maledixit Dominus.* Vaticinium hoc fuisse, perspicuè affirmat Chrysostomus. *Vide iterum*, inquit, *per appellationem nunc nati ex Lamech, sacramentorum magnitudinem, & vaticinij excellentiam, & boni Dei ineffabilem benignitatem.* Quid autem præuideret Lamech, vt non prophetasse tantùm, sed etiam Propheta fuisse intelligeretur, subdit. *Quoniam enim præscientia sua præuidebat futura, vt vidit malitiam hominum in dies magis atque magis increscere, prædicit per appellationem pueri, mala quæ totum humanum genus inuasura erant, vt vel timore castigati, abducerentur à vitiis, & amplexarentur virtutem.* Theodorus quoque apud Lipomanum. *Lamech ergo in natiuitate filij sui Noë prophetat, quemadmodum Zacharias.* Idem habet Procopius Gazæus in hunc locum; qui hoc vaticinium ad Christum potiùs, quàm ad Noë referendum censet, & in primis S. Cyrillus, nec id negat Caiet. sed scripturam ait de diuina reuelatione tacere; id tamen significat, tam certò affirmata promissio. *Iste consolabitur nos.* Et affirmat Abulensis, cum aliis recentioribus. Mirum autem est quod Caietanus in dubio relinquat hoc loco, an Lamech ex astris hoc, pensata Noë natiuitate, cognouerit; quasi ex contemplatione astrorum cognosci queant futura contingentia, quæ ex humana libertate pendent.

hom. 21. in Gen.

init. l. 5. in Gen.

in c. 5. q. 6.

III. *Eiusque interpretatio.* QVID autem denunciat ipsum vaticinium? Hebræis consolationem, Græcis quietem, quos secuti sunt, cùm Græcè scriberent, Philo & Iosephus, vt ait Del Rio, nam in Iosepho id non reperio. Latini codices, & Chaldææ paraphrases cum Hebræis conspirant: & res eodem reuoluitur. Quies enim siue animi, siue corporis homines consolatur & reficit, sicut turbæ & tumultus vexant, atque conturbant: quanquam consolatio magis ad animum, quies ad corpus, cuius proprius est motus, pertineat. Ista autem siue quies, siue consolatio prædicitur futura. *Ab operibus, & laboribus manuum nostrarum*, ait Lamech, *in terra cui maledixit Dominus.* Apparet sanè rem ad Agriculturam pertinere. Hæc est enim, quæ manus hominum in terra laboribus exercet: & Opera, agricolarum peculiariter appellantur. Quidam putant, vt refert Caiet. prædici Noëmum inuenturum rationem subiugandorum animalium ad terram aratro proscindendam, ex quo hominum labor in fodiendo subleuetur. Consentiunt Olcaster, Lipomanus, Vatablus, Pererius. Sanè plerique Græcum Prometheum existimauerunt fuisse Noë, qui apud Æschylum ait, se primum iugo iunxisse belluas, quæ virorum loco ferrent laborem, & curribus addidisse equos trahentes, qui habenis flecterentur[a].

in hunc locum.

a. ✻.

IV. *Examinatur.* SED fortasse hæc inuentio non huius temporis fuit. Neque enim Noë primus Agricola fuit, sed ante mille annos Cain, & Adamus ipse: In quo plus etiam fuit scientiæ, tam speculatiuæ, quàm practicæ, quàm in Noë; qui nullam habuit infusam, vt Adam. Res quoque ipsa parum videtur digna prophetia; quamuis eam ad vini quoque inuentionem, aut ad esum carnium, aut iteratam etiam terræ benedictionem extendas. Ideo D. Hieronymus Noë requiem interpretatur, quod sub illo omnia retrò opera quieuerunt per diluuium. Nec dissentit Chrysostom. *Appellationem*, inquit, *nominis interpretatur, & dicit, hic vtique requiem nobis præstabit ab operibus nostris, à malitia*, inquit, *desistere faciet, & à molestiis manuum nostrarum, quia per illarum opera, & malas actiones, molestiæ, & tristitiæ auctæ sunt.* Et paulò pòst, *Mox vt quis nomen pueri sciscitatus est, ex interpretatione vocabuli didicit euenturum generalem interitum.* Sic ipse. Vide etiam Ambros. init. libri de Noë & Arca. Quorum expositioni consentanea est requies, & sabbatismus terræ, qui toto diluuij anno contigit, sub initium trigesimi quarti Iubilæi ab orbe condito, in quo terreni homines, vel inuiti, cessaturi erant à flagitiis, & sceleribus suis; ex quo iusta nascetur consolatio. *Lætabitur enim iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Aut certè consolatio pertinet ad generis humani reliquias quæ in Noë conseruabuntur, & quiescent in arca, dum longè maxima pars mor-

in tradit. in Gen. hom. 21. in Gen.

Psal 57. 11.

talium diluuij agitata fluctibus, peribit. Itaque sentit Genebrard. qui addit quosdam quiete interpretari in hunc sensum. *Iste quiescere nos faciet*, quod placaturus sit iram Dei, & cum humano generi reconciliaturus.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 1057.

N.I.I. QVEM annum miror sanè à Capello vocari 1053. cû ab omnibus vocetur 1057. aut certè 1056. non numerando annos expletos, quin etiam sibi ipse videtur non consentire, si enim annus mundi 1042. concurrit cum vltimo Sethi, vt ipse quoque consentit, Sethi autem vltimus, est Lamechi 168. ergo Lamechi 168. est mundi 1056.

Æschylus in Prometheo vincto inter alia, Κ'ἀζευξα πρῶτος ἐν ζυγοῖσι κνώδαλα. N. III. 2.

Qua voce etiam boues & iomenta ibidem appellat.

ANNVS MVNDI, ET PRIMAE ÆTATIS 1100.

ENOS 865. CAINAN 775. MALALEEL 705. IARED 640.
MATHVSALEM 413. LAMECHI 226.
NOE 44.

ANTE CHRISTI ORTVM 2953.

VNDECIM secula, simúlque duo & viginti Iubilæa hoc anno terminantur. Video ego quoque inanitatem, mi lector, & ingemisco.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1140.

ENOS 905. ET VLTIMVS, CAINAN 815. MALALEEL 745. IARED 680. MATHVSALEM 453. LAMECH. 266. NOE 84.

ANTE CHRISTI ORTVM 2913. Gen. 5. 11

I. *Obitus Enos.* EXPLENTVR hoc anno nongenti & quinque anni Enos, quod ei vitæ spatium scriptura tribuit, cùm vixisset cum Adamo auo 695. annis, & ab eo mortuo 210. cum patre autem Setho octingentis & septem annis, & post eum defunctum octo & nonaginta. eum reliquis autem Patriarchis, quot præmissus titulus exhibet; cui addi possunt Henochi, qui translatus est, 365. fœliciter autem, atque in Domino obdormisse, in senectute bona, quæ de eius laudabili vita scriptura obiter, & velut per transennam significat, persuadent.

II. *Et commendatio.* HABET enim Enos à Scriptura illustre elogium probitatis, quod *ipse inuocare cœperit nomen Domini*. Ex quo etiam multam laudem à sanctis Patribus est consecutus. Adeo vt S. Cyrillus ita de eo loquatur. *Igitur ex Adam Seth post necem Abelis procreatus est, ex quo Enoch ille*, legendum *Enos*, *qui sperauit inuocare nomen Domini Dei sui: quique ab illis hominibus, qui tum temporis aderant, Deus appellatus est. Nam cùm incredibilem eius iustitiam animaduerterent, Deum protinus appellabant, atque ob eius admirabilem virtutem dignum hac appellatione existimabant.* Sic ipse. Sed ea de re nos pluribus in eius natiuitate diximus. Hîc addamus S. Augustini sententiam, cur primus Enos dictus sit cœpisse inuocare nomen Domini, etsi ea laus illi cum Adamo auo, Setho patre, & Abele patruo communis esset. *Cur ergo*, inquit, *huic propriè tribuitur, quod piorum omnium intelligitur esse commune? nisi quia oportebat in eo, qui de patre generationum in meliorem partem, hoc est supernæ ciuitatis separatarum primus commemoratur exortus, præfigurari hominem, id est hominum societatem, quæ non secundum hominem, in re ter-*

(Margin: l. 3. in Gen. init. — an. m. 236. l. 15 de ciu. c. 18.)

rena fælicitatis, sed secundum Deum vixit in spe fælicitatis æternæ.

III *Initia vitæ Noe laudatissima.* QVID porro his quatuor & octoginta annis magnus Patriarcha Noë didicerit, fecerit; quomodo puerilem ætatem, adolescentiam, iuuentutem transegerit, an vxorem duxerit, liberos genuerit, alto silentio sepultum voluit is, qui reliqua Moysi reuelauit. Vt autem eximia eum virtute vixisse credatur, etiam antè quàm fieret præco iustitiæ, rationi maximè consentaneum est, vt prior vita ritè posteriori congrueret: eóque maior esset vaticinantis autoritas, quo fuisset eius vita, ab ipsis initiis inculpatior. Nec videretur alioqui rectè dici, *Noë vir iustus atque perfectus in generationibus suis*, id est inter homines sui seculi; quomodo enim perfectus, si prior vitæ pars fuisset contaminata peccatis? Del Rio explicat in generationibus suis, toto vitæ decursu, etiam inter tam corruptos eius seculi mores; etiam præ maioribus suis; & addit sic fermè explicare quotquot legit. Sibylla eum vocat *solùm in omnibus iustissimum, fidelissimum, veracem, bonísque operibus deditum*[1]. Vt mirer esse qui dicant quingentesimo circiter anno vitæ suæ, Noë inuenisse gratiam in conspectu Domini, quasi à principio Deo gratus non fuerit. Certè, si à principio quoque, id ibi ponendum potius, quàm anno quingentesimo tribuendum. Gen. 6. 9. Ecc. 46. 17. 1. ✠. L. 1. 2. ✠.

IV. *Priores filij Noe.* SED & liberos genuisse antequam quingentorum esset annorum longè probabilius videtur, quàm nuptias ad quingentesimum vsque annum distulisse. Valet enim eadem ratio in Noë, quam de prioribus Patriarchis affert D. August. *Non apparet omnino*, inquit, *vtrum qui nominatur genitus, idem fuerit primogenitus: imò verò quoniam credibile non est patres illos ætate tam longa aut impuberes fuisse, aut coniugibus caruisse, vel fœtibus, nec illos eorum filios primos eis natos fuisse credibile est.* Sic Augustinus. Idémque de Sem, Cham, & Iaphet dictum puta. Et sanè D. Ambrosius ait Noë abundasse filiorum generatione; quod nescio an de tribus rectè dici possit. Etsi D. Chrys. non plures agnoscat iis tribus, quos Scriptura commemorat. L. 15. de ciuit. lib. de Noe c. 1. hom 24. in Gen.

Quid ergo factum est, inquies, prioribus istis Noemi filiis? Respondet Perer. & alij, eos aut naturali, aut violenta morte sublatos, fortè in bellis contra Cainitas, aut Gigantes; hoc enim tempore plurimas cædes, belláque extitisse, non solùm primo libro oraculorum Sibyllinorum traditur[3], sed etiam in prophetia Baruch significatur, cùm dicuntur *scientes bellum Gigantes*, ex vsu scilicet ipso, atque praxi. l. 9 in Gen. n. 38. 3. ✠. c. 3. 26.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 1140.

N. III. 1. SI enim perfectum dicitur, *Cui nihil deest, secundum suæ perfectionis modum*, vt ait D. Tho. 1. p q. 4. a. 1. c. vel vt ait Aristol. l. 3. phys. c. 6. *Cuius nihil est extra*, quomodo vita iusti Noë perfecta dicatur, si pars eius aliqua iniusta fuerit? nunquid aliquid ad eius perfectionẽ deest? Et 4. Metaph. c. 16. *Perfectum dicitur extra quod non est vllam accipere particulam.* Iacobi 1. 4. *vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Ideò dicitur, *non fuisse Salomonis cor perfectum coram Domino*, quoniam in fine defecit. Et contra, Asæ & Ezechiæ cor perfectum fuisse dicitur cunctis diebus, quia ab initio ad finem pietatem coluerunt. 3. Reg. 15. 14. 2. Paral. 15. 17. 4. Reg. 20. 3. Sic B. Virg. Cant. 6. 8. dicitur *perfecta mea*, & Deus perfectus, dicente Domino, *Estote perfecti, sicut & pater vester perfectus est.* Sic ergo & Noë, & Abraham perfecti cùm dicuntur, ab ipsis initiis pij & sancti fuisse meritò existimari possunt, nam quod nonnulli aliter de Abrahamo sentiunt, suo loco diligẽter, Deo bene propitio, refutabitur. Denique eodem modo Dei perfecta opera dicuntur, Deuter. 32.

N. III. 2. Μοῦνος δ' ἐν πάντεσσι δικαιότατος, ἠδ' ἀληθὴς
Ἦν Νῶε πιστότατος, ἀγαθοῖς τ' ἔργοισι μεμηλώς.

N. IV. 3. Author is qui hæc oracula compegit, siue composuit, etsi vt apparet, Christianus, Ouidij Metamorphosin in ætatibus primis imitatus, aut Arabum in Phœnomenis, aut si quẽ alium antiquiorem, tertiæ, & quartæ ætati assiduas acies, pugnásque cruentas attribuit.

ANNVS MVNDI, ET PRIMAE ÆTATIS 1150.

CAINAN 825. MALALEEL 755. IARED 690. MATHVSALÆ 463. LAMECHI 276. NOE 94.

ANTE CHRISTI NATIVITATEM 2903.

HIc annus tertium & vigesimum Iubilæum concludit.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1170.

CAINAN 845. MALALEEL 775. IARED 710. MATHVSALÆ 483. LAMECH 296. NOE 114.

ANTE CHRISTVM 2883.

MENTIO huius anni mundi repetitur in fragmento apocryphi libri E-
p. 244 & 245. noch, quod descripsit Scaliger in Notis in Euseb. cuius stylus totus, ac *Apocrypha Hebræorũ, de Gigantum parentibus Egregoris.*
narratio valde sapit authorem libri quarti Esdræ. Ex quo hæc pauca
c 4. v 10. transtulimus. *Et factum est, cùm multiplicati essent filÿ hominum, natæ sunt eis filiæ speciosæ, quas adamarunt Egregori*, id est vigiles, sic enim appellat Angelos, imitatus Danielem, *& circa ipsas aberrarunt. Dixeruntque inter se, Eligamus nobis vxores de filiabus hominum terræ, dixitque Semixas princeps ipsorum ad ipsos. Vereor ne nolitis hoc facinus patrare, & ego solus debitor ero magni peccati. Cui respondentes omnes dixerunt, Iureiurando nos obstringemus omnes, & inuicem anathemate damnabimus, non auersum iri ab hac sententia, donec eam perfecerimus. Tunc simul omnes iurarunt, & anathematismo sese obligarunt. Erant autem numero ducenti; qui cùm descendissent in diebus Iared, in verticem montis Hermonim abierunt, & vocauerunt montem Hermon, eo quod in ipso iurauerant, & seipsos anathemate obstrinxerãt.* (Hermon quippe destructionem & interitum interpretantur) *Et hæc nomina principum ipsorum 1. Semixas princeps eorum, 2. Atarcuph, 3. Araciel, 4. Ghababiel, 5. Orammame, 6. Ramiel, 7. Sapsich, 8. Zaciel, 9. Balciel, 10. Azalzel;* qui deinceps Exaël vocatur, *11. Pharmarus, 12. Amariel, 13. Anagemas, 14. Thausael, 15. Samiel, 16. Sarinas, 17. Eumiel, 18. Tyriel, 19. Iumiel, 20. Sariel. Hi & reliqui omnes, anno mundi 1170. acceperunt sibi vxores, & cœperunt cum ipsis contaminari, vsque ad diluuium. Et genuerunt ipsis tria genera, primùm Gigantes magnos, qui genuerunt Naphelim, ex quibus exorti sunt Eliud, qui iuxta magnitudinem parentum suorum exercuerunt, & docuerunt eos, & vxores eorum veneficia, & incantationes. Primus Exaël decimus principum docuit gladios & thoraces fabricari, & omne bellicum instrumentum, & metalla terræ, & aurificinam ad mundum muliebrem, & argentum splendidum reddere, faciem ornare, & preciosos lapides, &c.* quæ supra ex Tertulliano, aliisque retulimus. Inde refert quæ singuli docuerint, quæ mala aduersus homines perpetrarint, vtque horum gemitibus, ac precibus 4. angeli è cœlo descenderint, qui Deo preces ac querelas hominum detulerint. Isque vnum ex ipsis miserit ad Noe, quem doceret de futuro diluuio, reliquos autem ad Gigantes malè mulctandos, & bella inter ipsos suscitanda, quibus se mutuo conficerent, &c. Sed de his iam satis.

ANNVS MVNDI, 1200. CAINAN 875. MALALEEL 805. IARED 740. MATHVSALÆ 513. LAMECH. 326. NOE 144.

ANNVS ANTE CHRISTVM 2853.

EXIT hoc anno Iubilæus quartus ſupra vigeſimum.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1235. CAINAN 910. ET VLT. MALALEEL 840. IARED 775. MATHVSALÆ 548. LAMECH. 361. NOE 179.

ANTE CHRISTIVM 2818.

I. *Obitus Cainan.* ANNIS poſt mortuum Enos quinque & nonaginta mortuus eſt filius eius Cainan, & completi ſunt nongenti & decem anni vitæ eius, quos ei Scriptura tribuit, vixit autem cum patre ſuo Enos 815. annis, cum Setho auo 717. cum proauo Adamo 605. quantùm autem cum reliquis Patriarchis ſe iunioribus, anni huius index oſtendit. Gen. 5.14.

II. *Noë mature factus eſt præco iuſtitiæ.* HIS temporibus præconem agebat iuſtitiæ pedetentim appropinquantis Patriarcha Noe. Neque enim centum & viginti annis tantùm ante diluuium id cõminatus eſt Dominus; ſed multis ante ſeculis; cùm eas minas etiam Adamus intentarit, vt author eſt Ioſephus. De Noe verò ita D. Chryſoſt. *Obſtupeſcenda*, inquit, *eſt ineffabilis longanimitas Dei; & prodigioſa hominum, qui tunc erant, ingratitudo. Ecce enim quingentis annis vixerat iuſtus ille, clamans, & teſtificans ſuo nomine futurum per vniuerſum orbem diluuium, ob nimias hominum malitias; & neque ſic à malitia abſtinere voluerunt.* Eadem vberius etiam poſtea repetit. Verùm nimis obſcura fuiſſet iſta prædicatio, ſi nominis ſolius eſſet; auribus præſertim, & cordibus aggrauatis. Altius oportuit inſonare iuſtitiæ præconem, vt ſi fieri poſſet, etiam à ſurdis exaudiretur. Ideo enim præconis ſimilitudinem vſurpauit Petrus, vt ſonoram eius prædicationem, & quæ dormitantes excitare poſſet, repræſentaret.

l.1.c.2. hom.21. — hom.22. ſub init. — 2.Petr.2.5.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1250. MALALEEL 855. IARED 790. MATHVSALÆ 563. LAMECH 376. NOE 194.

ANTE CHRISTVM 2803.

IVBILÆVS 25. abſoluitur. Aliud habeo nihil, ſi quid lectori ſtudioſo occurrerit, ſi libuerit, adiiciet.

ANNVS

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1260.
MALALEEL 865. IARED 800. MATHVSALÆ 573. LAMECH 386. NOE 204.

ANTE CHRISTI ORTVM 1793.

p. 93 & 160 SCRIBIT Methodius Patarensis Episcopus, (qui habetur tomo primo orthodoxographorum cum eius paraphrasi) octingentesimo anno vitæ Iared, in secundo millenario, apposuisse malignum & infestum diabolum bellum mouere in filios Sethi, vt filias Caini concupiscerent, vnde extruserit Gigantes, quos denique in infernum proiecerit. Verùm hæc citius, atque adeo sub obitum Sethi facta fuisse supra diximus. & fragmentum libri Enoch. ante 90. annos hæc contigisse tradit. Sed nec in cæteris satis exactus reperitur hic scriptor in Chronologia. Nam mox subdit in fine secundi millenarij contigisse diluuium, quod neq. Hebraicæ, neque Græcæ Chronologiæ satis quadrat, nam ab illa distat 344. annis, ab hac 242. I. *Gigantum ortus ex Methodio.*

SCHOLIA IN ANNVM 1260.

N. I. I. in Chron. Alexand. p. 22. IN textu ipso sic habetur, *τῷ δὲ ὀκτακοσιοστῷ ἔτει τῆς ζωῆς τοῦ Ἰάρεδ, ἐν τῇ δευτέρᾳ χιλιονταετηρίδι, προσέθετο ὁ πονηρὸς, καὶ ἐχθρὸς διάβολος πόλεμον συστήσασθαι τοῖς υἱοῖς Σὴθ. εἰς τὰς θυγατέρας Καΐν. Καὶ ἐξωθήσας ἔρριψε τοὺς γίγαντας ἐκ τῶν υἱῶν Σὴθ ὡς βαρέθρῳ.* quæ paraphrastes ita reddidit. Septuagesimo autem anno temporis Iared, (Raderus noster emendauit septingentesimo, & probarem sanè, nisi textus Græcus apertè resisteret in editione Basiliensi cui Grynæus præfuit, ipse aliquem alium nactus est codicem, scilicet vitæ suæ, id est in secunda chiliade apposuit malignus & infestus diabolus bellum fornicationis adiungere filiis Seth, vt concupiscerent filias Cain & profusi (potius quàm perfusi) apparuerunt Gigantes super terram de Seth, qui peccati in foueam lapsi atrocissimi facti sunt.

ANNVS MVNDI, ET PRIMAE AETATIS 1290.
MALALEEL 895. ET VLTIMVS. IAREDI 830. MATHVSALÆ 603. LAMECHI 416. NOE 234.

ANTE CHRISTI ORTVM 1763. Gen. 17.

Gen 5. 17. MALALEEL quintus ab Adamo viam vniuersæ carnis ingressus est, anno vitæ suæ nonagesimo quinto, supra octingentesimum, vt est in quinto Genes. annis post patrem 55. post auum Enos 150. post proauum Sethum 248. Denique Adamum abauum 360. fuit hic vnus de sex viris ante diluuium, qui omnes Patriarchas viderunt; id est Adamum & Noë cum omnibus intermediis, quo priuilegio caruerunt Adam, Seth, Enoch, Noë. De huius rebus gestis nihil in specie traditum reperi. I. *Obitus Malaleel.*

INTEREA perseuerant impiis agere fanda infandáq; relatu. Vt de his Sibyllinorũ author canit. Perseuerat viceversa Noë eos à sceleribus reuocare. Imò addit II. *Prædicatio Noe: & in alia emigratio.*
l. 1. ant. c. 3. etiam Iosephus, aliò ipsum emigrasse. *Noe autem,* inquit, *facta eorum molestè, & indignè ferens, suadebat vt in melius voluntates, atque opera sua transmutarent. Verùm cùm videret illos sibi non parere, totósque vitiorum dulcedini succumbere, veritus ne & se, & familiam suam interimerent, secedens cùm suis in aliam regionem migrauit.* Sic ipse.

Vereor sanè ne hanc fugam commentus sit Iosephus, vt pleraque alia. Nam præterquam quod nullum vsquam, quod sciam, hac de re vestigium in sacris,

prophanisve libris extat, quomodo Noë peccatores à sceleribus prædicatione reuocabat, à quibus aufugerat? Quomodo non Mercenarius dicendus erat, & non *bonus pastor, qui animam suam dat pro ouibus suis?* nonne hoc timiditatis, atque ignauiæ est, à qua illum D. Chrysostomus diligenter emaculat. Nam quod ibidem eum dicit fugisse impiorum societatem, ad diuersitatem vitæ pertinet, non locorum; quippe qui illum comparat scintillæ in medio mari positæ, quæ non solùm extincta non sit, sed quotidie fulgentiori luce prodierit, omnes suis operibus docens. Quomodo quæso quotidie illuminabat improbos operibus suis, si ab illis in aliam regionem abscesserat? Quomodo præco iustitiæ canebat surdis aut mutis? Quod si in loca deserta non abibat, nónne vbique inuenisset improbos, quandoquidem, *Omnis caro corruperat viam suam.*

hom. 22.

ANNVS MVNDI, ET PRIMAE AETATIS 1300.
IAREDI 840. MATHVSALÆ 613.
LAMECHI 426. NOE 244.

ANTE CHRISTI NATIVIT. 2753.

HACTENVS per sex & viginti spatia quinquagenûm annorum mundus excurrit.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1350.
IAREDI 890. MATHVSALÆ 663. LAMECHI
476. NOE 294.

ANTE CHRISTI NATIVIT. 2703.

PERFICITVR hoc anno ab orbe condito Iubilæus 27. *Et malo semper superante peior voluitur ætas.*

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1400.
IAREDI 940. MATHVSALÆ 713. LAMECHI
526. NOE 344.

ANTE CHRISTI ORTVM 2653.

MIRATVM opinor Iaredum, quum se vidit mundi seculum decimum quartum, & Iubilæum 28. attigisse, mortaliúmque omnium, quorum extet memoria, centum iam & decem annis antiquissimum, & quasi decanum vixisse, imò etiam primum omnium parentem Adamum, quod nemini adhuc contigerat, iam decem annis viuendo superasse, fortasse & gemendo dixisse, *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est?*

Ps. 119. 5.

ANNVS MVNDI, ET PRIMAE ÆTATIS 1422.
IAREDI 962. ET VLTIMVS. MATHVSALÆ 735.
LAMECHI 548. NOE 366.

ANTE CHRISTI NATALEM 2631. Gen. 5. 20.

HIC ANNVS 1422. numerabat annum Iared à morte Patris sui Malaleelis, cùm periodus vitæ ipsius terminata est. tot enim annis Iared Patri suo superuixit, auo autem suo Cainæ 187. Proauo Enos 282. abauo Seth 380. Adamo atauo 492. Iaredū porrò nemo, præter filiū, viuendo superauit. *Iared Obitus.*

Ad hæc porrò tempora reuocare iure possumus illa verba S. Ambrosij, quæ supra attigimus. *Non solùm, ait, S. Noë abundauit filiorum generatione; sed etiam vniuersa se effudit quàm maximè eo tempore generatio. Quod non otiosum videtur. Secuturo enim diluuio non debuit æstimari defuisse gratiam fœcunditatis illi generationi, quam diluuia absorbuerunt. Vt quod fuit humani generis abundantia, diuinæ deputetur gratiæ, quod diluuium secutum est, nostris ascribatur iniquitatibus, qui peccatis nostris auertimus Dei misericordiam. Sic & in posterioribus inuenies, quod secuturam Aegypti sterilitatem, præcessit totidem annorum fœcunditas.* Hæc D. Ambr. (I de Noe c. 5.)

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1450.
MATHVSALÆ 763. LAMECHI 576.
NOE 394.

ANTE CHRISTI ORTVM 2063.

IVBILÆVS annus 29. absoluitur.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1500.
MATHVSALÆ 813. LAMECHI 626.
NOE 444.

ANTE CHRISTI NATIVITATEM 2553.

HIC est annus decimi quinti seculi, & Iubilæi trigesimi.

ANNVS MVNDI, ET PRIMAE ÆTATIS 1537.
MATHVSALÆ 850. LAMECHI 663.
NOE 481.

ANTE CHRISTI ORTVM 2516. Gen. 6. 3.

Gen. 6. 3. NOTATVR hic annus nominatim à Scriptura. Hic enim ille est, in quo Deus definit tempus, intra quod diluuium inundaturum erat orbem terrarum. Cùm enim peccatores, in primisque Gigantes, qui membris, *I. Denunciatur tempus ante diluuium.*

& viribus præsidebant, ne Deum quidem ipsum timerent[1], sed bello etiam cœli-
tes se inuasuros iactarent, vt cyclops ille apud Homerum[2], pios, ipsúmque Noe in 1. ✗.
primis irriderent, diluuij vndas perpetuò intentantem, illáque, aut illis similia 2. ✗. l.1 Sibyl. orac.
vsurparent, quibus postea scelerati Iudæi Prophetam Esaiam irridebant. *Expecta,*
reexpecta, &c. Denunciat Dominus diluuium terras intra centum & viginti annos c.28.v.10.
dissipaturum, nec illis amplius omnino vitæ, ad extremum vsque interitum su-
peresse. Hunc locum ita interpretantur recentiores passim omnes. Et ex antiquis
Patribus D. August. de Ciuit. vbi & nostram Chronologiam confirmat. *Quod au-* l.15 de Ciu. c.24.
tem dixit Deus, inquit, *erunt dies eorum centum viginti anni, non sic accipiendum est, qua-*
si prænunciatum sit post hæc homines 120. annos viuendo non transgredi, cùm & post diluuium
etiam quingentos excessisse inueniamus; sed intelligendum est hoc Deum dixisse, cùm circa fi-
nem quingentorum annorum esset Noë, id est quadringentos octoginta vitæ annos ageret,
quos more suo Scriptura quingentos vocet, nomine totius maximam partem plerúmque signifi-
cans. Sexcentesimo quippe anno vitæ Noë, secundo mense factum est diluuium, ac sic 120. anni
prædicti sunt futuri vitæ hominum periturorum, quibus transactis diluuio delerentur. Sic
August.

II. *Ad agendam pœnitentiam.*

SED quē ad finē isthæc denunciatio? vt ostenderet Deus se non solùm vltorem
scelerum esse atque iudicē, sed etiam peccatorū patrem, qui non vult peccatorem
perire, sed resipiscere. *Porro ne videretur*, ait Hieronymus, *in eo esse crudelis, quod pec-* in trad. Hebr.
cantibus locum pœnitentiæ non dedisset, adiecit, sed erunt dies eorum 120. anni, hoc est, habebunt
120. annos ad agendam pœnitentiam. non igitur humana vita, vt multi errant, in 120. annos
contracta est, sed generationi illi 120. anni ad pœnitentiam dati sunt. Sed quod etiam eos, in-
quit Chrysost. *qui incurabiliter peccauerunt saluari volo, nullúmque perire, idcirco vobis in-* hom. 22. in Gen.
dulgeo & tempus 120. annorum, vt si volueritis, & peccata ablueritis, & pœnas & pericula ef-
fugiatis. Quibus Chrysostomi verbis addit Lipomanus, quæ nec in Latinis, ne-
que Græcis codicibus reperi. *Erunt enim*, inquit, *dies eorum anni 120. hunc autem 120.*
annorum numerum, aliqui putant terminum vitæ esse, non hoc autem significat, sed nunc lon-
ganimitatem ostendere vult, quam & post hæc peccata in ipsos ostendet. Hæc ibi. vt mirum
sit Eugubinum pro contraria referre sententia Chrysostomum. Onchelos in pa-
raph. Chaldæa, *Spatium dabitur eis centum viginti annorum, si pœnitentiam agerent.* Quē
laudat & sequitur Aben. Ezra, & alij passim Hebræi. Tostatus quoque in hunc q.6.
locum, quem miror quoque ab aliquibus pro contraria sententia citari. Sicut &
Diodorum Tharsensem, cuius hæc sunt verba. *Hi homines non viuent totum illud tot* Apud Lipom. in cat.
annorum spatium, quod iuxta maiores suos viuere debebant, sed 120. duntaxat annos. His ergo
non aliis dixit. Hæc Diodorus. Refert ergo 120. annos ad eos, qui post illos trans-
actos, diluuio perituri erant; non generalem vitæ humanæ mensuram defi-
nit.

III. *Non fuisse imminutū hoc tempore vitæ humanæ spatium.*

CÆTERVM ij quos hi sancti Patres arguunt, atque adeo apertissima Scriptu-
ræ narratio refellit, sunt in primis Iosephus, *Vitam eorum*, inquit, *breuiore spatio cir-* l.1. ant. c.3. & 6.
cumscripsit, & abrogata longæuitate, intra centum & viginti annos coërcuit[3]. Idem sensit 3. ✗.
Lactant. in lib. de origine erroris, sed obiter. Rupertus quoque, etsi priorem etiā l.2. c.13 fin.
expositionem amplectitur. Denique Procopius in hunc locum. Quos experien- l.4. c.15.
tia duûm aut trium annorum millium apertè refutauit. Nā Ioiada Pontifex mor- 2. Paral 24. 15.
tuus est cùm esset centum & 30. annorum, vt Scriptura prodit. idque anno mun- anno ante Christum
di 3184. vt suo loco videbimus. Sententia ergo loci huius est, non victuros homi- 869.
nes istos, in quibus non spiritus, sed caro dominetur, multis seculis, vt maiores
eorum; sed intra 120. annos, nisi egerint pœnitentiam, perituros, quæ est exposi-
tio 70. interpretum in versione sua, & Chald. paraph. & Ruperti, vt dixi, Lipoma-
ni, & Del Rio in hunc locum.

IV. *An spatiū 120. annorum diminutum fuerit.*

SED nouam hic dubitationem ingerit. D. Hieronymus in qq. Hebr. docens hoc lo. cit.
tempus contractum fuisse resectis viginti annis. *Quia verò*, inquit, *pœnitentiam age-* l.4. c.13.
re contempserunt, noluit Deus tempus expectare decretum, sed viginti annorum spatiis ampu-
tatis, induxit diluuium anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato. Sic Hieronym. quæ hom 25.
recitat etiam Rupertus, & fortè probat. Probat certè D. Chrysost. vbi respondens
obiectioni, quare cùm Dominus promisisset 120. annos longanimitatis, antequam
explerentur, immiserit excidium. *Quoniam*, inquit, *vidit quotidie incurabiliter illos*
peccare, & non solùm nihil ex ineffabili longanimitate sua proficere, sed etiam incrudescere

vulnera, propterea succidit tempus, vt ne maiori pœna se obnoxios facerent. In altera scilicet vita, vt mox explicat.

V. *Nō videri.* HANC opinionem illud persuasit sanctis Hieronymo, atque Chrysost. quod ab anno quingentesimo Noë, cuius facta est mentio in fine cap. 5. Genes. vsque (c. 7. v. 6.) ad diluuium, quod constat anno sexcentesimo Noë immissum in terras, centum tantùm anni reperiantur. Verùm hic nodus non difficiliter solui potest, siue dicas (ex l. 15. de Ciu. c. 4.) integrum numerum quingentorum, positum pro 480. vt visum est D. Augustin. cuius verba paulò antè retulimus, vel vsam fuisse scripturam præoccupatione, in referenda progenie Noë, vt eam cæteris, quæ toto illo capite quinto enumeratæ fuerant, aggregaret. Nec credibile est, quod sentit etiam Emanuel Sà, hanc diuinam indulgentiam restrictam fuisse, cùm dona Dei sint sine pœnitentia. Præsertim cùm D. ipse Hieronymus hoc loco Dei clementiam celebret.

VI. *An perierint omnes in diluuio.* EXPONENS enim verba illa, *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, in æternum, quia carnes sunt;* vt habent Sept. *In Hebræo*, inquit, *scriptum est, non iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam caro sunt. Hoc est, quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos seruabo cruciatus; sed hic illis restituam quod merentur. Ergo non seueritatem, vt in nostris codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur.* Quæ expositio singularis est, nec Ruperto displicet, sed (l. 4. c. 13.) communem sequitur, vt antè dixi. Etsi autem videtur existimare Hieronym. neminem perisse,

VII. *Non perisse.* CREDIBILIVS tamen est maximam illorum partem in suis sceleribus extinctos, vt significat Chrysostom. paucos autem resipuisse, de quibus videtur locutus Apostolus Petrus; vt sensit Hilarius in Psalm. 118. & Rupertus apertè. *Credendum quippe est*, inquit, *aliquos hoc diluuio periisse, quorum eodem periculo mortis peccatum deletum sit, iuxta quod scriptum est, non enim vindicabit Deus bis in idipsum: plerósque autem ex eis vtpote impios, ab illo temporali aquarum diluuio, ad æternum incendium transiisse.* Et sanè id clarè videtur dicere Apostolus. Nisi enim dicas eos sub extrema tempora resipuisse, iuxta illud, *Cùm occideret eos quærebant eum, & reuertebantur,* non diceret Petrus, *qui fuerant aliquando increduli.* Id enim est, non fuisse semper incredulos; ergo ante mortem desiere esse tales. Nam post mortem *vbi ceciderit lignum ibi erit.* His ergo Christus secundum animam prædicauit; eósque eduxit è carcere, & sic planissimus est textus, alioqui obscurissimus; eóque modo à complurimis doctissimis viris explicatur [4]. Et quomodo rationi consentaneum est, vt superueniente diluuio, & per quadraginta dies, noctésque totidem increscente, ex infinita hominum multitudine, qui videbant horribilem illam mundi faciem, & prædicationem Noë factis ipsis impleri cernebant, nemo omnium sit inuentus, qui ex animo ad Deum conuersus fuerit, nemo qui veniam impetrarit, nemo cui vexatio dederit intellectum? Res sanè videtur tam perspicua, vt contrarium non videatur prudenter affirmari posse, nec sine multis, magnísque rationibus credi debere. Vide etiam quæ infra in anno diluuij attigimus.

(Margin: hom. 25. — Ep. 1. c. 3. 20. — l. 4. c. 26. — Psal 77. 34. vide infra anno diluuij n. 29. — 4. ✗. — ann. mundi 1656. n. 10.)

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 1537.

N. I. 1. LIbro primo orac. Sibyll.

Ἀνδρῶν ἐκ τετάρτη γενεὴ αἱ πολλὰ χέοντες
Αἷμα, οὔτε θεὸν δείσαντες οὔτ' ἀνθρώπους,
Αἰδεῖσθαι μάλα γὰρ ἐπ' αὐτοῖσι βάλλοντο
Οἰστρομανὴς μανίη, καὶ δυσσεβίη ἀλεγεινή. id est.

Hoc quartum genus est hominum, qui sanguine multo
Immaduere, Deúque hominúmque timore sepulto,
Insanis etenim stimulis credere furebant
Sæuitiæ, & diræ parentes impietatis.

Ibid. 2. Νήπιός εἰς, ὦ ξεῖν', ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας. Odyss. 9.
Ὅς με θεοὺς κέλεαι ἢ δειδίμεν, ἢ ἀλέασθαι
Οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν
Οὐδὲ θεῶν μακάρων, ἐπειὴ πολὺ φέρτεροί εἰμεν. id est.

Desipis, ô hospes, tam longè huc vsque profectus,
Qui superos iubeas curare, aut formidare.
Nam superos, ipsúmque Iouem cōtemnimus vltro
Cyclopes, præ ipsis longè, multúmque potentes.

N. III. 3. Iosephi verba aliter apud Eugubinum, quàm apud Iosephū ipsum reperies, quoniam Eug. ex duobus eius locis cap. scilicet 3. & 6. ipsius verba coniunxit, quibus quàm simillima habet Philo in libro de Gigantibus.

N. VII. 4. Idem docent in eundem D. Petri locum Lyran. Caiet. & Sà, & fusè Serarius ibid. Bellarminus quoque tomo 1. l. 4. de Christo c. 13. Suares to. 2. in 3. p. disput. 43. sect. 3. Henriques libro vlt. c. 19. Turrianus pro Epist. Pontificum c. 12. Denique ne longum faciam Tornellus in ann. mundi 1557. n. vltimo, frustra sanè dissentiente Perer. l. 9. in Genes. n. 65. Verùm hac de re aliquid iterum dicemus in articulo temporis illius, quo res videtur contigisse, anno diluuij 1656. n. 29.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1550.

MATHVSALÆ 863. LAMECHI 676. NOEMI 494.

ANTE CHRISTI NATIVITATEM 2503.

HVIC anno Iubilæus trigesimus primus nomen dedit. cætera communia cum cæteris.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1557.

MATHVSALÆ 870. LAMECHI 683. NOEMI 501.

ANTE CHRISTI ORTVM 2496. Gen. 5. & 6.

I. *Constructio arcæ imperatur.*

IAM vigesimus annus abierat, ex quo Dominus de impiorum hominum excidio sententiam tulerat, quod tempus illi non in deponenda, sed in confirmanda audacia consumpserant; cùm nouum Dominus pro incredibili sua in hostes teterrimos bonitate ac clementia; nouũ, inquam, hoc anno incitamentum ad pœnitentiam inducere statuit, quod perpetuo ante oculos obuersetur, & prædicationes Noë, ac clamores suo silentio iuuet; arcam, inquam, reliquiis humani generis conseruandis destinatam: quæ vna res hunc annum celeberrimum facit; præsertim si in eum quoque cadat generatio trium filiorum Noë, dicente Scriptura. *Noe verò cùm quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham, & Iaphet.* Sed de arca primùm dicamus.

Chryſ. ho. 14.

Gen. 5. 31.

II. *Centum annis constructa.*

COMMVNIS est sententia arcam quingentesimo anno vitæ Noë à Deo construi iussam, siue currente, vt aliqui volunt, siue absoluto, vt nos putamus: eámque centum annorum spatio fuisse constructam. Id pro certo, & confesso ponit Orig. l. 4. contra Celsum sub med. ex quo totidem ferè verbis, S. August. l. 15. de Ciuit. Dei. *Nec attendunt*, inquit, *centum annos, quibus arca illa est fabricata.* Et alibi. *Item quæritur vtrum arca tam magna centũ annis potuerit fabricari à quatuor hominibus, id est Noe, & tribus filiis eius*, & respõdet facilè fuisse alios adhibere fabros, qui operis sui mercede accepta, non curarent sapientérne, an insipienter eã Noë moliretur. Idem tẽporis spatium ex Scriptura etiam colligit contra Faust. Manich. *Quod*, inquit, *Noe quingentorum erat annorum, cùm ei locutus est Dominus, vt arcam sibi faceret; & sexcentos agebat annos cùm in eam esset ingressus, vnde intelligitur per centum annos arca fabricata: quid aliud hic videntur centum anni significare, nisi ætates singula seculi? Noë*, ait Gregor. *ante oculos veniat, qui cura domestica postposita, ex iussione omnipotentis Domini, per centum annos ad arcæ fabricam vixit occupatus.* Augustinum secutus est Rupert. in Genes. & alij recentiores[1]. Vt Ado, Marian. Scot. Genebr. & Oleaster in c. 7.

c. 17.

I. quæst. in Gen. q. 6.

l. 12. c. 18.

hom. 15. in Ezech.

l. 4. c. 18.

1. X.

III. *Quæ in contrarium facere videantur.*

EAM tamen sententiam labefactare conantur Caiet. in hunc locum, & Perer. Nam ille ex eo quod dicitur à Domino, statim atque præceptum dedit de fabricanda arca, *Ingredieris arcam tu, & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum:* Insinuari ait iam tum filios natos fuisse, imò & vxoratos, quod filij futuri, non sint filij, & vxores futuræ, non sint vxores. Et ideo ait manere incertum quantum temporis intercesserit, à præcepto dato, de arca construenda, vsque ad diluuium. Quod si Sem biennio post diluuium fuit centum annorum, clarum est eum centum annis ante diluuium natum non fuisse, nedum vxorem habuisse. Verùm responderi facilè potest, Deum loqui de futuris quasi de præsentibus; sicut enim arca non erat, cùm iussa est fieri, sic neque adhuc erant filij, aut vxores, de quibus dicitur, vt in eam postquam constructa fuerit ingrediantur. Sic etiam inferiùs dicitur, Abrahamum præcepturum filiis suis, qui vnicum duntaxat habebat

l. 10. n. 17 & 38.

c. 6. v. 18.

Gen.18.19. Ismaëlem. Apud Esaiam c. 45. dicit Dominus se apprehendisse dexteram Christo suo Cyro, ducentis penè annis priusquam nasceretur. Innumera sunt alia exépla. Nec opus est vt Cyrus futurus, sit iam, cùm hæc prænunciantur, sed illo tantùm tempore, quo apprehendi debet dextera eius. Nec filios, aut vxores Noë oportet esse reipsa, cùm de iis aliquid mandat Deus, qui futura omnia tanquam
a. ✠. 1 10.a.38. præsentia cernit, satisq; est vt sint eo tempore, quo Dei iussionẽ implere debent [a].

Perer. autem ait hoc centum annorum tempus certum non esse, quia non constat an quingentesimo anno præceptum de extruenda arca datum fuerit, an aliquanto, vel multo post; nec item quo tempore absoluta sit fabrica eius. Verùm cùm hoc spatium temporis habeamus idoneis authoribus confirmatum, nec illi Scriptura repugnet, imò valde faueat, vt ex Augustino retulimus, certè vt nos ab hac sententia deducant, certiùs aliquid afferre debent, & non elaborare, vt nihil certi pariter habeamus.

IAM quod ad filios Noë attinet, certum planè est non omnes hoc anno geni- IV.
tos, nam Sem tantùm post biennium ortus est, vt ex Genesi constat; & tamen pri- *Filij Noë*
Gen. 11.10. mogenitus fuit, vt postea docebimus. Verùm non alia mens fuit Mosis illo cap. 5. *nõ sunt hoc*
extremo, quàm progeniem Noë, sicut & cæterorum Patriarcharum, obiter me- *anno nati.*
Gen.5 19. morare, docereque tres illos filios, per quos propagatum, & restauratum est humanum genus, ei natos, cùm iam quingentorum esset annorum, & non ante: Non
c. 6.v.10. autem quod aut omnes, aut aliquis eorum anno quingentesimo natus sit. Confirmatur ista veritas, quia cùm iterum eos genitos memoraret Moses, nullam temporis mentionem fecit, contentus significare eorum natiuitatem intra hoc seculum contigisse, quæ communis est huius loci expositio Caiet. Emanuel. Sà, Procopij, Del Rij. Quanto autem interuallo geniti sint à Noë, existimo scire neminem. Verùm hac de re iterum aliquanto post dicendum erit. Nunc de arca, quam hoc anno construi cœpisse ponimus, cùm Moyse sermo nobis instituendus est, qui diluuij causas non obscurè persequitur.

EXHIBET enim nobis de Deum, humano more, immensis hominum scele- V.
ribus infensum, sed ita, vt qui quasi seuerus iudex, improbos *à facie terræ delere con-* *Diluuij*
stituat; quasi misericors Pater, in ruina hominis, quem creauit, *dolore cordis intrin-* *causa, effi-*
secus tangantur: séque eorum more gerat, quos dum pœnitet fecisse aliquid, infe- *ciens Deus.*
ctum cupiunt, quod fecerant, aut dissoluunt. Hinc ergo illa, *pœnitet me fecisse hominem, & delebo hominem, quem creaui à facie terræ;* & quia animantia propter hominem fecerat, vtrúmque genus eadem sententia animaduersionis inuoluit, & hæc diluuij efficiens causa est, quæ deinde causarum secundarum instrumentis vtetur. Sed quod fuit diuinæ indignationis obiectum?

MERITORIA causa scelera mortalium. Omnia enim scelera illis verbis com- VI.
prehenduntur. *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta* *Meritoria*
cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore. Singula verba hominum improbi- *peccata ho-*
tatem vehementer exaggerant. Hinc est quod terra semel, iterúmque dicitur *re-* *minum.*
hom. 22. *pleta iniquitate,* id est, vt interpretatur Chrysost. & Vatabl. Iniuria, rapina, fraude, calumnia, luxuria, ebrietate, intemperantia. Omnia enim illa nomine iniquitatis, κακίας, & חָמָס *chamam*, comprehenduntur. Huc aliquo modo facit illud Eusebij, de Præpar. Euang. *Cùm primis illis*, inquit, *temporibus mores hominum legibus*
l.2.c.7.& 9. *stabiliti non essent, nec supplicia peccatis imminerent, adulteria, nefanda matrimonia, maribus ereptam pudicitiam, homicidia, parricidia, confecta scelere bella, quasi res pulcherrimas diis suis attribuebant.* Huc pertinet, quæ antiqui Poëtæ de ferrea ætate, om-
Aratus. Ouid. Orac. Siby. nibus referta sceleribus cecinere, & quæ supra de Gigantum facinoribus retulimus.

SED flagitia in primis exundabant, quæ Domino puritatis amantissimo sto- VII.
machum mouebant; peccata, inquam, fœdę libidinis, quæ maximè hoc toto sexto *Præsertim*
hom. 22. in Gen. cap. significantur, tum illa mulierum pulchritudine, quas non legitimæ sobolis, *luxuria.*
sed voluptatis solius causa sibi acceperunt, vt ait D. Chrysost. aliique interpretes. tum illa multiplici procreatione filiarum, quæ signum est intemperantiæ, nam debilitata virilis virtus degenerat in fœminã; quod Lipomanus quoque, & Del Rio annotarunt. Tum illa quasi contumeliosa hominũ appellatione *quia caro sunt*, & *fi-*
hom. 24. *nis vniuersæ carnis venit corã me*, quod notauit D. Chrys. tũ illa propagatione magna

Gigantum, gulæ & ventri seruientium, & in magnam membrorum molem excrescentium: Illa denique tertio iterata corruptione carnis & terræ, qua terreni & carni indulgentes homines non solùm *corrupti sunt, sed abominabiles etiam facti sunt.* Incitatus est ergo Dominus ad perdendum genus humanum tum aliis sceleribus hominum, tum maximè carnis intemperantia, quæ hisce temporibus, quasi solutis habenis, vbique summa cum licentia bacchabatur, neque Dei, neque hominum reuerentia, & metu quemquam retinente.

VIII. *Subiectũ, homines, animantia, terra, & omnis opera hominũ.*

ET quoniam terra infecta erat sceleribus hominum, eisque peccantibus famulata fuerat, sicut & animantia, ideo non solùm in hominem, sed in terram etiam, & in animantia vindex supremi iudicis sententia fulminatur. *Delebo*, inquit, *hominem quem creaui à facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsque ad volucres cæli.* Et mox: *Et ego disperdam eos cum terra.* Et iterum, *Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cælum: vniuersa, quæ in terra sunt, consumentur.* Domus videlicet, & ciuitates, & horti, & viridaria, & omnis supellex, & vniuersa opera filiorum hominum. Vide Chrys. hom. 24. & Amb. l. de Noë c. 14. *Pereunt*, inquit, *cum homine omnia, propter quem nata sunt omnia, in suis diuitiis consumatur homo, cum sua dote moriatur.* c. 6. Gen. v. 17.

IX. *Qui excempti.*

VERVM enimvero. *Non est hoc tuum*, inquiebat Abraham ad Dominum, in vltionem Pentapolitanorũ properantem, *qui iudicas omnem terram, vt occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius; absit à te vt hanc rem facias, nequaquam facies iudicium hoc.* Pulchrè Ambros. l. de Noë c. 13. *Indignatur Deus peccatis nostris, sed non obliuiscitur pietatis, minatur supplicium, sed non permittit excidium, moderatur vindictam, reuocat seueritatem, deleturum se dicit omnem carnem non à terra, sed à facie terræ, florem decutit, radicem seruat, sinit vt in profundo substantiæ virtus maneat humanæ.* Et infra. *Pulchrè autem posuit, delebo, tanquam literarum apices qui delentur sine fraude librorum, & sine immutatione tabularum*, &c. Quæ imitantur Procop. in c. 9. Genes. Itaque ne nunc quidem, quando finis vniuersæ carnis coram Domino venerat, iustum iisdem quibus improbos fluctibus obrui passus est: Imò illi etiam septem animas suorum dedit, in semen generis humani [3]. Ideo, *Ponam*, inquit, *fœdus meum tecum, & ingredieris arcam tu, & filij tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum* id est, præstabo quod spopondi tibi, & pactum quod pepigi tecum stabile faciam, vt tu, cum familia tua incolumis permaneas. Ex quo intelligitur, vt ait Vatablus, Deum illi promisisse fore vt non moreretur, quod tamen non refertur à Mose. Nihil tamen obstare video, quo minùs pactum hoc initum iri potiùs, quàm iam initum fuisse dicamus, cùm Scriptura futuro vtatur tempore in omnibus libris, omnibúsque linguis, etsi Tigurina maluerit dicere confirmabo, quam statuam fœdus [4]. Gen. 18. 25. 3. ✠. 4. ✠.

X. *Modus liberãdi eos, Arca.*

MODVS liberandi eos à communi pernicie, fuit Arcæ constructio, quæ mediis in vndis impunè fluitans, gubernante Deo, & quasi signifera sub quippe magistro, nauigantes seruaret incolumes, vt est apud August. atque Chrysost. In eius porrò constructione declaranda permulta philosophati sunt antiqui recentioresque interpretes, nec mihi elaborandum censeo, vt noua dicam, & inaudita; sed vt de multis pauca, quæ videbuntur maximè probabilia, & sacro textui viciniora, referre studeam. l. 15. de ciu. c. 27. hom. 24 in Gen.

XI. *Cur arca dicatur, & non nauis.*

PRIMVM arca dicitur, & non nauis, quia & figura, & vsu, arcæ similior erat, quàm naui. Nam nauis ima parte restringitur, & incuruatur, & ad proram acuitur, & supernè aperta est, & remis, aut velis, aut vtrisque ad progrediendum impellitur. Arca plana erat in modum ratis carinæ loco. Sine vlla distinctione puppis aut proræ, aut anterioris, posteriorisve latitudinis; quæ vna etiam eadémque erat ab imo vsque ad summum. tectúmque habuit quasi operculũ, non tamen planum, sed in medio eminentius, vt vtrinque aquæ defluentes deciderent: nec oportebat velis aut remis vllam in partem agi, sed fluitare tantùm super aquas; quæ paulatim intumescentes, eam è terra subleuarent. *Arca*, inquit August. *non curuis, sed rectis lineis, longè latéque porrecta, quam nullus in mare mittat conatus hominum, sed leuet vnda cùm venerit naturali ordine ponderum, magísque diuina prouidentia, quàm humana prudentia natantem gubernet, ne incurrat vbicunque naufragium.* Vide & Chrysostom. hom. 24. Sibylla vocat οἶκον δουράτεον, ligneam domum Poëticè, reuera tamen arcam. l. 16 de ciu. c. 26.

XII. *Arcæ materia.*

MATERIA huius Arcæ fuerunt ligna גפר gopher, id est cedrina, vt quibusdam placet, etiam Chaldæo paraphrastæ, quæ diuturno humori, aut putredini non cedant. Alij ex pino, vel abiete, quia illius vocis significatio incerta est Hebræis. Non dubium est fuisse læuia, & ad fluitandum idonea, vulgata vertit *leuigata*, Septuaginta, *quadrata*, quòd ad formam artificiosam pertinet. Vtraque enim fuere, læuigata vt commodius illinerentur, & quadrata vt arctiùs iungerentur, & firmitate sua quantouis ponderi, aut interno externóve impulsui facilè resisterent. Denique rimæ omnes bitumine, materiáve pici aut resinæ simili, intrinsecus atque extrinsecus linirentur. Del Rio ex Ambros. & Hebræis.

XIII. *Amplitudo & moles ad proportionem humani corporis.*

c. 6. 15. — l. 15. de ciu. c. 26.

MANSIVNCVLAS, siue vt est in Hebræo nidos statim memorat Scriptura, qui mox rectiùs intelligentur, cùm de interna dispositione agemus; quantitatem priùs totius arcæ consideremus. *Trecentorum cubitorum*, ait Dominus, *erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.* Hæc magnitudo proportionem habet cum humano corpore. *Nam*, vt ait Diuus Augustinus, *humani corporis longitudo à vertice vsque ad vestigia* (atque ad extremos pedum vngues) *sexies tantùm habet, quàm latitudo, quæ est ab vno latere ad alterum latus, & decies tantùm quàm altitudo; cuius altitudinis mensura est in latere à dorso in ventrem*, &c. Sic ipse fusius. Et clarum est sexies quinquaginta efficere ter centum, & decies triginta eandem summam colligere. Sed hæc amplitudo certo teneri non potest, nisi de cubiti magnitudine constet. Eam cum communi, peruulgatáque sententia statuo, esse vnius pedis cum dimidio longitudinis, quæ reperitur in hominibus staturæ satis proceræ, ab externo angulo inflexi brachij, vsque ad extremum digitum medium. Cùm autem pes sit duodecim digitorum dunraxat; cubitus erit octodecim digitorum, nec plurium. Idque confirmatur, ne longiùs abeam, omnium architectorum mensuris. Qui autem cubitum sex palmis definiunt, & palmas quatuor digitis, digitos minores efficiant oportet. Sed nos communes mensuras sequamur.

Cubitus.

50. | 50 | 2550.

XIV. *Interna capacitas.*

CVM ergo tota longitudo arcæ fuerit trecentorum cubitorum, & latitudo quinquaginta, in basi, siue ima carina sex quadrata efficiuntur, quorum latera singula sint cubitorum quinquaginta. Si ergo quinquaginta cubiti ducantur in sese, fient bis mille & quingenti cubi, siue cubiti quadrati. quoniam verò talia sex quadrata reperiuntur, sexies bis mille & quingenti, efficiunt quindecim millia cubitorum quadratorum. Sed hæc tricies multiplicare oportet; quoniam altitudo arcæ non est vnius cubiti, sed triginta: quindecim autem millia, tricies multiplicata, efficiunt quadringenta & quinquaginta millia cubitorum, siue 675. millia pedum, quæ est tota interior arcæ capacitas. A qua tamen spatia tabulatorum, & trabium, & interstitiorum eximenda essent, sed eorum vicem ex parte supplet altitudo tecti fastigiati, ad defluxum aquarum [1].

50 | 2550. 50. — 50 | 2550. 50. — 5. x.

XV. *Tectum Arcæ.*

IAM quod ad tectum attinet priusquam interiora videamus, de eo videtur agere Moses verbis illis; *fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius*, scilicet fenestræ, vt vult Onchelos, Oleaster, Lipomanus, Del Rio, Vatabl. Alij Arcæ, vt Caiet. & plures alij. cuius altitudo sit vnius cubiti, siue in morem columnæ fissæ, secundum longitudinem, vt vult Arias Montanus. qualis esse solet in curribus corio obtectis, quos vulgò *Carrosses* appellamus, siue ita vt medium tecti faciat obtusissimum angulum, non assurgendo, nisi vno cubito supra parietes, triginta cubitis rectà, & ad perpendiculum excitatis; quam formam Buteo, Perer. Del Rio, magis probarunt. Sunt & alij, qui tectum faciunt pyramidale vndique, sed non vno cubito erectius, vt Procopius, Hugo, Lyranus, alij volunt ab imo statim coarctari arcam, vt tota arca nihil pene aliud quàm tectum esse videatur, quæ forma omnium incommodissima, placuit tamen Abulensi, in hunc locum, & aliis antiquioribus Ruperto & Bedæ.

l. 4. c. 18. de sex ætat

XVI. *Non fuit duodecim cubitorum.*

Alij denique existimant non fieri hoc loco tecti mentionem, sed relinqui id proportioni ab architecto seruandæ. Itaque illis verbis, *& in cubito consummatis summitatem eius*, præcipi tantùm aiunt, vt tota arca perficiatur, secundum præscriptas mensuras cubitales, quæ interpretatio mihi dudum occurrerat, cámque mox vidi Têporario, & Tornicllio probari. qui etiam tecto altitudinē duodecim cubitorū,

vel 12. cum dimidio attribuunt, vt altitudo tecti sit quadrans latitudinis. Verùm re diligentius considerata memetipse reprehendo, eàmque inuentionem reprobo. Primùm, quia videtur incredibile nullam factam à Moyse tecti siue operculi arcæ mentionem; cùm tam multa alia minora designata sint. Deinde cùm tectum domus ad domum pertineat, & operculum arcæ ad arcam, si tectum ipsum habet duodecim cubitos & semis altitudinis, vt ipsi volunt, certè altitudo arcæ non erit triginta cubitorum, vt præscripsit Dominus, sed 42. cum dimidio. 3. quia Scriptura non dicit *in cubito consummabis* eam, sed *summitatem eius*, aliud autẽ est arca, aliud summitas arcæ: aliud consummare summitatem eius, aliud consummare siue perficere eam, vsque ad summitatem. Denique Hebræa omnia Græcáque volumina, & Chaldææ paraphrases addunt supérne, vel desuper, vt scilicet hæc mensura ad summitatem arcæ, non ad totam arcam pertineat. Nec si tecta domorum in maius fastigium eriguntur, ideo arca tale tectum habere debuit; non enim erat domus, sed arca, vt supra diximus. a. 11.

XVII. *Sed vnius, vt arcam decebat.* Existimo itaque arcam Noë, vt nomine ipso Latino, Græco, Hebraico arca appellata est; ita & forma persimilem fuisse, æquali scilicet latitudine, ac capacitate, infra supráque; nec reliquo tantùm corpore, sed operculo etiam similem. Arcam autem nemo vnquam fastigauit in morem domus. Neque id necessarium fuit ad pluuiæ defluxum, grandioris præsertim, qualis hæc fuit, & facilè defluere potest in tecto ad cubitum vnum fastigiato, ac probe læuigato, ac bitumine illito, vt in carrucis quotidie experimur, quamuis nec pice, nec vlla re illitis, periculosa etiam illa tecti altitudo, & ventis ac tempestatibus obnoxia ad naufragium. Denique tota arca præscriptam à Deo altitudinem superaret, qui eam iussit habere triginta cubitos, & eius summitatem cubitum vnum.

XVIII. *Interior arcæ distributio. Sentina.* Interior porrò distributio quæ fuerit, cùm à Moyse non describatur exactius, sed cœnacula tantùm, & tristega, & mansiunculas memoret, interpretes pro arbitratu suo interiorem omnem habitationem dispertiti sunt, ita tamen vt in tribus tabulatis, siue contignationibus ferè consentiant, & quidem præter fundum ipsum, & tectum. Quoniam in Hebræo est, inferiora, & secunda, & tertia facies eam. Latinè dixeris, vt notat Vatabl. hic, tria tabulata facies in ea, infima, media, suprema. Infimum tabulatum vocat Hieronymus deorsum, medium, cœnacula, tertium, tristega. Sed subintelligitur ima pars, quam agnoscit etiam Origenes, sentinæ destinata & saburræ, ad libramentum arcæ, altitudine ferè quatuor cubitorum. Eam cloacam tabulatum vnum operiebat, expansum secundum totam arcæ longitudinem, & latitudinem. hom. 2. in Gen.

XIX. *Ima aula, & media.* Hic supersunt tres quasi aulæ amplissimæ, quarum ima deseruiat quadrupedibus, media cõmeatui, suprema hominibus, ac volucribus. Ima attollatur ad decem cubitorum altitudinem, & variis mansiunculis siue stabulis & nidis, pro quadrupedum magnitudine, ac multitudine distinguatur, relictis opportunè viis quibus adiri ac curari possint. Aulæ mediæ octo cubiti assignari possunt altitudinis, cùm variorum interstitiorum distinctione, ad vias, & apothecas, in quibus fœni & palearum multa copia, multa tritici & hordei, & leguminum omnis generis, multa fructuum tam mollium quàm durorum, in omnium animantium cibum, pleráque etiam dulcis aquæ dolia, ad eorundem potum, lotionem, aliósque vsus: quoniam mora in arca longè diuturnior futura erat, quàm pluuia, illa scilicet vnius anni, hæc 40. dierum.

XX. *Et suprema.* Avla suprema reliquos octo cubitos explebat altitudinis, quos tectũ vno cubito augebat. Tripertito autẽ diuisa fuisse videtur, vt media pars hominibus extremæ duæ volucribus, partim feris, partim cicuribus deseruirent. Quin & tres hæ minores aulæ, in varia cubicula, quatuor coniugum paribus destinata[b], & domesticas officinas, cum necessaria suppellectili: varias item mansiunculas & nidos auiũ, discriminatæ erant. Fenestra porrò, cuius nominatim fit mentio, hominum habitationi respondebat: non desunt tamen qui pluribus aliis locis fenestras ex speculari lapide valde probabiliter collocent: etiam in ima aula, quæ tamen magna ex parte aquis erat immersa. Multis item in locis scalas opportunas ad ascensus descensúsque necessarios, multos tubos ad demittendum animalibus commeatum, & defluxum sordium in sentinam. In ima etiam aula porta fuit, è regione stabu- b. 7.

lorum, quæ instar sublicij pontis demitteretur, ad introducenda quadrupedia, & per communem vicum in sua stabula immittenda. Deinde sublata, aptè & concinnè clauderetur, ne aquas admitteret.

hom. 2. in Genes.

l. 15 de ciu. c. vlt.

Et quoniam ethnici quidam, & hæretici, hanc arcæ capacitatem irriserunt, in quibus Origenes Apellem nescio quem Marcionitam refert, qui diceret id spatium quatuor elephantis capiendis vix par esse posse; non recurram ad cubitos geometricos, quorum vnus senis nostris respondeat, vt fecit Origenes, Augustino non improbante; quoniam ij, si qui sunt, nobis certè necessarij non sunt; aliásve, quas alij excogitauerunt, ad hanc capacitatem demonstrandam vias, maximè Temporarius sub initium suæ chronologiæ: sed ad ipsum spatium, quòd est in confesso considerandum, & animalium inducendorum paucitatem. Cùm enim prima aula, quam quadrupedibus assignauimus, contineat quindecim millia cubitorum in solo ac pauimento suo; quamuis dederimus tria millia tam interstitiis, quàm interiectis viis; restabunt duodecim cubitorum millia, quæ distingui poterunt in duo millia stabulorum, quorum singula erunt sex cubitorum longitudinis & totidem latitudinis, & decem altitudinis. Atqui quadrupedum ex Gesnero, aliisque, qui hæc studiosius perscrutati sunt, vix centum & triginta species reperiuntur; Insectorum autem, reptilium, & serpentum vix triginta species ab Aldrouando, & Bustamantio colliguntur. Multa hic ergo erunt stabula inania, quamuis septena de qualibet specie, & non de mundis tantùm admitterentur, quin etiam multis grandioribus animantibus geminum spatium concedi poterit; præsertim cùm pleræque species aliquorum quadrupedum eodem stabulo contineri possent, & inde adulterinæ species, & amphibia, & quæ ex putredine nascuntur inde abessent, vt vult S. August 7. XXI. *Quadrupedia vna aula facilè capi potuisse.*

l. de insectis & serp. l. de sacræ Scripț. re ptilibus.

l 15. de ciu. c. vlt.

7.x.

Qvod ad aulam commeatus attinet, etsi ei tantum octo cubitos altitudinis tribuamus, siue duodecim pedes, maxima tamen eius capacitas reperietur, cùm totum spatium à summo deorsum vsque, per densatos probè fasciculos, repleri possit. Demus ergo fœno & paleis, quoniam iis magna pars quadrupedum, præsertim maiorum viuere potest, mediam partem aulæ, aut etiam duas tertias partes, id est decies mille cubitos octies repetitos, inueniemus capacitatem octoginta millium cubitorum solidorum, siue pedum 120. millium, reliquis frugibus, superest horreum quinquies mille cubitorum, octies repetitorum, id est 40. millium cubitorum solidorum, siue pedum sexaginta millium, quæ sanè non paruæ ciuitati in vnum annum sufficere videãtur. Præsertim cum feris carniuoris, etiam animalia ad pastum introducta censeat Augustinus, quæ in ima aula collocata fuerint. Sic enim ait. *Etenim necessarium videbatur, vt iis bestiis, quibus natura vesci carnibus dedit, introducta sint extrinsecus animalia, quorum vescentes carnibus conseruare vitam, posteritatis reparandæ gratia valerent. Aliis verò alia, quæ naturalis vsus deposcit, seruarentur alimenta.* Mauult tamen ibidem Augustinus frugibus vsas in cibum huiusmodi feras, ne numerus animalium à Deo præscriptus non seruaretur. Ait enim. *Solent etiam mouere nonnullos genera escarum, quæ illic habere poterant animalia, quæ non nisi carne vesci putantur, vtrum præter numerum ibi fuerint sine transgressione mandati, quæ aliorum alendorum necessitas illic coegisset includi. An verò, quòd potius est credendum, præter carnes aliqua alimenta esse potuerunt, quæ omnibus conuenirent. Nouimus enim quàm multa animalia, quibus caro cibus est, quæ frugibus, pomísque vescantur, & maximè fico, atque castaneis.* Hæc August. Caiet. quoque, *Vel necessitatis temporis*, inquit, *vel specialis tunc diuinæ gubernationis efficacia effecit, vt etiam animalia carniuora vescerentur vegetabilius.* Quæ est Theodoreti quoque sententia. XXII. *Aula commeatus quã capax.*

l. 15 de ciui. c. 17.

q. 95 in Genes.

Avla tertia multam habet, ad ea quæ ei reseruantur, laxitatem, multúmque habebit inanitatis, quamuis tertia eius pars homini reseruetur in medio. cùm Aldrouandus in Ornithographia, vix auium 150. species inuenerit, quarum paucæ sint maiores oloribus, plurimæ minores, nemo non videt quàm laxè habitare & volitare possint, tam mites in quadraginta millibus cubitorum; quàm rapaces in spatio & laxitate pari. Longè ergo Apelles ille, multúmque hallucinabatur, si communem hanc de capacitate arcæ doctrinam attendamus. Sed habuit ille for- XXIII. *Tertia aula ripertito distributa.*

rasse rationem illius formæ, quam probauit Origenes; vt scilicet quatuor angulis ex imo consurgentibus, eisdémque paulatim vsque ad summum in angustum arctatis, in spacium vnius cubiti colligeretur, vt ipse loquitur. quam formam vehementer omnes improbant, & meritò: cùm maximam perdat spatij partem; & incommodissimam præbeat tam hominibus, quàm brutis habitationem. vt patet ex ea figura quàm primam Torniellus delineauit, quam si in tres contignationes diuiseris, videbis quam nihil fermè commeatui in secunda aula; multò minùs etiam hominibus, & auibus spatij relinquatur. hom. 2.

XXIV. *Vbi constructa fuerit.* QVÆRES quo in loco facta fuerit arca? Etsi locum Scriptura non memorat; Illum tamen fuisse latus Caucasi, quod Indiam spectat, coniicit Temporarius, quòd Cainitæ primíque homines versus Orientem paulatim progressi sint, sicque eis mons Caucasus occurrerit: ad cuius radices maximè idoneus locus fuerit, tum ne pessimorum hominũ consuetudine turbaretur opus. tum quo & copia lignorum magna esset, & facilis ad euehendam, amnibus ad id seruientibus, in quos arbores deuolutæ, citra iumentorum opem ad locũ fabricę raperentur. Iuuat etiã coniecturam Promethei fabula, quem fuisse Noe iampridem creditum fuit qui alligatus ad Caucasum diceretur, quòd ibi perperuò opus faceret. Deniq; quod alteram Caucasi partem Nysei habitent, in qua cedrorum vis ingens crescit, quæ fuerat areæ materia. Sint hæc sanè probabilia; præter illud quod putat fabricatam arcam longè ab improborum consuetudine, cùm potius in illorum oculis eam exstructam dicere conueniat, vt hoc eis esset perpetuum ad resipiscendum monimentum. Audi enim Chrysost. hom. 25. *Volebat autem illos quoque, qui tam grauiter peccauerant, fabricatione arcæ admoneri, vt secum cogitarent quæ fecissent, resipiscendóque indignationem non experirentur.* Et Rupertus. *Igitur circiter annos centum, increduli fuerunt, prædicante illis publica arca fabricatura, & tanto tempore expectauit eos Dei patientia.* Ex quo autem, vt notauit Caiet. eleuata dicitur arca è terra, antequam fiat mentio aquarum montes superantium, significatur arcam non in monte, sed in planicie fabricatam esse, vt in omnium oculis ad terrorem peccatorum, & emendationem vitæ extrueretur. hom. 25. in Gen. l. 4 c. 16. c. 7. v. 17.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 1557.

N. II. I. DIVVS Chrysostomus hoc tempus non definiuit exactius, sed tantùm ait fuisse planè multum σφόδρα πολύ, admodúmque sufficiens ad erratorum emendationem, hom. 24. in Gen.

N. III. 2. Sic Esai. 42. 1. *Ecce seruus meus suscipiam eum, electus meus complacuit sibi in illo anima mea.* Necdum tamen natus erat seruus ille, & electus, de quo loquitur.

N. IX. 3. Chrysostomus homil. 24. Seruatns ait filios Noë 1. quia licet multùm à virtute patris abessent, alieni tamen erant à grauioribus sui seculi peccatis. 2. in honorem iusti, solet enim Deus hoc dare iustis vt in eorum gratiam etiam alij seruentur. vt Act. 27. dedit Deus Paulo vitam omnium qui cum ipso nauigabant. 3. quia volebat fermentum aliquod, & radicem ad posteritatis constitutionem relinquere. *ζύμην τινὰ καὶ ῥίζαν, τῆς μελλούσης καταλειφθῆναι.* Luc. in Tim. *ζώπυρόν τι τοῦ ἀνθρωπίνου σπέρματος διαφυλάττων εἰς ὑπερβολὴν κακίας αὔξησιν.* Scintillam quandam humani seminis cõseruans in maioris nequitiæ propagationẽ.

Clarè Chrysost. hom. 24. *μετὰ σοῦ στήσω τὴν διαθήκην μου*, tecum posthac statuam testamentum meum. N. IX. 4.

Accedit quod tam infimum tabulatũ, quod immediatè tangit aquas, atque eis innatat, imò & tota externa ædificij facies, videtur eximenda, vt 300. cubiti longitudinis, & 50. latitudinis intra ipsum opus accipiantur, vt Temporario placet. N. XIV. 5.

Quos tamen se continuisse durante diluuio refert Del Rio ex Rabano & Anselmo Laodunensi, quod alio quoque loco dicendum erit. Nunc id dicamus à D. Hieronymo significari l. 1. contra Iouinianum. *Quando ingreditur in arcam Noë, tam ipse quàm filij eius ab vxoribus separantur, quando verò egrediuntur in terram iunguntur paria.* Sic ipse. Eadem tamen est phrasis c. 7. 7. & c. 8. 18. N. XX. 6.

Locus erit & animalibus, quæ tam hominum, quàm ferarum cibo deseruiant. verùm hac de re n. 22. N. XXII. 7.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1559.

MATHVSALÆ 872. LAMECHI 685.

NOEMI 503. SEMI 1.

ANTE CHRISTI ORTVM 2494.

INTERIM dum arcæ materia strenuè comparatur, & comportatur, nascitur Sem, fratrum qui diluuio superfuerunt natu maximus. Quòd ex Scriptura perspicuè confirmatur. Cùm enim Sem biennio post diluuium centum annorum fuerit, oportet ipsum octo & nonaginta annis natum esse ante diluuium: id est anno patris quingentesimo tertio circiter ineunte [1]. Et huic chronologiæ facilè omnes consentiunt, & nominatim Q. Julius Hilarion in libello de mundi duratione, & Nicephor. Beda, Lipomanus, Pererius, Torniellus, Gordonius. Quibus adde Temporar. Caluisium, Capellum, & alios sectarios: vt mirum sit Marianum Scotum, & Chronicum Alexandrinum scribere, Sem in diluuio fuisse centum annorum, cùm perspicuè Scriptura illos centum annos non terminet diluuio, sed generatione Arphaxad, vt ex Græcis etiam, Hebræis, Chaldaicísque libris apertè constat. *Num. I. Ortus Semi.*

1. ✕. habetur to. 7. Bibl. Pat. c. 2 chron. l de sex æt. in chron. l. 15. n. 238. p. 45.

SED illud potiùs controuersum est, fueritne Sem natu maximus eorum trium, qui memorantur diluuio superstites; nam quidam eam dignitatem Iapheto attribuunt; non rectè, quippe Semo debitam, non ea solùm coniectura, quòd primo semper loco nominatur, quòd Noë in benedicendis filiis Semum Iapheto prætulit, vt primogenitum, aut potius natu maiorem: Sic enim Iacob in benedicendis filiis à Ruben inchoauit primogenito, etsi primogeniti iura peccato suo amisisset. Iacobum imitatus est Moses: idque apertè docet illa Iosephi cum patre disputatio, *Non ita conuenit pater, quia hic est primogenitus.* Sed ea potiùs ratione, quòd cùm de Iapheto duntaxat possit esse dubitatio, vt fatentur omnes, quem Hebræorum aliqui primogenitum dixere, Scriptura eam quæstionem soluit, cùm Semum vocat *fratrem Iapheti maiorem*, quo modo etiam vertit Hebræum textum olim Hieronymus, & postea Pagninus, Tigurina, & vtraque Chaldæa paraphr. Eodem modo textum Hebræum exponunt, Pererius, Del Rio, Oleaster, Lipomanus & Caietanus. Septuaginta etiam, qui nunc maioritatem Iapheto tribuunt, olim tribuebant Semo, sic enim illos citat Augustinus in libro de ciuitate Dei, & Procopius Gazæus in 10. Gen. Passim autem antiqui patres Sem primogenitum, aut natu maximum appellant, vt sanctus Epiphanius in Ancorato sub finem. Diuus Cyrillus semel iterúmque vocat Sem primum filiorum Noë. D. August. loco citato vocat eundem maximum filium Noë, idque secundò. Hieronymus etiam ad Euagrium idem ex Hebræorum traditione refert. Adde Procopium in c. 9. Isidor. in c. 8. Gen. & recentiores. *II. Fuisse natu maximum trium.*

Gen 9. 26. Gen 49. 3. Deut 33. 6. Gen. 48. 18. Gen. 10. v. 21. l. 15. n. 314. l. 16. c. 3. l. 4 in Gen. l. 16. de ciu. c. 3. epist. 146.

NAM quod Iaphetum quidam natu maximum putant, quòd Sem in Hebræo dicitur, [illegible] hagadol, frater Iapheti maioris. respondemus Hebræis ה omnibus casibus, & non solùm genitiuo iungi, vt notat Bellarm. in Grammatica Hebræa, ideóque Pagninus per nominatiuum vertit, quasi sit, ille maior [2]. Oleaster etiam, qui legit maioris, non id ad ætatem refert, sed ad maiorem liberorum copiam, qua Iaphet maior fuit Semo, quæ mystica potius est, quàm literalis interpretatio. Nec ratio quæ mouet eos qui Iaphetum faciunt maiorem Semo, quidquam efficit. Aiunt enim Scripturam dicere natos tres filios Noë, cùm quingentorum esset annorum: non sunt omnes nati illo anno, vt satis constat, non Cham qui fuit natu minimus, vt mox dicetur, aut certo non maximus, vt omnes agnoscunt, non Sem, quem nos quoque fatemur biennio post natum, *III. Non autem Iaphetum.*

20. Gen. 11. p. 2. æ. 3. n. 9. 2. ✕. c. 5. fin.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1600.

MATHVSALÆ 913. LAMECHI 726.
NOEMI 544. SEMI 42.

ANTE CHRISTI ORTVM 2453.

IN hoc trigesimo secundo Mundi Iubilæo gradum de more figimus. In quo dimidia iam ferè pars temporis ad pœnitentiam hominibus concessi inutiliter consumpta, magnam præconi iustitiæ dicendi segetem dabat, & testificandi aduentum Domini, & aduentantem iustitiam eius. Nec dubitandum est quin duo illi senes Lamech & Mathusalem, filij ac nepotis studia pro virili promouerent. Quin ne studium quidem trium iuuenum, qui nunc fermè quadragenarij erant, defuisse crediderim, ad Dei causam, & conuersionem peccatorum promouendam. Neque enim dubitare fas est, à viro sanctissimo domestica disciplina in timore Domini ita educatos, vt propriæ salutis studiosi, etiam alienæ paterno monitu inuigilarent [1]. — *Num. I. Noe præco iustitiæ cũ parentibus & filiis.* — 1. ✠.

ZELVS animarum in Noë maximè eminebat, vt qui maxime à Deo electus fuerat ad mundi salutem. Ille in primis iuxta Apostolum commissum sibi *Verbum prædicabat: instabat opportunè, importunè, arguebat, obsecrabat, increpabat, in omni patientia, & doctrina. Erat enim tempus, quo sanam doctrinam non sustinebant*, imò concionatorem quasi delirum senem deridebant [2], *& ad sua desideria coaceruabant sibi magistros prurientes auribus*, qui scilicet ad ludos & choreas agitandas, ad frequentanda conuiuia, ad celebrandas nuptias inuitabant, vt Christus ipse testatus est; quippe qui sibi de diuina bonitate, & patientia blandientes, minas in rem conuersum iri non credebant. — *II. Eius zelus animarum.* — 2.Tim.4.2. 2. ✠. Luc 17.26. Matth. 24. 38. 1.Pet.3.20.

HVIVS rei obscura quædam vestigia in antiquissimis Græcorum fabulis reperiuntur sub Promethei nomine, quod obseruauit Temporar. Ait enim Gigantes & illusores impios cùm illum arcam moliri cernerent, omniúmque hominum & animantium interitum prædicere audirent, nisi resipiscerent, Prometheum ironicè nominasse, atque etiam cauillatos esse vulturem in visceribus alere, cor eius depascentem; atque hunc illi tortorem diuinitus datum esse, propterea quod diceret totum orbem vndis obrutum iri. quasi omnem ignei elementi vim Ioui esset subtracturus, huiusq; furti non patrati, sed cogitati pœnas pēdere. Caucaso verò alligatum dixisse, quod ad eius radices Arcam machinaretur operi assiduè incumbens. Hos porrò sarcasmos post Diluuium filios Noë vulgasse, & fabulæ Promethei occasionem dedisse. Et quamuis falsum sit Prometheum, id est Noë Iapeti fuisse filium, cùm vice versa fuerit eius pater, is tamen error nonnullam veritati astruit fidem. sed de his hoc loco satis, cætera, ne cui sim grauis, in Scholiis reddam [3]. — *III. Noe Prometheus in fabulis.* — 1. chron. p 23. & 26. 3. ✠.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 1600.

N. I. 1. NEC tamen mulieres quoque iustitiæ præcones agnosco, vt visum est Genebrard. in chronic. Octauum enim referri oportet ad verbum, custodiuit, non ad præconem. Nec aliud voluit, quàm quòd priore epistola dixerat, in qua pauci, id est octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. Sic 2. Machabæorum, dicitur Iudas decimus secessisse in desertum locum, id est ipsum, cum nouem socijs. — 2 Petr. 2 5. c 3.v.20. c.3.v.27.

N. II. 2. In orac. Sibyl.
Οἱ δέ σε κικλήσκοντες ἐμμανέα ἄνδρα
Ἐξέστη κακλήσκοντες, ἐπὴν μεμανημένον αὖ ἔφ.
quæ ibidem ita vertuntur,
Sic ait, ast illi vulgo ridere monentem,
Dicerèque insanum, dementatùmque furore.

N. III. 3. Sed & illud malè implicarũt, cùm dixerunt Deucalionem eiusdem Promethei filiũ fuisse, qui in diluuio genus humanum internecioni eripuerit, vno diluuio cum altero confuso, suspicabantur eundem fuisse Deucalionem cum Noë, ex beneficio hominibus collato. Itaque & Theophylus Alexandrinus scribit Noë à quibusdam dictum Deucalionem. Et

Plutarchus in libro de solertia animalium huc apertè alludit, cùm ait à Mythologis narrari columbam ex arca emissam, Deucalioni certum indicium detulisse tempestatis, cùm rursus ingrederetur; serenitatis autem cùm auolasset. Philo lib. de præmiis & pœnis, sub initium. *Hunc Græci Deucalionem, Chaldæi Noam nominant, cuius ætate ingens illud Diluuium acciderit.* Lucianus quoque in Misanthropo, Deucalionis arcam, & Diluuium memorans, non alium à Noë Deucalionem intellexit, præsertim cùm sacras literas Christianos aliquando degustasset. Et Philoni Iudæo notissimæ essent. Vide etiam Epiphan. hæresi 26. quæ est de Gnosticis, qui Deucalionem & Pyrrham, in Noë & Noriam conuertebant.

ANNVS MVNDI, ET PRIMAE ÆTATIS 1650.

MATHVSALEM 963. LAMECH 776.

NOEMI 594. SEMI 92.

ANTE CHRISTVM 2403.

Tertius & trigesimus annus Iubilæus hoc anno terminatur, quo Arca iampridem inchoata sensim perducebatur ad finem, in oculis videntium, & negligentium, atque adeò insultantium, improborum.

ANNVS MVNDI, ET PRIMÆ ÆTATIS 1651.

MATHVSALÆ 964. LAMECHI 777. ET VLTIMVS.

NOEMI 595. SEMI 93.

ANTE CHRISTI ORTVM 2402.

Obitus Lamech. Mortvvs est hoc anno Lamech, expletis septingentis septuaginta septem annis, vt ex Scriptura constat; à qua Iosephus, aut eius amanuensis aberrauit, dum annos septuaginta in medio reliquit; quòd erratū tam in Græcis, quàm Latinis eius exemplaribus adhæsit. Græca autem Biblia eum 24. annis iuniorem mortuum ponunt, anno scilicet 753. sed nos iampridem eam chronologiam deseruimus. Mortuus est ergo Lamech, patre suo adhuc in viuis relicto; quòd nulli Patriarcharum ab orbe condito contigerat. Nam Abel & Cain violenta morte sublati sunt. Vidit autem Adamum ipsos quinquaginta sex annos. tot enim illo moriente natus erat Lamech, vt suo loco diximus: & cæteros, qui interiecti fuerunt, Patriarchas sepeliuit. vel hoc nomine fœlix, quòd filium, ab orbe condito ad eam ætatem, sanctissimum genuerit: & mundi reparationi diuinitus destinatum. *Genes. 5. v. vlt.*

Ingemuit videlicet Mathusalem, qui iam auum suum Iared, atque adeò mortales omnes viuendo superauerat, timens ne ad tristissimam Diluuij cladem, aut certè spectaculum, quòd erat in ianuis reseruaretur. Sed si timor fuit, timor tantùm fuit; quamprimum enim, vt mox dicemus, defunctus est. Nec tamen hoc anno, licet id videatur sensisse Diuus Augustinus lib. 49. in Genes. quæst. 2.

ANNVS MVNDI 1656. PRIMÆ ÆTAT. VLTIM. MATHVSALÆ 969. ET VLTIM. NOEMI 600. SEMI 98.

ANTE CHRISTI ORTVM 2397.

Gen 7. QVINTO à Lamechi filij sui morte anno, mortuus est longæuus Ma- I.
187 thusalem, anno ætatis suæ 969. inchoante, vt rectè Torniellus anno- *Obitus Mathusalæ.*
182 tauit. Nam cùm vixerit 187. annis antequam gigneret Lamechum, &
600 hic vixerit 182. annis ante ortum Noë: Contigerit autem diluuium
969 sub initium anni sexcentesimi Noë, vt patet ex septimo Geneseos, oportet etiam
v. 11. vltimum annum Mathusalæ non absolutum, sed inchoatum fuisse duntaxat.
687 Idem etiam ex annis mundi clarè deducitur. Nam cùm natus sit anno mundi 687.
969 absoluto, si addideris illis annis 969. inchoatos, peruenies ad præsertim diluuij
1656 annum 1656. sub cuius initium diluuium inundauit, vt aliquanto post ostende-
l. 15 de Ciu. mus. Ita verè affirmasse cognoscitur D. August. *Nullum eorum diluuio mortuum esse,*
c. 24. *quos de semine Seth propagatos Scriptura commemorat.* Et iterum in eodem libro, cùm
l. 15. c. 11. disceptaret de codicum Græcorum, & Hebræorum discordia, in numero anno-
rum: & ex Græcis confici ostendisset Mathusalem quatuordecim annis diluuio
superuixisse, quo durante cum Patre, qui translatus fuerat, vixisse putaretur, ita
concludit. *Hanc opinionem, vel suspicionem accipiat quisque vt putauerit; certum est tamen*
l. qq. in *non vixisse Mathusalem post diluuium, sed eodem anno fuisse defunctum, si verum est quod de*
Gen. q. 2. *numero annorum in Hebrais codicibus reperitur.* Hæc ibi. Quo loco videtur correxisse;
quod alibi scripserat; *Ex paucioribus, sed veracioribus codicibus Græcis inueniri, Mathu-*
salem sex annis ante diluuium esse defunctum[2]. Verùm hac de quæstione satis suprà, in
2. %. anno mundi 131. n. 4. & in primo anno Lamechi dictum est, ostensúmque, etiam
n. 1. & scho. ex codicibus Græcis, & plerisque Patribus, in hunc ipsum annum cadere mor-
1. tem Mathusalæ.

QVAM ille mortem tot annis, imò & seculis desideratam, venientem obuiis II.
vlnis excepit, quóque magis sentiebat imminere diluuium, hoc crebrius, maio- *Religiosus, ac pius.*
3 Reg. 19. 4. rísque sensu iterabat illud. *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim me-*
lior sum quàm patres mei. Quorum scilicet omnium ætatem viuendo prætergressus
iam fuerat, & quidem mundo supra omnes omnium ætates corruptissimo, atque
deprauatissimo. Sic ille quidem senserit, & dixerit. Fuit enim in iustorum fami-
lia ortus, & educatus ab Adamo, Setho & cæteris, quibuscum diutissimè vixit.
Paterna etiam sancti Enochi institutione trecentos ipsos annos excultus. Ita-
que & iustorum filiorum parens fuit, Lamechi, & Noë. Denique, vt scribit Abra-
ham in fasciculo myrrhæ, commendatur apud veteres Hebræos à iustitia, & mul-
apud Genebr. chro. tarum rerum cognitione, & sapientia, cui assertioni ætas ipsa, & genus conci-
liat fidem.

in c. 7. Gen. ADDIT Genebrard. ex R. Salomone ipso anno diluuij mortuum, septem III.
diebus ante aquarum inundationem, vt sanctè sepeliri, & lugeri à nepote Noë, fi- *Eiusdem funus.*
liisque eius posset. Credibile etiam est reliquias eius, tam recentes à funere, ab
eodem Noëmo secum, vnà cum Adami ossibus, iuxta ea quæ suprà diximus, as-
portatas in arcam. Sed & eundem honorem Patris sui Lamechi ossibus habuisse,
quæ post diluuium, terræ honorificè mandarentur. Malit fortasse aliquis profun-
da quapiam & saxea in crypta, omnia ad tempus deposita: eámque diligenti ob-
structam cura, aduersus omnes vndarum insultus. Quomodo legimus à Hieremia
tabernaculum, & arcam, & altare incensi abscondita fuisse in spelunca. Sed eam
2. Mach. 2. 5. dissuadet opinionem illa cogitatio, quod nesciret Noë, quam in partem terrarum
ab arca transportandus esset cum familia sua; & an huiusmodi crypta, parietina-
rum & terrarum aggregatione obruta, & facie terrarum variè commutata, nus-

quam deinceps reperiri posset. Quæ res dissuadet etiam Chami metalla magicis inscripta notis, de quibus infra. schol. 11.

IV. *Annus diluuij stabilitur.* IAM verò quod ad annum diluuij ab orbe condito attinet, emendator temporum confidenter sanè pronunciat: A conditu rerum ad diluuium annos 1656. absolutos esse. Idque ex epilogismis annorum, quibus natalis, & mors Adami, & posterorum eius à Mose signata sunt, tam certum esse, quam nemo hactenus dubitauit; diluuium igitur incidisse in annum 1657. à conditu mundi. Verùm ex iisdem ipsis epilogismis maxima pars Chronologorum colligit annum mundi 1656. inchoantem, & non absolutum. Alioqui enim dicerent cum Scaligero, incidisse diluuium in annum mundi 1657. cùm dicant 56. qui fuit sexcentesimus Noë iniens, vt paret ex Scriptura ipsa. Iraque Rupertus. *Lamech*, inquit, *genuit Noe sub quo factum est diluuium, anno ab Adam 1656.* Idem habet Marianus Scotus in fine primæ ætatis, & Beda, & Ado Viennensis, & ante eos, Q. Iulius Hilarion in lib. de mundi duratione. *Sexcentesimo*, inquit, *anno Noë, factum, & consummatum est diluuium.* Imò D. Hieronym. ait Mathusalem esse mortuum eo anno, quo cœpit esse diluuium. Atqui, vt paulò antè docuimus, hoc ipso anno, terminantur nongenti & 69. anni Mathusalæ; ergo hoc anno cœpit esse diluuium, & non sequenti, alioqui vixisset 970. annis, quod Scripturæ aduersatur. Hieronymū sequitur Augustinus, & Lyranus in quintum Geneseos, & Abulensis ibidem. Caietanus quoque, & Driedo disput. de supputationibus. Pererius in Genesim, Genebr. Mercator in Chronol. è sectariis Functius, Temporarius, Beroald. in Chron. & rursus alibi. Vignerius initio Chron. Bibliander in fine Tabulæ primæ. qui omnes ante Scaligerum scripserant. Nec vllum planè reperio, qui diluuium inchoët absoluto anno 1656. Nam etiam qui mundum ab Autumno inchoant, volunt cepisse diluuium hoc anno, & initio sequentis desiisse, vt Torniellus, & Sethus Caluis.

l. 5. ca. de diluuio. Gen 7 11. l. 4. c 11. 6. l. de sex. ætat. t. 7. Bibl. Patrum. in qq. Heb. l. 15 de Ciu. c. 12. q 6. l 3. c 5. l. 12. n 9. l. 3. c. 2.

Ex his ergo apparet quam solida sit fiducia Scaligeri, & quàm mereatur fidem in rebus, in quibus minùs facilè redargui potest[2]. Multo autem hic grauius Iosephus peccat, dum hanc vastitatem contigisse ait, vt videtur anno à condito primo homine 2656. quod in schol. expendemus[3]. Sit ergo positum diluuium contigisse anno mundi 1656. eundémque fuisse sexcentesimum Noë. Et deinceps primùm à diluuio fuisse 601. mundi autem 1657. Quoniam autem huius anni menses & dies à Moyse accuratè annotantur, non conuenit nos in iis obseruandis esse negligentes.

2. ✠. 3 ✠.

V. *Quis inchoati diluuij mēsis.* MENSIS ergo inchoati diluuij secundus à Moyse statuitur. *Anno*, inquit, *sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ.* Sicut enim dies decimus septimus ad proximè nominatum mensem, ita & mensis secundus ad proximè nominatum annum refertur, & quidem inchoatum duntaxat, non absolutum, vt quidam absurdè putauit. Alioqui enim annus sexcentesimus primus qui sequitur, erit sexcentesimus secundus, non primus. Ex quo etiam loco colligitur annos Noë cum annis mundi ferè concurrere, & vtrósque à veris initio incipere. hic mensis Nouembris est iis qui mundum ab Autumno inchoant, vt Scaligero & Calnisio, qui tamen in die non consentiunt; vt Torniello & Abulensi. Nobis autem, & iis qui à vere initium mundi ducunt, Aprilis, aut initium Maij. Vt Ruperto, Del Rio, Capello, &c. quâ de re vide quæ in Apparatu annalium diximus, de quo etiam rursum aliquid dicendum erit, cum D. Ambrosio, & Ruperto. Hic illud tantùm ex Ambros. c. 14. *Significatur*, inquit, *nunquam Deum eo numero vel tempore interitum hominum fuisse facturum quo fecit exordium, nisi immanibus delictis esset offensus.*

c. 8. v. 13. die mundi 6 n. 41. l. 4. c. 25. c 4. n. 4. & seqq. infra n. 18.

VI. *Quis dies.* PORRò Septuag. non solùm in anno diluuij ab Hebræis, Latinisque differunt, vt alibi dictum est, sed etiam in die, nostra enim editio habet decimum septimum diem secundi mensis, sicut Hebræi, & Chaldæi codices. Græci autem 27. mendo vtique in numeros illapso; & quidem iampridem. Nam Iosephus eundem errorem in sua scripta fideliter transtulit. Quod facilè demonstrari potest, si duo posuerimus, quæ plurimum lucis Mosaicæ huius anni Chronologiæ afferent. Primùm Iudæos mensibus Lunaribus vsos (tam constāter vt mensi & Lunæ idem nomen ירח iareah, dederint) ex quibus fiebant dies 354. Eum enim dierum numerum conficiunt duodecim periodi Lunares, quarum sex dierum 30. totidem 29.

ann. mundi 131. l. 1. ant c. 3-4.

fuerint. Sed quia propter Pascha sub æquinoctium vernum celebrandum, habenda erat erat ratio anni solaris, qui est 365. dierum cum quadrante, certis temporibus geminabatur duodecimus eorum mensis Adar; ex quo inserto fiebant anni embolismæi, & Lunaris annus solari exæquabatur. Id totum diligentissimè docuit Ioan. Mariana in opusc. de die mortis Christi, & Rupertus, nósque alio loco disputabimus.

14 c 11. c 9. 10 1. 20. Mosis 81. c. 7. 11. c. 8 13.

VII. *Chronologia huius anni apud Moysem.* PONENDVM secundò, scripturam agere de annis vitæ Noë, dum memorat sexcentesimum, & sexcentesimum primum annum, id enim prior locus disertè asserit; posterior verò aliò referri non potest, & Sept. vtrobique vitæ Noë meminerunt. In cætera verò enumeratione mensium & dierum, agi de duratione diluuij, & ab eius exordio computari; vt rectè docuit Caiet. Torniellus & alij, vt postea videbimus. Cùm ergo Moses dicat primo die decimi mensis apparuisse cacumina montium, nouem integræ Lunationes abierant, id est 265. dies: quibus addendi sunt 40. dies, quos expectauit Noë, antequam dimitteret coruum (c. 8. 6.) & mox bis septeni dies, quibus emisit columbam, fiúntque 319. dies. His autem diebus addendi sunt vnus mensis, & 16. dies, qui eo anno prætererant antequam pluuia decideret; fiétque annus integer Solaris 365. dierum, aut 366. si ponamus eum annum bissextilem. Quod si diceremus iuxta Septuag. pluuiam cæpisse die 27. secundi mensis, oporteret addere diebus diluuij vnum mensem & 26. dies; sicque annus fieret 375. dierum, quod absurdum est [4]. Hinc autem satis deduci potest non solùm hunc annum fuisse 365. dierum, sed etiam qui diluuium antecessere, aut multo deinceps tempore secuti sunt, vocantúrque patriarchales, non autem 360. dierum fuisse, vt putauit Christophorus Lauretius. Reprehendit etiam hoc loco Torniellum Capellus, sed neque proficit hilum, vt seorsum docebimus [5]. His autem de tempore necessariò discussis, ac declaratis, quæ aliqui de industria ambitiosè videntur obscurare; Mosaicam narrationem ipso ordine temporum persequamur.

4. ✠.

de doctr. temp. l. 7. a 16.

5. ✠.

VIII. *Quæ gesta septimo ante diluuium die.* CVM iampridem à Domino mandata arcæ fabrica, aliquando absoluta esset, ventúmque iam esset ad annum decretorium, quo supplicium de peccatoribus sumendum erat, & primæ hominum ætati imponendus finis: ipsisque anni initiis mortuus, sepultúsq; esset Mathusalem, & ij omnes, quos neque perire diluuio, neque in arca conseruari statuerat Dominus. Septimo ante diluuium die iterum alloquitur Noëmum Dominus. *Ingredere*, inquit, *tu, & omnis domus tua in arcam, te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* Nusquam de iustitia filiorum, aut vxoris, aut nuruum quidpiam dicit, siue quia vulgaris erat, siue quia intelligi volebat se septem illas animas ipsi dare, vt animas 236. naufragorum Paulo, vt suprà ex Chrysostomo dicebamus, cui adde etiam D. Ambrosium, in lib. de Noë & arca c. 11.

Act 27. 24 Chrys. ho. 24. in Gen ann. mundi 3557. n. 9. sch. 3.

IX. *Qui cum Noe in Arca.* IN hoc numero non fuisse Enochum proauum Noë certò constat ex principe Apostolorum, qui Mosaicæ narrationi adhærens, ait, *octo animas saluas factas esse in arca, & Noë octauum iustitiæ præconem custoditum.* Vbi autem conseruatus fuerit, nouit Dominus qui conseruauit, quem æquè potuit in mediis vndis tunc, ac postea tres pueros in medio Babylonicæ fornacis intactos conseruare: præter eum arbitror scire neminem. Vide Perer. in Genes. De Mathusalem autem, ex dictis pater neminem sollicitum esse debere. In eo porrò numero fuisse Sibyllam, quandam innominatam lib. 1. Sybillinorum oraculorum traditur [6], quod viris eruditis fictitium non immeritò creditur. Non minùs quàm Hebræis de Noëma eiusdem Noë vxore, aut Gnosticis hæreticis de Noria, abrogatur fides. Refert enim Epiphanius Gnosticos Pyrrhæ nomen, quæ Deucalionis vxor in Græcorum fabulis dicitur, in Noriam vertisse, vtróque vocabulo ab igne deducto. quos ipse reprehendit, atque neque Pyrrham, quæ est apud Græcos, neque Noriam ab ipsis excogitatam, sed Barthenon vxorem Noë fuisse [7]. At Berosus Annij non minùs in excogitandis nominibus ingeniosus fuit, qui non solùm vxoris Noë nomen, sed etiam nuruum eius inuenit. Illam enim Tyream, has Pandoram, Noëllam, & Noëglam appellauit. Sed fabulas omittamus.

1. Pet. 3. 20. 2. Pet 2 5. Vide Aug. l. 15. de Ciu. c. 11.

l 3. n. 41. hoc ipso an. n 1. 2. 3

6. ✠.

hæres. 26. init.

7. ✠.

X. *Causa liberati Noe.* CAVSAM liberati Noë iustitiam eius ponit Dominus. *Te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* Ex quo videtur consequens, etiã è reliquis mortalibus plures,

si iusti forent, liberatum iri. Neque tamen inde efficitur omnes omnino, qui arca
exclusi fuerunt, etiam adultos, corpore, animóque periisse. Nam, vt suprà docui- ann. mundi
mus, plurimi ingruente diluuio ad se, & ad Deum reuersi, veniam de suis sceleri- 1537. n. 7.
bus petierunt, & impetrarunt. Cùm enim iis hanc tantam calamitatem acceptam
referrent, in eorum satisfactionem mortem diuinitus immissam, cum omnium re-
rum suarum iactura, patienter subierunt.

XI. *Animalia in arcam admissa.* DECLARAVIT quoque hac ipsa die Dominus, quæ & quot animalia in ar- c. 6. 19. 20.
cam vellet admitti. Cùm enim antea tantùm vniuersè dixisset, vt bina ex quauis
specie masculus & fœmina, ad propagandum deinceps speciem conseruarentur:
nunc distinctius de mundis septena, de immundis bina conseruari iubet, vt scili- Theod. q.
cet in illis quatuor mares essent, & tres fœminæ; non autem septem mares, toti- 50. in Gen.
démque fœminæ: in his mas vnus cum suo compari. Verbi gratia quatuor arietes,
cùm tribus ouibus; asinus vnus & asina. eadémque ratione in volucribus mundis
immundisque. plures autem de mundis conseruari voluit, tum vt faciliùs ea spe-
cies propagaretur in sacrificiorum, & humanæ vitæ vsum; tum vt septimus, qui
compari carebat, post diluuium in sacrificium cederet, neque paria ipsa mutila-
rentur, vt ait Chrysostomus. hom. 24. in Gen.

XII. *Quomodo accipienda munda immundáque animalia, an ex lege,* QVOD autem ad legalem illam mundorum, immundorúmque animantium Theod. qu.
differentiam attinet, quidam existimarunt eam denominationem per πρόληψιν 10. in Gen.
vsurpari; cùm huiusmodi differentia in lege naturæ non fuisset, sed in ea tantùm, Beda in hexa.
quam Dominus in deserto vulgauit, vt sic faciliùs breuiúsque intelligerent Iu-
dæi, quænam animalia in arcam admissa fuissent, vel exclusa. Nam si ratio na-
turæ ipsorum & conditionis habeatur; *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde* Gen. 1. 31.
bona, & in suo genere perfecta, qualia à bono, & perfecto creatore condita
fuerant. Abulensis putat dicta, & iudicata munda illa omnia animalia, quæ in c. 7. Gen.
an ex humano vsu, ad cibum hominibus vsui esse solent, propter gustus conuenientiam, vel sua-
uitatem. De quibus videntur intelligenda verba illa. *Omne quod mouetur, & vi-* Gen. 9. 3.
uit erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradidi vobis omnia, Neque enim equi,
aut asini, aut lupi, aut canes nobis assignantur in cibum; sed quæ hominum
consuetudo & experientia, idonea & salubria iudicauit; quorum tamen non-
nulla lex Mosaica reprobauit, vt lepores, & sues. Quæ sententia videtur po-
nere, quod non est absurdum, vsum carnium iam passim apud mortales in vsu
fuisse. Et hæc planè videtur diui Chrysostomi sententia. Cùm enim dixisset
omnia natura sua esse valde bona, subdit. *Sed postea natura à seipsa ita diiudica-* hom. 24.
uit. (quædam scilicet ad cibum munda, quædam immunda) *Et quod hoc sit ve-*
rum considera quomodo in nonnullis locis ab aliquibus abstinent aliqui, vt immundis, &
non probatis: aliqui illis ipsis vescuntur, consuetudine se ad hoc inducente. Sic & tunc
quoque erat. Ipsa scientia tacito indita docebat, quænam ad cibum accommoda, & quæ im-
munda; non quod ita sint, sed pro immundis habeantur. Hæc & plura Chrysostom. Lat. n. 8.
an ex sacrificiis. Potest etiam cum Caietano & Perer. immundicia hæc ex sacrificiis æstima-
ri, vt illa scilicet munda censerentur, quæ antiqua iam traditione constabat
Deo sacrificari posse, aut solere; cætera autem immunda, quam traditionem
ad Seth, aut Enos referendam putat Pererius. Sed quam sanè malim ad Ada-
mum referre: ex quo Abel, & Cain, quæ essent sacrificanda didicerant; si-
cut ille à Deo: cui Adamus centum & triginta annis ante Sethum natum sa-
crificauerat.

XIII. *Cur visus 7. interiecti dies.* AD quid autem isti septem interiecti dies? An vt Noë improbos mortales po-
stremum moneret, vt metu tanti, támque vicini mali perculsi ad pœnitentiam hom. 24
confugerent? Ita Chrysostom. & Ambrosius grauiter. *Ergo spatium dedit ad pœni-* l. de Noe c. 13.
tentiam Dominus, magis volens ignoscere, quàm punire, vt imminentis diluuij terrore su-
spensos, ad veniam cogeret postulandam, quò, cùm periculum futuræ mortis horrescunt, im-
pietati atque iniustitiæ renunciarent. An vt maturaret Noë reliqua in arcam compor-
tare, quæ vel necessaria erant vsibus humanis, vel alioqui salua esse vellet. Plerá-
que enim sunt, quæ non longinquam, sed penè quotidianam prouidentiam requi-
runt.

XIV. *De aduentu animantium in arcam.* AN vt eo septiduo animalia in arcam cogeret? quamquam cura erat recipiendi
duntaxat, venientia sponte sua, diuinóue instinctu[a], vel angelorũ ministerio, vt eũ 8. x.

adducta sunt ad Adam, vt ab eo nominibus appellarentur suis. Et si enim ex iousitato animantium ad arcam conuentu facilè intellecturus erat Noë, quid sibi vellet ista, sine venatiooe congregata præda; pertinuit tamen ad suauem Dei prouidentiam Patrem familias, imò patrem futuri seculi, de re tota diuinitus præmoneri.

XV. *Anferitate posita.*

VENERVNT autem, vt arbittor, feritate deposita, aut certè ad tempus diluuij mitigata. Nam Philo in vita Mosis ita conuenisse ait, (L. 2.) *Vt nullum animal detrectaret obsequium, immanibus etiam bestiis mansuescentibus, & seruatorem suum tanquam pastorem vltro sequentibus.* Non quod ea Noë per deserta quæsierit, & ad arcam adduxerit; id enim non septem dierum, sed multotum mensium, aut etiam annorum laborem desideraret; & interea pletáque collectum pabulum sine necessitate consumerent: sed vltro, vt dixi venientia, quasi domestica recepit, & in præpatatis cubilibus collocauit. Audi enim Augustinum. (l. 15 de ciui. c. vlt.) *Non fuit ista cura illius hominis, vel illorum hominum, sed diuina. Non enim ea Noë capta* (quasi veoatiooe) *intromittebat, sed venientia, & intrantia permittebat. Ad hoc enim valet, quod dictum est, intrabunt ad te,* (siue vt habet Hietonymi versio, ingredientur tecum,) *non scilicet hominis actu, sed Dei nutu.* Sic Augustinus his similia leges apud Procopium. (ine 6. Gen. sub fin.) Cuj miraculo consentaneum fuit & consequens, vt pacem apud Noe eadem animalia in arca seruarent. Diuus autem Chrysost. (Caiet. hoc loco. hom. 25.) hic elegantet circa immites, & feroces bestias philosophatur. Adamum scilicet amissa iustitia Dominium in huiusmodi bestias valde mutilasse; sed illud diuinitus iusto Noe fuisse restitutum. Vnde concludit, *Cùm illæ viderunt iustum, obliuiscuntur naturæ suæ; imò non naturæ sed ferociæ, & naturæ insitam ferociam in mansuetudinem conuertunt, &c.* quæ mox Danielis exemplo in lacu leonum confirmat.

XVI. *Quæ animalia excluderentur arca.*

QVAMVIS porro Dominus nomine mundorum & immundorum animalium videatur nullas penitus animantium species arca exclusisse: Merito tamen illa exclusa intelliguntur, quæ arcæ beneficio ad viuendum non indigerent. Dictum est enim, *Ingredientur tecum, vt possint viuere;* quo in genete sunt omnia animalia, quæ in aquis viuunt. Itaque Augustinus ait, (l. 15 de ciui. c. vlt.) *Accipiendum esse quod dictum est, quæ repunt super terram, vt necesse non fuerit conseruari in arca, quæ possunt in aquis viuere, non solùm mersa sicut pisces, verùm etiam supernatantia, sicut multæ alites.* 1. Secundò excluduntur animalia, quæ ex putri materia generari possunt, sine commixtione sexuum: 2. Ideò Scriptura tam in auibus, quàm in quadrupedibus, vbique masculi & fœminæ meminit. Notauit hoc Augustinus ibidem. *Deinde cùm dicitur,* inquit, *masculus & fœmina erunt, profectò intelligitur ad reparandum genus dici. Ac per hoc nec illa necesse fuerat ibi esse, quæ possunt sine concubitu de quibusque rebus, vel rerum corruptionibus nasci.* Et 3. quoniam in arca seruabantut animalia, vt generatione similium postea speciem conseruarent, etiam coosequentet exclusa intelliguntur, quæ stetilia sunt; quod è specie diuersis animalibus producantur. De his D. Augustious elegantet. (lo. cit.) *Ea porro quæ sic habent sexum, vt non habeant fœtum, sicut muli & mulæ, mirum si ibi fuerunt, ac non potius parentes eorum ibi fuisse suffecerit, equinum videlicet, atque asininum genus. Et si aliqua alia sunt, quæ commixtione diuersi generis, genus aliquod gignunt.*

XVII. *Cæcitas mortalium tum non resipiscentium.*

CÆTERVM cùm animalia in arcam omnibus ex locis certatim confluerent, & tum bina, tum septena in omnium oculis per demissum ostium, quasi pontem versatilem placidè ingrederentut, oportuit planè obtenebratos oculos mortalium, aut ad alia omnia, epulas scilicet, ludos, & connubia conuetsos, vt non intimis sensibus afficerentut, nèc imminentem cladem, talibus prodigiis declaratam, effugere conarentur. Sed puduit fortasse aliquos resipiscere, verentes ne à sociis, vt fieri assolet, timiditatis nomine riderentur, aut parum constantes in malè suscepto vitæ instituto viderentut. Certè ex ipso euentu apertè constat neminem omnium, ne amicotum quidem, aut propinquotum Noe, tum resipuisse, ad arcam enim cum ipso conuolassent. (Luc. 17. 27.) *Sededebant & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vsque in diem, qua intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes.*

XVIII. *Tempus incipientis diluuij.*

ERGO (Gen. 7. 10. & 11.) *cùm transissent septem dies, aquæ diluuij inundauerunt super terram. Anno sexcentesimo vitæ Noe mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes, &c.* Videtur hic decimus septimus dies in octauum diem, mensis Maij incidisse. cùm enim

statuerimus mundum creatum in verno æquinoctio, id est vigesimo primo die Martij, decimus septimus dies secundi mensis erit octauus Maij, in anno Solari, & Iuliano. Maium certè mensem disertè confirmat Rupertus, & stabilitam superius Chronologiam. *Mensis secundus*, inquit, *secundum legem ipse est qui apud Romanos Maius dicitur; qui & secundum legem, vel naturam temporum, dicitur longis & serenis diebus extendi, atque produci; & omnium, quæ in mundo sunt ad concupiscentiam carnis & oculorum pertinentium pulchritudine illo tempore terra vestitur.* Et mox. *Non ergo parum incautos capit illos repentinus ille laqueus iudicij qui feruentiore voluptatis tempore superuenit.* Et infrà. *Sanè mensis, qui septimus fuit ab initio diluuij* (nota ab initio diluuij, non ab initio anni sexcentesimi Noë,) *ipse est qui apud Romanos Nouember dicitur. Vnde magis miranda tempestas illius iudicij, quam non adiuuit vlla natura temporis; sed è contra Maio, quo mense, vt iam dictum est, sol altius incedit, & cælum naturaliter candescit, erupit imbrium vis; & circa tempus hyemis, id est mense Nouembri, iam imminutis aquis, arca requieuit, tantis tamque diutinis disiecta procellis. Decimo tandem mense diluuij,* (non dixit anni sexcentesimi Noe) *qui est apud nos Feburarius* (is duodecimus est, si habeatur ratio anni currentis) *primo die mensis apparuerunt cacumina montium.* Hæc Rupertus: quæ perspicuè confirmant Chronologiam diluuij, à nobis stabilitam. Affert & magnum momentum Diuus Ambrosius, & simul causam talis temporis à Deo electi denunciat. *Secundum mensem verni temporis fuisse non ambigitur, quando augentur nascentia, ager parturit, terrarum pariter, atque animantium fœtura se fundit. Tunc ergo fecit diluuium, quando dolor eorum maior foret, qui in sua abundantia puniebantur, tunc vltio terribilior Dei.* Et infrà. *Ideò non post collectos fructus infunditur aqua, ne beneficium magis, quàm diluuium terra sentiret.* Fusius enim hanc causam exaggerat, quam nos quoque suprà in Apparatu attigimus.

[Right margin: l. 4. c. 15. Vide Appar. c. 4. n. 14. — c. 4. n. 14.]

XIX. [Left margin: Proximæ diluuij causa. prior, diruptio fontium Abyssi, & quid ea sit.] PROXIMÆ diluuij causæ duæ à Moyse memorantur in hæc verba. *Rupti sunt omnes fontes Abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Circa hos abyssi fontes, multa diuersi philosophantur interpretes, quæ persequi non est necesse. Ego, consentaneè illis, quæ suprà in opere tertij diei diximus, de terra subleuata diuinitus in morem spongiæ, & aquis per innumeras cauitates influentibus; Existimo Deum, Angelorum ministerio, satis enim constat diluuium hoc non ex meris causis naturalibus contigisse, vel Theodoreto teste, aquas è subterraneis terræ meatibus, plurimis ex locis eduxisse; aërem interea ex alto in eas cauernas ad replendum vacuum vi magna decurrisse, & ascendenti aquæ cessisse. Hæc omnino videtur fuisse Ruperti mēs. *Quod si quæras*, inquit, *vnde ergo venerunt tantæ moles aquarum, quæ cuncta operuerunt, ita vt quindecim cubitis essent montibus altiores, facilis patet responsio, quia videlicet inde venerunt quò abierant, dicente Domino, congregentur aquæ, & appareat arida.* Innuit etiam Hieronym. l. qq. Hebr. *Nota*, inquit, *secundum Ecclesiasten, quod omnes aquæ atque torrentes per occultas venas ad matricem abyssum reuertantur.* Vnde scilicet ante prodierant. Idem sentit etiam ab Oleastro, in c. 7. Gen. Nomine igitur Abyssi magnæ intelligimus eam, quam idem Moses initio Geneseos Abyssum vocauit, cuius magna pars terræ circunfusa est, quàm vocamus Oceanum; pars alia mediterranea occupauit, mare videlicet mediterraneum, lacus, & flumina, alia verò in viscera terræ penetrauit, & per occultas magni corporis quasi venas sese infudit.

[Right margin: n. 1. — q. 50. & Procop. in c. 7. — l. 4. c. 10.]

XX. [Left margin: Etiam Ethnici subintellecta.] QVONIAM ergo hæc Abyssus in hoc diluuio per varios meatus largè se, & violenter effudit, dicuntur rupti omnes fontes Abyssi, quia largius solito aquas profundebant, vnde flumina ab ortu ipso maiora nascebantur. Et nouæ passim scaturigines erumpebant. Quæ quoquo modo adumbrauit Poëta, apud quem Neptunus, [Right margin: l. 1. Metam.]

---*Aperite domos, ac mole remota*
Fluminibus vestris totas immittite habenas.
Iusserat; hi redeunt (amnes) *ac fontibus ora relaxant,*
Et defrenato voluuntur in æquora cursu.
Ipse tridente suo terram percussit, at illa
Intremuit, motúque vias patefecit aquarum. Ergo
Expatiata ruunt per apertos flumina campos, &c.

At de his subtilius dissetit Philosophus Seneca, qui inter alias diluuij causas ponit, *Quod flumina tellus largius funderet, aperirétque fontes nouos.* [Right margin: l. 3. nat. qq. c. 27.]

Psal. 77. I A M quod ad cœli cataractas siue fenestras attinet, vt est in Hebræo, quas ia- XXI. *Posterior, aperto cataractarum cœli.*
nuas cœli appellauit Dauid. *Et mandauit nubibus desuper, & ianuas cœli aperuit, & pluit*
illis manna ad manducandum; altera in his cataractis diluuij causa posita est; in tanta
scilicet imbrium densitate, qualis propemodum est in fluminibus, ex altis rupi-
bus magno fragore præcipitantibus: ita vt non imbres ex nubibus, sed flumina è
l.4.c.10. cœlo decurrere viderentur. Vnde Rupertus, *Quòd ait cataractæ cœli apertæ sunt, &*
per hyperbolem accipiendum est, & sic esse dictum, ob insinuandam inundationis magnitudi-
nem, quæ tanta fuit, vt firmamentum, quod fecit Deus in medio aquarum, vt diuideret a-
9. ℣. *quas ab aquis, secundum vulgi opinionem, dissipatum esse videretur.* Hæc ibi [9]. Et quem-
Luc. 4. 25. Deut. 11. 17. 2. Paral. 7. 13. admodum in magna siccitate cœlum in Scriptura clausum esse dicitur, ita in plu-
uia cœlum aperiri, & in ingenti pluuia cœli fenestræ, aut ianuæ, aut cataractæ a-
l. de Noë c. 14. pertæ dicuntur, vt non quasi è cribro stillare, sed plenis doliis ex fenestris deor-
sum prouolui intelligantur. *Vndique*, inquit Ambrosius, *influentibus aquarum moli-*
bus, conclusum genus humanum perurgetur. Et infrà c. 15. *vocat prolapsionem ingentium*
fluentorum.

Luci. in Tim. H o s videlicet adumbrabat imbres profanus homo, quos appellabat ὑετοὺς λα- XXII. *Quod profani ea de re.*
γδαίους, καὶ βιαίους, ποταμοὺς ἑκάστῃ σαλεύοντας, *imbres rapidos ac violentos, & flumina quo-*
l. 1. Metam. *tidie exundantes.* Et Ouidius,

> *Pœna placet diuersa, genus mortale sub vndis*
> *Perdere, & ex omni nimbos demittere cælo.*
> *Fit fragor, & densi voluuntur ab æthere nimbi.*
> *Sternuntur segetes, & deplorata colonis Vota iacent.* ——

l. 2. sub fin. Et Philo in vita Mosis. *Diuina*, inquit, *iustitia magnificè declarauit, quanto malos*
odio prosequatur, nunc aqua, nunc igne sæuiens per interualla temporum, & alios diluuio per-
dens, alios incendio. Siquidem maria tumentia, fluuijque aucti torrentes, simul & peren-
nes, ciuitates cunctas in campestribus regionibus sitas inundarant, subuerterantque. In editio-
ribus autem locis habitatas imbres continuati, non interdiu, non nocte intermissi subruerunt
l. 3 nat. qq. c. 27. *funditus.* Seneca etiam eodem loco, in diluuij causis ponit, *Quod crebri sine inter-*
missione imbres, & elisa æstate hyems pertinax, immensam vim aquarum ruptis nubibus
deiiciat.

l. 12. n. 9. C O N T I N V A T I O autem pluuiæ per 40. dies, non fuit tertia causa diluuij à XXIII *Continuatio pluuiæ.*
prioribus distincta, vt rectè notauit Perer. tum quia pluuiæ tantum circunstantia
est, concurrens ad diluuium; tum quia eadem etiam continuatio intelligitur in
eruptione fontium, vt vult Del Rio hoc loco, ex Caiet. & sanè ea pertinet ad au-
gendam Dei in pereuntes misericordiam. noluit enim homines incautos momē-
to obruere, sed quasi per otium quadraginta diebus grassantem mortem animad-
uertere, vt etiam pereundo, penitus, si vellent, non perirent, quod diligenter pō-
hom. 25. loc. cit. derat Chrysost. tametsi Seneca. *Ad originem rerum*, inquit, *natura parcè vtitur viribas,*
dispensatque se incrementis fallentibus, subito ad ruinam toto impetu venit. Cæterum de
c. 13. mysterio pluuij 40. dierum, consule Lipom. in Catena & Ambros.

S E D an exundans etiam mare huic cataclysmo seruiuit? Ita sanè plerique XXIV. *An mare exundarit.*
censent; etsi alias fluminibus omnibus, quantumuis inflatis, in mare intranti-
bus, illud non redundet, sed accesserunt etiam in ipso mari scaturigines ex a-
bysso ebullientes, quibus ad exundationem iuuaretur quo refero illud, *Rupti sunt*
omnes fontes abyssi magnæ. continet enim abyssus non solùm aquas subterraneas,
sed etiam quæ supra terram sunt & omnino omnes aquas, quæ sunt sub firma-
c. 28. mento. Inundationi maris assentitur etiam Seneca. *Quia*, inquit, *non potest tor-*
rentium aut imbrium, aut fluminum iniuria, fieri tam grande naufragium, vbi instat illa per-
nicies, mutarique genus humanum placuit, fluere assiduos imbres, & non esse modum pluuijs
concesserim, suppressis aquilonibus, & flatu sicciore, austris nubes, & imbres, & amnes abun-
dare. Et mox. *Denique cùm per ista prolusum est, crescunt maria, sed super solitum, & flu-*
ctum, vltra extremum tempestatis maximæ vestigium, mittunt. Deinde à tergo ventis sur-
gentibus ingens æquor euoluunt, quod longè à conspectu littoribus frangitur. Hæc & plu-
10. ℣. ta ibid. in hoc argumentum Seneca [10]. Et sanè difficile est intellectu, non incre-
scente, atque exundante Oceano, omnibúsque maribus, aut maris insulas, præ-
sertim remotissimas à continenti, aut terram ipsam totam, tanto spatio obrui, ac
superari potuisse.

Exundasse, nec repugnare Dauidem. *11 c. 33. Psal. 103. 9.*

XXV. NEC Caietano aut Ruperto assentior, qui illud Psalmistæ, *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram*, ita verum esse aiunt, vt nec in diluuio terminum suum mate transgressum fuerit, quo terram operiret. Verùm id ex eo loco non colligitur. nam vel loquitur Dauid de futuro tempore, vt habent Sept. & editio vulgata, & sic nihil hæc verba ad diluuium; vel respicit dispositionem datam mari ab initio, cui dicit terminos datos, ne iterum operiant terram. Et hoc intelligitur de ordinario situ; neque enim mare deinceps habuit totam terram pro sede sua, vt habiturum erat, nisi Deus ei terminos præscripsisset, neque eos ordinariè transgredietur, sed aliquoties, volente Deo in signum aliquod, vel mortalium castigationem, vt sæpè factum historiæ memorant, & maximè hoc diluuij tempore; & fiet aliquando sub mundi occasum, vt quibusdam placet.

Vnde tot vapores. *Vide Luc. 21. 25. & ibi. interp. & D. Thom. in addit. 3. p. q. 73. ar. 2.* *l. 12. n. 32.* *l. 1. Metam.*

XXVI. QVOD si quæratur vnde tot vapores & exhalationes, quæ tantæ, támque diuturnæ pluuiæ sufficerent, responderi potest, ex terra iam madefacta, atque aquis ebria; & ex aquis latè vbique stagnantibus, vi Solis, qui iam admodum altus erat, & calidus, plurimos semper eductos fuisse, faciléque in aquam conuersos atque resolutos. Omnes quoque vapores, dudum per aërem diffusos, in aquam conuersos; quin & bonam partem aëris in aquam esse mutatam putat Perer. eum scilicet aërem, quem mox aqua occupatura erat. Aqua enim prædominans eum facilè in se conuertebat: madidis quoque flatibus ventorum concurrentibus, vt ex Seneca paulò antè retulimus, & canit Ouidius,

> *Protinus Aeolijs aquilonem claudit in antris,*
> *Et quæcúnque fugant inductas flamina nubes,*
> *Emittítque notum; madidis notus euolat alis,*
> *Terribilem picea tectus caligine vultum.* & quæ sequuntur.

Ingressus in arcam. *c. 7. 13. v. 7.* *11. 32.*

XXVII. IN *articulo illius diei*, vel, vt est in Hebræo, eodem ipso die, nimirum decimo septimo, de quo proximè dixerat; eo tempore, quo peractum erat datum septiduum, commodum Noë cum suis ingressus est arcam, cuius tamen ingressus, per anticipationem paulò antè positus fuerat; sed hîc repetitur, quando completus est ingressus omnium animalium, & ipse cùm suis postremum in arcam ingressus est". Ingressus est eo tempore, quo cœlum omni ex parte nigrescens, & immensarum pluuiarum minax, crebris vndique fulguribus micabat. quo totus aër sonoris tonitruorum fragoribus identidem perstrepebat. Eo tempore quo metu pallidi, & conscientia perturbati plerique mortales illud iam vsurpabant,

> *Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?*
> *Quidve pater Neptune paras?*

l. de Noe c. 15. *hom. 25. in Gen.*

Eo tempore quo pluuiales venti perflabant turbine terras, quæ etiam nouis fortasse tremotibus quassabantur; eo denique tempore, quo Dominus deforis clausit ianuam. *Claudenda quippe erat*, inquit D. Ambros. *& tanto sepienda munimine, ne eam vaga diluuij fluenta penetrarent.* Aliam etiam causam affert D. Chrysost. imo geminam. Ne ea quæ foris gerebantur, magno suo cum luctu ac mœrore; aut etiam metu cerneret, de luctu ac commiseratione fusius; de metu autem ibid. *Verisimile enim est*, inquit, *si vidisset inundationem tot aquarum, anxium futurum fuisse, ne & ipse aquis periret. Eius igitur curam gerens benignus Deus, non permisit ipsum vel aquarum spectare sæuitiam, vel videre hominum excidium, & communem orbis internecionem.* Sic ipse. Verùm hic metus per hyperbolem dictus videri potest, aut certè de primo quodam naturali motu, qui fide in Deum, ac spei firmitate statim corrigeretur.

Spectaculum atrox diluuio pereuntium. *Ibid.*

XXVIII. SED quod erat commiserationis obiectum? *Quamquam*, inquit Chrysostom. *erant valde improbi, qui peribant, attamen bonorum virorum animæ magnam compassionem habere solent, si quando vident puniri homines. Præsertim autem cùm grauia & insolita sunt flagella, quæ tutum etiam spectatorem horrore concutiunt.* Et sanè horribile erat spectaculum, hominum à recenti superbia, & insolentia ad magnam admirationem, ab admiratione ad ingentem sollicitudinem repente conuersorum: vt qui viderent domorum suarum tecta penetrari, perrumpi, & disiici procellis. Cellaria nouis vndique fontibus ebullire; torrentes rapidos prono cursu parietes domorum, quasi arietes in singula momenta quatere, facilé-

que deiicere; familiam, rémque domesticam, ruina simul, & vndis obrutam, pessum ire.

Luctuosissimum spectaculum seminudorum bominum, bacchantium ritu, huc illucque discurrentium, & sua, deinde suos, postremo, vtróque iam conaru depulsis, seipsos eripere festinantium, à circumfrementium vndarum, & magnis vndique voluminibus occurrentium, præsentissima calamitate, atque pernicie: cùm & arcæ iam clausa esset deforis ianua; & illam à conspectu immanes circunquáque imbres, & tanta mentis perturbatio, vel potius amentia miserabiliter sustulisset.

Atrocissimum spectaculum deploratorum hominum à facie vndarum, quasi draconis insequentis fugientium; & campestribus iam locis, vallibúsque desolatis, ad montana properantium! Vir dolore amens eiulantem vxorem manu trahit, illa paucorum annorum puerulum, vterque infantulum ceruice gestat, & dum arduum ascensum vi multa moliuntur, lubrico fallente vestigio ad ima deuolui, fluctibus hauriuntur. Quæ illic lachrymæ opem implorantium, quæ certamina tabulis se mutuò excludentium; qui clamores pereuntium; qui gemitus conclamatis in rebus, pacem à superis & veniam postulantium.

Non videbat hæc, & id genus alia complura Noë, neque exaudiebat; sonitus quippe maris ac fluctuum, arcæ latera vndique pulsantium, & densorum imbrium super tectum & superiores arcæ partes continenter crepitantium, auditum omnem abstulerant. Accedebant ventorum coniuratorum fragores, & colluctantium nubium horrenda tonitrua.

XXIX. *Noe misericordia, & preces, non irritæ.*

OMNIA tamen quæ contingebant, aut contingere poterant hominibus desperatis, sibi animo fingebat vir sanctus atque misericors, & quæ corporis non poterat, animi oculis, auribúsque repræsentabat. Ergo intimis sensibus ad misericordiam commotus, & cum suis ad preces conuersus, diuinum numen lachrymarum imbre perfusus implorabat: corporéque pereuntibus, animi salutem impetrare, omni animi contentione conabatur. Nec irritæ fuere preces, *Multum enim valet assidua iusti deprecatio;* permulti siquidem, qui ad eam diem *increduli fuerant, cùm fabricaretur arca, & Dei patientia expectaretur,* tunc demum percutientes pectora sua, reos se fatebantur, plangebant præterita crimina; & necessitate in virtutem conuersa, suorum omnium, vitæque propriæ iacturam, in suorum peccatorum satisfactionem offerebant. Denique, vt iam supra dicebamus, implebant illud Dauidicum. *Cùm occideret eos quærebant eum, & reuertentes ad ipsum dicebant, Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

Iacob 5. 16. 1 Pet. 3. 20. — an m. 1517. n. 6. n. 7. Ps. 77. & 118. c. 7. 17.

1. XXX. *Triplex aquarum incrementum & eleuatio arcæ.*

INTEREA *multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra,* inquit Moses. Quod primum est indicium aquarũ inualescentium, & magnæ iam inundationis, quòd tantam molem, tantóque pondere degrauatam, quantum erat tam multorum animalium, & omnis commeatus inclusi, præter homines, & totam domesticam, rusticámque supellectilem, è terra abstractam in altum extulerit. Quanquam credibile admodum est, sapienter à Noëmo prouisum, vt tota arca per certa interualla super ingentes trabes imposita, aërem primò, deinde aquas transcurrentes admitteret, vt faciliùs inualescens aqua eam non alterutrum in latus euerteret, sed libratam atque eleuatam subuectaret. Addit & alterum indicium Moses, *Vehementer enim inundauerunt, & omnia repleuerunt in superficie terræ.* Id est plana camporum, & sola terrarum vltimarum, vt soli montes ex aquis eminerent, *& arca ferebatur super aquas.* Et super eas eminebat cubitis duobus & viginti, vt placet Hugoni à sancto Victore, vult enim nouem cubitis in aquis fuisse demersam, quantum ex eius sententia erat spatium duorum tabulatorum. At Lyranus in cap. septi. duodecim cubitis, in cap. autem octauo, vbi rem exactius examinat, tredecim cubitis, & paulò amplius. Sed hoc examen parum Tostato probatur, aut Pererio. nec sanè ex Scriptura satis colligi potest, neque fortassis aliunde, cùm magnitudo inclusi oneris nos lateat, pro cuius pondere naues plus, minúsve degrauantur.

v. 18. l. 1. de arca c. 3. tom. 2. — q. 5. in c. 8. l. 13. n. 59. & seq.

2. *Quantum emineret arca ex aquis.*

3. XXXI. *Summum aquarum incrementum.*

TERTIVM ac summũ indicium magnitudinis diluuij illis verbis declararut. *Et aquæ præualuerunt nimis super terrã.* Quod in Hebræo, Græco, & Chaldæo, dicitur

v. 19.

geminata particula, valde valde, vt intelligamus eas supra modum, & consuetudinem omnem excreuisse, adeò vt *operti sint omnes montes excelsi sub vniuerso cælo.* Quod præualuisse aquæ dicuntur, non solùm intelligi potest de excrescentia, qua terræ omni quantumuis cœlo vicinæ superior, atque excelsior facta est. Sed de euictis etiam omnibus repagulis, ac molibus obiectis, eradicandis arboribus, si quæ vndarum excursibus obiectæ essent, deiiciendísque quibusuis ædificiis. Et quadrat illud Ouidij,

Si qua domus mansit, potuítque resistere tanto
Indeiecta malo, culmen tamen altior huius
Vnda tegit, pressæque latent sub gurgite turres.
Iamque mare & tellus nullum discrimen habebant
Omnia pontus erant.——

1. Metam.

Nimirum ex aquis omnibus, tam dulcibus quàm salsis, effectum fuerat corpus vnum: vnde, vt notauit Caiet. non exiguum detrimentum accepit fœcunditas terræ. Salsedo enim humorem aëreum idoneum generationi absumit, & prohibens corruptionem, eadem via sterilitatem inducit.

XXXII. *Opinio Caietani, de non superatis omnibus montibus.*

ILLVD autem non rectè fortasse Caietanus, profectò paradoxè, quod existimat non esse mentem Moysis affirmare omnes omnino montes aquis opertos fuisse, sed eos tantum, qui sub cœlo aëreo, in quo coguntur nubes, reperiuntur; eorum verò, qui nubes superant, cacumina ab aquis intacta fuisse. Eique rei fidem facere communem exceptionem montis, in quo est paradisus, vbi diluuij tempore viuebat Enoch. Neque tamen ea montium iuga à pereuntibus, siue hominibus, siue bestiis, occupata. Quod homines à principio non credentes fore diluuium, per multos dies expectabant serenitatem, intra quos accessus ad huiusmodi cacumina redditus sit impossibilis; ipsis etiam quadrupedibus ac volucribus. quoniam commune est ipsis secundum præsentium dispositionem moueri. Ideóque in principio tantæ pluuiæ credibile est quæsisse latebras protegentes, & continuatis quàm maximè pluuiis prohibitas ab egressu. Hæc fere Caietanus; contra quæ fusè disputat Pererius noster lib. 12. in Genes. Affero duntaxat contrariam D. Augustini sententiam, rationem, atque experientiam.

In hunc locum.

Disput. 9. n. 43 & seq.

XXXIII. *Refellitur ex August.*

NAM D. Augustinus duobus nominatim in locis, *De montium*, inquit, *altitudine, quam omnem scriptum est transcendisse aquam cubitis quindecim; quidam non rectè dubitant propter Olympi montis historiam. Si enim terra inuadere potuit spatium tranquilli illius aeris, vbi dicitur nec nubes videri, nec ventos sentiri, cur non & aqua crescendo?* Ecce Augustinus ex Scriptura asserit aquas transcendisse omnem montium altitudinem, ne exceptis quidem illis, in quorum cacumine neque videntur nubes, neque venti sentiuntur; quos tamen Caietanus exemptos cupit. Cúmque obiiceretur Augustino, illic propter aëris puritatem, neque nubes neque aquas residere posse, respondet id falsum esse; illic enim posse esse aquam, cùm terra, qua constant illa cacumina, ibi sit. Quod si eo aquæ pluuiæ descendere non possint, eo tamen posse ex inferioribus locis crescendo peruenire. Idémque sentit Abulens. sed excipit montem paradisi, quem aquis quasi muro cinctum fuisse ait, quantumuis aqua supergrediente.

l. 15 de ciui. c. vlt. & l. qq. super Gen. q. 10.

XXXIV. *Et ratione, quanta vaporum eleuatio.*

QVID quod fabulosum eruditi credunt, aut Olympum Thessaliæ, aut Athō Macedoniæ, aut Taurum, aut Caucasum, aut vllum omnino montem nubium, aut ventorum, aut pluuiarum expertem esse, quod exhalationes, & vapores, recta linea conscendant altius, quã cuiusuis montis altitudo sumpta perpendiculariter assurgat. Certè Christophorus Clauius, in opusculo de crepusculis, dat summæ vaporum eleuationi 43. miliaria cum $\frac{1}{1}$ In caput autẽ primum sphæræ, ex cõmuni astronomorum sententia istam eleuationem 52. circiter miliaribus definiuit. Altitudinem autem Olympi geometricè dimensus Xenagoras reperit eam esse ad perpendiculum decem stadiorum cum sextante, vt refert Plutarch. in Æmylio Paulo, id est vnius miliaris cum quadrante. Si quis ergo imponat Pelion Ossæ, & vtrúmque Olympo, non vtique peruenient ad medium spatium eleuationis vaporum, ex quibus nubes fiunt.

Propos. 6.

XXXV. *Fabulæ de Olympi altitudine.*

VIDE ergo quàm credibilia scribat Solinus, *Aram esse in Olympi cacumine*

cap. 13.

Ioui dicatam, cuius altaribus ſi qua de extis inſerantur, nec diſſlentur ventis, nec pluuijs eluantur; ſed voluente altera anno cuiuſmodi relicta fuerint eiuſmodi reperiri; literas in cinere ſcriptas, vſque ad alteram anni ceremoniam permanere. Hæc in primis celebrauere Poëtæ. Nam Claudian. in Conſulatu Manlij,

——vt altus Olympi
Vertex, qui ſpatio ventos, hyeméſque relinquit
Perpetuum nulla temeratum nube ſerenum
Celſior exurgit pluuiis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.

XXXVI. *Et experientia.*

RECTE igitur hæc fabuloſa eſſe dicit Franciſcus Philelphus, qui ſe montem aſcendiſſe affirmat, vt rem tantam exploraret, vt notauit Ludou. Viues in illum D. Auguſtini locum. (l. de ciuit. c. vlt.) Videmus quoque in Alpibus, & Pyrenæis, & Apennino, ſumma quæque iuga, & minantes in cœlum ſcupulos, perpetua glacie concretos, ſempérque recentibus candere pruinis, nubium vtique miniſterio; eámque ſupremam glaciem, ſtatim atque calorem ſolis ſenſerit, vaporem emittere, qui ſtatim cogitur in nubeculam, vt ipſi quoque non ſemel obſeruauimus, quæ glaciem illam protegit, perpetuóque conſeruat: ergo ſuper altiſſimos quoſque montes nubes euolant. Illi autem errori occaſionem fortaſſe præbuerint craſſiores quædam nebulæ, quæ lateribus altiſſimorum montium circunfunduntur, ſuper quorum tamen iuga ipſa, leuiores nubes emicant, nec propterea cœlum aëreum prætergrediuntur. Enoch autem, vt antè diximus, ſeruari potuit vbicúnque placuit Deo, non in vndis ſolùm, ſed in mediis etiam ignibus.

XXXVII. *Omnia aquis conſumpta.*

OPERTI ſunt ergo montes omnes, quantumuis excelſi, & quidem tanto incremento, vt quindecim cubitis altiſſimum quémque ſuperaret vnda diluuij, ne quod ibi forte animal quantumuis proceræ altitudinis euadere poſſet: aut necubi arcæ moles ingens, quaſi in vado hæreret. Itaque *conſumpta eſt omnis caro, quæ mouebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniumque reptilium, quæ reptant ſuper terram, vniuerſi homines & cuncta in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra mortua ſunt. Et deleuit omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram, ab homine vſque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cæli, & deleta ſunt de terra.* Quinquies fit terræ mentio, tam ad rei magnitudinem exaggerandam, quàm vt animalia, quæ in aquis erant, excepta fuiſſe intelligantur. Quidquid Rabbini in aquis calidis garriant, ſolus exceptus eſt Noë, cum iis qui cum eo erant.

XXXVIII. *Status aquarum per 150. dies.*

(Gen. 7. 24.) PORRO quod ait Moyſes *obtinuiſſe aquas terram centum quinquaginta diebus*, intelligit tempus, quo neque creuerunt amplius, neque decreuerunt, ſed in ſtatu conſiſtentiæ permanſerunt, repræſentantes illud tempus, quo nondum dixerat (Gen. 1. 9.) Deus; *Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt in vnum locum, & appareat arida.* Illum autem conſiſtentiæ ſtatum, ſignificat verbum, *obtinuerunt*, quaſi dicat, totis quadraginta diebus contenderunt aquæ creſcẽdo, & inualeſcendo vt ſuperarent terram, (12. 20.) quod & conſecutæ ſunt, adeo vt quindecim ipſis cubitis ſupereminerent [20]. Ea quaſi victoria potitæ ſunt 150. diebus, poſt quos aquæ imminui cœperunt, vt dici- (c. 8. v. 3.) tur in textu, ſed quæſtio eſt an iſtis 150. diebus comprehendantur, an verò excludantur quadraginta dies pluuiæ. Comprehendi, atque includi vult Scaliger l. 5. de Emend. c. de diluuio; etſi enim obſcurat rem, ſolita affectatione doctrinę, id tamen intelligitur ex eo quod inceptat 150. dies poſt 17. menſis ſecũdi, ſiue à 18. Nouembris, & eos ad 16. Aprilis producit.

13 Nou.
31. Deceb.
31. Ian.
28. Febr.
31 Mart.
16 Apr.
150.

XXXIX *Non incluſi 40. dies pluuiæ. ex Ioſepho. Chryſoſt.*

VERVM fallitur profecto, niſi ego vehementer fallor. & qui prius ita ſenſit Genebrar. Nam alterum Ioſephum opponam, cuius eſt illa oratio, παυσαμένου δὲ τοῦ ὑετοῦ, μόλις ἤρξατο ὑποβαίνειν τὸ ὕδωρ ἐφ' ἡμέρας ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα, *Cùm pluuia ceſſaſſet, vix cæpit ſubſidere aqua ad dies 150.* (l. 1. ant. c. 3.)

Et Chryſoſtom. *Quid*, inquit, *iucundi ſuſpicari ipſe poterat, qui videbat 150. dies aquas in eadem quantitate manentes, & in altum eleuatas, & non ſubſidere?* Et rurſum hom. ſeq. *Quoniam narrauit nobis in iam dictis, ſicut prius charitati veſtræ diximus, quod 40. diebus, & totidem noctibus fuerit pluuia, & diebus 150. eadem durauerit aqua, quindecim cubitis ſuper montes exaltata.* Nihil clarius dici poteſt. Et iterum paulò pòſt, *Conſidera hic quaſo quales tunc illius fuerint cogitationes poſt 40. dies, & 40. noctes, quibus impetu magno pluuiæ ingruebant, cùm videret diebus 150. in eadem*

altitudine manere aquas, neque omnino desistere, quoties dicit eandem altitudinem, aut quantitatem, ad 150. dies subsistentem, toties excludit 40. dies pluuiæ quibus paulatim crescebant aquæ. Quid Rupertus? *Ab illo die quo ingressus est Noe in arcam facta est pluuia super terram 40. diebus, & 40. noctibus: Ex tunc aquæ inundantes, & 15. cubitis super omnes montes altius eminentes 150. diebus terram obtinuerunt.* Et mox, *40. dies pluuiæ cum 150. diebus additæ sex menses Lunares efficiunt, & paulò plus quàm decem dies supersunt*, &c. quæ iam explicabimus. Denique D. August. iuxta Symmachi & Aquilæ interpretationem significat aquas diluuij non creuisse 150. diebus, sed per tot dies, in altitudine qua creuerant, permansisse. His adhærent R. Salomon, quem citat & sequitur Abulensis in fine c. 7. Et Lytanus, & Lipomanus in catena, & Del Rio non semel; Torniel. in hunc annum n. 25. Peret. ambiguus est.

Rupertus. — *August.* l. qq in Gen q. 18. — *Recent.* c. 7. & 8. c. 7. fin & c. 8. v. 5. l. 11. in Gen.

XL. CÆTERVM confirmatur hæc expositio, quod ratio temporis exigit, vt isti 150. dies incipiant à finita quadraginta dierum pluuia; alioqui annus præsens minor erit cæteris, spatio quadraginta dierum quod ita demonstratur. Diluuium cœpit post vnum mensem, & 16. dies anni sexcentesimi Noe, id est post 46. dies: secuta est pluuia dierum 40. cũ perpetuo incremento. Tum status per dies 150. ex qua vtráq; summa fiunt sex menses lunares, vt ait Rupertus, & paulò plus quàm decem dies. Rectè, sunt enim tredecim. Si enim iungas 40. cum 150. efficies 190. dies, qui sunt sex menses Lunares, 177. dierum, & 13. dies[13]. Quoniam verò arca substitit 27. die septimi mensis, prædictis sex mensibus, & tredecim diebus, addendi sunt de hoc septimo mense 16. dies qui supersunt, tum duo integri menses, scilicet octauus, & nonus, qui conficiunt 59. dies. Sequitur prima dies decimi mensis, quo apparuerunt cacumina montium; à quo die vsque ad emissionem corui intercesserunt 40. dies. Postremo secuti sunt bis septeni dies, sicque impletur totus sexcentesimus annus Noë. Quod si in 150. diebus prædictis includas quadraginta dies pluuiæ, deerunt isti anno 40. dies, quod perabsurdum est.

Alioqui defo e hoc anno 40. dies. — n. 50. l. 4 c. 25. — 46 / 40 } 190 / 150 } / 16 c. 7. 11 / 59 / 40 / 7 13. 9. / 7 c. 8. 4 / 365 / c. 8. v. 7.

XLI. SED absurdius etiam sentire videtur ab Oleastro, qui ait diluuium durasse istos 150. dies. ita vt nunquam pluuia desuper, nec fontium eruptio inferius cessauerint, quod autem c. 7. dictum est *fuisse diluuium quadraginta diebus, & totidem noctibus*, intelligendum esse ait, antequam aquæ roborarentur ad eleuandam arcam. Verùm vt non obiiciam Oleastro singularem esse opinionem hanc, & contrariam omnibus interpretibus, quos sanè videre potuerim, planè Scripturæ contraria mihi videtur. Oblitus est enim Oleaster Dominum dixisse Noe, *Post dies septem ego pluam super terram 40. diebus, & 40. noctibus.* Et rursus, *facta est pluuia super terram 40. diebus & 40. noctibus*, valde manca est tam illa promissio, quàm ista executio, si vtraque diminuta reperitur centum & decem diebus. Nec conuenit diuinæ clementiæ minas seueritate superare. Et sanè ineptum est 40. dies ad Arcæ eleuationem restringere, tum quia tempus eleuationis arcæ accidentaria est diluuio, & cladi vniuersi Orbis, quam Dominus 40. diebus se facturum dixerat: tum quia ne cõstat quidem ex textu eleuatam esse quadragesimo die; sed intra illos potius 40. dies. Et reuera si in terra substitisset vsque ad 40. diẽ, prorsus obruta fuisset aquis, quæ intra id tempus montes omnes quindecim cubitis superauerũt. Tollit quoq; isthæc opinio aquarum statum, quem paulò antè ex antiquis, recentioribúsque firmauimus. Nec obstat quod initio cap. 8. post memoratos 150. dies, dicitur prohibitas fuisse pluuias de cœlo; id enim per anacephaleosin factum, vt mox dicemus. Sed progrediamur cum Mose ad ea quæ octauo capite continentur.

Non durasse pluuias 150. diebus. — in c. 8. Gen. — c. 7. v. 4. v. 12. — v. 2 & 5.

XLII. INCEPIT Moses cap. 6. recensere diluuij causas: cap. 7. diluuium ipsum, & stragem vniuersi orbis exposuit, capite octauo acturus de restauratione mundi, eam orditur à sublatis causis inundationis, & adducta causa diminutionis; ait enim. *Recordatus autem Deus Noë, cunctorúmque animantium, & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca.* Vides hic à Deo omnis boni, & salutis, & reparationis initium. Visus est enim Dominus ad eorum morem se gerere, qui amicorum in periculo positorum obliuiscuntur, quos alioqui ab eo quamprimùm eriperent. Sed vide diuinam bonitatem, quæ non solùm hominis recordatur. Quanquam *quid est homo, quod memor sis eius?* sed brutorum etiam, vt eorum ca-

Initium reparati mundi, & causa Deus. — c. 8.

ptiuitati compatiatur, & maturet pristinæ restituere libertati, quod notauit etiam Theodoretus, & Chrysost. Sed pergit. *Adduxit spiritum super terram;* qualem cùm aperuit mare rubrum filiis Israël, ventum vehementem & vrentem, qui vna nocte magnum maris spatium vertit in siccum. Nec sat erat minui superne aquas, si è fundo pergerent aquæ scaturire, aut pluuiis diminutio repararetur: Itaque *clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cæli, & prohibitæ sunt pluuiæ de cælo.* Hoc iam factum erat quadragesimo die ab initio diluuij; vnde factum vt aquæ ipsos 150. dies terras sepultas tenuerint sine incremento, donec excitato diuinitus vento cœperunt minui, repetitur autem hæc cessatio pluuiarum, vt simul causæ colligantur finiti diluuij, & patefacti mundi. Addit autem Philo Solis efficaciam, ad diminutionem aquarum, vt paulò pòst dicetur.

(q. 52. in Gen. ho. 26. init. — *Ventus.* — *Obstructio fontium.* — *Cessatio pluuiarum.* — l. 2. de Mose in fi. — *Solis efficacia.*)

XLIII. *Non absolutè.*

PORRÒ hæc occlusio fontium, & prohibitio pluuiarum, non absolutè accipienda est; alioqui neque ab eo tempore fontes vlli erumperent, neque pluuiæ rigarent terras; sed sicut pluuiæ ad tempus prohibitæ censentur, ita & occlusio fontium, non omnium vtique, sed eorum qui rupti fuerant, *ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationem in populis.* Hæc quippe pristino restituta sunt ordini ac dispositioni. Verùm hęc occlusio fontium maiorem requirit inquisitionem. Nam D. Chrysost. negat humana ratione inueniri posse quò abierit tanta aquarum copia, sed id vni Dei præcepto esse tribuendum, cuius vi ad proprium concesserit locum, quem solus ipse Dominus scit, qui condidit.

(hom. 26. med.)

XLIV. *Aquæ repetiit abyssum, vnde venerant.*

DICENDVM tamen videtur, antequam illi fontes Dei iussione seu voluntate clauderentur, ingentem vim aquarum in proprias terræ cauernas, paulatim per eos se recepisse, aëre inde excluso, & sursum ebulliente: & quidem sponte sua. Aqua enim loca inferiora, eiecto inde aëre, occupat. Scriptura ipsa tam vulgatæ editionis, quàm Hebræa, & Chaldæa Paraphr. id apertè asserunt. Quid est enim *reuersæ sunt aquæ?* Non potest fingi alius locus, ad quem redierint. non enim in nubes, neque in Oceanum, qui totum adhuc terræ locum tenebat; ergo in vacuata dudum viscera terræ. Reuersæ sunt, inquam, aquæ de terra euntes & redeuntes, de terra scilicet à principio destinata habitationi hominum, & animalium, & nuper ab aquis occupata. Addo Philonem in vita Mosis. *Remisit,* inquit, *se dirum illud prodigium, decrescente in dies diluuio, cohibitis imbribus, & aquis quæ se nusquam non diffuderant, partim absumptis per Solis efficaciam, partem reuersis in voragines, cauernásque terræ altas.* Sic ipse fusiùs. Clarius etiam loquitur Eucherius, apud Lipomanum in Cat. *Quò,* inquit, *reuersæ sunt aquæ, euntes & redeuntes? nisi quod omnes fluuiorum & riuorum decursus per venas terræ occultas, ad matricem abyssum redeunt.* Sic ille ex Hieronymo. Consentit Lipom. in eodem loco. *Aquæ,* ait, *recollectæ sunt paulatim in sua loca vnde eruperant, in viscera, rupturas, terræque hiatus.* Idque ipsum significat idem ipse Chrysostom. eodem loco cùm ait, *Credamus quod iussit, & exaltata est abyssus: præcepit & iterum suum continuit impetum, & ad proprium concessit locum.* Et ne id de Oceano accipias, addit, *quem solus ipse Dominus scit, qui condidit.* Oceani autem locum omnes sciunt. Hæc ergo vna de præcipuis causis fuit diminutionis aquarum, cæteræ per se patent.

(l. 2. in fi. — in qq. Heb. in Gen.)

XLV. *Quid sit aquas ire & redire.*

INTEREA aquæ ibant & decrescebant vsque ad decimum mensem, explicat apertiùs hic locus, quid sit quod paulò antè dictum fuerat, reuersæque sunt aquę euntes & redeuntes, non enim iis verbis Moses exprimere voluit vndarum fluctuantium agitationem, ex impulsu venti, vt existimauit Abulensis, & prima fronte apparet intelligendum; sed meram diminutionem aquarum, & reditum in locum suum, neque enim fluctuatio ad rem quicquam facit; explicantur enim causæ diminutarum aquarum, & ita hunc locum interpretatur Emanuel Sà, Oleaster & Vatablus, ac Tigurina, & perinde est ac si dixisset; ibant, id est decrescebant, euntes, id est, redeuntes, sic vulgò dicimus, *ils s'en vont, & s'en retournent.*

(n. 40.)

XLIV. *Arca quiescit, & quo die.*

DVM autem minuitur aqua, & arca fit terræ vicinior, intra tredecim dies, vt suprà docuimus [14], factum est, vt arca hæreret solo, nec vltra fluctuaret. Locum & tempus exprimit Moses. *Requieuit,* inquit, *arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super montes Armeniæ.* De die porrò huius quietis, & septimi mensis non leuis est dissentio, legendumne sit 27. vt habent Septuaginta, & Iosephus eos de more secutus, Græcique omnes Patres, & quod caput est editio vulgata; an de-

(14. x.)

cem & septem, vt habent Hebræi codices, & Chaldæa paraphr.[15]. Hanc sententiam probat Emanuel Sà. Ait enim Græcos legisse 27. quia iam initio diluuij dixerant, id incepisse 27. die secundi mensis, à quo die ad præsentem reperiuntur 150. dies; at Hebræi quia ibi legerunt 17. die, sicut & Latini, ideo hîc quoque vtrisque legendum est die 17. — 15. ✠.

XLVII. *Hebræorũ sententia refutatur.* VERVM hæc sententia præterquam quod agnoscit erratum in Bibliis Latinis emendatissimis, ex eo etiam improbanda est, quod 150. dies numerat à principio diluuij, & non à fine pluuiæ; quod paulò antè docuimus fieri non posse, ne faciamus annum 325. dierum. Accedit quod menses omnes 30. dierum facit, cùm apud Hebræos alterni 29. dierum essent. — n. 40.

Eugubinus, Caiet. & Lipom. legi volunt 17. cum Hebræis, eâque ratione nituntur, quod 40. dies, quibus durauit pluuia: & 150. quibus steterunt aquæ efficiant sex menses, & septendecim dies. Sed hi scriptores supponunt, statim atque minui ceperunt aquæ, arcam requieuisse, quod parum probabile est: alioqui poterat etiam quiescere aliquo alio illorum 150. dierum, antequam aquæ minuerentur. Nisi dicas primo ipso die aquas vehementissimè diminutas esse, aut arcam quindecim ferè cubitis aquæ fuisse immersam, sicque valde periclitatam à naufragio, si in aliqua montium cacumina incurrisset. Supponunt quoque singulos menses fuisse 29. dierum, cùm constet dimidiam eorum partem fuisse triginta. Alioqui non fieret annus Lunaris 354. dierum, sed trecentorum 48. eadem ferè peccat Perer.[16] etsi putet arcam quieuisse post octo dies, ex quo aquæ diminui cœperant. — 16. ✠. l. 15. n. 44. & seqq.

XLVIII. *Statuitur Latina & Græca.* DICENDVM igitur est Latinam & Græcam lectionem, quæ tot sanctis Patribus, Doctoribúsque nititur, probandam, ac sine dubio retinendam esse, quæ habet requieuisse arcam septimi mensis 27. die; quæ nihil absurdi supponit, & dat 13. dies diminutioni aquarum, antequam arca quiesceret. Quam supputationem probat Torniellus, diligentissimus temporum Scripturæ supputator. Et Del Rio, in Genes. qui etiam putat non absurdum esse in numeris Hebraicis irrepsisse mendum, dissentiente Sixto Senensi. Eandem habet supputationem Sethus Caluisius, & Mercator, quamuis sectarij, & Chronicum Alexandrinum. — n. 22. in hûc an in c. 8 v. 4. l. 5 annot. 82. p 47.

Sed de loco in quo requieuit arca aliquid.

XLIX. *Vbi arca consisterit.* VVLGATA editio habet montes Armeniæ, Septuaginta retinuerunt ex Hebræo vocem Ararat. sicut & Pagninus, Hieronymus Iosephi expositionem secutus, Ararat interpretatus est Armeniam. Iosephus autem etiam Nicolaum Damascenum laudat, qui Barin eum montem appellet, & in Armenia collocet, super regionem Minyarum; laudat & Berosum Chaldæum scribentem huius nauigij partem in Armenia apud montem, Cordyæorum superesse. Cui consentiens Chaldæus paraphrastes, ait quieuisse arcam super montes Cordu, siue Cardu. Quos montes Quintus Curtius Cardæos, Ptolemæus Gordyæos appellat: & in maiore Armenia collocat. *Isti montes*, ait Euseb. *in Armenia superiore sunt secus Persas.* Strabo, eundem cum Tauro, Armeniam maiorem à Mesopotamia separante: sanctus Epiphan. init. Panar. montem istum non Barin, sed Lubar appellat. *Post diluuium*, inquit, *cùm requieuisset arca Noë in montibus Ararat, per mediam Armeniorum, & Cardyensium terram in monte Lubar appellato; isthic prima habitatio hominum fit post diluuium.* Hæc ipse. Denique D. Cyrillus l. 1. contra Iulianum montes Ararat Armeniæ interpretatur, & ex Abydeno arcam in Armenia quieuisse testatur. Vt mirum sit authorem Sibyllinorum oraculorum montem Ararat in Phrygia ponere, vnde Marsias fluuius oriatur, ibique dicere quieuisse Arcam[17]. — l. 1 ant. c. 5. l. 96. in Exord. libri. in 3. Asiæ tab. & l. 5. Geogr. c. 13. l. 11. 17. ✠.

Hos porrò montes fuisse de altissimis existimandum est; alioqui hærente arca in minùs altis, celsiores iam apparere potuissent, cùm tamen non nisi post duos menses cacumina montium apparuerint. Quod si vera esset opinio Caiet. Quam ante reiecimus, ante vllam diminutionem aquæ, cacumina montium apparuissent. — n. 32 & seqq.

L. *Apparitio montium.* IAM ergo vltra duos menses arca fluctuare desierat, & homines ab istius agitationis incommodis liberi erant, nausea, inquam, nocturna diutnáque concussione, metúque naufragij, cum *decimo mense, prima die mensis apparuerunt cacumina montium.* — c. 8. 5.

190 / 16 / 59 / 265

Hunc porrò decimum mensem, non à principio anni, sed è principio pluuiæ petendum esse, vt supra ex Ruperto diximus, ex eo patet, quod à primo die pluuiæ, vsque ad hunc primum diem decimi mensis, reperiuntur omnino 265. dies (conflati ex 190. 16. 59.) qui componunt integros nouem menses, quorum quinque sunt 29. dierum, cæteri autem 30. Quod autem dicitur apparuisse cacumina, ne referas ad Noë, quasi ea ipse viderit; nondum enim fenestram aperuisse dictum est, sed cepisse extare ab aquis, & videri potuisse, si nihil aliud obtitisset, vt explicat etiam Caiet. Id tamen suspicari potuit, aut etiam reuelatione discere; quidquid sit, cùm reliquus mundus adhuc aquis esset immersus, expectauit adhuc quadraginta dies, post quos dimisit coruum ad explorandum an terra aperta esset. Id autem cogniturus erat si non rediret, vt postea in columba contigit.

LI. *Emissio corui.*

c. 8. 6. APERIENS ergo *fenestram Noë dimisit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur donec siccarentur aquæ super terram.* Non potuit commodè per fenestram, per quam emisit volucres, ipse respicere, siue quia, vt ait Del Rio crassior erat arca, quam vt ipsemet Noë exerto capite longinqua videre posset; siue quia cùm fenestra vno in latere esset, ex ea non posset circumquáque respicere. Cæterum in eo quod habet Hieronymi versio, *non reuertebatur*, perspicuum est ipsum Septuag. interpretes esse secutum, apud quos habetur illa negatio, qua Hebræi carent, ideo Pagninus. *Et egressus est egrediendo, & redeundo.* Tigurina, *qui egressus vltro citróque volitabat.* Aben-Ezra. *Emisit coruum qui iugiter ibat, & reuertebatur, donec egrederetur Noë.* Onchelos, *exiuit exeundo & redeundo*, &c. Nec tamen adiecta negatio alterutram sententiam falsam reddit. Nam verùm est, quod Græci & Latini codices habent, non reuersum coruum in arcam, sicut mox reuersa est columba, & in arcam immissa, sed mansisse foris, siue defixum in cadauere aliquo fluitante, vt Augustinus, Chrysostom. & Rupert. censuere, siue suprà tectum arcæ quiescendo. Et verùm est quod habent Hebræi, isse & redisse, non tamen in arcam ingressum sed circumuolitasse, modo propiùs, modo longiùs, lætum ob recuperatam libertatem, aliquando etiam in tecto arcæ immoratum esse, & vicissim in cadaueribus cibum capiendo fluitasse. Vide Lipom. in catena.

q. 13. in Gen. hom. 26. l. 4. c. 21.

LII. *Emissio columbæ.*

CVM ergo nihil certi Noë ex coruo cognosceret, emisit columbam post eum, & quidem eodem die, vt rectè Caietanus intellexit, aliis licet dissentientibus[18], nam si septem diebus post coruum, emissam columbam dixeris, post quadraginta dies, ter septem dies reperientur, vsque ad 601. annum Noë; sicque annus hic 7. diebus abundabit, fiétque 372. dierum, vt ex suprà dictis perspicuum est. Nec, quod caput est, plures Scriptura proponit. Nam cùm dicitur aliquantò pòst, *Expectatis vltra septem diebus aliis rursus emisisse columbam*, non referuntur isti septem dies, ad alios septem priores, sed ad quadraginta dies priùs expectatos, quàm coruus aut columba emitterentur. Expectauit ergo Noë, non solùm illos 40. dies, sed alios etiam septem. Quod sensit etiam Peter. & sentire necesse est omnes, qui bis septem dies tantùm hoc in loco numerant, in quibus Rupertus, Torniellus, Oleaster, Genebrardus, Iosephus & alij. Emissa ergo columba *cùm non reperiret vbi requiesceret pes eius*, eodem die reuersa est ad arcam, & à Noë intromissa est, quia aquæ adhuc erant super vniuersam terram, campestrem scilicet; nam cacumina montium apparebant quadragesimum iam diem; & fortè columba auerso à montibus volatu cursum direxit, eóque non repugnantem Moysem adducas licet, non enim ait, non fuisse vbi requiesceret, sed eam non inuenisse, aut certè illi montes longiùs ab arca distabant, vt suspicatur Caiet. & Capellus, vtérque parum probabiliter, cùm arca ipsa iam à tribus mensibus, & tredecim diebus hæreret in montibus Armeniæ, qui perpetuo iugo longissimè producuntur, vt ex Ptolemæo patet, & maximè ex Strabone.

18. ※. Lyrano, Tostat Del Rio, Mercat. n. 40.

l. 13. n. 80. l. 4. c. 25. hoc annot. n. 24. l. 1. c. 3.

Asiæ ta. 3. & l. 5. c. 13. l. 11.

LIII. *Altera emissio columbæ, eiúsque reditus cum ramo.*

QVIEVIT ergo adhuc septem diebus Noë, post quos emisit columbam secundò, quæ *ad eum redijt ad vesperam, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo.* Sic ibi. Exiguum ramum esse oportuit, & tenerum, vt à columba defringeretur: Ad quod innuendum Hebræus textus folium vocauit, non ramum. Tene-

rum etiam, & recens natum, etiam in medio aquarum probabile facit vernum tempus, quod iam appetebat. Cùm enim vere inchoatum fuerit diluuium, idque annum vnum durauerit, oportuit etiam vere terminari. Hinc autem rectè intelligitur non omnes arbores vi vndarum euulsas, sed eas quæ magis violentiæ aquarum expositæ fuerunt. Vt autem decerperet columba ramusculum, apparet in arboris ramo consedisse, quod à columbis ferè alienum est. Itaque non malè quis crediderit fuisse palumbem.

Viso ramo *intellexit Noë quod cessassent aquæ super terram*, quia olea humilis est, & frigoris metuens non amat præalta loca: quia tamen terra valde limosa & lutulenta erat, *expectauit septem alios dies*, qui reliqui adhuc erant de anno sexcentesimo Noë, *& emisit* tertiò *columbam, quæ non est reuersa vltra ad eum.*

LIV. *Difficultas circa finem anni DC.* SVPEREST hoc loco grauis difficultas, cuius explicatio valde Chronologiam nostram confirmat. Nam ab initio decimi mensis vsque ad finem anni tres menses integri reperiuntur, id est 88. dies. At Moyses non ponit nisi 40. & bis septem, vt dictum est, id est 54. & tamen inde colligit totum annum sexcentesimum expletum. Subdit enim. *Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis*, &c. cùm tamen deesse videantur 34. dies, ad explendos tres menses, siue 88. dies. 29 30 29 — 88 — 54 34 — 88

Pererius hanc proponit difficultatem, eique conatur satisfacere, dicendo Moysem non omnes dies numerasse, sed eos tantùm, qui aliquid insigne habebant, cæteris prætermissis, quem sequitur Del Rio. Verùm hæc illis ardua difficultas enata est ex eo, quod omnes menses diluuij numerare voluerint à principio anni sexcentesimi Noë, cùm numerandi sint à principio pluuiæ: sic enim nulla nascitur difficultas, vt apparet ex dispositione dierum, quam supra attulimus, cum de 150. diebus ageremus; quæ ex hac ipsa contra sentientium inexplicabili difficultate validè confirmatur. At, inquies, deberent abundare non 34. dies, sed 46. qui præterierant ante initium pluuiæ. Respondeo cum Lyrano, Abulensi, Torniello, & communi multorum sententia illos 12. seu potiùs vndecim dies, pertinere ad exæquandum menses Lunares cum anno Solari: sicque omnia exactè conueniunt. l. 11. n. 49. & 17. c. 8. v. 5. n. 40.

LV. *Quæ scribat Iosephus de diluuio.* EXTREMO hoc anno quędam ex Iosepho de diluuio afferenda sunt, in quibus partim ipse corrigendus est, partim eius interpres Gelenius. *Cæterum*, inquit, *Deus signo dato imbres emisit, qui cùm nonaginta continuis diebus ruerent, ad cubitos quindecim aqua super terram extitit: qua causa omnem salutem ademit, non habentibus quo se in tutum reciperent. Centesima autem & quinquagesima die, postquam pluere desiit, tandem cœperunt aquæ sidere mense septimo, vigesimo septimo die mensis. Destituta deinde arca in vertice montis cuiusdam in Armenia, sentiens hoc Noë aperuit eam, & videns circa ipsam aliquantulum terræ, meliore spe concepta, paulisper quieuit. Mox post paucos dies, magis recedente aqua, emisit coruum cupiens agnoscere, si qua alia parte terrarum aqua decessissent, vt tutò exscendere posset. At ille comperto totum adhuc stagnare, ad Noë est reuersus: Is post septem dies columbam ad explorandum terræ statum emisit; quæ cum lutata, & frondem oliuæ ferens redisset, intellecto terram à diluuio iam esse liberatam, postquam alios septem dies expectasset, animantes ex arca emisit.* Hæc ille.

LVI. *Examinantur, Scripturæ addit signum,* IN quo primùm non satis intelligo, quod signum diluuio, aut Noë datum dicat, nullum enim signum huiusmodi Scriptura suggerit: nisi fortè ænigmaticè signum vocet iussionem factam ipsi Noë ingrediendi in arcam, quæ tamen iussio septiduum pluuias antecessit. Voluit fortasse concinnatis cuiusdam gratia cùm videret signum diuinitus datum finiti diluuij, etiam eiusdem inchoantis signum extare. Deinde corrigendus est interpres, aut potiùs amanuensis, qui nonaginta dies pro 40. posuit. Nam Iosephus habet ἡμέραις τεσσαράκοντα ὅλαις. totis quadraginta diebus, vt noctes quoque includantur, & hoc modo habet Scriptura in omnibus linguis, & interpretibus. 1.

LVII. *Detrahit abyssum.* MANCVS est hoc loco Iosephus, qui causa vna diluuij allata, alteram prætermisit. Diruptionem enim fontium abyssi magnæ, ne attigit quidem; quam tamen ei etiam Septuag. interpretes apertè exhibebant. An timuit ne fabulas narrare videretur, & Poëtarum Tartarum, siue Barathrum omnium aquarum originem approbare? An neque abyssum, neque fontes eius satis intellexit? 2.

proptereáque, quasi homines ne de facie quidem notos, præteriit. Nam in principio quoque creationis rerum eam foueam transiliuit, & rursus cum de aquarũ diluuij decremento agitur; Denique vbicunque Scriptura abyssi meminit, animosus homo auertit timore faciem suam, ne videat abyssum. Estne hoc nihil de Scriptura detrahere?

3. ERRAT Iosephus quod 150. dies, quibus aquæ obtinuerunt terram terminat mense septimo, & 27. die mensis. Nam hic terminus est arcæ quiescentis, non aquæ decrescentis, inter quos terminos tredecim dierum differentia est, vt suprà diximus. Sed errat interpres dum malè corrigit Iosephum in die mensis. habet enim ὡς μηνὶ ἑβδόμῳ, ἱσταμένου δὲ τοῦ ἑβδόμη, non dixit φθίνοντος, vt verteretur 27. adultum scilicet ponit, vt vertatur decimo septimo; quo modo habetur in Hebræo textu, quem illi hoc loco præter morem, sequi visum est. LVIII. *Turbat chronologiam.*

4. ERRAT quoque Iosephus dum neglecta apparitione verticis montium, & mentione ineuntis decimi mensis, quo illa contigit, fingit visum aliquantulum terræ circa arcam, ex quo spem meliorem in futurum conceperit: Alludit opinor ad gentilitias superstitiones, & omina fausta, infaustáve ex rebus casu occurrentibus: vt penè tantum Patriarcham superstitiosum faciat; Nec opportunè vel consentaneè Scripturæ aperitur apud ipsum hæc fenestra; sed neque terram circa arcam, quantumuis aperta fenestra, videre potuit Noë, vbi sensit arcam hæsisse terræ, nam 9. minimum cubitos arca immersa erat aquis, & aquæ turbulentæ, terræ prospectum facilè prohibebant. Nec Scriptura dicit Noë vidisse terram, aut verticem montium, sed cum iam cœpisse apparere, aut videri potuisse, vt n. 49. dictum est. LIX. *Et terræ apparitionem.* *vide supra n. 50.*

5. NEC illud rectè facit, quòd post paucos dies emittit coruum, nec eorum numerum cum Moyse definit quadraginta diebus, qui an pauci rectè dicantur ipse viderit. Quòd autem ait coruum esse reuersum ad Noe, non accuso, quia apud Ruffinum legitur, non esse reuersum. ex quo coniicio Iosephum scripsisse cum negatione, idémque suspicatur Del Rio; quia ea negatio apud Septuaginta reperitur, quorum ille vestigia sectari solet. quo autem modo reditus ille intelligendus sit, numero quinquagesimo primo explicatum est. LX. *Peccat circa coruum.* *in c. 8. Gen v. 8.*

MANCVS est quod primam emissionem columbæ, quæ facta est eo ipso die, quo emissus est coruus, & eius reditum priorem, planè prætermiserit; quæ enim post septem dies facta est, secunda est, non prima: sed omisit etiam tertiam, & loco eius eductionem generalem animantium substituit. quam tamen factam esse vno mense & viginti septem diebus ab vltima emissione columbæ certò constat, quòd ille totum tempus transiliuit, de quo sequenti anno ad quod pertinet, dicendum erit. LXI. *Et columbam.*

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 1656. ET PRIMAE AETATIS VLT.

N. I. I. QVAM sanè chronologiam miror à nostro Del Rio magis fuisse probatam, præsertim ab autore suo, vt videtur, desertam. posterius enim de ciuitate scripsit.

N. IV. 2. Omisi Capellum vnum de sectariis memorare, qui ne eadem cum cæteris diceret, hoc enim hominum genus singulares opiniones amant, voluit diluuium contigisse anno 1651. siue, vt seipse postea corrigit 1652. quid ergo istis 4. annis factum est? quatuor sumpsit annos inchoatos pro absolutis. quid causæ? vt Iubilæus inchoëtur ab Autumno, anno 592. Atqui nec illi concedimus Iubilæos esse 49. annorum, quòd rectè docuit Torniellus, quem iste malè reprehendit, vt mox dicemus. Nec fas esse arbitror annos pro arbitrio aut absolutos, aut inchoatos sumere, vt eam statuas, quàm excogitaris chronologiam. *a m. 2584.*

Iosephus ergo vim imbrium cœpisse ait *die 27. secundi mensis qui Dius à Macedonibus vocatur, ab Hebræis Marsonane.* Omnes Marchesuan appellant Lyranus, Giraldus, Mercator, Mariana, Sà, Serrarius, Genebrardus, Scaliger, &c. vtrum autem Dio Macedonum ei respondeat, alij viderint; certè cum Tisri ferè Septembri respondeat, & Marchesuan Octobri, perspicuum est Iosephum cẽsere diluuij pluuias in Autumno contigisse, vt in Apparatu c. 4. dictum est. De errore autẽ numeri diei 27. hoc ipso anno n. 6. & 7. dicimus. Sed pergit Iosephus circa tempus diluuij, aitque contigisse *post annum ab Adamo primo homine bis millesimum sexcentesimum quinquagesimum sextum*; quidam voculam, *bis*, insertam putarunt, quòd ea sublata numerus, N. IV. 3.

reliquerint. Sed de his satis, nam Philosophi in hoc stadio diligenter excurrunt.

N. XXIV. 10. Ostendens facilè esse mari terras obruere; *Quoniam*, inquit, *æquale terris est. ideòque vt effluat non magna mole se tollet.* Verùm cùm Seneca ipse fateatur orbem in rotundum æquatũ esse, & in parte eius esse terras & maria, quæ in vnius æqualitatem pilæ coëant. Ex altera verò parte constet, vt fluuiorum decursus io mare apertè doeet, mare terris esse depressius, necesse est Oceaoum tanta mole se tollere ad obruendas terras, quanta est tota altitudo terrarum, & altissimorum montium. Nam & pilæ pars humilior tota se pilæ altitudine tollat oportet, vt eiusdem fastigium æquare possit. Cumulus autem ille aquarum qui in alto mari vulgo creditur, nullus est, vbi maior est terræ cauitas, ibi plus est aquæ, in superioribus paritas est: ne violentum aquarum cumulum perpetuo miraculo, miniméque necessario concedamus. Vide Clauium in Sphæra.

N. XXVII. 11. *Quantum*, inquit Cassianus, collat. 8. c. 21. *antiquæ traditiones ferunt Cham filius Noe, qui superstitionibus istis, & sacrilegis fuit artibus & prophanis infectus, sciens nullum se posse super his memorialem librum in arcam prorsus inferre, in quam erat vna cum Patre iusto, & sanctis fratribus ingressurus, scelestas artes, & prophana commenta diuersorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarũ non corrumperentur iniuria, & durissimis lapidibus insculpsit. Quæ diluuio peracto, eadem qua illa celauerat curiositate perquirens, sacrilegiorũ ac perpetuæ nequitiæ seminariũ transmisit ad posteros.* Hęc ibi. Quæ meritò multis nominibus in dubiũ reuocari possent, vnũ dico non videri passurũ fuisse Deum tam scelestum hominem eripi

num. 8. diluuio. sed tum bonum etiam fuisse supra ex D. Chrysost. diximus. Sed vide eundem sub init. homil. 26. & quæ supra n. 3. attigi.

N. XXXVII. 12. Status aquarum melius significatur voce, *obtinuerunt*, qua vtitur Hieronymus in vulgata, quàm voce ἐδυναμώθη quam habet Aquila, quæ verti potest *confirmata est*; aut ἐπικράτουν Symmachi, id est *potens est*: aut ὑψώθη Septuag. id est *exaltata est*, aut *præualuerunt*, Oncheli, aut *roborauerunt se* Pagnini. Eleganter Chrys. ἔμεινε κορυφούμενον τὸ ὕδωρ, *ad verticem mundi sublata mansit.*

N. XL. 13. Vide rem oculo subiectam, ne quis fortè deinceps tredecim istos dies fictitios putet, & malit vice versa bis 40. dies, aut ter septenos scripturæ affingere. vide sex menses lunares, ex cauis & plenis alternatim constantes, qui dies 177. conficiant, quibus additi 13. dies, efficiunt 190.

30	177
29	13
30	190
29	40
30	150
29	190
177	

N. XLVI. 14. Ne fortè Capellus aliquis non inueniat 13. dies quietis arcæ, aut putet eos esse, quos proximè memorauimus, moneo illos sumendos esse post 190. dies, id est à 13. die septimi mensis, in quo illi 190. dies terminantur, vsque ad 17. eiusdem mensis septimi, in quo arca quieuit, vt scripsit Moses c. 8. 4. (quòd si legas 17. quieuisse, 4. tantùm dies eius quieti dederis) & quia à 17. die septimi mensis, ad finem eiusdem, tres tantùm supersunt dies, eos cum tredecim iunxi, dixique 16. dies de septimo mense superesse, qui addendi sint 190. diebus ab inchoata pluuia, aot 150. ab eadem finita.

Qua in dobitatione animaduerte primùm prædicti Sectarij modestiam. cùm enim inclusisset 40. dies in 150. diebus, subdit. *Quòd cùm non animaduertissent* LXX. *temeraria prudentia Mosis contextum non corrigere, sed deprauare ausi, legerũt 27. pro 17.* eundémq; errorẽ tribuit vulgato interpreti. Accusat ergo LXX. sapiẽtes, & spiritu Dei plenos inscitiæ, temeritatis, & impostura. At quanto satiùs est audire S. Aug. l. 18. de ciu. c. 43. *Spiritus*, inquit, *qui in Prophetis erat quando illa dixerunt, idem ipse erat etiam in Septuag. viris, quando illa interpretati sunt*, &c. fusè. N. XLVI. 15

Peterius l. 15. n. 44. & seq. 4. facit computationes pro Hebraica lectione, & totidẽ pro N. XLVII. 16.
Latina, & Gręca quarum quędam probabiles sint, quædam improbabiles, eamque maximè probat quæ incipit 7. mensem ab initio anni, & includit 40. dies pluuiæ in 150. diebus quibus aqua dicitur obtinuisse terram: ex quo deduci ait arcam quieuisse post octo dies ab initio diminutionis aquarum. Sed hæc opinio supponit illa duo, quæ suprà refutata sunt.

Author Sibyllinorum hunc honorem Phrygiæ tribuit, quæ ab Armenia longissimè abest, N. XLIX. 17
vt quæ sit in extremo minoris Asiæ; vnde Babylonem versus non est iter ad Occidentem, vt Scriptura requirit init. c. 11. Gen. sed ad Orientem. Sic autem habet,

> Ὦ Φρυγίη· πρώτη δ' ἀναδύσεαι ἐξ ὕδατος ἄκρου
> Πρώτη δ' αὖ θρέψεις γενεὴν ἑτέρην ἀνθρώπων
> Ἀρξαμένην αὖθις ἔσσῃ δὲ τροφὸς μεγ' ἀπάντων.
> *O Phrygia, à summis tu vertice prima*
> *Emerges vndis, hominum tu prima renascens*
> *Educes genus, & censebere maxima nutrix.*

Hæc prædicta, mox autem præstita canit. Hoc modo.

> Ἔστι δέ τι Φρυγίης ἐπ' ἠπείροιο μελαίνης
> Ἠλίβατον τανύμηκες ὄρος, Ἀραρὰτ δὲ καλεῖται
> Οὕνεκα σωθήσεσθαι ἐπ' αὐτῷ πάντες ἔμελλον
> Ἐν τούτῳ μεγάλη δὲ πόθη κατὰ θυμὸν ἔην,
> Ἔνθα φλέβες μεγάλου ποταμοῦ Μαρσύου πεφύκασι
> Τῇδε κιβωτὸς ἔμεινεν ἐν ὑψηλοῖο καρήνῳ,
> Λήξαντος ὕδατος. ——

Quæ sic ibidem vertuntur,

> *Assurgit Phrygiæ mons quidam in finibus atræ*
> *Arduus, alta petens Ararat quem nomine dicũt*
> *Quod fatale fuit illic euadere cunctis,*
> *Optatáque frui tandem, charáque salute.*
> *Fluminis vnde alti Marsyæ manat origo*
> *Huius in excelso postquam cessantibus vndis.*
> *Constitit arca iugo, &c.* ——

Idem repetit ferè init. lib. 7.

Sunt etiam qui dies quadraginta inter emissionem corui & columbæ ioterserant, sine N. LII. 18.
vllo Scripturæ fundamento (nam qui interponunt, aliquod habent, quod tamen eis numero 52. sustulimus) eo adacti quod 40. dies pluuiæ in illis 150. diebus malè inclusissent.

nec causam ullam probabilem afferre possunt cur illos dies interponant, nec appareat cur Noë, qui discere cupiebat statum terræ per coruum, id ex alio nuncio discere, per dies 40. neglexerit.

ANNUS MUNDI 1657. DILUVII, ET SECUNDÆ ÆTATIS I. NOE 601. SEMI 99.

ANTE CHRISTI ORTUM 2396.

Num. I. *Epinicium in secundæ ætatis initia, & mūdi innouationem.*

QVOD fœlix, faustum, fortunatúmque sit. Egreditur ex arca S. Patriarcha Noë, & admirans, & circumspectans ait. *Ecce video cælum nouum, & terram nouam, primum enim cælum, & prima terra abiit, & mare iam non est.* (Gen. 8. Apoc. 21. 1.) Abiit prius illud cœlum nimbis inhorrescens, pluuiis continentibus diffluens, fulgetris intermicantibus minaciter coruscans: sonoris tonitribus horrendum remugiens, & procellosis ventorum concursibus omnia dissipans, atque prosternens. Et ecce adest cœlum nouum cum vere nouo; cœlum nouum, noua vndique luce hilarescens, Solis, reliquorúmque astrorum gratissimos radios quaquauersum diffundens, & zephyris leniter spirantibus suauiter fragrans. Abiit terra illa tota squalida, tota sordida, tota lutulenta; terra illa diuino damnata maledicto, exitialibus aquis, in perniciem omnium viuentium, vndique scaturiens. Abiit terra illa turpissimorum peccatorum sordibus polluta, & fœtens. Et ecce adest terra noua, germinans herbam virentem, & odoriferos flores, & ligna pomifera, sicut à principio.

Diffugere imbres, redeunt iam gramina campis, Arboribúsque comæ. (l. 1 Oda.)

Et mare illud iam non est, quòd omnia sola terrarum occupabat, nullis obicibus, nullis molibus, nullis littoribus retentum. Oceanus ille iam non est, qui vniuersa regione campestri minimè contẽtus, altissimos ipsos montes inuaserat, & quadraginta dierum certamine victor euaserat, quindecim cubitis supereminens, & 150. dies, quasi edomitis subiectísque terris imperium indubitatum tenens. Iam non est illud mare, de quo cani possit,

Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto. (1. Metam.)

Adest ergo primus reparati mundi annus: qui dudũ emortuus, & sepultus aquis, quodammodo reuiuiscit. Adest finis taciturni silentij omnium animantium in vniuersa terra. Adest initium secundæ ætatis mundi, & prætérita iam infantia pueritiam ingreditur, quam ad decimam quoque generationem perducat. Adest finis annui carceris, & initium perpetuæ deinceps libertatis. Volucres repetunt syluas suas, & feræ innatam, positámque ad tempus, recuperant feritatem. Adest exoptatum gaudij tempus extincto peccato, punitis peccatoribus, liberatis innocentibus, placato Deo. Tempus adest renouatæ fulitudinis, qualem Adamus paradiso egressus expertus est. Sed Adam ex horto quasi ex patria tristis egreditur, imò expellitur. Noë ligneo ex carcere lætus exit, & in patriam reducitur, victor vndarum, & omnium improborum. Et in signum victoriæ & restitutæ pacis ministerio columbæ, oliua diuinitus donatur, & penè redimitur. Iacent improbi Cainitæ, iacent efferi gigantes, iacent illi potentes à seculo viri famosi; à potentiore prostrati sunt. *Fortis impegit in fortiorem*, & procerus in altiorem, & proceritas, & fortitudo terræ afflicta est. (Ierem. 46. 12.) Irrita facta est illa bellandi scientia,

——Oceanus correpta sub vndas
Scuta virum, galeásque, & fortia corpora voluit. (Æneid. 1.)

Hoc denique tempus aperitur, in quo Dominus mœrentem hactenus, iacentémque in luctu amicum suum excitat iustum Noë, dicens, *Surge, propera dilecte mi, & veni ex foraminibus arcæ, ex mansiunculis lignei carceris. Iam hyems transiit, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra. Ostende mundo faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, sacrifica mihi sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua.* Sed hactenus secundæ mundi ætati prolusisse sufficiat.

c. 21. de die nat.

HABVIT prima ætas illud temporis interuallum, quod Varro, referente Censorino, vocabat ἄδηλον, propter ignorantiam, ab hominum principio ad cataclysmum priorem protensum: quam autem ignorantiam intelligat, ipse mox explicat; subdit enim, *Primum tempus siue habuit initium, siue semper fuit, certè quot annorum sit non potest comprehendi.* Dixerit id Censorinus, nolens pro Platone, aut Aristotele censorem agere, vel quasi iudex aut arbiter, in tanta causa, minimè sibi exploratam ferre sententiam. At Christianis omnibus liquidò constat, non semper fuisse tempus; primúmque illud interuallum non infinitis, sed mille sexcentis & quinquaginta sex annis circumscribi. II. *Diuisio temporum tripertita, ex Varrone.*

Adest iam tempus alterum, quod ille à cataclysmo priore (quem appellat Ogygium, ad differentiam posterioris, quem plerique Deucalioneum vocant, qui Thessaliæ peculiaris fuisse putatur) ad Olympiadem primā producit. *Quòd quia,* inquit, *in eo multa fabulosa referuntur, μυθικὸν Varro appellauit, cuius durationem mille circiter & sexcentorum annorum fuisse putat.* In quo non multum admodum à scopo aberrat. Cùm enim initium Olympiadum in primum annum Ioathan cadat, vt suo loco docebimus, isque annus sit ab orbe condito 3278. si ab hoc numero auferas primæ ætatis annos 1656. restabunt tempori mythico 1622. Voluit Scaliger caput mythici temporis à Varrone siue Censorino positi, octoginta annis posterius fuisse diluuio, ratus totidem annos huic numero deesse; verùm eius chronologia nonaginta minimùm annis diminuta est, omisso posteriore Cainan, & ortu Abrahæ ipsis 60. annis accelerato, vt suis locis ostendemus.

3278
1656
1622

1 5. de emēdat. c. de conditu mundi. in Euseb. n. 7.

VERVM nos aliam à Varrone temporis distributionem secuti, hanc secundam ætatem ad Abrahami vsque initia producimus, & annis trecentis & octoginta duobus definimus. Habet autem etiam ipsa, si scriptis prophanorum Scriptorū steterimus, ἄδηλα multa, ac penè omnia. At diuino planè beneficio Scriptura nobis suggerit humani generis, omniúmque animantium reparationem, & eos ordine Patriarchas, per quos illud ad Abrahami natiuitatem propagatum est, Testamentum Noë, cum distributione regionum omnium tripertita, origines præcipuarum nationum, diuisionem linguarum, Regnorum exordia, Hebraicæ gentis initia, & si qua sunt alia, quæ tamen Scriptura ad alia properans magna omnino breuitate perstrinxit. Inchoat autem hoc modo. III. *Secundæ ætatis periodus, & summa rerum.*

cap 8. 13.

n 7. & 40.

IGITVR *sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminuta sunt aquæ.* Ne te pœniteat, lector obseruare particulam illam primam. significat enim proximè memoratis bis septenis diebus, impletum esse, ac planè adæquatum annum sexcentesimum vitæ Noë, vt ex dictis anno proximo patet, non tamen annum diluuij, cuius initium cum quadraginta dierum pluuia inchoatur. Deest itaque isti anno mensis vnus & sedecim dies, qui iam præterierant ante initium pluuiæ; quod tempus etiam impleuit Noë in arca, vt mox subditur. Nec ante induxit in animum egredi, quàm audisset, *Egredere de arca tu, & vxor tua, filij tui,* &c. Quòd autem dicuntur hoc primo die sexcentesimi anni, imminutæ aquæ, intelligendæ sunt exsiccatæ, vt est in Hebræo; ita vt aquæ vltra non nisi in propriis, ac destinatis sibi locis reperirentur. Ideóque Septuaginta habent, defecit aqua à terra. IV. *Ratio temporis.*

CAVE autem putes ineptam esse locutionem editionis vulgatæ, & parum tempori congruentem. Sapienter enim hoc loco posita est, ad notandum diminutionis finem. Cùm ergo suprà expositum fuerit initium diminutionis aquarum, scilicet post centesimum & quinquagesimum diem à fine pluuiæ, hic finem diminutionis Scriptura ponit post 129. diem. Et si autem hoc die non apparebat vltra aqua in terra, nisi in alueis suis, erat tamen terra lutulenta, & cœnosa, & gressui animantium, nisi fortè in arentibus & petricosis locis, adhuc incommoda. Id agnouit Noë aperto arcæ tecto, non quidem toto, sed quantum necesse erat ad liberum terræ, longè latéque prospectum; nihil enim causæ erat cur totum arcæ tectum, quòd ei longitudine ac latitudine respondebat, penitus amoueretur. præsertim cùm nondum esset egrediendi tempus; adhuc enim in arca per sex & quinquaginta dies perseueratū est, quibus terra plenè siccata est. Sequitur enim, Mense secundo, septimo & vigesimo die mensis arefacta est terra. V. *Finis diminutionis aquarum.*

46 ante diluuium.
40 pluuiæ.
150 statu aquarū.
129 imminutionis.
165

VI. *Quandiu manserit Noe in arca.*

Mansit itaque madida annum vnum, & dies decem, quòd spatium est temporis, quo Noëmus in arca mansit. Septuaginta, qui habent inchoatum esse diluuium vigesima septima die secundi mensis, habent integrum annum, nec quicquam amplius. sed decem ibi dies redundare iam demonstratum est. Et qui bos (num. 6. an. præced.) decem dies additos volunt, vt ex lunari anno solaris fieret, ostendete debent ab initio anni sexcentesimi, ad initium anni sexcentesimi primi non esse nisi 354. dies; at nos cum Torniello 365. reperimus.

VII. *Egressio Noe præcipitur.*

Hoc autem die locutus est Deus ad Noë dicens: *Egredere de arca tu, & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus, quàm in bestiis, & vniuersis reptilibus, quæ reptant super terram, educ tecum, & ingredimini super terram.* Non nisi ex diuino præcepto ingressus est in arcam Noë: nec nisi ex eodem præcepto egressus est, & emisit omnia animalia, vt notarunt omnes interpretes boni & mali, post Ambrosium. Qui etiam no- (l. de Noë & arca, c. 21) tauit tam in ingressu, quàm in egressu arcæ, seorsim viros omnes ab vxoribus nominari, vt ex ipsa descriptione insinuaretur perseuerans coniugum continentia ab ingressu ad egressum vsque: idque admodum verisimiliter. Nam, vt ait Salomon, *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.* D. tamen Chrysost. (Eccl. 3. 5. hom. 28.) dicit Cham in arca tempore diluuij genuisse Chanaan, propterea quod, opinor, (cap. 9. 18. vide infrà an. 4. diluuij n. 2.) paulò pòst dicatur pater Chanaan; quod tamen rectè anticipationi attribui potest. Et verò lachrymarum potiùs, & orationum id tempus fuit ad placandam diuinam iram, horribilem in modum sæuientem: In luctu tot amicorum, cognatorum, propinquorum, qui fortunis omnibus euersi, etiam corporis, & animi iactutam fecerant. Nunc autem cùm Deus dat præceptum egrediendi, viros cum suis vxoribus verbo coniungit, quibus statim dixit. *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Vt idem Ambrosius obseruauit. quæ tamen verba aliqui ad sola animalia referunt, eo quod seorsim postea Dominus, hominibus benedicens, idem repetat.

VIII. *Egreditur, & sacrificat excitato altari.*

Egreditur ergo Noë ex arca cum suis, & vniuersis animantibus, statimque sacrificat, vt plenius recitat Moses hoc loco; breuius Iosephus. *Animantes*, inquit, (l. 1. ant. c. 3.) *ex arca emisit, & ipse quoque cum liberis egressus, mactatis Deo victimis epulabatur vnà cum familia, ἀποβατήριον, id est egressorium, loco nomen Armeni fecerunt.* Egressus ergo Noë, in gratiarum actionem diuinæ erga se ptouidentiæ & misericordiæ, ædificauit altare Domino, & quidem probabile est non longè ab ipso loco, vnde exscenderat, vt esset quasi monimentum conseruatæ salutis, quod longè latéq; pandetetur; & hominibus deinceps memoriam diluuij conseruaret. Idq; confirmatur ex Iosepho, qui aliquanto post scribit filios Noë, relictis montibus, planiciem habitare cœpisse.

IX. *Quale id fuerit, & quare excitatum.*

Altare porrò, aut ex terra, congestis scilicet glebis, aut ex lapidibus potiùs impolitis extruxit, quale postea sibi iussit Dominus à Moyse ex- (Exod. 20. 24. 25.) citari. Certè Diuus Chrysostomus ait ædificasse, θυσιαστήριον ἐσχεδιασμένον, id est (hom. 27.) altare tumultuaria opera constructum. Et quidem sponte sua, vt idem nota- (cap. 22. de Noë.) uit, & D. Ambrosius, & Rupertus eleganter. *Altare quod ædificauit Noë, & holo-* (l. 4. c. 27.) *causta quæ obtulit Domino, gratiarum actiones fuerunt, sua præsentia memoriam præteritorum beneficiorum confitentes, vt dignum erat. Qui enim arcam facere iusserat homini, in qua saluaretur, dignè illi homo altare ædificat, in quo idem Saluator suus adoretur. Et qui non solùm hominem, sed propter hominem iumentorum quoque, & cunctorum animantium reliquias in eadem arca seruauerat, meritò illi de cunctis pecoribus, & volucribus mundis super altare ab homine offeruntur holocausta. Hæc non scripta, sed naturalis lex æquum esse docuit, vt suis donis honoretur in primis ipse, qui dedit.* Ita Rupert.

X. *Et an primum, an potiùs etiã olim fuerint.*

Qvamvis autem prima hoc loco altaris mentio fiat in Scriptura: credibile tamen est etiam prioribus seculis altaria in vsu fuisse, nec sine aliqua altaris forma, aut Adamum, aut Abelem, aut etiam Cainum sacrificasse, vt scilicet hostia, & quodcunque offerebatur, eleuaretur à terra versus Deum, qui est in cœlis. Hinc illa, *Et sanctificabis eos, eleuans coram Domino.* Et: *Sanctifica-* (Exod. 29. 24. 26.) *bisque illud eleuatum coram Domino.* Et in Leuitico sæpè: *Sacerdos eleuabit pectusculum, armum, fasciculum, agnos, panes primitiarum coram Domino.* Nam עלה est of- (cap. 8. 9. 10. 23.) ferre, & ascendere facere, siue eleuare: Quin etiam ipsa illa eleuatio rei obla-

tæ Deo, ad honorem pertinet, qui redundat in Deum; nam quæ contemnimus, humi iacere patimur, aut etiam abiicimus; quæ in pretio habemus, extollimus. valet denique altare ad ipsorum etiam sacrificantium commoditatem. Cùm autem diluuio dissipata essent altaria, atque disiecta, Noë vnum excitatauit, in quo multiplex holocaustum obtulit Deo, fortasse totidem holocausta, quot species mundorum animalium; nam plurali numero scriptura vtitur. fortasse etiam duo duntaxat, vnum de pecoribus, alterum de volucribus, sicque terna paria remanserunt ad sufficiendam prolem.

XI. *Sacrificiũ Noe acceptissimum Domino.*

GRATISSIMVM fuisse Domino sacrificium tam Mosis verba, quàm Domini ipsius ostendunt. Nam Moses testatur Deum odoratum esse odorem suauitatis, aut, vt est in Hebræo, *quietis*, ניחח hannichoach allusione facta ad nomen Noë, siue Noach, quod quietem sonat. Approbauit Dominus sacrificium Noë, vt rem sibi acceptissimam, vt nos solemus odorem suauissimum; odor quietis fuit, quoniam iracundia commotum, quietum reddidit, & placatum. Dominus autem quasi apud se statuens, iuxta Hebræum, & Græcum textum, aut
c.54. 9. loquens ad Noë, vt testatur Esaias, (apud quem Dominus etiam iurasse se dicit Noë, non inducturum se aquas diluuij super terram, per hæc autem verba iura-
c.9. 21. uit.) *Nequaquam*, inquit, *vltra maledicam terræ propter homines*. Id est propter eorum peccata, vt ait Chaldæus.

XII. *Pronitas in malum ab adolescentia.*

ITAQVE placatus sacrificio Noë, peccatores excusat, culpam deriuans in na-
c.8. 21. turæ corruptæ infirmitatem, & pronitatem in malum. *Sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*. Qua scilicet maximè se prodit, & propter intemperantiam profundit humana miseria, & carnis concupi-
Ps. 24. 7. 1. Confess. scentia, cum cæteris passionibus: vt propterea gemens Propheta dicat. *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*. Et August. aliique sancti eam partem vitæ suæ in primis deplorant. *Non igitur*, inquit Dominus, *vltra percutiam omnem animam viuentem, sicut feci. Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent*; quæ scilicet proximo diluuij anno confusa, & perturbata fuerunt: dies quippe tenebrosi erant, & instar noctium obscuri; æstas & æstus aquarum immenso humore, & frigore deuicta elanguerant; messis prostrata, & corrupta vndis; sementis impedita fuerat; deinceps quandiu
Psal. 118. durabit ortus & interitus in terra, valebit illud. *Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.*

XIII. *Securitas à diluuio.*

NON contentus autem Dominus securitatem à diluuio in persona Noë promisisse mortalibus, qui ab eo, & filiis eius propagandi erant, eos nominatim benedicit, tam spiritualia gratiæ dona multiplicans, quàm copiosam fœcundita-
hom. 27. tem, ad multiplicandum genus humanum indulgens. *Quia*, inquit Chrysost. *nunc communem omnium inuexerat interitum, vt consolationem det iusto, & fiduciam ei addat, ne fortè cogitet apud se, quæ vtilitas facta benedictionis, quod dixit, Crescite & multiplicamini: cùm iterum vbi multiplicati fuerimus, pereundum sit nobis. Nam olim & Adam dixerat, Crescite & multiplicamini, & superuenit tamen diluuium. Vt ergo ne cogitando secum talia in perpetuo angore esset; non adiiciam, inquit, vltra maledicere terræ*. Ita Chrysostomus.

XIV. *Renouatũ dominium in animalia.*

SICVT autem olim post impertitam Adamo fœcunditatem, dedit illi do-
hom. 27. minium in animantia, ita etiam hoc loco Noë. Adeò vt Diuus Chrysostomus dicat, *Iustum Noe eandem benedictionem consequi, quam olim Adam, & ereptum recuperare principatum virtute sua*. Imò ineffabili Dei clementia. Verùm, vt suprà dictum est, dominium mansit, obedientia non mansit. Itaque illic simpliciter dictum est, *Dominamini*; hic autem, *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis quæ mouentur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt*. Idque experientia etiam docet, vt animalia quantumuis fera hominis vultum, & datam in se diuinitus potestatem reformident, nec in eum in-
3. Reg. 13. uadant, nisi maiore vi aliqua impellente, vt famis diuturnioris, vt defensionis pro-
14. c. 20. 16. priæ vitæ, & libertatis, aut protectionis suorum fœtuum, aut certè diuini numinis
4. Reg. 2. 24 instinctu, quo actus est leo ad occidendũ Prophetam, & vrsi ad quadraginta duos
4. Reg. 9. 35. Num. 21. 6 pueros lacerandos, & piscis ad deuorandum Ionam, & fortè canes ad mortuam
c. 2. 1. Iesabelem, sicut ignitos serpentes misit contra Israëlitas. Sponte antẽ sua fugiunt

hominem leones, tauri, dracones, elephanti, vt exempli Plinius pluribus in locis docet. vide eundem de serpentibus. l.7.c.2.

XV. *Controuersia de esu carnium.*

PORRÒ eodem ordine, quo in ortu mundi, post assignatum homini dominiũ in animalia, ei de cibo prouidetur, & circa cibum præceptum datur; ita & nunc in eiusdem restauratione. *Omne*, inquit, *quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.* Hoc loco D. Chrysost. *Hic est*, inquit, *initium edendarum carnium, non vt ipsos ad ventris ingluuiem paret, & instruat; sed quia ex ipsis erat Noë sacrificaturus, & Deo gratias acturus, vt ne videamur quasi à consecratis abstinere* [1]. Verùm ab ea sententia plerique alieni sunt, tota res aliquot propositionibus videtur expediri posse. Quarum prima hæc est.

hom. 27. 1. ✠.

XVI. *Lege naturæ non fuisse vetitum.*

NVNQVAM in lege naturæ, siue ante diluuium, siue post, esus carnium prohibitus fuit. Naturalis enim ratio non abhorret ab eo cibo, sed honestum potiùs, & fructuosum agnoscit. Et si naturæ ius id aliquando prohibuisset, cùm id ius sit immutabile, nunc quoque contra rectam rationem esset vesci carnibus. Et Christus, atque eius Apostoli vescentes carnibus, saltem in esu agni paschalis, contra rationem, & legem naturæ peccassent. Ex quo etiam intelligitur ne naturalibus quidem temperantiæ legibus prohiberi.

XVII. *Neque diuina.*

AC ne diuina quidem lex id vsquam prohibuit. Solus enim reperitur vetitus esus fructus scientiæ boni & mali, ab initio: & nunc carnis suffocatæ. Assignauit quidem Dominus herbas, & arborum fructus in cibum tam hominibus, quàm omni animantium generi; sed ea non est prohibitio, cùm nulla prohibitiua aut exclusiua particula in ea designatione ponatur. etsi quidam illam addant. Nec propterea inutilis est huiusmodi assignatio. Declarat enim quis futurus esset cibus ordinarius & vulgaris, vel certè ad tuendam vitam sufficiens, sine alterius exclusione. Deinde si hæc assignatio prohibitio est, cùm ea tam hominibus quàm iumentis & volucribus fiat, profectò imprudentiæ argui posset legislator, qui legem statuat, quæ seruari non possit. Num enim leones, & lupi, & corui, & vultures, aut canes ante diluuium carnibus abstinere poterant, aut debebant? Sicut ergo is cibus ita brutis assignatur, vt tamen alius non prohibeatur, (nam etiam terra vescitur serpens, vt Scriptura testatur, & in fame lupi, & vrsi, vt quibusdam placet) ita & de homine, qui eadem lege continetur, dicendum est. Nec in ea assignatione olerum, implicitè carnium prohibitio continetur; quia illo quoque tempore valebat ea regula, in principum decretis interpretandis, *Odia restringenda esse, fauores ampliandos.* Nec si Rex alicui viro nobili ciuitatem incolendam dederit, hoc ipso prohibet ne inde pedem efferat aliquando. Sublata porrò prohibitione, quam nunquam satis probabunt, qui contra sentiunt, omnia quæ contra esum carnium illius temporis ab ipsis afferuntur, sponte sua corruant necesse est.

Torniel. hoc anno n.12. & 14. Gen. 1. 6. Plin. l. 8 c. 22 & 73.

XVIII. *Sed ante diluuium tacitè permissum.*

ALTERA propositio est, nunquam præceptus est homini huiusmodi cibus, sed permissus, & quidem tacitè ante diluuium, à diluuio autem apertè: Et præceptum quidem nullum proferri potest; quòd autem nullo præcepto prohibetur, hoc ipso permittitur, vt ex Paulo constat, *vbi non est lex, nec præuaricatio.* Itaque si qui fortè Patrum dicunt eum cibum tum non fuisse permissum, explicari possunt, non fuisse assignatum à Deo, quòd verum quidem est, sed nihil facit contra nos [2]. Cùm ergo Dominus simpliciter significasset quid vellet, cætera indulgens humano reliquit arbitrio.

Rom. 4. 15. vt Theodoret. q. 39. 2. ✠.

XIX. *Post diluuiũ apertè, & conuenienter.*

QVÆ indulgentia post diluuium clara est in Scriptura; & minimè controuersa, nam ipsimet aduersarij nolunt esse iussionem; & meritò, alioqui quicunque nunc carnibus abstinerent, rei essent violati præcepti diuini. Maximè autem conueniens fuit post diluuium, tum vt hominem proximæ vindictæ seueritate perterrefactum, hac aperta indulgentia confirmaret ac recrearet, sicut & promissione non futuri deinceps diluuij, vt ex Chrysost. iam notauimus: tum vt humanæ indigentiæ, quæ à diluuio maior fuit, quàm antea subueniret.

Gen. 9. 3. Torniel. n. 15 hom. 27.

XX. *Propter humanam indigentiã.*

EAM indigentiam ex tribus colligit Abulensis, & Perer. primò ex cœlestium

q. 1. in c. 9 l. 14. n. 10.

corporum minùs propitio, in humanam vitam influxu. Quem tamen mihi credibile non est esse vlla ratione mutatum, sicut neque cœlum, quod non veterascit, sed sibi simile semper est: si qua mutatio facta est, recipienti assignanda est. *Quidquid enim recipitur, pro facultate, & modo, & dispositione recipientis recipitur*, vt Philosophi docent. Secundò, ex ipsa terra, quæ tanto tempore salsis vndis imbuta, sterilior facta est, eiúsque fructus minùs efficaces ad fouendam mortalium vitam, vt suprà cum Caietan. dicebamus. Tertiò, ex ipsa humanorum corporum infirmiore habitudine, quæ tanta est, vt Rupertus non dubitet dicere; *Fælici adhuc, & infirmitatis experti homini tenuem illum victum magis sufficisse, quàm infirmo nunc & moribundo, carnium esus esse possit.* Sed, vel ipso tacente, res ipsa ex tantò contractiore vita manifestò demonstratur. Nemo enim eorum, qui post diluuium nati sunt, quorum ætas præscripta sit, ad quingentesimum annum peruenit.

an. 1656. n. 38.

l. 4. in Gen. c. 10.

XXI. *Et in remedium cōtra idololatriā.*

q. 55. in Gen.

3. ℞.

ADDIT tertiam indulgentiæ causam Theodoretus, quod *cùm Dominus præuideret fore, vt homines animalia pro diis colerent, permisit illorum esum*, inquit, *quo impietatem eorum cohiberet. Summa enim est insania adorare quod comeditur*[3]. *Propterea quoque animalium quædam haberi voluit immunda, alia munda; vt immunda eo ipso quod immunda sunt, adorare perhorrescerent; munda verò, quod & ad esum hominis, & ad sacrificia mactarentur, pro diis colere erubescerent.* Nota porrò in verbis Theodoreti permissionem; licet alibi nomine præcepti, & iussionis vtatur, quam etiam disertè Rupertus agnoscit; & Tertullianus aduersus Psychicos vocat esum carnium indulgentiam, veniam, licentiam, libertatem. Licentiam etiam Hieronym. contra Iouinianum non semel.

l. 4. c. 10. in Gen.

c. 4.

℞.

XXII *Esum carniū vulgò in vsu ante diluuium.*

vt Torniel. n. 14.

TERTIA propositio. Non est credibile homines vulgò à carnibus ante diluuium abstinuisse: Idque meritò plerique passim concedunt. Cùm enim inconcessas voluptates auidissimè sectarentur, quomodo non negatas negligerent? eas præsertim quæ ad gulam pertinent, & ventri seruiunt ac libidini, in quibus illi toti erant? quis credat ab animalium abstinuisse carnibus, si ne ab humanis quidem abstinebant? vt ex Beroso refert Caiet. à qua sententia non est alienus Eusebius in historia Ecclesiastica, vbi meminit gigantomachiæ: & credibile facit vsus Brasileensium, Canibalum, aliorúmque barbarorum. An ignorabant prisci illi mortales, quæ essent in carnibus deliciæ præ arborum fructibus? Incogniti autem neque amor est, neque desiderium. At Soto & Perer. negant esse vllo modo credibile toto eo tempore, quod antecessit diluuium, vim carnium ad alendum hominem accommodatissimam, nec speculando fuisse homini cognitam, nec experiendo compertam. Itaque D. Hieronymus contra Iouinianum videtur exaggerando dixisse. *Esum carnium vsque ad diluuium ignotum fuisse: post diluuium verò, quasi in Eremo murmuranti populo coturnices, ita dentibus nostris neruos, & virulentias carnis ingestas.* Nam Dominus carnes post diluuium vltro concessit, vt ex textu patet, sicut ante diluuium fructus arborum[4]. Non rectè autem quidam contra hanc propositionem argumentantur, non fuisse necessarium ante diluuium esum carnium, ergo non fuisse in vsu: consecutio enim, nisi apud sanctissimos viros, inanis est; de quibus sit postrema propositio.

in c. 4. Gen.

l. 1. c. 2.

l. 5. de iust. q. 1. a. 2.

l. 14. n. 18.

l. 1. cōt. Iou.

4. ℞.

Torn. l. c.

XXIII *Atque etiā apud iustos.*

4. PROPOS. Probabile est etiam iustos ante diluuium à carnibus non abstinuisse. Id de Abele videtur affirmare Caiet. probátque ex eius officio, qui pastor esset ouium, quæ humanis vsibus deseruirent, cur non bonorum æquè ac improborum, præsertim cùm nulla esset prohibitio? cur naturali in animalia dominio non vterentur, vel ad hoc ipsum dominium ostendendum? Nam nihil est causæ cur dominiū hoc nolit Torniellus ad cibum extendi, cùm de comestibilibus agitur, quales non sunt subditi respectu principum, nec filij respectu patrum. Quod si concedit Abelem lacte gregis sui vesci solitum, quod tamen neque oleribus, neque fructibus arborum comprehenditur, concedit aut peccasse in ea re Abelem, quod absurdum est, aut Deum non solas herbas, semináque & lignorum fructus hominibus in cibum concessisse, quod ipse asseruit paulò antè. Quis credat Abelem, omnésque viros pios lanis ouium contentos, carnes earum volucribus ac feris proiecisse, nec iure audire debuisse, *vt quid perditio hæc?* Nam quod aliqui barbari id in nouo orbe facere dicuntur, nil mirum, barbari sunt. Certè

n. 13.

n. 12.

Acosta. l. 1. c. 21.

D. Iustinus martyr aut quicunque illius libri author est, in quæst. Orthodoxorum (q. 119.) fatetur Abelem lacte gregis sui vsum fuisse, quidni & caseo? quidni & carnibus? Quod si ratio D. Chrysost. (hom. 27.) valet in Noë & filiis eius, etiam in Abele habet locum; ne videretur quasi à consecratis abstinere. valet & illud Apostoli, (1. Tim. 4.) *Non abstinendum à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Norat hoc Adamus, & Abel, & Seth, & Enos, & Enoch, & cæteri Patriarchæ diuinitus illustrati, vt doctores populorum. Intelligebant quoque verba Domini non habere præceptum comedendi sola olera, & arborum fructus; nec iis excludi esum carnium; nec apparet pœnitentiæ causa iis sibi perpetuò interdixisse, aut non comedisse saltem aliquando, ne viderentur Cainitis carnes immundas natura sua, aut à malo principio ortas iudicare; aut vt sacrificiis suis participarent.

XXIV. *Prohibitio esus suffocatorum.*

SED quæ est ista exceptio, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis? (5. 9.) multa congerunt hoc loco interpretes. Sed Chrysost. in primis audio, qui (hom. 27.) vult hoc loco dari præceptum Noë, sicut olim Adamo; vt scilicet post diluuium quoque intelligant mortales habere se Dominum, qui pro arbitrio iubere, aut vetare possit quod lubeat, cui homines subiecti sint, & obedientiam debeant. *Deinde*, inquit, *sicut de Adam dictum est, vt de vno ligno ex omnibus non ederet, ita hic dictum est, cùm illi omnia ad esum valde libenter permissa essent, veruntamen carnem in sanguine anima ne comedatis. Quid est caro in sanguine anima? suffocatum. Bruti enim anima sanguis est.* (Deuter. 12. 16. 23. 27.) *Quia igitur sacrificia perfecturi erant ex brutis, quasi docet illos dicens, quia sanguis mihi segregatus est, vobis caro. Hoc autem facit ideo, vt primis illis temporibus comprimat illorum impetum, & propensionem ad homicidia. Et quod hoc sit verum, quia per hoc eos magis pios facere voluerit, audi quæ sequuntur. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum*, &c. Hæc Chrysost.

XXV. *Detestatio homicidij.*

VBI vides Dominum ex occasione præcepti illius delabi ad detestationem homicidij. Quasi dicat Dominus iuxta mentem Chrysost. Sicut sanguinem, qui in brutis instar animæ est, mihi segrego, nec volo in vsum vestrum cedere, ita & vitam, & animam vestram nolo in potestate vestra esse, sed mea. *Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Ne fortè licitum putetis humanũ sanguinem, sicut belluinum effundere. Itaque sanguinem vestrum quasi rem iuris mei, *requiram de manu* etiam *bestiarum*, tantùm abest vt hominem homicidij reum impunè id crimen ferre passurus sim. (Exod 21. 28. 29.) Huc pertinet lex illa de boue lapidibus obruendo, qui hominem occiderit. Nunc quoque aliquando bestiæ in detestationem criminis iubentur interfici, & Dominus in detestationem criminum humani generis, diluuio perdidit omnia animantia, & ipsa inanima opera hominum. Denique, *quicunque*, inquit, *effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis eius*; Siue legem magistratui pronuncians, vt Iosephus (l. 1. ant. c. 3) interpretatur, siue vltionem cædis per aliquem vitæ humanæ casum denuncians. Hæc porrò tam studiosa, támque iterata prohibitio homicidij, videtur respicere tum superiora illa tempora gigantæa, in quibus multæ passim cædes, & bella perpetrabantur, tum præsentem etiam hominum paucitatem, quam non minui homicidiis velit, sed generatione crescere. Ideo tertio subdit, *Vos autem crescite, & multiplicamini, & ingredimini super terram, & implete eam.*

XXVI. *Renouatur promissio de non immittendo diluuio.*

SED & renouat promissionem de non immittendo deinceps diluuio. Ne fortè dicant filij Noë, nos quidem cauebimus à cæde mutua, sed tu nos peccantes diluuio perdes, quæ est expositio D. Chrysost. vt antè dixi, quam etiam inculcat homilia 28. (hom 27. & 28.) Fit autem hæc repetitio promissionis ad confirmandam ipsam. Ne quis enim dicat Domino, tu nunc quidem abstinebis à diluuio, in recenti memoria pacti tui; sed post aliquot ætates, hominum peccatis id exigentibus, quasi oblitus promissi, iterum perdes humanum genus. Hic Dominus ad humanum se captum accommodans. *Arcum meum*, inquit, *ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram: Cúmque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima viuente*, &c. Multis enim verbis confirmat Deus Noë cum familia suã; quæ certa sunt signa timoris, ex tam horribili calamitate concepti. Itaque minimè inepta est oratio, quam Iosephus tribuit Noë ad deprecandum diluuium, quem ad finem etiam ab eo sacrificatum fuisse scribit.

NOE *autem veritus*, inquit, *ne Deus damnatis ad interitum hominibus, per singulos annos terram inundaret, victimis incensis precabatur, vt in posterum pristinus rerum ordo maneret, & nulla tanta incideret calamitas, per quam vniuersum animalium genus in salutis periculum adduceretur, vtque affectis merito supplicio sceleltis, parceret innocentibus, quos ipse superstites esse voluerit, & sua sententia absoluerit.* Et mox. *Orabat igitur acciperet sacrificium propitius, néve vllam posthac tantam iram contra terram conciperet: vt operibus suis eam excolerent, & vrbibus extructis fœliciter vitam degerent, nullis commodis carentes, quibus ante cataclysmum fruebantur, & ad extremam senectutem, longæuitatémque qualis maiorum suorum fuerat, peruenientes.* Hæc ipse non indecorè; nisi fortasse postrema ista petitione. Cùm enim, ex eiusdem interpretatione Iosephi, Deus hominum vitam deinceps centum & viginti annis definisset, frustra, parúmque religiosè petere videretur, vt irritato eo decreto, rursum vita mortalium vltra nongentos annos protenderetur, quod nulli post diluuium nato contigit, imò ne quingentos quidem annos vllus attigit, vt suprà diximus. XXVII. *Noe precatur pro auertendo deinceps diluuio.*

I. 1. ant. c. 3. init.

NON est porrò existimandum Iridem nunquam ante diluuium apparuisse in nubibus. Necessariæ enim causæ, nisi impeditæ fuerint, necessariò effectus suos producunt. Cùm ergo non sit credibile per annos mille sexcentos & quinquaginta sex, nunquam rorantem nubem opacam, opportunè solaribus radiis oppositã fuisse, vt produceretur cœlestis arcus, etiam consequens est Iridem sæpè apparuisse [b]. Sed erat tum signum pluuiæ naturale duntaxat, deinceps autẽ futura, fuit signum supernaturale, & ex diuino beneplacito, non futuri amplius diluuij, vt cõmuniter exponunt interpretes. Promissionem autẽ, qua se hominibus quodammodo obligat Deus, de non immittendo diluuio, & quidem sine mutua promissione ex parte hominum, aut conditione alia; vocat pactum, & fœdus, quod perpetuum fore signum illius, quod perpetuum futurũ est, indicat, sicut circumcisio perpetuũ erat & indelebile in homine signum, illũ pertinere ad populũ Dei, vt notauit Oleaster. XXVIII. *Iris signum non futuri diluuij.*

b. 2. *in hunc loc. Gen.*

CÆTERVM cùm Deus triplici illa benedictione, hominum multiplicationem sibi cordi esse ostendisset, & iis à quibus illa pendebat magnam fœcunditatẽ liberaliter impertitus esset, dubitandum nõ est eos quãprimum liberis operam dedisse, atque hoc ipso primo anno diluuij, liberis auctos esse, proximisq; deinceps consequentibus, idque sentit Torniellus, quem sine causa reprehendit Capellus, quasi non satis temporis tribuentem filiorum nutritioni; verũ naturæ bonitas atque fœcunditas, Deo quoque specialiter concurrente, efficere potuit, vt eadem mulier & gestare vterum posset, & nihilominus editum iam fœtũ nutrire, vt de Eua quoque dicebamus, presertim cùm lac pecorum non deesset, septenis minimùm in arca seruatis? Sed ad hanc assertionem planè inuitat ipsa Scriptura. Nam c. 10. vbi recensentur filij Sem, non ponitur primo loco Arphaxad, quasi primogenitus, sed ei præferuntur Ælam, & Assur, sicut & primo Paralip. nec apparet cur præponantur, nisi quia maiores natu fuerant, & ordine generationis antecesserant. Alioqui enim par erat vt primo loco Arphaxad censeretur, quando ex ipso rectùm ad Abrahamum generatio texitur, quem ipsum propter dignitatem inter filios Thare primum Moyses nominauit. Nec vero propiùs est Arphaxad esse primogenitum Semi, quod ille sectarius putat, ne eum faciat nimium in venerem præcipitem, imò absurdum potiùs hoc statu rerum, eum diuinam iussionem, tertiò iteratam, ad tertium annum sine causa distulisse. XXIX. *Ortus Aelam primogenitis Sem.*

v. 22. *c. 1. v. 17.* *c. 11. 26.*

CVM ergo biennio post diluuium natus sit Arphaxad, (vt Scriptura testatur, quę ei fratres duos præponit de eadem matre genitos) necesse est singulis annis, aut singulis denis mensibus ipsos emissos in lucem, sicq; Arphaxad biennio post diluuium, sed absoluto natum esse; primo autem anno, id est præsenti Ælam, sequenti autẽ Assur. Eodem trium annorum ordine videntur geniti tres filij Iapheth, Gomer, Magog, & Madai, qui etiam primo Paral. & 10. Gen. eadẽ serie recensentur. Denique idem esto iudiciũ de tribus primis filiis Cham, Chus, Mesraim & Phuth, qui iisdẽ numerantur locis. Ita prẹter Torniellum sentit Heninges, nisi quod Chanaan vocat primogenitum Cham, quod vellem non solùm assertum ab eo, sed idoneo etiam testimonio, aut ratione probatũ. Potuisset afferre Chrys. qui vt suprà diximus, ait Chã in arca genuisse Chanaan, sed cõmunis expositio est Chã dici patrẽ Chanaã per anticipationẽ; imò Chanaan hoc loco significare gentẽ Chananęorũ, XXX. *Ortus aborum nepotum Noe.*

c. 11. 10. *1. Par. 1 v. 4. 10. Gen. v. 2.* *10. 1. Gen. neal.* *Gen 9. 18.*

vt Rupertus explicat. Theodoret. vocat Chanaan minimum nepotum Noë, & L. 4 c. 17.
minimum filium Chami. Lipom. in Catena eum quartum filium dicit, sicut q. 57. & 58. Gen. 10. 6.
quarto loco à Scriptura nominatur. 1. Par. 1. 8.

XXXI. *An alios filios genuerit.* SED quid de Noë dicemus, an trecentis adhuc, & quinquaginta quos vixit annis caruisse liberis; aut Dei præcepto toties iterato, ne semel quidem tota reliqua vita obtemperasse, & solitudinem humani generis cum vxore sua neglexisse, aut denique ex lege, diuina dispensatione solutum fuisse?

Pars aiens. Non sanè videtur caruisse aliis liberis Ioanni Annio, aut eius Beroso, apud quem Noë aliorum triginta filiorum post diluuium describitur parẽs, quos etiam à Titæa matre Titanas appellat: Non Caietano, qui id subtiliter ex sacro textu conatur elicere, vbi habetur, *Erant ergo filij Noë, qui egressi sunt de arca Sem, Cham & Iapheth;* Hinc apparere ait Noë post diluuium alios filios genuisse; & ad differentiam aliorum filiorum eius, meminisse exeuntium de arca. Et præstitisse istos tres filios Noë reliquis insinuari, vsque adeo vt nomina aliorum abolita sint, hi autem tres tanquam mundi patres sint habiti. Non Torniello, qui persuadetur ex eo, quod ipsi quoque dictum sit, *Crescite & multiplicamini*, nec fuerit adeo senex, vt generare non potuerit, accedente præsertim recens diuinæ benedictionis efficacia. (1. ætat. an. 6. n. 1.)

XXXII. *Pars negãs probabilior.* AT contraria sententia plures habet authores, & quidem melioris notæ. Nam D. Chrysostom. plures tribus habuisse negat. *Huius rei gratia*, inquit, *cùm iam quingentorum esset annorum, haberétque filios istos tres, istis contentus fuit: reipsa declarans hoc se fecisse, vt diuinæ in humanum genus futura benignitati seruiret.* (hom. 24.) Et iterum homil. 29. fi. *Vide*, inquit, *& hoc loco iusti continentiam, quia cum tanta frueretur vbertate, & prosperitate, superuixerítque tanto annorum numero post egressum ab arca, noluit vltra indulgere liberorum procreationi. Non enim commemorat Scriptura illum alios præter tres istos habuisse liberos.* Epiphan. lib. 1. Panar. *Nascuntur autem filiis eius (ipse enim* (Noe) *non amplius generauit) filij, & filiorum filij, vsque ad quintam generationem*, &c. (sub init.) Idem sentit Abulensis; probátque ex eo Scripturæ loco, *Tres isti filij sunt Noe, & ab his disseminatum est omne genus hominum, super vniuersam terram.* (q. 9. in c. 9. Gen. Gen. 9. 17.) Oportet enim illos alios filios Noë omnes fuisse steriles, quod perabsurdum est, illo præsertim tempore, & in tam recenti benedictione diuina; aut falsam esse tam certam, ac generalem Mosis asseuerationem omnibus linguis approbatam, quod multò etiam est absurdius. Nisi fortè aliquod aliud genus hominum, aliqua alia terra, alius denique mundus ab iis qui contra sentiunt inueniri potest. Nec admittenda est interpretatio Caietani, aut Tornielli, ab istis præcipuè, & eorum posteris, non autem à solis disseminatum esse genus humanum. Hanc enim expositionem verba Mosis apertè reiiciunt. Non enim ait à filiis Noë propagatum esse genus humanum, sed à tribus quos nominat, & demonstratiuis pronominibus digito ostendit, quæ vim habent excludendi, sicut & illud, *omne genus hominum*, & rursus, *super vniuersam terram.* Idem sentit etiam Peretius in Genes. tum propter silentium Mosis; tum quod maxima pars ætatis Noë elapsa esset, soláque senectus superesset, quæ mihi sententia visa est probabilior, cùm ea quæ his respondentur infirmiora sint, quàm vt mereantur fidem[7]. Euanescit ergo Tuisco filius Noë Germanorum parens, & Ionithus Methodij, Comestoris, & Abulensis, de quo iterum anno centesimo à diluuio dicemus. (7. X.)

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 1657.

N. XV. 1. ANTIQVA versio trãsfert *ἀπὸ ἀφωσιωμένων*, vt ab execratis: itáque habet etiam Lipoman. Vitamus enim attingere quæ execramur, benè tamen correctum est, positúmque à consecratis, tum quia vocis significatio & vsus id exigit, tum quia & ratio fauet, res enim sacras vulgo veneramur, nec audemus contingere. In lege tamen erant hostiæ pacificæ, quibus participabant homines.

N. XVIII. 2. Durius loquitur Rupertus l. 4. c. 30. cùm ait, *Ante diluuium præsumptionem hominis fuisse hæc animalia in cibum assumere, absque Dei præcipientis autoritate*: At sufficiebat permissio, maximè cùm nulla prohibitio præcessisset.

De vulgari cibo, puta carne animalium loquitur: ne hic sectarius aliquis audacius garrire incipiat, talis quippe cibus, aut caro non prodest quicquam spiritui. Nam de diuina esca, *Manducauerunt*, ait Dauid psal. 21. *& adorauerunt omnes pingues terræ*, quod de Aposto- N. XXI. 3.

lis & cæteris Sanctis manducantibus corpus Christi interpretatur ibi S. Hieronymus.

N. XXII. 4. Vtrobique verba clara sunt; sed à D. Hieronymo nonnullam in eo libro maiorem seueritatem expressit aduersarij, contra quem agebat, mollities ac petulătia; & insitus ipsius rigor, & in pœnitentiæ seueritatem natiua propensio. qualis & Tertulliani fuit, quem paulò antè retulimus. Sed istum extra fidei limites duricies sua pertraxit.

N. XXIV. 5. Alij ad verbum ex Hebræo vertunt, *Veruntamen carnem in anima sua*, sanguine videlicet suo *non comedetis*. Ita Vatabl. Pagninus, Caiet. Eugub. Lipom. qui duo fatentur eandem vim esse vulgatæ edit. quibus libenter assentior, cũ Del Rio. Quid enim est comedere carnem cum anima, quæ sanguis eius sit, quā comedere carnem cum sanguine? Nec aliud volunt Septuag. apud quos habetur. *Veruntamen carnem in sanguine animæ ne comedatis*, id est, in qua sanguis adhuc est, qui loco animæ est. Cæterum hæc à Scriptura & Patribus ex vulgi existimatione dicta sunt. Constat enim apud Philosophos, longè diuersam esse animam à sanguine, aut alio quouis humore.

In cuius rei argumentum videri potest positum præteritum in Hebr. נָתַתִּי dedi, vt notat Caietan. sed id Hebraicæ potiùs phrasi tribuendum est, cui præteritum pro futuro crebro in vso est. N. XXVIII. 6.

Nec tamen propterea fidem habemus doctoribus Hebræis, qui, vt scribit R. Leui in cap. 9 Geneseos, aiunt Cham execuisse testiculos patri, ne deinceps filios procrearet, quod retulit etiam Genebrard. Id enim Scriptura satis refellit, quæ ait Noë cùm ex vino euigilasset didicisse quæ fecerat ei filius suus. At nō euigilasset è vino, consumptis scilicet vaporibus, sed ingenti dolore somnus excussus fuisset, nec opus fuisset discere quid fecisset Chā, sed eum in ipso facinore deprehendisset. N. XXXII. 7.

ANNVS MVNDI 1658. DILVVII ET 2. ÆTATIS 2. NOE 602. SEMI 100.

ANTE CHRISTI ORTVM 2395.

NON ponimus hoc loco Natiuitatem Arphaxad, licet in Genesi legamus. Ortus Assur, Magog, & Mesraim.
c. 1. v. 10. Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluuium; quia tam annos Semi, quàm biennium ponimus absolutum, iuxta ea quæ anno mundi 131. diximus. Itaque ad hunc potius annum pertinet natiuitas Assur, secundi filij Sem, vt
n. 29. & 30. proximo anno diximus. Et Magog filij Iapheth, & Mesraim filij Cham. quorum annos vt incertos nec vllis rebus gestis notatos, non est necesse in nostris annorum indicibus ponere; præsertim cùm nulli sint vsui Chronologiæ.

ANNVS MVNDI 1659. DILVVII, ET 2. AETATIS 3. NOE 603. SEMI 101. ARPHAXAD 1.

ANTE CHRISTI ORTVM 2394.

EXPLETO post diluuium biennio, sexto circiter huius anni mense I. Ortus Arphaxad.
natus est Arphaxad, de patre centenario, sicut de Abrahamo Isaac, & vtróque alterum seculum ineunte; vt patet ex dictis in fine pri-
n. 30. c. 11. v. 10. mi anni diluuij, & ex Scriptura intelligitur. Eam Chronologiam amplectitur Marianus Scotus, & Torniellus hoc anno 3. secundæ ætatis, Vigenerus in T. Liuium, Genebrardus, qui tamen dubius est, & sectarij Mercator, Temporarius, Bibliander, Functius, Beroald. Alij qui biennium absolutum non ponunt, nec fortasse de Aelam, & Assur quidquam cogitarunt, primum anoum Semi in præcedentem mundi annum referunt, vt Verronius, A- 1. c. 15.
dricho. Gordonus, Bellarmin. in Chron. Freculphus, & è sectariis Codomanus, Vignerius, Caluisius, Brougtonus, Capellus. Qui tamen sibi non videntur constare, dum colligentes annos ab Arphaxad vsque ad Abrahamum, duos

annos, à diluuio vsque ad annos Arphaxad interserunt, hoc enim dum faciunt primum annum Arphaxad faciunt tertium à diluuio. quod sine dubio sensit Iulius Hilarion, in libello de mundi duratione, & habetur in bibliotheca Patrum, & Nicephorus Constant. & Seder holam Hebræorum, cum Abulensi. tom. 7. cap. 1. in c. 11. Gen. q. 16.

II. *Madai & Phuth.* AD hunc quoque annum videtur pertinere tertius filius Iapheth nomine Madai, & tertius Chami, cui nomen Phuth, vt dictum est in fine primi anni diluuij. quibus cum adoleuerint suas regiones quasi patrimonia, & partem hæreditatis paternæ cum Scriptura assignabimus.

ANNVS MVNDI 1660. DILVVII ET SECVNDÆ ÆTATIS 4. SEMI 102. ARPHAXAD 2.

ANTE CHRISTVM 2393.

I. *Ortus Lud.* QVARTVS annus à diluuio quartum filium Semo dedisse credibile est, quem Scriptura vocat Lud; certè non ante gigni potuit, nisi diuinare placet eum geminum fuisse alicui fratrum suorum, vt autem eius ortum differamus nulla occurrit ratio. Gen. 10. 22. 1. Paral. 1. 17.

II. *Et Chanaā.* NATVS etiam fuerit hoc anno filius Chami quartus nomine Chanaan, & quartus Iapheti Iauan. Quod enim D. Chrysostom. Chanaan natum, aut certè genitum putauit in arca, vt supra dicebamus, parum habet probabilitatis. Cùm enim quartus numeretur in Scriptura in filiis Cham, oportuisset alios natos ante diluuium; Et sic non octo tantùm animæ fuissent in arca, sed multo plures. Aut si placeret, Chanaan fuisse primogenitum, non octo tantùm egressi essent ex arca, qui referuntur c. 8. sed nouem, vt notauit Perer. Denique cap. 10. Genes. Chanaan numeratur inter eos, quos filij Noë genuerunt post diluuium. Adeo vt D. Ambros. in libro de Noë putet Chanaan natum non fuisse, quando ab auo maledictionem accepit. Quod tamen non videtur multò credibilius, quàm illum in arca natum esse: quod improbat etiam Perer. quamuis Rupertus eam sententiam dubiam relinquat. an. 1. diluuij n. 7. l. 14. o. 118. c. 30. l. 14. n. 158. l. 4. c. 37.

ANNVS MVNDI 1661. DILVVII ET SECVNDÆ ÆTATIS 5. NOE 605. SEMI 103. ARPHAXAD 3.

ANNVS ANTE CHRISTVM 2392.

Ortus Arami & Thubalis. HOC quinto anno à diluuio nouis rursum filiis aucti videntur filij Noë, Sem quidem Aramo, Iaphet Thubale, iuxta ordinem quem eis Scriptura assignat. De filiis verò Chami deinceps tacet, etsi probabile est plures etiam ab illo genitos, quos Moyses cum multis aliis prætermisit, sicut & filias tam Chami, quàm aliorum filiorum Noë; quas deinde cognati in matrimonium duxerunt, vt multiplicarentur, & replerent terram. In Septuaginta verò Editionis Rom. in c. 1. Paralipom. plurima nomina omissa reperiuntur. c. 10. Gen.

ANNVS MVNDI 1662. DILVVII, ET SECVNDÆ ÆTATIS 6. NOE 606. SEMI 104. ARPHAXADI 4.

ANTE CHRISTI NATIVIT. 2391.

IVXTA institutum cutsum annorum, & nepotum Noe, in hunc annum sextum à diluuio, cadit ortus sexti filij Sem, qui omissus in Genesi, suppletur in Paralipom. cum aliis etiam iunioribus eius [c.1.v.17.] fratribus, vocatúrque Hus, de quo infra nobis erit sermo. At vtróque loco sextus Iapheti ponitut Mosoch. [*Ortus Hus, & Mosoch.*]

ANNVS MVNDI 1663. DILVVII, ET SECVNDÆ ÆTATIS 7. NOE 607. SEMI 105. ARPHAXADI 5.

ANTE CHRISTI ORTVM 2390.

SEPTIMVS & postremus filiorum Iapheth, memoratur à Scriptura [c.10. c.1.] in Genes. & Paralipom. nomine Thiras. Cui quasi è regione respondet Hul, filius Sem. cui etiam in duos annos sequentes adde Gether & Mosoch, qui habentur 1. Paral.1.17. Nec nomen eius Mosuch, siue Mesech, vt nunc Hebræi scribunt, literis aut punctis à sexto filio Iapheti distinguitur, sicut nec in cæteris linguis. [*Ortus Hul & Thiras. Gether & alterius Mosoch.*]

ANNVS MVNDI 1671. DILVVII ET SECVNDÆ ÆTATIS 15. NOE 615. SEMI 113. ARPHAXADI 13.

ANTE CHRISTVM 2382.

[Gen. 9.20 l.14.n. 158. q.57. in Gen.] AD hunc circiter annum pertinere credimus, quæ Moyses extremo c. nono scribit de plantatione vineæ, & iis quæ eam consecuta sunt. quamuis ea decennio post diluuium contigisse nonnulli putent, in quibus Peretius, & eum secuti Del Rio, & Torniellus. Scribit enim Theodoretus ex Hebræo quodam anonymo & legitur apud R. Leui in hunc locum, ptimum omnium Chanaan in auum dormientem incidisse, & indecorè nudatum animaduertisse, nec officiosè, vt par erat, cooperuisse, sed irrisisse, totámque rem ad patrem cum risu detulisse; neque à Patre increpitum, & obiurgatum de inhumanitate in parentem, sed & ipsum quoque derisisse, & fratribus suis deridendum propinasse. [I. *Ratio tepore.*]

EAMQVE ait causam fuisse cur puer Chanaan improbissimæ irrisionis authot, [in c.9. Gen.] fuerit ab auo maledictione percussus. Aben-Ezra quoque in hunc locum, ait multis post annis à diluuio plantatam fuisse vineam, Noë vino deceptum, & irrisum, vt refert Geneb. in Chronico, aitque Chanaan adultum iam fuisse, quando hæc contigerunt; vt qui fuerit præcipuus tragœdiæ huius authot. Cùm ergo is quarto loco genitus fuerit, & quarto ad summũ anno à diluuio; existimauimus eum duodecim potius annorum puerum, vt eum Septuaginta nominant, quam sex annorum infantem, cùm hæc faceret, extitisse. Nec congruentior ratio afferri potest cur Chanaan maledictus fuerit, nisi quod paterni criminis non solùm patticeps, [II. *Chanaan author irrisionis autus.*]

sed author etiam, & origo fuerit; quem credibile non est adhuc sexennem, aut illa cognoscere, nedum facere potuisse; aut ab auo tali animaduersione castigatum esse. Caiet. duo acutè colligit ex illis verbis, *Quod cùm vidisset Cham, pater Chanaan;* Scilicet hoc tempore Chanaan natum fuisse, non enim erat Cham, pater Chanaan, antequam ille nasceretur. Et simul Cham indicio Chanaan hæc vidisse. Nihil enim intererat eum vocari hoc loco patrem Chanaan, cùm agitur de visione huius spectaculi, nisi ille interuenisset. Verùm priore illo loco Chanaan non puerum fortasse, sed Chananæorum gentem significat, vt supra quoque notauimus [1], sed iam rem ipsam breuiter consideremus. an. 1657. n. 30. 1. ✠.

III. *Plantatio vineæ.* COEPIT *Noe*, inquit Scriptura, *vir agricola exercere terram, & plantauit vineam*, vinitores quippe agricolæ sunt, & vineæ in agris coluntur. Nec est quod quisquam existimet vites recens à diluuio diuinitus conditas: sed quæ sparsim plantatæ, & vuas ad esum tantum, vt reliquæ plantæ ministrabant, industria Noe in vnũ locum consitæ, & diligenter cultæ, etiam potum, vino indè expresso, præbuerunt; vt ad vitæ humanæ delicias, carnis esui, etiam vini potus iungeretur, vt notauit D. Chrysost. *Vinum*, inquit D. Hieronymus, *cum carnibus post diluuium dedicatum est.* At, inquies, quî factum est, vt vel violentia diluuij fragilem fruticem non euulserit, vel eiusdem diuturnitas non corruperit? Respondetur diuina prouidentia factum fuisse, ne omnes vites vndarum violentiæ expositæ essent; & vetis tempore etiam corruptarum radices vitium pullulare potuerunt, vt ait D. Ambros. in libro de Noë, & arca. hom. 29. l. 1. contra Iouin. c. 29.

IV. *Bibit Noe, & fit ebrius.* INTERIECTVM est tempus suum, & vinea fructus vberes attulit, & liquore inde expresso primus bibit senex, neque enim periculosum erat experimẽtum, ætatique is honos debebatur, & industriæ, vt qui plantarat vineam, de fructu eius non solùm ederet, sed etiam biberet. Bibit ergo, & quidem paulò laxius, inexperta suauitate inuitante, vinóque victus, *nudatus iacuit in tabernaculo suo*, non quidem sponte nudatus, sed casu, vt dormientibus, mero præsertim æstuantibus, contingit. Itáque intelligendum illud quod habetur in Hebræo, & discooperuit se; quæ phrasis etiam vulgò de fortuita denudatione vsurpatur [2]. 1. Cor. 9. 7. 2. ✠.

V. *Accusatur à Caluino.* AT Caluinus pro innata in Sanctos maledicentia, quam suis locis, in aliis quoque Patriarchis ostendemus, *Sanctus*, inquit, *Patriarcha insigne frugalitatis, ac temperantiæ exemplar* (præclarè, aut ironicè potiùs: nam vide caudam scorpionis) *turpem, ac pudendum in modum sui oblitus, nudum se in terram proiecit, vt pateat omnium ludibrio.* Sic ille, forte deceptus voce, discooperuit, qua Pagninus est vsus.

VI. *Defenditur à Patribus.* AT non sic sancti Patres. S. Cyrillus, *Cùm*, inquit, *insuetus esset vino, protinus inebriatur, atque somno deditus, inopinatam verendorum nuditatem vtique patitur.* Et infra de duobus filiis ait eos rem, quæ casu contigerat, honestam facere cupiuisse. Theodoretus, *Ab inexperientia*, inquit, *proficiscebatur hæc passio, non ab intemperantia. Nam ille primus ex hominibus compresso vitis fructu, ignorans non solùm quantum esset bibendum, sed etiam quomodo sumendum, nempe quod prius temperari debeat, & sic potari, incidit in ebrietatem. Quod verò nudatus est, nihil noui pertulit. Etenim etiam nunc quidam dormientes nudantur, somno sensum eripiente. Cùm verò somno etiam accedit Ebrietas, multo magis cognoscendi adimit facultatem.* Iosephus quoque ait Noe primo somno & vino oppressum fuisse, indéque ei indecoram nuditatem contigisse [3]. Sed quid singulus moramur testes? Septuaginta non dicunt ἐγύμνωσεν ἑαυτὸν, sed ἐγυμνώθη ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. Quo igitur ore ille, *Nudum se*, inquit, *in terram proiecit?* Vtique ferreo, & digno viperino sectariorum capite. l. 4. in Gen. q. 56. l. 1. ant. c. 6. 3. ✠.

VII. *Illuditur à Cham, operitur à reliquis.* PERGIT autem Moses. *Quod cùm vidisset Cham, pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nunciauit duobus fratribus suis foras. At verò Sem & Iaphet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui.* In narrando impudenti facinore filij in patrem, inseritur illa vox, *Pater Chanaan*, ad ingenerandum Iudæis odium in genrẽ Chananæorum, & turpissimos eorum mores; quoniam ad eos perdendos, atque exterminandos, regionémque eorum possidẽdam diuinitus mittebantur. Hinc autem suspicari licet, viros tunc non fuisse vsos femoralibus, quibus ea denudatio prohibita fuisset, vt notarunt Tostar. & Lipom. Sed ne multis quidẽ post seculis apud Hebræos in vsu fuerunt. Nam eo pertinet illud Exod. 20. *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur* Rupert. l. 4. c. 37.

turpitudo tua. De Romanis coniectura est in cæde Iulij Cæsaris, elaborantis ne cadens indecotè nudaretur, nec campestria nisi ad luctam sumebant.

hom. 29. EVIGILANS *autem Noe*, didicit quid sibi contigisset. *Vnde cognouit*, inquit Chrysostom. *forte fratres significauerunt, non accusationis quidem gratia, sed rem vt facta erat docentes, vt conueniens ille suo vulneri remedium acciperet.* Admodum probabilis est coniectura Pererij, quam probat, & sequitur hoc loco Del Rio, & Torniellus, Noë expergefactum, cùm se alieno pallio tectum videret, causam à filiis inquisisse, eósque rem, vt contigerat, narrare compulsos fuisse. Vt nihil necesse fit ad diuinam reuelationem ea de causa confugere, quod facit Chronicum Alexandrinum [4]. VIII. *Discit quid sibi contigerit.*

l. 14. n. 154. an 10. 2. ætat. n. 4. 4 ✠. p. 25.

FLAGITIO itaque Chami, eiusque filij cognito, iuxta ea quæ n. 2. diximus, Noë maledictionem vilissimæ seruitutis in pœnam vel imprecatur, vel prophetica voce denunciat nepoti suo Chanaan, & sub illius nomine Chananæis posteris eius, non autem eius patri Cham; siue quia ille non ita pridem à Deo benedictionem acceperat, vt aiunt Theodoretus, atque Chrysostomus, qui etiam addit patrem ob naturalem amorem, in filij ignominia, ac supplicio satis castigatum: siue quia noluit reliquos Chami filios eadem maledictione implicari, qui maximorum potentissimorúmque populorum fuere progenitores, vt suo loco dicetur, & notauit idem Theodoretus. Lactantius ait Chamum à patre abdicatum atque expulsum, & profugum in eius terræ parte consedisse, quę nũc Arabia nominatur [1]. IX. *Maledicitur Chanaan.*

q. 51. hom. 29. q. 57. & 58. l. 2. c. 14. 5. ✠.

NE autem minus amabilis esset Noë, minúsve liberalis in Sem & Iapheth, viros nomine pietatis in patrem maximè commendabiles, quam fuerat in præuaricatorem seuerus vindex; suam illis à Deo benedictionem impertitur. Ait enim, *Benedictus Dominus Deus Sem, sitque Chanaan seruus eius. Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan seruus eius.* Alludit Noë ad nomen Iapheth, quod dilatationem sonat, eique imprecatur, vel prædicit tam amplam posteritatem, vt Semi quoque regiones inhabitet. Fuerunt autem Israëlitæ posteri Sem, Gentilium autem populi Europæi, maximè à Iapheto propagati sunt, qui Israëlitarum hæreditatem spiritualem diuina miseratione occuparunt. Vide hoc loco Hieronym. [6]. X. *Benedicuntur Sem & Iaphet.*

in qq Heb. 6. ✠.

HABES hoc primum loco inductam in pœnam peccati seruitutem; naturæ iuri repugnantem, quæ exigit vt libertate, qua quisque naturaliter donatus est, potiatur; & laborem atque industriam suam in propriam vtilitatem conuertat: cùm seruorum sit, non secus atque equorum, & asinorum, in vnius heri vtilitatem desudare, nulla vtilitate sua. contra quam contingit in operis & famulis, qui mercede conducti ad tempus famulantur. Non enim soli Domino, sed suis commodis denique seruiunt. Quemadmodum & subditi omnes in propriam vtilitatem, vt melius à magistratibus regantur, obediunt. Cæterum, vt eleganter notauit Torniellus, iustum admodum fuit seruili pœna illos affici, qui filialem seruitutem parenti denegarant, & coacta seruitute torqueri, qui voluntariam subiectionem violauerant. XI. *Pœna peccati seruitus.*

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 1671.

N. II. 1. IAM supra notauimus, vocem Chanaan pro gente potiùs quàm pro vnica sumi persona. Accedat Iosephus qui lib. 1. c. 6. etiam cùm de maledictione agitur, non ipsum Chanaan, sed Chananæos intelligit. *Sensit hoc Noe*, inquit, *& precatus aliis filiis fœlicitatem, ne Chamum quidem diris deuouit respectu sui sanguinis, sed tantum eius posteros, quos cùm cæteri euasissent, Chananæos liberos vltio diuina est consecuta.* Hæc ipse.

N. IV. 2. Quamquam Pagninus ipse, qui in versione sua habet discooperuit se, in Thesauro vertit ויתגל ithgal, discoopertus erat, licet sit in hithpahel. Sed prior expositio optima & simplicissima est.

N. VI. 5. Verba authoris in eandem sententiam hæc sunt. ἐπειδὴ δὲ εἰς ὕπνον [illegible], καὶ γυμνωθεὶς (passioè) [illegible]. Ait autem etiam prius sacris operatum fuisse, atque epulatum, indéque ebrium somno grauatum, nudatúmque indecorè iacuisse, somnus ergo nuditatem antecessit. vt Thren. 4. 21.

Noë tùm imprudens, nolénsque in ebrietatem incidisset, arcana quædam mysteria in eo spectauit. Etenim Scriptura narrat. Euigilauit autem Noë ex vino, & cognouit quæcunque fecisset ei filius suus minor. Cui dum quasi malè imprecatur, futura prædicit, &c. N. VIII. 4.

Eaque terra, pergit Lactant. *de nomine sui* (aut potius filij eius) *Chanaan dicta est, & posteri eius Chananæi. Hæc fuit prima gens quæ Deum ignorauit, quoniam princeps eius, & conditor, cultum Dei à patre non accepit, maledictus ab eo,* N. IX. 5.

atque ignorantiam diminutatis muneribus suis reliquit. Sic ipse, sed hæc migratio, non ante diuisionem terrarum, quę cadit in ætatem Phaleg, contigit.

N. XI. 6. *De Sem Hebræi, de Iaphet populus gentium nascitur. Quia igitur lata est multitudo credentium, à latitudine quæ Iaphet dicitur, nomen accepit, quod autem ait, & habitet in tabernaculis Sem, de nobis prophetatur, qui in eruditione & scientia Scripturarum electo Israele versamur.* Sic Hieron. in quam sententiā plura prędictum Chron. Alexandr. & maximè Rupert. l. 4. c. 38. & 39.

ANNVS MVNDI 1694. DILVVII, ET SECVNDÆ ÆTATIS 38. NOE 638. SEMI 136. ARPHAXAD 36. CAINAN 1.

ANTE CHRISTVM 2359.

I. *Proponitur quæstio de generatione Cainan.* GRAVISSIMA est hoc loco, & multorum antiquorum Patrum, recentiorúmq; Doctorum controuersiis agitata quæstio, an Arphaxad genuerit Cainan, an Sale; siue, quod eodē redit, vnáne generatio redundet in Septuaginta interpretibus, & D. Luca; an desit in Hebræo, & editione vulgata; quáve de causa, aut illi addiderint, aut isti detraxerint. Multorum sententias collegit Pererius, ego breuiter Luc. 3. 36. l. 16 n. 163. & seqq.

II. *Statuitur veritas partis aientis.* DICO Generationem Cainan hoc loco inserendam esse. Nam eam deesse docet D. Lucas c. 3. Euang. qui eam perspicuè ponit, aitque Sale fuisse filium Caină, & nepotem Arphaxad. Docent & Septuaginta seniores Dei spiritu pleni, qui c. 10. v. 24. aiunt Arphaxad genuisse Cainan, & ab isto natum esse Salem. Et rursus cap. 11. non solùm numerant Cainan in hac generationum serie, sed etiam disertè explicant quo anno patris natus sit, qua ætate sua genuerit Sale, & quot annis post illum genitum vixerit. Cùm ergo veritatis huius definitio ex authoritate pendeat, & contraria sententia negante tantum autoritate nitatur, certum est aientem in huiusmodi probationibus neganti præponderare, vt rectè notauit Gordonus noster. Nam nulla iusta causa esse potest cur mendacium dicatur, at iusta esse potest cur veritas sileatur. t. 1. c. 5. n. 6.

III. *Qui pro ea stent.* PRÆTER Euangelistam autem, & Septuaginta viros, quorum autoritate nostra nititur assertio, & quos sequi solent omnes Græci patres, Cainan in hunc Patriarchatum chorum admittit Eusebius in Chronico sub initium, ibi *Nationes Iaphet, &c.* Epiphan. in Ancorato semel atque iterum, & rursus in hæresi 66. sub finem, & initio Panarij Cainan nominatim ponit: mox ab ortu rerum numerat Abrahamum in 21. generatione, quæ esset alioqui tantùm vigesima. D. Augustin. lib. 16. de ciuit. Nicephorus Constant. in Græcis Latinisque Codd. c. 2. Chronol. & ibi Contius. Chronicum Alexandrinum, tam Græcum Scaligeri, quàm Græco Latinum Raderi. Marianus Scotus in Chron. Georgius Syncellus apud Scalig. c. 3. & 10. p. 53. p. 33.

In recentioribus est Lipom. in catena in Genes. Melchior Canus in locis Theolog. Sigonius in Seuerum Sulpit. Toletus in cap. 3. Lucæ. Bellarminus in sua Chronolog. Del Rio in cap. 11. Genes. & ibidem Emanuel Sà. Baradius tomo 1. lib. 5. cap. 29. Gordon. in Chronolog. & cap. 5. num. 6. Alphonsus Salmeron tom. 3. tract. 28. versus finem. Raderus in Chron. Alexandr. n. 8. Lauretius l. 7. doctrinæ temporum c. 17. & maximè Tornielius anno 38. secundæ ætatis. Henricus Samerius in Chronolog. Ribera Prælud. 2. in Proph. n. 5. Sebastianus Verronius l. 2. Chron. c. 12. l. 2. c. 18.

IV. *Qui contra sentiant.* CONTRARIA sententia autoritate par esse non potest, solo enim silentio nititur Hebræorum codicum, in Gen. & ibid. editionis vulgatæ, cuius idoneam causam mox suggeremus, cùm alij idoneam causam afferre, nequeant inuectæ à Septuaginta, aut confirmatæ à S. Luca falsitatis. Omisit etiam Iosephus. qui tamē alioqui sequi solet Sept. sed quot vitiis illa eius Chronologia scateat, dicemus in primo Abrahami anno. Omisit Epiphan. hæresi 55. ob Samaritas, contra quos ibi disputat, qui solis scripturis Hebraicis vtebātur, vt notauit Raderus in Chr. Alex. Omittunt Beda, & Ado, non sine scrupulo, propter D. Lucam. Isidorus item & l. 1. ant. c. 6. fin. n. 8. n. 8. fi. in Chron.

1. ✠. qui vulgò audiunt Hebraizantes, in primíſque Eugubinus, Caietanus, Sixtus Senenſis[1], Genebrard. Driedo quoque, Abulenſis, & Lucidus. Sectarij denique, in primíſque Beza, qui Cainam ſuſtulit ex Euangelio Lucæ, in interpretatione ſua, & tolli vult Capellus, omittunt & alij Sectarij, Functius, Bibliander, Beroaldus, Mercator, Temporarius, Caluiſius, Codomanus, Vignerius, Henninges in ſuis Genealogiis; & ſi qui alij, qui corrigere Euangelium, ac decurtare deſiderant: quo minus videtur probanda Catholicis. Satis enim conſtat hæreticos, ſpreta communi via Catholicorum, per abrupta ferri, & ſpiritu ſingularitatis ductos, deteriora ſequi.

V. *Quæ pro hac ſententia facere videantur.*

SED videamus quæ pro hac ſententia facere videantur, & ne actum agamus, omiſſis quæ ab aliis dudum obiecta, & refutata ſunt, quæ nouus ſectarius Capellus contra diſputat, paucis refellamus. Is ergo pro Caluiniana modeſtia, primum non erubeſcit dicere iſtum Cainam à Septuaginta confictum, eundémque ſuppoſititium appellare. Impoſtores ergo fuerunt Septuaginta illi ſeniores, de quibus tam honorificè omnes ſancti Patres locuti ſunt. Sed obſtruat iterum os iſti Sectario. D. Auguſtinus l. 15. de ciuit. c. 23. *Merito*, inquit, *creduntur Septuaginta interpretes accepiſſe propheticum Spiritum, vt ſi quid eius auctoritate mutarent, atque aliter, quàm erat quod interpretabantur, dicerent, neque hoc diuinitus eſſe dictum dubitaretur.* Sic Auguſt. ore veridico, & planè orthodoxo; id eſt modeſto, & venerandæ antiquitatis obſeruantiſſimo.

(Margin: init. Chron. vbi de ſumma annorum, & an. m. 1659. vt ſupra anno vlt. 2. ætat. n. 15.)

At videamus quid hic nouator cauſæ afferat, cur Euangelium corrigi velit, & Septuag. mendacij & impoſturæ accuſandos putet. Primum ait Hebræos codices, Chaldæas paraphraſes, Chronologias Iudaicas carere Caina.

VI. *Refelluntur.*

RESPONDEO his omnibus Euangelium Lucæ, & Septuaginta Prophetarum (ſic enim eos Auguſtinus, & plerique antiqui Patres appellant) autoritatem præponderare. 2. *Nitimur*, inquit, *autoritate vulgatæ verſionis, quam Concilium Tridentinum iubet haberi pro authentica, & omnium verſionum Pentateuchi, præter Græcam.* Quis non rideat Sectarium vulgaræ editionis, & Concilij Tridentini propugnatorem, quæ ab eius fraterculis paſſim conuitiis proſcinduntur? At nónne vulgata eſt verſio, quæ habet Cainan in Euangelio ſancti Lucæ? Nónne omnes verſiones Euangeliorum Cainan retinent, præter Beſanam? neque nos vulgatam verſionem authenticam negamus, veram, fidelem. Neque eam additione, aut detractione violandam putamus, vt Capellus, qui eas voces, *qui fuit Cainan*, ex Euangelio eradendas putat. Sed à Moſe dicimus ſapienti conſilio vnam generationem omiſſam, ſicut tres à Mathæo, vulgatum autem interpretem, quod in Hebræo legerat, fideliter repræſentaſſe. Nititur 3. autoritate Euſebij, Theophili, Ioſephi, Beroſi; Non excutio ſingulos, ne ne nimius ſim. De Euſebio, iam dixi, illum pro nobis ſtare. De omnibus dico, afferri tantùm authoritatem negantem, imo merum ſilentium, cùm nos aientem producamus, vtique ad probandum firmiorem. Nam de D. Epiphanio quod addit, nihili eſt. Nam & aientem pluribus in locis retulimus, & ſilentij vnius loci cauſam dedimus.

(Margin: Caluino, Kemnitio, &c.)

VII. *Cur Moſes Cainan omiſerit.*

SED conemur etiam illam circa Moſis ſilentium eruere[2]. Exiſtimo itaque cum Del Rio, Salmerone tr. 28. & aliis, Moyſem de dita opera, ſed iuſta ratione, hanc generationum tranſiliiſſe, quoniam ſtatuerat à Noë ad Abrahamum decem generationem gradus duntaxat recenſere, ſicut fuerant decem ab Adamo vſque ad Noë. idque ſequitur Ioſephus loco citato, & alij vetuſtiſſimi Hebræorum, vt Genebrardus affirmat. Quo modo etiam videmus Mathæum Euangeliſtam (quod notat etiam Barad. & Salmeron l. cit. Lipomanus in Catena) tres teſſeradecades anno complexum, in earum altera tres generationes præteriiſſe; Ioannem Euangeliſtam in Apocalypſi ex tribubus Iſraëliticis, duodenario numero contentis, tribum Dan prætermiſiſſe, non obliuione vtique, ſed certo myſterio. *At non eſt par ratio*, ait Capellus, *Matthæi omittentis tres generationes, & Moſis vnam prætermittentis.* Imò verò, inquam, maior. Nam ſi tres ſine culpa omittuntur, cur non vna? Ille compingit tres teſſaradecades, hic decades duas, quas tute fateris à Ioſepho, & Beroſo obſeruatas. Nec verum eſt Matthæum remittere nos, quaſi intento digito, ad

(Margin: 2. ✠. 11. Gen. v. 18. — l. 2. c. 6. ſub. fin. in Chron. — c. 7.)

1.x.

veri fontes[1]. Sed nos ex istis fontibus librorum Regum & Paralip. intelligere, quid ibi desit. Ita & in re nostra ex Luca & Septuaginta veri fontibus intelligimus, quid desit in Mose.

VIII. Cur Lucas, & Septuag. suppleuerint.

Dicimus quoque Septuaginta, & eos secutum D. Lucam merito eam generationem non prætermisse, quia non attendebant ad numerum illum denarium, sed statuerant exactum Catalogum omnium omnino generationum ponere. Denique D. Hierony. in editione nostra vulgata, fidi interpretis functus officio, eam omisit. Etenim cùm ex Hebræo fonte verteret, debuit omittere, quod in Hebræis codicibus non repererat. Contra D. Lucas, quia sequebatur Septuaginta, debuit ponere quod apud eos legebatur, & sciebat veritati consentaneum esse. Non enim Septuaginta, vt ex Augustino dicebamus, agunt duntaxat interpretes, sed paraphrastes etiam, & prophetas. Itaque Spiritu sancto suggerente Cainæ generationem repræsentarunt, quam postea Lucas Euangelista, eodem spiritu dictante, confirmauit.

IX. Annus natalis Cainæ.

Cæterum quod ad Cainæ, aut Arphaxadi annos attinet, existimamus veros Septuaginta interpretum annos sequendos esse, sublatis videlicet centenis illis adiectitiis, qui in tota prima, & secunda ætate reperiuntur, iuxta ea quæ à nobis anno mundi 131. dicta sunt. Ergo Arphaxad genuit Cainan, non 135. vt legitur in Græcis, sed trigesimo quinto, eóque absoluto, vt numerare solemus, id est sub initia trigesimi sexti. Et sanè illos centum annos omittunt quoque Peret. lib. 16. in Genes. Torniellus in hunc annum. Bellarminus, Gordonius, Samerius in suis Chronol. retinuit tamen Marianus Scotus, qui non satis constanter, modò Hebræos, modò Gtæcos in sua Chronol. sequitur in numero annorum. *n. 182. 183. n. 3. in fin.*

X. Ortus Nemrod & Zoroastris.

Sub hæc tempora natus videtur Nemrod ille nominatissimus, filius Chus, & nepos Chami, filij Noë. de quo Nemrod seorsim Scriptura loquitur, propter eius eminentiam, quandoquidem & eius regnum commemorauit, quo longè postea potitus est, vt ait D. Augustin. de ciuit. Dei. Sub hæc porro tempora natum diximus, ea tantùm coniectura ducti, quod Nemrod sit quartus à Noë, sicut & Cainan; quem natum hoc anno satis explicatum est. Hebræi eum vocant Nimrod, [illegible] id est, interprete Hieronymo, tyrannus, vel profugus, aut transgressor, apud Ariam vertitur rebellis, dormitio descensionis, vel dormiens dominans. Ex quibus colligi potest hoc ei nomen à patre inditum non fuisse, sed postea illi ab euentis attributum; nisi velis etiam Chus fuisse Prophetam. Non longè autem post natus etiam est Zoroastres. Nam coæuos fuisse autor est Epiphanius, sub initium Panarij, quam etiã causam fuisse putat, cur Nemtod, idẽ cum Zoroastre à Græcis creditus fuerit; sed de his postea plura suis dicentur locis, sub initia imperij Assyriorum, cuius Nemrod fundator fuit.

l. 16. c. 3.

Noë. Sem Chã. Arph. Chus Cainã Nẽr.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 1694.

N. IV. 1.

Sixtus Senens. l. 7. biblioth. heresi 4. in fin. & lib. 6. annot. 143. pene in ambiguo est, cum Beda, quem Perer. quoque retulit, verùm l. 5. annot. 88. nimis audacter Septuag. erroris arguit, quod textui Mosis vnam generationem adiecerint. Eundémque errorem in Euangelium Lucæ irrepsisse scribit. Quæ scripsit quoque Eugubinus pari licentia. Eadem reprehendit Ambrosius Catarinus in Caietano, excusante D. Lucam, nec pari ratione etiam Spiritum sanctum, cuius ille nutu scribebat omnia, excusantem. Vt nõ mirum sit alienos desipere, cùm domestici ipsi minus sapiant.

N. VII. 2.

Consultius existimaui huius differentiæ, inter Hebræos & Græcos, causam in silentium Mosis referre, & eius causam aliquam probabilem exquirere; quàm ad corruptos Hebræos codices confugere, quod plerósque facere video, cùm nulla causa videatur cur, in re quæ nihil admodum interfit, sublatum sit quod à Mose scriptum fuisset. Cui enim bono, aut à Iudæis, aut ab vllo mortalium id sublatum sit? præsertim ab omnibus omnino libris. Toletus tamen, in c. 3. Lucæ, dicendum existimat in Hebræo deesse illam generationem, quæ olim reuera legebatur, & à Sept. conuersam esse in Græcum, nec esse credibile Septuaginta non solùm numerasse Cainan, sed etiam annos vitæ eius, si non legissent in Hebræo; quæ nunc non leguntur vitio scriptorum, idémque de vulgato dicendum esse. Credendum quippe esse Euangelistæ id affirmanti, minusque periculi esse dicere, exemplaria Hebraica ea in parte nõ habere perfecta, quam asserere in Euangelio errorem, siue mendacium vel minimum reperiri. Verùm nos mediam sequimur viam, quæ neque Hebræos codices diminutos facit, neque Græcos, aut Latinos mendaces, aut redundantes. Vide Bellar. t. 1. l. 2. de verbo Dei cap. 2. & Salmeronem tract. 28. versus finem,

vbi codices Hebræos multis in locis corruptos ostendunt.

N. VII. 3. Vbi enim obsecro intendit hunc digitum? nullum enim habet verbum, aut literam, aut apicem, quo illud indicet, sed eodem stylo, quo dixit Iosaphat genuisse Ioram, subdit Ioram genuisse Oziam, nisi fortè notas marginales ab Euangelista Mathæo positas putat.

ANNVS MVNDI 1700. DILVVII, ET SECVNDÆ ÆTATIS 44. NOE 644. SEMI 142. ARPHAXAD 42. CAINAN 7.

ANTE CHRISTVM 2353.

l.1.orac. EXPLETVR trigesimus quartus Iubilæus, cuius initio diluuium contigisse monuimus, quam ætatem auream vocat autor Sibyllinorum, cœlestem, & optimam post homines natos.

ANNVS MVNDI 1724. DILVVII, ET SECVNDÆ ÆTATIS 68. NOE 668. SEMI 166. ARPHAXAD 66. CAINAN 31. SALÆ 1.

ANTE CHRISTVM 2329.

Gen.10.25. ECCE viginti quatuor ipsos annos vacuos transibimus inopia rerum nō vtique gestarum, sed scriptarum, quod deinceps etiam aliquoties faciendum erit, donec ad diuisionem gentium & linguarum, quam tempore Phaleg Scriptura contigisse testatur, & Abrahamum Patriarcham ventum fuerit. Hoc autem loco Salæ natiuitatem ponimus anno Cainan patris eius trigesimo absoluto, iuxta ea, quæ paulò antè monuimus. Omittimus autem ætatem persequi aliorum filiorum, & nepotum Noë, tum quia necessaria non est ad sacram Chronologiam, nec à Scriptura notatur, ideóque minùs certa & coniecturis elicita: tum quia difficile non erit, si cui id scire placeat, eùm eorum principia posuerimus proximis annis à diluuio ex annis diluuij, eorum ætatem eligere, aut Tornielli secundæ ætatis tabulam consulere. Denique noluimus ipsos annorum titulos cum fastidio lectoris onerare. I. *Ortus Salæ.*

II. *Vbi habitaret Noë ex Iosepho.* l.1.ant.c.4. INTEREA quid ageret Noë, quid filij ac nepotes; nam multis iam his 68. annis à diluuio auctum fuisse oportet, vel vbi habitaret, incertum est. Satis diu tamen in montibus habitasse Iosephus existimat; *Ait enim tres Noë filios, qui centum annis ante diluuium nati fuerant, primos relictis montibus planiciem habitare cepisse; & alijs recenti etiam tum cladis memoria pauidis, nec audentibus è celsiore loco descendere, idem faciendi autores, & exemplum fuisse.* In quibus excogitandis merito quis Iosephi prudentiam desideret. Nam hæc animi constantia Noë potiùs tribuenda erat, quàm filiis eius. Verùm quia proximè mortem illius cum Scriptura retulerat, quasi iam is defunctus esset, oblitus eius, filiis eam laudem tribuit.

Deinde parum probabilis est ista timiditas, contra quam Domini ipsius promissionis, iureiurando, ac signo confirmatis muniti erant; nisi fortè eos velit fuisse infideles. Accedit quod supponit plurimis annis eos incoluisse montes illos. Qui enim sunt illi alij quibus persuaderi oportuit, καὶ τοὺς ἄλλους σφόδρα δεδιότας ἔπεισαν, non vxores; viris enim hæc verba conueniunt; non iuniores filij quibus patres non suadent, sed imperant; filij ergo erant iam grandiores natu, quique patres iam essent.

III. *Non videri commoratum in montibus.* AT mihi probabilius videtur non multis diebus in montibus commoratos esse, quia illi parum idonei habitationi, præsertim altissimi, quales ij fuerant in quibus

arca requieuit. Quorsum etiam tam sollicitè quærebatur à Noë, emissis toties volucribus, an terra exsiccata esset? planicies videlicet: nam de montibus id iamdudum constabat, nisi quia quamprimum in loca planiora descensurus erat, vel illam ub causam, ne suis de promissione diuina diffidere, ac diluuium alterum formidare videretur. Vbi ergo habitarunt? Satis habeo docuisse probabilius videri non habitasse in montibus Noë cum familia, sed in planioribus locis. Et quidem credibile est non multùm per annus aliquot inde digressos, sed in campestribus Armeniæ habitasse.

III. *Alia opinio de habitatione Noë, ex Temporario.* QVANTVMVIS eum in Indiam & Scythas releget Temporarius, quò & transtulit paradisum: velitque Noë, Deo sacrificiis peractis, montana incoluisse; nimirum Nysæa, Margiana, Bactriana, Sogdiana, vicináque Scythica, non ausum aquarum horrore, qui illius animo insidebat, vallibus, & planiciei se committere. Sic ipse, Iosephum vt vides, in parte secutus, parum sanè prudenter. Dum enim vult Noëmum maluisse esse nimium timidum, quàm parum prudentem, facit hominem sanctissimum non solùm formidolosum, sed diuinis oraculis, toties, vt dixi, confirmatis, parum fidei tribuentem. Audiamus potiùs Epiphanium sub initium Panarij. *Post diluuium*, inquit, *cùm requieuisset arca Noë in montibus Ararat, per mediam Armeniorum, & Cardiensium terram, in monte Lubar appellato, isthic fit prima hominum habitatio post diluuium, & illic Noë Propheta vineam plantat, & loci fit habitator.* Certè vinea colles amat; montes, vtpote frigidiores, non amat.

IV. *Et Beroso Viterbiensi.* ADDAMVS, si placet, quæ his similia exeogitauit Annius in suo Beroso. Ait autem, finito diluuio, cùm arca in Gordyæo monte Armeniæ consedisset, descendisse Noë in loca plana, & breui mirabiliter multiplicata progenie, perpetuo enim geminos edebant marem & fœminam, adeo completa esse hominibus ea loca, vt necesse fuerit multos inde recedere. Sed Noë diu ibi mansit, & Armenos, sic eos nunc appellamus, nam id nominis postea eis inditum est, primum docuit agriculturam, artémque colendi vites, & conficiendi vinum, tum sacros ritus, & ceremonias colendi Deum. Multa item naturalium rerum secreta mandauit literis, & quæ sequuntur. Nam piget quantumuis probabiles describere fabulas. Quò referre possis & illud ex apocryphis Methodij. *Postquam exiuit Noë de arca ædificauerunt filij Noë nouam possessionem in exteriora terra, & appellauerunt nomen regionis illius Thamnis, secundum nuncupationem filiorum Noë, & numerum eorum, qui exierunt de arca.* Hæc ibi.

ANNVS MVNDI 1750. DILVVII, ET SECVNDÆ ÆTATIS 94. NOE 694. SEMI 192. ARPHAXAD 92. CAINAN 57. SALÆ 27.

ANTE CHRISTVM 2303.

FINEM habet hoc anno Iubilæus trigesimus quintus: cui eandem laudem merito tribuat quam præcedenti autor Sibyllinorum. Verba non pigebit seorsim ascribere[1]. 1. χ.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 1750.

N. I. T. Ἔνθ' αὖτις βλάστησε νέη αἰθήεσσα γενέθλη
Χρυσείη πρώτη, ἥτις πέλεται ἕκτη ἀρίστη
Ἐξ ὧν πρωτοπλάστων γένετ' ἀνδρῶν, οὔνομα δ' αὐτῇ
Οὐρανίη. ὅτι πάντα θεῷ μεμελημένα ἔσται.
Ὦ γενεὰ ἕκτης πρώτης γένος, ὦ μέγα χάρμα, &c.
Hinc noua progenies, hinc ætas aurea prima
Exorta est hominum, quæ venit in ordine sexta
Optima post homines natos, & nomine fertur
Cælestis, quod eam curæ Deus vnus habebit,
O aui sexti primum genus, ô bona secla. vel *gaudium magnum.*

Viuebant tamen hoc tempore, & quidem, vt coniici potest ex Scriptura, parum religiosè Cham, & Chanaan, & Nemrod, quos credibile est non esse factos repente pessimos.

ANNVS MVNDI 1754. DILVVII, ET SECVNDÆ ÆTAT. 98. NOE 698. SEMI 196. ARPHAXAD 96. CAINAN 61. SALÆ 31. HEBER I.

ANTE CHRISTVM 2299.

l. 16. de Ci. c. 3. — I. *Ortus Heber, ex quo Hebræi.*

NATVS est hoc anno Heber, Hebræorum pater, vt ex ipsa nominis notatione docet D. Augustinus, qui etiam ex Scriptura eum virum admodum illustrem fuisse tradit, qui extra ordinem à Moyse celebretur, adeo vt Sem ab Heber abnepore suo vice versa illustrari videatur, quo modo Abraham & Dauid, & alij viri principes in sacra Historia; & in Romana Cato, & Pompeius, & Africanus, & Cæsar, & M. Tullius non solùm filios ac nepotes, sed etiam progenitores suos vehementer illustrarunt. Verba Augustini sunt. (c. 10. Gen. 21.) *Non itaque frustra ipse primus nominatus est in progenie veniente de Sem, & prælatus est etiam filiis, cùm sit quintus nepos; nisi quia verum est quod traditur, ex illo Hebræos esse cognominatos, tanquam Heberæos, cùm & alia possit esse opinio, vt ex Abraham, tanquam Abrahæi dicti esse videantur. Sed nimirum hoc verum est, quod ex Heber Heberæi appellati sunt: ac deinde vna detracta litera Hebræi.* Sic ipse, quæ D. quoque Hieronymi sententia est[1]. Caietanus verò. (1. in qq. Heb.) *Ad dignitatem Sem spectare monstrat Moyses, quòd ipse fuerit pater omnium filiorum Heber, vt per hoc intelligatur quòd fuit pater Abrahæ, quòd fuit pater populi electi à Deo, quòd fuit pater Messiæ.*

in c. 10 Gen. — II. *Abud Hebræorum etymon.*

QVAMVIS autem hæc sit communis interpretatio vt Heber עֵבֶר hoc loco proprium sit nomen viri, qui sextus fuit à Noë, à quo dicti sunt Hebræi. Eorum tamen nonnulli, volunt eam vocem esse præpositionem, quæ trans, vel vltra significet; quod primus Hebræus, videlicet Abraham, venerit vltra fluuium Euphratem, fueritque pater omnium Hebræorum, qui trans fluuium habitarint. Sicut Sem fuit pater omnium filiorum, qui erant vltra fluuium Euphratem, Orientem versus. Atque ita nulla sit Heberis hoc loco mentio. Meminit huius expositionis Lyran. Oleaster, Sigon. in Sulpitium Seuerum, qui & videtur eam sequi, atque adeo Theodoretus, (q. 60.) sed ea valde violenta, & coacta est, & ambigua; Quid est enim, Sem fuit pater omnium filiorum trans? quis ita loquitur? præsertim nulla adhuc facta mentione habitationis trans fluuium, neque cis fluuium; deinde cum iidem dicantur habitare cis fluuium, & trans fluuium, respectu diuersorum, quis diuinet hic de quibus agat Moses? de iis ne qui sunt trans Euphratem ad Orientem, aut trans eundem ad Occidentem? an locutus est ambiguè, vt hic subintelligeretur Abraham, vbi de Semo duntaxat agitur, de Abrahamo nihil; valeat ergo ista expositio, pro eàque Rabini, si lubet, in sinu gaudeant, cùm malunt Abrahæ filij esse, quàm Heberis, quem ex hoc loco exturbare satagunt. Valeat potiùs communis omnium penè Latinorum, Græcorum, atque Hebræorum expositio, cum Chaldæis paraphrastis, quibus Heber est proprium nomen, Sem autem dicitur pater filiorum eius.

III. *An Arphaxad hoc tempore flumen traiecerit.*

HINC autem non probatur, ac ne significatur quidem, Arphaxad eo tempore, quo natus est Heber, traiecisse fluuium Tygrim; cum omni familia sua, & progenie; & primum omnium consedisse in Chaldæa, propereàque infantem tunc natum à transitu dictum esse Heber; idque sanè Iudaicum videtur commentum, eo quod id terrarum diuisionem iam factam supponat, quæ tamen tantùm sub extrema Phaleg tempora contigit; aut eam non rectè anteuertat, neque enim filiorum est partem aliquam hæreditatis, ante diuisionem paternorum bonorum sibi priuatim assumere. (hoc an. n. 3.) Non improbat tamen hanc opinionem Torniellus, nec eius prodit authores, sed hac de re iterum anno Tharæ 23. dicendum erit.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 1754.

N. I. I. ALIA tamen est Theodoreti sententia, q. 60. in Genes. *Quidam*, ait, *dicunt ab Heber Hebraicam linguam appellatam esse, & illum solum in pristina lingua permansisse, indéque Hebræos esse dictos. Ego verò puto appellatos Hebræos, ex eo quod Abraham Patriarcha, cùm è regione Chaldæorum veniret in Palæstinam, fluuium Euphratem pertransijt. Hebra enim Syrorum lingua idem dicitur quod Euphrates. Quodsi Hebræi denominarentur ab Heber, non solùm illos oporteret sic appellatos esse, permultæ enim nationes ab Heber originem ducunt*, &c. Sic ipse. verùm de lingua Hebraica alius erit dicendi locus, cùm ventum erit ad diuisionem linguarum. Illud iam dixerim, Theodoretum alludere ad illum locum Gen. 14. 13, vbi pro Abraham Hebræo, Septuag. legunt. Ἀβραμ τῷ περάτῃ, id est, *transitori*, alludentes ad illud Iosuæ 24. 2. *Trans fluuium habitauerunt patres vestri*, &c. Nec tamen sequitur, si ab illo transitu Septuaginta Abrahamum περάτην appellauere, inde omnibus Hebræis nomen esse factum. Nam ipsimet infra c. 39. Iosephum Hebræum, Ἑβραῖον vocant, non περάτην, quam vocem semel vsurpare contenti, ad gentile nomen interpretandum, ab ea deinceps abstinuere. Vide in eum locum scholia Græca & Lat. Nec necesse fuit omnes filios Heber dictos Hebræos, sed eos tantùm, qui auitam linguam cum patre retinuerunt, quæ cùm esset communis omnium, nomine non egebat, cùm peculiaris facta est, Hebræa est appellata, vt rectè docet D. August. l. 16. de Ciuit. c. 11. vbi quasi dedita opera à Theodoreto videtur dissentire.

ANNVS MVNDI 1756. DILVVII, ET SECVNDÆ ÆTAT. 100. NOE 700. SEMI 198. ARPHAXAD 98. CAINAN 63. SALÆ 33. HEBER 3.

ANTE CHRISTVM 2297.

I. *Examinatur Ionithus suppositius Noë filius.* REFERT in hunc annum Tostatus ortum alterius filij Noë, nomine Ionithum ex libro reuelationum Methodij, ex quo etiam Petrus Comestor. in sua historia scholastica, quæ dissentiens à Pererio Torniellus non putauit improbabilia. Quæ tamem, si quis in ipso fonte legat, reperiet perabsurda. Extant enim in Orthodoxographis à Grynæo editis, tam Græcè quàm Latinè. Sed vtráque æquè erroribus scatent; nec Latina Græcis satis respondent. Latina sic habent. *Centesimo autem nono*, fortè, anno, *de tertia chiliade natus est filius quartus Noë, secundum ipsius similitudinem, & vocauit nomen eius Ionithum. Trecentesimo verò tempore trium millium annorum dedit Noë donationes filio suo Ionitho, & dimisit eum in terram Etham. Et post obitum Noë sexcentesimo & nonagesimo anno in eisdem tribus millibus annorum, ascenderunt filij Noë de terra Orientali Etham, & ædificauerunt sibi turrim in terra, seu campo Sennaar, & ibi facta est diuisio linguarum; & ex hoc dispersi sunt homines super faciem terræ totius. Ionithus autem filius Noë tenuit introitum in Etham, vsque ad mare, quod vocatur Heliochora; id est Regio Solis, in qua Solis ortus fit, & habitauit ibidem. Hic Ionithus accepit à Deo donum sapientiæ ad omnes artes, qui non solùm literarum, & aliquarum artium, verùm etiam omnis astrologiæ primus fuit inuentor. Ad hunc descendens Nembrod, qui erat vir gigas, & in multis eruditus à Deo, accepit à Ionitho consilium, in quibus influentiis astrorum incipiendum esset ei regnare super terram.* Hæc ibi, & nonnulla alia id genus, Rabinorum potiùs commenta, quàm scripta Methodij, qualia scribit Philo quidam Biblicus, & ben Gorionis, & alij eiusdem farinæ homines; quæ vix sit operæprecium refellere [1]. Nam quæ ad hunc Ionithum de medio tollendum valent, vniuersè dicta sunt anno primo diluuij.

Marginal notes: in c. 10. Gen q. 5. l. 1. c. 37. — Basileæ. — 1. § N. 31.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 1676.

N. I. I. SE enim ipsa refellunt, præsertim cum Græcis cōposita, in quibus nulla planè mentio est istius Ionithi. Sed quæ de eodē Latinè dicuntur (si tamen Latinè, non enim immeritò Raderus in annotat. 7. in Chron. Alexand. rudia vocat & barbara) Græcè de Sem ex parte dicuntur, donationum item Noë, ac dimissionis nullum verbum. Deinde quomodo e ente-

ſimo nono, aut potiùs centeſimo anno tertiæ chiliadis natus eſt iſte Ionithus. cùm is annus ex ſupputatione Septuaginta virorum antecedat diluuium 162. annis, ergo fuerit in arca, aut perierit in diluuio, nedum poſt illud ſit natus.

Quo autem iure Toſtatus centeſimum annum tertiæ chiliadis, interpretatur centeſimum poſt diluuium, cùm ille annus hûc 162. annis antecedat (contigit enim ex Septuag. 2262.) & centeſimus poſt diluuium ſit 362. tertij millenarij? Codex Græcus hanc natiuitatem contigiſſe ait octingenteſimo anno Noë, ergo ducentis annis poſt diluuium.

Non rectè item Abulenſis treeenteſimum annum tertij millenarij, vocat trecenteſimũ poſt diluuium, iſte enim annus ab illo diſtat 162. annis, aut minimùm 242. & trecenteſimus tertij millenarij, eſt tantùm 38. poſt diluuium. non autem trecenteſimus.

Addo etiam iſtas donationes, & dimiſſionem in terram Etham, quæ non habetur in Græco, ſupponere diuiſionem terrarum, ne ea turbaretur iſta antegreſſa donatione, at diuiſio longè poſt hæc tempora contigit, vt dicemus anno mundi 1931.

Nulla item fit in Græco mentio obitus Noë, aut anni eius, qui in Latino mendoſiſſimus eſt, tum quia 690. poſt obitum Noë non poteſt cadere in tertium millenarium, ſed excurrit 302. annis in quartum millenarium. Nam ſi annus diluuij eſt 2262. Noë autem vixit deinceps 350. annis teſte Moſe. fiūt ergo bis mille 612. adde iam 690. peruenies ad 3302. tum quia terrarum & linguarum diuiſio viuo Noë facta eſt, & adhuc ad 75. annos ſuperſtite.

e 9 Gen ſi 2262 | 350 | 2612 | 690 | 3302

Quòd autem obſecro mare vocatur regio Solis, in qua eſt tertius ortus Solis, vt in Græco legitur, aut quis eſt iſte tertius ortus? Oblitì ſunt ſanè huius regionis Solis Ptolemęus, Strabo, Plinius, Ortelius, tam vera quippe eſt regio Solis, quàm

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis, &c.

Abſurdum etiam eſt Aſtrologiæ inuentionẽ ad hæc tempora differri, ſi columnas illas Ioſephi meminerimus, & ſcientias diuinitus Adamo infuſas & filiis ac nepotibus communicatas. Niſi fortè fatuam illam aſtrologiam illi tribuamus, quam iudiciariam vocant, quæ ſignificatur illis aſtrorum influentus ad regnandi initium obſeruatis. l.1.c.2.6.

ANNVS MVNDI 1788. DILVVII, ET SECVNDÆ ÆTATIS 132. NOE 732. SEMI 230. ARPHAXAD 130. CAINAN 95. SALÆ 65. HEBER 35. PHALEG 1.

ANTE CHRISTI ORTVM 2265. Gen. 10. & 11.

Num. I. *Diuiſio terrarum.*

PERVENIMVS aliquando ad tempus illud, quo non tribus Cæſaribus Conſtantini magni liberis, Romanum imperium: aut tribus item Caroli magni filiis, Occidentalia regna, ſuprema parentum voluntate diuiſa, atque attributa ſunt; ſed quo terræ omnes, atque maria, quæ magnus ille cœli oculus circumluſtrat; & omnino quidquid cœlorum ambitu continetur, in tres mundi principes Sem, Cham, & Iaphet, eorúmque filios, ac nepotes, authore Deo, administro Noë diſtributa ſunt. Authore inquam Deo, qui ſola terrarum, quæ rurſus mortalibus dederat incolenda, hominibus, omniúmque animantium genere repleri iuſſerat, dicens, *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.*

II. *Alia à confuſione linguarum.*

CÆTERVM terræ diuiſio hoc loco ſumenda eſt, non quæ contigit cùm conſtrueretur Babylon, & turris eius, quæ linguarum confuſione nobilitata eſt; ſed quæ à Noë Dei voluntate inſtituta eſt, qualis & à Ioſue facta eſt, poſt occupatam Chananitidem. Sicut autem tunc non ſtatim à diuiſione facta, in poſſeſſionem à ſingulis tribubus itum eſt, ſed multo poſt tempore. Ita quæ nunc ſub ortum Phaleg facta eſt diuiſio, non niſi diu poſt, occaſione diuiſionis linguarum, in rem deducta eſt.

vide Aug l. 16. de ciu. c. 10. — Diuiſio ergo terræ duplex agnoſcenda eſt, altera verbo, & quaſi Noëtico teſtamento facta; altera reipſa, in conſtructione Babylonicæ turris. Quamuis autẽ plerique alteram cum altera permiſceant, atque confundant, vt tamen tempore ſunt ac natura diſtinctæ, ita & à Ioſepho diſtinguuntur. Nam diuiſionem linguarum, quam vocat, ςάσιν & σύγχυσιν περὶ τῶν διαλέκτων, prius tractat, ſeparátque à diuiſione terræ, quam vocat habitationum diſtributionem, ſiue ἀποδασμὸν τῆς οἰκήσεως, de qua poſteriùs meminit vna diſtributionem habet, ſiue partitionem;

l. 1. ant. c. 4.

l. 1. c. 6.

*rant, non solùm per doctrinam illis pietatem proposuit, sed etiam per iusiurandum ab vno-
quoque ipsorum beneuolentiam erga fratrem exegit. Et diuidit quidem, velut hæres mundi
à Deo constitutus, tribus filiis suis vniuersum mundum sub sortem missum, & vnamquam-
que partem iuxta sortem singulis distribuit. Et ipsi quidem Sem primogenito cecidit sors
à Perside & Bactris vsque ad Indiam, & regionem Rhinocoruvorum, quæ sita est inter
Aegyptum & Palæstinam è regione rubri maris. Ipsi verò Cham obtigit terra à Rhinoco-
rura, vsque ad Gades ad meridiem. Tertio autem filio Iapheth obuenerunt, ea quæ spectant
ad Aquilonem à Media, vsque ad Gades, & Rhinocoruros.* Et post enumeratas distin-
ctiùs cuiusque Prouincias, subdit. *Quandoquidem igitur Palæstina sub sortem Se-
mi cecidit, & tota ipsius vicinia: auarus autem Chanaan filius Cham, postea Palæstino-
rum terram inuasit, hoc est Iudæam, ipsámque arripuit. Longanimis autem Deus diu expe-
ctans vt pœnitentia ducti restituerent terram filiis Sem, tandem iurisiurandi transgressionem
vltus est.* Hoc ferè Epipbanius, quæ tanguntur in primo recognitionum Clemen-
in genes. 19 l. 15. n. 156. tis. Et improbantur à Pererio.

VII. *Improbatur.*

ET sanè meritò in dubium reuocari potest ista traditio. Primò quia tota re-
Gen. 10. 15. gio Chananæorum, cum omnibus eius prouinciis filiis Chanaan à Moyse di-
stinctè tribuitur. Et vt intelligamus non contigisse post multa tempora illam,
quæ obtenditur, occupationem, siue inuasionem, ipsemet Chanaan filius
Cham, à primogenito suo Sidone, illam Phœniciæ partem, in qua Sidon sita
est, denominauit. Quòd autem dicitur, *Et post hæc disseminati sunt populi Cha-
nanæorum*; nihil aliud est, quàm progressu temporis familias Chanaan; quæ
habebant principes, & progenitores illos filios Chanaan, valde auctas, tan-
dem in distinctos populos coaluisse. Secundò quia Assyria, & Babylonia, à
Nemrode filio Chus, & nepote Cham possidetur. Nec vsquam significatur il-
lam, aut ad Sem pertinuisse aliquando, aut à Nemrode per vim vsurpatam 3.
Gen. 15. 16. quia nusquam hæc causa pulsorum Chananæorum à Scriptura memoratur, aut
Exod. 23. 23. 24. leuiter attingitur, sed ipsorum scelera, vt patet ex Genesi, Exodo, Leuiti-
Leuit. 20. 23. co. Et vt maximè innoxij essent Chananæi, qui erant nocentissimi, *Do-
c. 18. 24. 25. 27. 28. mini est terra, & plenitudo eius*,, eámque pro arbitratu distribuit, sine cuiusquam
iniuria.

VIII. *Alia diuisio ex Iosepho. Portio Iapbet.*

l. 1. ant. c. 6. DENIQVE Iosepbus, & eum secutus Diuus Hieronymus, aliam diuisio-
nem Scripturæ magis consentaneam instituit, quam breuiter referemus. Inci-
pit autem à filiis Iapbet, in gratiam fortassis Romani imperij. *Horum sedes*, in-
quit, *à Tauro & Amano montibus incipientes, pertinebant in Asia ad amnem vsque Ta-
naim, in Europa vsque Gades, in terris hactenus vacuis occupata.* Sic ipse. Amanus au-
tem mons, & deinceps Euphrates ascendendo in Septentrionem, minorem A-
Asiæ tab. 1. siam à maiore diuidunt. Itaque Iosephus totam hanc regionem, maximis pro-
uinciis constantem, vt ex Ptolemæo patet, Cilicia videlicet, Armenia minore,
Cappadocia, Galatia, Pamphilia, Lycia, Caria, Asia quæ propriè minor dici-
tur, Phrygia, Bithynia, detrahit Asiæ, vt Europæ adiungat, ad aliquam, vt ap-
Gen. 9. 27. paret, partium æqualitatem. Quo etiam meritò referre possis illud, dilatet
Deus Iapbet, & habitet in tabernaculis Sem, id est in parte possessionis eius, A-
siæ videlicet, quæ tota videbatur Semo assignanda. Sed & partem eius aliam, Sy-
riam videlicet, Chamo tribuit; ad compensationem fortasse multarum prouin-
ciarum sterilium, quæ sunt in Africa.

IX. *Portio Chã, & Sem.*

lib. 1. cap. 7 vel 6. DE filiis ergo Cham sic ait, *Chami vero filij Syriam & regionem Amano, libanóque
montibus hærentem obtinuerunt, quidquid eius ad mare vergit occupando, & Oceanum v-
que ditionis terminos proferendo*, & scilicet Ægyptum, Æthiopiam, & Africam
vniuersam. Addit autem Africæ, quæ maxima hæreditatis eius portio fuit, to-
tam Syriam, in qua sunt omnes prouinciæ Chananæorum, & Arabum, contra
quam censuit Epiphan. Restat Sem, de quo idem Iosephus, *Semi verò tertio Noe
filio, filij fuerunt quinque, qui Asiam vsque ad Indicum Oceanum incoluere, ab Euphrate
propagandæ ditionis initio facto.* Omnia igitur quæ cis Euphratem erant ad Iapbet
pertinuerunt. Quæ diligenter obseruanda sunt, ne postea regionem alicuius, in
sorte alterius inquiramus, aut collocemus.

Huius partitionis modo & locis non acquiescit Arias Montanus in Phaleg.
Ait enim Geographos omnes antiquos orbem tripertito diuisisse, eámque diui-

ſionem conſtantem permanſiſſe, donec noui orbes ad Occidentem & Meridiem inuenti ſunt; idque diuino numine factum, vt hoc eſſet quaſi monimentum diuiſionis factæ à Noë tribus filiis ſuis. At Ioſephus non exiguam Aſiæ partem Chamo & Iapheto attribuit, cuius etiam diſtributionem magna ipſemet Arias ex parte ſequitur.

X. *Quis huius diuiſionis author.*

SED quis huius diſtributionis author? vtique Deus, qui totam terram volebat habitari, nec modicis ſpatiis hominum habitationem incommodè coarctari, ſed ad eorum propagationem & vſum omnem locorum laxitatem ſufficere. Id agnoſcit etiam Ioſephus. *Cæterum*, inquit, *Deo iubente vt propagandi, multiplicandique generis gratia colonias deducerent, homines rudes non paruerunt: quamobrem calamitatibus implicati, offenſum illum errore ſuo ſunt experti. Cùm enim florerent iuuentutis multitudine, Deus rurſus de colonia deducenda admonebat. Illi verò obliti ſe ipſius benignitate præſentibus commodis perfrui, totámque illam felicitatem ſuis viribus acceptam ferentes, dicto eius non fuerunt obedientes. Et quod peius erat, conſilium de coloniis non fauorem Numinis, ſed inſidias interpretabantur, videlicet quo faciliùs diſperſi poſſent opprimi.* Tantùm ille. Verùm 1. ant. c. 4.

XI. *Hominum circa eam tergiuerſatio improbabilis.*

HÆC non ſolùm impia, ſed etiam inſulſa, & improbabilia meritò videantur. Valde enim impij eſſent, qui Deo affingerent voluntatem opprimendi homines, ſine vlla cauſa: & infirmum facerent Deum, quaſi non poſſet æquè collectos perdere, atque ſeparatos. Nec ſanè credibile eſt in recenti adhuc diluuij memoria, & viuis iis, qui diuinæ illius vltionis teſtes fuerant omni exceptione maiores, tam fatuam de Deo opinionem locum inuenire potuiſſe. Nec ſatis prudenter à Ioſepho excogitata ſunt ea, quibus nullam Scriptura veriſimilitudinem præbet, ſicùt nec illis calamitatibus, quibus tunc homines implicatos fuiſſe dicit. Non dubium tamen eſt multam cunctationem, & tergiuerſationem, multam dilationem interueniſſe, quæ plurimos annos abſumeret; ſed quæ mitioribus, ac probabilioribus cauſis niteretur, vitæ ſcilicet inter amicos, affines, cognatos conſuetudine, & commerciis; horrore ignotarum, & longinquarum regionum, nauigationum, naufragiorum, amore natalis ſoli, aliiſque id genus.

XII. *Situs & nauigatio Noë.*

ET ſanè quòd ad nauigationes attinet Annius Viterbienſis in ſuo Beroſo meditatur, Noë cum tribus filiis, & multis colonis, ratibus omne mare Mediterraneum circumluſtraſſe, & filiis regiones, ex ipſis littoribus oſtendiſſe. Et primùm quidem Semo, littus omne Aſiaticum, à Tanai, per Boſphorum, vſque ad Nilum. Chamo verò demonſtraſſe littus Africæ à Nilo vſque ad Gades. Iaphet denique littus Europæ à Gadibus, vſque ad Tanaim, decémque annos in ea peregrinatione conſumpſiſſe, multiſque in quaſque prouincias dimiſſis coloniis rediſſe. Verùm hæc peregrinatio non ſatis probabiliter excogitata eſt, vtpote minimè neceſſaria, cùm ſors ſuam cuique partem aſſignaret, qualiſcúmque fuiſſet à Deo facta partitio. Non enim orbem vniuerſum adire potuit Noë, vt omnibus prouinciis circumluſtratis partium quandam æqualitatem induceret, ſed eius fuit orbem diuidere, cuius & producere, quique norat cuius maior erat futura poſteritas, vt ei ampliora ſpatia, ac latifundia aſſignarentur. Denique per cuius diuiſionem prouidebatur, ne qua inter filios contentio, de iniqua diſtributione naſceretur. Beroſ. Viterb.

XIII. *Diſtributio facta ſortitione, & vbi.*

ISTI etiam contentioni medebatur ſortitio, quam diuina prouidentia moderabatur, prout cuique expediebat. Nam ſortitionem factam, tam ea, quæ ex Epiphanio retulimus, oſtendunt, quàm quæ idem ſcribit hæreſi 66. vbi non ſolùm ſortes datas, ſed locum etiam ſortitionis factæ deſignat. *Noë*, inquit, *ſeruatus à diluuio, eiuſque coniux, cum tribus filiis, totidémque nuribus, ſolus diuidens totum mundum tribus filiis ſuis, Sem, Cham, & Iaphet diuiſit, ſorte iacta in Rhinocoruris, velut etiam conſequentia habet, & nihil eſt vanum, neque adulteratum. Rhinocorura enim interpretari queas Neel, & ſic natura indigenæ ipſam vocant. Ex Hebraica verò lingua ſignificat ſortes, quandoquidem Noë illuc miſit ſortes tribus filiis ſuis.* Alludit Epiphanius ad locum Eſaiæ, vbi pro נַחַל מִצְרַיִם nachal miſraim, id eſt torrens Ægypti, Septuaginta verterunt ἕως ῥινοκορούρων quia ſcilicet torrens ille vicinus eſſet Rinocoruris, quod oppidum Plinius Rhinocoluram vocat, & nomen habet, vt patet, ex truncatis

Supra n. 6. v. finem. — c. 27. 12. — l. 5. c. 13.

quorum-

meminit Hieron. in locis Hebraicis. quorundam latronum naribus. Portò Nehel, siue Nahal mutatis motionibus significat sortem, hæreditatem, torrentem. Nam hæreditas sors appellari solet, & habet hæreditas cum torrente similitudinem, quòd hæreditas quasi torrens per alueum successionis deriuetur.

ANNVS MVNDI 1800. DILVVII, ET SECVNDÆ ÆTATIS 144. NOE 744. SEMI 242. ARPHAXAD 142. CAINAN 107. SALÆ 77. HEBER 47. PHALEG 13.

ANTE CHRISTVM 2253. Gen. 10.

TRIGESIMVS sextus agitur Iubilæus annus, octodecim seculis expletis. Ad quod tempus referre possumus ortum posterioris filij Heber, nomine Iectan tredecim filiorum patrem. Et quamuis rationi consentaneum est fuisse eum minorem natu, ex ipso quo recensetur ordine post fratrem suum, tam in Genesi, quàm in Paralip. & id passim omnes affirment, nominatimque Seder Holam sub initium. Iosephus tamen in filiis Heberis recensendis priore loco Iectan ponit, quem vocat Iuctam. ratus fortasse eum maiorem natu, quòd omnino credidit D. August. In quam sententiam eum illa duxit opinio, quod putauit tempore quo natus est Phaleg, non solùm terrarum distributionē factam esse, sed diuisionem quoque confusionémque linguarum: quòd requirit Iectan vel ipsis sexaginta annis Phalego esse maiorem, vt postea dicetur. At nunc satis habebit temporis ante diuisionem linguarum, vt 13. familiarum patet esse possit: De hoc Iectan ita Genebrardus ex Rabi Salomon. *Secundò genuit Iectan à diminuendo siue minorando nuncupatum; quòd diminuerit sibi de mundi negotiis, vt vacaret rebus diuinis, & Philosophiæ. Quasi è duobus ipsius filiis vniuersa sapientia manatura esset in homines, diuina per Phaleg Hebræorum patrem, humana & philosophica per Iectan Indorum & Orientalium genitorem, vnde philosophia illis locis ab omni antiquitate floruit. Illic enim Brachmanes, Gymnosophistæ,* &c. *Ortus Iectan.*

l.1.c.1. 19. c. 1. apud Genebr. l.1.ant. c.6. l.16. de ciu. cap. 11. an m. 1931

ANNVS MVNDI 1818. DILVVII, ET SECVNDÆ ÆTATIS 162. NOE 762. SEMI 160. ARPHAXAD. 160. CAINAN 125. SALÆ 95. HEBER 65. PHALEG 31. RHEV 1.

ANTE CHRISTVM 2235. Gen. 11. 18.

NATVS est hoc anno Rheu, siue Rehu, trigesimo primo patris sui ineunte; hunc Hebræi constanter appellant רעו Reghu. at Septuaginta, & ex iis Iosephus, Epiphanius, Augustinus, Chron. Alexādrin. & alij, modo Ragau, modo Ragan, imò & vulgata editio 1. Paralip. 1. 24. & Lucæ 3. ex iisdem habent Ragau. verso scilicet ghain in gamma, propter vocis & figuræ similitudinem, sed facta mutatione punctorum. Nemo ferè in serie Patriarcharum isto ignotior, & filio eius, nec nisi ad generationem Abrahæ, & texendam chronologiam memoratus videtur. Sed ne ex notatione quidem vocabuli, quam multiplicem leges in apparatu biblico, quidquam facilè exprimas. *Ortus Rheu.*

l.1.ant. c.6. init. Panar. & Anacephal. l.16. de ciu. c. 10. pag. 111. ע in γ.

ANNUS MVNDI 1850. SECVNDÆ ÆTATIS ET DILVVII 194. NOE 794. SEMI 292. ARPHAXAD 192. CAINAN 157. SALÆ 227. HEBER 97. PHALEG 63. RENV 33. SARVG 2.

ANTE CHRISTI ORTVM 2203. Gen. 11.

I. *Ortus Sarug.* COMMODVM nascitur nouus Patriareha, anno Iubilæi 37. proauus Abtabæ, nomine Sarug, siue, vt alij scribunt, Serug, ex Hebtæo שרוג, quo modo habet etiam vulgata edit. in 1. Paralip. & exponitur Palmes, vel Sarmentum, siue Ramus, aut conuolutio, apud Ariam in apparatu biblico. Sed Epiphanius interpretatur irritationem, vt mox referam. Meminit enim huius Epiphan. cùm originem idololatriæ ioquirit. *Phaleg*, inquit, *genuit Rhagan, Rhagan Serug, quem interpretari possis irritationem. Et incepit Idololatria inter homines ac Græcismus, velut cognitio, quæ ad nos deuenit*, habet. *Nondum autem in statuis, & in sculpturis lapidum, aut lignorum, aut ex argento & auro, aut ex alia materia factis, sed solùm per colores & imagines hominis mens in seipsa malitiam excogitauit; & per liberum arbitrium, rationisque, ac mentis vim, pro bonitate iniquitatem recepit.* Hæc ibi, quibus persimilia alibi repetit, additque illis imaginibus repræseotasse eos, qui olim apud ipsos in honore fuerant, aut tyrannos, aut præstigiatores, aut qui aliquid feeerant in vita memorabile per fortitudioem, siue eorporum robur, quæ mutuatus est Suidas verb. Σερούχ. Vbi malè eum deducit ex tribu Iaphet.

1.2.25. — *in 1. Panar.* — *in Anacephal.*

II. *Ortus idololatriæ.* INTELLIGENDVM autem est huiusmodi picturas natura sua iodifferentes, ex bono fine gratitudinis, & conseruandæ memotiæ illustrium virorum, & eorum egregia faeinora imirandi, fuisse laudabiles, sed rem paulatim dæmonum astu ad idololatriam deflexisse, attributa rebus inanimis diuinitate quadam, siue quod eis principes ius asyli tribuerent, siue quod dæmooes ibi aliqua mirabilia facerent. Verùm hæc non nisi post diuisionem geotium ac linguarum contigisse putantur; id precipuè agente Nemrode. Setius autem vel ocyus, satis constat ex sacris literis, hos ipsos Semi filios, & primogenitores Abrahæ, & nominatim Thare, multitudini Deorum adhæsisse. Quanrò id certiùs de filiis Cham, & Iapheth affirmari potest? In eo tamen numero noo esse poneodum Heber, satis ex dictis, in anno primo filij eius, intelligi potest. Nam quod aliqui putant Israëlitas non tetenturos nomen Hebtæorum, si Heber fuisset idololatra, parum probant. Neque enim idola vsque adeò auersabantur, cùm ipsimet centies, vbique loeorum & gentium, ad idola defecerint: lieet ab iis postmodum vltione vrgente, resilirent. Quid si ipsemet Abraham, quo patre in primis gloriantur, etiam idola aliquando coluit in Chaldæa? Id enim multi asseruerunt; quibus minimè assentimur, sed ea de re posterius disserendum erit.

Iosue 24.2. Iudith 5.6.

ANNVS MVNDI 1880. SECVNDÆ ÆTATIS ET DILVVII 224. NOE 824. SEM 322. ARPHAXAD 222. CAINAN 187. SALÆ 157. HEBER 127. PHALEG 93. RENV 63. SARVG 31. NACHOR 1.

ANTE CHRISTI ORTVM 2173. Gen. 11.

I. *Ortus Nachor.* NIHIL habemus quod inter ortum Sarug & Naehoris filij eius interseramus, quod spatium triginta totos annos eapit. Viuebant omnes isti, & multiplicabantur io immeosum; & diuina prouidentia, quæ terram habitatoribus repleri volebat, interueniente, perpaucos occupabat immatura mors,

multi gemini nascebantur, rari aut nulli iofœcundi erant. De singulis quippe eorum quos Scriptura memorat, dicitur genuisse filios & filias; quòd vtique de cæteris quoque omnibus familiis Noë iotelligendum est.

Gen. 11. 22. & 26. Iosue 24. 2. PORRÒ auus & frater Abrahæ cognomines sunt, vtrique enim nomen Nachor; idque noo neminem induxit io fraudem; in illis Iosue verbis, *Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor.* Nam hic Nachor est filius Thare, noo pater. Testes Septuaginta imò & textus Hebræus, & Chaldæus paraphrastes vbi nomē, pater, gemioatur hoc modo. *Thare pater Abraham, & pater Nachor.* Hebraicè est תרח, quam vocem Hieronymus vertit requiem luminis, vel obsecrationem nouissimam. Arias Montanus Raucum, vel Aridum, vel Iratum, vel Incensum, aut Syriacè suffocatum; quæ expendere noo est operætium, quî enim rebus igooratis applicari possint? 11. *Duplex Nachor.*

ANNVS MVNDI 1900. SECVNDÆ ÆTATIS ET DILVVII 244. NOE 844. SEMI 342. ARPHAXAD 242. CAINAN 207. SALÆ 177. HEBER 137. PHALEG 113. REHV 83. SARVG 51. NACHOR 21.

ANTE CHRISTI NATIVIT. 2153.

TRIGESIMA octaua periodus quinquagenaria hoc anno absoluitur. Credibile autem est hisce temporibus, vt significat Iosephus, plurimum fuisse Noë in vrgenda migratione in colonias diuinitus filiis, ac nepotibus suis assignatas: præsertim cùm ex eo tempore centum anni, atque etiam amplius abiissent; eósque variis causationibus, atque tergiuersationibus vsos, non prius paruisse, quam Deus, sumpta ex eorum malitia occasione, eos vel inuitos diuisit, atque distraxit. vide quæ supra tetigimus in primo anno Phaleg.

Margin: I 1. ant. c. 4. — n. 10 & 11. — *Iubilæus* 38.

ANNVS MVNDI 1909. SECVNDÆ ÆTATIS ET DILVVII 253. NOE 853. SEM 351. ARPHAXAD 251. CAINAN 216. SALÆ 186. HEBER 156. PHALEG 122. REHV 92. SARVG 60. NACHOR 30. THARÆ. 1.

ANTE CHRISTI ORTVM 2144. Gen. 11.

VIXIT *Nachor viginti nouem annis, & genuit Thare*, Abrahami parentem, sic vt trigesimus Nachoris sit primus Thare. Nullus porrò est Patriarcharum ab orbe condito, in quo tanta sit annorum diuersitas, ioter Græcos & Latinos, ante genitum filium, quanta reperitur in Nachore. Centum quippe & quinquaginta annorum differentia est; cùm Latini & Hebræi habeant 29. annos duntaxat, Græci autem omnes 179. Sed io annis quoque quibus superuixit, sex annorum discrimen inuenitur; Græcis vt plurimum maiorem numerum suggerentibus. Verùm nobis semel definitum est, iuxta ea quæ primo Sethi anno diximus, vulgatæ editionis chronologiam, cum Hebræa congruentem sequi; quam nunc omnes sequuntur; nisi si quis fortè reperitur adhuc, contentionis amantior, quàm veritatis. Cæterùm in annis mundi, & diluuij, cæterisque numerandis perspicuam habemus Scripturam ducem, & omnium penè chronologorum consensum, nisi quod aliqui triginta annos iunioris Cainan omisere, qui ipsorum chronologiæ vbique adiiciendi sunt.

Margin: Num. I. *Ortus Thare, & ratio temporis.*

II. *Incrementa idololatriæ.*

QVOD ad Thare attinet, scribit Epiphanius initio Panatij, Thare, quem ille Tharram, cum Sepruaginta passim nominat, Hebræi nunc vocant תרח thetach in rurris ædificatione genitum esse, additque, *Idolorum cultum, qui per colores & picturam inductus fuerat sub Sarug, per industriam Thare, auctum ac roboratum esse, eo statuas ex luto, aliáve deinceps materia confectas, vt impiè loco Dei colerentur, fingente, atque efformante. In huius autem sceleris pœnam, filium eius Aran ante ipsum mortuum esse, cùm ad id vsque tempus patres morerentur ante filios.* Hæc ex Hebraica traditione Epiphan. Nihilominus constat Lamechum, pattem Noë, mortuum esse ante Mathusalem pattem suum. Nec credibile est Adamum primum omnium hominum naturali morte esse defunctum, aut nullum, ad hoc tempus, in pueritia, vel infantia mortuum fuisse. Vide chron. Alexandr. Græco-lat. quod Epiphanij traditionem amplificat. I. 2. pag. 119.

III. *Tempus inchoatæ turris: & quam diu in ea ædificatum.*

CÆTERVM non oscitanter audiendus est Epiphanius, cùm ait, Thare in turris ædificatione genitum fuisse. Id enim si accipimus, quod videtur admodum probabile, cùm linguatum confusionem statuamus anno diluuij 275. oportebit tam apparatum materiæ totius ad ædificandum, quàm ipsam constructionem ciuitatis & turris, viginti circiter annos tenuisse; neque minus requirebat opus, mole ac magnitudine prope immensum, vt suo loco dicetur, & opere ipso magnificentissimum; & quidem non vt ad consummationem, & integram perfectionem operis, sed vt multum vltra initia perueniretut. Quòd si cui hoc durum videtut in multitudine opetarum, & feruore, contentionéque operis, cogitet Scriptutam non dicere inchoatam tantùm fuisse ciuitatem ac turrim, iacta scilicet duntaxat fundamenta; sed ea nihil repugnante dici posse, tam turrim, quàm ciuitatem, valde magna iam incrementa cœpisse, quando linguarum confusio superuenit. Illa enim verba, *Cœperúntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant*; non ad vnicum hoc opus ciuitatis ac turris, sed ad alia similia pertinet; in hanc fere sententiam. Hoc primũ est opus, quod audacia ac superbia singulari aggressi sunt, quo absoluto non desistent alia atque alia, quæ illis in mentem venerint, moliri, atque petagere, nisi illis obstiterimus, & profanos conatus impediuerimus. quem sensum reddit etiam Pagninus, & Septuaginta, & ex iis Chrysost. qui inter alia, *Si in tanta concordia, & lingua vnitate in tantam inciderunt insaniam, vbi tempus processerit, quomodo non deteriora tentabunt?* sub init. Panar. hom. 30.

IV. *Confirmatur.*

QVIN etiam vbi nos legimus, *Descendit Dominus vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam*, Hebraicè est בנו quod Septuaginta vertunt, ᾠκοδόμησαν, ædificauerunt, quæ Chrysostomus explicans ἀναιδῶς, inquit, πληρῶσαι αὐτοὺς τὰ βουλευθέντα, *permisit eos implere quæ voluerant.* Et mox: οὐκ εἰς τέλος ἀφῆκεν, *non tamen vsque ad finem permisit, sed suam declarat bonitatem.* Ex quibus facilè intelligitur ciuitatem & turrim non in primis tantum initiis fuisse; sed opus magna iam incrementa accepisse. Nec aliter sensit D. Augustinus, cùm ait, *Ciuitatem perfectam non fuisse, vsque in tantum modum, quantum superba cogitabat impietas.* Et Iosephus, *Cùm ingens esset operarum numerus, surgebat opus supra quam sperauerant. Crassitudo enim erat tanta, vt proceritatem obscuraret.* Fauet etiam huic expositioni, quòd dicuntur isti filij Noë venisse in terram Sennaar, & ibi habitasse: non vtique otiosi; nam statim subditur consilium ædificandi, in signum & coniecturam, quòd tale ædificium construxetunt tempore habitationis illius. Denique nónne magis mirum centum annos in constructione arcæ positos, quàm 22. in ædificatione immensæ ciuitatis ac turris? Nihil ergo absurdi est huic ædificationi tot annos tribuere, quibus Dei longanimitas ac patientia, erga mortales illustrior redderetur; tantóque illi magis punirentur, quantò maius opus, maiores conatus, impensæ, vigiliæ, laboréque diuturniores irriti atque inanes redderentur. 1. c. 4. 16. de ciu. c. 4.

V. *Qui fuerint autores ciuitatis ac turris, an omnes homines.*

Quoniam ergo, vt ex Epiphanio diximus, initium ædificationis turris atque ciuitatis Babel in hoc tempus cadit; videndum est nobis quinam, & qua occasione ædificarint; quo fine, quo loco, qua ex materia, & qua forma; quæ omnia Scriptura summa breuitate tangit; ipsam autem linguarum confusionem, vt causa effectum suum, antecedunt. Gen. 11. 1.

QVINAM ergo proferũtur huius operis architecti. Tostat. ait omnes homines, qui tunc erant, ædificationi huic inclusisse; etiã ipsũ Noë, & consequẽter iuniores q. 3. in c. 11. Gen.

omnes Patriarchas, vsque ad Thare, qui erant omnes in viuis. Cuius rei non inanem ex ipsa Scriptura coniecturam ducit, quæ quasi de omnibus hominibus præmittit *terram omnem fuisse laby vnius, & sermonum eorundem*, quod est, omnes homines vno eodémque idiomate vsos. Deinde immediatè subdit profectos de Oriente; nimirum eosdem omnes, & venisse in campum Sennaar. Idem probat illa vox, *antequam diuidamur in vniuersas terras*; non enim pertinet ad aliquos in vniuersas
hom. 30. terras diuidi, sed ad omnes. Huic sententiæ valde fauet D. Chrysost. Nam cùm de hac profectione agit, illam humano generi tribuit, quod intra suos limites sub-
l. 1. ant. c. 4. sistere non poterat. Fauet & Iosephus, qui primarium quidem huius consilij autorem facit Nemrodium, sed quod referretur ad omnes filios Noë, qui per varias
n. 3. 5. & 11. dispergendi erant familias. Amplectitur Peret. l. 16. in Genes. Del Rio in 11. Genes. init. Nec dissentit Epipban. sub initium Panarij; imò etiam distinctius rem prodit. Ait enim de tribus filiis Noë, duos & septuaginta exstitisse principes, qui consilia de turris huius, ac ciuitatis extructione contulerint. Sed audi eum elegantius, quàm pro more, ex ore Petauij nostri, loquentem. *Cæterum quinta post diluuium ætate, cùm à tribus Noemi filiis propagari genus hominum cœpisset, continuata sobolis successione, duo ac 70. numero, velut principes ac stirpis capita prodierunt. Ii cum longiùs processissent, & à monte Lubar, Armeniæque finibus, hoc est regione Ararat, vlteriora peragrassent, Sennaaris in campum delati sunt, quem locum sibi ipsi delegerant. Cæterum Sennaar ho-*
2. χ. *die in Persarum regione situs est, quam olim Assyrij tenuerant*[2]. *Igitur cùm in eo loco consilium habuissent, de turri, vrbéque illic exstruenda inter se statuunt.*

NON existimat tamen Caiet. aut Oleaster omnes homines eo confluxisse, sed nobis satis est modo principes ipsi, & capita familiarum, vt vult Epiphan. ἐν κόσμῳ ἀρχηγέται, ἢ κεφαλαιῶται, in id opus contulerint. Nam quod Tornielius vult, Arphaxad cum suis, iam ante 170. annos Tygrim fluuium traiecisse, vel hoc ipso parum credibile est, quod dicendum sit eos fluuium rursus esse transgressos, vt participes ædificationis, etiam linguarum diuisioni participarent. Nisi fortè quis dixerit etiam absentium, & nihil huic operi communicantium linguas fuisse confusas, puta tredecim familiarum Iectam, quæ ad filios Arphaxadi pertinent; quod tamen præter rationem esse videatur. Quæ ratio etiam contra Caietanum valet, qui ait ex Scriptura tantùm haberi, quod perseuerante vna lingua in vniuersa terra, quidam ab Oriente profecti, venerunt in terram Sennaar. Hunc autem fuisse Nemrod, & populum quem collegerat sibi, nonnulli coniiciunt; verùm eminebat ille quidem valde inter cæteros, vt ex Scriptura, & Iosepho perspicuum est, sed non affuisse etiam cæteros omnes primarios nepotes Noe, nemo probabit. VI. *Contraria opinio improbatur.*

IAM quod ad huius profectionis, & ædificationis occasionem attinet, probabile est tam impulsu, & hortatione Noë, qui suos constanter vrgebat ad profectionem in terras, quæ sibi sorte obtigerant: quam ipsis locorum, quæ iampridem incolebant, angustiis compulsos laxiora quæsiuisse; verùm quia hinc deduci posset non omnes, sed quasi ex conferto alueario, examen quoddam prodiisse, mauult Tostatus huic migrationi indispositionem Armeniæ terræ occasionem præbuisse. Nam in ea verba, *cúmque proficiscerentur ab Oriente*; notat non dici specialiter de aliquibus eorum, quod recessetint ab Oriente, sed quasi de toto genere humano scripturam loqui. *Et sic est veritas*, inquit, *quod omnes quotquot tunc erant videntes terram Armeniæ non esse bonæ dispositionis ad habitandum, quia tota illa terra montuosa erat, vt ait Paulus Orosius, venerunt vt quærerent bonum locum habitationis in plano.* Sic Abulensis. VII. *Quæ migrationis, & ædificationis occasio.*

SED non fuit in tanta multitudine mens omnibus vna. Et maxima quidem hominum pars, quæ animum ad ædificandum adiecit, eum spectabat finem, quem retulit Scriptura; celebrare scilicet insigni aliquo, ac stupendo opere nomen eorum, qui illud excitassent, ciuitate videlicet ac Turri, cuius culmen ad cœlum pertingeret; quod monimentum esset separationis omnium mortalium, qui ab humani generis restauratione ad id tempus, vnius regionis spatij circumscripti permansissent. Hoc consilium atque institutum Caluinus, modestiæ, vt apparet, atque demissionis animi opinionem aucupans, acerbius, & suprà meritũ carpit. *Videamus*, inquit, *consilium, & suscepti operis finem; nam quidquid acciderit volunt immortale in terra habere nomen. Ita quasi inuito Deo ædificant. Et certè ambitio non tan-* VIII. *Quis communis finis.*

tùm hominibus iniuria est, sed aduersus Deum ipsum proterua. Arcem extruere non adeo magnum per se crimen erat, sed æternum sibi monimentum statuere, quod seculis omnibus duraret, id vero effrenem superbiam, vna cum Dei contemptu, spirat. Hæc ille.

IX. VANITAS hæc sanè fuit, quis negat? eam qui diligunt Dauidem habeot obiurgantem, *Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Verum est, sed multum abest ea vanitas ab immani crimine, multum ab effreni superbia, multum à contemptu Dei. Neque potest ostendete aduersarius, diuinam aliquam prohibitionem, qua hoc opere violata, contemneretur Deus; neque iniutiam, quæ cuipiam morralium fieret, cùm omnes in eo suum quasi symbolum conferrent; nec æquum est hominum intentiooes criminosiores facere, quàm res ipsa ferat. Denique neque allatum diuinitus impedimentum ne perficeretur opus, indicium est illud scelerate susceptum, impedit enim Deus ne remedia valeant restituendæ sanitati eius, quem vult morte fungi: licet ea sanitas rectè & cum laude quæratur.

X. VERVM tumultuabitur aliquis sectariorum in nos, Euangelistæ sui hyperaspistes, & D. Augustinum pro eo, si superis placet, pugnantem afferet. *Quamuis*, inquit, *perfecta non fuerit Babylon, vsque in tantum modum, quantum superba cogitabat impietas*, &c. Quid grauius in eos dixit Caluinus? At vide, mi homo, hæc à D. Augustino dici aduersus Iosephi sententiam, de qua mox dicam, quam Caluinus ipse somnium putat. Quod probant illa Augustini verba, quę ibidem subiicit. *Quid*, inquit, *noceret Deo quantacumque vel spiritalis, vel corporalis elatio?* Quod quid Tostatus io hunc locum, negat istos architectos vllo modo peccasse? quod & opus natura sua esset indifferens, & ad finem referretur ooo malum. [l. 16. de ciu. c. 4.] [in c. 11. Gen. q. 8.]

XI. *Quis improborum in ædificãdo finis, ex Iosepho.* VERVM longè alium finem, si Iosepho credimus, improbissimi quique, Nemrodo duce in ædificando spectarunt, bellum videlicet præpotenti Deo, per dementissimam superbiam gerere, séque tutos ab illius vi, aut inundatione seruare. *Hanc superbiam*, inquit, *Deique contemptum excitauit in eis Nabrodes nepos Chami, filij Noë, vir audax, & manu promptus. Subinde iactans non Deo, sed propriæ virtuti præsentem fœlicitatem eos debere; atque ita paulatim rem ad tyrannidem trahebat, ratus fore, vt homines ad se deficerent à Deo, si se illis ducem præberet, operam suam offerens contra nouum aliud diluuium intentantem. Turrim enim se exædificaturum excelsiorem, quam quo aqua posset ascendere; & insuper maiorum suorum interitum vlturum. Vulgus autem facilè Nabrodis placitis obtemperabat, ignauum ratus Deo cedere.* Sic Iosephus. [l. 1. ant. c. 4.]

XII. *Refellitur.* IN quem propterea Caluinus hoc spiculum non immeritum torquet. *Qui hoc consilio extructam fuisse turrim diuinant, vt perfugium esset impiis, atque asylum, si quando diluuio terram Deus obruere vellet, nihil sequuntur, præter cerebri sui somnium. Verba enim Mosis nihil tale sonant.* Abulensis autem in eundem. *Aliqui*, inquit, *stulti corde credunt, quod illi conditores turris Babylonicæ, ideo eam altissimam faciebant, quia volebant per eam ad cœlum ascendere tanquam pugnaturi cum Deo, eúmque vi gigantea de cœlo deturbaturi, vt Ouidius, aliíque Poetæ finxerunt; qui sanè non aliud quàm stolidam istam superbiam repræsentarunt* [3]. Neque apparet hactenus ex Scriptura res vlla, quæ tam horrendam, & planè Diabolicam malitiam, & dementiam probabilem faciat. Præsertim cùm viueret adhuc sanctissimus Noë, omnium tum viuentium parens, quem etiam pro insigni morum innocentia, & octo iam seculorum canitie, omnes vtique venerabantur. Viueret & Sem, & Iapheth, & Arphaxad, & Heber, & alij Patriarchæ, quorum aliqui, præter pietatem & religionem singularem, etiam spiritu prophetico ornati erant, à quibus crebro inculcabatur, Deum iureiurando promisisse, non vltra se diluuium inducturum super terram. Vide Abulens. de huius opinionis absurditate. [q. 6. in c. 11.] [1. Metam. Virg. 1. Georg Solin. c. 24.] [3. ✠.] [q. 4. & in c. 11. Gen.]

XIII. *Nec ei Scriptura fauet.* AT Iosephum Scriptura ipsa protegit, inquies, quæ vocat Nemrodum robustum venatorem cõtra Dominum. Respondeo in Hebræo esse לִפְנֵי *lipne*, id est coram, siue ad facies; quomodo habet etiam paraphrastes [4] Chaldæus, & Hieronymi editio vulgata. Septuaginta habent ἐναντίον, quod Chrysost. interpretatur coram, & reprehendit eos, qui hoc loco vertunt contra [5], quod fecit August. secutus antiquam editionem vulgatam, in quo etiam hallucinatus est Iosephus. Non erat, inquies, tam imperitus Græcæ linguæ Iosephus, homo Græcè disertissimus, vt eam voculam non intelligeret. Non abnuo, mi lector, sed arbitror homi- [c. 10. 9.] [4. ✠.] [hom. 30.] [5. ✠.] [l. 16. de ciu. c. 4.]

nem Spiritu sancto, quo illuminante scripturæ intelliguntur, destitutum, cùm duæ eiusdem vocis significationes occurrerent, alteram, quæ textui sacro minus conueniret, prætulisse. Ex quo etiam intelligitur illum non codices Hebræos, sed Græcos sequi.

ITAQVE longè probabilius est & certiùs Nemrodum cum cognatis, clientibus, & amicis suis; quod potentia præ cæteris, audacia, viribúsque emineret, dominationem meditatum esse, & idoneum nactum locum, communi omnium opera propriū sibi domiciliū, honesto & specioso aliquo titulo excitare voluisse. Hanc fuisse Nemrodi mentem exitus declarauit. Hanc enim ciuitatem, quæ ædificabatur, & postmodum ex euentu confusionis linguarum nomen habuit Babel, siue Babylon, principium regni eius fuit, vt affirmat Moses. Verùm de Nemrode iterum dicendum erit, cùm de eius regione differemus. XIV.

Cur ædificaret Nemrod.

Gen. 10. 10. ann. mundi 1932. n. 54 & seqq. Vatabl. Oleaster. Caiet.

NON dissimulabo hic obiter dubitationem, quæ ex Hebræo textu nascitur. Nam vbi in vulgata editione legimus, antequam diuidamur in vniuersas terras; quomodo habent etiam Septuag. in Hebræo est, ne fortè dispergamur; quod sequitur etiam Chaldæus. Vnde Tostatus, & alij colligunt istos hoc loco habitare voluisse, proptereáque non turrim solùm, sed ciuitatem etiam construxisse ad habitandum; illam autem quam altissimam excitatam, vt quasi Pharus, longè, latéque appareret, noua itinera dirigeret, & prohiberet dispergi, aut in deuia & prærupta ferri viarum ignaros. Eugubinus autem explicat iuxta Chaldæam paraphrasin, quasi dictum esset, si fortè dispergamur; quasi illi diuinarent, aut præsentirent, quod futurum erat. Verùm nihil opus erat diuinare, iuxta ea quæ dicta sunt de diuisione terrarum sortitò facta, & omnibus manifesta. Itaque Del Rio rectè conciliet textus omnes, subaudiendo, *maturius*, aut aliquid simile. Ergo Hebræi textus hæc erit sententia. Ne fortè dispergamur priùs, quàm vllum monimentum potentiæ nostræ relinquere valeamus. Ciuitatem porrò ædificabant, non vt esset omnibus mortalibus vsui, quod fieri non poterat, sed iis, quibus ea terræ portio sortitò contigerat; omnibus tamen prodesset ad nominis immortalitatem. XV.

An mens fuerit ibidem habitare.

QVOD ad locum attinet duos terminos assignat Scriptura, alterum à quo profecti sunt. *Cùm proficiscerentur*, inquit, *de Oriente*, alterum in quo ædificarunt. *Inuenerunt campum in terra Sennaar*. Orientis nomine intelligit Armeniam Paul. Orosius cum Tostato, quos ante retulimus, & cum iis Pererius, Emanuel Sà in c. 11. Genes. ibidémque Del Rio, Vatablus, Sigonius quoque in l. 1. Sulpitij Seueri, quod nimirum ibi arca substiterit, eáque sit Babyloni Orientalis. Ita quidem ipsi. XVI.

Vnde venerint isti Architecti.

l. 16. n. 6. & 7.

Verùm nisi nos omnes Geometricæ tabulæ tam Ptolemæi, quàm recentiorum fallunt, Armenia planè Septentrionalis est Babyloni. Quæ causa fuit Temporario, vt montes Ararat negaret esse in Armenia, eámque sententiam vulgarem errorem appellaret, vallétque esse in Paropaniso. Verùm pro communi sententia dicere possumus, eos non recta ex Armenia venisse in terram Babylonicam, sed per vagos circuitus, vt fit ab iis, qui ignota loca terra maríve explurant. Nisi fortè placet Moysem habuisse rationem Ægypti, ex qua nuper exierant Israëlitæ, aut Arabiæ desertæ in qua versabantur, quibus prouinciis Armenia non solùm Septentrionalis, sed etiam Orientalis est.

l. 1. ant. c. 4. fi.

l. 4. c. 41. 6. 2.

LOCVS autem in quo substiterunt ad ædificandum vocatur terra Sennaar, cuius meminit etiam Hestiæus apud Iosephum, non quod eo nomine ante diceretur, quàm illuc isti ædificatores appellarent, vt quæ antea, ne ante diluuium quidem, vt placet Abulensi, à quoquam habitata fuisset, sed quæ ita ab ipsis, ab euentu confusarum linguarum appellata fuerit, vt explicat Rupertus[6]. Sed clarius ab eo euentu denominata est vrbs Babel, vt habet Chaldæus Paraphrastes, qui Sennaar vertit Babel. Latini & Græci vocem Hebræam retinere maluerunt. Loci commoditas, atque amœnitas & soli fertilitas, præ Armenica regione, eos inuitauit ad subsistendum, & habitandum in eo. Et reuera paruas ibi mansiunculas, & tabernacula composuerunt, vt ait Tostat. donec vrgente, vt apparet, Noemo, vt in suam quisq; sortitò acceptam prouinciam proficiscerētur, XVII.

Vbi substiterint.

consilium inierunt ædificandæ ciuitatis, & turris, antequam à se inuicem diuellerentur, & tot terrarum spatiis disiungerentur.

XVIII. *Cur electa regio Babylonica.* RECTE autem electum est solum, & Regno & principi ciuitati peropportunium. Nam Herodotus l. primo de illius fertilitate. *Huius ciuitatis*, inquit, (prouinciam intelligit, totúmque agrum Babylonicum, vt sequentia indicant, & ita ciuitates accipit Cæsar in comment. & Cicero, aliique) *quanta sit potentia, cùm ex aliis multis pandam, tum verò ex hoc, quod cum Regi magno* (is titulus erat Regis Persarum, fuitque perquam diu) *omnis plaga, cui imperat sit distributa in ipsius, atque exercitus eius alimentum, præter tributa, ex duodecim anni mensibus, quatuor regio Babylonia, octo reliquis, cum alat omnis Asia. Ita huius regionis potentia tertiam Asiæ partem æquiparat.* Et paulò pòst, *Hæc regio*, inquit, *omnium quas nos vidimus longè optima est frumento duntaxat ferendo. Nam in arboribus ficu, vite, olea nequaquam primatum obtinet. Cereris autem fructu procreando adeo ferax est, vt nunquam non ferè ducena reddat, & vbi præstans bonitate se vincit, etiam ad tricena: quaternum ferè digitorum latitudine triticeis, atque hordeaceis foliis. Milij verò, ac sesami proceritatem instar arborum, etsi mihi compertum, tamen memorare supersedeo, probè sciens, iis, qui nunquam Babyloniam regionem adierunt, quæ de frugiferis dicta sunt perquam incredibilia visum iri.* Sed de his satis, si quis plura desiderat, autor est in manibus. Plin. agrum hunc totius Orientis fertilissimum appellat. refert & Strab. l. 16. l. 6 c. 26.

XIX. *Materia ædificij.* SEQVITVR vt de ipso dicamus opere, ad quod materia spectat & forma. De materia hæc refert Moyses; *Dixitque alter ad proximum suum, venite*, siue agite, *faciamus lateres, & coquamus eos igni; habuerúntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento.* Quæ verba eleganter exponit, & tuetur Eugubinus, referam tantùm, quæ ille ex Theodoreto retulit. *Quidam*, inquit, *puto quod ignorarent in Assyria bituminis fontes inueniri, asserere calce* (ἀσβέστῳ *vina*, siue non extincta,) *exædificatam esse turrim. At ipse diligenter ex iis percunctatus sum, qui inde ad nos venerunt, didicique ipsis referentibus esse in Assyria fontes, qui hanc materiam, vna cum aquis, extra alueum eiiciant. Quinetiam loci incolas perhibent, si in aquis ædes erecturi sint, lateres coctos in eam materiam conicere, atque ea ratione constructam esse turrim asserebant. Qui autem propiùs hæc contemplati sunt, effodisse alicubi se dicebant, rémque probè didicisse, esse videlicet bitumen coctis lateribus substratum; præsertim quia in Assyria summam esse lapidum penuriam asserunt; atque idcirco loco lapidum lateribus vtuntur. Atqui sine lapidibus quomodo calx viua confici possit?* Hæc ibi. Herodotus quoque. *A Babylone*, inquit, *octo dierum itinere abest alia vrbs nomine Is, vbi fluuius haud magnus eiusdem nominis, qui se deuoluit in flumen Euphratem. Hic itaque fluuius Is vna cum aqua permultos reddit asphalti, id est bituminis grumos, quæ asphaltus inde ad murum Babylonis comportabatur.* Sic ibi, & paulò pòst addit, ripas fluminis ciuitatem diuidentis, vtrinque coctilibus lateribus prætextas fuisse. Vide quæ refert etiam Strabo ex Eratosthene. Iosephus hoc loco Hebraico textui consentiens, *Struebant autem lateribus coctis ad firmitatem bitumine ferruminatis.* Semiramis quoque apud Diodorum Siculum, cùm postea Babylonem magnificentius exstrueret, murum lateribus bitumine conglutinatis coagmentauit, 50. orgyas altum, quæ mensura sex pedum est. q. 58. extrema. in Clio. l. 16. sub init. l. 2. ex Ctesia.

XX. *Aedificata ciuitas & turris.* OPVS autem ipsum destinatum ad nominis immortalitatem, non turris tantùm fuit, etsi ea maximè celebratur, sed ciuitas etiam. Aiunt enim, *faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum.* Quæ Iosephus describens, ciuitatis penè oblitus est, omissurus fortasse; nisi eam illi Sibylla suggessisset. *Structuram*, inquit, *turris cœperunt, nulli labori parcentes, nihílque sibi ad summam industriam reliquum facientes. Cúmque ingens esset operarum numerus, surgebat opus supra quam sperauerant. Crassitudo autem erat tanta, vt altitudinem obscuraret.* Et mox, *Locus verò turris nunc Babylon vocatur, propter confusam linguam, quæ priùs omnibus ex æquo clara fuerat. Nam Hebræi confusionem nominant Babel.* Et rursum, *De turri autem hac, déque linguis hominum mutatis, meminit & Sibylla his verbis. Cùm vniuersi homines vno eloquio vterentur, turrim ædificarunt excelsissimam, quasi ad cælum per eam ascensuri. Dij verò procellis immissis turrim subuerterunt, & suam cuique linguam dederunt; qua causa fuit vt vrbs ea Babylonis vocabulum acceperit.* l. 1. c. 4.

XXI. *Vnáne turris, an multæ Babylone constructæ.* DVBIVM hoc loco excitat D. Augustinus, vnáne turris, an plures extruerentur. *Nimia*, inquit, *disponebatur altitudo, quæ ducta est vsque in cælum, siue vnius turris eius, quam præcipuam moliebantur inter alias, siue omnium turrium, quæ per numerum* l. 16 de ciu. c. 4.

singularem ita significata sunt, vt dicitur Miles, & intelliguntur millia militum, vt rana, & locusta; sic enim appellata est multitudo ranarum, & locustarum in plagis Aegypti. Et videri potest Augustinus allusisse ad turres, quas Diodorus Siculus Babylone à Semiramide excitatas scribit; tametsi multis ab hinc annis. *Trecentorum*, inquit, *& sexaginta stadiorum muro, crebris & magnis turribus intercepto, vrbem ita circundedit, vt mediam amnis interflueret. Eratque tanta operis magnificentia, vt mœnium latitudo sex iuxta curribus vehendis sufficeret, altitudo verò omnium, qui audirent fidem, vt Ctesias scribit, excederet.* Et infrà, *Turres etiam adiecit ducentas quinquaginta, quarum altitudo, latitudóque amplitudini operum muri responderet.* 1 a.

XXII. *Vnicam fuisse, quã describit Herodotus.* VERVM communis passim sententia est vnicam fuisse turrim insanæ substructionis, non in mœnibus fortasse, sed in media vrbe, cùm immensa fundamentorum amplitudine stabilitam. Ad quam mihi videtur allusisse Herodotus, cùm enim dixisset duas quasi plagas fuisse Babylonis, quas Euphrates mediam intersecans ciuitatem faceret, *In vtriusque*, inquit, *ciuitatis plaga medio murus erectus, quorum hic regiam comprehendit ambitu prægrandi, atque valido. In altero Iouis Beli templum æreis portis, id quod mea etiam num ætate existit, duorum vndique stadiorum amplitudine, figura quadrata*[7]. Ætas Herodoti cadit in reditum Xerxis è Græcia; qui contigit sub annum mundi 3572. Itaque durabat turris millesimum iam sexcentesimum, & 63. annum. Sed pergit Herodotus. *In sacri medio turris solida crassitudine simul, & altitudine stadij, cui alia rursus superimposita turris, & huic subinde alia, ad octauam vsque. His forinsecus scalæ sunt in circuitu adhibita, per quas ad singulas conscenditur turres. In mediis gradibus ductus, sellæque in hoc facta, in quibus ascensuros liceat sedere, ac conquiescere*[8]. *In postrema turri sacellum est aliud, in quo lectus est splendidè stratus, & apposita mensa aurea.* Hactenus Herodotus. Nec te moueat hic plurale nomen turrium, omnes enim vnius instar habent. in 1. lib. 7. χ. 8. χ.

XXIII. *Et Hieronymus.* AD quorum confirmationem merito addiderim D. Hieronymum in Isaiam, ad Herodotum, quem & citat, alludentem, & Hieronymum Isidorus in Chronico æmulatur. Ille igitur in ea Prophetæ verba, *Perdam Babylonis nomen. Arx*, inquit, *id est capitolium illius vrbis est turris, quæ ædificata post diluuium in altitudine quatuor millia dicitur tenere passuum, paulatim de lato in angustias coarctata, vt pondus imminens facilius à latioribus sustentetur. Describunt ibi templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus, auróque fulgentes, & multa alia, quæ videntur incredibilia.* Hæc Hieronym. quæ licet describat quasi adhuc stantia, omnia tamen in solitudinem redacta, præter muros ibidem testatur[9]. Eiusdem turris, siue arcis imaginem, videbis in noua editione Herodoti, Græco-Latina. c. 14. 22. 9. χ. an. 1592.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 1909.

N. II. 1. HABET quidem quod dixi Epiphanius initio Panarij de Thara, in Turris ædificatione genito, idque, vt valde probabile secutus sum, & confirmaui; sed fateor autoritatem Epiphanij parum esse probabilem, hoc ipso, quod sibi ipsi parum consentiat. Nã versus finem Ancorati, ait Sem genuisse Arphaxad, à quo genitus sit Cainan, & ab eo Sale, ex quo Heber, sub quo facta sit Turris ædificatio. Inde genitus sit Phaleg, cùm facta est linguarum diuisio. Quæ causa etiam est, cur sub initium Panarij dixerit, quinta post diluuium ætate filios Noë in campo Senaaris ædificasse, idémque repetit hæresi 39. Chronicon Alexand. interpretatur quinque generationes post diluuium, ab Arphaxad vsque ad Phaleg; & rectè, sed ei videtur repugnare Epiphanius ipse in eo loco Ancorati. Verùm communis sententia tam diuisionem terræ, quàm diuisionem linguarum refert ad dies Phaleg, Moysen secuta, Gen. 10. 25.

N. V. 2. Regionem pota sumpsisse pro ditione & imperio: Nam Persis, Babylonia, Assyria, diuersæ prouinciæ sunt, vt constat ex Geographicis tabulis Ptolemæi, vide eius tab. 5. Plinius tamen l. 6. c. 26. Mesopotamiam, & Assyriam Babyloniam appellatam fuisse dicit. *Babylon*, inquit, *Chaldæorum gentium caput, diu summam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliqua pars Mesopotamiæ, & Assyriæ Babylonia appellata est, &c.* quæ confirmat Solinus cap. 70.

Nisi malis cum Philostrato dicere, l. 5. c. 6. de vita Apollonij, id antiquos illos de sacrilegis esse commentos. *Ego*, inquit, *Gigantes fuisse dico, multisque locis diruptis tumulis, eiusmodi corpora ostendi, non tamen, vt fertur, cum diis pugnasse credo, sed forsan deorum ædes ac templa violasse. Quod autem cælum aggressi fuerint, nec illic deos consistere permiserint, dicere, insania quadam est, insania etiam credere.* Sic ille. N. XII. 3.

Quod autem de effossis sepulchris tradit, confirmat luculenter Solinus, vbi de Phlegra Macedoniæ c. 14. *Admonet Phlegra, vbi ante-*

quam oppidum fieret, rumor est militia mundi dimicatum cum Gigantibus, & mox, *Illic si quando, vt accidit, nimbis torrentes excitantur, & aucta aquarum pondera rupeis obicibus valentius se in campos ruunt, eluuione ossa etiam nunc feruntur detegi, quæ ad instar sunt corporis humani, sed modo grandiora, quæ ob enormem magnitudinem monstrosi exercitus iactant extitisse, idque adiuuatur argumento saxorum immanium, quibus oppugnatum cœlum crediderunt*. Addo rursum Philostratum in heroicis. *Præterea & in Pallene, quam Poëtæ Phlegram nominant, multa quidem huiusmodi corpora tellus Gigantum, qui illic castrametati sunt continet. multa verò imbres ac terræ motus detegunt. Neque audet pastor circa meridiem in eo loco versari, substrepentibus simulacris, quæ in ipso insaniunt*. Sed de his plus satis.

N. XIII. 4. Ambiguam Septuaginta seniorum vocem, iuuat recentiorum Hebræorum interpretatio, quorum quidam, vt retulit Fagius in c. 10. Gen. in malam partem rem interpretantur, quod scilicet Nemrod tantam tyrannidem exercuerit, vt ne Deum quidem reueritus fuerit: aliis in bonam partem accipientibus, quod Deum sacrificiis, quæ ex feris quas venatu ceperat, illi parauerat, placare studuerit; in quibos est Aben-Ezra.

Ibidem 5. Eugubinus in voce ἐναντίον interpretanda deceptum putat D. Chry. hom. 30. sed ipsemet valde fallitur, decurtans orationem eius. Ad illa enim Scripturæ verba, κυνηγὸς ἐναντίον κυρίου hæc notat. Καὶ τινὲς μέν φασι τὸ ἐναντίον κυρίου, ἀντὶ τοῦ ἀνταγωνιζόμενος τῷ θεῷ. ἐγὼ δὲ οὐχ ἡγοῦμαι τοῦτο αἰνίττεσθαι τὴν θείαν γραφὴν, ἀλλ᾽ ὅτι ἰσχυρός τις ἦν, καὶ ἀνδρεῖος. τὸ δὲ ἐναντίον κυρίου τοῦ θεοῦ, ἀντὶ τοῦ ὑπ᾽ αὐτοῦ προαχθεὶς, &c. *Quidam dicunt hoc coram Domino, id est aduersarius Deo. Ego autem non puto scripturam hoc insinuare, sed quod robustus quis fuerit, & virilis. Et quod dicit coram Domino, hoc est ab ipso constitutus, &c.*

N. XVII. 6. *Ab euentu*, inquit Rupert. *Interpretatur enim*
L. 4 c. 41. *Sennaar excussio dentium, vel fætor eorum* (vtrâque notatio est D. Hieronymi in opusc. de nominibus Hebraicis) *videlicet excussio dentium, id est sermonum siue verborum, quæ sine dentibus non fiunt. Plurimum nanque dentes iuuant ad loquendum, qui tunc illis quodammodo excussi sunt, quando solitam loquendi facultatem, dentati, id est superbi, vel fortes illi perdiderunt. Nihilominus, & rectè dicitur fætor eorum, quia videlicet fætorem superbia eorum, tali ausu vsque ad nares Dei emiserunt*. Hæc ipse.

N. XXII. 7. Non mirum stetisse adhuc temporibos Herodoti, cùm idem Plinius de sua ætate fateatur l. 6. c. 26. *Durat adhuc ibi*, inquit, *Iouis Beli templũ*.

N. eod. 8. Καταγωγή τε, καὶ θῶκοι, id est loca ad interquiescendum reducta, cùm suis sedilibos, quæ illius imago repræsentat.

N. XXXII. 9. Verba Hieronymi hæc sunt. *Si liceret introire barbaras nationes, & videre tanta vrbis extrema vestigia, videremus possessionem herici, & paludes aquarum, & verè completum esse, quod nunc Esaiæ vocibus canitur; Scopabo eam in scopa terens; excepto enim muris coctilibus, qui propter bestias concludendas post annos plurimos instaurantur, omne in medio spatium solitudo est.*

ANNVS MVNDI 1931. DILVVII, ET SECVNDÆ ÆTATIS 275. NOE 875. SEMI 373. ARPHAXAD. 273. CAINAN 238. SALÆ 208. HEBERIS 178. PHALEO 144. REHV 114. SARVG. 82. NACHORIS 52. THARÆ 23.

ANTE CHRISTVM 2122. Gen. 11.

I. *Annus diuisionis linguarum, in mortalium pœnam.*

ADEST iam tempus illud, quo potentium hominum superba atq; inconsulta temeritas, dum vanitatis suæ immortale in terra monumentum relinquere cogitat, infœlici multiplicatione linguarum castigata, & multiplici addiscendorum verborum labore damnata est. Vnde illud etiam exortum est mali, vt homines ex capite vno ac fonte procreati, non locis tantùm & regionibus, quod necesse erat, sed animis quoque cum linguarum separatione sæpenumero disiungerentur. Diuina hæc animaduersio fuit, sed ex Dei eximia patientia, & longanimitate seta. *Lento quippe gradu diuina procedit ira, sed tarditatem, supplicij grauitate compensat*. Sicut ergo diluuio hominum genus tantùm non exterminaturus, ipsos 120. annos denunciat, qui ad pœnitentiam concedantur, centúmque annis arcam in omnium oculis construi iubet. Valer. max.
Ita nunc ex quo diuisio terrarum ipsius iussu facta fuerat in ortu Phaleg, centũ ac viginti annis eóque amplius elapsis, cœperunt homines emigrare ex Armenia; & in Babylonia per otium ædificantes, immemores coloniarum suarum, diuturnas moras trahere; imò, vt Scriptura loquitur, *habitare*, cùm Deus illos inde, vel inuitos expulit, atque distraxit.

II. *In præsens tempus cadit, iuxta Euseb.*

HVNC porro annum huic cladi, qua linguæ vnius commercium, ac commu-

nionem amisimus, assignamus, Eusebij Chronologiam secuti, qui ponit primum annum Abrahæ concurrere cum 43. Nini secundi Assyriorum regis. Is ergo iam duos & quadraginta annos regnauerat. Primus autem Rex Belus, qui & Nemrod, vt postea dicetur, 65. annos eodem Eusebio teste Babylone regnauerat, quos annos si coniunxeris, peruenies ad proximè sequentem annum Assyriorũ primum, quem linguarũ confusio, & familiarum separatio immediatè antecessit. Deinde cùm Abraham natus sit anno patris sui Tharæ 130. vt ex Scriptura probabitur, si ab his annis, Beli & Nini annos sustuleris, ad præsentem, qui est Tharæ 23. peruenies. Rursum ad præsentem annum, qui est diluuij 275. si horum regum annos addideris, peruenies ad 382. in quem annum consentiunt omnes; nisi qui Cainan iuniorem omittunt, & Abrahamum natum septuagesimo patris anno arbitrantur. Quæ duo capita Chronologiam nonaginta annis breuiorem faciunt; quos si addideris, vt addendos arbitramur, & iam ex parte probauimus, emergent 382. anni à diluuio, integri ac completi, & primus Abrahæ erit 383. à diluuio, & 43. Nini, & 108. regni Assyriorum. Subscribit etiam huic sententiæ Torniellus[1] in præsentem diluuij annum, quæ certius etiam ex aliarum refutatione roborabitur. Recténe autem componat Eusebius Abrahamum cum Nino, operosior est, neque necessaria disputatio.

275
65
42
382

1. ℞.

ATQVE in primis illam opinionem infirmari necesse est, quæ diuisionem linguarum reuocat ad ortum Phaleg, in qua fuisse diximus Augustinum in ciuit. Dei, & fere qui diuisionem terrarum à diuisione linguarum non distinxerunt; infirmari, inquam, illa ratione, quæ fatigabat Diuum Augustinum. Cùm enim Scriptura dicat. *Natique sunt Heber filij duo, nomen vni Phaleg, eo quod in diebus eius diuisa sit terra, & nomen fratris eius Iectan.* Et capite sequenti, *Vixit Heber 34. annis, & genuit Phaleg.* Quæro igitur aut Phaleg fuit primogenitus, aut Iectan; si Phaleg, ergo in ortu eius, quo dicuntur diuisæ linguæ, non erant nati 13. illi filij Iectan, qui tamen facti sunt totidem linguarum & familiarum principes, cùm ne pater quidem illorum natus esset. Si autem Iectan fuit primogenitus, vt placet Diuo Augustino, cùm constet ex Scriptura Phaleg natu minorem anno patris 34. natum, oporret Iectam intra illos quatuor & triginta annos nasci, & adolescere, & producere 13. liberos, qui non pueri tunc essent, sed *tam grandes iam familias haberent, vt in linguas proprias diuidi possent, & digna essent nominibus gentium*, vt ait Augustinus. quod tamen intra 34. annos fieri non posse nemo non videt. Nec rectè confugere licet ad Græcorum Chronologiam, quæ semel ab eo in istis ipsis annorum centuriis repudiata est, quibus discrepat ab Hebræis, Latinísque voluminibus, vt patet ex 15. de ciuit. c. 13.

Super anno 1. Phaleg. l. 16. c. 11.

III. Non in ortum Phaleg.

Gen. 10. 25.
Gen. 11. 16.

Deinde si diuisio linguarum contigit in ortu Phaleg, cùm is sit 132. diluuij, constet autem ex Scriptura communíque sententia, Babylonicum regnum cum diuisione linguarum ortum esse, si ad illos 132. annos addideris Beli 65. Nini autem 43. quo natus est Abraham, vt vult Eusebius, sequitur Patriarcham natum anno diluuij, non 292. vt fert plurimorum opinio, sed 240. aut sublato iuniore Cainan 210. quod nemo dixerit. Et prætereа clarum est huic sententiæ minimè fauere Scripturam; non enim ait diuisionem linguarum in ortum, siue in dies Phaleg cadere, sed diuisionem terræ, quæ facta est à Noë, quæ ex natiuo & simplici loquendi modo rectiùs intelligitur, quàm diuisio linguarum, aut familiarum in diuersa loca profectio.

132
65
43
240

ALTERA sententia est Hebræorum; qui cùm viderent non rectè poni diuisionem linguarum in ortu Phaleg: & tamen à Scriptura cogerentur illam referre ad dies Phaleg; primis exclusi, ad postremos dies confugere, in quibus dixerunt diuisionem linguarum contigisse. Eugubinus in annotationibus in Genes. laudat & sequitur librum quendam Cabalæ, quem scriptum putat in illa magna Synodo, cuius caput erat Esdras, qui inscribitur Seder haholam, id est Chronica mundi. Ex quo hæc refert, *Abraham pater noster, quo tempore lingua diuisa sunt, agebat 48. annum. Inuenitur autem Noe post eam diuisionem vixisse decem annos. Dicit autem Rabi Iose, Heber sapientissimum Prophetam fuisse, eo quod filium suum diuino afflatus spiritu vocarit Phaleg, id est diuisionem, quia eo viuente lingua diuisa*

IV. Nec in obitum eius, vt Hebræi volunt.

in c. 10. Gen. fi.

sunt. At Genebrardus, qui eum librum in Latinum vertit, existimat eum annum Domini millesimum antiquitate non superare, vt ex eius præfatione in eum librum patet. Iis autem quæ ab Eugubino recitantur, hæc subdit (siue ex Hebræo Chronologo, siue fortasse de suo. Nam Rabbini nihil probant, sed asserunt tantùm regio more, atque pronunciant.) *Nam scribitur, quia diebus eius diuisa est terra. Non quidem dierum vita eius initio. Nam certè Iectan frater eius natu erat minor, qui tamen tredecim cognationes, siue stirpes, & familiarum capita, quæ in hanc venerunt diuisionem procreauit. Non in medio. Nam id minimè occultasset Mosaica Genesis historia, sed indicasset. Quod ergo ait diebus eius diuisam fuisse terram, ad finem dierum, & vitæ ipsius pertinet.* Hæc ibi. Quæ videtur etiam sensisse Lyranus, & Lipom. in Catena. in 10. Gen

V. *Quorum Chronologia vitiosa est.* NVMERANT Hebræi isti centum & vnum annos à diluuio ad ortum Phaleg, inde 239. vitæ ipsius Phaleg, qui efficiunt 340. quo anno diuisionem linguarum ponunt. Quia verò tradunt Abrahamum natum 292. annis à diluuio, si eos auferas à 340. remanent 48. quos Abrahamo tribuunt hoc tempore. Et quia Scriptura perspicuè tradit, Noë vixisse 350. annis à diluuio, aiunt Noë decem annos huic diuisioni superuixisse. Verùm hæc chronologia duplici ex capite manca est, ex omisso iuniore Caina, & posita natiuitate Abrahæ septuagesimo anno patris sui, quod suo loco refutabimus. Satis etiam intelligitur non satis probatum ab ipsis, diuisionem linguarum sub mediam ætatem Phaleg non contigisse, quia id Moses non indicarit, quasi non multo maiora silentio presserit, tot scilicet Patriarcharum gesta, à Diluuio ad Abrahamum; de quibus nihil præter natiuitatem & generationem retulit. vide annum Abrahæ nonagesimum. an. 1. Abrahæ & 130. Thare. n. 6.

VI. *Refutatur Hebræorum opinio.* PECVLIARITER etiã improbatur ista opinio; ex eo quod constat, vt dixi, & rursum dicetur inferius, in diuisione linguarum natum esse regnum Babylonicum, in quo ante natum Abraham, Belus regnat 65. annis, Ninus autem 42. vt ex Eusebio clarum est, qui eum eiusdem Nini 43. natum scribit, ergo 107. anni reperiuntur à diuisione vsque ad natum Abhraham, nedum Abraham 48. annis vixerit ante illam. Præterea Nemrod siue Belus mortuus est quadraginta tribus annis ante natum Abraham, quippe qui natus est 43. anno Nini successoris eius. Quomodo ergo Belus inchoauerit regnum suum 48. Abrahæ, quo anno fingitur ista linguarum diuisio, quam satis constat cum initio regni Babylonici cohærere. Denique tantùm abest vt Phaleg vixerit 48. annis cum Abrahamo, vt duodecim annis ante ipsum natum mortuus sit, Noë verò triginta duobus.

VII. *Statuitur tempus diuisionis linguarum.* SIT ergo positum diuisionem linguarum, & populorum factam sub medium vitæ Phaleg, id est 144. anno ipsius, diluuij autem 275. & aliis notis, quas in indice siue lemmate anni huius posuimus, quibus positis de re ipsa dicendum est. Cùm autem de constructione ciuitatis & turris, quæ proxima causa fuit diuisionis linguarum, in primo anno Thare dictum fuerit, sequitur vt de confusione ipsa, & hominum dispersione in vniuersas terras, qui est eiusdem confusionis effectus, dicamus.

VIII. *Ea pœna consentanea diuinæ bonitati, ac sapientiæ.* ET primum quàm iusta fuit hæc pœna, architectis istis inflicta, & quàm consentanea diuinæ bonitati ac sapientiæ. Quæ enim à parente pœna suauior expectari possit in liberos minus dictis suis audientes quam sine cædibus, sine mutilatione & plagis, sine iracunda dissipatione laboriosi operis, atque adeo sine obiurgatione & querela adigere ad obtemperandum, nouásque colonias deducendas; quæ coloniæ essent, si volentes abibant, aut varia exilia, ac deportationes, si inuiti. Quod si hæc eorum culpa vanitas fuit; non enim satis probabilia narrant, qui hanc substructionis insaniam, à culpa purgare moliuntur, vt videre est apud Tostatum. Sciebant enim iampridem sibi à communi parente Noë diuinitus imperatum, vt in destinatas sibi prouincias proficiscerentur. in c. 11. q. 8. & 9. Itaque in mora erant, & in culpa, quæ ex diuturna ista ciuitatis & turris Deo non grata molitione crescebat. Si ergo hæc culpa vanitas fuit, nónne sapienter opus vanitatis, & inops solidæ gloriæ, præter Dei voluntatem susceptum, infirmitate sua, Deo non sustentante contabescit? Si superbæ mentis elatio, nón-

ne

ne confusione expianda fuit; ne superbè vnquã gloriosi isti iactare possent opus, quod imperfectũ irrisi, confusique reliquissent. *Quoniã dominatio imperantis in lingua est*, inquit Aug. *ibi damnata est superbia; vt non intelligeretur iubens homini, qui noluit intelligere, vt obediret Deo iubenti.* Si odium Dei hanc arcem erigebat aduersus Deum, nónne exarmandi erant inimici, nónne ex ipsa arce exigendi? & impia coniuratio animorum, iusta linguarum dissensione castiganda. Vnde Claudius Marius Victor.

l. 16. de ciu. c. 4. — *l. 3. in Gen.*

Vt quod peccarunt concordis crimine mentis,
Confusa damnet melior discordia lingua.

Vide Prosper. Aquit. de vocat. gentium. *l. 2. c. 4.*

IX. *Cur linguarum confusio, seu diuisio dicatur.*

SED age quæ fuit ista linguarum confusio, quomodo facta, quàm multiplex. Nam Philo in libro de confusione linguarum, dum historiam suo more, in tropologiam conatur vertere, negat confusionem vllam contigisse linguarum, sed diuisionem. Nam Hebræa, quæ iam erat, in sua puritate & integritate perstitit; aliæ quæ tum primum natæ sunt, confusæ non fuerunt, antequam essent. An in linguis confusio non fuit, sed in hominibus propter repentinam exorientium linguarum varietatem, vt Pererio placet. An confusio linguarum siue permixtio idiomatum fuit, dum in eodem opere diuersarum familiarum homines versarentur, & mutatis repente linguis, vnus sermo vel Dialogus efficeretur, in quo Hebræa, Græca, Latina, Germanica, Polonica vocabula mixta, confusáque reperirentur; quorum nonnulla singuli intelligerent, nemo vniuersa. Sicque fieret, vt *nemo audiret vocem proximi sui*, id est, alter alterum intelligere non posset, vt Lyrano quoque videtur. Annon etiam diuisio linguarum rectè dicitur, quandoquidem pro ratione diuersarum linguarum, à se inuicem diuisi sunt homines, qui lingua vtebantur?

l. 16. n. 134.

X. *Quomodo facta sit, & quorum opera.*

QVO modo facta sit explicat Tostatus in cap. 11. Genes. ex quo Perer. Dico breuiter inductam primum diuinitus in omnibus familiis obliuionem natiuæ linguæ, id est Hebraicæ, prætetquam in Heber, & Phaleg, in quibus illa inuiolata permansit: tum insertam, infusámque nouam linguam omnibus familiis, prout olim infusa fuerat Adamo, & vxori eius; adeo vt illam non minus haberent in promptu, quam si eam cum nutricis lacte didicissent. Ministerio porro Angelorum id factum fuisse scribit Origenes, eorum scilicet, qui illorum populorum Rectores futuri erant; ad quos illa Dei dirigatur oratio: *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Nec tamen ait, Ite, descendite, & confundite, vt præsens intelligatur angelis operantibus, tanquam præcipuus operans, vt obseruauit Caietanus. S. quoque Epiphan. hanc linguarum multiplicationem diuinæ inspirationi semel, iterúmque attribuit.

q. 11. l. 16. n. 135. 136. — *hom. 11. in 18. Numer.* — *hæresi 39.*

XI. *Non humana industria.*

NEC sanè humana industria fieri potuisse quodlibet integrum idioma; ex iis etiam quæ de Adami lingua supra cum Abulensi diximus, facile intelligi potest. Sed audi Claud. Marium hanc rem eleganti carmine concinentem.

in die mundi sexto n. 83. & 84. &c.

Dixit, & intentos operi, molémque leuantes
Mentibus attonitis, subiecta obliuio primum
Intrat, & ignotæ subit imperfectio linguæ,
Increpitant operis, studio cessante, magistri
Cunctantes socios, sed vocem nemo remittit
Non intellectus, quod si quis tentat, inane
Sibilat, aut rupti fremitu sermonis anhelat.
Sic vanum praua susceptum mente laborem
Destituit frustrata manus, iam nemo propinquum,
Nemo patrem sequitur, quem quisque intelligit, addit,
Agglomerátque sibi, sociúmque adiungere curat.
Dumque perit diuisa huius cognatio gentis,
Gentem lingua facit, sparguntur classibus aquis,
Diductásque petunt vario sub sydere terras.

XII. *Diuisio facta secundum familias, non secundum linguas.*

ITA Marius Poëta, in cuius carmine illud non satis probabile, ignotæ linguæ imperfectionem subiisse: perfectam quippe infusam ab eo, cuius perfecta sunt opera, credibilius est; neque enim eam humana industria paulatim comparatunt. Nec illud item quod ait, *Gentem lingua facit*, & quod eodem redit, *Nemo propin-*

quum, Nemo patrem sequitur. Communis enim sententia est linguas secundum familias à Domino fuisse distributas; non ex linguis familias. Idque docet Moses cùm agit de filiis Iapheth. *Ab his,* inquit, *diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundum linguam suam, & familias suas in nationibus suis,* quasi dicat non solùm secundum linguas, sed etiam secundum familias. Ita etiam de filis Cham ait, *Hi sunt filij Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus, terrisque & gentibus suis.* Eodem denique modo filios Sem *secundum cognationes & linguas,* & non tantùm secundum linguas distribuit. Quod si nemo patrem sequeretur, quomodo posset vlla familia coalescere? Quamquam facilè est explicare Poëtam, *Nemo patrem sequitur,* quatenus scilicet patrem, sed quatenus eiusdem linguæ societate coniunctum.

c.10.5. c.10.20. & 31.

Quod porro dictum est, *Confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui,* absurdum esset de singulis interpretati, quasi quisque linguam huiusmodi loqueretur, quam nemo omnium præter ipsum intelligeret. Id enim esset non Septuaginta duas linguas, sed quingenta millia linguarum introducere; idque valuisset non ad multiplicandos hominum cœtus & ciuitates, sed ad omnes à se inuicem distrahendos. Mens ergo Moysis est, factum esse, vt vnusquisque non intelligat omnes, vt antè solebat, sed alij alios intelligant, puta qui sunt eiusdem familiæ, alios non intelligant, qui fuerint diuersæ. Per familias ergo distinctæ sunt linguæ, vt inter eos remaneret societas, inter quos linguæ communicatio seruata esset.

XIII. *Numerus linguarum, ex Augustino.*

SEQVITVR vt aliquid de numero linguarum dicamus. Quem Scriptura nusquam prodit, sed cum D. Augustinus, S. Epiphanius, aliiq. sancti Patres ex numero familiarum Noë à Moyse commemoratarum colligunt. Ex familia Iaphet, 15. ex progenie Cham, vnam & triginta: Ex stirpe Sem, viginti septem. *In summa igitur,* inquit August. *omnes progenies de tribus filiis Noe sunt septuaginta tres; vel potius, quod postea demonstrabitur, septuaginta duas gentes tunc fuisse colligitur, non homines.* Quod se demonstraturum promittit, exequitur cap. 11. sequenti, vbi ait vnam tantùm fuisse linguam Heberis & Phaleg filij eius. nimirum Hebræam quæ erat ante omnium communis, nec tamen fuisse omissum Phaleg, licet omittantur qui gentium, & linguarum principes non fuerunt, propter tempus insigni euentu notatum, *Quia in diebus eius terra diuisa est.* Priore autem illo loco subdit, *Propterea ergo multorum filij non sunt commemorati, quia gentibus aliis nascendo accesserunt; ipsi autem gentes facere nequiuerunt. Nam qua alia causa cùm filij Iaphet octo numerentur, ex duobus eorum tantùm filij nati commemorantur. Et cùm filij Cham quatuor nominentur, ex tribus tantum, qui nati sunt adiiciuntur. Et cùm filij Sem nominentur sex, duorum tantùm posteritas adtexitur: nunquid cæteri sine filiis remanserunt? Absit hoc credere. Sed gentes propter quas commemorari digni essent, non vtique fecerunt, quia sicut nascebantur aliis gentibus addebantur.* Ita D. August.

l.16 c.3. de ciu. & hæresi 39. & alibi.
15
31
27
73

XIV. *Ex Eusebio, & Epiphanio.*

EVNDEM numerum agnoscit Eusebius lib. 1. Chronol. Græcæ, vbi enumeratis omnibus prouinciis filiorum Noë ὁμοῦ, inquit, ἔθνη OB. ἑβδομήκοντα δύο. & Epiphanius. *Ergo illi,* inquit, *Turrim & Babylonem ædificant. Sed diuino numini de insana illa molitione displicuit, ideóque dissipatis illorum linguis, septuaginta duas ex vna fecit, pro hominum numero, qui illo tempore repertus est, vnde & Meropes à vocis diuisione nuncupati.* Caue putes non fuisse tunc nisi duos & Septuaginta viros, sed tot numerosarum familiarum principes, quos paulò antè ἀρχηγέτας & κεφαλαιώτας appellarat. Idémque repetit hæresi 39. vbi de genere Cham ponit duces 32. de stirpe Sem quindecim, de Iapheth viginti quinque, vbi totus numerus idem est, partiales non iidem. Nec item existimes vnam linguam materiam, & quasi semen fuisse, ex qua corrupta septuaginta duæ nascerentur: Nam Hebræa, vt diximus, integra mansit, aliæ nouæ natæ sunt; sed perinde est ac si diceret, pro vna natas esse septuaginta duas. Vide etiam Chron. Alexandrinum Græco-Lat. quod cum Epiphanio sentit.

Quem vide etiam l. 16. c 6 in fi nit. Panar.
32
15
25
72

XV. *Et Prospero Aquit.*

ADDAM & Prosperum Aquitanicum, qui eleganter etiam causam huius confusionis, & multiplicitatis linguarum depingit. *Iam verò,* inquit, *procurrente humanæ propagationis augmento, cum ipsa mortalium numerositas de suis multiplicationibus superbiret, & secundum elationis suæ altitudinem, cælo cuperet*

2. p. 17 & 73. l. 2. de voca. gent. c. 4.

molem immodica constructionis inferere, quam mirabilis ad cohibendam hanc insolentiam fuit diuina censura iustitia? quæ omnem illorum populorum loquelam, notis sibi inuicem significationibus consonantem, Septuaginta & duarum linguarum varietate confudit; vt, & inter dissonas voces operantium pereunte concordia, insana molitionis machina solueretur; & habitando orbi terrarum daret incolas male congregationis opportuna dispersio. Denique in
l. 16. n. 140. & seqq. eundem numerum plerique omnes antiqui consentiunt. Vide Pererium, qui in
hanc sententiam etiam Hieronymum, Arnobium, & Origenem citat. quibus Beda de sex ætat. Marianus Scotus, aliique addi possunt, præsertim Chronicum Alexandr. qui eas omnes enumerat.

p. 71: l. 16. n. 148. & seqq. CÆTERVM contra hunc numerum dubia mouet Peret. partim ex dispa- XVI. *Qua dubium hunc numerum faciant.*
1. ri personarum numero, qui in Græcis, Latinísque codicibus reperitur: Græci
enim Latinos tribus personis, siue familiis excedunt, & addendo Cainan, etiam
quatuor. Partim quia non videntur patres seorsim à filiis numerandi, quasi diuer-
2. sas ab iis linguas habuerint, quoniam patres non potuerunt habere familias, nisi
3. per filios. Quod si patres seorsim à filiis oumerentur, quasi linguas suas seorsim
ac familias habuerint, prædicto oumero addendi erunt Sem, Cham, & Iaphet,
4. imò & ipse Noë; & sic numerus linguarum ad sex & Septuaginta excrescet. Partim denique quia aliquorum filiorum Sem, Chã, & Iaphet nulli filij, siue posteri
recensentur: In progenie Iapheth quinque, in Cham duo, in Sem quatuor omittuntur; de quibus nihil certi dici possit, vnicámne singuli gentem, an nullam, an
plures produxerint, & cum gentibus linguas distinctas. Et sic numerus hic multum semper variabitur, & incertus reddetur.

NIHILOMINVS Septuaginta duarum linguarum oumetus retinendus vi- XVII. *Iis satisfit.*
detur, qui non leue habet in Mosis narratione fundamentum; cùm in singulis
familiis trium filiorum Noë, semper linguæ cùm familiis distinctæ reperiantur:
familias autem tam multi antiqui, recentioresque Doctores Septuaginta duas
1. agnouerint: & hæ obiectiones solui posse videantur. Dicemus enim diuersum
quidem repetiri numerum in Hebraicis, Græcísque libris, sed eorum, qui adduntur à Græcis, neque linguas, neque familias fuisse diuersas; propereáque à
2. Moyse hoc loco prætermissos. Secundæ obiectioni satisfieri potest si dixerimus,
patres quidem non potuisse habere familias nisi per filios; potuisse tamen habere
per alios ab iis, qui in textu decimi cap. recensentur, & per eos diuersas consti-
3. tuere familias. Tertiæ non improbabiliter respondetur, quatuor istos quasi segregatos à cæteris, & eximios, non habuisse singulares linguas, sed præter communem, quam retinuerunt, etiam iis linguis donatos fuisse, quæ in familiis à se ortis reperiebantur; vt singulis monita salutis dare possent, & ad quam liberet fa-
in hunc an. n. 17. miliam se transferre. Quod sentit etiam Torniellus. Ad postremum dicimus
eos, quibus filij non attribuuntur, singulas duntaxat fecisse familias: quibus
4. singulæ datæ fuot linguæ; ideóque posterorum peculiarem distinctionem ne-
l. 16. decl. c. 5. cessariam non fuisse. Quæ mens est D. Augustini; cuius verba paulò antè retulimus.

HAC ergo linguarum confusione, & hominum perturbatione inducta, XVIII. *Cessat ædificatio, & quid turri factum.*

Non cœpta assurgunt turres, non arma iuuentus
4. Æneid. *Exercet, portúsve, aut propugnacula bello*
Tuta parant, pendent opera interrupta, minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cœlo.

Nominatim autem Turrim, non solùm ab Architectis relictam, sed diuinitus
l. 1. ant. c. 4. etiam disiectam, plerique antiqui prodidere. Iosephus ex Sibylla refert Deos
Turrim procellis immissis subuertisse, & suam cuique linguam dedisse, verùm
lib. 3. Sibyllinorum versuum hæc leguntur inter alia.

Flatibus, at venti magnam sublime ferentes
Turrim iecerunt, & litem conciliarunt
Inter eos, vrbemque ideo Babylone vocarunt.
Sed postquam cecidit turris, linguæque fuerunt
Vocibus inter se diuersis, terra deinceps
Tota replebatur diuisis regibus.-- quot scilicet coloniis,

Nemrode auspice, vt dicetur anno sequenti. Epiphan. quoque initio Panarij ait

Deum non solùm hominum diuisisse linguas, vnde & meropes dicti fuerint, sed turrim etiam ventorum impetu euertisse. Abydenus qui res Medicas & Assyrias scripsit, apud Eusebium de Præparatione hæc habet. *Primos homines ferunt è terra natos, robore & magnitudine confisos, diis spretis turrim in eo loco, vbi nunc Babylon est, ad Solem vsque tollere contendisse. Cúmque iam fere ad cœlum ædificando peruenissent, vim ventorum diis affuisse, qua super eos diruta turris cecidit.* Et infrà apud eundem hæc ex Eupolemone. *Ciuitas*, inquit, *Babylon ab iis condita primùm fuerat, qui à diluuio euaserunt, quos omnes Gigantes fuisse constat, sparsos per vniuersam terram, postquam turris quam ædificabant diuinitus concussa decidit.* Et hinc fortè Tertullianus contra Praxean; *Filius itaque est, qui ab initio iudicauit, turrim superbissimam elidens, linguásque dispergens.* l.9.c.4. c.16.

XIX. *An euersa fuerit.* VERVM hæc parum firma sunt, hoc ipso quod à Moyse non confirmantur. Vnus aliquis eorum quos retuli, eam euersionem, vt videbatur, admodum iustam, atque probabilem, excogitauit; quem reliqui postea sunt secuti. Cùm tamen hæc nisi à Moyse scire non potuissent. In cuius scriptis obscurè tantùm significatur, eos ab opere destitisse, impedimento linguarum iniecto. *Cœperunt*, inquiebat Dominus, *hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant*; nimirum nisi impediero; sicut & fecit.

Quod si quæras cur Nemrod, qui post dispersas reliquas gentes Babylone substitit, cum popularibus suis, intermissum opus non redintegrarit. Respondeo cũ Pererio, aut opus fuisse maius, quàm vt à tã paucis hominibus perfici posset: aut potius homines præsentis prodigij magnitudine, atque insolentia deterritos, ausos non fuisse opus imperfectum absoluere; ne diuinitus grauiori aliqua pœna mulctarentur. Vacasse autem ædificationem per annos fermè centum, videlicet vsque ad Semiramidem; quæ inchoatam ciuitatem Babel incredibili magnificentia, ac magnitudine absoluit. Turrim verò illam nequaquam altius extulit, sed mirificè ornatam, in templo, quod Belo consecrabat, inclusit, vt ex Herodoti Clio paulò antè retulimus. l.16.n.106. l.1.histor. an.m.1909. sub fi.

XX. *De dispersione mortalium.* SEQVITVR vt de dispersione mortalium in varias terras agamus, quas non temerè aditas aut vsurpatas, sed ex sortibus diuina voluntate distributis, ex primo anno Phaleg intelligitur. Hoc autem tempore inducta confusione linguarũ, quò quemque sors & Deus tulit, eam terram familiarum principes cum suis occuparunt, vt ait Iosephus; Iaphet Europam, & quæ illi ex Asia adiecta sunt; Chã Africam, & Syriam; Sem reliquam Asiam: iuxta generalem distributionem, quam eodem loco ex Iosepho retulimus. Quod hoc loco exactius ex Scriptura intelligetur. Spinosam porro in barbaris vocabulis disputationem, & magna ex parte corruptis, vtilitas, Deo fauente, compensabit. multa enim Scripturæ loca, præsertim apud Prophetas, hine nonnullam lucem accipere possunt; cui vt seruiamus, ordinem familiarum à Moyse positum, ipsorúmque principum ab eo nominatorum sequemur [3]. l.1.antiq. c.5. 3. x.

FAMILIA IAPHETI.

XXI. *Familia Iapheth. an 8. filiorum.* VT ergo à familia Iapheti ducamus initium, quem plerique omnes Iaphetum Promethei patrem iampridem ab Ethnicis celebratum arbitrantur; & à quo exorsus [illegible] Moyses, non tanquam à primogenito, vt primo anno Semi docuimus: sed quia in eo terminarat præcedens caput, agens de filiis Noë, & ad extremum Semi progeniem reseruare voluit; quod omnis de ea sequens historia subtexenda erat, vt Pererio placet; aut fortè quia minimam, numero linguarum & principum, primam expedire voluit. Aut denique illi primum locum dare voluit, ex qua maxima pars electorum colligenda erat [4]. l.15 n 8 & Beroaldo. 4. x.

Numerus porro familiæ huius, non idem est in Hebræis, Latinisque codicibus; & omnibus Græcis; nam in illis Iaphet septem habet liberos, quem numerum retinet Chaldæa Paraphrasis. Iosephus l. 1. c. 6. Hierony. in tradit. Hebraicis. In his octauus additur Elisa nomine, & agnoscitur ab Augustino, hoc ipso quod agnoscit octo filios Iaphet, totidem agnoscit, atque adeo nominat Euseb. initio Chronol. sicut & Chron. Alexand. Censeri autem debet omissus à Moyse, cum aliis multis, quod caput gentis alicuius non fuerit, neque peculiari lingua distinctus, vt ex Augustino diximus. tam in 10. Gen quam 1.paral.1. l 19 de ciu. c.3. c.13.

l. 1. c. 6. c. 38. 6. in trad. Hebr. in 10. Gen 5. 2.

Primvs ergo eſt Gomer. *Quos*, inquit Ioſephus, *nunc Græci Galatas vocitant, Gomarenſes olim dictos Gomar condidit.* Ezechiel Gomeritas inter populos aquilonares ponit, Aquilonares, inquã, Iudæis, in quorũ perniciem illi arma dicuntur ſumpturi. Eos ibi Vatabl. & Sà Galatas interpretantur, & ante eos Hieron. & Procop. Gazæus, Euſeb. l. 1. Chron. Græci, eum Cappadocum parentem facit[1]. Verùm Arias Montanus in Phaleg, eos ad Cimmerios relegat. Ait enim Gomeris filios eos eſſe, qui dicuntur à Mela Comari; ab aliis Cimmerij, ſiue Cimbri, non repugnante Merula. Si placet vtróſque conciliare, dicemus filios Gomer primo Galatiam occupaſſe; deinde abundante multitudine pontum Euxinum, cuius ſunt accolæ, traieciſſe, & in Cymmeriis ſedem fixiſſe. Nam ab ipſo initio aditas fuiſſe regiones cœlo ſolóque rigentes, aut etiam diuinitus aſſignatas, parum credibile eſt. Comaros Ptolem. inter Sacas collocat; nec puto ab eo diſſentire Melam, qui in deſcriptione Aſiæ Comaros, ſicut & Maſſagetas, ponit ſuper ſinum Caſpium; id eſt vltra mare Caſpium ad Orientem; quæ regio ſine controuerſia ad Semi ſortem pertinet, non Iapheti.

XXII. *Gomer parens Galatarum, & Cimmeriorum.*

Aſiæ tab. 7. & l. 6. c. 13.

l. 1. ant. c. 6. in trad.

Secvndvs in filiis Iaphet eſt Magog. De quo Ioſephus, *Magog, ſiue Magoges, Magogarum à ſe denominatorum fuit author, qui ab ipſis vocantur Scythæ.* Eum ſequuntur Hieronym. & Procop. Arias autem vult eſſe Maſſagetas, & Getas, permodicam vocabulorum ſimilitudinem ſecutus. Cui etiam obiici poteſt idem quod de Comaris dicebamus. Beroaldus, cui Merula ſubſcribit, magno verborum apparatu vult Magog eſſe populum Cæle-Syriæ, fauente ſine dubio Plinio in deſcriptione Syriæ, vbi Bambycem, quæ alio nomine dicitur Hierapolis, à Syris Magog appellari dicit. Sed huic expoſitioni obeſt, primò, quod gentem aliquam aut nationem quærimus; non oppidum vnum, & quidem non magnum, certè non admodum celebre, vt patet ex Ptolemæo, & Ortelio. Secundò autem, quod Syria extra ſortem Iapheti fuit; ſiue Ioſephi, ſiue Epiphanij partitionem ſequare. Nam Syriam ille tribuit Chamo, iſte Semo. Chronicon Alexandrinum ex Magog deducit Aquitanos, Euſebius Celtas ſiue Galatas. Additque author eſſe qui dicant, ex Magog Gothos, Sarmatas & Scythas eſſe oriundos. Scythas ergo potiùs cum prima ſententia intellexerim, ſed Europæos, de quibus multa Herodotus l. 4. Qui eos ad Boſphorum Cimmerium collocat; à Maſſagetis tamen eo profectos ſcribit. Verùm innumeræ gentes nomine Scytharum continentur, vt ex Plinio, Ptolemæo, Herodoto, Strabone, & aliis apud Ortelium leges. Eorum duo ſunt ſumma genera, alij quippe Europæi ſunt, de quibus agimus, alij Aſiani. Et vtróſque Tanais, & Mæoris palus determinant.

XXIII. *Magog. Scytharum Europæorũ.*

l. 5. c. 23. Aſiæ tab. 4. in theſauro Geogr. in eodem Chron. Al.

in trad. Hebr. in c. 10. l. 9. Orig. c. 2.

Tertivs eſt Madai, à quo Medos prognatos, & denominatos dici magno conſenſu video. *Ab hoc*, inquit Ioſephus, *Madai deſcendunt, Græcis Medi*, quem ſequuntur Hieronymus, Procopius, Iſidorus.

XXIV. *Madai parens Medorum in Macedonia.*

n. 28.

Et recentiores Lyranus, Toſtatus, Eugubinus, Lipomanus, Pererius, qui & ipſe communem in eo conſenſum agnoſcit, Arias Montanus in Phaleg. Torniellus in hunc annum, Del Rio, Emanuel Sà, & ex Allophylis, Beroaldus, Merula, Brougtonus. A quibus omnibus penè pudet diſſentire. Diſſentiendum tamen eſt, niſi velimus à conſtituta iam partitione diſcedere, & Iapheti filiis, quæ ad Semum pertinent attribuere, & in tot regionibus Semitarum, vnam Iapheticam inſerere, ac penè per vim intrudere. Quid ſi Medos intelligamus, non Aſianos illos Caſpio mari ſubiectos, Hircanis, Parthis, Perſis, Aſſyrus, Armeniſque conterminos, ex Ptolemæi tabulis. Sed Medos Thraciæ populos, Macedonibus vicinos? De quibus Ptolemæus in Europæ tabulis, & lib. 3. c. 11. *Verſus Macedoniam autem*, inquit, *& Aegæum mare ſimiliter præturæ* (στρατηγίαι) *ſunt Medica, Droſica, Cæletica*, &c. Fauet huic noſtræ opinioni, primò ſitus, in Europa enim Iapheto debita ſita eſt; deinde ſcriptio, habet enim diphthongum, vt propiùs accedat ad Hebræum Madai מָדַי quam Medi, ſiue μῆδοι, & Euſebius in Chronico Alexand. pro Madai, habet, μοίδαι, cum diphthongo, οι pro αι, quam exigit hæc dictio, vt notauit Ortelius in theſauro Georg. Præterea probabile eſt fratres fratribus vicinos eſſe maluiſſe, quàm remotiſſimos. Vnus ergo regiones vicinas Boſphoro Thracio, alter Cimmerio occuparit, præſertim ſi illic quoque aliquos de Gomeri filiis collo-

tab. 5. Aſiæ. tab. 9. p. 58. in theſ. Geogr.

cemus, vt antè diximus. Fateor quidem scripturam sacram, quæ huius Mediæ non meminit, illi Mediæ Asiaticæ nomen Madai tribuere, sed non est infrequens idem nomen diuersissimis populis conuenire; multæ enim sunt Alexandriæ, & Antiochiæ, & Seleuciæ. Multas quoque regiones ac prouincias cognomines suggeret Ortelius in Thesauro. Chronicum Alexandrinum ab hoc Madai Britannos deducit. Causa mihi ignota.

XXV. *Iauã princeps Ionum & cæterorum Græcorum.*

QVARTVS est Iauan, Hebræis יון Septuag. ἰωύαν, à quo Ionia, totúmque Græcorum genus, vt ait Ioseph. verso scilicet υ in ι[6]. Qua de notatione Septuaginta Interpretes nos dubitare non sinunt, qui passim Hebræum Iauan vertunt Ἑλλάδα, Hieronym. Græciam. De toto Græcorum genere consentit etiam Iosepho Hieronymus, in trad. *Iauan*, inquit, *Iones, qui & Græci, vnde & mare Ionium*[7]. Euseb. Græcus, Ἰωυὰν ἐξ οὗ Ἕλληνες, οἱ καὶ Ἴωνες. ex quo fortè Hieronym. (Lib. 6. Daniel. 8. 21 & 10. 20. c. 11. 2. Zachar. 9. 13. Ioel 3. 6. vel 11. Esa. 66. 19. Ezech. 27. 13.)

Est autem Ionia in ora minoris Asiæ, sicut & Æolis, siue Æolia: vnde facilis traiectus in Græciam fuit. Quamuis autem Athenienses se αὐτόχθονας & primos hominum gloriarentur, ab Ionibus tamen profectos; qui ex Asia in Græciam venerint, aliqui ex Hecatæo apud Strabonem referunt. Verùm non minùs è re nostra est communis sententia Pausaniæ, & Tertulliani in lib. de Pallio, qui Atheniensium coloniam Nileo Duce in Asiam profectam, Miletum tenuisse, & prouinciam Ioniam vocasse aiunt, & Strabonis, qui initio l. 8. ait Ionicam eandem esse cum antiqua Attica, & priscos Atticos Ionum nomen gessisse. Indéque ortos Iones, qui colonias in Asiam deduxere. Quamuis enim demus Iones ex Attica in Asiam minorem profectos, in regionem tamen maiorum suorum migrasse dicendum est, & à principio ipsos Athenienses Iones fuisse, & Ionum nomine appellatos, quod in ea regione Iauan, siue Iouan parentis missu consedisset, Ægeo mari cum prædictis fratribus traiecto. Huc pertinet quod Strabo ait Athenienses ab Homero dici [8] Ἰάονας, quæ vox magis exprimit originem suam, quàm nomen Ionum inde contractum. Quod si Attica ab Ionibus est, multo magis cætera Græcia, quæ Athenis facilè de antiquitate concedit. (6. ✠. 7. ✠. l. 9. Geogr. l. 7. init. c. 2. n. 39. l. 9. init. 8. ✠.)

XXVI. *Thubal author Hispanorum.*

SEQVITVR Thubal, ordine quintus[9], quem Hebræi vocant תובל Septuaginta Θοβέλ, sicut & Iosephus. *Quin & Thobelus*, inquit, *Thobelis sedem dedit, qui nunc sunt Iberi*. Hieronym. *Thubal Iberi, qui & Hispani, à quibus Celtiberi*. Licet quidam Italos suspicentur. Arias Montanus in Phaleg ait constantem esse Hispanis famam Thubal fuisse primum illius regionis cultorem; qua de re pluribus agit Villalpãd. Del Rio, & Abulensis. Plinius quidem ait ab Ibero flumine vniuersam Hispaniam à Græcis Iberiam appellatam, sed ea posterior denominatio est, vt significat Iosephus, cuius sententiæ vt parum fauet etymon, Thubalæi enim potiùs quàm Iberi dicendi essent: ita sententia apud Ezechielem nonnihil fauet; nam inter institores, qui metalla deuehebant Tyrum, numerat Carthaginenses, Græciam, Thubal, Mosoch. At ex Scriptura, & Geographis constat Hispaniam metallis abundasse. Nec credibile est per Thubal & Mosoch intelligi vicinos populos, cũ ad laudem Tyri pertineat è disiunctissimis locis habere negotiatores. Placet autem magis Iberos occiduos, & Europæos intelligere, quàm Aquilonares Asianos, qui inter mare Euxinum, & Caspium viuunt, cùm illi ad sortem Iapheth pertineant; isti in Semi possessionem venerint, quæ etiam causa est cur Thubalæos circa Arabiam & Syriam ponere cum Beroaldo & Merula non placeat, quod tota illa regio ad filios Chami pertinuerit[10]. (9. ✠. in c. 27. Ezech. 10. 10. Gen. l. 3. 23. c. 27. 13.)

XXVII. *Mosoch caput Cappadocũmne.*

SEXTVS filius Iaphet appellatur Mosoch, siue, vt nunc legitur, mutatis punctis, משך *meschec*, quo modo etiam legisse videtur Iosephus. at priore modo legit Hieronymus in editione vulgata, & Septuag. & Euseb. l. 1. Chron. & Chronic. Alexandrinum. *Meschini*, inquit Iosephus, *à Mescho authore appellantur. Cappadocum enim appellatio noua est, veteris autem vestigium adhuc superest. Vrbs enim est apud eos hodie quoque Mazaca, satis indicans intelligere volenti, hoc primum fuisse genti nomen*. Eam vrbem agnoscit Ptolem. quam & Cæsaræã vocat, DD. Basilio & Gregorio Nazianzeno nobilitatam, quòd ei nomen Cappadoces in honorem Augusti Cæsaris dedere, vt ait Sex. Rufus. Sicut Herodes turrim Stratonis in eiusdem honorem, magnificè ornatam Cæsaream dixit, quæ ad differentiam dicitur Palestinæ. Hæc est ergo prima sententia, quæ Mosoch Cappadocum principem facit, quæ Hie- (apud. Scal. p. 12. l. 5 c. 6 & in Asiæ tab. 1.)

ronymo non improbatur, obiicit tamen Septuaginta, qui Cappadoces alios faciunt, Iosephum tamen sequitur Procopius. Mazacam in Cappadocia celebrat Solinus, c. 57. & matrem vrbium vocat.

XXXIII. *An Arabum.*

Psal. 120.

ALTERA est Beroaldi, qui non negligenter in hoc argumento laborauit, tribuitque hoc nomen populis vicinis Syriæ, & Arabiæ, eo nixus loco Psalmi. *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar.* Cùm in Hebræo sit, *Heu mihi, quia peregrinor inter Mesech, & ago in tentoriis Cedar.* Et paraphrastes, *Peregrinatus sum cum Asianis, habitaui cum tabernaculis Arabum.* Ex quo ille colligit populos Mesech, siue Mosoch, vicinos esse Arabibus Cedarenis. Simúlque Septuaginta, & vulgatam vitiosæ interpretationis arguit. Sed perperam. *Nam incolatus meus prolongatus est,* idem est quod, peregrinatio mea facta esse diuturnior, vel ad verbum ex Hebræo, quia peregrinatus sum (in) longitudine; siue longo tempore, vt Genebrard. interpretatur. Chrysost. ἐν μακρισμῷ. Cui consenrit versio Hieronymi, & Vatabl. Etsi enim vox Mesech gentis proprium est, appellatiuè tamen protractionem significat, fit enim à radice משך quod est protrahere. Deinde vt maximè sit gentis nomen, certè Iosephus Gorionides in Thesauro Pagnini scribit esse Thusciam, siue Hetruriam, quod fatetur etiam Vatablus.

XXIX. *An potiùs Moschorū.*

120. c. 7.

TERTIA sententia communior ac probabilior est, à Mosoch inhabitatam Moschiam, siue Moschouiam, & ab eo denominatam. Ita Genebrardus in Psal. & Arias Montanus in Phaleg. Mercerius in Thesauro Pagnini, in radice Masach, quod est trahere, quasi voces hos populos tractores arcuum; quoniam & ab antiquo, & nunc quoque arcubus vtantur. quo etiam pertinet illa altera Chrysostomi paraphrasis in eum psalmi 120. locum, ὤμοι, ὅτι παροικίαν παρείλκυσα, Hei mihi quia protraxi incolatum. Refutat ergo ille Symmystam suum, cùm ait Dauidem hanc appellationem transferre ad populum suum, vel ad eum apud quem agebat exul, quod duri essent, & inhumani, vt Scythæ; quam ob causam & Cedarenos appellat, ex quo patet nihili esse argumentum Beroaldi, quamuis probatum Merulæ. Contra quos etiam facit quod Syria, & cæteræ deinceps regiones ad meridiem, ad Chami sortem pertinuerunt[u].

l. 3. c. 14. u. χ.

XXX. *Thiras origo Thracū.*

l. 9. c. 2. c. 7. l. 15. n. 29.

RELIQVVS est Thiras in filiis Iaphet, qui populos, quorum fuit princeps, Thiras vocauit, *Sed eos Græci Thraces dicere maluerunt,* vt ait Iosephus. Cui consentit Hieronym. in tradit. & ex eo Isidorus, & ante vtrúmque Euseb. l. 1. Chron. Arias Montanus in Phaleg. Perer. in hunc locum. Et Abulensis in 10. Gen. aliiq; recentiores. Fauet notatio nominis, vt à Thira Thiraces, & inde Thraces, vel vt Poëtæ aliqui θρῆκες. Fauet & vicinia fratris Madai, ex superiore loco, & Iauan ex inferiore, fauet & sors Europæa, quæ Eugubini de Tyro Phœniciæ coniecturam excludit.

l. 2. c. de Thracia.

Nec tamen minùs probabile arbitror ab asperitate vel soli, vel morum Thraces vulgo dictos esse, transposita aspiratione, quod ipsi quoque paulatim vsurparent, τραχὺ enim asperum significat. Quo videtur allusisse Pomponius Mela. *Regio,* inquit, *nec cælo læta, nec solo; & nisi qua mari propior est, infœcunda, frigida, eorúmque quæ seruntur malignè admodum patiens. Raro vsquam pomiferam arborem; vitem frequentius tolerat; sed nec eius quidem fructus maturat,* &c. De ipsorum autem hominum moribus mox subdit. *Viros benignius alit, non ad speciem tamen; nam & illis asper, atque indecens corporum habitus est, cæterum ad ferociam & numerum, vt multi immitésque sint, maximè ferax.* Et quidam Thraces quasi truces, quasi ea vox origine Latina esset.

XXXI. *Nepotes Iaphet 7.*

HORVM filiorum Iaphet duo copiosiore benedictione donati, etiam filios procrearunt, qui & ipsi gentium aliquarum principes euaderent, quibus & nomen suum impertirentur, Gomer videlicet & Iauan; ille trium iste quatuor populorum propagator; cæteri vno singuli populo definiti fuerunt.

Primus Aschenes, Gotthorum vel Germanorū dux.

in tradit. l. 9. c. 2.

Primus, Gomeri filius fuit Aschenes. Secundus, Riphath. Tertius, Thogorma, quos vt ignotos Tostatus præterit. Nomē Aschenes, siue אשכנז, Iosephus produxit in *Aschanaxes, qui originem,* inquit, *Aschanaxes dedit, qui nunc Rhegines à Græcis nominantur.* Sequitur eum de more Hieron. & Isidorus, Euseb. l. 1. Chron. & Ortelius. At ignoti sunt isti Rhegines, Straboni, Plinio, Melæ, Solino, Ptolemæo. Euseb. idē in Chron. exordio ait ex Aschenes gētes Gotthicas esse procreatas, cui cōsentientes ætatis nostræ Iudæi, vt ait Merula, Alemannos vocant Aschenazim.

Arias autem Montanus ab hoc Ascanios quondam dictos ait, nunc Germanos, quos potiùs in Asia minore Merula collocat cum Homero. Probabiliora idem cum Betoaldo diceret, si Aschenes, quos Medis vicinos faciunt & Armenis, ex Hieremia, in ruinam Babyloniorum destinatos, docerent in sorte Iapheti, sedem habere, nec Semitas & Iaphetios permiscerent. Existimo itaque Asiaticos illos populos, alios esse ab iis, quos quærimus, & nominibus tantùm conuenire. Hos autem borealem esse gentem Europæam ad Germanos, Gotthósue pertinentes, Cui rei aliquam præbet coniecturam

Iliad. β. & γ. c. 51. v. 27.

XXXII. 2. *Riphath, ex quo Riphæi, & Sarmatæ.*

ALTER filius Gomeris, nomine Riphath ריפת, qui cum fratre in eas regiones penetrasse videatur. Ad Riphæos enim populos, montésque pertinere plerique sentiunt, in quibus Arias Montanus in Phaleg. Merula, Ortelius, qui eisdem hyperboreos vicinos facit, cùm Plinio. Ptolemæus in octaua Europæ tabula, eos collocat ad fontem fluminis Tanais, qui in Mœotidem influit paludem. Nec incredibile est istum cum animosa iuuentute vltra ea loca, quæ patrui iam occuparant, penetrare voluisse. Iosephus autem ait ab hoc Riphatæos appellatos, qui nunc dicantur Paphlagones, consentitque Hieronymus. Verùm iam Galatia occupata erat, cuius pars Septentrionalis ad pontum Euxinum est Paphlagonia, vt Plinio quoque placet, qui ait Pylæmeniam ab aliquibus dictam. An paret Gomer filio ea parte cesserit? nihil enim hic quam coniecturas habemus. Refert etiam Ortelius ex Martiano Capella, Paphlagoniam Europæam Macedoniæ conterminam versus Boream, quæ verius Pelagonia est. Eusebius denique lib. 1. Chron. græci, Riphath patrem Sauromatarum facit [12], qui Latinis Sarmatæ, quos non longè à Riphæis montibus Plinius collocat. Hodie Poloni vocantur.

c. 7. l. 4. c. 12. 6. l. 6. c. 2. 12. χ. l. 4. c. 12.

XXXIII. *Togorma Stirps. Turcarum, vel Germanorum, aut certè Phrygum.*

TERTIVS Gomeris filius Thogorma, Hebræis תוגרמה. Septuaginta cum metathesi θόργαμα. Admodum corruptè Iosephus, *Thygrammes*, inquit, *Thygrammanis originem dedit, quos Phrygas Græcis libuit vocare.* Eum sequitur Hieronymus, & Hieronymum Isidorus, & Theodoretus in Ezechielem. Et sanè non incongruum est, si Ripharæi sunt Paphlagones, vt Iosepho placet, etiam Thogormæos esse Phrygas, vt fratres vicinas situ regiones insederint, sanguinis propinquitate inuitante. Eodem modo Arias Montanus vtrumque fratrem in Borealibus regionibus propinquos facit. *Riphath*, inquit, *longè protensam regionem, & aquilonaribus frigoribus obnoxiam incertis finibus penetrauit, Riphæamque gentem de nomine dixit suo. Huic vicinus Thogorma concessit, montosis partim, partim campestribus extensus regionibus, atque ad ortum magis quam Riphath accedens.* Denique hos Turcas esse existimat, vnde Iudæi Turcarum imperatorem vocant *Thogar*, & Turciam Togorma, vt aiunt Postellus, & Vatablus. Aliis Thogorma dicitur Germania, interprete Paraphraste Chald. in Ezechiel. cui Vuillalp. ibid. assẽtitur: malè improbantibus Betoaldo, & Merula: negantibusq; intelligi posse Germanos venisse ad nundinas Tyrias; quod inter vtrósque, propter distantiam, nihil potuerit esse cõmercij, quod eadẽ facilitare negatur, qua asseritur. Nam *impiger extremos currit mercator ad Indos*, cur non ad Tyrios? præsertim cùm ipsemet de fortunatis insulis, & campis elysiis, negotiatores purpurarios, toto emenso mediterraneo, Tyrum deducat? Quòd autem ambo volunt Thogormæos populos fuisse Asianos, qui regibus Asiæ & Syriæ obtemperarint fortasse Cappadoces; ipsi viderint, nos vel Turcas teneamus, vel propter Scriptorum autoritatem Phryges [13].

in tradit. l. 9. c. 2. c. 27. in 27. Ezec. Vbi de Elisa. 13. χ.

XXXIV. 4. *Filij Iauan primus Elisa author Aeolum.*

RELIQVI sunt ex Iaphetiis, filij Iauan, quorum primus occurrit Elisa, Hebræis אלישה qui Iosepho est Alisas, & Alisæis nomen dedit & originem, qui hodie sunt Æoles. Assentiuntur Hieronymus, Isidorus, Procopius, & passim recentiores. Et minimè absurdũ est Iauan, qui Ionibus, id est Græcis nomen dederit, vni filiorum partem eorũ aliquam attribuisse. Æolica enim dialectus Græcæ linguæ particula quædam est. Et Æolis in littore Ægæi maris Ioniæ contermina apud Ptolemæum reperitur. Cæterùm cum Bœotij antiqui Græciæ ciues, dicti sint Æoles, vt à Varrone aliquoties appellantur: eiusque rei testis Pausanias in Phocensibus, etiam colonia inde in Asiam decursu temporis deducta fuerit; sicut de Ionibus supra dicebamus. Accedat Hieronymus qui insulas Elisæ in 27. Ezechielis memoratas, vocat insulas Ionij maris. Theodoretus & Polychronius insulas Græciæ, Ægæi scilicet maris. Chaldæus autem paraphrastes vocat insulas

l. 9. c. 2. in c. 10. Asiæ tab. 1. l. 3. de re Rust. l. 10. p. 323. n. 25.

Italiæ, vt notat Vatablus & Sà. Fortè Æolias intelligit, quæ Italiam inter & Siciliam sitæ, quæ Vulcaniæ quoque, & Lipareæ dicuntur, eóque facit quod Euseb. l. 1. chron. Græci ex Elisa Siculos profectos dicit. Similitudo nominis præbet aliquod argumentum, sicut & Beroaldo, & Merulæ, vt campos Elisios, & 14. ✠. fortunatas insulas cogitarent, quòd Pererio penè persuasum fuit [14].

XXXV. 2. Tharsis, Ciliciæ primus. SECVNDVS filius Iauan est Tharsis, Iosepho Tharsus, *Qui Tharsensibus nomen & originem dederit. Sic enim olim*, inquit, *appellabatur Cilicia. Cuius rei signum est Tarsus vrbium eius celeberrima, cæterarúmque princeps.* Idem habet Hieronymus, Isidorus, Lytan. Lipom. Beroald. Merula, Perer. l. 15. Ribera in 1. Ionæ, & alij non (n. 3. & seq. n. 6. & seq.) pauci. Arias autem maluit Carthaginem intelligere, quòd scilicet aliquando Tharsus vertatur à Septuaginta Carthago, non attendens Carthaginem & totam Africam ad filios Chami, non Iapheti, de quibus agimus, pertinere.

XXXVI. Tharsis vrbs est, & prouincia. Mare Mediter. MANEAMVS ergo in communi sententia, nomen Tharsis Ciliciæ primo impositum à filio Iauan, & in vrbe metropoli retentum, quo modo plerique putant vsurpari Ionæ primo. Quoniam verò Cilicia tota littoralis est, & longissimo tractu à sinu Issico, siue potius Syriæ & Amani montis, vsque ad Pamphyliam prætenditur mari Mediterraneo, factum est vt Tharsis non solùm Ciliciam, & mare illi regioni obtentum, sed simpliciter mare, & quidem non solùm Mediterraneum, sed etiam Oceanum significaret. De Mediterraneo est illud Esaiæ, (2. 16.) *Et super omnes naues Tharsis:* Septuaginta habent, ἐπὶ πᾶν πλοῖον θαλάσσης. Et alibi: (c. 23.) *Vlulate naues maris*, in Hebræo est *Tharsis*, quàm vocē Aquila, Symmachus, & Theodotion retinuerunt; & illud, (Psal. 47. 8) *conteres naues Tharsis*, id est maris [15]. Et Hieron. in (15. ✠.) c. 2. Esaiæ, ait Hebræos putare Tharsis ipsorum lingua mare appellari. Verùm & de Oceano quoque dici, illud probat, quod naues Salomonis dicuntur soluere (Oceanus.) (2. Paral. 9. 17. 18. 21.) ex portu Asiongaber in sinu Arabico, & proficisci in Tharsis. At ex Ioppe soluendum erat ad cursum Mediterraneum. Itaq; Tharsis vniuersè pro mari in Scriptura accipi, rectè dici possit. (Carthago. Africa.) Quòd autem non raro Septuaginta & Paraphrastes Chaldæus Tharsis vertunt Carthaginem, & Africam, inde factum putatur, quòd in mari Mediterraneo Hebræis notiore, & Tharsis appellato, Carthago, vt Africæ, & maris domina, maximè emineret; & sæpissimè Cilices, & eis conterminι Tyrij, eò nauigarent.

XXXVII. Chetthim Cypriorum, & Insularum propagator. TERTIVS filius Iauam Chettim, siue כתיים plurali forma dicitur, quasi dicas Chettæos, id est princeps, & origo Chettæorum. Septuaginta vertunt hoc loco Κίτιοι Cetij, alibi autem passim aliter; vt mox dicam. Chethimum hunc vocat Iosephus, quem ait insulam occupasse tunc Chethimam, nunc Cyprum. *Quo factum est*, inquit, *vt tum insulas omnes, tum pleráque loca maritima Hebræi gentili voce Chetthim significent. Attestatur mihi vna è Cypriis vrbibus, quæ adhuc nomen retinet, Citium enim vocatur ab iis, qui in Græcum sonum vocabula detorquent; ne sic quidem abludens à Chettimi nomine.* Attestatur & Iosepho Esaias, (c. 23. 12.) vbi filia Sidonis iubetur in Chethim transfretare. (c. 2. 10.) & Ieremias: *Transite ad insulas Cethim* (ita dictum ad molliendum concursum aspirationum, quas habet Hebræa dictio כתיים chitthim. Septuag. χεττιιμ, vt passim alibi) eo nomine intelligentes Cyprum, vt Epiphanius quoque Episcopus Cypri confirmat, vbi alludens ad Hebræam vocem, quòd rectè & peritè facere poterat, vir domo Hebræus, ait Citios omnium consensu esse Cyprios. Iuuat quoque hanc expositionem Cilicia, de qua proximè actum est, cui Cyprus in Mediterraneo mari obuertitur.

XXXVIII. Nomine Chetthim etiam Macedonia, & Italia intellecta. HOC ergo nomine non solùm contineri Cyprum, sed alias insulas Mediterranei maris, præter Esaiam, Ieremiam, & Iosephum, testis est quoque Hieronymus, (Ierem. 2.) & Theodoretus in illum Prophetæ locum, & Epiphanius, qui in dicta hæresi scribit in Citiis etiam Rhodios contineri. Fauet etiam Moses hoc loco, cùm subdit ab his diuisas esse insulas gentium, in regionibus suis; id est, quæ diuersis regionibus in continenti adiacent. Quò factum est, vt nomen Cethim variis locis attribueretur. Itaque Ezechiel 27. 6. Insulas Chettim, Hieronymus vertit Insulas Italiæ. Et Danielis 11. 30. vertit Romanos, *Et venient super eum trieres, & Romani*, id est Romani, illarum insularum domini, cum trieribus, siue triremibus. Nisi placet interpretari eo loco triremes Cyprias, cum quibus Romani Antiochiam adierint, & ab Ægypto abstinere iusserint. Sicque vox Romani, ad-

iecta fuerit à Hieronymo explicandi causa, vt sæpe fit à Septuag.

Hinc etiam est quod Macedonia ex qua ortus est Alexander magnus vocetur terra Chetthim, siue quia illa regio ab ortu & occasi mari, quasi insula, alluatur, seu potiùs, vt ait Epiph. *Quia in Macedonia genus Cypriorum, ac Rhodiorum habitauit.* hæref. 30. Italia quoque quia penè vndique mari supero, infero, Ionico cingitur, pro insula reputatur ab Hebræis, sicut & Cyprus; & Cethim, siue Chitthim appellatur, Numer. 24. vbi Hieronymus vertit Italiam, Chaldæus paraphrastes, & Hierosolymitanus ponit Romanos. Non mirum igitur est Eusebium l. 1. chron. dicere à Cethim profectos esse Latinos, siue Romanos; Κίτιοι, inquit, ἐξ ὧν Λατῖνοι, οἱ καὶ Ῥωμαῖοι. Vide & Suidam in voce λατῖνοι [16]. 16. ✗.

XXXIX. *Dodan siue Rhodan origo Rhodiorum.* RELIQVVS est Dodanim in filiis Iauan, & Iapheth, siue Dodan, posito hic quoque populo pro eius principe, vt infrà sępiùs in familia Chami. Hunc autem reliquit Iosephus, non tamen, qui eum secutus est hactenus, Hieron. *Dodanim*, ait, *sunt Rhodij, ita enim Septuag. interpretes transtulerunt.* Sic ipse, & cum eo Isidorus, & ante vtrumque Euseb. in chronico vulgato, & l. 1. chronici Gręci. Vertũt autem Rhodios Septuaginta, etiam l. 1. Paralip. nec alio Scripturæ loco vox ea reperitur [17]. c. 1. v. 7. 17. ✗. *Dodanim. Rodanim.* Etsi autem vtroque in loco constanter legatur דודנים, fateor tamen plurimum mihi abblandiri suspicionem illam, ne hic רודנים legendum sit, itaque Septuaginta legerint. Multorum est enim illa suspicio, & procliuis est lapsus apud Hebræos ex ד in ר, propter magnam vtriusque elementi similitudinem. Quòd autem aliqui eorum, ex similitudine vocum volunt ex Dodan ortam esse Dodanam, seu potiùs Dodonam Molossiæ in Epiro vrbem, & Rhodani fluuij ex eodem deductum nomen, non facilè persuadent. Nam vt de Molossia taceam, certè Rhodanus omnino Mediterraneus est, plurimúmque distat ab insulis, de quibus à Moyse hoc loco agitur. Sequitur enim, Ariæ Mõt. Eugubin. Lipoman. Pererij l. 15. n. 27. Beroaldi. Merulæ. Brougtoni.

XL. *Inhabitatio insularum à duobus filiis Iauã.* AB *his diuisæ sunt insulæ gentium, in regionibus suis.* Vbi Vatabl. *Ab his separati sunt inhabitatores insularum*; id est, ab istis nati sunt, qui varias insulas maris Mediterranei, id est Cyprum, Rhodum, Samum, Lesbon, Chion, & alias Græcas insulas tenuerunt, & habitauerunt. Quæ laxius etiam videtur interpretatus Hieronymus. *Legamus*, inquit, *Varronis de Antiquit. libros, & Cinnij Capitonis, & Græcum Phlegonta, caterósque eruditissimos viros; & videbimus penè omnes insulas, & totius orbis littora, terrásque mari vicinas, Græcis accolis occupatas; qui, vt supra diximus, ab Amano, & Tauro montibus, omnia maritima loca, vsque ad Oceanum possedere britannicum.* Sic Hieronym. Volens totam Europam à filiis Iauan, à quibus orti sunt Græci; cæterísque filiis Iaphet, quibus ea sors contigit, quam ipse ex Iosepho describit, habitationibus fuisse repletam. Neque enim ab aliis maritima loca, ab aliis simul Mediteranea culta sunt; sed primùm maritima loca habitari cœpta, vt in nouo orbe hoc nostro seculo à nouis incolis factum est; deinde in Mediterranea paulatim penetratum. in trad. Hebr.

XLI. *Qui fiat vt aspera loca inhabitentur.* NEQVE verò absurdum est nonnulla cœlo, solóque perquam aspera loca habitatoribus minimè caruisse. Concurrente in id primùm diuina prouidentia, quæ amorem hominibus in quædam loca ingenerat, vt latiùs tota terra inhabitetur. Hinc illud Poetæ Ouidij.

1. *Quid melius Roma, Scythico quid frigore peius,*
Huc tamen ex illa barbarus vrbe venit, vel *redit*.
Nescio qua natale solùm dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

2. Nec natale tantùm, sed quod vsu & consuetudine instar natalis factum est. Deinde magnus ille omnium terrarum, & locorum Dominus, suas quibúsque locis commoditates largitus est, quæ homines alliciant, & retineant, vt venationis, piscatus, aucupij: vt syluarum; vt fodinarum auri, argenti, alteriúsve mętalli, aut pretiosorum lapidum; vt camporum, & latifundiorũ amplitudines. Adde viridariorum amœnitates, montium, valliúmque vicissitudines, pecorum copiã, aliáque id
3. genus, quibus sæpè careant mitiora loca. Accedit possidendi proprietas, & dominium in loca, & libertas agendi quæ velis; vt malit quis habitare in suo aspero, quã
4. in alieno molliore. Quid quod asperitas sensim sine sensu ita mitigatur, obdurescentibus hominibus aduersus iniurias cœli, vt non solùm tolerabiles fiant, sed ne

sentiantur quidem. Sed & soli malignitas sæpè coloni diligentis industria ita emendatur, vt fructuum vbertate fœlicioribus parum omnino concedat. 5.

Compensatur etiã nonnunquã iniucunda loci facies vtilitate, sicut viliora quædam opificia: nonnunquam etiam quadã dignitate. Nam homines agrestiores, & rusticani in pretio sunt & honore apud suos, amantur, coluntur, consuluntur; qui alibi ignoti, contemptique viuerent. Notum est illud Cæsaris malentis in pago principatum, quàm secundum in vrbe locum. Sed de his iam satis; ad alterã Noë familiam transeamus. 6.

FAMILIA CHAMI.

6 SEQVITVR itaque Chami familia, de qua illud primum occurrit nullum esse in XLII. *Chami familia.*
2 filiorum eius numero inter Hebræos, Græcos, Latinósque codices discrimen,
8 omnes vnũ & triginta numerant. Chusi filios sex, & nepotes duos, Mesraim filios
11 totidem, totidémq; nepotes: Chanaan vndecim filios; Phuth in plura capita fami-
4 liarum non diuiditur. Si his ergo filiis ac nepotibus adiungantur quatuor filij
31 Cham, quasi quatuor rami primarij, ex eodem trunco profusi, ille quem dixi numerus exactè, atque adæquatè constabit.

QVIS autem eis ad habitandum locus sorte contigerit, etsi ex supradictis non est ignotum. Iuuat tamen ea de re audire Iosephum illa apertè confirmantẽ, quæ de possessione Syriæ dicebamus. *Chamæ verò filij*, inquit, *Syriam & regionem Amano, Libanóque montibus hærentem obtinuerunt, quidquid eius ad mare* Mediterraneum *vergit occupando, & Oceanum vsque* quo cingitur Africa *ditionis terminos proferendo. Vocabula tamen partim omnino euanuerunt, partim ita deprauata sunt in diuersum, vt haud facilè agnoscantur.* Sic ipse. Non rectè igitur in Syria, prouinciæ Iapheti ab aliquibus quærebantur, nec satis probabiliter ab Eusebio, vel Epiphanio prouinciæ Chananæorum, Semi filiis, Moyse præsertim non consentiente, assignabantur. Hæc ergo tota regio, cum Ægypto, & Africa, quam longè latéque patet, ad Chamum pertinuit. Tametsi Ægyptus non tatò in Scriptura terra Cham, κατ' ἐξοχὴν appelletur; à regione scilicet Hebræis omniũ Africanarũ proxima, notissima, atque optima. XLIII. *Regiones Chamitarum.*

Psal. 77. 51. Psal. 104. 23. 27. Psal. 105. 22

CHAMI primogenitus vbique ponitur Chus, primo certè loco numeratur; quẽ ideò primo diluuij anno natũ censuimus; ac consequenter ducẽtos hoc tempore, ac septuaginta quinque annos natũ. Is Æthiopum pater, ac princeps fuit. *Ex quatuor Chami liberis*, inquit Iosephus, *Chuso nihil detrimenti tempus attulit. Aethiopes enim, quibus præfuit, nunc quoque tam à seipsis, quàm ab Asianis omnibus Chusæi nominantur.* Multa hic contra Iosephum altercatur Beroaldus sectarius, contendens terram Chus non esse Æthiopiam illam vlteriorem Ægypto, sed Arabiam Chananææ propinquam; sed irritis omnia telis. Nam si asserit nullam esse vsquam gentium Meridionalem Æthiopiam, stolidè facit; si illam, de qua agit Iosephus, non esse Æthiopiam, sed Arabiam, qui scit, cùm ille vniuersè loquatur, nihilq; distinguat? XLIV. *Chus primogenitus Chami pater vtriúsque Aethiopũ.*

die 3. n. 64. & 65.

DENIQVE multa circuitione verborum nihil aliud efficit, quàm aliam quandã esse Æthiopiam, ab illa torrida & adusta: quod nos vltro damus, & iam cùm ageremus de paradisi flumine circumeunte Æthiopiam tradidimus cum Pererio Vtramq; autem à Scriptura vocari terram Chus, & à Septuag. & D. Hieron. rectè verti Æthiopiam firmius est, quàm vt à sectario euelli possit. idque pluribus exẽplis probari posset; sed sufficit Gen. 2. 13. de Arabica Æthiopia; de altera verò in pluribus locis Hester, vbi Assuerus Rex dicitur dominus 127. prouinciarum ab India vsque ad Æthiopiam; & apud Prophetas, vbi Æthiopia & Libya coniunguntur, tanquam vicinæ regiones. quibus omnibus locis semper in Hebræo Chus in Græco autem, & Latino, Æthiopia. Vide hac de re plura apud Perer. XLV. *Gemina Aethiopia.*

Esther 8. 9. c. 13. 1. & c. Ierem 46. 9. Ezech 30. 4. 5. cap. 38. 5. l. 15. n. 29. & seqq.

Quòd si quærat aliquis vtrius Æthiopiæ primum colonum, vtrorum Æthiopũ propagatorem velimus esse istum Chus; facilè, &, vt arbitror, rectè responderi potest, vtriusque; sed prius propinquioris, quæ Ægyptum inter & Syriam media est, & Arabiam petræam ac desertam complectitur; in qua Amalechitæ, Madianitæ, Cedareni, & si qui alij populi. Abundante deinde multitudine, etiam remotioris, traiecto mari rubro aut isthmo superato, deductísque in eam coloniis, quæ principis sui nomen retinuerunt. Quæ etiam apertiora fiet ex designatione regionũ filiorũ Chus, quæ huic Orientali Æthiopiæ vicinæ reperiuntur: excepta regione, quæ Nemrodi cessit; quæ in extremo duarũ sortiũ posita, vtriusq. particeps est.

idem sensit ac scribit Del Rio in 10. Gen.

XLVI. *An Chus primúsque Aethiopes nigri.*

VERVM in hac æstuosa Æthiopia non erit opinor ingratum lectori, si tantillum contemplandi istis hominibus subsistamus. Dubitari ergo hoc loco potest an Chus, pater Æthiopum, atro colore fuerit, quales visuntur Æthiopes, qui à parentibus nigredinem trahunt, & nascuntur nigri; cùm ex albis albi nascantur, nisi prodigio aliquo interueniente. Et primũ existimo, id quod aliqui sine probatione sumunt, Chus ab ortu suo nigrum fuisse, eiúsque rei causas inquirunt, valde probatione indigere, eámque ægrè afferri posse; & contrariũ esse longè probabilius; quomodo enim sine probatione credamus hominem natum atque educatum in Asianis cœli solique deliciis ex parentibus albis, atrum esse natum, & non, vt cæteri omnes, album? Quòd si ex eo quod Æthiopes atri sunt, fatendum est etiam Chus atrum extitisse, oportet etiam Mesraim Ægyptiorum parentem, & Indorũ progenitores nigros fuisse, nam hos omnes nigros esse geographi omnes testantur. quibus adde Manilium l.4.

Aethiopes maculant orbem, terrásque figurant.
Perfusas hominum gentes minùs India tostas
Progenerat, mediúmque facit moderata tenore.
Iam propior, tellúsque natans Aegyptia Nilo
Lenius irriguis infuscat corpora campis.

XLVII. *Quæ huius nigredinis causa.*

EXISTIMO causam nigredinis humanorum corporum, tam in Æthiopibus, quã in Ægyptiis, & Indicis gentibus, Solis ardoribus esse tribuendam. Cùm enim Sol rectis radiis solum perpetuò torreat, & ex telluris feruore aër quoque incãdescat, fit vt temperies hominum illic degentium valdè calida fiat atq; sicca, & sanguis ac semen adustum, ex quibus nigredo consequitur; etiam in iis paulatim, qui aliũde profecti in illis locis diuturniores moras trahũt. Nam exterius solaribus radiis aduruntur; & interius vehementius exsiccati, externum infectorem iuuant; nam passim quicunq; feruidiore sunt natura etiam infuscantur. Quòd autem quibusdã locis, quos Sol non minùs perpendiculariter intuetur quàm Æthiopas, homines tamen nigri non sunt, id particulari eorum locorum ingenio tribuendum est, in quibus Solis ardores maximis frequentibúsque pluuiis, aut frigidioribus ventorũ flatibus temperantur. quibus ex causis inter alias, zonam, quæ torrida dicitur, valde temperatam esse noster Acosta demonstrat l.2. historiæ Indicæ, c. 3. & seq. Homo & scientia rerum, & horum ipsorum locorũ diuturna experientia doctissimus. quæ si Æthiopibus, & Africanis contingerẽt, neque atra cute, neque capillo crispo, neque sanguineis oculis, neque simis opinor naribus & turgentibus labris nascerentur. Itaque censemus Chus, & Mesraim, cæteróśq; omnes Noëmi filios, ac nepotes, candidos fuisse, quales sunt Europæi omnes, & Asiani, qui non nimiũ vergunt in Meridiem; paulatim autem aut ipsos, aut ipsorum filios aditis regionibus feruoribus Solis obiectis, tum exterius paulatim nigredinem contraxisse, tum interius igneum temperamentum imbuisse, filiósque nigros ex adusto semine, in adusta matrice procreasse. Sed hæc obiter de Æthiopum, aliorúmque populorũ nigredinis causa generali, & primaria dicta sunt. Etsi aliter ex Hebræis Genebr. sentiat l.1. chron. & Torniel.

XLVIII. *Saba origo Sabæorum.*

VT autem ad filios Chus redeamus: primus est Saba, quòd nomen Latinis, & Græcis commune est, cum priore filio Rhegma, & decimo filio Iectan, sed omnes regionibus, duo etiam priores scriptione apud Hebræos distinguuntur. Hic enim Saba Chusi primogenitus, per samech ס scribitur, litera leniore; cæteri à ש quæ aspirationem habet, inchoãtur. quod primus notauit Hieron. inde cæteri omnes. Ab hoc Sabæos originem traxisse scribit Iosephus, sed quia non vni Sabæi, Hieronymus suppler eius silentium, & de thuriferis exponit, qui in Arabia fœlice admodum celebres fuerunt; Poëtis omnibus, Geographis, atque historicis decantati. Imò & crebris Prophetarum oraculis. Nam Dauid, *Reges Arabum & Saba dona adducent.* In Hebræo est, *Reges Saba, & Saba*, prius nomen per ש, posterius per ס scriptum esse notauit Hieron.[18] Psal.71.10. 18. χ.

XLIX. *Heuila princeps Heuilæorum in Arabia.*

ALTER filius Chusi dicitur Heuila, Hebraicè חוילה Chauila, *qui Heuilæorum author fuit, qui nunc*, inquit Iosephus, *Getuli appellantur*, quòd confirmãs Hieronymus, Heuila, Getuli in parte remotioris Africæ, Eremo cohærẽtes. Idem habet Isidor. Lyran. Sà, & Tostat. qui etiam prope Carthaginem Getulos ponit, ignotos Pto- l.1. c.6. l.9.c.2. tab 4. Afri.

lemæo,

tab.4. Afri. lemęo, quippe qui eos sub Mauritania collocat Meridiem versus, & vsque ad Oceanum Atlanticum extendit. Verùm ex Scriptura facilè deprehenditur Iosephi error, qui alios in fraudē induxit. Quis enim nescit Ismaëlitas non habitasse in extremis Africæ regionibus, sed in Arabia, vt patet ex 25. Gen. vbi Cedareni, & Nabathei ex eo propagati habitarūt? At ibidē dicitur Ismaëlem habitasse ab Heuila
cap. 15. vsq; Sur, quæ respicit Ægyptū. Rursus in 1. Reg. dicitur Saül percussisse Amalechitas, ab Heuila donec venias ad Sur, quæ est è regione Ægypti. Ex quibus locis rectè colligit Beroald. fines Heuilęorū pertinuisse ad Ismaëlitas, atq; Amalechitas, qui populi à Getulis infinitis prope terrarū spatiis disiuncti sunt. hanc sententiā sequitur Merula, Perer. Tornel. &, vt videtur chron. Alex. qui ab Heuila ortos ait
l. 6. c. 28. Ichthyophagos, quos non solùm apud Indos, sed etiam in Arabia Plin. locat.

Chvs tertium filiū habuit nomine Sabatha, Hæbræis סבתא sabtha, de quo Iosephus ortos ait Sabathæos, qui Græcis dicantur Astabarrhi. Populi hi nisi in Meroë insula Nili collocētur, vt suspicātur Perer. Ortelius, Merula, vbi Astabora fluuius, Ptolemęo teste, ad concauum lunæ pertineant, mortalibus omnibus sub hoc nomine ignoti. Rectiùs Beroald. & Merula putant, huc pertinere Sabbatham, siue Saubatham apud Ptolemæum, Arabiæ fœlicis metropolim, cuius incolæ, viciniq; populi hunc Sabatham conditorem agnoscant. Nam fratres regionum propinquitatem adamasse, ad mutua auxilia, officiàque, valde credibile est. Fortè autem hæc Sabatha eadem est cum Sabatia Plinij, qui eam Sabæorum ciuitatem facit, & collocat in rubro littore, vna cum Marane, Matma & Coralia.

L. Sabatha, conditor Sabathæorum in Arabia fœlice.

l. 15. n. 49. in 4. Africæ tab. & lib. 4. c. 8. l. 6. c. 7. l. 6. c. 28.

22.
9 in 7.
Qvartvs est Regma siue רעמה qui Ezechielis 27. dicitur Reema, vbi autor gēris pro ipsa gente ponitur, *Venditores,* inquit, *Saba & Reema, ipsi negotiatores tui.* Sed in Hebræo eadem sunt vtrobique elementa. Septuag. ghain in gamma commutarunt, literas sono, & figura non abhorrentes. Ex eo autem quod Propheta hos populos coniungit, quasi negotiationis socios, apparet eos vicinos fuisse. Cúmque iam Sabæos in Arabia fœlice collocauerimus, par est & Regmæos ibidē constitui; præsertim cùm vtrisque primaria aromata, cum lapidibus pretiosis tribuantur. Ita sentit Beroaldus & Merula, Perer. & Del Rio, qui tamen de Carmaniis cum Mōtano suspicatur. At ea regio ad filios Semi pertinet; vltra Persidem enim sita est.
l. 6. c. 7. l. 1. chron. Suspicemur potiùs Rhegamam, aut Regmam ciuitatem apud Ptolemæum in Arabia fœlice, iuxta Ichthyophagorum sinum huc pertinere. Inuitat Euseb. sæpè citatus. Ῥέγμα, inquit, ἐξ οὗ ἰχθυοφάγοι. Pro Regma verò, Romum, & Romæos Iosephi quis probauerit?

LI. Regma, Regmæorū ibidem.

Qvintvs est Sabatacha siue סבתכא sabtheca, quem Iosephus neglexit. Hieron.
in trad. Hebr. autem, *Regma verò,* inquit, *& Sabathaca paulatim antiqua vocabula perdidere, & quæ nūc*
l. 13. n. 50. *pro veteribus habeant, ignoratur.* Ita ingenuè S. Hieron. Videtur Beroaldo, & Pererio longiùs profectus, recepisse se in extremas Arabiæ fœlicis oras, Oceanum versus, quo factum sit, vt minùs noti fuerint cæteris continentis incolis, qui Syriam attingerent. At littorales populi reliquis notiores esse solent, præsertim cùm Israë-
3. Reg 9. 26 c. 22. 49. litæ non vsq; adeò abessent, & hoc mare nauigarēt, iam inde à Salomone, & Iosaphat, vt constat ex l. 3. Reg. De his chron. Alexand. οὗ Αἰθίοπες Αὐῶες.

LII. Sabathacha. N. L.

Hvic subiicit Scriptura duos filios Regma, scilicet Saba, siue Saba de quo di-
n. 47. ctum est, dum de eius patruo paulò antè diceremus, & Dadan quem Iosephus Iudam appellat, aitque genti Iudæorum inter Occidentales Æthiopes originem & nomen dedisse. At D. Hieron. pro Iuda Dadan, siue דדן reposuit, & figmentum Iosephi contempsit, quem oportet parum attendisse propheticis scriptis, in quib. Dedanæi populi propè Idumæam ponuntur. Nam Ezech. 25. vbi Dominus se
v. 15. v. 20. Idumæ[...]erditurum minatur, subdit: *Et qui sunt in Dedan, gladio cadent; & dabo vltionem meam super Idumaam.* Et rursus c. 27. *Dedan institores tui in tapetibus ad seden-*
c. 25. 23. *dum;* quæ scilicet illi non ab vltima Æthiophia, sed à vicina Idumæa deferebant ad Tyrias nundinas. Ideóque ibid. Propheta conterminos Arabas, & Cedarenos memorat. Ieremias quoque Dedan in regibus Arabiæ numerat. Et apertiùs c. 4. Dominus loquitur ad Idumæos, eisque calamitates denuncians, ait, *Fugite, & terga vertite, descendite in voragines habitatores Dedā, quoniam perditionē Esaü adduxi super eum.*
59. x. Quin etiā vtroq; loco coniungit Dedā, & Thema, quā c. 4. collocat in Idumęa[19].

LIII. Sebaba & Dadan qui origo Dedanæorum iuxta Idumæos.

Hinc redit Moses, cuius vestigia assectari cōuenit, vt res minùs impedita sit, ad

LIV. Nemrod

Babyloniorum Princeps.

postremũ filiorũ Chus; postremò quidẽ certè loco positũ, fortassis & generatione postremũ: nominis tamen celebritate facilè primũ. Et D. Aug. seorsim de eo Scripturam locutã esse ait, propter eius eminentiã. (l.16. de ciu. c. 3.) Ipse enim, vt suprà cũ Scriptura dicebamus, & initio anni sequentis dicendũ erit, *cœpit esse potens in terra;* & gigantæis moribus, aut etiã statura insolescere, nã gigantẽ Aug. appellat. (ibid.) Deniq. dominationem primogenito, aut patri, vel auo etiã, si adhuc viuerent, debitã vsurpare: & vt venatores feras, aut vi inuadere, aut fraude circũuenire, suæq; seruituti subiicere solent, ita ille homines, adhuc illarũ artium insolẽtes. Statuit autẽ regnum suum Babylone, in qua linguarũ confusio, & hominum separatio cœperat. Ibi ad se collectis iis, quibus cum linguæ & morũ societate communicabat, violentia, inquam, atq; superbia, Babylonicum regnum fundauit, vt Scriptura restatur. Cùm autem regni Babyloniorum, quod mox & Assyriorum fuit, originẽ ac caput Belum prophani Scriptores agnoscant, videndum est, num alius sit à Belo Nemrod, an idem potiùs, vt sacra historia lucẽ aliquam à prophana, hæc ab illa accipiat firmitatem.

LV. *Nemrod idem cum Belo, Babylonis fundator.*

COMMVNIS porrò sentẽtia est, Nemrodum eundẽ esse cũ Belo, quam ij amplectuntur omnes, qui Ninum secundum regẽ Assyriorũ esse volunt, & Beli proximũ successorẽ. Chorum ducit Euseb. init. chron. (chron.) *Quando natus est Abraham,* inquit, *iam regnabat rex secundus, qui vocabatur Ninus filius Beli. Nã primus Assyriorum regnauit Belus annis 65. quẽ Assyrij Deum nominauerunt Saturnũ.* Hæc ibi. Eupolemon quoq; in volumine de Iudaica historia, vt refert Alexander Polyhistor. apud Euseb. ait primum apud Babylonios regnasse Belũ, (l.6 de præpar. c.4.) primúsq. habetur in catalogo Afric. apud Scalig. in Euseb. Quòd D. quoq; Hieronymus sentit, confirmátque ex illo Virgilij loco, (in c.2. Osee) *——qua Belus & omnes A Belo soliti,*—— vbi Seruius disertè asserit Belũ primũ fuisse Assyriorũ regem, idémq; alibi tradit. Euseb. secutus D. Aug. *Ibi autem* (Babylone scilicet) *Ninus regnabat, post mortẽ patris sui Beli, qui primus ibi regnauerat 65. annis.* (l.16. de ciu. c.17.) Eũdem secutus Isidor. *Primus in Assyriis regnauit Belus, quem quidã Saturnum existimant.* (in chron.) Beda de sex ætatibus, *His temporibus,* inquit, *Assyriorum & Sicyoniorum regnũ nascitur, his primum Belo, illis Aegyaleo regnante.* (in ortu Thare.) Eadẽ habet Ado, Marianus Scotus, Hugo à S. Victore, & ne ab antiquis discedam, ex fine l.9. de præpar. euang. sic licet argumentari. Qui primus Babylonẽ condidit, est Belus, vt scripsit Abydenus, nemo enim antiquior proferri potest; atqui ex Scriptura, & Iosepho, & omnib. Scripturę interpretibus Nemrod primus Babylonem condidit, in eáque primus regnauit, ergo Nemrod idem cum Belo est. Quo fere modo argumentatur Bellarm. initio chronol. suæ, (c.4 n.10. & seqq.) Gordonus & Peter. (l.15.n.67.)

LVI. *Ninus primus ne Rex Assyriorum.*

NAM quod Tertul. dubitare videtur, an Ninus primus apud Assyrios regnauerit, (in l. de Pallio. c.2.) nõ alia de causa dubitat, nisi propter Belũ, cuius ibid. progeniẽ Ninum vocat. innuens patrẽ propriè Babyloniis, filiũ Assyriis imperasse. Et qui primum Assyriorũ regẽ Ninum scribunt, nõ simpliciter id asserunt, sed addunt aliquid, quo eã assertionẽ circunscribãt. Iustinus ait Ninũ fuisse qui primus intulit bella finitimis; nec simpliciter primũ Assyriorum regem appellauit, sed primum, qui auitum gentium morẽ noua imperij cupiditate mutauit. (l.1.) Diodor. Siculus, primus inter eos quorũ historiæ memoriã propagarunt: (l.2.) Nam Beli gesta literarum luce caruerunt. Reges autẽ illi indigenæ, nec gestis nec nomine cogniti, planè cõmentitij sunt, vt ex hoc Scripturæ loco intelligitur; vana itẽ & inania illa nomina Assyriorũ & Ægyptiorum regũ, quantumuis ex Africano, vel Manethone reperantur. quòd alio quoq; loco dicendum erit. Hieron. quoque eodem Osee loco, *Primum,* inquit, *omni Asiæ regnasse Ninum Beli filium omnes & Græca & Barbara narrant historia* (anno seqq. c.2.) Rectè, omni Asiæ; nam Belus Babyloniis duntaxat. Respiciebat Hieron. Euseb. chron. quod vertetar, vbi ille, *Primus omni Asia, exceptis Indis, Ninus Beli filius regnauit.* qu[illegible]ber etiã Africanus in Thesauro tẽporũ Græco. Ideóq. rectè Gordonus noster Belũ ait inchoasse regnũ Babylonicũ, Ninum verò monarchiã Assyriorũ. (p.360.)

Regnum Babylonis in Monarchiã Assyriorum influxit.

Sed illud in hãc deriuatũ est, aut hęc amplificatio illius fuit; quã in sententiã nõ malè illa verba Mosis accipias, *fuit principium regni eius Babylon.* (Gen.10.10.) Adde recentiores penè omnes, qui in hoc initio Babylonios ab Assyriis nõ separãt, & Belũ primũ huius imperij principẽ constituũt, quòd nobis quoq; deinceps faciẽdũ erit. Qui porrò Belũ à Nẽrode diuersũ faciũt, pauci, aut noui sunt, & fere nouatores, ac ne multi quidẽ istorũ. Sed de Nẽrode siue Belo hoc loco satis, pro instituta gentiũ diuisione quã tractamus.

LVII. *Assur an Ninus.*

IAM verò quod Moyses in expositione filiorum Chus, addit, de terra Sennaar egressum esse Assur, dubium est fueritne hic Assur filius Cham, quandoquidē in cursu familiarū eius memoratur; an verò secundus Semi filius, qui infrà suo loco tecensetur. Certè si Assur, à principio ædificauit Niniuē, vt Scriptura restatur, & Ninus primus ædificauit Niniuē, vt omnes historiæ clamant, Assur erit Ninus, de vna siquidem eademq; Niniue, sicut & Babylone agitur, quæ primis hisce temporibus, & gentium diuisionibus fundatæ sunt. At qui fieri id possit, eùm non solùm ad diuersas familias pertineant, sed multum ætate distent, nam Ninus tertia generatione distat ab Assur. D. Aug. in ciu. Dei hunc locum sic explicat. *Quòd vero dictum est de terra illa, id est de terra Sennaar, quæ pertinebat ad regnum Nemrod, exisse Assur, & ædificasse Niniuem, & alias, quas contexit ciuitates, longè postea factum est, quòd ex hac occasione perstrinxit propter nobilitatem regni Assyriorum, quòd mirabiliter dilatauit Ninus Beli filius, conditor Niniue ciuitatis magnæ, cuius ciuitatis nomen ex illius nomine deriuatum est, vt à Nino Niniue vocaretur. Assur autem, vnde Assyrij, non fuit in filiis Cham medij filij Noë, sed in filiis Sem reperitur, qui fuit Noë maximus filius. Vnde apparet de progenie Sem exortos fuisse, qui postea regnum gigantis illius obtinerent.* Sic August.

Noë
Cham Sem
Chus Assur
Nemrod
Ninus.

L. 16. c. 3.

LVIII. *Assur proprie filius Semi.*

DICENDVM videtur Assur propriè esse filium Semi, vt clarè docet Moses in Semi genealogia, & proximè asseruit D. Aug. cui omnes facilè consentiunt, nominatim Lyran. Abul. Lipom. Caiet. quem aiunt recessisse de Babylone, & cōsortio Nemrodi, quod nollet cum eo impietati seruire, & digressum in eam regionē, quæ postea ab ipso Assyria dicta est, ibique ædificasse ciuitatem, quæ postea Nini, aut Niniues ab Nino nomē accepit. Verùm alia separationis causa fuit, cùm vtetque diuersarum gentium conditor esset, & linguis discreparent.

LIX. *Appellatiuè Ninus.*

Num. 24. 22.
4. Reg. 25. 29.
1. Paral. 5. 26.
Psal. 82. 9.

DICENDVM secundò Assur appellatiuè sumi, pro gente vel principe Assyriorū, cùm alibi, tum in Prophetis passim apud quos crebrò occurrit Rex Assur, terra Assur, virga Assur, filij Assur, væ Assur, superbiæ Assur, &c. & quidē sine vlla differentia scriptionis. Et sic hoc priore loco sumitur, vbi Ninus dicitur Assur, id est princeps Assyriorū appellatiuè, qui cū rex esset Babyloniorum, ex successione paterna, inde egressus, factus est Rex Assyriorum, per bellicam vsurpationem. Hinc est quod Iustinus ait, eum mortuo patre primum intulisse bella finitimis. Et ita intelligendus est Epiphan. eùm ait Assur fuisse filium Nemrod.

lib. 1. contra hæres. subinit.

LX. *Ab vtroque Niniue condita.*

DICENDVM denique ab vtroq; Assur Niniuem conditam videri, priùs quidē ab Assur filio Sem. Sub tempus diuisionis linguarum, adeò vt cùm Nemrod, siue Belus Babylonē fundabat, ille mox apud Assyrios suos vrbem conderet, eámque incoleret viuente Belo. Sed eo mortuo Ninus in Assyrios irruēs, & vrbē, & regionem occupauit. Ipsam autē vrbē magnificentius constructā, de nomine suo Ninū, siue Niniuè appellauit, vt innuunt illa verba, *& plateas ciuitatis.* Et rursus: *hæc est ciuitas magna*, pertinet enim ad Niniuem ea laus, vt ex Iona patet, non ad Chale, vel Resen ignotas ciuitates. Nō ergo de progenie Sem exorti sunt, qui regnū Gigātis obtinerent, sed vice versa. Quam sententiā confirmat Velleius, eùm ait in regno Assyriorum filios patribus perpetuo in regno successisse. Quòd ergo Ioseph. & eū secutus Hieron. & alij deinceps aiunt, ab Assur conditā Ninum, explicandum est per anticipationem, condidisse videlicet vrbē, quæ postea Ninus & Niniue appellata est. Hæc est sententia Riberæ in Oseam, Del Rio in 10. Gen. Perer. l. 15. Tornielli in hunc annum, Oleastri in eundem locum Geneseos; Vatablus eam interpretationem ait doctioribus magis probatam.

cap. 1.

l. 1. & Diodor. Sicul. l. 2. p. 108. l. 1. c. 6. in trad. Hebr. c. 5. n. 37. n. 51. n. 80. & 81.

LXI. *Mesraim Ægyptiorum caput.*

HACTENVS familia Chus primogeniti Cham, sequitur Mesraim, cui sine vlla controuersia in sortem contigit Ægyptus. *Mesrais*, inquit Iosephus, *sua mansit appellatio. Aegyptum enim Mesren, & Mesraos Aegyptios vocamus, quotquot eam regionem incolimus.* Sic ipse. Et passim Scriptura non aliter Ægyptios, quàm Misraim appellat, ab hoc Mesraim nepote Noë. Ex quo perspicuè refelluntur, tanquam commentitia, quæ de sua illi quondam antiquitate prædicabant, & alij ex Herodoto. quem ipsum satiùs erit audire. *Ad hunc vsque*, inquit, *narrationis locum & Aegyptij, & Sacerdotes referebant, demonstrantes à primo rege, ad Vulcani sacerdotem hunc* (Sethon) *qui postremus regnauit, progenies hominum fuisse trecentas quadraginta vnam; & totidem interea pontifices, totidémque reges. Trecenta progenies idem quod decem millia annorum pollent. Nam tres virorum progenies, centum anni sunt, ex quibus vna & quadraginta, quæ reli-*

in Euterpe.

quæ sunt vltra trecentas, sunt anni mille trecenti quadraginta [20]. Et mox: *Dicebant intra hoc tempus quater solem præter consuetudinem fuisse ortum: bis quidem illinc exortum vbi nunc occidit, bis autem vnde nunc oritur illic occidisse.* Sed hæc est tantùm bina mutatio, quia cùm oriebatur ab occasu occidebat in ortu. Alibi etiam ab Ægyptio quodã Hercule, ad Amasin regem, septemdecim annorum millia iidem numerant. vt scilicet fictitias illas suas Dynastias expleant. Verùm inconsultarum fabularum satis.

20. %

in eodem libro.

LXII. *Commentitia rerum antiquitas, & Dynastia.* NAM cuiuis, qui tantillum sapiat, satis constat Ægyptios antiquiores non fuisse principe ac fundatore suo Mesraim, filio Cham, & nepote Noë, neque eum ante diuisionem terrarum in Ægyptum profectum, aut ante confusionem linguarum quæ in annum à diluuio 275. cadit, à conditu autem rerum 1931. Illæ autem Dynastiæ quindecim, quas ante Abrahamum Eusebius memorat, ab Africano siue Manethone Ægyptio sacerdote mutuatas, quæ retro ad Adamum ipsum pertingere possint, vt putat Mercator, meritò vt commentitias respuimus; præsertim cùm eas Moyses apertè refellat, cùm ait, *Hæ familiæ Noë iuxta populos & nationes suas, ab his diuisæ sunt gentes in terra post diluuium.* Rectè, nam ante diluuium vt nulla erat linguarum, ita neque nationum distinctio. Ergo ante diluuium Ægyptij esse nequiuerunt, nedum quindecim Dynastias expleuerint, ter millium trecentorũ & septendecim annorum, & insuper 74. annos decimæ sextæ Dynastiæ. vt est apud Scaligerum, & Africanum, ex quo fiat vt earum initium, Adami ortum mille septingentis & 35. annis anteuertat.

c. 10. Gen. fin.

in Canon. Isagog. p. 125 apud eundem Græcè, p. 115.

LXIII. *Filij Mesraim cuius regionis incolæ, Iosepho, qui & improbatur.* HVIVS Mesraim filij, octo populorũ progenitores, ipsarum gentium nominibus recenset Moyses. *At verò Mesraim,* inquit, *genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, Nephtuim, & Phetrusim, & Chasluim, de quibus egressi sunt Philistiim, & Caphtorim.* Quæ sic explicat Ioseph. *Mesræi verò filij numero octo, quantum terrarũ à Gaza Aegyptũ vsq; patet, possederunt, sed solus Philistinus nomen ipsius regio seruauit.* Quæ ego fateor me non intelligere, primo quia à Gaza vsque ad Ægyptum permodicum interuallum est, vt octo populos non videatur capere potuisse. Secundò quia is locus ad Arabiã pertinet, iam filiis Chus attributam. 3. quia Philisthæi à Mesraim progeniti, toti sunt citra Gazam. Nam reliquæ omnes primariæ eorũ vrbes à Scriptura celebratæ recedunt à Gaza Septentrionem versus, nimirum Ascalon, Azotus, Accarõ, Bethsames, Geth: vt videre est in omnibus Syriæ tabulis, antiquis, atque recẽtioribus. Sed nec ipsa vocabula quæ habet Scriptura satis in Iosepho agnosci possunt, vsq; adeò illa deformata sunt. Denique non intelligo quî bello Æthiopico sint euersæ eorum vrbes, cùm neq; illi in Æthiopia fuerint, nec eis vicini habitarint, sed inter Gazã & Ægyptum, nec illi nisi Memphim vsque, & mare versus progressi dicãtur ab eodem Iosepho, qui id bellũ dicitur in Mosis commendationẽ excogitasse, vt suo loco dicetur. Rectiùs ergo D. Hieron. ait filios Mesraim *possedisse terrã à Gaza vsque ad extremos fines Aegypti,* tota scilicet Ægypto comprehensa. *Exceptis autem,* inquit, *Labaim, à quo Libyes postea nominati sunt, qui priùs Phuthæi vocabãtur; Et Casloim qui deinceps Philisthiim appellati sunt, quos nos corruptè Palæstinos dicimus. Cætera sex gẽtes ignotæ sunt nobis.* quia nimirũ vix vlla est earũ mentio in Scriptura, ex quo rectè conijcere possumus eas vltra Ægyptũ longè à Iudæa & Syria regiones Africanas habitasse.

Berold. l. a. c. 2 circa med. in trad. Hebr.

LXIV. *Ludim, Lydij Africani.* LVDIM tamen aliquot Scripturæ memorantur locis. Nam apud Ierem. 46. 9. Hebr. Ludim Lydios vertit Latin. interpres, & quasi vicinos & commilitones, Æthiopibus ac Libyis aggregat. Eodémq; modo apud Ezech. Regionem etiã ipsam Lydiã interpretatur Hieron. Esaiæ vlt. vbi Propheta tantũ non dicit Lydiã in Africa esse. *Mittam,* inquit Dominus, *in Africã, & Lydiam tendentes sagittam, in Italiã, & Græciã,* &c. Sicut enim Italiæ Græcia vicina est, non magno ab ea disiuncta freto, imò eidẽ continens est, si magnæ Græciæ, quæ olim, & temporibus Prophetæ dicebatur, rationẽ habeas, ita & Africæ Lydia. Sed & hos Lydos in Africa esse ex eo facilè intelligitur, quòd fœdere cũ Ægypti rege Nechao coniũcti, in eius exercitu militarent, sagittariorum munere fungentes. Possunt quidẽ vocari Ludæi ad distinctionem Lydorum in minore Asia, sed v & y passim permutantur. Nec nouum est vrbes & prouincias diuersarum regionum esse cognomines, vt docet Thesaurus Geographicus Ortelij sexcentis exemplis.

cap 30. 5. c. 27. 10. c. 66. 19

LXV. *Anamim, Numidæ.* ענמים. IAM verò Anamim eosdẽ putat DelRio cũ Ammaniẽtib. Africæ populis. De quib. Plin. *Ammaniẽtes, inquit, 11. dierũ itinere à Syrtib. maiorib. ad Occidentẽ, & ipsi quaquauersũ*

l. 5. c. 5.

arenis circundati, &c. Collocat eos inter Nasamones & Troglodytas. Sed videntur potiùs Ammanientes ab arenis nomen habere. ἄμμος enim & ψάμμος arena est, vnde & Ammonius Iupiter. Alij Anaitas in Æthiopia volunt esse Anamim, Septuaginta vocant Ἐνεμετιείμ, ex quo Eusebius Νεμετιείμ, Chron. Alexandr. Ἀινεμετιείμ. vnde Pamphylios deducit, nulla aut nominis, aut regionis probabilitate.
Brougton. Numidas malim cum aliis, qui & Anubim hinc trahunt.

LAABIM, siue Lehabim להבים Iosepho Labimi, Libyi sunt, quod eorum author LXVI.
Libys colonis in Libyam ductis regionem à se denominauerit, quæ priùs à patruo *Lahabim,*
eius Phuth nomen acceperat, quod confirmat etiam Hieronymus. Sunt autem *Libyj.*
Ægyptiis Occidentem versus contermini.

Nephtuim, Hebræis נפתחים Naphtuchim. Septuaginta Νεφθαλείμ, Eusebio Νεφθαβιείμ, ex quo natos aliqui Numidas putant, planè vt Neptunum à natando. Chronicon Alexandrinum istos Phrygas putat; nónne satiùs est cum cæteris ignorantiam fateri: mallem illam ipsam Neptuni vocem, ab hac Hebræa deducere, & in Numidia sunt Neptuni aræ. Tu lector, si quid nouisti rectiùs istis Candidus imperti.

vel cum ב Phetrusim, siue פתרסים ad Petræos Arabas quidam referunt, quos ab vrbe Petra plerique denominant. Septuaginta Euseb. & Chronic. Alexandr. πατροσονιείμ, ex quo deducit Cretas, qui ad filios Iapheti pertinent. Crediderim sanè hos Petræos Arabes esse, qui à Ptolemæo Ichthyophagi appellantur, & inter
Africæ tab. 3. Orientales montes Ægypti, & sinum Arabicum collocantur, vt videre est in tabulis eiusdem.

CHASLVIM, siue, vt Hebræi scribunt, כסלחים Septuaginta Χασμωνιείμ, aut potiùs, LXVII.
vt habet Eusebius & Chronicum Alexandr. Χασλωνιείμ, quos Montanus Sarra- *Chasluim ex*
cenotum quandam gentem, Brougtonus ξυλικάς appellat, ab iis Lycios deducit *quibus*
prædictum Chronicum, quos satiùs est relinquere in Asia minore cum Iaphe- *Caphtho-*
tæis. Illud certum est, quod habet Scriptura, ex his egressos esse Philistæos, & *res &*
Caphthoræos. quos Palæstinos, & Cappadoces Latinè dicimus; præeunte Hie- *Philistæi.*
in 13. Iosuë n. 3. ronymo in editione vulgata Hebræi vocāt פלשתים & כפתרים Pelistim & Caphtho-
L. 15. n. 109. rim. Septuag. φυλιστιείμ (& passim ἀλλοφύλους) καὶ τοὺς Γαφθοριείμ. Existimo autem cum Andrea Masio, & Pererio, Chananæos, & nominatim Heuæos, vt paulò pòst dicetur, totam illam regionem littoralem, quæ postea Palæstina dicta est, possedisse; sed progressu temporis ex Chasluin prodiisse Caphthoræos siue Cappadoces, qui illos deleuerunt, & regionem ipsorum latè occupauerunt, vt habetur
c. 2. 23. in Deuteronom. Ex istis porrò Caphthoræis extitere Palæstini, qui propterea à
c. 47. 4. Ieremia dicuntur reliquiæ insulæ Cappadociæ, siue, vt est in Hebræo, insulæ
c. 9. 7. Caphthor. Ex quo etiam loco dicuntur venisse, Amos 9. 7. & videlicet Caphthoreis, siue Cappadocibus in regionis illius possessione successisse.

HIC porrò satis constat Cappadociam hoc loco non intelligi, quæ in Asia LXVIII.
minore iam filiis Iaphet attributa est, cùm filiis Chami Meridionalia debeantur; *Caphtho-*
sed aliam quādam eiusdem nominis Africanam, vel certè Ægypto & Palestinę vi- *res, Cappa-*
n. 111. cinam, vt ait Pererius lib. 15. in Gen. Christophorus autem à Castro vult Caph- *docésne an*
in c. 47. Ierem. thoræos esse Cyprios, quod Caphthor insula dicatur à Ieremia, quod nomen ne- *Cyprij.*
que Cappadociæ conueniat, neque Libyæ, neque alteri loco, qui mari non cingatur; & faueat similitudo vocis. Verùm obstant quæ suprà n. 37. diximus de Chettim tertio filio Iauan. Sed conciliari possunt si dicamus Cethim esse nomen generale, quo non solùm Cyprus, sed aliæ quoque insulæ, & loca comprehendantur, vt ibidem docuimus, Caphthor autem propriè Cypro conueniat. idque innuit etiam Theodoretus in 47. Ierem.

RESTAT in filiis Cham progenies Chanaan, nam Phuth tertio loco positus LXIX.
prætermittitur, quod in plures diuersæ linguæ populos non fuerit multiplicatus. *Phuth Li-*
Ab hoc autem denominatos esse Libyæ populos Phuthæos, paulò antè ex Hie- *bycarum*
& Plin. l. 5. c. 1. ronymo diximus, Iosephum sequente, cuius hæc sunt verba. *Quæ & Libyæ colonos* *gentium*
dedit Phuthes, de suóque nomine Phuthæos dici voluit; extat & flumen in Mauritania hoc no- *princeps.*
mine; & complures apud Græcos historici eius mentionem faciunt, sicut adiacentis etiam regionis, quæ Phuthe dicitur (imò dicebatur, nam mutatio facta est ante Moysem natum,) *sumpsit autem præsens nomen ab vno filiorum Mesrai, qui dicebatur Libys.* Intelligit

exteriorem Libyam, Ægypto ab Occidente conterminam, quæ auxilio erat Regibus Ægypti, vt patet ex 30. Ezechielis, vbi Libya & Lydia dicuntur terræ fœderis. Pro Libya in Hebræo habetur Phuth. Sicut & apud Ierem. & Ezechielem [c. 46. 9. c. 27. 10. c. 38. 5.] ex quibus locis, aliisque intelligitur nomen Phuth, non minùs quàm Mesraim, aliàque nomina, retentum fuisse ab Hebræis, ipsisque Prophetis in monimentum antiquæ veritatis.

LXX. *Familia Chanaan ex quo Chananæi.*

QVARTA, Chami familia ducem habet, & quasi choragum Chanaan, Hebræis כְּנַעַן Chenaghan, qui nominatim ab auo maledictus est, vt suprà dictum fuit, [23. 11.] quique toti regioni Chananæorum, quàm latè patet, nomen dedit. Quod diutissimè retinuit, nam etiam postquam Israëlitæ ex Ægypto reduces eam occuparũt, & duodecim tribubus diuisum assignarunt, imò & temporibus Esaiæ adhuc vsurpabatur, [c. 16. 29.] & Ezechielis non vno in loco, vbi tamen propriè Phœnices eo nomine intelliguntur, vt ex textu patet, & confirmatur ex Euangeliis, [c. 17. 4. & alibi.] vbi eadem mulier & Chananæa dicitur, & Syrophœnissa [21]. Vsurpatum etiam est id nomen in contumeliam quasi maledictum, vt illud, Semen Chanaan, & non Iuda, Danielis 13. [21. X. v. 56. Sic Osee 12. 7. Sophon. 2. 11.] Peculiarem tamen regionem habuisse videntur in montanis Iuda, vt ex lib. Iudicum colligitur. Huius filij diuersarum gentium stirpes vndecim à Moyse recensentur.

LXXI. *1. Sidon origo sidoniorum, eorũmque antiquitas, situs, &c.*

QVORVM primogenitus fuit Sidon, qui Sidoniis Phœnicum populo nomen [Vbi vide Riberã n. 9.] dedit, condita in Phœnice sibi cognomine ciuitate, vt Iosephus & Hieronymus [cap. 1.] tradunt. Ex hoc autem loco facilè constat Sidoni præ Tyro, tametsi antiquissima, palmam antiquitatis esse tribuendam [22], [22. X.] sed & diuturnitatis, quando etiam nunc post tot ruinas, & restaurationes extare dicitur, vtriúsque fundatoribus & reparatoribus, eximiam locorum opportunitatem secutis. [dicam ann. mũdi 2789] Nam vt omittam hoc loco de Tyro dicere, Sidon ab Occidente Mediterraneo mari alluitur, vbi insignem ac tranquillum portum habet, vbi & vicinam respicit Cyprum, ex quo illud Esaiæ, *Filia Sidonis in Cethim consurgens transfreta.* [23. 12.] Quanquam ibi intelligitur Tyrus, contra quam est totum hoc caput, idque valet ad Sidonis antiquitatem celebrandam. Sed tam Tyrus quàm Sidon obiectam habent Cyprum. Habet ab ortu montem Libanum nobilissimis lignis, lapidibúsque pretiosis celebratum; quibus gloriosa Hierusalem cum tẽplo suo decorata est, vnde Adonius fluuius, Eleutherus, & Leontes deriuati latè circumpositam regionem irrigant ac fœcundant. Habet & Antilibanum crebris consitum vineis, optimíque vini feracem; habet & latè patentem agrum fructiferis arboribus, melleis cannis, pratis, syluísque abundantem. A Septentrione vicinas habet vrbes nobiles Berythum, Byblum, Tripolim. A Meridie Sareptam, Tyrum & Ptolemaidem, & ibi in Belo fluuio vitri fertiles arenas, vt author est Plinius. [l. 5. c. 19. l. 36. c. 26.] vnde & Sidon vitri officinis nobilitata, & speculorum inuentrix. Hæc & plura alia Guill. Tyrius in historia belli sacri, Brocard. Adrichom. alij [23]. [23. X.]

Ipsa porrò vrbs aëre saluberrimo fruitur, solida in rupe super littus maris constructa [24], [24. X.] in longum ab Aquilone in Austrum porrigitur, & vtrobique arce valida communitur, præter alteram etiam in vrbis meditullio constitutam. *Fuit hæc ciuitas,* ait Hieronymus, *olim Chananæorum terminus, ad Aquilonem respiciens,* [in lo. Heb. c. 10 Gen. v. 19.] & postea regionis Iudææ, vt significat Moses. Cecidit autem in sortem tribus Aser, sed [49. 13.] eam non possedit vnquam, quia veteres incolas expellere non potuit, vt ex libro Iudicum intelligitur. Deinceps verò multis seculis, multis dominis commutatis, postremo in Turcarum manus deuoluta est. Plinius eam Thebarum Bœotiarum [c. 3. v. 4.] parentem facit, Esaias etiam Tyri, vt iam dixi.

LXXII. *2. Heth ex quo Hethæi.*

SECVNDVS filius Chanaan Heth dictus est, à quo Hethæi. Septuag. Chethæos vocant, propter *n* asperum, quod in fronte habet, & nihilominus cauendum, ne cum Κιτιαίοις filiis Iauan confundantur, qui per a scribuntur initio. Fuit hæc vna de septem gentibus, qui iudice Deo internecioni adiecta fuit, ad Israëlitarum aduentum, primáque numerantur Deuter. 7. 1. [Num. 13. 30.] Hi montanam regionem incoluere, quæ postea tribui Iuda sorte obtigit, & vsque ad mare magnum (Mediterraneum, ad differentiam maris Tyberiadis & aliorum lacuum) [Iosuè 1. 4.] *contra Solis occasum* protendebatur. In ea fuit ciuitas Heth, ex qua Vrias Hethæus, teste Hieronymo, [in 1 Par. 11. c. 13. fi.] & ab eius ciuibus Abraham locum sepulturæ emit, Genes. 23. Ibi He-

Num. 13. 23.
23. 15.
9. 10
Iosue 15. 8.
Iudic. 19. 10.
Iud. 1. 21.

bron, eiusdem Patriarchæ habitatione nobilitata. Ibi filij Enachim procerissimi homines de genere gigantæo. Eos in primis subegit Caleb, vt ex libro Iosuë & Iudicum intelligitur.

TERTIVS est Iebus, ex quo Iebusæi, Hebræis יבוסי. & ipsa Hierosolymorum civitas, quàm illi diutissimè tenuerunt, Iebus appellata. Eorum regio in sortem Beniamin cecidit, sed eos illi superare non potuerunt. vtrúmque Scriptura perspicuè docet. *Iebusæum*, inquit, *habitatorem Ierusalem, non deleuerunt filij Beniamin, habitauítque Iebusæus cum filiis Beniamin in Ierusalem vsque in præsentem diem.* Id est ad tempora Samuelis, si is author libri eius, vt Hebræi opinantur. Sed vlterius etiã, vsque ad regnum Dauidis, quando eos ille ex arce Sion expulit, quàm ipsi ingenio loci munitissimam, ad id tempus retinuerant, quámque Dauid de suo nomine ciuitatem Dauid appellauit. Expulit autem, nec planè deleuit. nam vixerunt tributarij cum Israëlitis, sicut & Sethæi, etiam temporibus Salomonis. Imò & temporibus Esdræ quod ille vehementer deplorat. LXXIII. 3. *Iebus ex quo Iebusæi.*

2. Reg. 5. 6.
1. Par. 11. 4
2. Par. 8. 7
1. 2. c. 9.

QVARTVS filius Chanaan Amor, siue Emor, nam Amorrhæi, qui ex eo progeniti, אמרי Hemori, quo modo Heuæus ille pater Sichem dictus est Hemor, tametsi prima litera diuersa est. Amorrhæi porrò ante aduentum Israëlitarum habitarunt trans Iordanem ad Orientem: ita vt regnum Amorrhæorum ab Occidente Iordane clauderetur, ab Oriente regno Ammonitarum & Nabathæorum, à Septentrione torrente Iobec, & regno Basan, quod regnum aliquando in regno Amorrhæorum includitur. Nam vterque Rex Amorrhæus appellatur à Moyse. Agens enim de Seon, & Og rege Basan, *Tulimus*, inquit, *illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem.* Et rursus in eodem libro, *Faciétque Dominus eis, sicut fecit Seon & Og regibus Amorrhæorum.* Et iterum Iosuë 2. 10. eodem modo à Rahab indigena appellantur: totũ ergo terræ spatium quod ab illis duobus regibus possidebatur, pertinuit ad Amorrhæos. Crebro tamen à Scriptura separantur, maximè Numer. 21. Deuter. 2. & 3. quando pressius vsurpatur id nomen. Sed inuenias etiam Amorrhæos dici, qui erant cis Iordanem eiusdem fluminis accolæ. Nam Iosuë 5. 1. dicitur omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Iordanem ad Occidentem, ad Israëlitarum aduentum timore concussos. Denique nomine Amorrhæorum septem gentes aliquando comprehenduntur, vt Gen. 15. 16. vbi Dominus dicit Abrahæ nondum iniquitates Amorrhæorum esse completas, fortè quia, vt erant omnium potentissimi, ita & deterrimi, vt sæpè contingit. Ita nomine Sodomæ aliquando reliqui Pentapolitæ comprehenduntur. Quo pertinet illa contumelia, Pater tuus Amorrhæus est, & mater tua Cethæa. Regnum porrò Seon Amorrhæi, vt distinguitur à regno Basan, pertinuit ad tribum Gad, vt suo loco dicetur. LXXIV. 4. *Amor radix Amorrhæorum.*

Deut. 3. 8.
31. 4.
Vide c. 3. 10.
Ezech. 16.

QVINTVS est Gergesæorum parens, quem Gergam vocare possis. Ex quo primùm dicta est ciuitas Gergesa, deinde Gerasa, vnde regio Gerasenorum Matthæi 8. 28. In Græco propiùs ad originem Γεργεσηνῶν Gergesenorum, siue Gergesæorum. A Iosepho Gerasis dicitur, ab Hieronymo Gargasi. *Gargasi*, inquit, *ciuitas trans Iordanem, iuncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manasse. Et hæc esse nunc dicitur Gerasa, vrbs insignis Arabiæ; sed & Euangelium meminit Gerasenorum.* Hæc ipse. Collocat eam vrbem Adrichomius in monte, cuius meminit Marcus, ex quo magno impetu porcorum duûm millium grex præcipitatus est in mare, in eóque suffocatus. Intelligit autem Euangelista littus Orientale maris Galilææ, ex aduerso Tiberiadis, paululùm tamen ab ea ad Aquilonem declinans[25]. LXXV. 5. *Gergesæorum parens* גרגשי

l. 3. de bell. c. 2.
in lo. Heb.
c. 5. 11.
25. x.

CÆTERVM isti Gergesæi videntur ab Amorrhæis subiugati, & maxima regionis suæ parte mulctati, cùm tota nomine Basan, & Amorrhæorum regione contineatur; propriè autem reperiuntur immediatè positi in regno Basan, vltra regnum Amorrhæorum ad Septentrionem, quæ terra etiam gigantum in Deuteronomio appellatur, & pertinuit ad dimidiam tribum Manasse, quæ hæreditatem trans Iordanem, ad Orientalem plagam sortita est. Quæ cum Torniello ignota non essent, miror ipsum scribere non exprimi à Scriptura, vbi illi habitarint, & incertum relinqui, iidémne sint cum prædictis Gergeseis in Euangelio celebratis. Nam cùm & nomen ex Scriptura teneamus, & locum nomini LXXVI. *Quæ eorum regio.*

c. 3. 13.
in hũc ann. n. 39.

congruentem, quid est cur dubitare debeamus hos trans mare Galilææ habitasse?
aut cur alios Gergesæos quæramus, & quærere malimus, aut ignorare, quàm
agnoscere? At si habitassent, inquies, trans mare Galilææ, posset quis ex nominis
similitudine, aut loco habitationis colligere eos fuisse eiusdem generis. Vnde scis
non habitasse? Ego habitasse dico trans illud mare; & probo tum ex nominis
identitate, tum ex eo quod hic locus contineatur diuina promissione Israëlitis
facta, & in sorte Cham includatur. Qui contra sentiat, doceat non habitasse in il-
lo loco, nomen non conuenire, aut aliquam dubitandi causam afferat.

LXXVII. *6. Heuæus quæ loca possederit.*
SEXTVS est Heuæus Hebræis, חוי ebiui, Sept. εὐαῖοι. Vnus & ipse de septem
populis anathemati diuino subiectis. Incoluit montem Hermon, siue radices eius,
in terra Maspha propè Antilibanum, qui totus locus ad Phœniciam pertinebat,
& tribui Aser destinatus fuerat, vt patet ex tabulis Adrichomij. Deuicti sunt à
Iosuë, multisque tandem prælijs profligati, vt habetur in libro Iosuë. Alia tamen c.11.17.
loca etiam quondam possederent. Nam Gabaonitæ Heuæi erant, Iosuë 11. 19.
quorum ciuitates Gabaon, Caphira, Beroth, & Cariathiarim, Iosuë 9. 17. quæ
pertinuerunt ad tribum Beniamin[26]. Andreas Masius in Iosuë. *Nehmannus*, in- in c. 11. v. 4. 26. χ.
quit, *probabiliter sanè existimat, Raphaim Heuæorum esse cognomen. Nam cùm Heuæi à ser-
pentibus dicti sint, qui in terra cauernis habitant, rectè appellantur ijdem* רפאים *quasi inferos
dicas, & sub terra agentes; hac enim notione vsurpauit hoc verbum Isaias, aliique.* Sic ipse. 26. 14.
Sed, opinor, probatum oportuit Heuæos in cauernis terræ habitasse, videntur
autem dici Raphaim Genes. 15. fi. Denique qui habitabant in Haserim vsque Ga-
zam, & à Caphthoræis, siue Cappadocibus deleti sunt, Heuæi erant. Deut. 2. 23.

LXXVIII. *7. Aracæus.*
SEPTIMVS, Aracæus ex Septuag. Nam Hebræi ערקי gharei, qui vrbem Ar-
cen in Libano sitam condidisse à Iosepho perhibetur. Plinius & Hieronymus Ar-
can vocant, sed hic contra Tripolim positam scribit in radicibus Libani; Ptole-
mæus autem in Asiæ tabulis, eam quidem in extremis Libani ponit, sed Biblo po- tab. 4.
tiùs, quàm Tripoli obiicit. inuenitur & Arachis appellata; de qua pluribus Adri- n. 9.
chom. in locis exteris, ex varijs Iosephi locis.

LXXIX. *8. Sinæus.*
OCTAVVS est Sinæus, Hebræis, סיני sini, Septuag. Eusebio, & Chron. Ale-
xandr. ἀσενναῖος. Et ipse conditor ciuitatis Sim, quæ à prædicta ciuitate Arce dimi-
dio miliario distat versus Austrum, vt ait Adrichom. ex Brocardo, consentiens
Hieronymo; qui haud procul ab Arca sitam ait, & insuper addit, vario euentu
bellorum subuersam, nomen tantummodo loco pristinum reseruasse. Non desunt
qui hunc filium Chanaan Sinai monti Arabiæ nomen dedisse putent, etsi deser-
tum & incultum fuisse ex Scriptura constet, & longè ab illa regione semotum,
quæ in sortem Israëlitarum cadebat. Ab eodem Chron. Alexandr. deriuat Dal- Beroald. & Merula.

An singulorũ diuersum idioma fuerit.
matas. Ex tanta porrò si non tenuitate, certè vicinitate locorum, facilè intelligi-
tur, pro horum filiorum Noë numero, linguas diuersas non fuisse multiplicatas,
præsertim primarias. quis enim credat vnius oppidi finibus linguam vnam circun-
scriptam ac definitam fuisse, aut vnam Chananæorum prouinciam vndecim lin-
guas planè à se inuicem distinctas habuisse? Sed reddamus cæteros.

LXXX. *9. Aradiorum insulanorum origo.*
NONVS Aradius, Hebræis ארודי Aruadi. Septuag. Euseb. & Chron. Alexand.
Ἀράδιος. Iosepho Aradæus Aradum insulam obtinuit. Explicat Hieronymus. in tradit.
Aradij sunt, qui Aradum insulam possederunt, angusto freto à Phœnices littore separatam. Id
fretum duorum millium Brocardo est. Ptolemæus in tabula Syriæ in eo freto
Eleutheri fluuij ostia, atque ingressum ponit. Indéque spatio pari ad eiusdem flu-
minis ripam Antaradum collocat, cui ex opposito insulæ, nomen datum constat;
quomodo Rhium & Anti-Rhium promontorium in sinu Corinthiaco nomen
acceperunt, sic Taurus & Anti-Taurus, Libanus, & Anti-Libanus, &c. Insu-
lam porrò totam oppido occupari scribit Mela, meminit ciuium eius Ezechiel, c. 27. 8. 11.
vt remiges, & excubitores agentium in vrbe Tyro. Celebrata est hæc insula co- in 23. sch.
lumnis vitræis magnitudinis immensæ, vt suprà seorsim diximus, cùm de Sidone l. 7. recogn.
ageremus. Addo hîc ex eodem libro Clementis in ea Petrum Apostolum matrem
D. Clementis mendicantem reperisse, & filio matrem, matri filium, post pluri-
mos denique annos, reddidisse, & ibidem paralyticam mulierem sanasse, aliáque n. 7. & 8.
nonnulla, quæ tu maiore otio consules. Vide & Adrichom. in locis exteris. Ego
ad Samaræum progredior.

LXXXI. 10. *Samarus, author Samaritanorum.*

I D nomen eſt decimi populi, cui decimus filius Chanaan nomen dedir, צְמָרִי tſemari, Septuag. & cæteri Græci Samaræus. De quo Ioſephus, ſicut & de aliis aliquot, ſcribit nihil præter nomen in ſcripturis ſupereſſe. D. Hierony. Samaræos putat eſſe Cœleſyrios, in quibus nobilis ciuitas Edeſſa. Verùm Ptolemæus eam in Meſopotamia vltra Euphratem collocat, quo ſors Chananæorum non pertinuit, itémque Plinius. Exiſtimo Samarum hunc, montem, qui poſtea in ſortem Ephraim cecidit, non longè à cognaris Iebuſæis inſediſſe, ibique ciuitatem conſtruxiſſe, quæ Semeron dicta eſt, & tempore Ioſue proprium habebat regem, qui cum Ioſue pugnauit, & victus occubuit. Manſit inglorius ille mons ſeculis aliquot, donec Amri pater Achab eam duobus talentis argenti emit, ibique ciuitatem excitauit, quam à Domino montis Somer appellauit, quæ deinceps regni Iſraëlitarum caput fuit, nec eſt quod primæ literæ diuerſitas non turbet, quod hoc loco Samarus per צ tſade ſcribatur, mons autem ille Amri per ש, nam idem mons Semeron in Ephraim per tſade ſcriptus eſt, & conſtat in nominibus propriis non raro literarum aliquam contingere mutationem. Vt in Amath & Emath de quo paulo poſt dicemus.

in Aſiæ tab. 4. l.5.c.24. c.11.1 7.8. 12 20. 3.Reg.16, 24. Ioſeph. 8. antiq c.7 2. Paral 13. 4.

LXXXII. *An gemina Samaria.*

N A M qui geminam Samariam faciunt, quod illius mentio in ſcripturis repetiatur ante regnum Amri, non ſatis mihi ſententiam ſuam probant. Nam id per anticipationem tam à Prophetis diuinitus illuſtratis, quàm à ſcriptore ipſo libri ſacri factum videtur, reſpiciente ad poſteriorem loci denominationem. Ideóque Septuag. antiquam No. Alexandriæ nouo nomine appellarunt. Et hæc eſt ſententia Abulenſis in Geneſim, quamuis in 3. Regum aliter ſentiat, ex eo maximè loco, quod vir Dei tempore Ieroboam, à quo Amri ſextus Rex fuit, prophetauit contra fana Samariæ, quæ niſi iam fuiſſet, non intellecta fuiſſent verba Prophetæ ab iis contra quos prophetabat. At facile intelligitur Prophetam vſum eſſe vocibus appellatiuis, verbi gratia denunciaſſe ruinam fanis excelſorum, quæ erant in vrbibus, quæ parebant Ieroboam, aut quæ à Domino defecerant, aut quæ erant in decem tribubus; quæ ſcriptor ſacer in proprium nomen, quod poſtea viguit, conuertit.

q 7. in 10. Gen. 3 Reg.16 q.15 & 1 Reg 13.q 40.v.32.

LXXXIII. 11. *Amath ex quo terra Emath, in finibus Chanantidis.*

V N D E C I M V S, ac poſtremus populus proſeminatus à filiis Chanaan eſt Amathæus: Hebræis חֲמָת Chamathi. Septuag. Ἀμαθί. *Amathus verò, inquit Ioſephus, Amathen habitauit, quæ adhuc extat, & ab incolis Amathe vocitatur, tametſi hanc Macedones Epiphaniam, ab vno è regum ſucceſſoribus denominauerunt.* Idem ſenſit D. Hieronymus in tradit. Exiſtimo nihilominus cum Adrichomio, qui hæc poſterius diligentiſſimè perquiſiuit, Amath, ſiue Emath, nam variè ſcribitur hæc vox, ſitam fuiſſe iuxta montem Libanum, in finibus regionis Damaſci, ad quam etiam pertinuiſſe ſignificat Ierem. & apertius Zacharias, à qua circumpoſitus ager terra Emath appellata eſt, in qua fuit Reblata, vt conſtat ex 4. Reg. qui fuit terminus terræ diuinitus promiſſæ filiis Iſraël. Nam longitudo eius regionis definitur, *ab introitu Emath, vſque ad torrentem Aegypti,* id eſt à Septentrione ad Meridiem. Ad eam vſque exploratores Moſis peruenerunt. Et ceſſit illa quidem in ſortem tribus Nephthalim, Ioſue 19. 35. vbi in ciuitatibus munitiſſimis numeratur, ſed ea non ſunt potiti, vt ſignificatur in libro Iudicum. Cùm autem Dauid in iis regionibus victricia arma circumferret, & Adarezer Regem Soba debellaſſet, Thou Rex Emath ſibi timens miſit Ioram filium ſuum ad regem Dauid, cum muneribus, ad ſalutandum eum, & ei congratulandam victoriam de Adarezer, cui erat etiam ipſe inimicus. Ideò D. Hieronym. ait, eum filium ſuum in dolo ad Dauidem miſiſſe; vt ſcilicet inita, firmatáque cum eo amicitia, Dauid eum è regno ſuo non exturbaret, quod & aſſecutus eſt. Verùm non euaſit Salomonis manus, qui eam occupauit, vt traditur in 2. Paral. c. 8.3. *Abiit quoque in Emath ſuba, & obtinuit eam.* Ex quo redarguas Beroaldum, dum ex eo quod vrbs illa non fuit occupata à Dauide, putat ad ſortem Iſraëlitarum non pertinuiſſe. Non enim vſurpauit Salomon vrbem, in quam ius nullum haberet. Inde etiam intelligitur, quoties ſcriptura de termino Septentrionali Iſraëlitarum loquitur, & nominat Emath, illam ipſam vrbem comprehendere, ſicut Berſabee in termino Meridionali. Amiſſa verò eſt, cum reliqua regione decem tribuum, illis ab Aſſyriis in captiuitatem abductis. Vide de Emath plura apud Pererium.

& alibi, vt notauit Peter l. 13. n.121. & ſeqq. c. 49. 23. c.9.2. 4.Reg.23. 33. 3.Reg. 8. 65. Num.13. 22. c 3.3. in trad. in 1. Paral. 18. lib.13. in Gen. diſput.9.

LXXXIV. *Pherezæi qui, & vbinam collocati.* SED vbi collocamus Pherezæos, quos tam sæpe Scriptura in gentibus exterminandis ab Israële connumerat? Adrichom. licet alioqui in tota hac sacrorũ locorũ perquisitione diligentissimus, nullum eis assignat locum. Perer. Pherezæos putat eosdem esse cum Samaræis, à quibus regio Samariæ primùm habitata, ac nominata est. (l.15.n.125.) Andreas Masius in Iosue, *Pherezæi*, inquit, *hominum genus erat agreste procul ab vrbibus degens. Nam &* פְּרָזוֹת *parazoth, loca non cincta muris vocantur, vt censent Iudæi.* (c.17.v.15.) *Ego verò existimo* פריצים *Pherezæos potius grassatores fuisse, & homines qui ex rapto viuebant, eósque à viribus aut violentia sic esse vocatos. Animaduerti enim verbum* פָּרַץ *reddi solere Græcè ἐπιχεῖν.* Hæc ipse.

Apparet ergo existimare Mazium Pherezæorum nomen appellatiuum potiùs esse, quàm proprium. Verùm proprium populi vnius esse omnes sentiunt, idque Scriptura vbique significat, aggregans eos populis Chananæorum; Imò & locis eos, aut coniunctos facit, aut vicinos. Id colligitur ex initio libri Iudicum, vbi tribus Iuda alloquitur tribum Simeonis. *Ascende*, inquit, *mecum in sortem meam, & pugna contra Chananæum*. Et mox, *Ascenditque Iudas, & tradidit Dominus Chananæorum, ac Pherezæum in manus eorum, & percusserunt in Bezec decem millia virorum. Inueneruntque Adonibezec in Bezec, & pugnauerunt contra eum, & percusserunt Chananæum, & Pherezæum.* Apparet Adonibezec fuisse regem Pherezæorum, & eius regiam fuisse Bezec, eique venisse auxilio Chananæos, qui & deuicti sunt cum Pherezæis. Dico hos videri Pherezæos, quia mox seorsim scriptum est Iudam, post mulctatum iusto iudicio Adonibezec, contra Chananæũ pugnasse, qui habitabat in montanis, vbi propriè videtur vsurpatum Chananæi nomen, cùm alioqui id nomen septem populis multis in locis accommodetur, omnésque comprehendat, sicut & terra Chanaan.

LXXXV. *Termini Chananitidis.* CVIVS terminos consequenter definit Moyses; *Factiq; sunt*, inquit, *termini Chanaan venientibus à Sidone Gerarum, vsque Gazam, donec ingrediaris Sodomam, & Gomorrhã, & Adamam, & Seboim, vsque Lesa.* (c.10.Gen. 19.) In qua enumeratione oppidorum, Sidon & Gaza sunt termini ad mare mediterraneum, siue occidentem solem, Gaza, Gerara, & Sodoma, à meridie Chananitidem terminant; Sodoma verò, & reliquæ vrbes nequitia priùs, quàm flammis perditæ, vsque ad Lesa orientem claudunt, non recta, sed valde obliqua linea. Lesa enim, quæ & Laysa dicitur, & Lais, & Dan à filiis Dã, qui eam occuparunt, vt fusè in lib. Iudicum scriptum est, Laisa, inquam, in angulo Septentrionali multum declinat ad Sidonem, & cum ea terram Chanaan à Septentrione definit, sed tota hæc definitio, pingui, vt aiunt, Minerua, & obiter facta est, quæ in libro Iosue habetur accuratè [27].

(Ori. Sept. Lesa. Gerar. Sod. Merid. Sidõ Gaza Occ.)

(27 ✠.)

FAMILIA SEMI.

LXXXVI. *Semi familia eiusque sors amplissima, & numerus populorum.* RELIQVA est Semi familia, quæ etsi patris primogenitura, quam Semi primo anno probauimus, reliquas antecederet, sicut & posterorum dignitate, vltimo tamen collocata loco est, quòd in ea deinceps explicanda hærendum sit; cæteris vix leuiter aliquando delibatis. Filios porro Sem Moses quinque ponit, nepotes vnũ & viginti. At Septuaginta, sex filios recensent, nepotes autem duos & viginti. Cainan enim bis ponunt, in filiis semel, & iterum in nepotibus. Et hunc posteriorem, authore Luca, retinemus, vt Chronologiæ necessarium, de quo nobis fuit superius iusta disputatio. De altero nullam cuiquam litem intendimus. (In 1. anno Cainan.)

Porro è filiis Sem duorum tantùm posteritas describitur, quod, vt de aliis cum Augustino suprà diximus, plures ex se populos nõ protulerint, sed singulos. Huius familię sors latè admodum ab Euphrate ad extremas vsque orientis oras protendebatur, vt volunt Iosephus, atque Hieronymus; quos paulatim populis innumeris omnem in partem repleuerunt, propinquas quidem primò, vt consentaneum est, deinde paulatim abundante multitudine, remotiores.

LXXXVII. *Princeps Aelamitarum, siue Persarum Aelã primogen.* PRIMVS ergo, & vt apparet, primogenitus nobilissimæ familiæ, & imperio mũdi plurimis seculis destinatæ, ponitur Aelam. (Gen 10 22. 1.Paral.1.17) Antecedit enim vbicunq. numerãtur filij Sem, nec vlla alia ratio est, cur antecedere debeat fratres suos. Nõ enim id posteritati eius datur, nam ex eius stirpe non venitur ad Abraham, & Dauid progenitores Messiæ; sed ex Arphaxad, qui ordine tertius est. Nec habetur ratio imperij terrarum, quod Persæ multis seculis tenuere, nam eandem ob causam Assyrij meliori iure antecedere debuissent, qui prius, & diutius imperarunt.

Esa. 11. 11. c. 21. 2. & 22. 6. Ierem 25. 25. c. 49. 34. & seq. c. 5. 28. c. 6. 8. 12. 13. c. 1. 3. 18. c. 10. 2. 2. Paral. 36. 20. 22. 1 Hesdræ 1. sæpius. Dan. 11. 2. Esther 1. 3. 14. 19. Dan. 8. 2. 2. Hesdræ 1. 1.

Ælam igitur Hebræis עילם, Elymus Iosepho, *Posteros reliquit Elymæos, à quibus,* inquit, *Persæ originem traxere. Est autem Aelam*, inquir Hieron. *à quo Elamytæ principes Persidis.* Hebræi passim Persidem vocant Ælam, quam vocem in sacris literis perpetuo Septuaginta, & Hieronymus Latinus interpres retinuerunt. maximè apud Esaiam & Hieremiam, vbi reges Ælam, & reges Medorum coniunguntur, sicut Persæ & Medi apud Danielem, & Hester. Aliquando etiam Persidem vocant פרס Paras, inferioribus scilicet temporibus, à Regno Cyri, & deinceps, vt patet ex libro 2. Paralip. Esdræ, Estheris, Danielis, imò & Ezechielis. Ea regio cùm latissimè pateat, satis credibile est à filiis Ælam in plures prouincias paulatim distributam, quæ à Moyse non recensentur. Eius Metropolis Susa à Daniele, & Hesdra memoratur.

Ezech. 27. 10. & c. 38. 5.

SECVNDVS Semi filius est Assur, cui cessit in sortem prouincia maioris Asiæ, quæ Assyria ab ipso dicta est; in quam tamen aliquanro post Nemrod, aut certè Ninus impetum fecerunt, & regno Babylonico cum Assyrio coniuncto, Imperiũ, siue Monarchiam Assyriorum condiderunt, quæ ad plura secula progressa est; donec ab iisdem Babyloniis, à quibus initium acceperat, accepir & finem. Cui parauit aditum Merodach Babylonius, temporibus Ezechiæ regis, & interitum attulit Nabuchodonosor, qui & regnum Hebræorum extinxit. Porro quæ de hoc Assur erant controuersa supra expedita reliquimus. LXXXVIII. 2. *Assur ex quo Assyrii orti.* n. 57. & seq.

l. 1. ant. c. 6.

ARPHAXAD ergo sequitur, in quo series generationũ, & sacra Chron. ad Abrahamũ, & Iudam, & Dauidẽ, cęteróſque reges; ad Zorobabelem, aliósq; principes Iuda, & ad Christũ vsq; deducitur. De quo illud tantùm Iosephus. *Arphaxades eos, qui nunc Chaldæi sunt Arphaxadæos nominauit, imperio gentis potitus.* Consentiunt Euseb. Hieron. Chron. Alexand. & plerique recentiores. Verùm id difficultare nõ caret; quia Chaldæa prouincia in Babylonia est, vt patet ex tabula 4. & 5. Asiæ apud Ptol. at Babylonia Nemrodi parebat. An dicendũ fuisse à principio distinctas, sed hunc robustum venatorẽ duos patruos suos Assur, & Arphaxad propriis sedibus exturbasse? Aut certè Ninũ filium eius, qui primus dicitur bellum finitimis intulisse? An cum Aria Mõtano dicendum, Arphaxad Susianã regionẽ occupasse, inuitante cõmoditate, sitas inter Persidem & Assyriam, à duobus iam fratribus occuparas? LXXXIX. 3. *Arphaxad ex quo Chaldæi, aut Susiani.* Iustin. in Phaleg.

DE Lud non minor est difficultas, quod ei sedes in maiore Asia, sicut & reliquis fratribus assignanda est. At Iosephus & Hierony. & ante eum Euseb. l. 1. Chron. & passim recentiores omnes ei Lydiam attribuunt; quæ cùm in minore sit Asia, ad sortem Iaphet pertinuisse oportet. Alia ergo quæpiam ludia siue Lydia in Oriente, & maiore Asia quærẽda est, fauente fortasse Ezechiele, qui Persis adiungit Lydios. Interea, si diuinare placet, Mediã, filio Iaphet superius erepram, huic restituamus licet, vt sortem obtineat inter fratres suos. Et ecce diuinationi meo video Chronicum Alexandrinum subscribere, imò tanto ante præscripsisse, cùm ex Ludo isto vult ortos Amazones, Medos & Persas; sed Persas relictos oportuit primogenito. XC. *Lud ex quo Ludij, aut potius Medi.* c. 27. 10.

QVARTVS Semi filius Aram nomine suo Aramæos inscripsit, quos Græci Syros appellare maluerunt, vt ait Iosephus. Eorum Metropolim Damascũ fuisse tradit Hier. Quod de inferiore Syria, siue Cœle-Syria accipiẽdũ est. Nam Syria superior, quæ ad Amanum montem, & Euphratem, atque adeo Tygrin, vt Plinio placet, protenditur, Metropolim habuit Antiochiam, vt constat ex primo Machabęorũ, vt sileam Geographos. Nam vltra Euphratem etiam Syria excurrit. Mesopotamiã enim, aut certè partem illius aliquam complexa est, quæ à Scriptura passim Aram Naharaim siue Padena פדנה נהרים id est duorum fluuiorum appellarur. XCI. *Aram Syrorum author.* l. 5. c. 12. 1. Mach. 3. 17.

Hieronymus passim vertit Mesopotamiam Syriæ, de qua crebra est mentio in in historia Iacobi eò proficiscentis, indéque reuertentis. Aliæ sunt etiam peculiares Syriæ appellationes in Scriptura, quas nihil attinet hoc loco recensere: Porro à Syro quodam indigena inditam Syris appellationem, author est Eusebius in Chron. idque sub annum 325. repromissionis. Gen. 28. & seqq.

SVBDIT deinceps Moses 4. Arami filios, Hus & Hul, Gether & Mese siue Mosoch, vt est in 1. Paral. vbi appellantur & ipsi filij Sem, & præcedentibus eodẽ filo annumerantur: sed hinc intelligitur nomen filij pro nepote sumptũ esse. Horũ primus Vs, Hebraicè עוץ ghuts, in posteris suis habuit Iobum virum sanctissimum, XCII. *Filij Arã, Hus pater Husitarũ.* c. 1. 17.

incolam terræ Hus. Ex *Arami quatuor liberis*, ait Iosephus, *Vses habitator Traconitidis fuit, Damascique conditor. Ea sita est Palæstinam inter & Syriam cognomine gælen.* Addit Hieron. *Septuaginta pro terra Hus regionem Ausitidem, quasi Husitidem transtulisse*, sicut & ipsemet transtulit Ierem. 25. 20. Idem tamen Hieron. in quartum Threnorum, Chore filium Esaü, primum huius terræ incolam, ac Dominum facit; quod significat etiam in locis Hebraicis; rectius tamen hoc loco Iosepho consentit. Saxosa porro, & aspera regio est, vnde & nomen Traconitidis accepit. Eam prouinciam in regno Basan collocat Adrichomius, quod trans Iordanem situm, obtigit dimidiæ tribui Manassæ.

XCIII. *In Armeniam, an ad Idumæã.* Ex quibus consequens est hunc Semi filium siue nepotem, inter Chami filios sedem fixisse. Basan enim ad Amorrhæos pertinuisse iam diximus. Quo fit vt amplius deliberandum putem, rectène paraphrastes Chaldæus terram Hus in Armenia posuerit. Nec absurdum est eò Chaldæos, atque Sabæos latrocinij causa penetrasse. Verùm quid faciemus Hieremiæ, qui ait filiam Edom, id est Idumæos habitare in terra Hus. An placet hunc Vs Semi nepotem Armeniam à principio *Thren. 4.* incoluisse; indéque mox traductam coloniam in Idumæam, quæ iuxta illam consederit, & à parente suo terram Hus appellarit. Non enim licere arbitror aliò Iobi patriam transferre, quæ pluribus in locis Scripturæ consentanea est, vt docet Pineda noster in Iob. Quin & Septuaginta in fine eiusdem libri aiunt, eum habitasse in terra Ausitide, ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τῆς Ἰδουμαίας, καὶ Ἀραβίας. In finibus Idumææ, & Arabiæ, quibus consentit Aristæas apud Eusebium. *l. 1. de præpar. c. 4.*

XCIV. *Hul pater Armenorum.* SECVNDVS filius Aram est Vl, siue חול Chul, prout hic, & 1. Paralip. scribitur in Hebræis, Græcis, Latinísque codicibus, vt mirer eam vocem ita deformatam in Iosepho legi, vt pro Hul Οὖλος legatur, cui & Armenia tribuitur, consentiente de more Hieron. Sed hic ex scripturæ, aliorúmque librorum silentio mansit obscurus, nam quod ab hoc Æolios deriuat Arias Montanus in Phaleg, non rectè facit, quia Æolij, vt cæteri Græci, ad Iauan pertinent, & sortem filiorum Iaphet. Armenia satis ampla est, præsertim gemina, vt duobus fratribus sufficiat, & alter maiorem, minorem alter possideat.

XCV. *Gether Bactrianorũ auctor.* TERTIVS Gether גתר Iosepho Bactrianorum parens, Hieron. præter consuetudinem Acarnaniorum, siue Cariorum, Montano Ætoliorum. Bactrianis faueo, fauet & Zonaras, quia in maiore Asia, propria Semi sorte reperiuntur; nec habeo quid eis obiiciam præter dissimilitudinem vocis. Euseb. huic Armenios tribuit. Acarnanos autem remitto in Europam sine contumelia; ne iniuriam faciam filiis Iaphet; ad quos Epirus, cum Macedonia, & tota Græcia pertinet. Atque iidem Cariam etiam Ioniæ vicinam, cum tota minore Asia, sibi vendicant. Aetolia quoque Straboni, & Melæ Achaiæ regiuncula est, quam restituere malo filiis Iauan, quam pro Montano in causa non bona litigare.

XCVI. *Mes, ex quo Mesanai.* QVARTVS Mes, pro quo Septuaginta, Euseb. & Chron. Alexandrinum habent Mosoch. sicut vulgata in primo Paralip. In Hebræo quoque diuersitas est, nam in *l. 1. 17.* Genesi legitur מש in Paralip. משך mesec. Iosephus Mesam appellat addita terminatione Græca, & ab eo Mesanæos dictos ait, *Nunc*, inquit, *Pasini castrum vocatur.* Hieron. nunc Mœones vocari ait, Arias Montanus Misos siue Mesos ex Misia regione. Verùm Mœonij sunt ad Mœandrum fluuium, aut iidem cum Cariis, aut eis perquam vicini, vt Plinio placet, prouincia Homeri natalibus illustris. Misia *l. 5. c. 29.* quoque in Asia minore est, quam religio sit filiis Iapheti ereptã, Semi posteris attribuere. Cæterum Iosepho non consentit Ptolemæus, qui in Asiæ tabula sexta Mesanitem sinum (in Græco est μεσανίτης κόλπος) collocat in intimo sinu Persico in ora Susianę; illique vicinam ponit vrbem, quam vocat Pasini vallum (in Græco est χάραξ πασινοῦ, in Iosepho χάραξ πασίνου) sed duo sunt in Ptolemæo loca, in Iosepho vnicus.

XCVII. *Cainan vbi habitauerit.* FILIVS Arphaxad fuit Cainan, cui vix est qui attribuat locum proprium siue regionem, quando ne fuisse quidem illũ sibi persuaserunt, verũ Euseb. l. 1. Chron. ex ipso scribit ortos Gasphenos, quorum meminit etiam Chronicum Alexandrinum, & Epiphanius in Ancorato; sed vbi gentium illi habitent non reperio. Sed præsto est Cainas Indiæ fluuius, cuius eum faciamus accolam, si placet, & sine cuiusquam iniuria. Is se in Gangem exonerat, vt ait Plinius, & Arrianus in Indicis. *l. 6. c. 17.*

Vide

in Ancorato. Vide Thesaurum Geographicum Ortelij, & fortè sunt Caiani apud Epiphaniũ.

SED nec filio eius omnis erit inhospita tellus, etiam in maiore Asia, quòd quæ- XCVIII *Vbi Sale.*
rimus. Nam Ptolem. in Asiæ tabula 11. Salacenos memorat populos, quos in India
intra Gangem collocat, iuxta sinum Gangeticum, quibus tribuit Tyndin fluuiũ,
124. & Magarim ciuitatem, & vicinos montes Aruræos, siue Orudios. Plinius quo-
que in maiore Asia ponit gentem Salæ, antiquis dictam Phthirophagos. Chro.
Alexandr. populum ortum à Sala Salathiæos appellat, siue, vt vertit interpres, Sa-
lathinos. Ptolemæus habet Salathios populus in interiore Libya, sed nos Asiam
lustramus, nec in Chami ditionem irruimus.

DE Heber filio Salę, à quo dicti sunt Hebræi, iam supra dictum est, sed regio XCIX. *Quod Heber Hebræorum sator.*
illi ad habitandum nondum est attributa. Chronicum Alexand. Albanos ab eo deducit, Eusebius Hebræos, quod ita interpretor, vt loco ipse nomen attribuere neglexerit, contentus linguæ sanctæ, & primigeniæ, quæ, cùm vnica ad eam diem fuisset, nomine caruerat, nomen dedisse, & in familia sua eam retinuisse. Fortè in eius honorem tam mons, quàm ciuitas Hebron à filiis Chanaan appellata est. Fuit enim vir præclarus, & prophetiæ dono decoratus, vt supra ex Hebræis diximus.

PHALEG quoque siue peculiari solo relinquitur, & fortè idem cum Patre in- C. *Phaleg, an Philistæorum denominator.*
coluit, quando & linguæ cum ipso societatem retinuit, vt fusius docet D. Aug.
l. 16. c. 11. in ciuitate Dei, vbi inter alia, *Phaleg autem propterea commemoratus est, non quod gentem fecerit, sed eadem ipsa est eius gens Hebræa, eadémque lingua, sed propter tempus insigne, quod in diebus eius terra diuisa est.* Sic Aug. Nec arbitror absurdum ab hoc Phaleg, vt plerique pronunciant, Philistæos siue Palæstinos appellatos fuisse: Ad conseruandam scilicet memoriam eius, sub quo terra diuisa est, quamuis ipsemet Phaleg non ibi, sed cum patre habitauerit. Eusebius Bactros ab eo procreatos scribit.

in Chron. in trad. Heb. SVPERSVNT omnino filij Iectan, fratris Phaleg, de quibus audi Hieron. *Ha-* CI. *Filij Iectan quam regionem incoluerint.*
rum gentium posteriora nomina inuenire non potui, sed vsque in præsens, quia procul à nobis sunt, vel ita vocantur vt primùm, vel quæ immutata sunt ignorantur; quæ nimirùm, vt
l. 16. c. 11. de ciu. ignota, Iosephus prætermisit. Legerat autem, vt apparet, Hieronymũ August. eoq. respiciens ait. *Illarum autem gentium vocabula partim manserunt, ita vt hodiéque appareat vnde fuerint deriuata, sicut ex Assur Assyrij, ex Heber Hebræi, partim temporis vetustate mutata sunt, ita vt homines doctissimi antiquissimas historias perscrutantes, nec omnium, sed aliquorum ex istis origines gentium potuerint reperire.* Eandem ignorantiam agnoscit, & fatetur omniscius ille Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis, vt merito nobis, si quid hic coniectando delinquimus, ignosci possit. Sed pergit Hierony.
in lo. Heb. in verbo Sopheta. l. 6. c. 21. *Possederunt autem à Cophene fluuio omnem Indiæ regionem, quæ vocatur Ieria.* Siue Ieira, vt alibi scriptum reperitur. Iosephus à Cophene flumine Indiæ, ad Assyriam vsque. Cophetem fluuium reperias apud Plinium, qui in fluuium Indum exonerat se, & rursum c. 23. exhibet Arachosiam, cum oppido, & flumine eiusdem nominis, *Quod quidam*, inquit, *Cophen dixerunt, à Semiramide conditum.* Ptolemæus autem in Asiæ tabula nona Arachosiam prouinciam ponit in India intra Gangem, vltra Drangianam, & Gedroniam orientem versus: in qua Arachotus oppidum, lacus, & fluuius, qui influat in Indum; quam prouinciam à Hieronymo Ieriam puto di-
28. x. ci[28].

NON producit ergo longiùs filios Sem Iosephus. At scriptura paulò pòst vni- CII. *Ex scriptura sacra.*
uersè agens de filiis Iectan. *Et facta est*, inquit, *habitatio eorum de Messa pergentibus vsque Sephar montem orientalem. Messe*, inquit Hierony. *regio Indiæ, in qua habitauerunt filij Iectan, filij Heber, quos Iosephus refert à Cophene flumine, & Indiæ regionibus, ad id locorum peruenisse, vbi appellatur regio Ieira*, &c. Eum montem aliqui Imaum Ptolemæi existimant, vt Postell. Sed Arias Montanus in nouo orbe constituit. *Sopher*, inquit, *mons longissimus omnium montium, qui hactenus in orbe visi sunt, à nostris Andes dictus. In illa orbis parte adhuc manet vrbs antiquissima Iuctan, quæ nomen authoris illius gentis retinet.* Sic ipse; Iosephus quoque Iuctan pro Iectan dicit. Sed vide Iosephum
l. 1. c. 13. à Costa in histor. Indica.

CÆTERVM frequens est nunc opinio, & vt arbitror vera, hosce filios Iectan, CIII. *An etiam Americã, siue nouum orbem.*
nōn solùm ad Arachosiam, & Indum, & Gangem, sed ad Sinas etiam, & Iapones, & Americam per fretum Anianum paulatim nauigiis peruenisse, eoque colonias cum animalibus, & omnibus ad vitam necessariis duxisse; vt proximis

hisce annis non semel factum meminimus in nouam Franciam, quæ vulgò Canada dici solet. Eaque via breuior videtur & certior, quam per inaccessa Septentrionis frigora, vel immensum ignoti Oceani Occidentalis traiectum. Animalia verò ferocia eo natatu peruenisse. Cuius rei signum est, quod qui magnam insularum Oceani cognitionem habent, negant huiusmodi feras in iis insulis reperiri, quæ longissimo interuallo à continenti distant. Et hanc sententiam post multam disputationem sequitur Iosephus noster à Costa libro primo historiç Indicæ, ex quo Torniellus in hunc annum. Vide etiam D. Augustinum l.16. de Ciuit. c.7.

c. 20. 21. 24. & 46. & seq.

CIV. *Elmodad primogenitus Iectan.* — l.5. c.9. — in 2. tab. Asiæ. — in Rehu.

PRIMVS filius Iectan vocatur Elmodad, à quo ortos vult, & nuncupatos Arias Montanus Themeotas, quos Ptol. in Sarmatia Asiana constituit, ad Mœotidem paludem, vocantur autem ab ipso θετμῶται, quibus vicinos facit idem Arias Selebios, à Saleph, siue Seleph dictos; sed inuenio tantùm apud Ptolemæũ Psessios, siue, vt est in Græco, σημψίοι, Sempsios, quos ad Saleph referre, per mihi quidem frigidum, perque coactum videtur. Sed nec in cæteris fœliciores video coniecturas, vt satius sit nos quoque hic nostram ignorantiam fateri, quam coargui etiam imprudentiam. Vide etiam Genebr. in Chron. l.1.

CV. *Saba Indici.*

Addo tamen Sabæos Indicos, ex Saba filio Iectan progenitos satis exploratum videri, nam Sabæos in India ponere Eustathium notat Ortelius, & Dionysium Beroaldus, in hoc carmine in descriptione Indiæ.

Τῶν δὲ μέσοι ναίουσι Σαβαῖ, καὶ Τάξιλοι ἄνδρες. *Horum medij habitant Sabai, & Taxili viri,* de quibus vide Thesaurum Geographicum. Euseb. l.1. Chro. ab hoc Saba Arabas Indorum manasse ait: clarè enim legitur ἀφ' οὗ Ἄραβες Ἰνδῶν, fortè legendũ Ἄραβες οἱ ἔνδον, nam Chron. Alex. habet Ἄραβες ἐσώτεροι, id est interiores, & Arabas in India nemo ponit, horum autem Sabæorum nulla est, vt arbitror, in scriptura mentio.

CVI. *Ophir in aurea Chersoneso.* — l.4. c.16. n.9. — l.8. c.2. v.6. — in Rehul.2. — l.4. Chron. c.6. — l.1. c.14. Cosm.

TANTO est in ea celebrior Ophir prouincia, in qua finienda nobis est tota hæc, non minus molesta fortasse, quam laboriosa inuestigatio prouinciarum, quas filij Noë in terrarum diuisione sortiti sunt, & suis nominibus ad perpetuã rei memoriam inscripserunt, prouincia, inquam, Ophir, ex filio Iectan sine dubio appellata, quam multi ad Peruanam vsque regionem trahunt: alij contra non minore contentione, sed probabilitate maiore in India Oriẽtali constituunt, quæ fuit sors filiorum Iectan, eam disputationẽ copiosè leges, atque accuratè tractatã à Pineda nostro in Salomone præuio. Cuius conclusio est, omniũ tam antiquorũ, quã recẽtiorũ sententiã in eo conspirare, vt Ophir in India Oriẽtali constituãt cũ Iosepho. *Qui eã olim Sophiram, nunc aureã terrã nominari ait.* Dissentire tamen in eo, quod aliqui ponant Ophir extra Gangẽ, ad Ptol. Triglypton, quod hodie vocant Pegu: alij in insula vicina Malacæ, alij denique maiore numero in Taprobana, siue Somatra, seu Malaca, seu Aurea Cheroneso. Verũ qui in Peru Ophir constituunt, vt Gen. in Chr. & alij, quos refutat Acosta l.1. histor. Indicæ c.13. & qui in Africæ Sophala, vt Beroald. Ortelius in Thesauro, Merula; de India Orientali non consentiunt.

CVII. *Ianus primus Rex Italiæ longissimè abest à Noe.*

QVOD autẽ ipsum Noë in Italiã profectum loquuntur, ibique primũ regnasse, & Ianũ appellatũ, in Annij fabulis annumerandũ est. Quomodo enim homo ætatis planè decrepitæ, octingentorũ scilicet ac septuaginta quinque annorũ, qui in singulos dies longè aliam migrationẽ expectabat in alterius vitæ requiem, tam longinquam profectionẽ susciperet, aut omnino cogitaret: cùm præsertim Iaphet, cui ea regio in sortẽ obuenerat, florentissimorum filiorũ, ac nepotum multitudine abundaret. Quid quod Ianum in Italia regnasse scribit Euseb. in Chron. annis circiter 150. antequã ibi regnaret Æneas, id est 685. annis ab ortu Abrahæ, 510. ab eius obitu, & post ipsiusmet Noë mortem septingentis octodecim, & ab hoc anno diuisionis linguarum 773. Imperij occidentis, & Italiæ principatus initia Chron. Alexand. Saturno tribuit, qui ex gigãte de progenie Semi natus sit, duósq; habuerit filios, vnũ Ninũ, qui Assyriis imperarit, alterum Picum, siue Iouẽ; qui patrẽ in Italiã secutus sit, qui ibi iã diu regnabat, cui Picus, qui & Iupiter, successerit, regnaritque 62. annis, cui etiam successerit filius Faunus, qui & Mercurius à Patre vocatus sit, &c. alia enim pleraque recenset plurimum incerta. præsertim cum progeniem Semi in occidente dominantem inducat, quod filiis Iapheti tribuendum est. Vide Torniellum anno mundi 2006. n.2. & Ioannem Lucidum l.2. c.2. & Merulam l.3. c.14. vbi de Iauan.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 1931.

N. XI. 1. VIDES Lector studiose Chronologiæ dispositionem quam hactenus sequimur, consentaneã Tabulis Torniellicis, neq; enim studio dissentiendi ducimur, sed veritatis, quã ille ferè in digerendis tẽporibus scripturæ assequitur, vt mihi quidem videtur. Nam quod Capellus sectarius in an. mundi 1812. eius tabulas ineptè deridet, quasi domestico testimonio suam sententiam probet, non videt Torniellum Chronologiam suam stabilire suis locis: in tabulis autem rem ad oculũ ostendere; non autem ex illis res controuersas definire.

N. XIV. 2. Refert Chronicum Alexandrinum eadem fermè quæ Epiph. de o. 72. linguarum; sed posteriore easdem linguas sigillatim enumerat propriis nominibus populorum, qui eis vterẽtur. In quib. primi Hebræi, Assyrij, Chaldæi, Medi, Persæ, Arabes primi & secundi, & alij deinceps plurimi, in quibus numerantur Chananæorum gentes aliquot, Galli item siue Celtæ, Aquitani, Britanni, Hispani, Germani, & alij vsque ad 72. de quarum pluribus difficile est existimare fuisse primogenias.

N. XX. 3. Hoc in argumento diligenter versati sunt præter Iosephum l. 1. ant. c. 6. & Epiph. in Anchorato, Hieron. in tradit. Heb. Chron. Alexandr. p. 57. & deinceps. Per. in Gen. toto l. 15. Torniellus in hũc annũ, Del Rio & alij interpretes in c. 10. Gen. Arias Mõtanus in Phaleg. Beroald. l. 4. Chronic. c. 6. Merula p. 1. Cosmog l. 3. cap. 14. Brougt. in præfat. concentus, Ioannes Lucidus l. 2. c. 3. & seqq. qui tamen totus conspirat cum Beroso commentitio.

N. XXI. 4. Caietan. ait Moysem ordine retrogrado explicare voluisse progeniem filiorum Noë, quam directo ante numerarat.

N. XXII. 5. Gomer in Chron. Alexand. dicitur Celtarũ parens, quos vocat Κελτοὺς, quia Galli, qui & Celtæ, Galatiam in Asia tenuerunt, & à se populũ Galatas nominarunt, itaque cum Iosepho sentit.

N. XXV. 6. Iones à Iauan deriuatos, innuit etiã Hebræa scriptio, literæ enim eædem sunt in יָוָן & יוֹן punctis tantùm mutatis.

Ibidem 7. Mare tamen Ionicum nõ alluit Ioniam, sed Icarium, vt videre est in Ptol. Asiæ tab. 1. & Europæ 10. Quod autem appellatur Ioniũ ab occidente respicit Italiam, vt est in tab. 6. Europæ. idque ab Ionica Italiæ regione dictum volunt. Vide Ortel. in Thesau. in verbo Ionica, & Ionicum mare.

Verba Homeri sunt.

N. XXV. 8. *Ἔνθαδ' Βοιωτοὶ καὶ Ἰάονες. τοὺς Ἀθηναίους λέγει*, ait Strabo. porro Græci dissyllabum faciunt ια, in Iauan, sicut & in Iaphet, cùm sit Monosyllabum Hebræis. Porro Merula non malè coniicit ex Iauan Latinis Iauanum, indéque Ianum factum, cui attribuerint posteri quæ nuo deberentur, inuentionẽ scilicet vini, quoniam Hebræis יַיִן vinum Græcis *οἶνος*, ex quo antiquissimi Italiæ populi Oenotrij, & regio Oenotria, & ipse Oenotrus dictus, qua de re ille pluribus. Chron. autem Alex. ex Iauan trahit Hispanos, qui & Tyrannij, nescio qua coniectura. Quid si coniiciamus & nos ex Iauam siue Iouan, vt habent Septuag. factum esse Iouem, qui ad Saturnum parentem, puta Iaphetum, in Italiam venit; ibique parenti succedens, regnarit annos duos & sexaginta, vt est in Chron. Alexand.

Septuag. hic interserunt Elisa, vt sit ordine quintus, quem prætermisit Eusebius, nec retinuit Chron. Alexand. vnicum enim ponunt, qui est filius Iauan, non autẽ duos, vt Septuag. vnum Iapheti filium, alterum nepotem. N. XXVI. 9.

Euseb. l. illo primo Chronici, quem toties citamus ex Θειρὰς Thessalos deducit. Chron. Alexand. Macuacos, mihi ignotos. N. XXVI. 10.

Euseb. ex Mosoch Illyrios, Chron. Alex. Getulos absurdè, quid enim filiis Iaphet cũ Africa Chamo attributa? nec fœlicius mox à Thiras Afros ducit. N. XXIX. 11.

Chron. Alex. habet *περάμαντας Γαράμαντας*, fortasse inquit Raderus Garamantes vlteriores; fortasse inquam, Sauromatas, vt habet Eusebius, nam Libyci Garamantes Chamum, aut eius filios habent progenitores. N. XXXII. 12

Ex Thogorma Chron. Alex. ducit Borades, quasi dicas Boreades, populos ad Boream siue Septentrionem sitos, quod fauet opinioni Ariæ Montani. nã quod Armenios ex hoc procreatos putat Euseb. l. c. vereor vt ferri possit, absque iniuria Semitarum. In eã forte sententiam adductus à Iosepho cum fuit Thygrammibus, quoniam Armeniorum Rex Tigranes in hist. Rom. notissimus: sed hoc nomen neotericum est. Zonaras Tigranæos Phrygas appellat. Vide Merulam. N. XXXIII. 13.

Arias Montanus in Phaleg ab Elis, siue Elisa Ἕλληνας deducit, non admodum fœliciter: infœlicius etiam Mauros Chron. Alexand. N. XXXIV. 14.

Quidam explicant naues Tharsis, naues magnas & superbas, quales sũt eæ, quæ in mari magno vela faciunt, quas vulgò dicimus *nauires de mer.* vnde 3. Reg. 22. 49. vbi habetur *Rex verò Iosaphat fecerat classes in mari, quæ nauigarent in Ophir.* In Hebræo est, Iosaphat fecit naues Tharsis ad eundum in Ophir, id est magnas & validas, quales sũt quę longis in Oceano nauigationibus vsui esse possent. N. XXXVI. 15.

Verba Suidæ sunt *Λατῖνοι οἱ νῦν Ῥωμαῖοι. Τήλεφος γὰρ ὁ τοῦ Ἡρακλέους, ὁ ἐπικληθεὶς Λατῖνος, μετωνόμασε τοὺς πάλαι Κιτίους λεγομένους, τοὺς Λατίνους. Ἰταλοὶ δὲ οὗτοι πάλιν μετωνομάσθησαν ἐκ τινος Ἰταλοῦ δυναστεύσαντος τῆς χώρας*, &c. id est, Latini, qui nunc Romani. Telephus enim filius Herculis, qui cognominatus est Latinus, olim dictos Cetios, siue Citios, Latinos mutato nomine nuncupauit, qui rursus Itali dicti sunt, ex quopiam Italo, qui regioni dominabatur. Ænea verò in occidente rerum potito, dicti sunt Æneadæ, post quem Romani omnes verso iterum nomine à Romulo denominationem accepe runt. Citium porro natalibus Zenonis Stoicorum principis illustratur, authore Suida. *Κιτιεὺς ἀπὸ τόπου, Κίτιον γὰρ πόλις Κύπρου, ὅθεν καὶ Ζήνων ὁ Κιτιεύς.* Plin. l. 5. c. 31. N. XXXVIII. 16.

Eugub. Beroald. Arias Montanus in 1. Paral c. 1. legi volunt Rodanim, atque Arias idẽ esse N. XXXIX. 17.

Dod Heb. quod ῥόδος Græcis, fortasse dicere
voluit ῥόδον, id est rosā, nec tamē reperio, qui in
sacris literis Dod Hebr. rosam interpretetur.
N. XLVI. 18. In Esaia tamen, *Omnes de Saba venient, aurū, &*
c. 60. *& thus deferentes*, scribitur per ש schin. In Ier.
c.6.20. itē *vt quid mihi thus de Saba affertis?* per eandē
3 Reg. 10. literā pingitur, sicut & Ezec.27. vbi de primis
quater. aromatibus agitur. Regina Saba, quæ cū pre-
2.Paral.9. tiosissimis aromatib. ad Salom. venit, passim
quater. per ש scripta reperitur. Ex quib. videtur affir-
mari posse, nō hanc priorē Saba, quæ habet sa-
mech ס, esse thuriferā, sed posteriorē. Verū
dici potest geminā fuisse Sabæā, & vtrāq; aro-
matibus diuitē, vtrámq; in Arabia fœlice; al-
Psal.71.10. teram deflectentē ad sinum Persicū, alterā ad
l.6.c.28. Arabicū, vt ex illo Psal. loco colligitur. Nec
alienus videtur ab hac sententia Plin. *Sabæi*, in-
l.15 n.46. quit, *Arabū propter thura clarissimi, ad vtraq. ma-
ria porrectis gentib*. Peret. quoq;, & Del Rio in
10. Gen. aiūt posteros Sabę Chusæi, fuisse pro-
pinquiores sinui Arabico, qui autē descende-
runt à Regmæo Schaba fuisse propinquiores
c.45.14. Persico. De illis agit quoq; Esa. vbi vocat eos
viros mensuræ, id est proceræ staturæ. Cū cō-
stet igitur vnde Sabæis datū sit nomen; illud
pariter constat, commentitiam esse Etymolo-
giā ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, quod est venerari; quod eo-
rū odoramenta superū venerationi deseruirēt.
N.LIII.19. Non dissimulabo tamen quod pro Iosepho
nōnihil faciat, pro Dadā ab Euseb. l.1. Chron.
poni Ἰωδαδ, fortè conciliante Iosephū Scri-
ptoræ, eū autē vult esse authorē Phœnicū, sed
certiora multò sunt, quę ex Scriptura retuli-
mus. Ex Dadan Chron. Alexand. Cares ortos
putat, nulla rei aut vocis probabilitate, cum
Caria ad filios Iaphet pertinuerit.
N.LXI.20. Imò sunt 1366. cum gemino triente; quod
neque Valla notauit, quod sciam, neq; eius
emēdator Steph. & rursus cū reddit annos tre-
centatū & vnius generationum 10340. annos
ponit, cū reperiantur 11366. & paulo amplius.
N. LXX.21. Phœnices peculiari nomine Chananæos di-
ctos etiā ex Iosue 5. intelligitur, vbi pro regib.
Chanaan, Septuag. ponunt reges Phœniciæ.
Eodémq; pertinet quod cū Phœnices merca-
tura celebrarētur, etiā Chananæi vt mercato-
res celebrātur. Vnde mulier illa fortis cingu-
lū tradidit Chananęo, id est Phœnicio merca
tori, vt Masius, & Vatablus interpretantur.
N.LXXI.22 Quod etiam Strabo l.16. ex eo probat quod
Hom. qui Sidonē sæpe laudat, Tyri ne memi-
nit quidē. Iust. etiā l.18. tradit Sidonē primū à
Phœnicib. conditā, post multos deinde annos
Tyrū. consentit Euseb. in Chro. qui Tyrū cō
ditā vult tēpore Gedeonis 240. annis ante tē-
plū conditū: sed ea de re ibi dicetur accuratius
an. mun. 2783. sed efficacius etiā probatur ex
Es. c.23. vbi Tyrus vocatur filia Sidonis, quod
notauit Masius in c.11. Iosue n.8. vbi etiā aliā
affert ex Iustino Sidonis notationē, à multi-
tudine pisciū, quos Phœnices Sidon vocēt, &
addit illas gentes piscatorē dicere Said, vt vrbē
ipsā Said hodie vulgò nominari; quod Niger
quoq. & Postellus apud Ortelīū affirmāt. Ve-
rùm notatio quā scriptura suggerit retinenda
est, nā altera propter vocabuli similitudinē vi-
detur excogitata quod in plerisque etymolo-
gis contingit, quarum vna aliqua vera est,
cæteræ accommodatitiæ.
Porro iis quæ de Sidoniis vitri officinis scri- Eodem 23.
bit Plinius, consentanea sunt quæ habet D.
Clemens l.7. recognit. In insula Arado Sidoni
vicina fuisse columnas vitreas magnitudinis
immensæ, quæ in æde quadam erant positæ,
vna cū magnificis Phidiæ operibus, quas Pe-
trus Apostolus miratus est. Itaque in Epitome
earundem recognitionum, puto perperam le-
gi *columnas ex vite*, pro, *ex vitro*: ne fortè du-
biam faciamus illam Domini sententiam
Ezech.15. *Fili hominis, quid fiet de ligno vitis?
numquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut
fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo
quoddamque vas?* quomodo ingens columna
fiat, si ne paxillus quidem?
Nec tamen aut rupes aut mare eam immu- N.LXXI.24
nem à terræ motu reddiderunt. Scribit enim
Eusebius Diocletiani temporibus eam cum
vicina Tyro horribili terræ motu concussam,
quo multa opera conciderunt, & populus in-
numerabilis oppressus est: quæ cùm in Græco
Eusebij non reperiantur, à B. Hieronymo pu-
tantur adiecta.
Dicitur & hic quintus filius Chanaan Be- N.LXXV.25
ryti conditor, quæ olim Beris dicta credi-
tur; à conditore, postea fœlix Iulia, Plinio l.
5. cap. 20. nunc Baruti appellatur, distátque
à Tyro stadiis circiter ducentis. vide Orte-
lium in Thesau. Adrichom. in locis exte-
ris n.10.
Adrichom. in tribu Beniam. n.32. rectè qui- N.LXXVII. 26.
dem Beroth, quam dixi ponit in tribu Benja-
min, illud autem opinor, non rectè, quod ait
à Dauide occupatam, & magnam inde vim
æris sublatam ad vsum templi, 2. Reg.8.8. Sed
quomodo id verum esse potest, cùm ea ciui-
tas vna fuerit de vrbibus Aderezer Regis So-
ba in Cœlesyria habitantis? Videtur sanè in si-
militudine nominum vrbium deceptus, Io-
sue 9.17. & 2. Reg.8.8. in Hebræo tamē non-
nulla est in scriptione differētia. Nam in prio-
re loco habetur בְּאֵרוֹת Beeroth, in posteriore
בֵּרֹתַי berothai.
Minus quoque, vt videtur, accuratè hoc N.LXXXV. 27.
loco Hieronymus Lesan, siue Lasan inter-
pretatur *Callirhoēn, vbi aqua calida prorum-
punt in mare mortuum*. Id enim parum, aut
nihil ad terminos terræ Chanaan facere vi-
detur, quod tamen hîc agitur. Et nisi Lesa
vrbem ad fontes Iordanis interpretere, dee-
rit huic terminorum definitioni angulus, qui
finit lineam Septentrionalem, & inchoat O-
rientalem. Quin & ipsemet Hieronymus in
locis Hebræis, ait hanc vrbem fuisse termi-
num terræ Iudæ contra Septentrionem, si-
tamque ait iuxta Paneadem, de qua Iordanis
fluuius erumpit.
Vigenerus in Chronolog. scribit hunc Ie- N.CI.28.
ctam alio nomine dictum Gangem, & nomen
fluuio illi in India dedisse. Idem habet Fun-
ctius, vterque autem ex l.5. Berosi commen-
titij.

ANNVS MVNDI 1932. SECVNDÆ ÆTATIS ET DILVVII 276. NOE 876. SEMI 374. ARPHAXAD 274. CAINAN 239. SALÆ 209. HEBER 179. PHALEG 145. REHV 115. SARVG 83. NACHOR 53. THARE 24. NEMRODI SIVE BELI ASSYRIORVM REGIS 1.

ANTE CHRISTVM 2121.

PRIMVS hic annus à diuisione linguarum, regnum Babyloniorum exorditur, quod in Monarchiam Assyriorum defuncto Belo commutatum est. Eius initium si quis apud scriptores prophanos exquirat, nihil fere certi repetiat, tanta est opinionum diuersitas. In quibus etiam non asseritur initium, sed vel ad infinitam retro antiquitatem reiicitur, vt apud Diodorum videre est, vel ex eiusdem imperij duratione deducendum relinquitur; de qua ipsa duratione, *Scinditur incertum studia in contraria vulgus*'. In quibus ne hoc loco moremur lectorem, ex Scriptura ipsa quam possumus firmitatem petamus, vt eius imperij stabiliamus initia. Eo enim fundamento ritè stabilito, cùm per singulos annos, quasi totidem gradus decurrerimus ad finem, facilè erit intelligere quanta fuerit Imperij Assyriorum duratio. Cæterùm Assyriorum nomine, quod superiore quoque anno monuimus, etiam Babylonios comprehendimus, nec regnum istorum, quod vnius tantùm Beli fuit, ab Assyriorum propriè dicta Monarchia separamus, Eusebium secuti; quem & cæteri omnes deinceps habuerunt ducem. I. *Initium regni Babylon, & Imperium Assyriorū.*

[Margin: l.2. Biblioth. — 1. χ. — n.56. & seq.]

DICAMVS ergo primum Imperium Assyriorum non incœpisse ante diuisionem gentium, siue familiarum, quæ à Noë Patriarcha propagatæ erant. Alioqui non fuisset hoc regnum Assyriorum, vel Arabum, vel Ægyptiorum, sed omnium hominum. Proprietas enim vt bonorum, ita & subditorum, diuisionem, ac distinctionem supponit. Erant quidem distinctæ familiæ, quas Scriptura commemorat, & familiarum patres, ac progenitores, sed locis parum admodum distinctæ erant, & penè confertim habitabant: Nec quisquam eorum Dominum agebat, aut principem; sed parentem. II. *Non cœpit ante diluuiū, neque diuisionem linguarum & gentiū.*

[Margin: c.10. Gen.]

NEMROD *autem cœpit esse potens in terra*, vt Scriptura loquitur; quam potentiam eadem mox regnum interpretatur cùm ait, *fuit autem principium regni eius Babylon*. De quo licet audire D. Chrysostom. qui de Nemrode loquens, *Hic*, inquit, *proauum suum imitatus, & abusus naturæ priuilegiis, alium seruitutis modum adinuenit, & princeps atque rex fieri attentauit; Rex enim nondum omnino fuerat, cùm nondum essent subditi.* Nec alia mens Hieronymi. *Nemrod filius Chus*, inquit, *arripuit insuetam primus in populo tyrannidem, regnauitque in Babylone, quæ ab eo, quod ibi confusæ sunt linguæ turrim ædificantium, Babel appellata est.* Ex Hieronymo Rupertus. *Potens*, inquit, *cœpit esse in terra, & erat robustus venator coram Domino, quia priùs in populo insuetam tyrannidem quasi venando arripuit, regnauitque in Babylone.* Epiphanius etiam distinctius tradit in ipsa ædificatione turris, & primæ vrbis, post diluuium, exstructione, Nemrod principium consultationis accepisse de congregatione subditorum, ac tyrannide. Idem sentit Augustinus pluribus in locis; & Iosephus de Nemrode agens, Chron. Alexandr. ait Nemrod primum post diluuium regem fuisse earum, sed in eo fallitur, quod eum Ninum putat; quod præcedenti anno refutauimus. III. *Sed à Nemrod, quod asserunt antiqui.*

[Margin: hom. 29. G. — in trad. Hebr. — l.4. c.43. — init. Panar. — de ciu. l.16. c.4. & 18. c.2. — l.1. ant. c.4. & 6. — n. 55.]

RECENTIORES item, qui accuratius omnia rimati sunt, idem magno consensu ex 10. Geneseos asseruerunt. Tostatus in primis, qui hac re fusiùs examinata, ita concludit. *Et ita primus omnium regum fuit Nemrod, & primum regnum fuit in Babylone, & terra Sennaar, vbi sunt istæ ciuitates hic nominatæ, & istud est principium regni Assyriorum, quod ponitur primum inter omnia regna mundi.* *Regna*, inquit Caiet. *post diluuium ab ipso Nemrod incœperunt, qui primus cœpit vti fortitudine ad faciendum se principem, & cogendum alios sub suo dominio.* Idem fusè docet Pererius, Del Rio, & Olea- IV. *Et recentiores scriptores.*

[Margin: l.15. n.55.]

ster in 10. Genes. Gordon. & Bellarmin. in sua Chronol. vbi ait Nemrod ex Scriptura esse primum regem orbi terrarum cognitum. Genebr. l. 1. Chron. ait Cainum primum regni speciem constituisse ante diluuium, sicut Nemrod post diluuium. Quibus accedant quæ superiore anno diximus. c. 4. n. 9. & seqq. n. 33. & deinceps.

V. *Nec confundus tyrannus.* NEC est quod quemquam moueat vox Tyrannidis, qua plerique vtuntur; siue quia reuera à principio tyrannicè regnauit, & cum terrore quodam acquisiuit, & exercuit dominationem, quam tamen Scriptura regnum vocat, non tyrannidem: siue quia tyranni nomen antiquis in laude fuit; Herodotus tyrannum fere perpetuo pro rege sumit. Homerus in hymno Martis eum tyrannum vocat, nemo ignorat illud Poëtæ,

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni. Æneid. 7.

Et sanè perratum est, vt regna nihil initio tyrannicum, & violentum habuerint, & vnius imperium vltro omnes volentes subierint, qua de re vide D. Augustin. l. 18. de Ciuit. c. 2. init.

Quæ si satis stabilita sunt, si Scripturæ in primis consentanea, si multis antiquis & recentioribus approbata doctoribus, exsufflantur illæ Chaldæorũ & Arabum, quæ ex Africano, & Manethone referuntur Dynastiæ, cùm tredecem regibus, qui ante Belum siue Nemrod in Babylonia regnasse dicuntur, annis 440. in carm. isago. p. 131. Sed & Ægyptiæ illæ quatuor quindecim natiuitatem Abrahæ anteuertunt, vt refert Eusebius initio Chronici, de quibus præcedenti anno satis dictum est. In fabulis quoque numerandum, quod de Vexore Ægypti rege, & Tanai rege Scythiæ tradit Iustinus, quos vult Assyriorum temporibus antiquiores, quando diuisio linguarum, & gentium nondum contigerat. n. 61. & 62. l. 1. init.

VI. *Origo regnorum.* INDVCTA igitur diuinitus confusione linguarum, & dispersione gentium siue familiarum, pro idiomatum diuersitate in omnes circumquáq; prouincias subsecuta, populi singuli, vt ratio postulat, suas sibi res agere cœperunt; terras distribuere, vrbes moliri, ædificare domos, cæteráque meditari, quæ ad Reipub. vnius constitutionem pertinerent; & quidem ex illius directione & gubernatione, cuius ductu & auspiciis sese in viam dederant: illum agnoscere non solùm parentem, sed magistratum etiam, & principem: ad eum vltro regimen, & communis boni curam, ac prouidentiam deferre, dum singuli suis quisque commodis, ac necessitatibus attenti essent.

Ille ergo communi consensu leges condere, eásque præmio ac pœna stabilire; communi item suffragio inferiores sibi substituere magistratus, qui crescentem paulatim multitudinem in minoribus oppidis, ac pagis regerent. Numinis cultum alij verum, alij falsum, pro sua quisque pietate, aut studio indicere; communi opera ex illius imperio excitare mœnia, communibus animis, viribúsque, se suáque tueri, ac conseruare. Et quidem, vt minimè dubitari potest, aut debet, quin in ea prouincia, quam incoluit Noë, aut Sem, vera pietas, ac religio, ipsis saltem superstitibus, perseuerarit: ita in reliquis paulatim ad superstitionem miseros mortales, instigante malo dæmone, variisque artibus illudente, deflexisse, satis supérque constat.

VII. *Quomodo ceditur Babylonico, siue Assyrio.* PRIMVS, porrò Nemrod siue Belus occasionis opportunitatem secutus, vrbem quæ extruebatur, regni sui principium constituit Babylonem, indéque paulatim alias etiam vrbes, quas memorat Scriptura, construxit. Ex qua etiam occasionis opportunitate illud perspicuum est, regnum eius cæterarum familiarum, siue populorum regimen antecessisse. Nam suæ cuique terræ adeundæ, agnoscendæ, occupandæ, construendæ erant; quod opus non paucorum dierum, sed multorum mensium, aut etiam annorum fuit. Nemrod autem communi omnium opera vsus aliquandiu, suum sibi regnum præparauit, in eóque suos, quibuscum linguæ communione vtebatur, subditos habuit, quà metu, quà libera voluntate obsequentes. Quo fit vt initium regni Babylonici in proxime præcedentem annum referre licuerit, aut progredientem, aut exeuntem. Verùm ne modicares nos à Tornielli Chronologia, in primo hoc, maximóque imperio diuelleret[a], & propriæ discrepantísque sententiæ à cæteris Chronologis amatores ostenderet; (cùm tamen communissimæ sententiæ, quæ fere sunt probatissimæ, nobis cordi sint) in hunc potiùs, quàm in præcedentem annum initium regni c. 10. 10. a. x.

Babylonici fiximus; idque deinceps per annos suos regúmque successiones, Eusebio duce propagabimus. nisi quando nos ab eo ratio certior, aut maior authoritas abducet; & cùm sacræ historiæ Chronologia continuabimus: cætera autem regna obiter duntaxat, cùm res feret, & ex occasione libabimus. Neque enim instituti nostri est historiam omnem omnium gentium oratione complecti; id enim progressu temporum infinitum foret, cùm Imperia ipsa, quæ cum annalibus Ecclesiasticis veteris testamenti connexa sunt, & quæ per annos suos digerenda, atque explicanda suscepimus, Græcorum præsertim, atque Romanorum, infinitam nobis rerum syluam profudisse experientia ipsa didicerimus.

SIT ergo hic primus Babylonici regni annus, quod tamen Assyriorum deinceps vocabimus, quod illud huius quasi semen aut fermentum quoddam fuerit, vt ante dicebamus; quodque prouidendum sit, ne imperium, quod propriè sub Nabuchodonosore Babylonicum fuit, cùm his initiis imperij Assyriorum nominibus confundamus. Esto, inquam, hic primus annus, in quo non dubium est maximum studiū à Nemrode positum in vrbe sua regia exædificanda; & stabiliendo principatu suo. Turrim autem metu diuinæ animaduersionis, vt inchoata erat derelictam, vt proximo anno dicebamus, & plerique consentiunt, par est existimare. Nec facile crediderim illum, quamuis audacem, ac manu promptum, præpropere vicinis molestias exhibuisse, eósque ad longinquiores terras, quasi fugitiuos compulisse. Etsi Hebræi tradant, vim hominibus ab eo illatam, cogente ad idolorum cultum; & nominatim familiam Tharæ, atque adeo ipsum Abrahamum; ineptè sanè, cùm Abrahamus multis annis posteriùs natus sit, quàm Belus aut Nemrod viuere desiit.

VIII. *Primus Beli siue Nemrodi annus.*

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 1932.

N. I. I.

DE duratione regni Assyriorum plerique antiqui scriptores tam prophani, quàm Ecclesiastici diuersissima prodiderunt, tametsi omnes in Belo, vel in eius filio Nino initium illius constituant, & finem in interitu Sardanapali: & vt de prophanis, vt antiquioribus priùs dicamus.

Herodotus l. 1. ait Assyrios annis quingentis & viginti superiorem Asiam iam tenuisse, cùm Medi ab ipsis deficere cœperunt, séque armis in libertatem vendicarunt; nec tradit an id in morte Sardanapali, vel opera Arbacis Medi factum fuerit, vt cæteri. Herodoti sententiam refert Diodorus Siculus l. 2. minùs fideliter; omittit enim 20. annos, pag. 118. Ctesias Gnidius, qui sub iuniore Cyro vixit, apud eundem lib. 2. ait stetisse hoc imperium 1360. annis donec ad Medos deuolutum est.

Ipse autem Diodorus l. 2. p. 115. *Hoc ergo modo*, inquit, *Assyriorum imperium, quod à Nino ad trigesimam vsque progeniem vltra mille & quadringentos annos steterat, à Medis euersum est.*

Trogus, & ex eo Iustinus lib. 1. mille & trecentos illi imperio tribuit. Velleius lib. 1. sub init. *Insequenti tempore Imperium Asiaticum ab Assyriis, qui id obtinuerant annis mille septingentis translatum ad Medos.* Et ibidem Sardanapalum à Nino tertium & trigesimum regem numerat, cùm semper regni paterni filius successor fuisset; Diodoro in eo consentiens, cuius hæc sunt verba, lib. 2. pag. 108. [illegible] Sed pro mille & septingentis, alij legunt, mille & septuaginta. Lipsius corrigit, & reponit 1230. ex Orosio. Cæterùm cùm Velleius numeret 33. reges à Nino, addito Belo erunt 34. At Diodorus ponit duntaxat 30. vt patet ex verbis citat. & mox apertiùs, [illegible] Africanus in thesauro temporum p. 360. reges Assyriorum à Belo ad Sardanapalum ponit 41. qui regnarint 1484. annis, & rursus in canon. Isagogicis p. 132.

Æmylius Sura apud Velleium lib. 1. à tempore quo Philippus, & Antiochus Macedones victi sunt à Romanis, ad Ninum vsque, ponit annos 1995. Antiochus magnus victus est ann. mundi 3864. regni sui 37. vrb. con. 565. Inde si auferas 1995. restabunt 1869. sed si addas 65. annos Beli, ad eum mondi numerum fermè peruenies, quem exhibet index noster. Itaque legendum est ad Belum vsque, in Velleio, non autem ad Ninum vsque.

3864
1995
1869
65
1934

Eusebius in Chronico numerat reges 36. quibus dat annos 1240. vel verius 1239. non plures enim in tota summa reperiuntur, verùm addito Belo, cui ipse tribuit 65. annos, fient reges 37. & anni 1304. D. August. lib. 12. de Ciuit. cap. 10. ex epistola quadam Alexandri ad Olympiadem matrem refert in eadem epistola scriptum, ex cuiusdam Ægyptij sacerdotis narratione, regnum Assyriorum quinque annorum millia excessisse. Ipse autem August. ibi subdit. *In Græca vero historia mille ferme, & trecentos habet ab ipsius Beli principatu, quem regem, & ille Ægyptius in eiusdem regni ponit exordio.* Sic Augustinus, vbi vides eum Chronologiam Eusebij respicere, & propter illos 4. aut 5. annos addidisse, ferme. Quod ex libro 18. cap. 21.

clarius habetur. *Illud*, inquit, *omnium regnorum maximum Assyriorum, finem tanta diuturnitatis accepit. Ad Medos quippe translatum, & post annos ferme 1303. vt etiam Beli, qui Ninum genuit, tempora computentur*. lib. 2. 4. de Ciu. cap. 6. vbi omittit Belum, 1240. annos cum Eusebio ponit, quam summam capite etiam sequenti repetit.

Paulus Orof. l. 2. c. 3. 1164. stetisse ait, antequam à Medis & Arbacto caperetur, sicut & Romam antequam à Gothis & Alarico, quem numerum cùm habeat etiam l. 1. c. 12. non rectè fortè visus est Scaligero meodosus l. 3. can. p. 314. vbi legi vult 1240. quod si illis annis addideris Beli 65. fient omnino 1229. quem numerum agnoscit Lipsius, quem ante retulimus. Idem autem Orosius reges ait fuisse propemodum 50. fortè legendum 40. propter Africanum, qui habet 41. & Eusebium qui 37.

Georgius Syncellus Monachus annos ponit 1360. vt refert Lipsius in illum Velleij locum. De numero autem regum sequitur Africanum. Certè Eusebium reprehēdit apud Scaligerum quod 4. ex ipsis prætermiserit. Sed hac de re iterum suis locis dicendum erit. vide annum mundi 2803. n. 1. Nihilominus sequamur Eusebium quantum licebit, ne Augustino, Hieronymo, Gregorio, Ruperto, Beda, Orosio, & aliis passim, qui eum secuti sunt, plus sapere velle videamur.

Initium regni Babylonici siue Assyriaci refert Tornielius in hunc annum secundę ætatis 276. In tabulis tamen annum primum Beli ponit anno præcedenti; ex quo etiam cogitur annos sex & sexaginta dare regno Beli, pro 65. vt habet Euseb. in Chronicis. N. VII. 2.

Idem lapsus est in 35. regni Nemrod sine Beli, vbi tabulæ cum annalibus non satis consentiunt: In his enim primus Sicyoniorum ponitur Beli trigesimo quinto circiter inchoante, vt veritas postulat. In tabulis primus Sicyoniorum cum eiusdem Beli trigesimo sexto concurrit.

ANNVS MVNDI 1933. SECVNDÆ ÆTATIS ET DILVVII 277. NOE 877. SEMI 375. ARPHAXAD 275. CAINAN 240. SALÆ 210. HEBER 180. PHALEG 146. REHV 116. SARVG 84. NACHOR 54. THARÆ 25. BELI ET IMPERII ASSYR. 1.

ANTE CHRISTVM 2120.

I. *Assur condit ciuitatem.* EXISTIMAMVS ad hunc annum pertinere fundamenta ciuitatis ab Assur filio Semi conditæ. Cùm enim interueniente diuisione linguarum cum familia sua Babylone egressus immigrasset in eam prouinciam, quæ illi sorte contigerat, & quæ ab ipso deinceps Assyria est appellata: cœpit etiam vel exemplo Nemrod nepotis sui, aut etiam metu feri hominis, atque violenti, de construenda ciuitate cogitare, in qua ipse cum familia habitarent, séque & sua haberent in tuto; denique quæ ornamento esset, atque emolumento, quam fortasse de nomine suo Assuriam vocauit, sed postea à Nino, vt ante diximus, occupata, & dominum mutauit, & nomen. Vt non vltra differamus constructionem eius vrbis monet vicinitas Assyriorum, & Babyloniorum, præter metum à vicino malo. ann. mundi 1931. n. 54. & 60.

II. *Alique principes alibi.* ARMENIAM quoque in primis habitatam, & cultam, merito credi potest; priore habitatione patrum inuitante; ibique à filiis Aram ciuitates condi cœptas, nam illuc eos profectos suprà coniectando dicebamus. cùm de gentium diuisione disputaremus: & clarè fauet Epiphan. cùm ait dextera ac sinistra dispersos aliquos eo rediisse vnde discesserant. Nec differendi Ægyptij, qui se primos mortalium crediderε, Herodoto consentiente l. 2. sub initia. & Thebæorum Dynastiam hoc tēpore Ægypto præfuisse tradit Euseb. in Chron. Ædificauit Mesraim vel Tanim, quæ ab Hebræis dicta est Thoan, quàm Masius vetustissimam totius Ægypti Metropolim appellat, quam tamen Hebron 7. annis præcessit, vt author est Moses, vel Memphim, vel potiùs Thebas, nam Thebæi, vt author est Diodorus Siculus vetustissimos omnium mortalium se esse prædicant, & longo post tempore Memphim ab Choreo rege conditam, siue vt est apud Herodotum & Iosephum à Minæo, Herodot. Menen vocat, cui si superis placet 330. reges in Ægypto successere, vt ex libro recensebant Ægyptij sacerdotes. Idem Herodotus ait Menen primum Ægyptiorum regem vrbem in Nilo ædificasse, quæ

eodem an. n. 93. & 94.

Num. 13. 23.

l. 1 p. 46.

l. 8. c. 2. vers. finem.

nunc, inquit, Memphis appellatur. Nec filios Iaphet negligentes in eo genere fuisse putandum est. Hisque temporibus condita videntur oppida quæ prisci, propter antiquitatem Diis tribuebant; quo pertinet illud, 8. Æneid.

Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit vrbem:
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Cæterùm quæ chronologi aliqui prodidere de annis, quibus regna Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, Italiæ, aliarúmque prouinciarum in Asia, & Africa initium acceperunt, qui reges eorum fuerint, quoto quisque anno regnum acceperit, aut regnare desierit, quibus moribus fuerint, quæ bella gesserint, cæteráque his similia, silentio prætereunda duximus. Quòd ea ferme omnia vnius Annij Viterbiensis commentis nitantur; quæ iamdudum eruditi omnes repudiarunt. Itaque maluimus annos vacuos sæpè transcurrere, quàm hisce fabulis veriora, ac probabiliora labefactare.

ANNVS MVNDI 1950. SECVNDÆ ÆTATIS ET DILVVII 294. NOE 894. SEMI 392. ARPHAXAD 292. CAINAN 257. SALÆ 227. HEBER 197. PHALEG 163. REHV 133. SARVG 101. NACHOR 71. THARÆ 42. BELI ET IMPERII ASSYRIORVM 19.

ANTE CHRISTVM 2103.

TRIGESIMVS nonus Iubilæus hoc anno perficitur, circa quod tempus constructionem trium illarum vrbium, quas memorar Moses in terra Sennaar, contigisse probabile est, viginti circiter annis post conditam Babylonem hominum multitudine succrescente. Earum Moyses eundem Nemrodam, cui & Babylonem attribuit, videtur agnoscere fundatorem. Nam eodem orationis filo. *Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne in terra Sennaar.* De quibus vrbibus ita D. Hieronymus, *Regnauit autem* (Nemrod) *& in Arach, hoc est in Edessa, & in Achad, quæ nunc dicitur Nisibis, & in Chalanne, quæ postea verso nomine à Seleuco rege dicta est Seleucia, vel certè quæ nunc* Κτησιφῶν *appellatur.* Idem in locis Hebraicis, *Achad vrbs regni Nemrod in Babylone. Porro Hebræi hanc esse dicunt Mesopotamiæ ciuitatem, quæ hodie quoque vocatur Nisibi, à Lucullo quondam Romano consule obsessam, captámque, & ante paucos annos à Iouiniano imperatore Persis traditam.* Eam Septuaginta vocant Ἀρχὰδ, iam verò Arach quam Hieronymus interpretatur Edessam, iidem vocant Ὀρὲχ, quæ in Mesopotamia quoque est, apud Ptolemæum, sicut & Ctesiphon tertio lapide à Babylone ad ripam Tigris.

[Margin: I. *Vrbium conditus in Babylonia.* — Gen. 10. 10. — in trad. — in tab. 4. Asiæ.]

SVB hoc tempus etiam Ionicum filium Noë mittunt quidam in regionem Solis, cum reuelationibus Methodij, trecentis ferè annis post diluuium. Verùm non recentiora tantùm commenta, sed etiam vetustiora repudianda sunt. neque hæc fidem, nisi ab apocrypho, & quidem scatente mendis, accipiunt; & iam suprà ex Noëmi continentia à patribus asserta, refutata sunt.

[Margin: II. *Ionithus filius Noe apocryphus.*]

ANNVS MVNDI 1966. SECVNDÆ ÆTATIS ET DILVVII 310. NOE 910. SEMI 408. ARPHAXAD 308. CAINAN 273. SALÆ 243. HEBERI 213. PHALEG 179. REHV 149. SARVG 117. NACHOR 87. THARÆ 58. BELI ET IMPERII ASSYRIORVM 35.

ANTE CHRISTVM 2087.

I. *Initium Sicyoniorum.*

QVINTVS & trigesimus Beli, siue Nemrodi annus concurrentem habet primum Ægialei Sicyoniorum regis annum, iuxta Eusebij in chronico supputationem. Cùm enim hic Ægialeus eodem authore regnarit annos duos & quinquaginta, & vigesimus secundus successoris eius sit primus Abrahæ, ad superiora recurrendo necesse est vt primus Ægialei sit trigesimus quintus Beli. Regnauit hic in vrbe vicina isthmo Corinthiaco, quæ primo Ægiale dicta est, postea Sicyon, authore Pausania in Co- [l.2. sub init.] rinthiacis. Cuius de Sicyoniorum origine hæc sunt. *Sicyonij Corinthiis finitimi, hæc de originibus suis commemorant. Extitisse primum in ea regione Aegialeum indigenã. Atque eo regnante eam Peloponnesi partem, quæ Aegialus hoc etiam tempore nuncupatur, nomen sumpsisse. Atque illum quidem plano loco oppidum, cui Aegialea nomen, condidisse: fuisse verò ibi arcem, quo loco eis nunc Mineruæ templum est. Aegialeo patre Europem natum, Europe Telchinem: huic filium Apin fuisse, cuius ante Pelopis in Olympiam aduentum eousque opes creuerunt, vt ea tota regio, quæ intra isthmum est, ab eo fuerit Apia nuncupata. Iam verò Apis Thelxionem suscepit, Thelxione ortus Aegyrus, Aegyro Thurimachus, Thurimacho Leucippus,* &c. Pergit enumerare Sicyoniorum reges, eosdem penè, atque eodem ordine, quo Eusebius in chron.

II. *Peloponnesi nomina.*

CÆTERVM haud scio an vlla prouincia pluribus nominibus appellata vnquam fuerit, nouissimum est Morea, antiquissimum Ægialea. quam si quis malit à situ ipso dictam, quod tota littoralis sit, cùm tamen insula non sit, nõ admodum repugnauerim. Habet enim littus longè maius quàm pro regionis magnitudine, propter plurimos sinus quibus cingitur, atque introrsum sinuatur. Vnde Plinius, [l.4.c.4.] *Platani*, inquit, *folio similis Peloponnesus propter angulosos recessus circuitu 563. millia passuum colligit authore Isidoro. Eadem per sinus penè tantundem adiicit.* Sic ipse. Intermedia nomina fuere Telchinia apud Stephanum; Apia, vt ex Pausania diximus, & infra cum Eusebio dicemus; Pelasgia siue Pelagia à Plinio; Achaia, Pelo- [ibid.] pia, Inachia, & celebratissimè Peloponnesus. Vide Thesaurum Geograph. Ortelij, mi lector, simúlque obsecro ne graue sit quod rerum certarum penuria hæ- teamus in verbis: quamquam vt vides non hæremus, sed currimus; & hanc pe- [2.Pet.2.18.] nuriam pluris faciendam putamus, quàm σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθῆσαι.

ANNVS MVNDI 1979. SECVNDÆ ÆTATIS ET DILVVII 323. NOE 923. SEMI 421. ARPHAXAD 321. CAINAN 286. SALÆ 256. HEBER 226. PHALEG 192. REHV 162. SARVG 130. NACHOR 100. THARE 71. NEMROD ET REGNI ASSYR. 48.

ANTE CHRISTVM 2074.

I. *Ortus filiorũ Thare.*

VIXIT *Thare*, inquit Moses, *septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aram.* More ergo solito, & explicato anno Adami 131. annos completos sumimus. Itaque Thare cùm vixisset septuaginta annis, & inciperet

primum & septuagesimum genuit hosce filios, & non ante, quamuis fortasse priùs alios filios, filiásque genuerit, non tamen hos tres, de quibus peculiari cura Moysi agendum fuit. quòd ex his tota natio, & Abrahamitarum cognatio dependeat. Neque Mosis mens fuit affirmare, tres illos hoc anno Tharæ patris eorum fuisse natos, sicut neque supra cùm dixit, Noë cùm quingentorum esset annorum genuisse Sem, Cham, & Iaphet; sed tantùm neque hos, neque illos ante dictum illũ annum fuisse genitos, sed postea. Non alienus est ab hac expositione D. August. inquirens in annum natiuitatis Abrahæ. *Potest & sic solui*, ait, *quoniam Scriptura quæ dixit, cùm esset Thare annorum septuaginta genuit Abram, & Nachor, & Aran: non vtique hoc intelligi voluit, quia eodem anno septuagesimo ætatis suæ omnes tres genuit, sed ex quo anno generare cœpit, eum annum connumerauit Scriptura.*

c. 5. 32.
q. 25. in Genes.

II. *Fueritne Abrã primogenitus.*

FIERI *autem potuit vt posterior generatus sit Abraham; sed meritò excellentiæ, quia in Scripturis valde commendatur, prior fuerit nominatus.* Sic ipse; quòd probat deinceps gemino exemplo Iacob, & Iudæ, qui priores fratribus suis nominãtur, etsi fuerint nascendi ordine posteriores, quòd illos dignitate antecedant. Qui ergo Abrahamum non septuagesimo patris anno, sed posteriùs natum volunt, nihil contra Scripturam sentiunt, ipso interprete Augustino. Abulensis quoque, & Lyranus & Del Rio hoc loco, rectè ex ætate Saræ, quæ erat iunior Abrahamo annis decem, probant Aram patrem Saræ genitum fuisse ante Abrahamum, nec Abrahamum esse primogenitum Thare. Nam si Abraham est primogenitus, & Sara eius vxor est filia Aran, vt communiter omnes fatentur, oportet Aran vno circiter anno iuniorem Abrahamo fuisse, & octennem aut nouennen genuisse filiam suam, quòd non propterea absurdum non est, quia ab Hebræis conceditur vltro. Sic enim habent in sua chronol. *Abraham*, inquiunt, *duntaxat superauit anno Nachorem, & Nachor altero fratrem suum Aran, qui post septennium ab ablactatione accepit vxorem, anno certè vitæ octauo, hinc natus est Lot, sequenti demum anno Iescha, quæ & Sara.* Id ipsum admittit Genebr. & exemplis confirmat incertissimis, cùm satiùs multò fuerit primogenituram alteri fratrum Abrahæ concedere.

q. 19. in 11. Gen.
in Seder Olam. c. 2. fin.
in chron.
cui fauet Del Rio hic.

III. *Nõ fuisse, nec genitũ anno patris 70.*

NEC tamen in eo probandus Abulensis, quòd vt in anno septuagesimo Tharæ retineat ortum Abrahæ, ad anteriorem ætatem Tharæ transfert Aran, contra Scripturam, ex interpretatione D. August. qui ait, ex quo anno generare cœpit istos tres, de quibus agitur, eum annum commemorasse Scripturã, scilicet septuagesimum. Sed apertiùs etiam Caietanus in hunc locum. *Non est intelligendum*, inquit, *quod Thara septuagesimo anno genuerit istos tres filios, quoniam constat Abram post mortem patris, qui vixit ducentis & quinque annis, septuaginta quinque annorum exisse de Haran, vt testatur Stephanus. Act. 7. Hinc enim clarè patet, quòd ad minus 130. annorum erat Thare, quando genuit Abram. Quòd ergo hic dicitur, quod vixit Thare septuaginta annis & genuit istos tres, intelligendum est negatiuè, quòd non ante 70. annos incœpit generare istos.* Hæc Caiet. cui consentit Lipom. in Catena. Sed hac de re diligentiùs in vero anno natiuitatis Abrahæ dicendum erit.

q. 25. in Genes.
c. 11. Gen. fin.

IV. *An Nachor fuerit primogenitus.*

VTER autem reliquorum duorum hoc anno natus est? Alterum enim natum esse oportet, alioqui falsum esset Thare genuisse Abraham, & Nachor, & Aran, cùm vixisset septuaginta annis, si neque de omnibus, neque de vllo eorum id verũ esset. perinde enim esset dicere cũ vixisset quadraginta, aut nonaginta. Existimat Torniel. Nachor primogenitum existimari posse, & hoc anno natũ esse. quòd vbi ab ordine dignitatis discessum est ratio exigat, vt ad naturæ ordinem redeatur. Hebræi quoque Nachorem vno anno maiorem Arano faciunt.

in hunc an.

V. *An potiùs Aran.*

VERVM contrarium nobis persuadet ea ratio, quòd Aran non solùm frater est Nachor, sed etiam socer, ideóque instar patris fuit ipsi Nachori, & nõ frater eius natu minor. Et ne dicas valde prouectum ætate duxisse puellam, quia ex Melcha filia Aran suscepit octo liberos, atque adeò Hus primogenitum suum. Nec obstat quod postponatur Nachori, quia hic multitudine filiorum floruit, ille vnicum habuit; hic diu superstes fuit, ille ante patrem suum mortuus est. Huius filiæ affinitate cum Patriarchis contracta, populum Dei genuerunt; illius autem filiæ ex incestu matres alienigenarum fuerunt. Denique Aran primogenitum agnoscit Procopius Gazeus in Genes. Theodoret. in Catena Lipom. Caiet. hoc loco, & Del Rio, aliique.

Gen. 22. fi.
in c. 11 fi.
in c. 19.
Pelicanus.
Capellus.

At rationi minimè consentaneum est, inquit Perer. *Moysem explicare voluisse tempus generationis Nachor & Aran, tacuisse autem tempus ortus Abrahæ, si non est natus anno patris septuagesimo, cùm de Abraham, eiúsque genealogia & ætate, per se, ac præcipuè agat Moyses, de cæteris autem non nisi ex accidente.* Respondetur Mosem non explicasse distinctè natiuitatem horum duorum, alioqui controuersa non esset; nec nisi quatenus Abrahamum contingunt. Natiuitatis autem Abrahæ tempus satis expressit, cùm dixit, eum natum fuisse septuaginta quinque annos, cùm mortuus est Thare pater eius. l. 16 c. 19.

VI. *Schema familiæ Thare.*

NON posuimus autem illos in ordine ac serie Patriarcharum, quia sunt extra lineam generationis Dauidis, & Saluatoris; pertinent tamen ad cognationes Abrahæ, & totam eius familiam, quam operæpretium est maturè hoc loco cognoscere: vnde non exigua lux multis Scripturæ locis accedere potest.

- Thare filius Nachor genuit
  - Aran ex priore vxore, vnde orti
    - Lot, qui ex filia Gen. 19. 37.
      - Maiore suscepit Moab. / Minore genuit Ammō. — patrem Moabitarum. / Ammonitarū. — Genes. 19.
    - Melcha, quæ nupsit patruo suo Nachori. Gen. 11. 29.
    - Sara, quæ & Iescha Ioseph l. 1. ant. c. 6. Hieron in quæst. Hebr. August. l. 16. de ciuit. c. 12. nupsit Abrahamo, vnde & Nurus Thare dicitur. Gen. 11. 31.
  - Nachor, qui genuit
    - ex Melcha nepte sua, filia Aran
      - Hus primogenitum Genes. 22. 21.
      - Buz fratrem eius, ibid
      - Camuel patrem Syriorum.
      - Cesed, & Azau,
      - Pheldas
      - Iedlaph
      - Bathuel, qui genuit
        - Labā patrē Gen. 24. 29 — Liæ & Rachelis — Gen. 29. 16
        - Rebeccā vxorē Isaaci Patriarch. Genes. 24.
    - ex Roma concubina — Tabee. Gahā. Tahas. Maacha — Genes. 22. 24.
  - Abrahā qui genuit
    - Ex Sara nepte, eadémq; sorore ex patre tantum, Geneseos 20. 12. — Isaac, qui ex Rebecca nepte genuit
      - Iacob, qui genuit
        - ex vxoribus
          - Lia, — Ruben. Simeon. Leui. Iudas. Issachar. Zebulō. Dina.
          - Rach. — Ioseph. ex quo — Ephra. Manas. / Beniamin.
        - ex concubinis
          - Bala, — Dan. Nephtalin.
          - Zelpha, — Gad. Asser.
      - Esaū, cuius progeniem digeremus inferius anno Iacobi 121.
    - Ex Agar Ægyptia concubina, Geo. 16. — Ismaelē, ex quo
      - Nebaioth. Cedar. Adheel. Mabsam. Mesma. Duma. Massa. Hadar.
      - Thema, Iethur, Naphis, Cedma, — duodecim principes tribuum suarum. Genes. 25. 15.
      - Maheleth, quæ & Basemath, quam duxit Esaū. Genes. 28. 9. 36. 3.
    - Ex Cetura Gen. 25. 1.
      - Zamran,
      - Iecsan ex quo — Saba & Dadan ex quo — Assurim. Latusim. Loomim.
      - Madan,
      - Madiā, ex quo — Epha, Opher, Enoch, Abida, Eldaa,
      - Iesboc,
      - Sue,

Interea verò eum morum peruersitate idololatria pullulabat, adeò vt nascente mox Abrahamo, ea pestis totam vbique terram pollueret, atque deploranda insania funestaret: vt ex sequentibus intelligetur.

ANNVS

ANNVS MVNDI 1986. DILVVII, ET SECVNDÆ ÆTATIS 330. NOE 930. SEMI 428. ARPHAXAD 328. CAINAN 293. SALÆ 263. HEBER 233. PHALEG 199. REHV 169. SARVG 137. NACHOR 107. THARÆ 78. BELI ET IMPERII ASSYR. 55.

ANTE CHRISTVM 2067.

Apud Scal. in thesauro tempor. AFRICANVS, qui Belo, siue Nemrodo Imperij Assyriorum fundatori quinque tantùm & quinquaginta regni annos tribuit, cum hoc anno extinctũ tradit, alij citiùs etiam, alij tardiùs. Nos Eusebium secuti cum adhuc decennium relinquemus in viuis.

ANNVS MVNDI 1996. SECVNDÆ AETATIS ET DILVVII 340. NOE 940. SEMI 438. ARPHAXAD. 338. CAINAN 303. SALÆ 273. HEBER 243. PHALEG 209. REHV 179. SARVG 147. NACHOR 117. THARE 88. BELI 65. ET VLT. IMPERII ASSYR. 65.

AN. ANTE CHRISTVM 2057.

Gen. 11.13. TERMINAT hoc anno Torniellus periodum vitæ Arphaxadi, & quidẽ magna cum probabilitate, alij probabilius existimant Arphaxad vitam ad quadringentesimum trigesimum octauum annum produxisse, vt eodem anno Deo, fauente dicemus. I. *Aetas Arphaxad.*

Hoc potiùs anno Nemrod siue Belus, & viuendi & regnandi finem fecit. II. *Belus quãdiu regnarit.*
p. 87. Chronici quidem Alexandrini autor, nescio quas Græcorum secutus historias, Belo biennium tantùm attribuit. *Picus*, inquit, *siue Iupiter cùm regnum Assyriorum annis triginta curasset, relicta & ille matre sua, & Iunone sorore eadémque coniuge, creatóque Belo filio suo Assyriorum rege, ipse ad Saturnum parentem in Occidentem est profectus. Belus ergo cùm Assyriis biennio præfuisset, decedit; quem Persæ in censum Deorũ retulerunt.* Hæc ibi; quæ vt parum consentanea sacris, prophanisque historiis meritò contemnũtur. Non desunt è contrariò, qui cum plus ducentis annis regnasse putent, quò ipsos adigit linguarũ diuisio, coniecta in natiuitatẽ Phaleg, vt est apud Vigneriũ. Temporarius, qui Nemrodum à Belo separat, illum 80. annos regnasse vult, istum 65. Qui autem Annium Viterbiensem, potiùs quàm Africanum sequuntur, annos sex & quinquaginta illi attribuunt, vt Ioannes Lucidus, Vigenerus, Reinerus, Bibliander, Functius, Buchoreerus, nonnulli 62.

At Eusebij 65. annos passim omnes sequuntur, in primísq; D. Aug. & Hieron.
n.82. & 83. & ex recentioribus Petcr. l. 15. Torn. in hunc annum, Bellarm. Gordonus.

EXISTIMATVR autem ad trecentos annos vixisse, vt qui sub annum diluuij 38. III. *Et vixerit.*
natus sit, vt ibi diximus. Nam Cainan, qui totidem gradibus distabat à Noë tertiũ & trecentesimum agebat annum. quod confirmat etiam Arphaxadi ætas, qui filiũ 35. vitæ anno procreauit, & nunc ad 38. supra trecentesimum peruenerat. Scribit
l.6 c.26. Plinius, hunc Belum, cui templum Babylone excitatum suprà ex Herodoti Clio diximus, syderalis scientiæ inuentorem fuisse. Eam scilicet suos docuit Babylonios, & fortassis amplificauit, vt fit, obseruationibus propriis; (nam quis dubitet Noë, & in primis, primum hominem astrologiæ scientissimos fuisse?) Eamque ob
p.85. causam fortasse chronicon Alexandr. *Chus*, inquit, *procreauit Nemrod gigantem, Babyloniæ conditorem, quem Persæ aiunt in cœlitum ordinem relatum, in astris apparere, quem*
an.4. Nini. *vocant Oriona.* Sed de apotheosi Beli, quæ à Nino filio facta est, alio loco dicetur.

ANNVS MVNDI 1997. SECVNDÆ ÆTATIS ET DILVVII 341. NOE 941. SEMI 439. ARPHAXAD 339. CAINAN 304. SALÆ 274. HEBER 244. PHALEG 210. REHV 180. SARVG 148. NACHOR 118. THARE 89. NINI 1. REGNI ASSYR. 66.

ANTE CHRISTVM 2056.

I. *Progressio Imperij Assyriorũ*

TAMETSI hoc primùm anno Assyriorum imperium, cum Nino eius principe, & ciuitate eiusdem imperij metropoli natum videri possit; & præcedentes 65. anni Babyloniorum potiùs, quàm Assyriorum fuerint; Eusebium tamen & Africanum, alióſque innumeros secuti, qui Belum, aut Nemrodum primum huius imperij regem numerant, nec Babylonios in his initiis ab Assyriis separant, quòd Beli regnum fuerit quoddã huius imperij exordium, vt non semel diximus, primum Nini annum, non primum Assyriorum vocamus, sed sextum & sexagesimum. Minùs etiam Tornielli consiliũ probauimus, qui Monarchiæ illius principium in vigesimum Nini distulit, quo dicitur à Diodoro multis prouinciis subactis, Ninum, quæ & Niniue, condidisse[a]. Sed nihil est necesse hoc loco regnum ab imperio distinguere; nec probat Diodorus tam tardè aut victos Assyrios, aut Ninum constitui cœpisse. Itaque communissimam sententiam, quam semper adamauimus amplexi, hunc primum Nini annum, sexagesimum sextum Assyriorum numeramus, itaque deinceps progrediemur, totis 85. annis à Torniello diuersi. *l. 2. Bibl. init.* *a. χ.*

II. *Per Nini potentiam, & victorias.*

RENASCITVR ergo cum nouo rege, Babyloniorum, & mox Assyriorum imperium, quod viuo Belo modicæ prouinciæ finibus, agro scilicet Babylonico circũscriptum fuit, cui postmodum reliqua Mesopotamia, vicina Chaldæa, & Assyria coniunctæ fuerunt, legitimis possessoribus, qui eas regiones, aut à diluuio, aut à diuisione linguarum coluerant, seruire coactis. Quo de tempore rectè illud Iustini accipias. *Fines Imperij tueri magis, quàm proferre mos erat, intra suam cuique patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus Rex Assyriorum, veterem, & quasi auitum gentium morem, noua imperij cupiditate mutauit.* Rectè, quasi auitum, nondum enim auitum; ad auos quippe res non pertigerat; sed non notat Trogus, aut Iustinus initia regnorum à diuisione linguarum primum exorta. Addit autem, *Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos, ad terminos vsque Lybiæ perdomuit.* Sed id progressu temporis factum esse satis constat; nam mox subdit, *Ninus magnitudinem quæsitæ dominationis continua possessione firmauit. Domitis igitur proximis, cum accessione virium, fortior ad alios transiret, & proxima quæque victoria, instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegit.* Hæc ipse, sed quo quidque tempore gesserit, nemo tradit. Quin etiam sunt qui querantur, à scriptoribus pleráque omnia, quæ ad diuersos Assyriorum reges pertinebant, vni Nino fuisse tributa. D. Hieronymus significat Ninum, post aliquot victorias, & magnam iam gloriam adeptam, patrem Belum in diuorum numerum retulisse. Iustinus autem, & Diodorus res contra Zoroastrem ab ipso gestas, ad extrema Nini tempora referunt. Ad alia ergo tempora differantur. *lib. 1. init.* *in c. 2. Osee*

III. *Ninum condit, siue restaurat.*

AD hæc autem pertinet illud Mosis, *de terra illa* (Sennaar Babylonica) *egressus est Assur*, id est Assyrius, vel Ninus factus rex Assur, siue Assyriorum, vt supra explicauimus; filiis Semi, qui eam possidebant, post Beli mortem, vi aut metu subiugatis. *Et ædificauit Niniuem, & plateas ciuitatis, & Chale.* Non contentus ergo Babylone in terra Sennaar, ad Euphratem, etiam ad Tygrim aliam condere statuit; aut inchoatam potiùs à filiis Assur, filij Noë, magnificentiùs instaurare. Ad Tygrim enim Ninum conditam fuisse author est Herodotus l. 1. cui potiùs quàm Diodoro credimus, qui lib. 2. eam ad Euphratem collocat. Nam Herodoto consentit Ptolemæus & Plinius, *Fuit*, inquit, *& Ninus imposita Tygri, ad Solis occasum spectans, quõdam clarissima*, &c. idémque alij tradiderunt. Ninum, inquam, instaurare placuit, vt quoniam Babel, iuxta aliquorum interpretationem, Beli patris præferebat no- *Gen. 10. 11. an. 1931. n. 49. & 60.* *tab 5. Asiæ. l. 6. c. 13.*

men, hæc altera suum ipsius nomen ferret, quæ nihil illi de dignitate concederet.
Ciuitatis enim magnificeotiam innuunt memoratæ illæ plateæ ciuitatis; quo no-
mine etiam vicorum latitudinem licet accipere, & ipsum epithetum ciuitatis ma-
gnæ, quo à Moyse honoratur, vt suprà quoque notauimus. Sed ex illa quoque e-
lib. 2. gressione de terra Babylonica intelligitur hallucinatus Diodor. Siculus, cùm ait,
*Ninum Assyriorum Monarcham, Arabum subsidiis instructum numeroso cum exercitu Baby-
lonios inuasisse adhuc belli rudes, ipsisque annui pensionem tributi imperasse. Regem verò de-
bellatum, cum liberis captiuum abduxisse, atque interemisse.* Quæ potiùs Assyriis facta esse
à Nino Babylone profecto, vt Moses significat, quam vice versa existimãdum est.
Factus est enim Assyriorum Monarcha ipsis debellatis, & in monimentum victo-
riæ suæ maluit Assyriorum Rex dici, quàm Babyloniorum; quod hoc paternam,
illud propriam virtutem commendaret.

CREDIBILIVS etiam est Niniuem quàm primùm condi, siue amplificari cœptã, IV.
cùm Ninus Assyria potitus est; sicut à patre Babylon initio regni condi cœperat, *Sub initiũ*
credibilius, inquam, quàm post septendecim annos, debellatis iam longè latéque *regni.*
multis gentibus, vt putat Diodorus. Scriptura etiam primum Nini opus, ex quo
in c. 2. Osee egressus est ex terra Sennaar, ponit Niniue ædificationem, sicut & Hieron. in
Oseam. Nec vlla suberat differendi causa, quietis omnibus circunquaq; populis,
& *Nino ipso imperij exorientis arcem habere festinante*, vt loquitur Diodorus. Nisi fortè
placet ita conciliare diuersas opiniones, vt dicamus ab noui regni initio magnifi-
centiorem ciuitatem inchoatam, & bellis Regem mox occupantibus, lentè pro-
gressam, post victorias de multis gentibus reportatas, congestásque prædas, ma-
gna celeritate, ac magnificentia perfectam.

l. 2. Bibl. EIVS magnificentiæ id indicium est, quòd *tanta molis vrbem condere festinabat, vt* V.
non modò omnium tunc in orbe terrarum maxima existeret, sed etiam vt nemo posterorum ta- *Eius de-*
le quid aggressus, ipsum facile superaret, vt ait Diodorus. Ex quo intelligitur Niniuem *scriptio ex*
aliquando Babylone clariorem fuisse, sed varia vtrique vrbi ornamenta, & clades *Diodoro*
contigere, quæ alternatim alteram altera gloriosiorem fecerunt, cùm aliorum, tũ *Siculo.*
maximè Semiramidis, ac Nabuchodonosoris opera. Sed pergit Diodorus. *Ipse cõ-*
n. 3. *tractis vndique copiis, & omnium facultatum suarum apparatu, ad Euphratem fluuium* (Ty-
grim veriùs, vt ante dixi,) *vrbem præclarè construxit, figura quadrilatera, sed altera parte*
150 *longiore. Nam latus vtrimque longius ad 150. stadia excurrit, reliqua duo minora 90. obtinent;*
150 *ambitus igitur totus stadiis quadringentis octoginta constat. Nec conditorem spes fefellit. A*
90 *nullo enim postmodum vrbs tanto ambitus spatio, tantáque magnificentia mœnium extructa*
90 *fuit. Nam murus ad centum pedum altitudinem exsurgebat, & ad trium latitudinem curruum*
480 *iunctim agitandorum porrectus erat: turres in eo mille & quingenta, ducentos pedes alta.*
*Quibus habitandam vrbem dederat, Assyrij erant plerique, iidémque potentissimi. Ex aliis ta-
men nationibus, qui vellent, aggregatis. His magnum agri vicini tractum assignauit, vrbémque
Ninum suo nomine appellari iussit.*

c. 1. 3. c. 4. 11. HÆc quæ de Nino, siue Niniue Diodorus, satis consentanea sunt iis, quæ in VI.
prophetia Ionæ dicuntur, de itinere trium dierum, & centũ viginti millibus par- *Ex Scri-*
uulorum, qui nescirent discrimen dexteræ suæ à sinistra. Nam quadringẽta octo- *ptura con-*
ginta stadia sexaginta millia passuũ conficiunt, quorũ si terna millia singulis Gal- *firmatur e-*
in c. 3. Ionæ licis leucis attribuas, fient viginti leucæ in circumitu ciuitatis; quòd spatium ne- *ius magni-*
cesse est multum augeri, dum plurimi ciuitatis vici, & plateæ, à Propheta concio- *tudo.*
nabundo obeuntur. Quamquam D. Hieron. tanti ambitus fuisse dicit, vt vix triũ
dierum posset itinere circumiri. Et Scriptura vt eam verè magnam, ac simpliciter
magnam fuisse ostenderet, addidit vocabulum, appellauitque ciuitatem magnam
Deo, id est coram Deo, vt habet paraphr. Chald. sicut D. Ioannes Baptista voca-
tur magnus coram Domino, & Sodomitæ magni peccatores coram Domino. De-
l. 16 init. nique Strabo Ninum scribit Babylone fuisse multo maiorem.

CÆTERVM quamuis pleriq; omnes Scriptores antiqui Herodot. Plin. Iustin. VII.
an. 1914. Velleius, & ex nostris Eusebius, August. Hieron. Paulus Orosius, & alij quos su- *Quæ du-*
l. 5. lib. 1. prà retulimus, de imperij Assyriorum antiquitate, diuturnitate, ac potentia multa *biã faciant*
prædicent, vnus tamen Dionysius Halicarnassæus, scriptor alioqui grauissimus, *huius im-*
ac diligentissimus, siue ex opinione veritatis, siue ex studio amplificandi *perij ma-*
maiestatem Romani imperij, illam Monarchiam non parum deprimere *gnitudinẽ.*

videtur atque deiicere. *Nam antiquum illud*, inquit, *Assyriorum imperium, retrò ad fabulosa vsque pertingens tempora: modicam quandam Asiæ partem obtinuit, deinde in Medos translatum, & auctum etiam opibus, non longo durauit tempore, sed in quarta ætate desiit.* Nec ab ea sententia alieni sunt è recentioribus Genebrardus, Beroaldus, & si qui alij, hoc maximè argumento nisi, quòd magnum sit de iis in Scriptura, vsque ad postrema fere Hebræorum tempora silentium; quando Sennacherib, & Phul, & Salmanazar, & Theglath Phalasar, & Assaraddon, cæterique memorantur. Quódque Sennacherib, dum gloriatur apud Ezechiam de rebus gestis à maioribus suis, eas prouincias numeret, quæ non excedunt fines Syriæ.

VIII. *Quæ è contrariò confirment.*

VERVM hæc tanti non sunt, vt propterea à communissima sententia antiquorum recedendum esse videatur; quibus plurima gesta Assyriorum innotuerant, quæ Epitomistarum perniciosa diligentia nunc sunt obliuione sepulta. Paulus certè Orosius plurima de iis se sciuisse haud obscutè docet, cùm ait, *At ego nunc cogor, fateri me prospiciendi finis commodo, præterire plurima, cuncta breuiare. Nequaquam enim tam densam aliquando syluam prætergredi possem, nisi etiam crebris interdum saltibus subuolarem. Nam cùm regnum Assyriorum per mille centum sexaginta annos vsque ad Sardanapalum per quinquaginta propemodum reges actum sit, & nunquam pene vel inferendis, vel excipiendis, vsque in id tempus, bellis quieuerit, quis finis reperietur, si ea commemorare numerando, vt non dicam describendo, conemur.* Quòd ergo Dionysius tantò tempore Assyrios modicam duntaxat Asiæ partem obtinuisse dicit, aliorum sententiis repellendum est. Nam Eusebius, & ante eum Africanus, totidem vterque verbis, de Nino sic loquuntur, Οὗτος νβ´ ἔτη τῆς Ἀσσυρίων ἐβασίλευσε. τοῦτον πρῶτόν φασιν ἁπάσης τῆς Ἀσίας, πλὴν Ἰνδῶν κεκρατηκέναι. *Hic*, inquit, *quinquaginta duobus annis Assyriorum rexit imperium, hunc primum memorant vniuersa Asia, exceptis Indis potitum esse* [a]. Quinam autem hoc memorant? Audi sanctum Hieronymum, *Primùm omni Asiæ regnasse Ninum Beli filium omnes & Græca & Barbara narrant historia.* num Dionysius vnus omnibus hisce præponderabit?

l. 2. c. 12. | in chron. | a. *Hier.* in c. 2. Osee.

IX. *Satisfit obiectis.*

NAM quòd de quarta ætate dicit, ad Medos pertinet, non ad Assyrios, vt patet. Neque id ei concedet Ctesias apud Diodorum Siculum, qui 9. Medorum reges numerat, eisque annos 320. attribuit. Eusebius octo posuit quos regnasse tradit ad Cyrum vsque 259. Neque verò perpetuum est de Assyriis in Scriptura silentium, etiam prioribus temporibus; meminit enim Moses non semel, meminit Balaam, & Dauid. Et quamuis esset perpetuum, diceremus Scripturam non meminisse eorum populorum, vel principum, quorum nihil Israëlitarum intererat. Multis autem seculis, nihil admodum ipsis cum Assyriis, aut Babyloniis negotij intercessit, vt qui pluribus ab hinc seculis in populum non coaluerint, deinde sub Iudicibus in Syriæ angulo inclusi, contemptique laterint. Et licet daremus Assyrios primis illis temporibus Euphratem non fuisse transgressos, plurimæ tamen maximæque regiones vltra eum fluuium ipsis subiectæ fuerunt, Medorum, Persarum, Armeniorum, Parthorum, Bactrianorum, cæterarúmque gentium, vt Grecæ omnes, Barbaræque olim loquebantur historiæ, Hieronymo teste. Denique dici potest prima & postrema Assyriorum tempora clarissima fuisse rerum gestarũ gloria, media non item; regibus eorum luxu perditis, artéque & tenebris probrosam ignauiam occultantibus, vt ex Diodoro constat. Et Sennacherib prima quidem illa Assyriorum decora, tanquam nimium antiqua, & quæ minus ad mouendum valerent prætermittit: Recentiora verò, licet minus gloriosa, tamen ex vicinitate notiora, proptereáque formidolosiora, ad terrendum Ezechiam inculcat. Itaque præduri videatur oris talibus argumentis, contra torrentem totius antiquitatis, obniti.

lib. 2. | Gen. 10. 11. | Num. 24. 22. | Psal. 82. 9. | lib. 2.

X. *Statua Nabuchodon. nihil ad Assyrios.*

QVOD autem plerisque visum est Monarchiam Assyriorum in statua Nabuchodonosoris, & Danielis interpretatione designatam, aureo capite gloriosam, minimè probandum puto. Neque enim statua illa repræsentabat præterita, sed futura. Testis ipse Daniel. *Tu Rex*, inquit, *cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc.* Et Dan. de præsenti rerũ statu, & futuro illius mẽbra interpretatur. Accedit quod Assyriorũ Monarchia à Nabuchodonosore excisa iam fuerat, & vigebat

Babylonica, quæ vsque ad Cyrum propagata est, & in Balthasare nepote Nabuchodonosoris terminata. Sed de Assyriis nunc satis; redeamus ad Hebræos.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 1997.

N. I. 1. LEGES in Eusebij Chronico Ninum ab Hebræis Niniuem dictam, ad præsens autem Nisibim appellatam. Quæ postrema verba cum stomacho respuit Scal. & sanè adiectitia sunt, neque enim in Græco Eusebij, neque in pluribus Latinis M. S. habentur, vt notauit Pontacus; neque in rei veritate. Nam minùs ad Tygrim condita fuit, vt diximus, Nisibis ad Mygdonium flumen, quod mediam pertransit vrbem, & ideo Antiochia Mygdoniæ appellatur, quæ aliquando sita fuit in finibus imperij Persarum, & Romanorum, vt ait Theodoret. l. 2. histor. c. 30. vide Thesau. Ortelij, verbo Nisibis, & verbo Ninos. Memento autem hoc additamentũ Hieronymi non esse, vt pleráque alia, nam nuper Achad in terra Sennaar, interpretatus est Nisibim.

Eadem habet l. 10. de præparat. c. 3. sed accedat luculentum Augustini testimonium lib. 18. de ciuit. c. 2. *Quantum*, inquit, *attinet ad imperium, nullum maius primis temporibus, quàm Assyriorum fuit; nec tam longè latèque diffusum. Quippe vbi Ninus rex Beli filius vniuersam Asiam, quæ totius orbis ad numerum partium tertia dicitur: ad magnitudinem verò dimidia reperitur, vsque ad Libyæ fines subegisse traditur. Solis quippe Indis in partibus Orientis non dominabatur: quos tamen, eo defuncto, Semiramis vxor eius est aggressa bellando. Ita factum est, vt quicunque in illis terris populi siue reges erant, Assyriorum regno, ditionique parerent.* Hæc August. N. IX. 2.

ANNVS MVNDI 2000. ÆTAT. 2. ET DILVVII 344.

NOE 944. SEMI 442. ARPHAXAD 342. CAINAN 307. SALE 277.
HEBER 247. PHALEG 213. REHV 183. SARVO 151. NACHOR 121.
THARE 92. NINI 4. IMPERII ASSYRIORVM 69.

ANTE CHRISTVM 2053.

BIS millesimum ab orbe condito annum, & quadragesimum Iubilæum non placuit silentio prætetire, præsertim cùm in hunc annum impunè liceat Nachoris, filij Tharæ secundo geniti, natiuitatem referre. Nam secundo genitum esse suprà docuimus, in anno patris eius 71. Nunc autem genitus, totis viginti annis minor fratre suo Aram, gener eius decentius fieri potuit, quàm si illi ætate suppar esset, aut etiam maior. I. Iubilæ. 40 & ortus 2. filij Tharæ.

PLACET & hic Beli Apotheosin referre, cùm Ninus debellatis iam, vt ait Diodorus, Babyloniis, aut potiùs Assyriis, vt ex Scriptura docebamus, Armenis item, ac Medis proximo biennio, relicta vni amicorum Mediæ Satrapia administranda, ad reliquam Asiam suo imperio adiungendam, armis in occasum conuersis animum adiecit. Verùm quoniam, *Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.* In transitu par est existimare ipsum adiisse nouam Imperij sui sedem Niniuem, & aliquanto vetustiorem Imperij paterni arcem, ac domicilium Babylonem: ibique partas iam celebrantem victorias, cœlo patrem inferre voluisse. Id D. Hieronymus videtur existimare contigisse, postquam iam contra Zoroastrem magum dimicasset. Alij in ipsum regni eius principium hanc Apotheosin referunt, vt Torniellus. In re incerta placuit mediam quasi viam sequi. II. Beli Apotheosis. (an. Nini 3. n. 3.) (in cap. 2. Osee.)

HOC ergo circiter tempore Ninus, vt ex plerisque scriptoribus, diuóque Hieronymo in primis colligitur, in frequenti procerum Babyloniorum conuentu, cùm Patrem suum Belum defunctum Babylonis ipsius, regnique Babylonici fundatorem vehementius, vt assolet, commendasset. Atque eum non solùm immortali apud posteros memoria, sed apud superos etiam immortalitate dignum prædicasset, statuam, quæ eum ad viuum affabrè, elegantérque repræsentaret, exhibuit, cui quasi viuenti deferretur honos; ad quam, si quis confugeret, abripi non posset ad pœnam, sed cuiuscunque potiùs criminis veniam consequeretur; denique miserorum esset commune perfugium. Ea res defuncto diuinitatis opinionem facilè conciliauit, & sub titulo Iouis, siue, vt aliis placet, Saturni Baby- III. Eius probabilis modus. (in cap. 2. Osee. in 31. Ezechiel. in 46. Esai.)

lonij Deus factus est, eique templum magnificentissimum Babylone à filio excitatum, variis etiam sacrificiis dedicatum est: quæ ipsi Belo nouo Deo offerebantur [1].

IV. *Cultus eius, & sacrificia.*

Cvivsmodi autem essent ista sacrificia, ex D. Hieronymo intelligi potest. [1. ✠. in c. 46. Esa.] *Quem Græci Belum,* inquit, *Latini Saturnum dicunt, cuius tanta fuit apud veteres religio, vt ei non solùm humanas hostias captiuorum, ignobiliúmque mortalium, sed & suos liberos immolarent.* Quod imitatos fuisse Israëlitas Hierosolymis, conqueritur Dominus apud Ieremiam. [c. 19. 4.] *Et repleuerunt,* inquit, *locum istum sanguine innocentũ, & ædificauerunt excelsa Baalim.* Vbi Hieron. *Nulli autem dubium, quin in templo Dei, Baal idolum posuerint, siue in delubro, quod erat in valle filij Ennon, vbi & lucus Baal, & ara eius fuit, super quam immolauerunt, & incenderunt filios suos.* Nec mirum Baalis sacrificulos, & Prophetas, in alios crudeles fuisse, cùm seipsi cultris, ac lanceolis solenni ritu inciderẽt, & vulnerum sanguine perfunderent, vt Scriptura testatur. [3 Reg. 18.] Et rursum Hieron. in Ezechielem. [in c. 23.] *Ista,* inquit, *crebro in excelsis, & in templo Dei adorauit statuam Baalis, & cum Assyriis fornicata est. Idolum autem Baal, siue Bel, &, vt apertiùs dicam, Belis, Assyriorum religio est, consecrata à Nino Belis filio, in honorem Patris.* Et in Oseam. [c. 8.] *Ninus in tantam peruenit gloriam, vt patrem suum Belum referret in Deum, qui Hebraicè dicitur* בֵּל *Bel, & in multis Prophetis, maximéque in Daniele, & iuxta Theodotionem sub idolo Babylonis hoc appellatur nomine. Hunc Sidonij, & Phœnices appellant* בַּעַל *Baghal.*

V. *Inde nata idololatria, eiúsque causa.*

Vt autem hoc initium idololatriæ fuisse demonstret, subdit paulò pòst. *Didicimus exordium Dæmonis, imò hominis in Dæmonem consecrati, omnia enim idola ex mortuorum errore creuerunt.* Ita sanè, nam deinceps plerique principes, Nini exemplum, aut iussi, aut vltro, volentésque imitati, toto terrarum orbe idololatriam inuexerunt. Vnde Epiphan. de hisce temporibus agens. [l. 1. cõt. hęr.] *Postea verò,* inquit, *infelices Tyrannos, aut præstigiatores, qui incantationibus suis, ac fallaciis totum orbem deceperant, diuinis honoribus consecrarunt, eorúmque monumenta venerati sunt.* Sed clariùs etiam Scriptura ipsa. [Sap. 14. 15.] *Acerbo,* inquit, *luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem* (aut vice versa filius in honorem patris) *& illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tempore conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.* Et paulò pòst. *Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quoniam aut affectui, aut regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt.* De imperio tyrannorum clarum extat in Nabuchodonosore exemplum, [Daniel. 3.] quod fortasse Ninus, tanto ante, in deuictos subditos vsurpauit. Et subditi vice versa longè positi, vt ei gratificarentur id fecerunt, quod Sapiens diuinitus expressit. [Sap 14. 17.] *Et hos quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc quod longè essent, è longinquo figura eorum allata, euidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt: vt illum qui aberat, tanquam præsentem colerent sua sollicitudine.*

VI. *Dæmones authores, & fautores. & artificũ industria.*

Dæmones quoque, qui huius impietatis authores, & incentores erant, studiosè errori deseruiebant, cùm in huiusmodi statuis responsa hominibus consulentibus, & tanquam ad Deum confugientibus darent, quæ propter ambiguitatem, & obscuritatem falsitatis conuinci non possent; & sacrificia exposcerent, & vitæ mortísque potestatem penes se esse mentirentur. quod tamen calamitatibus & morbis inferendis, aut tollendis vulgò satis probabant. Prouexit quoque idolorum cultum artificum eximia diligentia, vt Sapiens quoque testatur. *Ille enim volens placere illi qui se assumpsit, & industriam probari suam, elaborauit arte sua, vt similitudinem in melius figuraret, multitudo autem hominum abducta per speciem operis eum, qui paulò antè vt homo honoratus fuerat, nunc Deum existimauit* [2]. [2. ✠.]

VII. *An Thare primus fictor idolorum.*

Cæterum D. Epiphan. ortum idolorum quæ statuis honorarentur, non Nino, vt ferè cæteri, sed Tharæ attribuit, qui his ipsis temporibus erat iam grandis natu. [sub init. Panarij.] Sic enim ait. *Ab eo* (Nachore) *Tharra genitus est, ex quo tempore simulacra primùm ex argilla, figlinóque opere reperta sunt, artifice Tharra.* Subdit autem in huius sceleris pœnam filium eius Aran ante ipsum, præter omnem antiquorum consuetudinem, mortuum fuisse. *Posteaquam verò,* inquit, *Tharra figlina arte Deum, velut æmulo quodam opposito, prouocare cœpit, dignam factis suis mercedem reportauit, cùm & ipse filij sui iactura vicissim quodammodo prouocatus est.* Verùm hæc Hebræorum traditio, quam sequitur Epiphanius non admodum certa est, & suprà à nobis improbata [3]. [3. ✠.] Quin & D. August. in longè diuersa videtur esse sententia; qui in vnius Tharæ familia [l. 16 de Ciu. c. 12.]

veri Dei cultū conseruatū putat, aliis omnibus in errorem prolabentibus. *Nā apud Chaldæos*, inquit, *cùm iam tunc superstitiones impiæ praualebant, quemadmodum per cæteras gentes.* (Alludunt hæc ad Belum & Ninū. nam Chaldæa & Babylonia, vno Assyriæ nomine sæpè cōprehenduntur, vt ibi notauit Viues) *Vna igitur Tharæ domus erat, de qua natus est Abraham, in qua vnius veri Dei cultus, & quantum credibile est, in qua iam sola etiam Hebræa lingua remanserat.* Et paulò pòst. *Proinde sicut per aquarum diluuium vna domus Noë remanserat ad reparandum genus humanum; sic in diluuio multarum superstitionum per vniuersum mundum vna remanserat domus Tharæ, in qua custodita est plantatio ciuitatis Dei.*

VERVM hi duo sancti Patres facilè conciliari possunt. Nam Epiphanius non arguit superstitionis totam domum Tharæ, sed ipsum vnum Thare. Nec Augustinus ipsum Thare idololatriæ immunem facit, sed in eius domo, putà in filio eius Abrahamo, conseruatum Dei cultum affirmat. Quin etiam ipsum Thare seruisse diis alienis ibidem fatetur, allato in idipsum Iosuæ testimonio. Ex quo etiam nonnulli colligunt ipsummet Abrahamum idololatriæ aliquando deditum fuisse. Sed ea de re inferiùs dicendum erit. nunc Patriarcham Noë ad patres suos abeuntem vltimùm inuisamus. VIII. *De Thare conciliātur Epiphan. & August.*

I. 16 c. 12. c. 24. 2.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2000.

N. III. 1. SCRIBIT Plinius l. 37. c. 10. isti nouo Deo dicatam gemmam quandam Beli oculum nomine. *Beli oculus*, inquit, *albicans pupillam cingit, nigram è medio aureo fulgore lucentem. Hac propter suam speciem sacratissimo Assyriorum Deo dicatur. Aliam autem quam Belum vocant, in Arbelis nasci* (Persidis vrbe, aut, vt aliis placet, Assyriæ) *Democritus tradit, nucis iuglandis magnitudine, vitrea specie.* Hæc Plinius.

N. VI. 2. De ortu idololatriæ, quam aliqui diluuio antiquiorem esse voluerunt, pluribus disseruimus ex idoneis authoribus anno mundi 150. n. 7. & seqq. & in scholiis.

N. VII. 3. Huc pertinet illud Lactantij l. 2. c. 11. *Non dico Poetas esse mentitos, sed primum hominum Prometheum simulacrum hominis formasse de pingui & molli luto, ab eoque natam primo artem & statuas, & simulachra fingendi siquidem Iouis temporibus fuit, quibus primum templa constitui, & noui Deorum cultus esse cœperunt.* Sic ipse. Prometheum Eusebius in Chron. longè his temporibus posteriorem facit, refert enim ad annum Abrahami 332. Africanus ad 114. post diluuium Deucalionis.

ANNVS MVNDI 2006. ÆTAT. 2. ET DILVVII 350.

NOE 950. ET VLT. SEMI 448. ARPHAXAD 348. CAINAN 313. SALÆ 283. HEBER 253. PHALEG 219. REHV 189. SARVG 157. NACHOR 127. THARÆ 98. NINI 10. IMPERII ASSYRIORVM 75.

ANTE CHRISTVM 2047.

AD extremam tandem metam curriculi sui, aut viæ potiùs longissimæ, peruenit hoc anno magnus Patriarcha Noë; multis ac magnis casibus, si quisquam mortalium tota vita vehementer exercitus. Etsi enim nonnullas aliquando degustauit consolationum, vt vulgus opinatur, delitias; multùm tamen aduersæ res, quibus ille tot annis, imò tot seculis iactatus est, & numero & magnitudine præponderarunt. Id autem signum esse, fuisséque semper electorum Dei, & sapientum consensus, & Christi ipsius diuina vox apertè confirmauit? qui cùm dixisset Ananiæ de Paulo, *vas electionis est mihi iste;* statim subiecit, *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* I. *Obitus Noe, ex vita multis prosperis, aduersisque temperata.*

Act. 9. 15.

SI amplitudo diuitiarum, magna latifundia, & sola terrarum censentur in bonis, Noë totius mundi factus est hæres, ac dominus; ipsúmque in filios suos distribuit, quos Europæ, Asiæ, Africæ, Indorū vtrorúmque, marium, fluuiorum, atque insularum omnium principes cōstituit, ac Monarchas, vbi Deum vnū superiorem agnoscerent, præterea neminē. Si vitæ diuturnitas in pretio est, nongētos & quingētos vitę annos expleuit: & Adamū ipsum vitę, aut ex exilij potiùs, longinquitate II. *Prospera Noe in mūdi dominio.* *vitæ diuturnitate.*

superauit. Si filiorum ac nepotum multitudo etiam in populo Dei gloriosa est, diuinæque beneuolentiæ, ab beneficentiæ argumentum; quando etiam Abrahæ pro magna fœlicitate promittitur semen, quod stellas cœli, & numerum arenæ maris exæquet. Certè Noë vidit ex se vno admirabilem mundi propagationem, &, quod vix credibile videatur, longè quam Adamus maiorem. Nam eûm Adami filij, vsque ad diluuium, ipsis mille sexcentis & quinquaginta sex annis vix aliquot Asiæ prouincias hominibus repleuerint; Noë intra 350. annos, quibus vixit à diluuio, totum terrarum orbem potentissimis populis, coloniisque repleuit. Vidit filios ac nepotes non ad octauam, vt ille, sed ad vndecimam generationem, qua filij Tharæ continentur. Quid vini inuentio, laboris agriculturæ subleuatio, totius humani generis conseruatio, ac restauratio, nónne plurimam gloriæ, ac lætitiæ segetem subministrant?

turba filiorum.

inuentione vini. reparatione mundi.

III. *Eiusdem aduersa, in hominũ peccatis.*

VERVM hæc omnia homini iusto inter iniustos peregrinanti, quid aliud afferunt quàm dolorem? quid aliud fuit, quàm vniuersa vanitas, & afflictio spiritus? Vidit Patriarcha noster, ipsos sexcentos annos, qui diluuium antecesserunt, efferos mores gigantum, barbaram Cainitarum improbitatem: Sethi progeniem ab auita disciplina longissimè aberrantem. Vidit filios Dei cum filiabus hominum in fœdissimorum vitiorum barathrum ruere præcipites, omnem carnem corrumpere viam suam, & cunctam cogitationem humani cordis intentam esse ad malum omni tempore: præpotentis Dei timorem, ac minas floccifacere; paterna salutis monita subsannare: Deum denique ad pœnitentiam, & internum cordis dolorem, si eius foret capax, concitare, & ad vniuersam creaturam contra insensatos armandam prouocare. Qua ex improbitate mortalium, præsentibúsque culpis senex, non minorem tristitiam, quàm ex imminenti pœna metum, ac dolorem hauriebat. *Eccl. 1.*

IV. *Et eorum pœna diluuio.*

QVID ille sensit in illo diluuio, in tot ac tantis ædificiorum ruinis, calamitate camporum, animantium pernicie, & cum nocentibus, strage innocentium paruulorum? Quæ mens, qui sensus, quis animus eius fuit in illis clamoribus virorum ac fœminarum, fratrum ac propinquorum opem frustra implorantium. In illis eiulatibus vndis abreptorum, ex vndis emergentium, innatantium, & catervatim pereuntium? Quæ omnia mala ille sine dubio habuit animo præsentissima, vt neque oculi, neque aures dolorem augere posse viderentur. Quem ille denique pectoris æstum expertus est in illo incendio diuinæ iracundiæ, ad quod extinguendum omnes cœli cataractas aperiri, omnes abyssi magnæ fontes perrumpi necesse fuit. Adde pædorem annui carceris, adde tenebras aut malignam lucem, & omnes diuturnæ nauigationis ærumnas, agitationes, pericula, & sexcenta tristitiæ luctúsque argumenta.

V. *Terrarum vastitate,*

ANDE ex arca aliquando digresso, luctuosum spectaculum, inanem terrarum vastitatem, squalorem, lutulentam faciem; montes marinis ostreis aspersos, valles montium iacturis impletas, vbique solitudinem ac triste silentium: rudera domorum, murorum parietinas, humanorum cadauerum strues fluctibus congestas, cæterorúmque animantium olentes aceruos; denique communem totius mundi calamitatem, quam mutæ ipsæ pecudes sentire videbantur. Accessit postmodum inreperti vini noua lætitia, nouus mœror, ex ebrietate, nuditate, & indignissima filij derisione; quæ patri maledictionis in genus suum, & imprecandæ seruitutis necessitatem extorsit, quæ in omnium penè sæculorum posteritatem redundaret. Quid illa filiorum, ac nepotum Noë in Deum peruicacia, illa superbiæ monimenta, quæ fuerint linguarum confusiono castiganda; nullámne tristitiæ ipsorum patenti materiam attulit? Ferreus alioqui in proximos, ac penè domesticos fuerit, qui fuit longè mitissimus, nisi in bellorum tumultibus, in rixis & querelis, in deprædationibus & hominum cædibus, tristitia & luctus millies senile pectus exulceraret. In quibus, vt in fratrum discordiis pater, vtrimque vexabatur, victum & victorem amaris lachrymis prosequebatur, alterum vt afflictum, alterum vt reum.

filiorũ maledictione,

malitia,

cladibus.

VI. *Et publica idololatria, qua luctu confectus est.*

ACCESSIT postremo cumulus malorum omnium Apostasia à Deo, & publica seruitus idolorum, quam sub hæc Nini, vt diximus, tempora propalatam, credibile est afflictissimo seni, curis, annisque confecto, præ tristitiæ magnitudi-

ne mortem attulisse. Pro magnitudine enim amoris, ac reuerentiæ in Deum suæ, abundantiore tristitia absorptus est: & petens à Deo, animæ suæ vt moreretur, eadem mente, & eadem pene voce cum Mathathia dicebat. *Væ mihi! vt quid natus sum videre auersionem populi mei*, gentis meæ, alteri non aquarum, sed flammarum diluuio destinatæ. Et cum Ierem. *Duo mala fecit populus meus, dereliquerunt Deum fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer.* Et cùm Moyse, *Immolauerunt dæmoniis & non Deo, diis quos ignorabant patres eorum; noui recentésque venerunt, quos non coluerunt patres mei. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus Domini creatoris tui, mutasti gloriam tuam in idolum; dixisti ligno, Pater meus es tu, & lapidi, tu me genuisti.* Ne videam Domine vltra insaniam istam; ne vltra spectator sim execrandi stuporis. Quo mihi adhuc viuere? nimium iam nimium incolatus meus prolongatus est: tolle animam meam, & pone eã iuxta te, quia credo videre bona Domini in terra viuentium. Dixit & mortuus est plenus dierum in senectute bona, & appositus ad patres suos. Eius funus filiorum optimi religiosè curarunt: & sepulchro carmen in hanc sententiam inscripserunt.

1. Mach. 2. c. 2.

Deut. 32. 17

EPITAPHIVM NOE.

VIATOR QVISQVIS ES: HIC SITVS EST PATER TVVS, MAGNVS PATRIARCHA NOE, VIR IVSTVS, ATQVE PERFECTVS: QVI CVM DEO AMBVLAVIT, QVANDO OMNIS CARO CORRVPERAT VIAM SVAM. HIC IVSTITIÆ PRÆCO PERITVRO MVNDO CONSTITVTVS, CVM SEPTEM DOMESTICIS, IN CATACLISMO, QVI RELIQVOS MORTALES PERDIDIT, CONSERVATVS EST: ET IN TEMPORE IRACVNDIÆ FACTVS EST RECONCILIATIO. HIC GEMINI MVNDI SPECTATOR, ET ORBIS TERRARVM HÆRES, AC DOMINVS DIVINITVS CONSTTIVTVS, FILIIS SVIS TERRAS OMNES, MARIAQ. AB ORTV IN OCCASVM, A SEPTENTRIONE IN MERIDIEM DIVISIT, ET OMNEM IN PARTEM FILIORVM, AC NEPOTVM COLONIAS DIMISIT. CVMQVE DC. ANNOS ANTE DILVVIVM, ET AB EODEM CCCL. VIVENDO EXPLEVISSET, ET QVEM DEVS ILLI DEDERAT VITÆ CVRSVM, MVLTIS, MAGNISQVE CASIBVS EXERCITVM PEREGISSET, PIE, RELIGIOSEQVE, IN FIDE VENTVRI SALVATORIS MORIENS, FINEM VIVENDI FECIT. ANNO AB ORBE CONDITO VI. SVPRA CIↃ. CIↃ. A PRIMI PARENTIS OBITV CIↃ. LXXVI. A MORTE LAMECHI PATRIS SVI CCCLV. V. MINVS A DILVVIO. VIDIT FILIOS, AC NEPOTES VSQ. AD VNDECIMAM, PATRES VSQVE AD SEXTAM GENERATIONEM. ÆTERNITATEM MEMORIÆ DIVINA ILLI MOSIS SCRIPTA CONTVLERE, BEATAM IMMORTALITATEM DEVS IPSE LARGITVS EST.

VII. *Epitaphiũ Noë.*

QVEMADMODVM *autem vitam Noë*, inquit Caietanus, *ante diluuium Moses nec quod ad locum habitationis, nec quod ad exercitationem descripsit, sed tantùm quod ad tempus, & iustitiam: Ita vitam eius post diluuium silentio inuoluit, nec locum vbi vixerit, aut vbi mortuus fuerit, explicat, sed tantùm quod fuerit vir agricola: & quod tantum temporis vixerit, festinat siquidem Moses ad Abraham*, ad quem per Patriarcharum & generationum gradus, sine vlla in singulis gradibus mora decurrit. Ad quem etsi nos quoque festinamus; non omittemus tamen magni huius Patriarchæ cum Christo Domino comparationem, & similitudinem, quæ tanta, támque insignis est, vt Isidorus dicere non dubitarit, Noë per omnia, omnésque actus suos Christum significare, quod sequens parallelismus docebit.

c. 9. fin.

VIII. *Parallelismus Noe & Christi Domini.*

c. 7. com. in Gen.

IX. *In vtriusque aduentu, & ortu.*

1. NAM Noë datus est mundo in salutem mortalium tempore omnium corru-

ptissimo, ac profligatissimo, Christus à Patre datus est hominibus in salutem, quã-
do cum reliquo terrarum orbe, etiam in Iudaica gente pietas, iustitia, fides, legis
Mosaicæ disciplina, cum libertate conciderant.
In eius ortu prophetat Lamech, *Iste consolabitur nos, ab operibus, & laboribus ma-* 2.
nuum nostrarum, vel vt habent Septuag. *Iste requiem præbebit nobis*. In Christi ortu
prophetat angelus, *ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Nulla enim verior
ac iustior consolatio, quàm in salute ac redemptione à peccatis. Noë dicitur *Re-*
quies, Christus *Salus*, quia non est requies, nisi in salute. *Ipse Noe*, inquit Rupertus, l. 4. in Gen. c. 16.
eundem mediatorem Dei & hominum tam nomine, quàm opere signauit, nomine, quia inter- Vide Peter.
pretatur Requies. Requies autem nostra verè est ipse, qui dicit, Tollite iugum meum super vos, l. 9 n. 11.
& inuenietis requiem animabus vestris. Hæc requies nostra in seculum seculi. Procop. in 5. Gen. fi.
X. *In iustitia, & arcæ structura.* Solus *iustus inuenitur Noe*, inquit Isidorus, *in illa gente, cui septem homines donan-* 3.
tur propter iustitiam suam. Solus Christus iustus est, atque perfectus, cui septem Ecclesiæ, prop- c. 7.
ter Septemplicem spiritum illuminantem, in vna Ecclesia condonantur.
Arcam exstruxit Noe de lignis non putrescentibus, Ecclesia construitur à Christo ex homi- 4.
nibus in sempiternum victuris. Arca enim istam Ecclesiam demonstrabat, quæ natat in fluacti-
bus mundi huius. Sic Isidorus, vbi multò plura de arca & Ecclesia colligit, quæ mi-
nus pertinent ad institutum nostrum.
XI. *In præconio iustitiæ.* Noe fit peccatoribus præco iustitiæ Dei, & superuenturi diluuij. Christus 5.
pœnitentiam prædicat, & terribilem iudicij diem prænunciat. Non cognoscunt 6.
illi diem oblatæ sibi salutis, donec eis inopinatus superuenit interitus; isti audiunt
ingentes bellorum calamitates, & totius Reipub. casum, *eo quod non cognouerint*
diem visitationis suæ, nec tamen resipiscunt, donec superuenit extrema desolatio.
Deplorat ruinam mortalium Noë. Christus flet super ciuitatem Hierusalem, & 7.
super populum Iudaicum horribili clade periturum.
XII. *In reparatione mundi.* Noe quasi horizon mundi præcedentis atque subsequentis, primam, & secun- 8.
dam eius ætatem inter se, & in seipso colligat. Christus Dominus lapis angularis
gentilem & Iudaicum populum coniungit, & colligat in seipso, & in vno populo
Christiano.
Noë post diluuium noui generis humani factus est author. Christus pater futu- 9.
ri seculi, princeps pacis, & multò magis quàm Noë, *in tempore iracundiæ factus est* Eccl 44 17
reconciliatio. Nam ille paucos morti eripuit, & diluuio. Christus ab æterna morte,
si quidem illi voluerint, exemit vniuersos.
XIII. *Ebrietate, nuditate, irrisione filij, maledicti.* Plantat vineam Noë, & epoto largius vino inebriatur, nudatur, irridetur. 10.
Christus plantat Ecclesiam meritis ac laboribus suis, & *tanquam potens crapulatus* Ierem. 25. 15
à vino, vel amoris sui erga homines, vel iræ furoris Domini, quo fuit potatus in l. 4. c. 38.
cruce, nudatur & irridetur. Vide hic fusius Rupertum, & Isidorum. cap 8.
In filiis vnum habet improbum Noë in contumeliam patris intentum, in cuius 11.
maledictionem incurrit. Christus Dominus in Apostolis suis vnum habuit filium
perditionis Iudam, in quem vibratur fulmen illud, *Bonum erat ei, si natus non fuis-* Mat. 26. 24.
set homo ille. Et, *væ homini illi, per quem filius hominis tradetur*.
XIV. *Et benedictione filiorum.* Sem & Iaphet, probrosam patris nuditatem non despexerunt, sed auersis vul- 12.
tibus pallio operuerunt; itaque & paternam benedictionem sunt consecuti. *Sem*
& Iaphet, inquit Isidorus, *tanquam duo populi ex circumcisione, & ex præputio credentes, co-* c. 8.
gnita nuditate patris, qua significabatur passio Saluatoris, mysterij rationem reddentes, Iudæo-
rum detractionem operiunt. Et infra, *Hic Sem maior natu ipse est ex quo Patriarchæ, Prophe-*
tæ, & Apostoli generati sunt: Iaphet autem gentium est Pater, qui etiam latitudo interpretatur. l. de Noe & Arca.
Cum ingenti enim multitudine dilatatus est populus ex gentibus, qui cum Prophetis, & Aposto-
lis erat habitaturus, &c. *Benedictionem ergo Christi parentis nostri, quam improbus Iudaicus* l. 13. de ciu. c. 26. & 27.
populus amisit, Christianus ex duobus populis conflatus accepit. & l 16 c. 2.
Sed iam mysteriorum pro instituto satis: plura suggerent Rupertus, & Isidorus hom. 2 in Gen.
locis cit. & præter eos Ambrosius, Augustinus, Origenes, Gregorius. Vide & Li- hom 16 su-
pomanum in Catena. per Ezech.

ANNVS MVNDI 2014. SECVNDÆ ÆTATIS ET DILVVII 358. SEMI 456. ARPHAXAD 356. CAINAN 321. SALÆ 291. HEBER 261. PHALEG 227. REHV 197. SARVG 165. NACHOR 135. THARÆ 106. NINI 18. ASSYRIORVM IMPERII 83.

ANTE CHRISTVM 2039.

l.2. SCRIBIT Diodorus Siculus Ninum, cùm se ad reliquas Asiæ gentes bello subigendas conuertisset, septendecim annorum interuallo, omnes, præter Indos, & Bactrianos, suæ potestati subiecisse, atque Assyriorum Monarchiæ adiecisse. Bellum autem Bactrianum, propter difficiles aditus, & virorum pugnacissimorum in ea regione copiam, post multos ibi labores incassum exantlatos, in aliam occasionem distulisse. Hic ergo annus primus quietis eius fuit. Illis autem præter superius memoratos, subiugauit, vt Diodoro placet, Ægyptum, Syriam, omnésque Asiæ minoris nationes, vsque ad Bosphorum, & Tanaim. In maiore verò Hyrcanos, Persas, Parthos, Carmanios, Susianos, alióśque plurimos minoris notæ populos. Cui assertioni, quod ad Syriam attinet, fauet Iosephus l.1. antiq. qui ait, *Cùm imperium Asiæ penes Assyrios esset, ab iis regionem Pentapolitanorum cum suis regibus subiugatam, redditamque tributariam*, sed hæc longè posterius, sub initia peregrinationis Abrahæ contigerunt, vt suo loco dicemus. I. *Nini gesta, & à bellis quies.*

l.1. ant. c. 9. vel 17.

Gen. 14.

Quod si Diodoro fidem habere volumus, in rebus præsertim tam antiquis, quam ne ipse quidem admodum magnam sibi petit, dicendum videtur Assyrios, non semper, imò ne diu quidem, in hos omnes populos imperium tenuisse: Ægyptios præsertim, quos, in Abrahæ, & cæterorum Patriarcharum peregrinationibus, apparet sui omnino iuris fuisse. Sicut Phœnices, & Chananæos, Mosis, & Iosue temporibus; quos alioqui Reges Assyriorum non permisissent ab Israëlitis omni auxilio destitutos deleri; nec illi segnes in eo implorando fuissent. II. *Bello parta non constanter retenta.*

ANNVS MVNDI 2017. SECVNDAE AETATIS ET DILVVII 361. SEMI 459. ARPHAXAD 359. CAINAN 324. SALÆ 294. HEBER 264. PHALEG 230. REHV 200. SARVG 168. NACHOR 138. THARÆ 109. NINI 21. IMPERII ASSYRIORVM 86.

ANTE CHRISTVM 2036.

ANNO Nini, Assyriorum secundi regis primo & vigesimo, Ægialeus primus Sicyoniorum rex, & Regni, & vitę pariter finem habuit. Eum vocat Africanus αὐτόχθονα; & regnasse ait, duos & quinquaginta annos. Durasséque hoc regnum Sicyoniorum, annos nongentos & octoginta. A quo discedens Eusebius in Chronico, in regum serie, ei attribuit 862. aut potius, vitiosa supputatione correcta, 910, cui si addas duos & quinquaginta Ægialei, fient 962. qui numerus habetur apud Euseb. in fine regum istorum, qui cadit in regnum Thinæi, Assyriorum regis 29. Itaque distat Eusebius ab Africano in huius regni periodo annis decem & octo. *Obitus Ægialei, Sicyoniorum primi.*

ANNVS MVNDI 2018. SECVNDAE AETATIS ET DILVVII 362. SEMI 460. ARPHAXAD 360. CAINAN 325. SALÆ 295. HEBER 265. PHALEG 231. REHV 201. SARVG 169. NACHOR 139. THARÆ 110. NINI 22. IMPERII ASSYRIORVM 87.

ANNVS ANTE CHRISTVM 2035.

Regnum Europis Sicyoniorum 2.

REGNO Sicyoniorum Europs hoc anno sufficitur, qui cum Nini 22. concurrit. Hunc Europem Ægialci filium fuisse scribit Pausanias, vt supra retulimus. Africanus autem, vt est in Thesauro temporum, ait eum mortuum esse sine liberis. Constat nihilominus apud vtrumque, ei Europem successisse: quod habet etiam Eusebius, & ante eum Clemens Alexandrinus. *Regnum*, inquit, *quod fuit Sicyone, Primi quidem Aegyales, deinde Europis, deinde Telchinis, &c.* Eodémque modo legitur in textu Græco Eusebij l. 10. de præpar. c. 3. sed ea miserè circumcidit Trapezuntius, vt pleráque alia in eodem authore, quod nonnullos non semel induxit in fraudem. Leges quidem apud Diuum Epiphanium, sub initium Panarij, Europem primum Sicyoniorum regem fuisse; sub quo scilicet natus est Abraham; eodémque modo Eusebius, cùm singulos annos componit in Chronico cum Abrahamo, primùm Assyriorum Ninum ponit, & Sicyoniorum Europem, imò & in regum serie præcedenti. Ægialeo nihilominus & Belo suos regni annos, sed extra ordinem attribuit. Nuda pene hic habes, & inania principum nomina; quæ libenter omissuri eramus, nisi nosmet ipsos suppederet inanitatis. quanquam ne tituli quidem ipsi inanes rectè censeantur.

an. m. 1966. n. 1. p. 361. l. 1. Strom. c. 10.

ANNVS MVNDI 2026. SECVNDÆ AETATIS ET DILVVII 370. SEMI 468. ARPHAXAD 368. CAINAN 333. SALÆ 303. HEBER 273. PHALEG 239. ET VLT. REHV 209. SARVG 177. NACHOR 147. THARÆ 118. NINI 30. IMPERII ASSYRIORVM 95.

ANTE CHRISTVM 2027. Gen. 11. 19.

Dimidium temporum, & obitus Phaleg.

HABET hic annus dimidium temporum, à Mundi exordio vsque ad Christi Domini ortum, quem natum existimamus anno ab orbe condito quater millesimo, & quinquagesimo secundo, vt deinceps primus ipsius annus sit 53. supra quater millesimum, atque ita consequenter. Hoc ergo anno rectè, nec sine mysterio quodam moritur Phaleg, qui interpretatur diuisio, qui annus fuit ei ducentesimus nonus à genito filio suo Rehu, vt habetur 11. Genes. in quo Hebræi etiam notant, vt superius dicebamus, ætatem Patrum, qui nati sunt à diluuio, pene dimidiatam fuisse. Nam Aben-Esra, vt retulit Genebrardus. *In diebus Phaleg*, inquit, *quibus collectus est ad patres suos, tria insignia contigerunt, partitio terrarum, confusio linguarum, dimidiatio annorum vitæ.* Ex quibus etiam verbis intelligitur, minimè confundi partionem terrarum, cum confusione linguarum; quæ res tam multos fefellit, & in opiniones parum probabiles traxit, de quibus satis multa superiùs dicta sunt in ortu Phaleg, & deinceps. Porro Phaleg moriens reliquit in viuis Patrem, Auum, Proauũ, Abauum, Atauum. Item Filium, Nepotem, Pronepotem Abnepotem, & Atnepotem Aran filium Thare, vt cernis in indice huius anni, excepto Aran, qui omissus est,

in c. 10. & 11. in Chro.

eò

eò quòd sit extra lineam tectam Abrahæ, Dauidis & Christi Domini, quamdiu autem cum singulis vixerit, vide apud Torniellum in hunc annum. in Arphaxad tamen deesse arbitror 30. annos; & in Aran filio Tharæ 48.

ANNVS MVNDI 2027. SECVNDÆ AETATIS ET DILVVII 371. SEMI 469. ARPHAXAD 369. CAINAN 334. SALÆ 304. HEBER 274. REHV 210. SARVG 178. NACHOR 148. ET VLT. THARÆ 119. NINI 31. IMPERII ASSYR. 96.

ANNVS ANTE CHRISTVM 2026. Gen. 11. 24.

FVNEBRIS quoque fuit hic annus morte Nachoris Patriarchæ, Patris Tharæ, Aui Abrahæ. De hoc Genebr. *Moritur annorum 148.* (rectè, id enim perspicuum est ex Gen. 11.) *Abraha 49. Mundi 1998.* neutrum rectè: vtrúmque tamen consequenter; ponit enim Abraham natum anno septuagesimo Thare, quod mox refutabimus, & reiicit Cainan filium Arphaxad, quem nos, cum D. Luca Euangelista, & Septuaginta interpretibus, & optimis quibusque Chronologis Catholicis, recepimus. Pergit autem. *Pater Chaldæorum ab aliquibus dicitur, nempe quia illic perpetuò mansit, neque traiecit fluuium ad quærendas nouas sedes, miréque auxit familiam ataui Arphaxad.* Imò Cainan potius, quem omisit, atauus est; aut, vt verius dicam, Salæ atauus est, ne omittatur Phaleg, qui è viuis abierat anno proximo, & sic Cainan erit tritauus. I. *Obitus Nachor.* | in Chron. 1. v. 24 & 25.

RELIQVIT autem moriens viuos 7. è maioribus suis, vt vides in indice. II.
Græci huic Nachori 156. annos tribuunt, plus quàm Latini, aut Hebræi, Chaldæáque paraphrasis; volunt enim eum vixisse annos omnino 304. non 148. sed nos iamdudum eorum supputationi deprauatæ, Hebræam & vulgatam antetulimus, illamque vt vitiatam valere iussimus. *Eius ætas, & coæui.* | an. Adę 131.

Quot annos cum singulis Patriarchis vixerit, digessit in Tabulam Torniellus, sed in Arphaxad corrigendam puto; vt cum eo Nachor vixisse, non 117. annis, sed 148. dicatur, vt ex anno mortis Arphaxad intelligetur. Deest etiam in fine Aran, qui natus cùm sit anno 70. Thare, vt supra probatum est, oportet Nachorem cum eo 49. annis vixisse. Refert porro Torniellus ad hæc circiter tempora, Nini aduersus Bactrianos expeditionem. Sed cùm Eusebius nominatim huic expeditioni annum tribuat regni Nini 48. & Iustinus asserat hoc postremum fuisse Nino bellum, & Diodorus postremum narret, statimque mortem eius subiiciat, non est cur hoc bellum vel incerto tempore, vel præproperè referamus.

ANNVS MVNDI 2039. DILVVII 383. TERTIAE ÆTATIS 1. SEMI 481. ARPHAXAD 381. CAINAN 346. SALÆ 316. HEBER 286. REHV 222. SARVG 190. THARÆ 131. ABRAHÆ PRIMVS. NINI 43. IMPERII ASSYRIORVM 108.

ANTE CHRISTVM 2014. Gen. 11.

Aug. l. 16. de ciu. c. 12. | EXORITVR hoe anno magna quædam lux in regione Chaldæorum, quæ paruis initiis micans, in tantum iubar euadit, vt illuminet magnam partem terræ. Magna lux, quæ in tenebris luxit, & tenebræ Chaldai- I. *Professio in ortum Abrahami.*

cæcam non comprehenderunt; facta enim est, tanquam à densa & opaca nube fulgur egrediens, in spem pluuiæ in tempore siccitatis. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Abrahàm, qui venit vt testimonium acciperet, darétque de lumine post bis mille annos venturo. Adest Abraham, vas electionis Abraham, segregatum à vasis fictilibus, lutulentis, factis in contumeliam sempiternam, vt esset vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso: vas in honorem, & gloriam, in quo tanquam in principe nobilitatis, in parente fidei, in columna spei, in lampade charitatis accensæ, deinceps gloriarentur omnes electi Dei: tanquam in fidissimo diuinarum promissionum custode, tanquam in quæstore thesaurorum cœlestium aliquando recludendorum: tanquam in domestico Dei: qui ferret non insignia eius in pallio, sed signaculum in carne sua. Adest magnus Abraham, Hebræorum, aut verius Abrahamitarum gloria; Pater excelsus, multarum gētium Pater, in quem copiosissimè dona gratiæ suæ profudit omnium rerum Pater. Abraham spiritualis mundi reparator, & restaurator non corporum, ex voluntate carnis & sanguinis, quibus Barathrum compleatur, sed veræ pietatis ac fidei, diuinique cultus; quibus exculti animi in beatam immortalitatem destinentur.

II. *In eo 3. ætatis initium.*

Sed iam satis in maximo Patriarcha prolusum est, in quem plerique omnes initium tertiæ mundi ætatis conferunt. A quibus vt discedamus, satis idonea causa non occurrit, etsi Torniellus eius ætatis initium in quintum & septuagesimum Abrahæ differendum putarit, *Terminatur*, ait Tostatus, *secunda ætas in Thara, cùm in natiuitate Abrahæ filij eius incipiat tertia ætas, secundum omnes.* Sic ipse. In illis omnibus est D. Greg. in Euang. Beda de sex ætatibus, & de temporum ratione, Marianus Scotus, Ado, Ioannes Lucidus, aliique recentiores. Hæc est ergo tertia mundi ætas, & quasi adolescentia; in qua radij clariores emicant diuinæ lucis, & cognitionis in orbe terrarum, & nominatim in familia Thare. Quo ipso tempore, vt homo virium corporis, ita & mundus hic potentiæ, & regnorum, quorum initia his temporibus auspicatur Eusebius in Chronico, incrementa cœpit.

in c. 11. Gen. q. 29. hom. 19. c. 64. l. 2. c. 7.

III. *Quo anno patris natus putetur Abraham, ab Hebræis.*

Cæterum nunc prouidendum est nobis, qui ortum Abrahæ in centesimum trigesimum annum Tharæ absolutum refecimus, ne repugnantem fortasse Scripturam habeamus, quæ ait, vixisse Thare septuaginta annis, & genuisse Abram, Nachor, & Aran. quo tempore totis sexaginta annis, posteriorem facimus Abrahamum. Ipsos certè repugnantes habemus Abrahę filios secundum carnem, qui vnanimes à septuagenario Thara genitum ipsum contendunt, vt scribit Andreas Masius in caput vltimum Iosue. quibus & ipse consentit, Idem legimus in Seder-Olam Hebræorum, quibus Genebrardus quoque dat manus. Eis autem præit Iosephus. In eadémque sunt naui quicunque cum Hebræis numerant 292. annos à Diluuio vsque ad ortum Abrahæ; quorum magnus est omnino numerus. Sed antiqui etiam Patres, qui maiorem illum numerum, quem etiam nunc Græci codices exhibent, tanquam communem, & vulgatam editionem sequebantur, vt ex Augustino liquet, vno omnes consensu à septuagenario patre natum Abrahamum fatentur; eáque sententia tanquam indubitata posita, inexplicabiles difficultates soluere conantur, vt patet ex Hieronym. & Augustino. Sed & recentiores plerique in eadem hæsere sententia, quos commemorare longum esset.

Gen. 11. 26. — *aliique multi, etiam antiqui.* — l. 1. ant. c. 6. — l. 16. de ciu. c. 10. — in trad. Hebr. q. 25. super Gen. & l. 16. de ciu. c. 15.

IV. *Statuitur natus 130. ex Scriptura.*

Nihilominus existimamus Abrahamum anno Patris Thare centesimo & trigesimo absoluto natum esse. Hanc si euicerimus esse Scripturæ sententiam, vt speramus, planè vicerimus: simulque difficultates, quibus contraria sententia, vix ac ne vix quidem sese expedire potest, euanescent, quod clarissimum esse repertæ veritatis indicium, author est Aristoteles.

l. 4. Phys. t. 32.

Ex Scriptura ergo constat Abrahamum quinto & septuagesimo ætatis anno Dei iussu exisse de Haran, vt veniret in terram Chanaan. Ex eadem etiam constat inde exisse postquam mortuus est pater eius, vt affirmat Diuus Stephanus, Actor. 7. 4. Qui mortuus est 205. ætatis anno, vt affirmat Moses. Ex quibus consequens est Abraham natum esse anno 130. vitæ patris sui. Nam 130. & 75. efficiunt omnino 205.

Gen. 12. 4. Gen. 11. 32.

IV. [*An geminæ profectio Abrahæ in Chananitidem.*]

PRIMÆ illi propositioni respondent, inducendo duplicem profectionem ex Mesopotamia in terram Chanaan; alteram quidem viuo patre eius, & centesimum quadragesimum quintum annum agente: ipso autem Abrahamo annos nato 75. & de hac profectione locutum esse Mosem. Alteram verò profectionem factam esse sexaginta annis post, quibus annis fuerit peregrinatus Abraham in terra Chanaan, crebro reuisens patrem suum: post cuius mortem ita reliquerit Mesopotamiam, vt eò nunquam reuersus sit, & de hac posteriori profectione locutum esse B. Stephanum. Sic ipsi.

[1. n. 7. in hūc ann.] VI. [*Probatur vnica, vt qui à discessu nullā habuerit communicationem cum suis.*]

VERVM satis intelligitur, vt Torniellus quoque, qui de hac quæstione studiosè disputauit, notauit ante nos, hanc geminam migrationem gratis excogitatam esse, ad declinandam difficultatem, sine vllo Scripturæ testimonio, vel fundamento; in qua ne semel quidem, nedum sæpius in Haran rediisse reperietur. Imò ex ea apertè colligitur Abrahamum nihil cum cognatis suis, quos siue in Hur, siue in Haran reliquerat, communicationis, ne per literas quidem habuisse. Nam, vt idem Torniellus obseruat, quando Abraham descendit de monte, in quo immolaturus fuerat filium suum, accepit nuncium ex Mesopotamia, Melcham genuisse fratri suo Nachori octo filios. Romam verò eius concubinam quatuor. Erat autem eo tempore circiter 125. annorum, vt suo loco docebimus, & consequenter iam ab 50. annis ex Haran discesserat, quo temporis interuallo duodecim illi filij nati fuerant; quorum octauus Bathuel, filiam habebat Rebeccam, prope nubilem. Post aliquot enim annos eam Isaac duxit vxorem. Si ergo post quinquaginta annos nuncius hic tanquam res noua, perlatus est ad Abrabam, vt ex 22. Geneseos perspicuum est; constat profectò nullam cum iis tanto tempore communicationem habuisse; non enim de vno filio recens nato, sed de duodecim simul nunciatur. [in fi. cap.] Hinc constare etiam illud debet, cùm ex Haran discessit Abrahamus, eius patrem mortuum fuisse. Quis enim credat Abrahamum, si abiens patrem reliquisset in viuis, eum tanto tempore non inuisurum fuisse, & si crebro inuisit, vt aiunt qui alteram opinionem sequuntur, non simul etiam de ortu nepotum suorum ex fratre edoctum fuisse, vt non esset necesse, ea de causa, certum ad ipsum nuncium destinare?

VII. [*Prior profectio absurda.*]

QVÆRO etiam de hac priore profectione, solúsne ierit Abrahamus, an cum omnibus suis, sicut post mortem patris. Si solus, puta relictis vxore, Loto, & tota familia apud patrem, per annos sexaginta, quomodo ergo ex Sara in terra Chanaan genuit Isaac centenarius, id est quinto & vigesimo anno peregrinationis suæ? & quatuordecim annis ante, inuitatu eiusdem Saræ, cum qua fuerat in Ægypto, ex Agare Ægyptia genuit in eadem Chananitide Ismaëlem? Et si solus crebro reuisit patrem, quomodo non plurimæ profectiones, & non vna tantùm, introducuntur?

Si autem cum omnibus rebus suis, in ista prima profectione profectus est, quando erat 75. annorum, vt habetur in textu Gen. 12. quæro cùm visitabat patrem vbinam eos deserebat? apud quos? quid illi agebant interea? omnia diuinanda sunt. num omnia sua semper circunduxit, vt Nomades hamaxobij? tot ergo admittendæ sunt profectiones, quot vicibus adiuit patrem, & repetiit Chananitidem, & quidem profectiones totales, atque integræ, vxoris, Loti, gregum omnium, omniumque famulorũ, atque vniuersæ suppellectilis. Nónne prodigij instar est, si hæc contigerũt totis sexaginta annis, penitus sileri à Mose, qui omnia eius vestigia assectatus est in historia sua, & omnes pene notauit locos, in quib. castra metatus est? D. Paul. hanc ipsam videtur confirmare sententiam. Ait enim *Abrahã, Isaac, & Iacob, & Saram demoratos esse in terra promissionis, tanquã in aliena, in casulis, siue tabernaculis habitando, confitentes se hospites, & peregrinos super terram.* [Hebr. 11. 9.] [*Ex D. Paulo, refutatur.*] *Qui enim hæc dicunt*, inquit, *significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi; nunc autem meliorem appetunt, id est cælestem.* Hæc Apostolus. Abraham igitur in terra Chanaan semper habitauit vt peregrinus, & cùm haberet tempus reuertendi, nunquam reuersus est; imò ne de patria quidem, ex qua exierat, cogitauit, aut eius memor fuit.

[hom. 31. in Gen.] VIII. [*Refutatur à Chrysostomo.*]

ACCEDIT D. Chrysostom. prioris istius profectionis refutator egregius, vt qui apertè asserit Abrahamum non nisi mortuo patre in terram Chananæorum

venisse, suámque sententiam ex D. Stephano confirmat, & concludens, ac D. Stephanum cum Mose concilians, ait. *Quid igitur? dissident ne à seipsis Scripturæ diuinæ? Absit, sed ex hoc animaduertere licet, quod cùm filius Deo acceptus esset, visus ei Deus imperauit, vt inde migraret. Quod vt agnouit Thara pater eius, licet infidelis esset, attamen ob amorem in filium, socius illi peregrinationis esse voluit; & vt venit in Charran, & illic habitauit aliquandiu, vita hac excessit: Patriarcha autem tunc ad imperium Dei in Chananæam concessit. Denique non antea eum Deus inde euocauit, donec mortuus est Thara. Tunc enim illo defuncto, inquit, Et dixit Dominus Abra, egredere de terra tua, & cætera,* Hæc ibi. Diligenter inculcat Chrysostomus Abrahamum non exisse ex Haran, nisi defuncto patre, & tunc, & non antea; quod confirmat etiam homilia 36. Act. 7.

IX. *Imò à D. Stephano.* Confirmat & Caietanus, *Quanto tempore*, inquit, *fuerit habitatio in Charan scriptum non est; ex verbis tamen Stephani Actuum 7. certum est, quod Abram moratus est in Charan, vsque ad mortem patris.* Nimirum quia B. Stephanus ait Abrahamum euocatum à Deo exisse de terra Chaldæorum, & habitasse in Charan. *Et inde,* inquit, *postquam mortuus est pater eius, transtulit illum Deus in terram istam.* Μετῴκισεν, id est commigrare fecit, mutatis sedibus & domicilio. fit enim ab οἶκος, domus; ideóque dicuntur tulisse vniuersam substantiam, quam possederant, & animas quas fecerant; idque septuagesimo quinto vitæ Abrahæ, ait Moses; quod interpretans D. Stephanus, *Postquam,* inquit, *mortuus est pater eius:* quæ verba planè superflua sunt, ne quid dicam amplius, si transtulit illum totis sexaginta annis ante mortem patris. in c. 11. Gen. fi. Gen. 12.

X. *Quid ad D. August. de gemina migrat.* Nam quod D. Augustinus videtur aliquam occasionem dedisse introducendi geminam istam Abrahæ profectionem, cùm ait Abrahamum non fuisse collocatum in terra Chanaan, per aliquam terræ illius possessionem, nisi mortuo patre, significans viuo patre tanquam aduenam & peregrinum ibi diuersatum esse: id certè non tam asserendo, quàm inquirendo ab eo dictum est, dum satagit variis modis nodum huius quæstionis exsoluere, vt patet ex eius quæst. 25. in Genes. cui si occurrisset cogitare Scripturam non cogere nos ad ponendam natiuitatem Abrahæ in septuagesimo anno patris, vt reuera non cogit [a], dixisset vtique eum natum annis tantum 75. ante mortem patris, eoque defuncto ex Dei mandato migrasse ex Haran, annum agentem quintum & septuagesimum, iuxta perspicuam Mosis narrationem, & Stephani interpretationem. Manet ergo firma prima illa propositio, Abrahamum exisse ex Haran primùm, & postremùm, quinto & septuagesimo ætatis suæ anno. l. 16. de ciu. c. 15. a. χ.

XI. *Abrahamum statim à patris morte migrasse.* Contra secundam propositionem, licet ea ex dictis satis perspicua sit, obiiciunt tamen non constare, an Abraham statim ac peruenit in Haran, aut à morte patris exierit de Haran, an multo post; eodem modo cùm D. Stephanus ait, *Et inde, postquam mortuus est pater eius, transtulit illum*, Deus, *in terram istam;* non dicit eodémne anno, an sequentibus. Itaque quidam existimarunt Abrahamum in Charã annis 60. commoratum esse, donec moreretur pater: Respondeo satis constare Abrahamum quamprimùm à morte patris exisse de Charan, quod significat Chrysost. quem paulò antè retulimus. Et vniuersè hanc tarditatem refellit eximia Abrahæ obedientia, & in Deum pietas, quæ cunctationem, & lentas respuebat moras: Adeo vt iussus abire in terram visionis, vt offerret vnigenitum Isaac in holocaustum, ne ad exortam quidem vsque lucem distulerit profectionem, sed de nocte consurgens strauerit asinum suum, & properans cum filio illuc perrexerit, vt ait Moses in Genesi, vbi Origenes. *Statim occupat iter*, *Aug. paret illico imperiis.* Ambros. *vt attulisse nox moras studio festinantis patris videretur.* Rupertus, *Mox audito iubentis imperio, vicino obedientiæ pede, moram pati nesciuit in faciendo, de nocte consurgens, & sternens asinum suum.* Chrys. *Ad implenda Dei iussa festinauit, per omnia declarans, quod cum feruenti alacritate, & intento desiderio implere vellet, quod Deo probabatur.* Si ergo in re tanta, támque difficili illico paruit, ne expectato quidem ortu surgentis auroræ, cur hic eum sine causa incusabimus tarditatis? Quod si præ studio obtemperandi diuinæ vocationi, etiam patri, qui separationem non ferebat, vt exiret etiam ipse de Vr Chaldæorum, & veniret in terram Chanaan, & eum ad Charan vsque perduxit, vt postea ostendemus, quis dubitat sublato impe- Gen. 22. 3. 5. l. 6. c. 29.

dimento profectionis, statim illum se ad iter accinxisse? Sed demus eum vel de-
Gen. 12. cennium distulisse profectionem; profectum tamen 75. ætatis anno, vt asserit Mo-
ses, quid hoc contrariam sententiam iuuat, quæ vult septuagesimo Thare anno
natum Abraham, cùm ex hac mora sequatur natum anno 140. & tardius etiam si
longiorem induxeris moram.

1. CONFIRMATVR præterea ista sententia. Nam primò si Abraham natus est XII. *Absurditas contraria opinionis, ex D. Stephano.*
anno septuagesimo patris, ergo moriente patre annum agebat 135. ergo iam ge-
nuerat Ismaëlem, & Isaacum, nam priorem genuit anno 86. posteriorem centesi-
mo. At D. Stephanus ait, *translatum ipsum in terram Chanaan, eique promissionem fa-*
2. *ctam, cùm nondum haberet filium.* Secundò, ista promissio facta est Abrahæ in ingres-
su Chananitidis cùm haberet secum Saram, & Lot, & omnia sua, non habebat au-
tem filios, ergo non agebat 135. annum, imò neque centesimum neque nonagesi-
3. mũ. Deinde in enumeranda familia Abrahami demigrantis in terram Chanaan,
quomodo Moyses meminit non solùm Saræ vxoris, sed etiam Loti nepotis ex fra-
tre, & famulorum, quos acquiesecerant in Haran, & obliuiscitur Ismaëlis & Isaaci
filiorum duorum, quorum alter 35. annorum esset, alter fere quinquaginta? Ve-
4. hementer quoque confirmat istam sententiam, quod facillima & planissima sit, &
rebus horum temporum maximè consentiens, nec vllis obnoxia difficultatibus,
quæ tãtillum ponderis habeant, cùm contraria inexplicabiles habeat, & insolu-
biles nodos, vt fatentur qui eam sequuntur D. Hieronym. & August. & aliqui
recentiores, qui sententiæ nouitatem reformidant; quam tamen minimè nouam
esse paulò pòst docebimus.

NAM quod obiiciunt Abrahamum cum admiratione dicentem, Putásne cen- XIII. *Obiectio ex admiratione Abrahæ centenarij soluitur.*
tenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet? quomodo aiunt inopinatum
erat Abrahæ, & mirum gignere aliquem centenarium, cùm ipse genitus esset an-
no patris 130. Respondeo constare alios aliis maturius consenescere, & Abraha-
mum centenarium vigore naturæ valde fuisse debilitatum, ideóque de eo Apo-
Rom. 4. 19. stolus, *Non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cùm iam fere centum*
Heb. 11. 12. *esset annorum.* Emortuum etiam vocat 11. ad Hebræos. gratiæ itaque diuinæ fuit,
vt vigorem acciperet ad gignendum filium promissionis Isaacum; & quoniam do-
na Dei sunt sine pœnitentia, mansit eadem virtus vltra eius annum 137. quando
Gen. 25. ex Cetura genuit sex filios. Respondeo secundò, dari ab Abrahamo causam ad-
mirationis adæquatam, non suam tantùm ætatem, sed Saræ quoque; quoniam
vterque concurrere debuit ad generationem; ideóque vtrúmque coniunxisse
Gen. 11. 30. Heb. 11. 10. præsertim cùm in Sara, vltra senectutem, esset etiam sterilitatis impedimentum.

POSTREMÒ, vt alia omittam, non caret propugnatoribus nostra sententia. XIV. *Qui authores huius sententiæ.*
Nam præter Moysem, D. Stephanum, & Paulum, de quibus diximus, Procopius
in c. 11. Genes. Gazæus cùm hanc difficultatem proposuisset, ita concludit. *Verùm enimuero mihi* *Procopius.*
elucescere satis supérque videtur, Tharam genuisse Abrahamum non instante anno septuagesi-
mo, sed eo perfectè completo. Nec etiam continuo, vbi ille annus finem accepit, natus est Abra-
ham, sed demum centesimo trigesimo anno Thara. Nec Moses recordatur Abrahami, vt inter
primogenitos eum connumerari velit, sed eius meminit, vt primi, & præcipui, & filiorum ce-
leberrimi, &c. Theodoretus quoque, prout refertur à Lipomano in Catena, idem *Theodoret.*
ferè habet; & significat ipsum genitum nouissimum trium filiorum, & in senecta
patris. At perspicuè Caiet. ait, *Thare ad minùs 130. annorum fuisse quando genuit Abra-* *Caietanus.*
ham. Illud, *ad minùs*, potes intelligere de 130. annis completis, ita vt primus Abra-
hæ sit 131. Tharæ, vt habes in huius anni indice. Eandem sententiam tuetur Tor- *Tornellus.*
niellus in anno ætatis secundæ 383. fusè & ex professo, citátque Iacobum Nac̃lan- *Naclantus.*
tum libro arcanorum Christi, & tractatu de annis tertiæ mundi ætatis. Pontacus *Lyranus.*
in Chronol. Eusebij. Nicolaus Lyrannus in caput duodecimum. Marzilla para- *Pontacus.*
3. x. phrasi in Pentateuchum, & alij quos seorsim referemus [3]. Denique Chronic. Ale- *Chronic. Alex.*
xandr. Græco-Lat. in hac sententia est, cùm dicat Tharam mortuum anno 75. fi-
p. 119. lij sui Abrahæ.

EX his sequitur diminutam esse multorum Chronologiam, qui à diluuio vs- XV. *Diminuta multorum, Iosephi perturbata Chronologia.*
que ad Abrahamum ducentos tantùm & nonaginta duos annos numerant, cùm
trecenti & octoginta duo exacti numerandi sint; desunt enim primùm 30. anni
Cainan, quos inserendos esse suo loco probauimus. & rursum hoc loco desunt

anni Thare sexaginta. ex quo etiam fit necessariò, vt anni mundi huic anno dilu-
uij respondentes, nonaginta annis apud eosdem reperiantur imminuti [4]. Sed in 4. ✠.
primis perturbata est Iosephi Chronologia, ipsiúsne culpa, an alterius, an vtriúsq;
non facilè dixerim: peccatum certè fuisse non leuiter res ipsa clamat; anni enim
singulorum Patriarcharum à diluuio numerantur cum Græcis, & nihilominùs to-
ta summa colligitur cum Hebræis, qui tamen differunt plus sexcentis annis. Et
Gelenius vertendo correctorem potiùs egit, quàm interpretem, quæ seorsim, ne
lectori molesti simus, perspicuè demonstrabimus [5]. Et de ratione temporis ha- 5. ✠.
ctenus.

XVI. *Nomen Abræ, eiúsque notatio.* NOMINATVS est autem Abram, id est vt interpretatur Hieronym. Vatabl.
& alij, Pater excelsus, omine fausto ac vero, vt qui inter omnes Patriarchas maxi-
mus erat futurus; & notatio nominis apertissima est, miniméque ambigua: vtrá-
que enim pars compositi vocabuli remansit integra, אב id est pater, רם excelsus. D.
tamen Chrysost. existimauit Abram significare transitorem, quia Genes. 14. dici- hom. 35. in Gen.
tur aliquis nunciasse Abram Hebræo captum Lot. vbi Septuag. legunt ἀπήγγειλε
τῷ Ἀβραμ, τῷ περάτῃ, *nunciauit Abram transitori.* Vbi Chrysost. *Hoc dicit vt nos memo-
res faciat quomodo ex Chaldæa exierit, nam quia trans Euphratem domicilium habuerat, dictus
est, transfluuialis vel transitor. Et antea etiam ab initio parentes ei hoc nomen indiderant, iam
ante significantes eum inde migraturum. vocatus enim est Abram, quia migraturus erat trans
Euphratem, & in Palæstinam venturus.* Verùm in Hebræo habetur, sicut & in vulgata
Hieronymi. *Abram Hebræo.* Causam errati reddit Acacius in Catena; *Positum est*, in-
quit, *gentile nomen ductum ab Atauo ipsius Abram, id est Heber, sed interpretatione redditum,
nimirum pro Abram Hebræo, Abram transitori. Hebræus enim interpretatione redditur
transitor* [6]. 6. ✠.

XVII. *Genus item.* Ex his autem simul intelligitur cuias fuerit Abram. Fuit enim natione Chal-
dæus; patria, natiuitate atque habitatione Vræus. Nam venientibus ex Palæsti-
na, & flumen siue Euphratem transgressis, occurrit Chaldæa siue Mesopotamia.
D. enim Stephanus Mesopotamiam, & terram Chaldæorum pro vna eadémque Act. 7. 2.
regione vsurpat. Nam ait, *Deum apparuisse Abrahæ, cùm esset in Mesopotamia, priusquam
moraretur in Charan, indéque iussisse abire, illis verbis, Exi de terra tua.* Et mox, *Tunc exiit
de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan.* Ergo Mesopotamia, & terra Abrahæ, & c. 5. v. 7.
terra Chaldæorum synonyma sunt, vt etiam vsurpantur in libro Iudith. Ptole- l. 5. c. 20. & ta. 4. Asiæ
mæus tamen Chaldæam à Mesopotamia separat, & partem Babyloniæ facit, ad-
eo vt venientibus à terra Chanaan in Chaldæam, non sit necesse Euphratem
transire. Cui consentit Plinius. l. 6. c. 28.

An dicendum latiùs in Scriptura sumi Chaldæam, vt eo nomine & Babylonia,
& Mesopotamia comprehendatur, à cæteris autem scriptoribus pressiùs? An Chal-
dæus dicitur Abram, quia Mesopotamus, aut Interamnensis commodè non vsur-
patur? An denique quia Mesopotamia eo tempore Chaldæo regi parebat, qui 48. 14. 20.
idem Babyloniorum, & Assyriorum rex erat? vt in Esaia, Ieremia, Ezechiele, aliis- 21. 4. 9.
que Prophetis legitur. 25. 23

XVIII. *Et patria Vr Chaldæorum.* QVOD ad patriam attinet, haud dubium quin oriundus fuerit Abram ex Vr,
siue Vra Chaldæorum vrbe, sicut & Aran frater eius, quem Moses testatur mor-
tuum in Vr Chaldæorum, terra natiuitatis suæ. Quod confirmat Iosephus. *In eá-* l. 1. ant. c. 6.
que vrbe, ait, *ad suam vsque ætatem ostendi sepulchrum Arani.* Et passim Abram inde edu- Gen. 11. 31. 15. 7.
ctus dicitur. Nam quod apud Nehemiam legitur eductus *de igne Chaldæorum*: in 2. Esdr. 9. 7.
Hebræo habetur *Vr Chaldæorum.* Septuaginta ad vitandam ἀμφιβολίαν ignis & vr-
bis, quæ in Hebræo reperitur, pro Vr χώραν, id est regionem, verterunt. In qua
ἀμφιβολίᾳ Hebræi fabulam coniecti in ignem Abrahami à Chaldæis fabricati
sunt, de qua vide Hieronymum in quæst. Hebraicis in Genesim. Porrò apud Ne-
hemiam Vr ignem vertit interpres, sicut Septuaginta χώραν pro Hebræo po- v. 16.
suerunt, vt paulò antè diximus. Ibi autem multo etiam tempore habitasse, tam
ante, quàm post coniugium suum cum Sara, illud certo argumento est, quod in- Gen. 11. 30.
de eum eduxit Thara cum nuru sua Sara, quæ iam agnoscebatur sterilis.

XIX. *Alia eius nomina.* VRBEM Vram appellat Iosephus, & fortè eadem est cum Vra, quam Plinius l. 1. ant. c. 6.
ad Euphratem locat; quem inde conuerti ait ad Orientem. Vrie etiam appella- l. 5. c. 24. l. 9. c. 4. de præpar.
tur, & Camerine ab Eupolemone, referente Eusebio. *Decima verò generatione,*

inquit, *in Camerine Babylonia vrbe, quam alij Vrien dicunt; quod nomen interpretatum Chal-* in c. 11. Gen.
dæopolim significat, natus eſt Abraham, qui nobilitate & sapientia omnibus excelluit, &c. Eam vrbem eſſe Orchoëm Ptolemæi nonnulli exiſtimarunt. Vide Theſaurum geograph. Orrelij & Cornel. à Lapide. Cæterùm ab hoc anno primo Abrahæ, qui cum 43. Nini Aſſyriorum regis, & 22. Europis Sicyoniorum concurrit, & mundi 39. ſuprà bis milleſimum, cæteriſque notis quas in anni huius indice præfiximus, deinceps progrediemur, Euſebium in Chronico viæ ducem, quoad licebit habituri. Cuius hæc verba ad hoc tempus pertinent. *Regnante Nino apud Aſſyrios nouiſsimo eius tempore naſcitur Abraham*, quæ paulò aliter in Græco habentur, & apud Africanum, ſed eadem ſententia. Vide Theſaurum temporum apud Euſebium
p. 75. & 377 Scalig.

SCHOLIA IN ANNVM PRIMVM ABRAHAE.

N. v. 1. ITA ſentit Perer. l. 16. n. 203. ex Abulenſi in 11. Geneſeos, q. 29. Idem Lorinus in c. 7. Act. Apoſt. Magalha in c. 24. Ioſué, Sect. 1. in expoſitione text. n. 24. Emanuel Sà in cap. 12 Geneſ. Gordon. cap. 5. Chron n. 8. Cornelius à Lapide in c. 12. verſu 4. Del Rio tamen, licet velit anno 70 patris natum eſſe Abrahamum, duos tamen eius diſceſſus ex Charam, alterum ante mortem patris, alterum poſt eius mortem commentitium merito exiſtimat, in c. 12 Gen. v. 1.

N. x. 2. Imò indicat figuratam locutionem hoc ipſo quod ponit tres eodem anno genitos, Gen. 11. 26. quod conſtat de omnibus verum eſſe non poſſe, præſertim cùm fateantur Aran patrem Saræ ſaltem 10. annis fuiſſe grandiorem natu Abrahamo, eúmque minimum natu, neque ex eo loco habent aduerſarij Abrahamum natum eſſe anno ſeptuageſimo Patris, magis quàm Nachorem, aut Aramum, quos ipſimet fatentur natu maiores fuiſſe Abrahamo.

N. xiv. 3. Seponimus ſectarios eiuſdem ſententiæ aſſertores, in quibus Beroald. lib. 3. cap. 2. ſuæ Chron. Temporar. l. 1. Tremellios in cap 11. Geneſ. verſ. 26. & 33. Capellus in annum primum Abrahæ, vbi & aliquot alios citat, quibus adde Vignerium & Brougtonum, illum Gallicè, hunc Anglicè ſcribentem. Caluinum item in Catena Marlorati c. 11. v. 26. Laurentium Codomanum in ſuis annal.

N. xv. 4. In Euſebio quem edidit Scaliger. Sic habetur initio Chronici. Apud Hebræos vſque ad natiuitatem Abrahæ computantur anni 1950. vſque ad diluuium enim ab Adam habent annos 1656. & inde vſque ad Abraham 293. Et ideo 40. Iubilæi à natiuitate Abraham computantur, vnus enim Iobelæus 40. anni ſunt. Hæc ibi, quæ Pontacus in ſua editione deleuit, tanquam audacter & putide interpoſita. Sed ea genuina eſſe fatetur Scaliger: & in Græcis quæ ille edidit leguntur hoc modo. Κατὰ τὸ παρ' Ἰουδαίοις Ἑβραϊκὸν, ἀπὸ Ἀδὰμ ἐπὶ τὸν κατακλυσμὸν ἔτη ͵αχνϛ΄. Ἀπὸ δὲ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐπὶ τὸ α΄ ἔτος Ἀβραὰμ ἔτη σϙβ΄. τὰ πάντα ἔτη ͵αϡμη΄. Ἀρχὴ τοῦ μα΄ Ἰωβηλαίου παρ' Ἑβραίοις. Ἰώβηλ δὲ παρ' αὐτοῖς ὁ πεντηκονταετής. id eſt, *Iuxta Chronicon Iudæorum Hebraicum, ab Adam vſque ad diluuium, anni 1656. à diluuio autem vſque ad primum annum Abrahæ 292. omnes anni 1948. Principium 41. Iubilæi apud Hebræos. Iobel autem apud ipſos 50. anni ſunt*. Sic ipſe. At quadragies 50. bis mille efficiunt non 1948. aut 1950. qui in 39. duntaxat iubilæa reſoluuntur. At ſecundum noſtram ſupputationem, quam ſperamus aliquando fore communem, Iubilæus 41. iam in curſu eſt à primo anno poſt bis milleſimum, & poſt vndecimum annum complebitur. Eum autem 50. annis conſtare, non 49. vt vult Scaliger, alio loco docebimus.

Gelenius ex editione vulgata Ioſephum correxit, vt patet omnibus, qui Latina cum Græcis contulerint, quæ noua editio Græco-Latina intacta reliquit. Ioſephum ergo ex fide ſic vertas. *Et hæc quidem eſt hiſtoria de Semi filiis, nunc de Hebræis verba faciemus. Ex Phalego enim Heberi filio prognatus eſt Ragaus: ex hoc Serugus, ex quo Nachores eſt genitus, & ex hoc Tharrus. Hic Abrahami fuit pater, qui decimus eſt à Noe, natúſque eſt ſecundo anno & nonageſimo ſuprà ducenteſimum à diluuio. Siquidem Tharrus ſeptuageſimo anno genuit Abrahamum; Nachores verò Tharrum genuit, vigeſimum ipſe & centeſimum iam natus annum. De Sarugo verò Nachores natus eſt, circa annum trigeſimum ſecundum ſuprà centeſimum. Ragaus verò Sarugum genuit annos natus triginta ſuprà centum. Totidem verò annorum Phalegus genuit Ragaum. Heberus verò quarto & trigeſimo ſuprà centeſimum genuit Phalegum, prognatus ipſe à Sela nato annos centum & triginta: quem Arphaxades genuit circa quintum & trigeſimum annum ſuprà centeſimum. Semi verò filius Arphaxades natus erat poſt annum duodecimum à diluuio:* Hæc ibi. Conſentanee, vt videtur prima fronte, Septuaginta interpretibus, ab iis tamen diſtat in tota ſumma annis 179. vt mox in ſubiectis tabellis videbis. Deinde diſtat quia omittit Cainan, quem illi poſuerunt. Tertiò, quia tollit Nachori quinquaginta nouem annos. Quartò, quia tranſponit annos Sarug & Ragau. Quintò, quia decem annis tardiorem facit ortum Arphaxad, quàm aut Græci, aut Hebræi. Poſtremò quia cùm propoſitiones Græcas ponat, concluſionem ex iis Hebraicam trahit, longiſſimè à præmiſſis diſcrepantem, totis videlicet ſeptingentis annis. Vide rem ipſam oculis ſubiectam. N. xvi. 5.

Iosephi Chronologia.		Septuaginta Chronol.		Hebraica & Latina Chronol.	
Thare anni	70	Tharæ	70	Thare anni	70
Nachoris	120	nachoris	179	Nachoris	29
Sarug	132	Sarug	130	Sarug	30
Ragaus	130	Ragaus	132	Ragaus	32
Phaleg	130	Phaleg	130	Phaleg	30
Heberis	134	Heberis	134	Heberis	34
Sela	130	Sela	130	Sela	30
Arphaxad	135	Cainan	130	Arphaxad	35
Semi	12	Arphaxad	135	Semi	2
	993	Semi	2		292
			1172		

Septuaginta numerant à diluuio annos 1172 vsq; ad ortū Abrahæ. Iosephos autē ponit 993
Abest igitur ab illorū sūma annis omnino 179

Aliam notationem dat Philo lib. de Somniis. *Quamobrem opinor*, inquit, *& auus eius* (de Iacobo loquitur) *à scientia denominatus Abrahamnon diu in Charris durare potuit.* καθ' ὃ μοι δοκεῖ ὁ πάππος αὐτοῦ τῆς ἐπιστήμης Ἀβραὰμ ὄνομα, μὴ πολλῷ χρόνῳ δυνηθεὶς τῇ Χαρρὰν ἐνδιατρῖψαι. Sed Philo allegorias potiùs, quàm historicam veritatem sequitur. minimè tamen iis adhæret qui putant Abrahamom sexaginta annis in Charris hæsisse, ad mortem vsque patris. n. xvi. 6.

ANNVS MVNDI 2044. DILVVII 388. 3. ÆTAT. 6.

SEMI 486. ARPHAXAD 386. CAINAN 351. SALE 321. HEBERIS 291. REHV 227. SARVG 195. THARÆ 136. ABRAHÆ 6. NINI 48.

IMPERII ASSYRIORVM 113.

ANTE CHRISTVM 2009.

I. *Tēpus belli contra Bactrianos.* CIRCA Nini annum quadragesimum octauum ponitur ab Eusebio in Chronieo Nini bellum contra Zoroastrem, his verbis. *Zoroastres magus Rex Bactrianorum clarus habetur, aduersus quem Ninus dimicat.* Quæ postrema verba in Chronico Græco non leguntur; ideóque videntur à D. Hieronymo interprete adiecta, sicut & alia pleraque. Quin etiam in eodem Græco hæc nora, cùm aliquoraliis confertim in primum annum Abrahæ confertur: vt intelligamus non constare, quo potissimum anno confectum sit hoc bellum. Ex Diodoro tamen Siculo apparet, vt antè diximus, postremum hoc Nini bellum fuisse, cui consentiens Iustinus, l. 2. l. 1. initio.

II. *Zoroastris magia.* POSTREMVM *illi bellum*, inquit, *cum Zoroastre rege Bactrianorum fuit, qui primus dicitur artes magicas inuenisse, & mundi principia, syderúmque motus diligentissimè spectasse.* Diodorus eum non Zoroastrem, sed Oxyartem appellat. Plinius cùm de magicæ artis, aut imposturæ potiùs, origine, aepotentia verba facit. *In tantùm*, inquit, *fastigij adoleuit, vt hodiéque etiam in magna parte gentium præualeat, & in Oriente Regum Regibus imperet.* l. 30. c. 1.

III. *A Persa in Perside inuenta.* ALLVDIT ad Persarum reges, qui huiusmodi titulo gloriabantur, vnde subdit, *Sine dubio illic orta in Perside à Zoroastre, vt inter authores conuenit.* In his certè authoribus præter Eusebium, & Arnobium, quem mox referemus, est etiam Clemens Alexandrinus, qui ex Pythagora refert Zoroastrem magum Persam fuisse. Epiphan. sub initia Panarij, ab hoc ait inuentas esse malas artes, ac nominatim Astrologiam, puta quæ iudiciaria dicitur, & Magiam, ad quam illa stetniriter, sicut hæc ad idololatriam. in Chron. & l. 10. de præp. c. 3.

IV. *Hic idem pugnauit contra Ninum.* HVNC autem ipsum, contra quem bellum à Nino gestum est, eundem ipsum Zoroastrem magum fuisse ostendit Epiph. lo. cit. *Zoroastrem*, inquit, *Græci hunc fuisse mèmorant, qui Orientis interiora penetrans Bactra, Bactrorum oppidum erexit, indéque omnia, quæ in orbem inuecta sunt, scelera propagata dicuntur.* Sic ipse. Idémque ex genere pugnæ intelligitur. Nam Arnobius inter Ninū & Zoroastrem, etiam magicis præstigiis pugnatum esse tradit. *Vt inter Assyrios*, inquit, *& Bactrianos, Nino quondam Zoroastréque ductoribus non tantùm ferro dimicaretur & viribus, verùm etiam magicis, & Chaldæorum ex reconditis disciplinis inuidia hæc nostra fuit?* l. 1. sub med. l. χ.

V. *Antiquitas eius cōmentitia.* INTELLIGITVR quoque ex eius, licet commentitia, & nimis exaggerata antiquitate. Eudoxus enim apud Plinium Zoroastrem hunc sex millibus annorum ante Platonis mortem fuisse prodidit, quæ cadit in annum primum Olympiadis 108. Quod tradidit etiam Aristoteles in Magico, quem librum Xanctus l. 30. c. 1.

Lydius apud Laërtium citat. Sed pergit, *Hermippus qui de tota ea arte diligentissimè scripsit, & vicies centum millia versuum à Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum eius positis explanauit, præceptorem, à quo institutum diceret tradidit Azonacem. ipsum verò quinque millibus annorum ante Troianum bellum fuisse.* Hæc Plinius; qui mox ibidem ait Mosem, quem etiam magiæ architectis aggregat, vna cum Iamne & Iotape Iudæis, multis millibus annorum fuisse post Zoroastrem. Rectiùs dixisset, aliquot annorum centuriis. Nam à natiuitate Abrahami, vsque ad ortum Mosis non plures 425. annis reperiuntur. Sicut ab illius vocatione, vsque ad huius exitum ex Ægypto 430.

p. 89. DE eius morte cuius tempus exactè non traditur, hæc habet chronicon Alexandrinum. *Zoroastres ille nobilis Persarum astronomus, morituriens precatus est vti fulmine ictus interiret. Persisque denunciauit, vbi me, inquit, cælestis ignis consumpserit, crematorum ossium meorum cineres tolliste, & seruate; nec regnum à vobis, & hac regione tolletur, quandiu ossa mea custodietis. Inuocato ergo Orione, à cælesti flamma depastus interiit. Persæ quod ille imperarat executi reliquias cinerum illius hodiéque custodiũt.* Addo & Gregorium Turonens. qui putat hunc Zoroastrem fuisse Chus, Chami primogenitum, eundémque primum totius artis magicæ & idololatriæ inuentorem, & ad Persas transiisse, ab iisque Zoroastrem, id est viuentem stellam appellatum esse. Ignem & stellas de cœlo deuocasse, & ignem adorare docuisse; denique immisso diuinitus igne fuisse consumptum, diuinos nihilominus honores illic adeptum esse. Hæc ipse [a]. — VI. *Et interitus.*

Marg.: lib. 2. hist. Franc. c. 5. — 2. x.

CÆTERVM quod Zoroastrem putat fuisse Chus, neque huius ætati satis consentaneum est, quæ ægrè ad extrema Nini tempora peruenire potuit, neque personæ, nam Chus fuit auus Nini, nec inter eos bellum fuisse à quoquam proditũ est. Neque regioni: nam Chus Æthiopum parentem omnes faciunt cum Iosepho, & Scriptura passim terram Chus vocat Æthiopiam, interprete D. Hieronymo. Epiphanius refert Græcos existimasse Zoroastrem fuisse Nemrod, idémque putauit Galatinus in arcanis. at rei veritas habet, vt ille ait, eodem vixisse tempore; non autem eosdem esse. Et meritò, nam si Zoroastres fuit Nemrod, qui & Belus, fuisset pater Nini; oportuisset ergo Ninum pugnasse contra patrem suum Belum, defunctum ante annos 48. [s] — VII. *Non fuit Chus, neq; Nemrod.*

Marg.: sub init. Panar. l. 4. c. 10. — Noe. Cham. Chus. Nebrod qui & Belus. Ninus.

QVOD ad bellum ipsum attinet, Diodorus Siculus pluribus scribit Ninum absoluta Niniue expeditionem in Bactrianos redintegrasse, coëgisséque vndique exercitum (vt Ctesiam scripsisse refert) 170. myriadum, id est, decies & septies centenum millium peditum; equitum verò ducentorum & decem millium. Decem item millium, & sexcentorum curruum falcatorum. Qui numerus etsi parum probabilis sit, multò tamen fit probabilior in nostra sententia, quàm eorum qui 292. annos tantùm numerant, à diluuio vsque ad Abraham natiuitatem. Accedit ad probabilitem, quòd Asia alioqui omnibus seculis hominum maximè ferax, diutiùs etiam à diluuio habitata fuerit, & facta diuisione terrarum, maxima pars hominum ibi substiterit: non ita multis in Africam, & Europam transgressis. Non multò autem pauciores fuisse Bactrianorum copias, ex eo probabile redditur, quòd ancipiti Marte aliquandiu pugnatum sit, vt ex eodem Diodoro habetur. — VIII. *Bactrianæ belli copia.*

Marg.: lib. 2. — 3. x.

NINVS ergo cum maximis copiis in Bactrianam transgressus, post aduersum prælium, & ingentem suorum cladem, tandem victor euadens, ad ipsam vrbem regiam totius belli molem conuertit; cúmque obsidio longiùs extraheretur, vir Semiramidis, qui in castris regiis militabat, vxorem suam euocauit; cuius industria cùm arx Bactrianorum capta esset, Rex mulieris virtutem, cum eximia pulchritudine iunctam, demiratus, eam vxorem habere voluit, quam cùm à viro suo Menone non impetraret, etiam Sosana filia illi in matrimonij permutationem oblata, adhibuit minas, oculos se homini, nisi pareat euulsurum. At is regiæ interminationis metu, & amoris impotentia in furorem actus, laqueo se suspendit. Ita Semiramis Assyriorum regina facta est. At Ninus thesauris auri & argenti in Bactriana potitus, rebúsque ibi constitutis, exercitum Ninum reduxit. Hæc pluribus Diodorus, & Ctesias. At chronicon Alexandrinum tradit Semiramidem fuisse matrem Nini, & Rheam appellatam, eámque — IX. *Prælia, & obsidio Bactrorum.* — *Semiramis Assyriorũ fit regina.*

nihilominus vxorem duxisse; indéque Persis naram legem parentes & sorores in consortium thori asciscendi: ideóque Iouem, siue Picum sororem Iunonem vxorem duxisse; quòd Virgilius quoque cum cæteris Poëtis carmine celebrauit. p. 87 edit. Græco lat.

SCHOLIA IN ANNVM ABRAHAE 6.

N. IV. 1. Retvlit Arnobij locum Scaliger, qui nihilominus immeritò dubitat, idémne sit Magus hic cum Rege Bactrianorum, cùm multos habeat contra se testes, pro se neminem. Nam quod ait Plinium hac de re meritò dubitare, immeritò facit. Plinius enim tantùm dicit non satis constare an vnus hic fuerit Zoroastres, an posteà etiam alius. Nō autem dubitat, an primus ille Magus, fuerit etiam Rex Bactrianorum. Alium autem iuniorem Zoroastrem Proconnesium memorat ibidem Plinius. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. meminit cuiusdam Zoroastris Medi, cui Gentianus Heruetus competere ait illud Plinij lib. 7. cap. 16. *Risisse eodem die, quo genitus esset vnum hominem accepimus Zoroastrem. Eidem cerebrum ita palpitasse, vt impositam repelleret manum, futuræ præsagio scientiæ.* Sic ipse. Tertium etiam refert Zoroastrem, idem Clemens lib. 5. Strom. Heri Armenij filium, genere Pamphylium, qui in rogum impositus duodecimo, post mortem die dicatur reuixisse, referente Platone in 10. de Republica. Sed hæc Plato de Hero ipso Armenio recitat, non de Zoroastre. At quid faciemus D. Chrysostomo, qui in libro de S. Babyla, & contra Gentiles sub initium hæc habet *Quamnam ob causam Zoroastrem illum itémque Zamolxim* (quem celebrat Herodotus lib. 4. Græco-lat. p. 289.) *ne de nomine quidem multi, imò verò nulli, nisi admodum pauci, norunt? Nonne quoniam figmenta erant, quæ de illis circumferuntur omnia?*

Iustinus Zoroastrem occisum in bello significat, Diodorus, & cæteri quos vidi, tacēt. N. VI. 2.

Nisi successio Nini mortuo Belo obstaret, N. VII. 3. Græcorum fabulæ de bellis Iouis contra Saturnum patrem bis fauerent. Nam Belus reperitur dictus Saturnus, & Ninus Iupiter. Sed in *μύθοις* Græcorum omnia nutant.

ANNVS MVNDI 2048. DILVVII 392. TERTIÆ ÆTATIS 10. SEMI 490. ARPHAXAD 390. CAINAN 355. SALÆ 325. HEBER 295. REHV 231. SARVG 199. THARÆ 140. ABRAHÆ 10. NINI 52. ET VLT. IMPERII ASSYR. 517.

ANTE CHRISTVM 2005.

I. *Mors Nini.* Absolvitvr hoc anno, qui est decimus Abrahæ, Nini, secundi regis Assyriorum 52. & vltimus, vt placet Eusebio in Chronico, & Africano. De cuius morte hæc pauca Diodorus Siculus. cap. 2. *Suscepto ex Semiramide Ninya; successionem in regno vxori è vita decedens relinquit. Huic Semiramis in Regia sepulto, ingentem terræ aggerem, altitudine nouem, & latitudine decem stadiorum, vt Ctesias author est, construxit. Cúmque vrbs illa iuxta Euphratem in planicie iaceat; moles illa instar cuiusdam arcis se per multa stadia inde conspiciendam offerebat. Et adhuc Nino diruta, & Assyriorum imperio per Medos soluto extare dicitur.* Hæc ibi. Sed pro Euphrate substituendus est Tygris, vt dictum est anno primo Nini, n. 3.

II. *Ortus Loti ex Aran.* Aran frater Abrahæ primogenitus genuit hoc anno Lotum, vt Hebræis placet in Seder Olam. Vno enim anno præcessisse ortum Saræ asserunt. Licet in cæteris quæ ibidem ingerunt, minimè probandi, quantumuis probante Genebrardo. *Abraham*, inquiunt, *anno duntaxat superauit Nachorem, & Nachor altero fratrem suum Aran, qui post septennium ab ablactatione, accepit vxorem, anno certè vitæ octauo, hinc natus est Lot, sequenti demum anno Iescha, quæ & Sara.* Hæc ibi, quæ illi per quam imprudenter finxerunt, vt Abrahamo primogenituram assererent; & eius natiuitatem in anno patris 70. retinerent; quòd vtrumque refutatum est. Iam quod Genebrardus ait huiusmodi generationes præproperas non fuisse inusitatas apud Hebræos, suis locis Deo fauente refutabitur.

Interim recipiamus, quòd nihil habet incommodi, Lotum anno ante sororem suam Saram genitum fuisse; anno porrò patris sui non octauo, sed septuagesimo. Nam, vt suprà disseruimus, cùm Thare vnum de tribus filiis genuerit anno vitæ suæ septuagesimo, & Aran multorum consensu fuerit primogenitus, perspicua est consecutio.

an. 71. Thare, n. 4. & 5.

ANNVS MVNDI 2049. DILVVII 393. TERTIÆ ÆTATIS 11. SEMI 491. ARPHAXAD 391. CAINAN 356. SALÆ 326. HEBER 296. REHV 232. SARVG 200. THARÆ 141. ABRAHÆ 11. SEMIRAMIDIS 1. IMPERII ASSYR. 118.

ANTE CHRISTVM 2004.

I. *Initium regni Semiramidis, concurrit cum ortu Saræ.*

Habet hic annus initium regni Semiramidis, quæ prima mulierum omnium regnasse perhibetur, & maximum Assyriorum imperium tertio loco gubernasse, atque adeò vehementer amplificasse. Habet & initium vitæ Saræ, vxoris maximi Patriarchæ: mulierum celeberrimam. Istam sacri omnes Scriptores prædicant, illam profani; istam virtutibus nobilem, illam flagitiis. Hæc primum annum cœpit, illa 21. vt ex eius morte intelligetur. Semiramidis primum hunc annum ponit Eusebius in Chronico secutus Africanum, cui & de numero annorum quadraginta duorum regni consentit. Saræ autem primum hunc annum Scriptura ponit, quæ facit Saram nonagenariam, cùm Abrahamus esset centenarius. Decem ergo iam annos Abrahamus expleuerat, cùm illa primum inchoauit.

in Chron. Gen. 17. 17.

II. *Origo Semiramidis.*

Porrò Semiramis, vt de eius initiis aliquid attingamus, non minùs mirabilem, quàm fabulosam originem habuit. Scribit Diodotus eam Palæstinam fuisse, patria Ascalonitam, filiam Deæ cuiusdam Syræ, nomine Derceto, siue Atargatis, quæ pudore admissi in ea concipienda facinoris, vix natam infantem in petricoso, ac deserto loco exposuerit, seipsam in lacum vicinum abiecerit, vbi facta sit Dea, altera ex parte piscis. Quo pertinet & Dagon Palæstinorum Deus, quem non solùm frumentum, sed etiam piscem interpretantur, ab vtriusque fœcunditate. At puella à columbis enutrita fertur, à quibus & nomen accepit Semiramidis, Syrorum lingua, vt idem ait, quæ illis auem, siue columbam significat; Donec à Pastoribus reperta, & ad nubilem vsque ætatem educta, & Menoni Syriæ præfecto in matrimonium data, etiam ad Nini nuptias, vt suprà diximus, peruenit. Aliter eam fabulam retulit Athenagoras. Vide Giraldum Syntagmate primo de Diis Gentium, & Ouidium Metamorph.

lib. 2. — an. Nini 48 n. 9. — lib. 4.

III. *An simulatione vsa.*

De regni autem initio Iustinus: *Occiso*, inquit, *Zoroastre, & ipse Ninus decessit, relicto impubere adhuc filio Nino, & vxore Semiramide. Hæc nec immaturo puero ausa tradere imperium, nec ipsa imperium palàm tractare tot ac tantis gentibus vix patienter vni viro, nedum fæmina parituris, simulat se pro vxore Nini, filium, pro fæmina puerum. Nam & statura vtique mediocris, & vox pariter gracilis, & lineamentorum qualitas matri ac filio similis.* Hæc & plura, siue Trogus, siue Iustinus, non magna sanè probabilitate. Nam & Ninyas infantulus erat, natus postremis Nini patris annis, bello contra Zoroastrem iam penè confecto. Nec erat qui eius ætatem ignoraret, sicut nec patris eius matrimonium cum Semiramide. Quomodo ergo infantulus matri statura, voce, & cæteris similis erat, quæ iam bis nupserat, & ex priore marito duos minimùm liberos sustulerat, Hypaten, & Hydaspem autore Diodoro. qui de eius obitu agens, ait eam sexaginta duobus annis vixisse, quadraginta duobus regnasse, primum itaque ac vigesimum nunc

lib. 1. init.

annum agebat. Accedit quod eodem teste, illa in eo bello eximium iam dederat peritiæ bellicæ documentum; vt maius apud exercitum proprio nomine, quàm commentitio, & propria persona, quàm aliena pondus authoritatis ad res gerendas esset habitura.

IV. *Alia de eadem narratio.*

CÆTERVM longè alia narrat Dinon apud Ælianum l. 7. de varia histor. c. 7. de aduentu Semiramidis in aulam, & occupato imperio. Regem videlicet Assyriorum fama de eius pulchritudine commotum eam ad se vocasse, quæ cùm sui amore flagrantem vidisset, petiisse ab eo regia insignia, & Asiæ imperium ad quinque dies. quibus impetratis, cùm omnia ex suo arbitrio pendere videret, mandasse satellitibus vt regem interficerent, atque sic imperium Assyriorum obtinuisse. Hæc ipse. quæ si vera sunt, valde mirum est à pluribus non fuisse memoriæ prodita, Herodoto præsertim, qui huiusmodi argutis historiis delectatur.

V. *An condiderit Babylonem.*

IN primis eius operibus numeratur Babylon, cui in Babylonia condendæ in primis adiecerat animum, authore Diodoro, nec ab eo discrepat Iustinus. Verùm vt ab vtroque dissentiamus Scriptura compellit, quæ Babylonem opus Nemrodi, siue Beli facit. Itaque rectiùs dixerimus eam inchoatæ, necdum perfectæ vrbis muros magnificentissimè excitasse. Et verò Iustinus, & Diodorus de muro ferè tantùm agunt. Minùs probabilis est Suidas. *Prima*, inquit, *Niniuem mœnibus cinxit, mutatoque nomine Babylonem vocauit, & flumina muniit aggeribus*, &c. Verùm iam maritus eius Ninus cognominem sibi vrbem magnificis, vt diximus, circumdederat mœnibus; quo etiam Regni sedem transtulerat. nec erat cur in viri contumeliam, vrbis nomen commutaret, viri præsertim vsque adeò benè de se meriti.

VI. *Quæ murorum eius magnificentia.*

SEMIRAMIS ergo in Babylone, à mortuo Belo penè neglecta, muros magnificentiùs construere aggressa est, qui Nini, siue Niniues magnificentiæ respondetent. *Muri tamen ambitus minor fuit. Nam trecenta sexaginta quinque stadia tantùm colligebat, vt anni dies numero exæquaret. Altitudo autem, vt probabilior habet opinio, quinquaginta cubitorum, vt Ctesiæ placet quinquaginta Orgyorum* (id est vlnarum interprete Plinio) *latitudo verò, aliquanto plus quàm duobus curribus satis esset, spatij obtineret. Turres etiam adiecit ducentas quinquaginta, nec plures; quoniam palustri locus, & natura sua munitus non requirebat plures. quarum altitudo, latitudóque amplitudini operum muri respondebat; omnia ex lateribus bitumine conglutinatis. Inter murum & domorum ædificia, via duûm plethorum*, id est ducentorum pedum, interprete Suida, *circumquaque relicta erat. Vt autem celeriùs opus consummaretur, cuilibet ex amicis stadium, cum impensis ad id necessariis attribuit; & anni spatio negotium peragere iussit.* Hæc Diodorus. Ex quibus suspicari possumus præparatam hoc anno materiam, & inchoatum opus, proximo autem absolutum.

VII. *Quis pater Saræ.*

IAM quòd ad Saram attinet, quoniam eam hoc anno natam constat, vt diximus, celebrem illam controuersiam, & multorum studiis varias in partes versatam de patre Saræ missam facere nec possumus, nec debemus. Plura dabit Abulensis q. 22. & 23. in c. 11. Peret. l. 16. in Gen. ex quo Torniel. plurima hoc anno. Breuiter de more tangunt Sà, Del Rio, Cornelius à Lapide, Caiet. Vatabl. tam in c. 11. quàm in 20. Et ex antiquis Iosephus, Hieronymus, Augustinus, & alij. Horum ergo nonnulli volunt Saram fuisse filiam Tharæ, & ab eo ex secunda vxore immediatè genitam; alij autem neptem, & filiam Aran filij eius.

num. 1.
dispu. 74. in c. 11. & rursus in c. 20. v. 12.

VIII. *Videri Tharæ.*

DICO ergo primo non carere probabilitate Saram fuisse filiam Tharæ sororem Abrahæ, sed alia ex matre genitam. Ea enim videtur aperta Scripturæ sententia. *Verè*, inquit Abraham, *soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ.* Et ita eum locum interpretatur D. Hieron. quasi corrigens priorem expositionem capitis vndecimi, vbi dixerat, Saram fuisse filiam Aran. Ita eundem locum intellexit Clem. Alexandr. lib. 2. Strom. & ibidem Gentianus interpres, existimans cũ Hieronymo, tunc eiusmodi nuptias fuisse licitas. Quam sententiam Caietanus animosè defendit. *Secundum proprietatem verborum*, inquit, *significatur quod Sara erat soror carnalis Abrahæ, non tamen vterina. Si dixisset duntaxat, soror mea est, iret in communem sensum, sed adiungendo filia patris mei ipsa, non tamen filia matris meæ, apertè significat quod filia est patris sui, non aui sui, non fratris sui.* Et infrà: *Sicut matris no-*

Gen. 20. 12.
c. 12. sub fi.
in cap. 20. Gen.

mine vtitur propriè, ita & patris. Et demum: *Si his verbis non significatur soror carnalis Abrahæ, non vterina, quibus quæso verbis, significanda est?* Finge si potes. Caietanum sequitur Lipomanus in Catena; itaque sentiendum existimat, ne alioqui incidamus in difficultates inextricabiles; aitque cum Caietano connubia cum sorore non vterina tum fuisse licita; cùm etiam in lege Mosaica, Thamar filia Dauidis dixerit Ammoni fratri suo non vterino, obtineri posse à patre connubium suum. Idem sentit Hieronymus ab Oleastro. In eandémque sententiam admodum propendet Sotus non vno in loco. Et Tostatus in c. 11. Gen. eam iudicat & Scripturæ & rationi consentaneam.

(in c. 20. Gen. l. 2. de iust. & iure q. 3. a 8 & in 4. s. d. 40. q. vn. a. 4. q. 22.)

VIII. *Aut potius Aran.* — DICO secundò vt communiorem, ita & probabiliorem videri sententiam, quæ ait Saram fuisse filiam Aran, neptem Abrahæ, sororem Lot. Id disertè asserit Iosephus. *Aranes*, inquit, *relicto filio Loto, & filiabus Sara, & Melcha in regione Chaldæorum est mortuus.* Et mox: *Neptes verò ex fratre duxerunt coniuges Melcham Nachor, Saram Abrahamus.* Et idipsum confirmat cap. sequenti. Eam sententiam Augustinus amplectitur. *Vxorem*, inquit, *suam dixit sororem suam, nihil mentitus, erat enim & hæc, quia propinqua erat sanguine. Sicut etiam Lot eadem propinquitate, cùm fratris eius esset filius, frater eius est dictus.* Idem etiam docuit l. 22. contra Faustum Manichæũ. Diuus Hieronymus anceps fuit in cap. 20. Genes. at in cap. 11. hanc sententiam indubitanter tradit. Additque Iescam eandem fuisse cum Sara, vt quæ fuerit διώνυμος. Idem & in libro contra Heluidium, vti mox referemus, confirmat. Eadem est Procopij, & Diui Chrysostomi sententia. Pro eadem pugnat Lyranus, & Tostatus, qui eam communem doctorum esse asserit. Pererius item locis citatis. Del Rio, Cornelius à Lapide, Emanuel Sà, Vatablus, Torniellus, Genebrardus in fine secundæ ætatis, & alij. cum Hebræis in Seder-Olam.

(l. 1 ant. c. 6. & 7. l. 16. de ciu. c. 12. & 19. c. 35. & 36. hom. 45. in c. 20. Gen. in c. 11. q. 22)

IX. *Explicatur, & recipitur hæc sententia.* — EXPLICATVR porrò hæc sententia, ex vndecimo Genes. hoc modo. Cùm Aran genuisset filium vnum nomine Lot, & filias duas Melcham & Saram, prærnaturè mortuus est in Vr Chaldæorum, parente adhuc superstite, in quem propterea, vt communem patrem, orbatæ familiæ cura incubuit; ergo puellas nubiles neptas suas filiarum loco habens, elocauit eas intra familiam suam, duobus filiis suis, Abrahamo & Nachori. In eo quoque paterna Thare prouidentia eluxit, quòd cum diuino iussu ex Vr Chaldæorum Abrahamo egrediendum esset, ipse Thare grandæuus non comes, sed dux, & princeps profectionis ponitur. *Tulit*, inquit, *Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum.* Nihil ergo mirum si Sara parentem agnosceret Thare, & parentem appellaret, qui pater esset patris sui; re quidem auus, communissima verò apud plurimas gentes nepotum appellatione, pater. qui patre demortuo veri patris erga se munere fungeretur; à quo nuptui tradita esset, qui denique socer esset, qui nurui instar patris est, & dicitur pater. Itaque D. Chrysost. ita loquentem facit Abrahamum. *Ne putetis*, inquit, *me etiam sic mentitum esse. Etenim soror mea est, ex patre, sed non ex matre. Data autem mihi est in vxorem. Quia eundem patrem vocat, quem & ego, ideò & sororem ipsam vocaui.* Non dicit quia eundem patrem habet, sed vocat.

(hom. 43. in Gen.)

X. *Et probatur.* — CONFIRMATVR, quia si Sara esset filia naturalis Tharæ, non eam vocaret nurum suam, sed filiam vocabulo amabiliore. Quòd autem non vocat filiam Aran sicut Lot, ratio est, quia maior ei dignitas accedit ex coniugio Abrahæ (sic enim facta est mater credentium, & totius populi Dei,) quàm ex filiatione Aran, hominis fortasse infidelis, nulla certè dignitate insignis. Confirmatur secundò, quia Augustino teste; *Abraham eo tempore viuebat in rebus humanis, quo tempore iam fratres ex vtroque aut altero, alteráve parente natos, vllo coniugio non licebat*; quòd scilicet ab initio necessitate cogente licitum fuerat, alioqui iure naturæ improbatum. Quis autem credat Patriarcham sanctissimum iura naturæ violasse? Sed audi rursus eundem S. Doctorem. *Cùm non essent vlli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas coniuges acceperunt, quòd profectò quanto est antiquius compellente necessitate, tantò postea factum est damnabilius religione prohibente.* Accedit Hieronymus contra Heluidium, vbi hunc ipsum locum interpretatus ait, *Quomodo & Abraham ipse Tharam, sororem suam habuit vxorem. Etenim ait, verè soror mea est de pa-*

(l. 22. contra Faust c. 35. l. 15. de ciu. c. 16. Hieron.) (*Coniugium cum sorore illicitum.*)

tre, sed non de matre, id est fratris est filia non sororis, (fortè non soror.) *Alioqui quale est vt Abraham, vir iustus patris sui filiam coniugem sumpserit, cùm in primis hominibus, propter aurium sanctitatem, idipsum Scriptura non nominet, malens intelligi, quàm proferri. Et Deus lege postea sanciat, ac minetur. Qui acceperit sororem de patre suo, vel de matre sua, & viderit turpitudinem illius, opprobrium est, & exterminabuntur coram filiis generis sui. Turpitudinem sororis suæ detexit, peccatum suum recipiet.* Hæc D. Hieron. ex Leuit. 20.17. verbis paululum mutatis, prout memoriæ occurrebant. Leuit. 20.

XI. *Refutatur prior sententia.* CVM ergo, vt ad fundamentum prioris sententiæ respondeamus, Abraham alloquens Abimelech, dicit Saram esse sororem suam, patrium vsurpat loquendi morem, quo nepotes aut neptes ex fratre vel sorore, vocabant fratres, & sorores; præsertim si iam adulti essent, quandoquidem fratris aut sororis nomen honorabilius, & amabilius est, quàm nepotis, aut neptis. Iraque & Lotum appellauit fratrem, & Saram decennio tantùm minorem, vocauit sororem. Quòd autem dicit eam filiam patris sui, non autem matris suæ, significat Tharæ duas habuisse vxores, & ex vna sustulisse Aran, ex altera Abrahamum. Itaque Abraham & Sara eundem agnoscebant & vocabant patrem Thare, licet is esset immediatus pater Abrahami, mediatus autem Saræ. Ambo tamen eandem non habebant matrem. Cùm ergo Caietan. ait Abrahamum vsurpare propriè nomen patris, sicut & matris, respondendum est Saram fuisse propriè filiam Thare patris Abrahæ, sed mediante Arane: matris autem Abrahæ nec mediatè, nec immediatè filiam fuisse, quòd Aran non esset natus ex eadem coniuge Tharæ, ex qua Abraham, quòd supponit ista sententia. At non posset dici aliter soror carnalis non vterina, ait Caiet. Respondeo, cùm gemina sit eiusdem sententiæ significatio, *soror mea est; filia patris mei est*, ideóque idonea sit ad reticendam, sine mendacio, veritatem, vt scilicet patris, vel sororis nomen mediatè, vel immediatè significetur, vno modo Abraham, altero Abimelech eas voces accepit, vno modo significatur soror carnalis non vterina; altero soror & filia patris, mediante fratre. Sed de hac quæstione iam satis. Gen. 13. 8. Gen. 20.

XII. *Sara διώνυμος.* DICAMVS vnum verbum de gemino Saræ nomine. Eandem enim cum Iescha esse præter Hieronymum, qui eam διώνυμον propterea appellat, sentit Augustinus; eámque communem interpretationem esse significat. Et Abulensis, qui ait mulieres in Scriptura nunquam poni, nisi propter magnum aliquod mysterium vel dignitatem, quòd in Iescha nullum planè apparet, nisi eadem sit cum Sara, vxore maximi Patriarchæ. Idem affirmant Hebræi in Seder-Olam, *Vocata est*, inquiunt, *Sara, Iescha, à conspiciendo, quoniam eam omnes intuebantur pulchritudinis gratia. Hinc illud, & laudauerunt eam apud Pharaonem. vel etiam quia cernebat futura, attentáque erat ad prophetiam, quòd indicauit Deus Abrahæ. Quidquid*, inquit, *dixerit tibi Sara fac, & audi vocem eius.* Sic Hebræi. Posterior expositio Iudaico ingenio digna est; prior consentanea est verbis ipsius Abrahæ: *Noui quòd pulchra sis mulier, & quòd cùm viderint te Aegyptij*, &c. Nec inuenio qui neget, aut dubitet Ieschan esse Saram, præter Caietanum. & Codomanum è schola Lutheri. l. 16. de ciu. c. 12. in c. 11. q. 23 c. 2. fi. in c. 11. Genes. in ann. script.

ANNVS MVNDI 2051. DILVVII 395. TERTIÆ ÆTATIS 13. SEMI 493. ARPHAXAD 393. CAINAN 358. SALÆ 328. HEBER 298. REHV 234. SARVG 202. THARÆ 143. ABRAHÆ 13. SEMIRAMIDIS 3. IMPERII ASSYR. 120.

ANTE CHRISTVM 2002.

I. *Pōs & aggeres Semiramidis.* PROXIME præcedens annus Iubilæum quadragesimum primum terminauit, hic dat initium 42. In quem referre meritò, cum Diodoro Siculo, possumus excitatum Babylone à Semiramide pontem, absolutis superiore anno mœnibus ciuitatis, vt diximus, quem idem ait nulli operum Semiramidis solertia concessisse; eo loco positum, quo fluuius an- Iubil. 41. & 42. lib. 2.

gustissimus quinque stadiis expandebatur, quæ illius erat longitudo; latitudo autem triginta pedum. tum ab vtroque fluminis latere crepidinem, mœnibus latitudine supparem, ad stadia centum sexaginta magnis sumptibus eduxit. Ita habetur in textu Græco, licet nouus interpres centum duntaxat stadia in sua versione posuerit. Verùm hoc opus Herodotus Nitocri attribuit. De Semiramide (in Clio.) autem. *Hæc*, inquit, *per planitiem aggeres extruxit spectaculo dignos, cùm antehac flumen eam omnem restagnare solitus esset*. Meminit eorundem aggerum Eusebius in Chronico. Si tamen Eusebius. Nam in eius Græco exemplari omnia Semiramidis gesta sunt prætermissa. id ergo aut ab interprete Hieronymo suppletum videtur, (p. 60. in edit. Scal.) aut ex collectaneis ex Africano in quibus legimus. αὕτη διὰ τὸ ῥεύματα τοῖς ποταμοῖς παρέβαλε χῶμα. Meminit & Suidas, verbo Semiramis, & Cedrenus. De ponte autem, vide apud Herodotum Græco-lat. imaginem eius, in qua tamen corrigendum, quòd pro quinque stadiorum longitudine, duorum tantùm posuerit.

ANNVS MVNDI 2052. DILVVII 396. TERTIÆ ÆTATIS 14. SEMI 494. ARPHAXAD 394. CAINAN 359. SALÆ 329. HEBER 299. REHV 235. SARVG 203. THARÆ 144. ABRAHÆ 14. SEMIRAMIDIS 4. IMPERII ASSYR. 121.

ANTE CHRISTVM 2001.

DECIMVS quartus annus Abrahæ insigne exhibet pietatis ipsius in Deum monimentum. Nam Suidas ex Philone scribit, *Abrahamum natum annos quatuordecim Dei cognitione illustratum, patrem idola fingentem his verbis commonuisse. Quid seducis homines ob perniciosum lucrum, hoc est ob imagines? Nō est alius Deus, nisi cælestis ille totius mundi opifex. Itaque cùm videret homines creaturæ cultum deferentes magno labore oberrans, verum Deum animo religioso exquirebat.* Hæc ille, quæ consentanea sunt iis, quæ suprà ex Epiphanio retulimus. In quibus tamen prouidendum est ne Catholicis hęreticus interpres imponat, qui pro idolis malè imagines vertit, & idololatriam mutat in cultum imaginum [1]. Cùm autem hoc Suidæ testimonium vehementer faueat, pietati Abrahæ, etiam ab ætate puerili, non videtur hoc loco negligenda illa quæstio, grauium virorum disputationibus agitata, fueritne aliquando Abraham deditus idololatriæ. (I. *Abrahami à puero pietas.*)

(1. χ.)

PARTEM aientem tuetur Andreas Masius in cap. 24. Iosue, & Philo in opusculo quod inscribitur Abraham, vbi ait, *ipsum longo tempore Chaldæorum delirio, de astrorum diuinitate, innutritum fuisse*. S. Ephrem ait Abrahamum initio fuisse gentilem. Quibus consentanea sunt, quæ leguntur de eodem l. 1. recognit. Clementis. In eadem opinione dicuntur aliqui Hebræi apud Genebr. in chron. qui putant Abrahamum aliquandiu vna cum patre idolorum fictorem, ac venditorem fuisse. Masium sequitur Magalianus in eundem locum Iosue, & Serarius ibidem, vbi Thalmudistas idem sentire, putaréque stellarum cultorem extitisse scribit. In eandem sententiam propendet Torniellus. Ambiguus est etiam Alphonsus Mēdoza in controuersia septima positiua. (II. *An idolis aliquando seruierit.*) (c. 1. serm. 2. de pœnit.) (q. 2. & q. 2. in c. 6. Iud. in an. 14. & 48. Abrahæ)

Pro hac sententia affertur ille locus Iosue 24. *Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham & Nachor, seruierúntque diis alienis*. Sicut ergo habitatio trans Euphratem conuenit non solùm Thare & Nachori, sed etiam Abrahæ, ita & seruitus Deorum alienorum 2. quia sic tantò maior apparet Dei bonitas & misericordia, & gratuita magni Patriarchæ vocatio, 3. Diuus Paulus de eo agens videtur dicere eum, cùm antea fuisset impius, iustificatum fuisse. Impietas autem est seruitus Idolorum, sicut pietas in Deum est verus eius cultus. (Rom. 4. 5.)

III. *Non fer-nisse.* CONTRARSAM sententiam amplectitur, ac propugnat Abulensis in illum Iosue locum, & ibidem Caietanus & Carthus. Perer. in Gen. Suidas verbo Abraham, Cornelius à Lapide in Genes. Genebrard. in 1. Chronologiæ, etsi sub initia tertiæ ætatis parum constanter loquatur. quæ mihi videtur multò probabilior, quámque existimo esse D. Augustini. vnam enim affirmat fuisse domū Tharæ, in qua vnius veri Dei cultus remanserat. Et paulò post: *Proinde sicut per aquarum diluuium vna domus Noë remanserat ad reparandum genus humanum; sic in diluuio multarum superstitionum per vniuersum mundum, vna remanserat domus Thara, in qua custodita est plantatio ciuitatis Dei.* In quo autem custodita est, si ne in ipso quidem Abrahamo custodita est: Aut quis magis idoneus custos eo tempore proferri potest? Et aliquantò post conicit Nachorem non exisse de Chaldæa cum fratre & parente, *quia fortasse à paterna, & fraterna pietate desciuerat, & superstitioni adhæserat Chaldæorum; & posteà inde siue pœnitendo, siue persecutionem passum, quòd suspectus haberetur, & ipsum inde emigrasse.* Ergo ex mente D. Augustini Thare & Abraham, antequam exirent de Chaldæa, veræ pietati constanter adhæserunt, Nachore titubante. Idem sine dubio sensit Chrysostomus, & Iosephus, qui cætera quidem Philonis vestigiis insistit: verùm de Chaldæorum delirio, nihil minus. quòd plurimum valet ad ostendendam Iosephi hac de re sententiā, vt nō sit necesse expectare, dum ille dicat Abrahamum nunquam idola coluisse. *Vir erat*, inquit, *sapiens ex æquo & eloquens, & in coniectando sagax. Cúmque ob virtutem eximiam sapiens esset præ cunctis habitus, ausus est vulgo receptam de Deo persuasionem conuellere, & in melius conuertere;* nescio sanè an satis fidenter ausus esset conuellere, quæ ibidem ipse diu coluisset. Pergit autem. *Ergo primus omnium clara voce prædicauit vnum esse Deum rerum vniuersitatis conditorem. De cætero, si quid ad fœlicitatem conferat, non nostris nobis viribus, sed illius voluntate contingere.*

quæst. 6. l. 16. n. 231. & seqq. c. 11. v. 31.

l. 16. de ciu. c. 12. & 13.

cap. 13.

hom. 36. in Gen.

IV. *Nec Dei cultum ex stellis didicisse.* Quòd autem subdit, vereor vt mereatur assensum. *Hoc verò*, inquit, *ex terra ac maris obseruatione colligebat, tum eorum, quæ circa Solem ac Lunam, & reliqua sydera videbat accidere: Esse nimirum potentiam quandam, quæ horum curam gerat, & omnia decenter administret*, &c. Eodem modo l. 1. recognit. Clementis. *Ab initio*, inquit, *cæteris omnibus errantibus, ipse cùm arte esset astrologus, ex ratione & ordine stellarum agnoscere potuit conditorem, eiúsque prouidentia intellexit cuncta gubernari.* Hæc ibi, quibus subduntur aliqua apocryphorum simillima. Hæc autem in eam sententiam intelligenda crediderim, vt ille incredulos ad veri Dei cognitionem traducere, ex ordine & gubernatione mundi voluerit, iuxta ea quæ disputat Apostolus ad Romanos. Non autem quasi sepultam dudum cognitionem, & cultum Dei, ex astrorū contemplatione edoctus ipse restaurarit. c. 1. 19. 20.

V. *Sed à patribus accepisse.* NAM vt paulò antè dicebamus, Augustinus rectissimè existimauit pietatem ac plantationem ciuitatis Dei in domo Tharæ custoditam fuisse. Et planè temerarium videatur viros clarissimos, ipsáque eorum temporum lumina, sine vllo non dicam certo ac necessario, sed ne probabili quidem argumento idololatriæ condemnare. Semum, inquam, qui duodequinquaginta supra quadringentos annos cum Noë patre ac Patriarcha sanctissimo vixerat, & etiam tū erat in viuis; Iaphetū eius fratrem, antiquitate ac pietate in Deum, & parentem supparem, vtrumque paterna benedictione sanctificatum: Arphaxad, Cainam, Heberem, atque ipsum Thare aliósque, qui & viuebant adhuc, & centenos ac ducentenos ipsos annos cum Noë, Semo, ac Iapheto ante separationem vixerant, & diuina iudicia ac maiestatem, in illa terrarum eluuione, didicerant, ac diuinitus immissam linguarum confusionem experti ipsi fuerant. Num caruit domesticis omnibus præceptoribus Abraham, vt Dei cognitionem à stellis emendicaret? aut illi Patriarchæ tam graui omnes veterno oppressi erant, vt nulla diuinæ cognitionis, quæ solet esse antiquissima, scintilla in eorum animis emicaret? aut ipsemet, qui præ cæteris sortitus erat animam bonam, & præclarissimatum virtutum semina, Dei cultum ac pietatem neglexisse censendus est? Denique in re dubia, & incerta, multò laudabilius est, pro magnis viris, quàm contra eos testimonium, aut sententiam dicere.

VI. *Iosue non accusat Abrahamū idololatriæ.* NEQVE verò Iosue contra nos facit, qui Abrahamum, sicut & Nachorē & Thare deorum alienorū cultorib. videtur annumerasse. Nam neq; verba Iosue, neq; mēs

illuc spectat. In parentibus enim Iudæorum, qui seruierant diis alienis plures fuisse significantur, quorum vnus Thare exempli causa profertur, qui ex progenie sua notiore describitur, pater Abrahami & Nachoris fratris eius, nec isti sui causa, sed obiter propter parentem nominantur; ideóque non in recto, sed in obliquo. Sicut ille Simon pater Alexandri & Rufi, quos ridiculum esset dicere, etiam ipsos tulisse crucem post Iesum. Nec inusitatum est Latinis scriptoribus, vni nomini, in quo plura intelligantur, pluralem addere numerum,

Vos ô Calliope precor aspirate canenti,

ait, Poëta; fatemur ergo aliquos Iudæorum parentes Semi posteros, putà Sarug, & Thare, & eorum fratres, & si aliquos alios, (nam Sarug & Thare eo nomine malè audierunt apud Epiphanium, Philonem, & alios [2]) habitasse trans flumen, ibique seruisse diis alienis. De Abrahamo verò & Nachore neutrum asseritur à Iosuë, vel negatur; cùm tantùm obiter nominentur, ad declarandum quis esset Thare, qui exempli causa proferebatur. Non ergo rectè ait, Genebr. aut Torniellus eum secutus, Abrahamum ibi inter idololatras numerari.

init. Panar. 2. ✗.

N E C alterum argumentum vim magnam habet; nam si ex verbis Apostoli eliciunt Abrahamum fuisse impium, elicient etiam ex sequentibus eum fuisse mortuum, & planè nihil fuisse. Nam sequitur, *Ante Deum cui credidit, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ non sunt.* Deinde satis patet quàm inepta sit consecutio: Abraham credidit ei, qui iustificat impios, ergo fuit impius. Sic enim probabitur eum fuisse angelum; credidit enim in eum, qui glorificat angelos. Denique impius non solùm idololatram significat, sed quemuis etiam peccatorem, & opponitur iusto, & innocenti [3]. Sed frustra etiam verentur religiosi homines, ne parum gratuita sit Abrahæ vocatio, nisi ille in voraginem idololatriæ, & eorum flagitiorum, quæ ab illa inuehuntur, prolapsus fuerit, & ab ea diuina miseratione traductus: quasi non maior sit diuina in eum gratia, quod, in medio nationis prauæ, conseruatus sit à Deo, integer vitæ, scelerisque purus. Eadémque mihi videntur isti peccare cum illis, qui verentur fateri beatissimæ virginis immaculatam conceptionem, ne fortè illa particeps non sit redemptionis Christi Domini. VII. *Neque D. Paulus.*

3. ✗.

SCHOLIA IN ANNVM ABRAHAE 14.

N. I. 1. IN Græco enim ita legitur, Τοῦτό μοι καὶ Φίλων ὁ Ἑβραῖος φιλόσοφος, ἐν τῷ τοῦ πολιτικοῦ βίου συμμαρτυρήσεται (Φίλων περὶ οὗ ἐρρέθη, ἢ Φίλων πλατωνίζει, ἢ Πλάτων φιλωνίζει) ὅτι ἤρξατο ἡ εἰδωλολατρεία ἀπὸ Σερούχ, ἕως τῶν χρόνων Θάρα τοῦ πατρὸς Ἀβραάμ. ὃς Ἀβραὰμ ὑπάρχων ἐκεῖ ἐστ. καὶ θεογνωσίας ἀξιωθεὶς, ἐνουθέτει τὸν πατέρα αὐτοῦ λέγων· τί πλανᾷς τοὺς ἀνθρώπους διὰ κέρδος ἐπιζήμιον, οὐκ ἔστι τὰ εἴδωλα; οὐκ ἔστιν ἄλλος θεὸς, εἰ μὴ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ὁ καὶ πάντα τὸν κόσμον δημιουργήσας. Non intellexit interpres sectarius, iconoclastarum ramulus, quantum distet imago ab idolo, & cultus illius ab altero; cùm idolum rem falsam repræsentet, imago veram; & idololatria diuinitatem tribuat simulachro, aut alteri cuipiam rei creatæ, cùm fides Catholica imagines honoret ad prototypum relatas, pro cuius dignitate etiam istas veneretur. Cæterùm in Philonis politico, qui & Ioseph inscribitur, nullum planè verbum de Saruch, Thare, aut Abrahamo reperitur.

De Sarug nihilominùs id detrectat credere Genebr. in Chron. quod eius tempore adhuc Noë & Sem viuerent, quorum reuerentia retentus sit. N. VI. 2.

Multa exempla Scriptura suggerit. Genes. 48. 21. & 25. Exodi 23. 1. Psal. 1. ter quatérue. Psal. 50. 15. Ezech. cap. 3. 18. & seqq. & alibi passim. N. VII. 3.

anni Thare sexaginta. ex quo etiam fit necessariò, vt anni mundi huic anno dilu-
uij respondentes, nonaginta annis apud eosdem repetiantur imminuti[4]. Sed in 4. x.
primis perturbata est Iosephi Chronologia, ipsiúsne culpa, an alterius, an vtriúsq;
non facilè dixerim: peccatum certè fuisse non leuiter res ipsa clamat; anni enim
singulorum Patriarcharum à diluuio numerantur cum Græcis, & nihilominùs to-
ta summa colligitur cum Hebræis, qui tamen differunt plus sexcentis annis. Et
Gelenius vertendo correctorem potiùs egit, quàm interpretem, quæ seorsim, ne
lectori molesti simus, perspicuè demonstrabimus[5]. Et de ratione temporis ha- 5. x.
ctenus.

XVI. *Nomen Abræ, eiúsque notatio.* NOMINATVS est autem Abram, id est vt interpretatur Hieronym. Varabl.
& alij, Pater excelsus, omine fausto ac vero, vt qui inter omnes Patriarchas maxi-
mus erat futurus; & notatio nominis apertissima est, miniméque ambigua: vtrá-
que enim pars compositi vocabuli remansit integra, אב id est pater, רם excelsus. D.
tamen Chrysost. existimauit Abram significare transitorem, quia Genes. 14. dici- hom. 35. in Gen.
tur aliquis nunciasse Abram Hebræo captum Lot. vbi Septuag. legunt ἀπήγγειλε
τῷ Ἀβραμ, τῷ περάτῃ, *nunciauit Abram transitori.* Vbi Chrysost. *Hoc dicit vt nos memo-
res faciat quomodo ex Chaldæa exierit, nam quia trans Euphratem domicilium habuerat, dictus
est, transfluuialis vel transitor. Et antea etiam ab initio parentes ei hoc nomen indiderant, iam
ante significantes eum inde migraturum. vocatus enim est Abram, quia migraturus erat trans
Euphratem, & in Palæstinam venturus.* Verùm in Hebræo habetur, sicut & in vulgata
Hieronymi. *Abram Hebræo.* Causam errati reddit Acacius in Catena; *Positum est,* in-
quit, *gentile nomen ductum ab Atauo ipsius Abram, id est Heber, sed interpretatione redditum,
nimirum pro Abram Hebræo, Abram transitori. Hebræus enim interpretatione redditur
transitor*[6]. 6. x.

XVII. *Genus item,* EX his autem simul intelligitur cuias fuerit Abram. Fuit enim natione Chal-
dæus; patria, natiuitate atque habitatione Vræus. Nam venientibus ex Palæsti-
na, & flumen siue Euphratem transgressis, occurrit Chaldæa siue Mesopotamia.
D. enim Stephanus Mesopotamiam, & terram Chaldæorum pro vna eadémque Act. 7. 2.
regione vsurpat. Nam ait, *Deum apparuisse Abrahæ, cùm esset in Mesopotamia, priusquam
moraretur in Charan, indéque iussisse abire, illis verbis, Exi de terra tua.* Et mox, *Tunc exiit
de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan.* Ergo Mesopotamia, & terra Abrahæ, & c. 5. v. 7.
terra Chaldæorum synonyma sunt, vt etiam vsurpantur in libro Iudith. Ptole- l. 5. c. 20. &
mæus tamen Chaldæam à Mesopotamia separat, & partem Babyloniæ facit, ad- ta. 4. Asiæ
eo vt venientibus à terra Chanaan in Chaldæam, non sit necesse Euphratem
transire. Cui consentit Plinius. l. 6. c. 28.

An dicendum latiùs in Scriptura sumi Chaldæam, vt eo nomine & Babylonia,
& Mesopotamia comprehendatur; à cæteris autem scriptoribus pressiùs? An Chal-
dæus dicitur Abram, quia Mesopotamus, aut Interamnensis commodè non vsur-
patur? An denique quia Mesopotamia eo tempore Chaldæo regi parebat, qui 48. 24. 20.
idem Babyloniorum, & Assyriorum rex erat? vt in Esaia, Ieremia, Ezechiele, aliís- 21. 4. 9.
que Prophetis legitur. 13. 23

XVIII. *Et patria Vr Chaldæorum.* QVOD ad patriam attinet, haud dubium quin oriundus fuerit Abram ex Vr,
siue Vra Chaldæorum vrbe, sicut & Aran frater eius, quem Moses testatur mor-
tuum in Vr Chaldæorum, terra natiuitatis suæ. Quod confirmat Iosephus. *In eá-* l. 1. ant. c. 6.
que vrbe, ait, *ad suam vsque ætatem ostendi sepulchrum Arani.* Et passim Abram inde edu- Gen. 11. 31.
ctus dicitur. Nam quod apud Nehemiam legitur eductus *de igne Chaldæorum*: in 15. 7.
Hebræo habetur *Vr Chaldæorum.* Septuaginta ad vitandam ἀμφιβολίαν ignis & vr- 2. Esdr. 9. 7.
bis, quæ in Hebræo reperitur, pro Vr χώραν, id est regionem, verterunt. In qua
ἀμφιβολίᾳ Hebræi fabulam coniecti in ignem Abrahami à Chaldæis fabricati
sunt, de qua vide Hieronymum in quæst. Hebraicis in Genesim. Porrò apud Ne-
hemiam Vr ignem vertit interpres, sicut Septuaginta περάτην pro Hebræo po- n. 16.
suerunt, vt paulò antè diximus. Ibi autem multo etiam tempore habitasse, tam
ante, quàm post coniugium suum cum Sara, illud certo argumento est, quod in- Gen. 11. 30.
de eum eduxit Thara cum nuru sua Sara, quæ iam agnoscebatur sterilis.

XIX. *Alia eius nomina.* VRBEM Vram appellat Iosephus, & fortè eadem est cum Vra, quam Plinius l. 1. ant. c. 6.
ad Euphratem locat; quem inde conuerti ait ad Orientem. Vrie etiam appella- l. 5. c. 24.
tur, & Camerine ab Eupolemone, referente Eusebio. *Decima verò generatione,* l. 9. c. 4. de præpar.

inquit, *in Camerine Babylonia vrbe, quam alij Vrien dicunt, quod nomen interpretatum Chal-*
in c. 11. Gen. *dæopolim ſignificat, natus eſt Abraham, qui nobilitate & ſapientia omnibus excelluit*, &c. Eam vrbem eſſe Orchoëm Ptolemæi nonnulli exiſtimarunt. Vide Theſaurum geograph. Ortelij & Cornel. à Lapide. Cæterùm ab hoc anno primo Abrahæ, qui cum 43. Nini Aſſyriorum regis, & 22. Europis Sicyoniorum concurrit, & mundi 39. ſuprà bis milleſimum, cæteriſque notis quas in anni huius indice præfiximus, deinceps progrediemur, Euſebium in Chronico viæ ducem, quoad licebit habituri. Cuius hæc verba ad hoc tempus pertinent. *Regnante Nino apud Aſſyrios nouiſſimo eius tempore naſcitur Abraham*, quæ paulò aliter in Græco habentur, & apud Africanum, ſed eadem ſententia. Vide Theſaurum temporum apud Euſebium
p. 73. & 377 Sealig.

SCHOLIA IN ANNVM PRIMVM ABRAHAE.

N. V. 1. ITA ſentit Perer. l. 16. n. 103. ex Abulenſi in 11. Geneſeos, q. 29. Idem Lorinus in c. 7. Act. Apoſt. Magallia in c. 24. Ioſué, Sect. 1. in expoſitione text. n. 24. Emanuel Sà in cap. 12 Geneſ. Gordon. cap. 5. Chron n. 8. Cornelius à Lapide in c. 12. verſu 4. Del Rio tamen, licet velit anno 70 patris natum eſſe Abrahamum, duos tamen eius diſceſſus ex Charam, alterum ante mortem patris, alterum poſt eius mortem commentitium merito exiſtimat, in c. 12 Gen. v. 1.

N. X. 2. Imò indicat figuratam locutionem hoc ipſo quod ponit tres eodem anno genitos, Gen. 11. 26. quod conſtat de omnibus verum eſſe non poſſe, præſertim cùm fateantur Aran patrem Saræ ſaltem 10. annis fuiſſe grandiorem natu Abrahamo, eúmque minimum natu, neque ex eo loco habent aduerſarij Abrahamum natum eſſe anno ſeptuageſimo Patris, magis quàm Nachorem, aut Aramum, quos ipſimet fatentur natu maiores fuiſſe Abrahamo.

N. XIV. 3. Seponimus ſectarios eiuſdem ſententiæ aſſertores, in quibus Beroald. lib. 3. cap. 2. ſuæ Chron. Temporar. l. 1. Tremellius in cap. 11. Geneſ. verſ. 26 & 33. Capellus in annum primum Abrahæ, vbi & aliquot alios citat, quibus adde Vignerium & Brougtonum, illum Gallicè, hunc Anglicè ſcribentem. Caluinum item in Catena Marlorati c. 11. v. 26. Laurentium Codomanum in ſuis annal.

N. XV. 4. In Euſebio quem edidit Scaliger. Sic habetur initio Chronici. Apud Hebræos vſque ad natiuitatem Abrahæ computantur anni 1950. vſque ad diluuium enim ab Adam habent annos 1656. & inde vſque ad Abraham 293. Et iden 40. Iubilæi à natiuitate Abraham computantur, vnus enim Iobelæus 40. anni ſunt. Hæc ibi, quæ Pontacus in ſua editione deleuit, tanquam audacter & putide interpoſita. Sed ea genuina eſſe fatetur Scaliger, & in Græcis quæ ille edidit leguntur hoc modo. Κατὰ τὸ παρ' Ἰουδαίοις Ἑβραϊκὸν, ἀπὸ Ἀδὰμ ἐπὶ τὸν κατακλυσμὸν ἔτη ͵αχνϛ. Ἀπὸ δὲ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐπὶ τὸ α' ἔτος Ἀβραὰμ ἔτη σϙβ. τὰ πάντα ἔτη ͵αϡμη. Ἀρχὴ τῶν μα' ἰωβηλαίων παρ' Ἑβραίοις. Ἰώβηλ δὲ παρ' αὐτοῖς ὁ πεντηκονταετής. id eſt, *Iuxta Chronicon Iudæorum Hebraicum, ab Adam vſque ad diluuium, anni 1656. à diluuio autem vſque ad primum annum Abrahæ 292. omnes anni 1948. Principium 41. Iubilæi apud Hebræos. Iobel autem apud ipſos 50. anni ſunt.* Sic ipſe. At quadragies 50. bis mille efficiunt non 1948 aut 1950. qui in 39. dumtaxat iubilæa reſoluuntur. At ſecundum noſtram ſupputationem, quam ſperamus aliquando fore communem, Iubilæus 41. iam in curſu eſt à primo anno poſt bis milleſimum, & poſt vndecimum annum complebitur. Eum autem 50. annis conſtare, non 49. vt vult Scaliger, alio loco docebimus.

Gelenius ex editione vulgata Ioſephum correxit, vt patet omnibus, qui Latina cum N. XVI. 5.
Græcis contulerint, quæ noua editio Græco-Latina intacta reliquit. Ioſephum ergo ex fide ſic vertas. *Et hæc quidem eſt hiſtoria de Semi filiis, nunc de Hebræis verba faciemus. Ex Phalego enim Heberi filio prognatus eſt Ragaus: ex hoc Serugus, ex quo Nachores eſt genitus, & ex hoc Tharrus. Hic Abrahame fuit pater, qui decimus eſt à Noë, natúſque eſt ſecundo anno & nonageſimo ſuprà ducenteſimum à diluuio. Siquidem Tharrus ſeptuageſimo anno genuit Abrahamum; Nachores verò Tharrum genuit, vigeſimum ipſe & centeſimum iam natus annum. De Sarugo verò Nachores natus eſt, circa annum trigeſimum ſecundum ſuprà centeſimum. Ragaus verò Sarugum genuit annos natus triginta ſuprà centum. Totidem verò annorum Phalegus genuit Ragaum. Heberus verò quarto & trigeſimo ſuprà centeſimum genuit Phalegum, prognatus ipſe à Sela nato annos centum & triginta: quem Arphaxades genuit circa quintum & trigeſimum annum ſuprà centeſimum. Semi verò filius Arphaxades natus erat poſt annum duodecimum à diluuio:* Hac ibi. Conſentanee, vt videtur prima fronte, Septuaginta interpretibus, ab iis tamen diſtat in tota ſumma annis 179. vt mox in ſubiectis tabellis videbis. Deinde diſtat quia omittit Cainan, quem illi poſuerunt. Tertiò, quia tollit Nachori quinquaginta nouem annos. Quartò, quia tranſponit annos Sarug & Ragau. Quintò, quia decem annis tardiorem facit ortum Arphaxad, quàm aut Græci, aut Hebræi. Poſtremò quia cùm propoſitiones Græcas ponat, concluſionem ex iis Hebraicam trahit, longiſſimè à præmiſſis diſcrepantem, totis videlicet ſeptingentis annis. Vide rem ipſam oculis ſubiectam.

Iosephi Chronologia.		Septuaginta Chronol.		Hebraica & Latina Chronol.	
Thare anni	70	Tharæ	70	Thare anni	70
Nachoris	120	nachoris	179	Nachoris	29
Sarug	132	Sarug	130	Sarug	30
Ragaus	130	Ragaus	132	Ragaus	32
Phaleg	130	Phaleg	130	Phaleg	30
Heberis	134	Heberis	134	Heberis	34
Sela	130	Sela	130	Sela	30
Arphaxad	135	Cainan	130	Arphaxad	35
Semi	22	Arphaxad	135	Semi	2
	993	Semi	2		292
			1172		

Septuaginta numerant à diluuio annos 1172 vsq; ad ortũ Abrahæ. Iosephus autẽ ponit 993

Abest igitur ab illorũ sũma annis omnino 179

Aliam notationem dat Philo lib. de Somniis. *Quamobrem opinor*, inquit, *& auus eius* (de Iacobo loquitur) *à scientia denominatus Abrahamnon diu in Charris durare potuit.* καθ' ὃ μοι δοκεῖ ὁ πάππος αὐτοῦ τῆς ἐπιστήμης Ἀβραὰμ ὄνομα, μὴ πολὺν χρόνον ἐναυλίσασθαι τῇ Χαῤῥὰν ἐνδιατρίψαι. Sed Philo allegorias potiùs, quàm historicam veritatem sequitur. minimè tamen iis adhæret qui putant Abrahamum sexaginta annis in Charris hæsisse, ad mortem vsque patris. n. xvi. 6.

ANNVS MVNDI 2044. DILVVII 388. 3. ÆTAT. 6.

SEMI 486. ARPHAXAD 386. CAINAN 351. SALE 321. HEBERIS 291. REHV 227. SARVG 195. THARÆ 136. ABRAHÆ 6. NINI 48.

IMPERII ASSYRIORVM 113.

ANTE CHRISTVM 2009.

I. *Tẽpus belli contra Bactrianos.*

Circa Nini annum quadragesimum octauum ponitur ab Eusebio in Chronico Nini bellum contra Zoroastrem, his verbis. *Zoroastres magus Rex Bactrianorum clarus habetur, aduersus quem Ninus dimicat.* Quæ postrema verba in Chronico Græco non leguntur; ideóque videntur à D. Hieronymo interprete adiecta, sicut & alia pleràque. Quin etiam in eodem Græco hæc nota, cùm aliquot aliis confertim in primum annum Abrahæ confertur: vt intelligamus non constare, quo potissimum anno confectum sit hoc bellum. Ex Diodoro tamen Siculo apparet, vt antè diximus, postremum hoc Nini bellum fuisse, cui consentiens Iustinus, l. 2. l. 1. initio.

II. *Zoroastris magia.*

Postremvm *illi bellum*, inquit, *cum Zoroastre rege Bactrianorum fuit, qui primus dicitur artes magicas inuenisse, & mundi principia, syderúmque motus diligentissimè spectasse.* Diodorus eum non Zoroastrem, sed Oxyartem appellat. Plinius cùm de magicæ artis, aut imposturæ potiùs, origine, ac potentia verba facit. *In tantùm*, inquit, *fastigij adoleuit, vt hodiéque etiam in magna parte gentium præualeat, & in Oriente Regum Regibus imperet.* l. 30. c. 1.

III. *A Persa in Perside inuenta.*

Allvdit ad Persarum reges, qui huiusmodi titulo gloriabantur, vnde subdit, *Sine dubio illic orta in Perside à Zoroastre, vt inter authores conuenit.* In his certè authoribus præter Eusebium, & Arnobium, quem mox referemus, est etiam Clemens Alexandrinus, qui ex Pythagora refert Zoroastrem magum Persam fuisse. Epiphan. sub initia Panarij, ab hoc ait inuentas esse malas artes, ac nominatim Astrologiam, puta quæ iudiciaria dicitur, & Magiam, ad quam illa sternit iter, sicut hæc ad idololatriam. in Chron. & l. 10. de præp. c. 3.

IV. *Hic idem pugnauit contra Ninum.*

Hvnc autem ipsum, contra quem bellum à Nino gestum est, eundem ipsum Zoroastrem magum fuisse ostendit Epiph. lo. cit. *Zoroastrem*, inquit, *Græci hunc fuisse memorant, qui Orientis interiora penetrans Bactra, Bactrorum oppidum erexit, indéque omnia, quæ in orbem inuecta sunt, scelera propagata dicuntur.* Sic ipse. Idémque ex genere pugnæ intelligitur. Nam Arnobius inter Ninũ & Zoroastrem, etiam magicis præstigiis pugnatum esse tradit. *Vt inter Assyrios*, inquit, *& Bactrianos, Nino quondam Zoroastréque ductoribus non tantùm ferro dimicaretur & viribus, verùm etiam magicis, & Chaldæorum ex reconditis disciplinis inuidia hæc nostra fuit*[1]? l. 1. sub med. l. 2.

V. *Antiquitas eius cõmentitia.*

Intelligitvr quoque ex eius, licet commentitia, & nimis exaggerata antiquitate. Eudoxus enim apud Plinium Zoroastrem hunc sex millibus annorum ante Platonis mortem fuisse prodidit, quæ cadit in annum primum Olympiadis 108. Quod tradidit etiam Aristoteles in Magico, quem librum Xanctus l. 30. c. 1.

Lydius apud Laërtium eitat. Sed pergit, *Hermippus qui de tota ea arte diligentissimè scripsit, & vicies centum millia versuum à Zoroastre condita, indicibus quoque voluminum eius positis explanauit, praeceptorem, à quo institutum diceret tradidit Azanacem. ipsum verò quinque millibus annorum ante Troianum bellum fuisse.* Hæc Plinius; qui mox ibidem ait Mosem, quem etiam magiæ arehitectis aggregat, vna eum Iamne & Iotape Iudæis, multis millibus annotum fuisse post Zoroastrem. Rectiùs dixisset, aliquot annorum eenturiis. Nam à natiuitate Abrahami, vsque ad ortum Mosis non plures 425. annis reperiuntur. Sieut ab illius voeatione, vsque ad huius exitum ex Ægypto 430.

p. 89. DE eius morte cuius tempus exactè non traditur, hæc habet ehronieon Alexādrinum. *Zoroastres ille nobilis Persarum astronomus, moriturien precatus est vti fulmine ictus interiret. Persisque denunciauit, vbi me, inquit, cælestis ignis consumpserit, crematorum ossium meorum cineres tollite, & seruate; nec regnum à vobis, & hac regione tolletur, quandiu ossa mea custodietis. Inuocato ergo Orione, à cælesti flamma depastus interiit. Persæ quod ille imperarat executi reliquias cinerum illius hodiéque custodiūt.* Addo & Gregorium Turonens. qui purat hunc Zoroastrem fuisse Chus, Chami primogenitum, eundémque primum totius artis magicæ & idololatriæ inuentorem, & ad Persas transiisse, ab iisque Zoroastrem, id est viuentem stellam appellatum esse. Ignem & stellas de eœlo deuocasse, & ignem adorare docuisse; denique immisso diuinitus igne fuisse eonsumptum, diuinos nihilominus honores illie adeptum esse. Hæc ipse [2]. VI. *Et interitus.*

lib. 1. hist. Franc. c. 5.

2. ℞.

CÆTERVM quod Zoroastrem putat fuisse Chus, neque huius ætati satis eonsentaneum est, quæ ægrè ad extrema Nini tempora peruenire potuit, neque personæ, nam Chus fuit auus Nini, nec inter eos bellum fuisse à quoquam proditū est. Neque regioni: nam Chus Æthiopum parentem omnes faeiunt cum Iosepho, & Scriptura passim terram Chus vocat Æthiopiam, interprete D. Hieronymo. Epiphanius refert Græcos existimasse Zoroastrem fuisse Nemrod, idémque putauit Galatinus in arcanis. at rei veritas habet, vt ille ait, eodem vixisse tempore; non autem eosdem esse. Et meritò, nam si Zoroastres fuit Nemrod, qui & Belus, fuisset pater Nini; oportuisset ergo Ninum pugnasse eontra patrem suum Belum, defunctum ante annos 48. [3] VII. *Non fuit Chus, neque Nemrod.*

sub init Panar. l. 4. c. 20.

Noe. Cham. Chus. Nēbrod qui & Belus. Ninus.

QVOD ad bellum ipsum attinet, Diodorus Sieulus pluribus seribit Ninum absoluta Niniue expeditionem in Bactrianos redintegrasse, coëgisséque vndique exercitum (vt Ctesiam seripsisse refert) 170. myriadum, id est, deeies & septies centenum millium peditum; equitum verò ducentorum & decem millium. Decem item millium, & sexcentorum curruum faleatorum. Qui numerus etsi patum probabilis sit, multò tamen fit probabilior in nostra sententia, quàm eorum qui 292. annos tantùm numerant, à diluuio vsque ad Abraham natiuitatem. Accedit ad probabilitem, quòd Asia alioqui omnibus seculis hominum maximè ferax, diutiùs etiam à diluuio habitata fuerit, & facta diuisione terrarum, maxima pars hominum ibi substiterit: non ita multis in Africam, & Europam transgressis. Non multò autem pauciores fuisse Bactrianorum copias, ex eo probabile redditur, quòd ancipiti Marte aliquandiu pugnatum sit, vt ex eodem Diodoro habetur. VIII. *Bactrianices belli copia.*

lib. 2.

3. ℞.

NINVS ergo cum maximis copiis in Bactrianam transgressus, post aduersum prælium, & ingentem suorum eladem, tandem victor euadens, ad ipsam vrbem regiam totius belli molem conuertit; cúmque obsidio longiùs extraheretur, vir Semiramidis, qui in castris regiis militabat, vxorem suam euocauit; euius industria cùm arx Bactrianorum eapta esset, Rex mulieris virtutem, eum eximia pulehritudine iunctam, demiratus, eam vxorem habere voluit, quam cùm à viro suo Menone non impetraret, etiam Sosana filia illi in matrimonij permutationem oblata, adhibuit minas, oculos se homini, nisi pareat euulsurum. At is regiæ interminationis metu, & amoris impotentia in furorem actus, laqueo se suspendit. Ita Semiramis Assyriorum regina facta est. At Ninus thesauris auri & argenti in Bactriana potitus, rebúsque ibi constitutis, exereitum Ninum reduxit. Hæc pluribus Diodorus, & Ctesias. At ehronieon Alexandrinum tradit Semiramidem fuisse matrem Nini, & Rheam appellatam, eámque IX. *Prælia, & obsidio Bactrorum.* *Semiramis Assyriorū fit regina.*

nihilominus vxorem duxisse; indéque Persis natam legem parentes & sorores in consortium thori asciscendi: ideóque Iouem, siue Picum sororem Iunonem vxorem duxisse; quòd Virgilius quoque cum cæteris Poëtis carmine celebrauit. p. 87 edit. Græco lat.

SCHOLIA IN ANNVM ABRAHAE 6.

N. IV. 1. RETVLIT Asoobij locum Scaliger, qui nihilominus immeritò dubitat, idémne sit Magus hic cum Rege Bactrianorum, cùm multos habeat contra se testes, pro se neminem. Nam quod ait Plinium hac de re meritò dubitare, immeritò facit. Plinius enim tantùm dicit non satis constare an vnus hic fuerit Zoroastres, an posteà etiam alius. Nō autem dubitat, an primus ille Magus, fuerit etiam Rex Bactrianorum. Alium autem iuniorem Zoroastrem Proconnesium memorat ibidem Plinius. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. meminit cuiusdam Zoroastris Medi, cui Gentianus Heruetus competere ait illud Plinij lib. 7. cap. 16. *Risisse eodem die, quo genitus esset vnum hominem accepimus Zoroastrem. Eidem cerebrum ita palpitasse, vt impositam repelleret manum, futura præsagio scientiæ.* Sic ipse. Tertium etiam refert Zoroastrem, idem Clemens lib. 5. Strom. Heri Armenij filium, genere Pamphylium, qui in rogum impositus duodecimo, post mortem die dicatur reuixisse, referente Platone in 10. de Republica. Sed hæc Plato de Hero ipso Armenio recitat, non de Zoroastre. At quid faciemus D. Chrysostomo, qui in libro de S. Babyla, & contra Gentiles sub initium hæc habet *Quamnam ob causam Zoroastrem illum itémque Zamolxim* (quem celebrat Herodotus lib. 4. Græco-lat. p. 289.) *ne de nomine quidem multi, imò verò nulli, nisi admodum pauci, norunt? Nónne quoniam figmenta erant, quæ de illis circumferuntur omnia?*

Iustinus Zoroastrem occisum in bello significat, Diodorus, & cæteri quos vidi, tacēt. N. VI. 2.

Nisi successio Nini mortuo Belo obstaret, Græcorum fabulæ de bellis Iouis contra Saturnum patrem his fauerent. Nam Belus reperitur dictus Saturnus, & Ninus Iupiter. Sed in μύθοις Græcorum omnia nutant. N. VII. 3.

ANNVS MVNDI 2048. DILVVII 392. TERTIÆ ÆTATIS 10. SEMI 490. ARPHAXAD 390. CAINAN 355. SALÆ 325. HEBER 295. RAHV 231. SARVG 199. THARÆ 140. ABRAHÆ 10. NINI 52. AT VLT. IMPERII ASSYR. 117.

ANTE CHRISTVM 2005.

I. *Mors Nini.* ABSOLVITVR hoc anno, qui est decimus Abrahæ, Nini, secundi regis Assyriorum 52. & vltimus, vt placet Eusebio in Chronico, & Africano. De cuius morte hæc pauca Diodorus Siculus. *Suscepto ex Semiramide Ninya; successionem in regno vxori è vita decedens relinquit. Huic Semiramis in Regia sepulto, ingentem terra aggerem, altitudine nouem, & latitudine decem stadiorum, vt Ctesias author est, construxit. Cúmque vrbs illa iuxta Euphratem in planicie iaceat; moles illa instar cuiusdam arcis se per multa stadia inde conspiciendam offerebat. Et adhuc Nino diruta, & Assyriorum imperio per Medos soluto extare dicitur.* Hæc ibi. Sed pro Euphrate substituendus est Tygris, vt dictum est anno primo Nini, n. 3. cap. 2.

II. *Ortus Loti ex Aran.* ARAN frater Abrahæ primogenitus genuit hoc anno Lotum, vt Hebræis placet in Seder Olam. Vno enim anno præcessisse ortum Saræ asserunt. Licet in cæteris quæ ibidem ingerunt, minimè probandi, quantumuis probante Genebrardo. *Abraham*, inquiunt, *anno duntaxat superauit Nachorem, & Nachor altero fratrem suum Aran, qui post septennium ab ablactatione, accepit vxorem, anno certè vitæ octauo, hinc natus est Lot, sequenti demum anno Iescha, quæ & Sara.* Hæc ibi, quæ illi per quam imprudenter finxerunt, vt Abrahamo primogenituram assererent; & eius natiuitatem in anno patris 70. retinerent; quòd vtrumque refutatum est. Iam quod Genebrardus ait huiusmodi generationes præproperas non fuisse inusitatas apud Hebræos, suis locis Deo fauente refutabitur.

Interim recipiamus, quòd nihil habet incommodi, Lotum anno ante sororem suam Saram genitum fuisse; anno porrò patris sui non octauo, sed septuagesimo. Nam, vt suprà disseruimus, cùm Thare vnum de tribus filiis genuerit anno vitæ suæ septuagesimo, & Aran multorum consensu fuerit primogenitus, perspicua est consecutio.

en.71.Thare, n.4.& 5.

ANNVS MVNDI 2049. DILVVII 393. TERTIÆ ÆTATIS 11. SEMI 491. ARPHAXAD 391. CAINAN 356. SALÆ 316. HEBER 296. REHV 232. SARVG 200. THARÆ 141. ABRAHÆ 11. SEMIRAMIDIS 5. IMPERII ASSVR. 118.

ANTE CHRISTVM 2004.

HABET hic annus initium regni Semiramidis, quæ prima mulierum omnium regnasse perhibetur, & maximum Assyriorum imperium tertio loco gubernasse, atque adeò vehementer amplificasse. Habet & initium vitæ Saræ, vxoris maximi Patriarchæ: mulierum celeberrimam. Istam sacri omnes Scriptores prædicant, illam profani; istam virtutibus nobilem, illam flagitiis. Hæc primum annum cœpit, illa 21. vt ex eius morte intelligetur. Semiramidis primum hunc annum ponit Eusebius in Chronico secutus Africanum, cui & de numero annorum quadraginta duorum regni consentit. Saræ autem primum hunc annum Scriptura ponit, quæ facit Saram nonagenariam, cùm Abrahamus esset centenarius. Decem ergo iam annos Abrahamus expleuerat, cùm illa primum inchoauit.

I. *Initium regni Semiramidis, concurrit cum ortu Saræ.*

in Chron. Gen.17.17.

PORRÒ Semiramis, vt de eius initiis aliquid attingamus, non minùs mirabilem, quàm fabulosam originem habuit. Scribit Diodorus eam Palæstinam fuisse, patria Ascalonitam, filiam Deæ cuiusdam Syræ, nomine Derceto, siue Atargatis, quæ pudore admissi in ea concipienda facinoris, vix natam infantem in petricoso, ac deserto loco exposuerit, seipsam in lacum vicinum abiecerit, vbi facta sit Dea, altera ex parte piscis. Quo pertinet & Dagon Palæstinorum Deus, quem non solùm frumentum, sed etiam piscem interpretantur, ab vtriusque fœcunditate. At puella à columbis enutrita fertur, à quibus & nomen accepit Semiramidis, Syrorum lingua, vt idem ait, quæ illis auem, siue columbam significat: Donec à Pastoribus reperta, & ad nubilem vsque ætatem educta, & Menoni Syriæ præfecto in matrimonium data, etiam ad Nini nuptias, vt suprà diximus, peruenit. Aliter eam fabulam retulit Athenagoras. Vide Giraldum Syntagmate primo de Diis Gentium, & Ouidium Metamorph.

II. *Origo Semiramidis.*

lib.2. an.Nini 48 n.9. lib. 4.

DE regni autem initio Iustinus: *Occiso*, inquit, *Zoroastre, & ipse Ninus decessit, relicto impubere adhuc filio Nino, & vxore Semiramide. Hæc nec immaturo puero ausa tradere imperium, nec ipsa imperium palàm tractare tot ac tantis gentibus vix patienter vni viro, nedum fæminæ parituris, simulat se pro vxore Nini, filium, pro fæmina puerum. Nam & statura vtique mediocris, & vox pariter gracilis, & lineamentorum qualitas matri ac filio similis.* Hæc & plura, siue Trogus, siue Iustinus, non magna sanè probabilitate. Nam & Ninyas infantulus erat, natus postremis Nini patris annis, bello contra Zoroastrem iam penè confecto. Nec erat qui eius ætatem ignoraret, sicut nec patris eius matrimonium cum Semiramide. Quomodo ergo infantulus matri statura, voce, & cæteris similis erat, quæ iam bis nupserat, & ex priore marito duos minimùm liberos sustulerat, Hypaten, & Hydaspem autore Diodoro. qui de eius obitu agens, ait eam sexaginta duobus annis vixisse, quadraginta duobus regnasse, primum itaque ac vigesimum nunc

III. *An simulatione vsa.*

lib.1.init.

annum agebat. Accedit quod eodem teste, illa in eo bello eximium iam dederat peritiæ bellicæ documentum; vt maius apud exercitum proprio nomine, quàm commentitio, & propria persona, quàm aliena pondus authoritatis ad res gerendas esset habitura.

IV. *Alia de eadem narratio.*

CÆTERVM longè alia narrat Dinon apud Ælianum l. 7. de varia histor. c. 7. de aduentu Semiramidis in aulam, & occupato imperio. Regem videlicet Assyriorum fama de eius pulchritudine commotum eam ad se vocasse, quæ cùm sui amore flagrantem vidisset, petiisse ab eo regia insignia, & Asiæ imperium ad quinque dies. quibus impetratis, cùm omnia ex suo arbitrio pendere videret, mandasse satellitibus vt regem interficerent, atque sic imperium Assyriorum obtinuisse. Hæc ipse. quæ si vera sunt, valde mirum est à pluribus non fuisse memoriæ prodita, Herodoto præsertim, qui huiusmodi argutis historiis delectatur.

V. *An condiderit Babylonem.*

IN primis eius operibus numeratur Babylon, cui in Babylonia condendæ in primis adiecerat animum, authore Diodoro, nec ab eo discrepat Iustinus. Verùm vt ab vtroque dissentiamus Scriptura compellit, quæ Babylonem opus Nemrodi, siue Beli facit. Itaque rectiùs dixerimus eam inchoatæ, needum perfectæ vrbis muros magnificentissimè excitasse. Et verò Iustinus, & Diodorus de muro ferè tantùm agunt. Minùs probabilis est Suidas. *Prima*, inquit, *Niniuem mœnibus cinxit, mutatóque nomine Babylonem vocauit, & flumina muniit aggeribus*, &c. Verùm iam maritus eius Ninus cognominem sibi vrbem magnificis, vt diximus, circumdederat mœnibus; quo etiam Regni sedem transtulerat. nec erat cur in viri contumeliam, vrbis nomen commutaret, viri præsertim vsque adeò benè de se meriti.

VI. *Quæ murorum eius magnificentia.*

SEMIRAMIS ergo in Babylone, à mortuo Belo penè neglecta, muros magnificentiùs construere aggressa est, qui Nini, siue Niniues magnificentiæ responderent. *Muri tamen ambitus minor fuit. Nam trecenta sexaginta quinque stadia tantùm colligebat, vt anni dies numero exæquaret. Altitudo autem, vt probabilior habet opinio, quinquaginta cubitorum, vt Ctesiæ placet quinquaginta Orgyorum* (id est vlnarum interprete Plinio) *latitudo verò, aliquanto plus quàm duobus curribus satis esset, spatij obtineret. Turres etiam adiecit ducentas quinquaginta, nec plures; quoniam palustris locus, & natura sua munitus non requirebat plures. quarum altitudo, latitudóque amplitudini operum muri respondebat; omnia ex lateribus bitumine conglutinatis. Inter murum & domorum ædificia, via duûm plethorum*, id est ducentorum pedum, interprete Suida, *circumquaque relicta erat. Vt autem celeriùs opus consummaretur, cuilibet ex amicis stadium, cum impensis ad id necessariis attribuit; & anni spatio negotium peragere iussit.* Hæc Diodorus. Ex quibus suspicari possumus præparatam hoc anno materiam, & inchoatum opus, proximo autem absolutum.

VII. *Quis pater Saræ.*

IAM quòd ad Saram attinet, quoniam eam hoc anno natam constat, vt diximus, celebrem illam controuersiam, & multorum studiis varias in partes versatam de patre Saræ missam facere nec possumus, nec debemus. Plura dabit Abulensis q. 22. & 23. in c. 11. Perer. l. 16. in Gen. ex quo Torniel. plurima hoc anno. Breuiter de more tangunt Sà, Del Rio, Cornelius à Lapide, Caiet. Vatabl. tam in c. 11. quàm in 20. Et ex antiquis Iosephus, Hieronymus, Augustinus, & alij. Horum ergo nonnulli volunt Saram fuisse filiam Tharæ, & ab eo ex secunda vxore immediatè genitam; alij autem neptem, & filiam Aran filij eius.

(num. 8. — dispot. 14. in c. 11. & rursus in c. 20. v. 12.)

VIII. *Videri Tharæ.*

DICO ergo primo non carere probabilitate Saram fuisse filiam Tharæ sororem Abrahæ, sed alia ex matre genitam. Ea enim videtur aperta Scripturæ sententia. *Verè*, inquit Abraham, *soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ.* Et ita eum locum interpretatur D. Hieron. quasi corrigens priorem expositionem capitis vndecimi, vbi dixerat, Saram fuisse filiam Aran. Ita eundem locum intellexit Clem. Alexandr. lib. 2. Strom. & ibidem Gentianus interpres, existimans cũ Hieronymo, tunc eiusmodi nuptias fuisse licitas. Quam sententiam Caietanus animosè defendit. *Secundum proprietatem verborum*, inquit, *significatur quod Sara erat soror carnalis Abrahæ, non tamen vterina. Si dixisset duntaxat, soror mea est, irem in communem sensum, sed adiungendo filia patris mei ipsa, non tamen filia matris meæ, apertè significat quod filia est patris sui, non aui sui, non fratris sui.* Et infrà: *Sicut matris no-*

(Gen. 20. 12. — c. 12. sub fi. — in cap. 20. Gen.)

mine

mine vtitur propriè, ita & patris. Et demum: *Si his verbis non significatur soror carnalis Abrahæ, non vterina, quibus quæso verbis, significanda est?* Finge si potes. Caietanum sequitur Lipomanus in Catena; itaque sentiendum existimat, ne alioqui incidamus in difficultates inextricabiles; atque eum Caietano connubia cum sorore non vterina tum fuisse licita; cùm etiam in lege Mosaica, Thamar filia Dauidis dixerit Ammoni fratri suo non vterino, obtineri posse à patre connubium suum. Idem sentit Hieronymus ab Oleastro. In eandémque sententiam admodum propender Sotus non vno in loco. Et Tostatus in c. 11. Gen. eam iudicat & Scripturæ & rationi consentaneam.

(in c. 20. Gen. l. 2. de iust. & iure q. 3. a. 8. & in 4. f. d. 40. q. vn. a. 4. q. 22.)

VIII. *Aut potius Aran.*

Dico secundò vt communiorem, ita & probabiliorem videri sententiam, quæ ait Saram fuisse filiam Aran, neptem Abrahæ, sororem Lot. Id disertè asserit Iosephus. *Aranes*, inquit, *relicto filio Loto, & filiabus Sara, & Melcha in regione Chaldæorum est mortuus.* Et mox: *Neptes verò ex fratre duxerunt coniuges Melcham Nachor, Saram Abrahamus.* Et idipsum confirmat cap. sequenti. Eam sententiam Augustinus amplectitur. *Vxorem*, inquit, *suam dixit sororem suam, nihil mentitus, erat enim & hæc, quia propinqua erat sanguine. Sicut etiam Lot eadem propinquitate, cùm fratris eius esset filius, frater eius est dictus.* Idem etiam docuit l. 22. contra Faustum Manichæũ. Diuus Hieronymus anceps fuit in cap. 20. Genes. at in cap. 11. hanc sententiam indubitanter tradit. Additque Iescam eandem fuisse cum Sara, vt quæ fuerit διώνυμος. Idem & in libro contra Heluidium, vti mox referemus, confirmat. Eadem est Procopij, & Diui Chrysostomi sententia. Pro eadem pugnat Lyranus, & Tostatus, qui eam communem doctorum esse asserit. Pererius item locis citatis. Del Rio, Cornelius à Lapide, Emanuel Sà, Vatablus, Torniellus, Genebrardus in fine secundæ ætatis, & alij. cum Hebræis in Seder-Olam.

(l. 1 ant. c. 6. & 7. l. 16. de ciu. c. 12. & 19. c. 35. & 36. hom. 45. in c. 20. Gen. in c. 11. q. 22)

IX. *Explicatur, & recipitur hæc sententia.*

Explicatvr portò hæc sententia, ex vndecimo Genes. hoc modo. Cùm Aran genuisset filium vnum nomine Lot, & filias duas Melcham & Saram, præmaturè mortuus est in Vr Chaldæorum, parente adhuc superstite, in quem propterea, vt communem patrem, orbaræ familiæ cura incubuit; ergo puellas nubiles neptas suas filiarum loco habens, elocauit eas intra familiam suam, duobus filiis suis, Abrahamo & Nachori. In eo quoque paterna Thare prouidentia eluxit, quòd cum diuino iussu ex Vr Chaldæorum Abrahamo egrediendum esset, ipse Thare grandæuus non comes, sed dux, & princeps profectionis ponitur. *Tulit*, inquit, *Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum.* Nihil ergo mirum si Sara parentem agnosceret Thare, & parentem appellaret, qui pater esset patris sui; re quidem auus, communissima verò apud plurimas gentes nepotum appellatione, pater. qui patre demortuo veri patris erga se munere fungeretur; à quo nuptui tradita esset, qui denique socer esset, qui nurui instar patris est, & dicitur pater. Itaque D. Chrysost. ita loquentem facit Abrahamum. *Ne putetis*, inquit, *me etiam sic mentitum esse. Etenim soror mea est, ex patre, sed non ex matre. Data autem mihi est in vxorem. Quia eundem patrem vocat, quem & ego, ideò & sororem ipsam vocaui.* Non dicit quia eundem patrem habet, sed vocat.

(hom. 45. in Gen.)

X. *Et probatur.*

Confirmatvr, quia si Sara esset filia naturalis Tharæ, non eam vocaret nurum suam, sed filiam vocabulo amabiliore. Quòd autem non vocat filiam Aran sicut Lot, ratio est, quia maior ei dignitas accedit ex coniugio Abrahæ (sic enim facta est mater credentium, & totius populi Dei,) quàm ex filiatione Aran, hominis fortasse infidelis, nulla certè dignitate insignis. Confirmatur secundò, quia Augustino teste; *Abraham eo tempore viuebat in rebus humanis, quo tempore iam fratres ex vtroque aut altero, alteráve parente natos, nelli coniugio non licebat*; quòd scilicet ab initio necessitate cogente licitum fuerat, alioqui iure naturæ improbatum. Quis autem credat Patriarcham sanctissimum iura naturæ violasse? Sed audi rursus eundem S. Doctorem. *Cùm non essent vlli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas coniuges acceperunt, quòd profectò quanto est antiquius compellente necessitate, tant[illegible]oltea factum est damnabilius religione prohibente.* Accedit Hieronymus contra Heluidium, vbi hunc ipsum locum interpretatus ait, *Quomodo & Abraham ipse Tharam, sororem suam habuit vxorem. Etenim ait, verè soror mea est de pa-*

(l. 22. contra Faust. c. 33. — *Coniugium cum sorore illicitum.* — l. 15. de ciu. c. 16. — Hieron.)

tre, sed non de matre, id est fratris est filia non sororis, (fortè non soror.) *Alioqui quale est vt Abraham, vir iustus patris sui filiam coniugem sumpserit, cùm in primis hominibus, propter aurium sanctitatem, idipsum Scriptura non nominet, malens intelligi, quàm proferri. Et Deus lege postea sancitas, ac minetur. Qui acceperit sororem de patre suo, vel de matre sua, & viderit turpitudinem illius, opprobrium est, & exterminabuntur coram filiis generis sui. Turpitudinem sororis suæ detexit, peccatum suum recipiet.* Hæc D. Hieron. ex Leuit. 20.17. verbis paululum mutatis, prout memoriæ occurrebant. Leuit. 20.

XI. *Refutatur prior sententia.*

CVM ergo, vt ad fundamentum prioris sententiæ respondeamus, Abraham alloquens Abimelech, dicit Saram esse sororem suam, patrium vsurpat loquendi morem, quo nepotes aut neptes ex fratre vel sorore, vocabant fratres, & sorores; præsertim si iam adulti essent, quandoquidem fratris aut sororis nomen honorabilius, & amabilius est, quàm nepotis, aut neptis. Itaque & Lotum appellauit fratrem, & Saram decennio tantùm minorem, vocauit sororem. Quòd autem dicit eam filiam patris sui, non autem matris suæ, significat Tharæ duas habuisse vxores, & ex vna sustulisse Aran, ex altera Abrahamum. Itaque Abraham & Sara eundem agnoscebant & vocabant patrem Thare, licet is esset immediatus pater Abrahami, mediatus autem Saræ. Ambo tamen eandem non habebant matrem. Cùm ergo Caietan. ait Abrahamum vsurpare propriè nomen patris, sicut & matris, respondendum est Saram fuisse propriè filiam Thare patris Abrahæ, sed mediante Arane: matris autem Abrahæ nec mediatè, nec immediatè filiam fuisse, quòd Aran non esset natus ex eadem coniuge Tharæ, ex qua Abraham, quòd supponit ista sententia. At non posset dici aliter soror carnalis non vterina, ait Caiet. Respondeo, cùm gemina sit eiusdem sententiæ significatio, *soror mea est; filia patris mei est*, ideóque idonea sit ad reticendam, sine mendacio, veritatem, vt scilicet patris, vel sororis nomen mediatè, vel immediatè significetur, vno modo Abraham, altero Abimelech eas voces accepit, vno modo significatur soror carnalis non vterina; altero soror & filia patris, mediante fratre. Sed de hac quæstione iam satis. Gen. 13. 8. Gen. 20.

XII. *Sara διώνυμος.*

DICAMVS vnum verbum de gemino Saræ nomine. Eandem enim cum Iescha esse præter Hieronymum, qui eam διώνυμον propterea appellat, sentit Augustinus; eámque communem interpretationem esse significat. Et Abulensis, qui ait mulieres in Scriptura nunquam poni, nisi propter magnum aliquod mysterium vel dignitatem, quòd in Iescha nullum planè appatet, nisi eadem sit cum Sara, vxore maximi Patriarchæ. Idem affirmant Hebræi in Seder-Olam, *Vocata est*, inquiunt, *Sara, Iescha, à conspiciendo, quoniam eam omnes intuebantur pulchritudinis gratia. Hinc illud, & laudauerunt eam apud Pharaonem. vel etiam quia cernebat futura, attentáque erat ad prophetiam, quòd indicauit Deus Abrahæ. Quidquid*, inquit, *dixerit tibi Sara fac, & audi vocem eius.* Sic Hebræi. Posterior expositio Iudaico ingenio digna est; prior consentanea est verbis ipsius Abrahæ: *Noui quòd pulchra sis mulier, & quòd cùm viderint te Aegypty*, &c. Nec inuenio qui neget, aut dubitet Ieschan esse Saram, præter Caietanum. & Codomanum è schola Lutheri. l. 16. de ciu. c. 12. in c. 11 q. 23 ca fi. in c. 11. Genes. in ann. script.

ANNVS MVNDI 2051. DILVVII 395. TERTIÆ ÆTATIS 13. SEMI 493. ARPHAXAD 393. CAINAN 358.

SALÆ 328. HEBER 298. REHV 234. SARVG 202. THARÆ 143.

ABRAHÆ 13. SEMIRAMIDIS 3.

IMPERII ASSYR. 120.

ANTE CHRISTVM 2002.

I. *Pons & aggeres Semiramidis.*

PROXIME præcedens annus Iubilæum quadragesimum primum terminauit, hic dat initium 42. In quem referre meritò, cum Diodoro Siculo, possumus extitarum Babylone à Semiramide pontem, absolutis superiore anno mœnibus ciuitatis, vt diximus, quem idem ait nulli operum Semiramidis solertia concessisse; eo loco positum, quo fluuius an- Iubil. 41. & 42. lib. 2.

gustissimus quinque stadiis expandebatur, quæ illius erat longitudo; latitudo autem triginta pedum. tum ab vtroque fluminis latere crepidinem, mœnibus latitudine supparem, ad stadia centum sexaginta magnis sumptibus eduxit. Ita habetur in textu Græco, licet nouus interpres centum duntaxat stadia in sua versione posuerit. Verùm hoc opus Herodotus Nitocri attribuit. De Semiramide autem. *Hæc*, inquit, *per planitiem aggeres extruxit spectaculo dignos, cùm antehac flumen eam omnem restagnare solitus esset.* Meminit eorundem aggerum Eusebius in Chronico. Si tamen Eusebius. Nam in eius Græco exemplari omnia Semiramidis gesta sunt prætermissa. id ergo aut ab interprete Hieronymo suppletum videtur, aut ex collectaneis ex Africano in quibus legimus. *αὕτη ἀφ' ἧς ἐκ ῥεύματα τοῖς ποταμοῖς περιέβαλε χώμα.* Meminit & Suidas, verbo Semiramis, & Cedrenus. De ponte autem, vide apud Herodotum Græco-lat. imaginem eius, in qua tamen corrigendum, quòd pro quinque stadiorum longitudine, duorum tantùm posuerit.

in Clio.

p. 60. in edit. Scal.

ANNVS MVNDI 2052. DILVVII 396. TERTIÆ ÆTATIS 14. SEMI 494. ARPHAXAD 394. CAINAN 359. SALÆ 329. HEBER 299. REHV 235. SARVG 203. THARÆ 144. ABRAHÆ 14. SEMIRAMIDIS 4. IMPERII ASSYR. 121.

ANTE CHRISTVM 2001.

DECIMVS quartus annus Abrahæ insigne exhibet pietatis ipsius in Deum monimentum. Nam Suidas ex Philone scribit, *Abrahamum natum annos quatuordecim Dei cognitione illustratum, patrem idola fingentem his verbis commonuisse. Quid seducis homines ob perniciosum lucrum, hoc est ob imagines? Nō est alius Deus, nisi cælestis ille totius mundi opifex. Itaque cùm videret homines creaturæ cultum deferentes magno labore oberrans, verum Deum animo religioso exquirebat.* Hæc ille, quæ consentanea sunt iis, quæ suprà ex Epiphanio retulimus. In quibus tamen prouidendum est ne Catholicis hæreticus interpres imponat, qui pro idolis malè imagines vertit, & idololatriam mutat in cultum imaginum [1]. Cùm autem hoc Suidæ testimonium vehementer faueat, pietati Abrahæ, etiam ab ætate puerili, non videtur hoc loco negligenda illa quæstio, grauium virorum disputationibus agitata, fueritne aliquando Abraham deditus idololatriæ. I. *Abrahami à puero pietas.*

1. χ.

PARTEM aientem tuetur Andreas Masius in cap. 24. Iosue, & Philo in opusculo quod inscribitur Abraham, vbi ait, *ipsum longo tempore Chaldæorum delirio, de astrorum diuinitate, innutritum fuisse.* S. Ephrem ait Abrahamum initio fuisse gentilem. Quibus consentanea sunt, quæ leguntur de eodem l. 1. recognit. Clementis. In eadem opinione dicuntur aliqui Hebræi apud Genebr. in chron. qui putant Abrahamum aliquandiu vna cum patre idolorum fictorem, ac venditorem fuisse. Masium sequitur Magalianus in eundem locum Iosue, & Serarius ibidem, vbi Thalmudistas idem sentire, putaréque stellarum cultorem extitisse scribit. In eandem sententiam propendet Torniellus. Ambiguus est etiam Alphonsus Mēdoza in controuersia septima positiua. II. *An idolis aliquando seruierit.*

c. 2. serm. 2. de pœnit.

q. 1. & q. 2. in c. 6. Iud. in an. 24. & 48. Abrahæ

Pro hac sententia affertur ille locus Iosue 24. *Trans fluuium habitauerunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham & Nachor, seruierúntque diis alienis.* Sicut ergo habitatio trans Euphratem conuenit non solùm Thare & Nachori, sed etiam Abrahæ, ita & seruitus Deorum alienorum 2. quia sic tantò maior apparet Dei bonitas & misericordia, & gratuita magni Patriarchæ vocatio, 3. Diuus Paulus de eo agens videtur dicere eum, cùm antea fuisset impius, iustificatum fuisse. Impietas autem est seruitus Idolorum, sicut pietas in Deum est verus eius cultus.

Rom. 4. 5.

illuc spectat. In parentibus enim Iudæorum, qui seruierant diis alienis plures fuisse significantur, quorum vnus Thare exempli causa profertur, qui ex progenie sua notiore describitur, pater Abrahami & Nachoris fratris eius, nec isti sui causa, sed obiter propter parentem nominantur; ideóque non in recto, sed in obliquo. Sicut ille Simon pater Alexandri & Rufi, quos ridiculum esset dicere, etiam ipsos tulisse crucem post Iesum. Nec inusitatum est Latinis scriptoribus, vni nomini, in quo plura intelligantur, pluralem addere numerum,

Vos ô Calliope precor aspirate canenti,

ait, Poëta; fatemur ergo aliquos Iudæorum parentes Semi posteros, putà Sarug, & Thare, & eorum fratres, & si aliquos alios, (nam Sarug & Thare eo nomine malè audierunt apud Epiphanium, Philonem, & alios [2]) habitasse trans flumen, ibique seruisse diis alienis. De Abrahamo verò & Nachore neutrum asseritur à Iosuë, vel negatur; cùm tantùm obiter nominentur, ad declarandum quis esset Thare, qui exempli causa proferebatur. Non ergo rectè ait, Genebr. aut Tornielus eum secutus, Abrahamum ibi inter idololatras numerari.

init. Panar. 2. ※.

VII. *Neque D. Paulus.*

Nec alterum argumentum vim magnam habet; nam si ex verbis Apostoli eliciunt Abrahamum fuisse impium, elicient etiam ex sequentibus eum fuisse mortuum, & planè nihil fuisse. Nam sequitur, *Ante Deum cui credidit, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ non sunt.* Deinde satis patet quàm inepta sit consecutio: Abraham credidit ei, qui iustificat impios, ergo fuit impius. Sic enim probabitur eum fuisse angelum; credidit enim in eum, qui glorificat angelos. Denique impius non solùm idololatram significat, sed quemuis etiam peccatorem, & opponitur iusto, & innocenti [3]. Sed frustra etiam verentur religiosi homines, ne parum gratuita sit Abrahæ vocatio, nisi ille in voraginem idololatriæ, & eorum flagitiorum, quæ ab illa inuehuntur, prolapsus fuerit, & ab ea diuina miseratione traductus: quasi non maior sit diuina in eum gratia, quod, in medio nationis prauæ, conseruatus sit à Deo, integer vitæ, scelerisque purus. Eadémque mihi videntur isti peccare cum illis, qui verentur fateri beatissimæ virginis immaculatam conceptionem, ne fortè illa particeps non sit redemptionis Christi Domini.

3. ※.

SCHOLIA IN ANNVM ABRAHAE 14.

N. I. 1. IN Græco enim ita legitur, Τοῦτό μοι καὶ Φίλων ὁ Ἑβραῖος φιλόσοφος, ἐν τῷ τοῦ πολιτικοῦ βίου συνιστημαρτυρόντι (Φίλων γὰρ ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Πλάτων φιλωνίζει) ὅτι ἦρξατο ἡ εἰδωλολατρεία ἀπὸ Σερούχ, ἕως τῶν χρόνων Θάρα τοῦ πατρὸς Ἀβραάμ. ὁ δὲ Ἀβραὰμ ὑπάρχων υἱὸς αὐτοῦ, καὶ συγγενείας ἀξιωθεὶς, ἐλέγχει τὸν πατέρα αὐτοῦ λέγων. τί πλανᾷς τοὺς ἀνθρώπους διὰ κέρδος ἐπιζήμιον, τοῦτ' ἔστι τὰ εἴδωλα; οὐκ ἔστιν ἄλλος θεὸς, εἰ μὴ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ὁ καὶ πάντα τὸν κόσμον δημιουργήσας. Non intellexit interpres sectarius, iconoclastarum ramulus, quantum distet imago ab idolo, & cultus illius ab altero; cùm idolum rem falsam repræsentet, imago veram; & idololatria diuinitatem tribuat simulachro, aut alteri cuipiam rei creatæ, cùm fides Catholica imagines honoret ad prototypum relatas, pro cuius dignitate etiam istas veneretur. Cæterùm in Philonis politico, qui & Ioseph inscribitur, nullum planè verbum de Saruch, Thare, aut Abrahamo reperitur.

N. VI. 2. De Sarug nihilominùs id detrectat credere Genebr. in Chron. quod eius tempore adhuc Noë & Sem viuerent, quorum reuerentia retentus sit.

N. VII. 3. Multa exempla Scriptura suggerit. Genes. 48. 21. & 25. Exodi 23. 1. Psal. 1. ter quatérue. Psal. 50. 15. Ezech. cap. 3. 18. & seqq. & alibi passim.

ANNVS MVNDI 2053. DILVVII 397. 3. ÆTAT. 15.

SEMI 495. ARPHAXAD 395. CAINAN 360. ET VLT. SALÆ 330. HEBER 300. REHV 236. SARVG 204. THARÆ 145. ABRAHÆ 15. SEMIRAMIDIS 5. IMPERII ASSYRIORVM 122.

ANTE CHRISTVM 2000.

I. *Obitus posterioris Cainan.* POSTREMVS est hic annus vitæ Cainan, quem ex D. Lucæ authoritate, & Septuag. interpretum sententia, inter Arphaxad & Salæ collocauimus, vt illius filium, istius patrem. Qua de re cùm satis disputatum sit anno mundi 1694. & ipsius Cainan anno primo, non est necesse plura dicere[1]. Illic etiam dictum est centum annos adiectitios, in huius, sicut & cæterorum Patriarcharum vita, tam ante, quàm post diluuium resecandos esse. Neque sanè arbitror illos audiendos, qui Septuaginta in Chronologia aut omnino sequendos, aut planè deserendos putant; adeo vt Cainan vel expungi velint, quod plerique audacter fecerunt, vel illi 130. annos attribui ante genitum Salæ. Verùm nos Septuag. planè sequimur, nec eos deserimus, sed numerorum corruptorem, qua de re pluribus in anno Adæ 131. dictum est. s. χ.

II. MORITVR ergo Cainan, patre & Auo adhuc superstitibus, filiis autem ac nepotibus, vsque ad nonam generationem. Etsi enim mortui erant aliqui Patriarchæ eo inferiores, putà Nachor & Paleg, qui propterea vltra in indice non apparent, viuebant tamen plerique eorum fratres ac sorores. Quoniam verò Hebræi Cainan, vt ignotum hominem præteriere, nihil de eius aut gestis, aut motibus prodiderunt.

Regia Semiramidis. Interim Semiramis Assyriorum imperium quintum iam annum administrabat, dum filius Monarchiæ successor adolesceret, sed & magnificè, vti cœperat, Babylone ædificabat. Ad hæc ergo & sequentia tempora referamus licet regias illas duas, siue arces, ad ortum vnam, ad occasum alteram ex vtráque pontis regione ad flumen ædificatas; vnde in totam vrbem prospectum, & quasi claues ad loca eius opportunissima habitura esset. De quibus pluribus Diodorus Siculus, vbi meritò quis dubitet historicúmne agat, an Rhetorem probabiliter declamantem. l. 2.

SCHOLIVM IN ANNVM ABRAHAE 15.

N. 1. 1. Refellūtur quæ contra secundam Cainan faciunt. INCIDI ex eo tempore in commentaria pereruditа, in quibus contraria sententia stabilitur, quæ ne fortè lectorem, in nostram sententiam propensum, perturbent, iis hoc loco satisfaciendum putaui.

Dicimus enim primùm Moysem non merum Chronologum aut historicum agere; sed Prophetam ex diuina inspiratione scribentem, vt & cæteros scriptores sacros, vt docet D. Augustin. lib. 16. de Ciuit. cap. 2. multa alioqui desiderari possent. Itaque neque mutilum dicimus Moysem, neque D. Lucam superfluum: non magis quàm D. Matthæum in primo capite mutilum, & scriptorem libri Regum superfluum, sed istum historiam, illum mysterium secutum putamus. Eadémque propè est ratio Euangelistarum, quorum alij ab aliis omissa suppleuerunt. Ioannes Marcum, Septuaginta Moysem.

Dicimus secundò, si omissus est in Bibliis Hebraicis, & Latinis, ac Chaldæa paraphrasi, suppletum esse in omnibus Græcis Bibliis, quæ diutissimè in Ecclesia Dei summam authoritatem obtinuere; & constanter in omnibus reperiri, tam recentibus, quàm antiquis, tam in Genesi, quàm in primo Paralipom.

Iam sciolorum, aut librariorum errores, in Euangeliis, aliisque libris sacris, præsertim in summo codicum consensu, non facilè admittendos putamus. quis enim eo non possit confugere ad eludenda scripturæ testimonia, quibus mala quæuis opinio argueretur?

At plerique omittunt Cainan ex veteribus. Sed multò plures retinent tam Græci quã Latini Patres, & propemodum omnes ante D. Hieronymũ. vtebantur enim Latini versione Italica, quæ ex Græca erat expressa. S. quidem Augost. lib. 15. de Ciuit. cap. 3. scribit originali potiùs scripturæ, quàm translationi credendum esse. sed ipse idem fatetur Septuaginta non solùm interpretes agere, sed Prophetas. itaque vt Prophetę à Deo inspirati addiderunt Cainan, eáque in re digni sunt fide.

Nec est par ratio mendorum in numeris, quæ facilè per imprudentiam irrepunt. At hic historia integra adiicitur genealogica, cæteris omnino consentanea. Nec D. Hieronym. in suis tradit. Hebraicis aut alibi semper monet cum Sept ab Hebræo dissentiunt, quod facilè concedet, qui contulerit notas D. Hieronymi, cum editione 70. interpretum, & vulgata. Nam exempli causa cap. 12. Genes. in 70. dicitur Abraham *venisse ad quercum altam*, in vulg. *ad conuallem illustrem.* tacente planè Hieronymo, illi dicunt, *Tetendit tabernaculum suum in Bethel ad mare, & Anga ad Orientem*, vulg. *ab Occidente habens Bethel, & ab Oriente Hai.* 70. *Et abiit Abram, & profectus castrametatus est in deserto*, vulg. *Perrexitque Abram vadens, & vltra progrediens ad meridiem.* Hoc notauit Hieronym. at mox asinas in mulos, & boues mutatos in vitulos non notauit. Nec illud, *Sumpsi eam mihi vxorem*, pro, *vt tollerem eam mihi in vxorem.* Eadem in aliis capitibus notari possunt. Non ergo vsque adeo studiosus est D. Hieron. in notando Septuaginta, vbicunque ab Hebræo dissentiunt.

ANNVS MVNDI 2056. DILVVII 400. 3. ÆTAT. 18. SEMI 498. ARPHAXAD 398. SALÆ 333. HEBER 363. REHV 239. ET VLT. SARVG 207. THARÆ 148. ABRAHÆ 18. SEMIRAMIDIS 8. IMPERII ASSYRIORVM 125.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1997.

ann. mundi 2048. p. 49. TERMINATVR hoc anno periodus vitæ Rehu, patris Sarug, & filij Phaleg, qui ante annos triginta mortuus reperitur, cuius & vitæ curriculum exactè adæquauit, nisi fortè mensium aliquot discrimen fuit, vtrique enim 239. anni in Genesi tribuuntur, & à Septuaginta vtrique 339. Reliquit autem hic in viuis quatuor ex progenitoribus suis, ex filiis autem & nepotibus totidem generationes. Nam Lot filius Aran, nepos Abrahæ nonum iam agebat annum, & Sara octauum; iuxta ea quæ de eorum ortu suprà diximus. Quandiu autem cum vnoquoque Patriarcharum vixerit, notauit propria tabella Torniellus, sed ab eo in Arphaxado necessariò dissentimus, quem adhuc viuum fuisse opinamur. Ideóque Rehu cum eo vixisse 239. annis sentimus. De ipsius autem gestis rebus, magnum silentium. I. *Obitus Rehu.*

ANNVS MVNDI 2062. ET 63. DILVVII 406. ET 7. 3. ÆTAT. 24. ET 25. SEMI 504. ET 5. ARPHAXAD 404. ET 5. SALÆ 339. ET 40. HEBER 309. ET 10. SARVG 213. ET 14. THARÆ 154. ET 55. ABRAHÆ 24. ET 25. SEMIRAM. 14. ET 15. IMPERII ASSYR. 131. ET 32.

ANTE CHRISTVM 1991. ET 90.

QVARTO & vigesimo anno Abrahæ, ex supputatione Eusebij, mortuus est Europs 2. Rex Sicyoniorum, anno regni sui 45. cui proximo anno successit Telchin, vt refert idem Eusebius, tam in Chronico, quàm in lib. de præparatione, ex primo Strom. Clementis Alexandr. (etsi id ab interprete prætermissum fuerit) & Pausania in Corinthiacis. Porrò qualis fuerit hic Telchin, nonnulla est suspicandi occasio, si ab illo dicti fuerunt τελχῖνες apud Suidam, id est, πονηροὶ δαίμονες· ἢ ἄνθρωποι φθονεροὶ καὶ βάσκανοι. id est mali dæmones, aut homines inuidiosi & obtrectatores, quales fuerint Simon quidam, & Nicon, qui propterea dicti sunt τελχῖνες, qui etiam apud Hesychium dicuntur fascinatores. Tributum huic Telchini fuit, vt Ægyalea ab ipso Telchinia, mutato nomine diceretur. Nam Peloponnesum Telchiniam dictam author est Stephanus. Sed hæc obiter dicta sunto. I. *Europs & Telchin Sicyoniorum reges.* l. 10. c. 3. l. 2.

DE Semiramide autem multa legimus, præsertim apud Diodorum, sed suis minimè distincta temporibus. Crediderim sub hæc tempora peractis duabus illis Regiis, quas summa magnificentia, atque amplitudine erexerat, etiam cuniculum ab vna in alteram ripam sub fluuio intra 260. dies construxisse; auerso interim II. *Semiramidis cuniculus.*

in alium locum fluuio, atque ita perfeciſſe, vt ex vna in alteram arcem, non traiecto intermedio fluuio, penetraret. Addit Diodorus excitatum incredibili magnificentia & ſumptibus templum Beli, ſiue Iouis Babylonij; quod alij Nino probabilius attribuunt. Fortaſſe ſplendidius ornauit, & locupletauit donariis. Meminit Plinius crateris aurei, cuius pondus quindecim talenta colligebat. L. 33. c. 3.

ANNVS MVNDI 2068. DILVVII 412. 3. ÆTAT. 30. SEMI 510. ARPHAXAD 410. SALÆ 345. HEBER 315. SARVG 219. THARÆ 160. ABRAHÆ 30. SEMIRAMIDIS 20. IMPERII ASSYRIORVM 137.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1985.

I. *Coniugium Abrahæ cum Sara.*

ASSENTIOR iudicio & coniecturæ Tornielli, coniugium Abrahæ cum Sara in hunc circiter annum conferentis, quo is trigeſimum ætatis agebat annum. Idque ex eo probabile redditur, quod omnes Patriarchæ, qui nati ſunt à diluuio, excepto Thare, circa trigeſimum annum filios genuiſſe reperiuntur. Nachor 29. Sarug. 30. Rehu 32. Gen. 11. Phaleg 30. Heber 34. Sale 30. Cainan 30. Arphaxad 35. Itaque circa id tempus Abraham vxorem duxiſſe credibile eſt, quadraginta annis antequam ex Hur diuinitus euocaretur, quo tempore experientia probauit Saræ ſterilitatem, etſi multo etiam pauciores anni ſufficiebant, & poſſet coniugium ſine vllo planè incommodo, adhuc decennium differri. Eodem etiam tempore, ſi non prius, maior quippe natu erat quàm Abraham, Nachor alteram Loti ſororem duxit, nomine Melcham, ex qua numeroſam ſuſtulit prolem, ſed aliquantò tardiùs, ſicut & pater eius Thare & frater Abraham. Nam Abraham anno ſeptuageſimo ætatis ſuæ, vt infra docebimus, ab eo digreſſus eſt, antequam Hus primogenitus eius naſceretur, vt apparet ex 22. Geneſ. vbi id ei, vt res nondum cognita nunciatur.

II. *Alia Semiramidis opera. Vrbes. Obeliſcus.*

AD hæc tempora referas licet illa Diodori de Semiramide. *Cæterùm*, inquit, *Semiramis alias etiam vrbes ad Euphratem & Tigrim condidit, vbi emporia illis conſtituit, qui merces è Media, & Paratacene, totáque vicinia important.* Referas & Obeliſcum ex Armeniæ montibus exciſum, 130. pedes longum, craſſum 25. qui ſeptem orbis miraculis annumeratur.

ANNVS MVNDI 2079. DILVVII 423. TERTIÆ ÆTAT. 41. SEMI 521. ARPHAXAD 421. SALÆ 356. HEBER 326. SARVG 230. ET VLT. THARÆ 171. ABRAHÆ 41. SEMIRAMIDIS 31. IMPERII ASSYRIORVM 148.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1974.

I. *Obitus Sarug.*

MORITVR hoc anno Sarug proauus Abrahæ, auus Tharæ, expletis 230. vitæ annis: quam illi vitæ periodum attribuit Scriptura. Septuag. 330. Hunc idololatriæ nomine accuſat Epiphan. vt ſuperiùs in primo Gen. 11. Sarug anno retulimus, & Philo Iudæus, referente Suida. Nam apud ipſum Philonem vix reperias, diſſentiente, vt ſuprà diximus, Genebrardo, parum enim credibile eſt eum qui cum Noë 157. annis vixerat, cum Semo 230. & totidem cum Arphaxad, cum Cainan 204. cum Sale & Heber 230. & quod caput eſt, cum Abrahamo vno & quadraginta, à quibus nihil haurire potuit, niſi verba atque exempla probitatis in homines, & pietatis in Deum, in idola præcipitem corruiſſe. Nihilominùs rem vtrámque in partem ſatis incertam le-

ctorum iudicio committimus, qui opinor affirmare non dubitabit, Abrahamum in eo in via recta retinendo, plurimum studij contulisse.

Sub hæc tempora Semiramis, perfectis Babylone, reliquáque Babylonia præclaris operibus, magnis in Mediam copiis mouit, vbique relinquens magnitudinis, ac magnificentiæ suæ præclara monimenta. Nam ad Bagistanium montem, hortum duodecim stadiorum ambitu instituit; & in ipsa rupe suam insculpsit imaginem. Deinde ad Chaonem Mediæ vrbem accedens, alterum construxit deliciarum locum, vbi non parum temporis consumpsit, fœditati libidinum etiam crudelitatem adiungens. Amasios quippe omnes suos è medio sustulit, cùm maritum nullum vellet, ne haberet dominum, mortuos autem magnificentissimè efferebat, vt pluribus retulit Diodorus, si tamen mortuos; nam Africanus, vt refert Scaliger, viuos infodisse scribit, & supra eos ingentes aggeres excitasse. Accessit magnificus in Ecbatanis aquæductus. Hæc illa ferè gessit in Media. Inde autem Persidem, & cæteras prouincias omnes imperio suo subditas in Asia peragrauit, vbique, montibus & rupibus diuulsis, itinera magnis sumptibus directa, ac plana reddidit. In locis contrà planis aggeres educens, nunc sepulchra ducibus extinctis construxit, nunc vrbes in collibus condidit. Vniuersam deinceps Ægyptum peruasit, Libyámque magna ex parte in potestatem redegit. Denique constitutis Æthiopiæ, Ægyptique rebus, in Asiam cum exercitu Bactra se recepit. Hæc ex Diodoro, quibus agendis septennium damus; intra quod, anno eius 35. quartus Sicyoniorum Rex Apis regnare cœpit in Telchinia, quæ rursum in Apiam mutata est. Vide quæ supra anno Beli 35. & mundi 1966. dicta sunt.

Margin: II. *Expeditio Semiramidis, eiusdémque varia opera. Horti. Sepulchra.* — l. 3. in Chron. in Euseb. n. 7. — *Aquaductus.* — *Itinera.*

ANNVS MVNDI 2086. DILVVII 430. TERTIÆ ÆTATIS 48. SEMI 328. ARPHAXAD 428. SALÆ 363. HEBER 333. THARÆ 178. ABRAHÆ 48. SEMIRAMIDIS 38. IMPERII ASSYRIORVM 155.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1967.

Segregamvs à reliqua turba quadragesimum octauum annum Abrahæ, ad quod vsque tempus Hebræi quidam, semen Chanaan, & non Abrahæ, eum sordibus idolorum contaminatum fuisse garriunt. Refert Genebr. l. 1. Chronol. quibus & ipse propemodum assentitur, deceptus loco Iosue, quem nihil obesse fidei, & constanti Abrahæ pietati, anno eius 14. docuimus. Addit etiam ex Hebræorum Chronologia, eum anno quadragesimo octauo vitæ suæ vidisse diuisionem linguarum, & gentium, & paulò pòst Nemrodi Babylonici tyrannidem, ab eóque vexatum ob cultum vnius Dei; tandémque eiectum è Chaldæa. Verùm isthæc Hebræorum Chronol. mendosissima est, tam ex accelerata rotis 60. annis natiuitate Abrahæ, quàm ex omissis annis 30. Cainan; & insuper confusa diuisione terrarum, cum diuisione linguarum, & dilata diuisione linguarum in finem vitæ Phaleg, quæ 95. annis antecessit. Ex quo vides absurditatem, vt hoc tempore etiam Nemrodum regnantem inducant, qui iam à 90. annis erat mortuus, iuxta Eusebij Chronicon infinitis partibus certius. Et quadragesimum octauum Abrahæ cum diuisione linguarum copulent, quæ à se inuicem ipsos 148. annos disiuncta sunt. Vexatum denique dicant Abrahamum ab eo, qui 42. annis extinctus fuerat ante ipsum natum.

Margin: I. *Abrahæ pietas iterum contra Hebræos asserta.* — sub init. 3. ætat.

Illam porro vexationem intelligunt, opinor, quam ex Hieronymo plerique deinde retulere. Ipse autem agens de morte Aran: *Pro eo quod*, inquit, *legimus, in regione Chaldæorum, in Hebræo habetur Vr Chasdim, id est in igne Chaldæorum. Tradunt autem Hebræi ex hac occasione istiusmodi fabulam. Quod Abraham in ignem missus sit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus, & de idololatriæ igne profugerit: quod in sequentibus scribitur egressus esse Tharam cum sobole sua de regione Chal-*

Margin: in trad. in Gen. — II. *An Abraham missus fuerit in ignem in Chaldæa.*

dæorum, pro eo quod in Hebræo habetur, de incendio Chaldæorum. Et hoc esse quod nunc dicitur, mortuus est Aran, ante conspectum Thara patris sui, in terra natiuitatis suæ, in igne Chaldæorum: quod videlicet ignem nolens adorare, igne consumptus sit. Sic Hieronym. Qui mox cùm se ex ea difficultate expedire non posset, quæ nascitur iis, qui Abrahamũ ponunt 70. anno patris natum esse, subdit, *Vera est igitur illa Hebræorum traditio, quod egressus sit Thare cum filiis suis de igne Chaldæorum: & quod Abraham Babylonio vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, Dei sit auxilio liberatus; & ex illo tempore ei dies vitæ, & tempus reputetur ætatis, ex quo confessus est Dominum, spernens idola Chaldæorum.* Quam traditionem non improbat Cornelius à Lapide, ei tamen quasdam circunstantias fabulosas adiectas dicit. in 11. Gen. v. 31.

III. *Non fuisse.* EAM tamen improbauit August. maluitque ad recapitulationem confugere. Cæteri autem deinceps fere pro fabula habuerunt, vt quæ sola voculæ vnius homonymia nititur, ad quam vitandam Septuag. Vt vertũt non πῦρ, sed χώραν. nec vllum extat istius tam crudelis persecutionis Chaldęorum vestigium. Nam quòd in Esdra dicitur Abraham eductus de igne Chaldæorum, nuda est interpretatio vocis Hebraicæ Vr. sæpe enim propria nomina per eorum significata vertuntur, vt suprà diximus. Adde quod Iosephus ait sepulchrum eius in Vr Chaldæorum ad suum vsque tempus ostendi solere, nec Moyses eum exustum dicit, aut occisum, sed mortuum, morte scilicet naturali. Quid quod minimè probabile est in vtroq; fratre tantum fuisse fidei, & charitatis in Deum, vt pro ipso ambo in ignẽ se mitti permitterent, & tamen eorũ alterum Deus in igne perire pateretur, in grauissimũ piorum, atque impiorum scandalum. Communis etiam Chronologiæ ratio hanc fabulam respuit. Non enim Nemrod eam persecutionem inferre potuit, qui tanto ante fuerat extinctus, quàm Abraham nasceretur. Deniq; ipsemet Hieron. passim retinet nomen Vr, vt proprium loci nomen, & Paraph. Chald. & noui ex Hebr. interpretes. Et satis constat Hieronymum inuitum illi fabulæ suffragium dare, nec nisi sub conditione, *nisi melior solutio difficultatis reperiatur.* quæ planissima reperitur, ponendo ortum Abrahæ an. 130. patris, in quem annum alioqui D. Hieron. referret liberationem ab igne. q. 25. in Gen. & lib. 16. de ciu. c. 15. l. 2 c. 9. 7. l. 1. c. 7.

IV. *Semiramidis apparatus ad bellum indicum.* SEMIRAMIS autem, quia magnis instructa erat copiis, atque in diuturna pace magnis ambitionis stimulis agitabatur, bellum contra Indos mouere statuit; gentem longè maximam, atque potentissimam; regionem vberrimam, atque amœnissimam. Itaque magnum sibi apparatum necessarium intelligens, nũciis in prouincias omnes sibi subiectas dimissis, præfectis earum mandauit, vt delectum lectissimæ iuuentutis haberent, noua arma compararent, nauium ingentem copiam conficerent, quæ disiungi possent, rursumque coagmentari; vt terrestri itinere ad Indum fluuium deferrentur: Et post triennium in Bactris magnificè instructi adessent. Hoc triennium Indicam victoriam, & cladem antecessit, quam postremo Semiramidis anno ex Diodoro apparet contigisse. Meminit etiam Suidas huius apparatus in annum tertium, & de eius magnitudine cum Diodoro fere consentit. eum consule in verbo Semiramis. l. 2. v. Semiramis.

ANNVS MVNDI 2089. DILVVII 433. TERTIAE ÆTATIS 51. SEMI 531. ARPHAXAD 431. SALÆ 366. HEBER 336. THARÆ 181. ABRAHÆ 51. SEMIRA. 41. IMPERII ASSYRIORVM 158.

ANTE CHRISTVM 1964.

I. *Defenditur contra Scaligerum Eusebius.* PRINCIPIVM 41. Iobelæi secundum Hebræos, ait Eusebius. Iobel autem apud eos quinquagenarius annus vocatur. Itaque iuxta supputationem eorum ab Adam, vsque ad annum præsentem, sunt anni bis mille. In anno 51. Abrahæ tripliciter erratum ab Eusebio ait Scaliger, primò, quòd Iobelæa deducit à conditu rerum. Deinde quod Iobelæum definit 50. annis absolutis; postremo quod ab Hebræis ad 51. annum Abrahæ ait putari annos 3205. cùm ea sup-

putatio sit Septuaginta seniorum. Verùm tripliciter eum in reprehendendo errare arbitror. Non enim Eusebius ait Hebræos numerare cœpisse Iobelæa à conditu rerum, id enim ad tempora Iosue pertinere constat, sed secundum supputationem Hebræorum, quæ minor est quàm Græcorum, repetiri tot spatia temporum, quæ Hebræi vocant Iubilæa. Sicque tollitur causa admirationis Torniello. Errat iterum Scaliger quod annos iubilæorum definiat 49. annis, contra Scripturam Leuitici 25. Errat tertiò, quod id Eusebio imponat, cuius verba sunt. *Itaque iuxta supputationem illorum* (Hebræorum) *ab Adam vsque ad annum præsentem fuerunt anni bis mille.* Rectius arguisset abesse annos duos. Nam tres annorum summæ ex quibus ea tota conflari debet, id docent. Vt vides in margine.

an. 4. ætat. 49 n. 2. v. 8 & 10.

Ad diluuium 1656. ad ortū Abr. 292. ad 51. eiusdē inchoantem 50 —— 1998

Hinc etiam patet confirmari Chronologiam nostram, quando bis millesimus cadit in annum 52. Abrahæ, sublatis 90. annis, qui partim ob Cainan, partim ob dilatum ortum Abrahæ, addendi sunt. In hunc annum Cretensis regni initium refertur in aliquibus Eusebij libris, sed rectius in aliis ad 4. annum Ninyę differtur.

ANNVS MVNDI 2090. DILVVII 434. TERTIÆ ÆTATIS 52. SEMI 532. ARPHAXAD 432. SALÆ 367. HEBER 337. THARÆ 182. ABRAHÆ 52. SEMIRAM. 42. ET VLT. IMPERII ASSYR. 159.

ANTE CHRISTVM 1963.

I. *Opinio quorundā de egressione Abrahæ ex Hur, siue Charan.*

SVNT qui existiment hoc anno, qui est Abrahæ 52. ipsum Patriarchā Dei monitu ex Vr Chaldæorum exisse. Ea fuit opinio Abrahami Leuitæ in libro Cabalæ, si credimus Mercatori, quem sequitur Emanuel Sà in Gen. & Blasius Vigenetæus in Liuium. Verùm Leuita ille Dauidis filius, apud Genebrardum, *Abortu*, inquit, *Abrahami donec primùm egrederetur Charris, quinquaginta duo anni. Ab exitu eius de Charris, donec staret inter victimarum dissecationes octodecim anni. Cum Charras redisset, illicque mansisset quinque annis, & remigraret in terram Chanaan, natus erat 75. annos.* Omittit ergo Iudæus hîc egressionem Thare & Abrahæ ex Vr. deinde geminam profectionem inducit in Chananitidem, priorem quæ durarit 18. annis, tum post quinquennium alteram perpetuam. Verùm prior illa profectio superius satis refutata est, & si fuisset non octodecim annorum, sed sexaginta esse debuisset, si tamen vult anno septuagesimo patris illum esse natum, vt reliqui Hebræi. Verùm de commoratione Abrahæ in Charan, anno eius 70. dicendum erit accuratius.

au. m 2001. in c. 11. Gen in fine Chronol.

an 1. Abrahæ.

II. *Bellum Semiramidis in India.*

HVC autem pertinent res à Semiramide in Indica expeditione gestæ, cùm enim immensas equitum peditúmque copias triennio contraxisset, incredibilem etiam curruum & elephantorum multitudinem: quanquam non erant illi elephanti, sed lignea elephantorum simulachra, virgultis & stramine referta, singulis camelis imposita, vt Diodorus, & Suidas referunt, ne scilicet Indicis copiis, in quibus vis ingens elephantorum erat, vlla in re cedere videretur, ex Bactriana in Indiam mouit. Cui Rex Indorum Stabrobates, post legationem, quæ de iniustitia suscepti contra se belli quereretur, cum maiori etiam apparatu, & verorum in primis elephantorum exercitu occurrit, & primùm nauali certamine in flumine Indo pugnatum est, vbi victoria tandem Semiramidi cessit; mille Indorum nauibus submersis, & ingenti classiariorum turba capta. Post eam cladem Iudus fugam simulans, Semiramidem vltra fluuium allicit. Illa pōtem latissimum imponit Indo, copias traducit, exercitum instruit, & laruis elephantorum turbatis Indorum equis, impressione opportunè facta Indos in fugam vertit; sed reparatis viribus, animisque, ficti elephanti verorum impetum ferre nequiuerat, sed latè in Assyrios strage edita, Rex ipse Semiramidem infestus petit, & ictu non lethali vulnerat. Illa in fugam cum suis auertitur, & magna copiarum parte trans pontem reducta, eo abscisso Indis facultatem insequendi abstulit. Semiramis permutatis captiuis in

1 a. v. Semiramis.

Bactra vix tertia exercirus parte salua reineauit. Hæc pluribus Diodotus & Suidas, Iustinus vix attigit.

III. *Mors Semiramidis.* De morte autem ipsius, quæ illi aliquantò post contigit, vt ait Diodorus, hæc idem refert. Insidiis filij regnare cupientis appetitam, nihil acerbi in insidiatorem Eunuchum statuisse, vt iamdudum ab Hammone iussa fuerat, sed regno ipsi tradito, omnibúsque, vt legitimo Regi parere iussis, ex hominum conspectu se subduxisse, in columbam, si superis placet, conuersam. At Iustinus à filio interfectam tradit, in fœdissima incestus voluntate deprehensam: cui fidem facit tum cætera nequitia mulieris, tum ea quam Plinius ex Iuba recitat. Et sanè æquum l. 8. c. 42.
fuit mulierem filij iussu mori, cuius imperio maritum occidisset, ita facinus facinore vindicatum, si ea vera sunt quæ ex Æliano retulimus. Ita postea scelus Clytæmnestræ in Agamemnonem maritum, Orestes filius non minori scelere vindicauit. Hic Semiramidis finis fuit, cùm toti Asiæ, exceptis Indis, duos & quadraginta regnasset annos; vixisset, Diodoro teste, sexaginta duos. lib. 2.

ANNVS MVNDI 2091. DILVVII 435. TERTIÆ ÆTATIS 53. SEMI 535. ARPHAXAD 435. SALÆ 368. HEBER 338. THARÆ 183. ABRAHÆ 53. NINYÆ 1. IMPERII ASSYRIORVM 160.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1962.

I. *Ninyæ regnum.* AB obitu Semiramidis Ninyas filius eius, quartus Assyriorum rex imperare cœpit: Patris nomen retinuit, modicè, differentiæ causa, variatum; quem tamen Iustinus Ninum, sine vlla vocabuli inflexione nominat; Africanus, & Eusebius Ninyam vocant, & Ζάμιν cognominant, eique ambo octo & triginta regni annos attribuunt; primum autem Eusebius cum 53. Abrahæ componit, & 9. Apis Sicyonij. *Is Regnum adeptus*, vt ait Diodorus, *in pace illud administrauit, bellandi studio, & periculorum audacia nequaquam matrem imitatus. Nam in regia omne vitæ tempus exegit, sic vt à nemine, præterquam à concubinis, & Eunuchis conspiceretur.* Quæ nunc quoque dicitur vitæ ratio regum Sinarum, & quorundam aliorum principum orientalium, qui se ea de causa reges factos putant, non vt populos regant, tueantur, amplificent; Dei vicarios, vt supremos magistratus agant, Deo in illis gubernandis cooperentur, & eundem cum Deo intueantur finem: sed vt audacter, atque impunè omnibus voluptatibus perfruantur, & subditorum bonis, atque corporibus pro arbitrio abutantur. Interim quasi Dij quidam absconditi lateant, & à mortalium turbis secreti, diuinam sibi venerationem, timorémque concilient.

II. *Eiusque viuendi, atque imperandi.* Ea Ninyæ viuendi ratio fuit, quam deinceps cæteri Assyriorum principes studiosè sunt imitati, vt Diodorus est author, qui addit etiã *à Ninya institutum, vt quotannis certus militum numerus singulis prouinciis imperaretur, qui in vrbe regia ipsi præsto essent, quibus post exactum annum, alij eodem modo sufficerentur, prioribus exauctoratis, & in suas prouincias dimissis. Quo instituto tria consequebatur. Primum vt perpetuò exercitum haberet ad omnia paratum, si quis vlla in re detrectaret imperium. Alterum vt mutatione copiarum plures in re militari exercerentur. Tertium ne diuturnitate cõsuetudinis inter duces ac milites coalesceret amicitia, quæ ad moliendas res nouas inuitaret.* Hæc fere Diodorus, quæ Iustinus pro instituta breuitate paucis complexus. *Ninus*, inquit, *contentus elaborato à parentibus imperio, belli studia deposuit, & velut sexum cum matre mutasset, raro à viris visus, in fœminarum turba consenuit.* Pluribus hoc loco, & superioribus aliquot de regibus Assyriorum egimus; quod de illis in posterum magnum silentium est futurum, tam scriptorum inopia, quàm ign[a]uia Imperatorum. l. 2.

ANNVS MVNDI 2094. DILVVII 438. TERTIAE ÆTATIS 56. SEMI 536. ARPHAXAD 436. SALÆ 371. HEBER 341 THARÆ 186. ABRAHÆ 56. NINYÆ 4. IMPERIS ASSYRIORVM 163.

ANTE CHRISTVM 1959.

Regnum Cretensium.

CHRONICON Græcum Eusebij, & pleráque Latina, in hunc annum, qui est Abrahæ 56. & Ninyæ quartus, initium regni Cretensis referunt. Vbi sic legitur, *Apud Cretam regnauit primus Cres indigena, à quo Creta appellata, quem aiunt vnum Curetarum fuisse, à quibus Iupiter abscondìtus est, & nutritus. Hi Gnosum ciuitatem in Creta condiderunt, & Cybeles matris templum.* In Græco tamen habetur Κατὰ τούτους τοὺς χρόνους, sine certi anni designatione. Quin etiam infra circa annum 130. Abrahæ idem reperit Eusebius, prout à diuersis scriptoribus vni eidémque rei diuersa tempora assignata reperit, quod crebrò apud eum obseruare licet. Clemens Alexand. vt refertur etiam ab Eusebio, initium regni Cretensium refert ad tempora Telchini regis Sicyoniorum, qui iam à 12. annis mortuus erat, quod tamen in versione Trapezuntij non reperies.

l. 10. de præpar. c.

ANNVS MVNDI 2096. DILVVII 440. TERTIÆ ÆTATIS 58. SEMI 538. ARPHAXAD 438. ET VLTIMVS, SALÆ 373. HEBER 343. THARÆ 188. ABRAHÆ 58. NINYÆ 6. IMPERII ASSYR. 165.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1957.

an.m.1996.

I. *Obitus Arphaxad, & ratio temporis.*

AD hunc vsque annum vitam Arphaxadi produximus, tametsi non ignoremus pleròsque trecentos & triginta octo annos duntaxat illi assignare, in quibus Torniellus. Primùm quia 438. annos habent omnes Hebræi codices, quos perpetuò sequitur in sua versione Hieronymus, desertis Græcis. Secundò, quia plerique Latini codices hic variam habent lectionem, & aliqui trecentos, alij quadringentos legunt. Tertiò, quia is numerus, qui quadringentos superat, consentaneus est omnibus Græcis, & Chaldæis. Quartò, quia Arphaxadi nepos, & pronepos, Salæ & Heber, vltra quadringentos annos vixere, nec agnoscitur tanta ætatum diminutio ante Phaleg. Notarunt enim Hebræi, vt suprà dicebamus, dies vitæ humanæ tempore Phaleg dimidia parte diminutos. Quintò; quia hæc est mens D. Augustini in quæstion. in Genesim, & Epiphan. l. 1. Panarij, cùm ait primum Aran mortuum fuisse ante patrem suum. At sic Arphaxad mortuus fuerit, non modò ante patrem, sed etiam ante auum suum.

q 23. sub init.

II. *Confirmatur.*

IN hac sententia est etiam Abulensis, Perer. Caietanus, Eugubinus, Pagninus, Paraphrastes Chaldæus, Cornelius à Lapide, versio Tigurina. Del Rio in dubio est. Sextò quia hæc est communissima Chronologorum sententia hoc tempore, Genebrardi, Gordoni, Samerij, qui negat Arphaxad mortuum, ante ortum Abrahæ, Vigeneri, Mercatoris, Tēporarij, Caluisij, Functij, Bibliādri, Beroaldi, & aliorum sectariorum, & eorum qui Septuag. secuti sunt, vt Marian. Scotus, & Chron. Alex. Mortuus est ergo hoc anno Arphaxad, patre adhuc superstite, & secundum eum omniũ Patriarcharum antiquissimus, eũ iam filium Cainan, & multos nepotũ ac pronepotũ præmisisset ad tumulum. De rebus ab eo gestis, aut ipsius moribus, mirum silentiũ. Sepultus dicitur in Babylone, vt est in Romano Martyr. 10. Aprilis.

in c. 11. Gen. q. 27. l 16 in Gen. n. 183. Broughtoni, Capelli Codomani.

in Martyrolog. Rom. ibid

in quod sepulchrum, & eius Pater Sem, post annos 62. & Ezechiel Propbeta post 1360. fere annos illati sunt, vt diecemus anno Nabuebod. 34.

ANNVS MVNDI 2100. ET 2101. DILVVII 444. ET. 45. ÆTATIS 62. ET 63. SEMI 542. ET 43. SALÆ 377. ET 78. HEBER 347. ET 48. THARÆ 192. ET 193. ABRAHÆ 62. ET 63. NINYÆ 10. ET 11. IMPERII ASSYR. 169. ET 170.

ANTE CHRISTI ORTVM 1953. & 1952.

Iubilæus XLII. HORVM duûm annorum prior finit secundum & quadragesimũ Iubilæum; posterior initium dat quadragesimo tertio. Nam si bis mille & centum per quinquaginta diuidas, emergent quadraginta duo Iubilæa, siue spatia, & curricula annorum quinquaginta singula; quam omninò arbitror fuisse mentem Eusebij, dum ab ipsis Abrahæ natalibus Iubilæorum meminit; quorum tamen exordium, si de iis propriè, & secundum vsum Scripturæ loquamur, non nisi post exitum, ab Ægypto, & ingressum in terram Chanaan contigit, quod Eusebius minimè ignorauit; & nihilominus perseuerauit vti huiusmodi annorum periodo, reliquis deinceps temporibus. Sed vide hac de re plura anno quinquagesimo primo Abrahæ.

ANNVS MVNDI 2105. DILVVII 449. TERTIÆ ÆTATIS 67. SEMI 547. SALÆ 382. HEBER 352. THARÆ 197. ABRAHÆ 67. NINYÆ 15. IMPERII ASSYRIORVM 174.

ANTE CHRISTVM 1948.

Num. I. Chodorlaomor primũ subiugat Sodomitas, & Gomorrhæos. PERERSVS in Genesim existimat expeditionem Abrahæ ad recuperandum Lotum nepotem suum circa annum octogesimum eiusdem Abrahæ contigisse, aliquot nimirum annis ante ortum Ismaëlis qui recensetur Genes. 19. sub annum octogesimum quintum Abrahæ. (Gen. c. 14. n. 4.) Inde si quatuordecim annos auferas ante quos Chodorlahomor subiugauit primùm Sodomitas, Gomorrhæos, eósque sibi tributarios fecit, quorum mentio est in Genesi, (c. 14. 5.) ad hunc annum Abrahæ sexagesimum septimum peruenies. Aliqui maluerunt eam expeditionem Abrahæ, ad eius annum octogesimum tertium, aut octogesimum quartum referre, quos nec reprehendo, nec sequor. Causam prioris huius belli Scriptura non recitat: libido dominandi, & auaritia facilè causas ad tenuiores inuadendos cõminiscuntur, itáque sentit ab Oleastro in c. 14. Quid enim causæ fuit aut Nino vt Asiam subiugaret, aut Nemrodi vt primus inter suos dominatum arriperet? Verùm de hoc Chodorlahomor, qui præcipuus in hoc, & sequenti bello fuit, nonnihil dicetur inferius.

ANNVS MVNDI 2108. DILVVII 452. TERTIAE ÆTATIS 70. SEMI 550. SALÆ 385. HEBER 355. THARÆ 200. ABRAHÆ 70. NINYÆ 18. IMPERII ASSYRIORVM 177.

ANTE CHRISTI ORTVM 1945.

Num. I. *Exitus Abrahæ ex Chaldæa, & habitatio in Charam.*

SEPTVAGESIMVS annus Abrahæ plerisque celebris est exitu eiusdem ex Vr Chaldæorum; sicut septuagesimus quintus egressione ex Charan. Vterque exitus ex Scriptura certus est; posterior autem tẽpus etiam io ea notatum habet, at prior non item; fuisse tamen satis diuturnum tempus inter vtrámque egressionem interiectum, ex Scriptura apertè colligitur; quæ ait *Abrahamum habitasse in Charan, & ibi substantiam possedisse, & fecisse animas.* Id tempus quinque annorum fuisse, & Abrahamum de Vr Chaldæorum anno septuagesimo vitæ suæ egressum esse ex Hebræorum traditione refert Genebrardus, quæ est etiam multorum sententia, quos aliquantò post referemus. Neque probabile est vno eodémque anno Tharam cum Abrahamo exisse de Vr, venisse in Charan, ibique habitasse, multam substantiam acquisisse, homines procreasse, ibidem Tharam mortuum esse, eiúsque funere expleto; Abrahamum totam familiam, omniáque bona sua collegisse, & in terram Chanaan venisse. Sed nec Scriptura vspiam cogit omnia in vnum annum conferre, imò Iudith 5. in textu Græco habetur, Καὶ ἔφυγον εἰς Μεσοποταμίαν, καὶ παρῴκησαν ἐκεῖ ἡμέρας πολλάς. *Et fugerunt in Mesopotamiam, & ibi habitarunt dies multos*, quæ phrasis diuturnum tempus videtur exigere, vt Gen. 4.3. centum & 29. annos. c. 21. in fi. 25. an. vt vult Lyranus. c. 25. centum & 40. c. 39. 7. decem annos. Deut. 1. multo tempore siue πολλὰς ἡμέρας, vt habent Septuag. Hebræi de 19. annis interpretantur. Adde Chrysostomum qui homilia 36. interpretatur illud, *Exi de terra tua*, dictum esse de Charan; *Quia non paruo tempore*, inquit, *ibi habitarant*, & quasi in propria patria illic habebant domicilium; ergo id visum probabilius. Tametsi D. Aug. lib. 16. de ciuit. c. 16. cum Eusebio contra sensisse videatur, sicut & Perer. in c. 12. Gen. n. 50. propter spatium inter promissionem, & legem latam interiectum; quod tamen nihil impedit; nam totum id tempus quadringẽtorum triginta annorum à posteriore vocatione quæ facta est anno Abrahæ septuagesimo quinto, non à priore quàm septuagesimo anno ponimus, inchoanda esset. Quæ vt illustriora fiant.

Iudith 5. (margin)

II. *Gemina vocatio Abrahæ, & multiplex earum discrimen.*

DICO geminam extare in Scriptura vocationem Abrahæ, alteram ab al-
1. tera plurimùm differentem. Locis differunt, nam prior in Vr Chaldæorum fa-
cta est, *Priusquam* Abraham *moraretur in Charan*, vt testatur Diuus Stephanus
(init.) Actuum 7. posterior autem in Charan, post mortuum patrem, cùm *illum transtulit in terram* Chanaan, id est transferre iussit se, suáque omnia ad habitan-
2. dum illic, Stephanus ibidem. Differunt temporibus, nam prior facta est ante
3. mortem Tharæ, Genes. 11. posterior illo iam mortuo, & sepulto; Genes. 12. Dif-
ferunt personis, quæ vocationem exequuntur; priorem enim exequitur Thare, Genes. 11. 31. *Tulit itaque Thare Abram filium suum*, posteriorem ipse Abraham, Genes. 12. 4. *Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot: septuaginta quinque annorum erat Abram cùm egrederetur de Charan. Tulitque Sarai uxorem suam*, & cætera. Si ergo exiuit de Haran, sicut præceperat ei Dominus, datum est illi præceptum exeundi de Haran, sicut ante ei datum fuerat exeun-
4. di de Chaldæa. Differunt rebus: nam in priore iubetur exire de terra sua, de cognatione sua, de domo patris sui, quæ rectè conueniunt habitanti in Chaldæa, non autem in Charam commoranti; nam ibi natus non est, nec illic exiuit de cognatione sua, nam suam omnem cognationem transtulit secum;

in Vr verò reliquit Nachorem, & alios cognatos, denique illîc fuit domus Thare, & maiorum eius, non in Charan[1]. 1. ✠.

III. *Quare necessaria.* DEINDE vt necessaria fuit prior vocatio ad egrediendum ex Chaldæa, ita & posterior ad discedendum ex Haran; cùm nempe ibi Abraham diu substitisset cum suis, Domino non repugnante, imò & iubente, vnde Achior Iudith. 5. *Qui & præcepit eis vt exirent inde*, è terra Chaldæorum, *& habitarent in Charan*. In gratiam scilicet patris Tharæ, qui in gratiam filij sui Abrahæ deseruerat Vr Chaldæorum. Cùm ergo ibi dudum habitaret, nec sciret quando Deo placeret, vt inde recederet, noua monitione, & vocatione opus fuit, ad emigrandum in terram Chanaan, vt notauit Abulensis in 12. Genes. Ex quo intelligitur hanc secundam vocationem non arguere Abrahamum tarditatis, aut cunctationis in obeundo primo præcepto, vt aliqui putant, sed promptissimam potius obedientiam; qui exire iussus de Chaldæa, exiit, subsistere Haran, substitit, proficisci in Chanaan, profectus est. Vide Abulensem dicta quæstione 18. vbi hanc geminam vocationem accuratè defendit, sicut & quæstione 1. & 12. eandémque alibi inculcat. Idem sentit Ribera in cap. 11. ad Hebræos, & ibidem Petrus Lombardus, & Ludouicus Ystella in Genesin, & Gagneus in acta Apostol. cap. 7. meminerunt Glossa, Lyranus, & Hugo. q. 18. Perer. in c. 12 Gen. n. 15. Lorin. in 7. act. c. 13. q. 61. &c.

IV. *Confirmatur ex Chrysostomo.* SED multorum recentiorum instar sit Diuus Chrysostomus, qui geminam vocationem planissimè tradit; alteram cùm adhuc esset in Chaldæa, ex beato Stephano, alteram ex Haran mortuo patre. *Nam quia*, inquit, *prima ætate non secutus est errorem paternum, sed pietatem diuini cultus seruauit, ideo supernam visitationem citò obtinuit, adhuc in Chaldæa existens; & hoc nobis beatus Stephanus exponit manifestius*, & cætera. Et infrà. *Elegit*, inquit, *paternam regionem relinquere, & alienam inhabitare, vt præceptum Dei perficeret, & paratus erat, etiam absque familiaribus, vt mihi videtur, peregrinus fieri, sed vt dixi, viri virtus, & insignis erga parentes pietas effecit, vt pater comes fieret itineris. Deinde cùm peruenissent in Charan, postquam illîc tabernaculum fixerunt, & morte functus est Thare, iterum præceptum est ei à Deo vt exiret inde*, πάλιν προστάττεται παρὰ τοῦ Θεοῦ, ἐξελθεῖν ἐκεῖθεν, *Egredere enim*, inquit, *de terra tua, & de cognatione tua*. Cùm ergo gemina sit vocatio Abrahæ, geminàque profectio, priorem, quæ cum patre facta est, & habetur Genes. 11. 31. in hunc annum coniicimus, cum Hebræis, & Genebrardo libro 1. Chronologiæ in tertia ætate, Naclanto in libro arcanorum Christi, Caietano in Acta Apostolorum, aliisque recentioribus[2]. hom. 31. 2. ✠.

V. *Explicatur prior vocatio, & profectio.* REI porro gestæ series ex Diuo Stephano petenda est, *Deus gloriæ*, inquit, *apparuit patri nostro Abrahæ, cùm esset in Mesopotamia*, id est in terra Chaldæorum, vt ipse mox explicat, *priusquam moraretur in Charan, & dixit ad illum; Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi. Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan*. Causam profectionis explicauit Diuus Stephanus, modum explicat Moses, dicens, *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran filium filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan, veneruntque vsque Haran, & habitauerunt ibi*. Act. 7. 2. Gen. 11. 31.

VI. *Causa eius, declinatio idololatriæ.* QVOD si quis quærat, quid mouerit Deum ad eam iussionem; quid Abrahamum, & Thare ad eam obedientiam. Respondebit Achior dux Ammonitarum fuisse declinationem, & fugam idololatriæ. Sic enim ait, *Populus iste ex progenie Chaldæorum est, hic primùm in Mesopotamia habitauit, quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum. Deserentes itaque ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine Deorum erant, vnum Deum cæli coluerunt, qui & præcepit eis, vt exirent inde, & habitarent in Charan*. Vbi vides nullam planè fieri mentionem afflictionis Chaldæorum, ad idolorum cultum, & ignis adorationem compellentium familiam Thare, iuxta fabulam ab Hebræis excogitatam, & ab Hieronymo relatam, & post eum à Ruperto. Græcus tamen codex Iudithæ afflictam memorat familiam Tharæ à Chaldæis, nulla ignis mentione facta. Verba referam, quæ in versione nostra desunt, quibus quæ supradicta sunt à nobis, plurimùm confirmantur[3]. *Et adorauerunt Deum cæli, Deum quem agnouerant; & eiecerunt eos à facie deorum suorum, & fugerunt in Mesopotamiam, & habitauerunt ibi* Iudith 5. 1 p. cap. 5. 3. ✠.

dies multos, & iussit Deus ipsorum vt exirent ex habitatione, loco incolatus, *& irent in terram Chanaan*. Hæc ibi, vbi vides præter diuturnam commorationem in Haran, factam etiam ibi vocationem ad profectionem in Chanaan, vt ait etiam Chrysostomus, & insuper quod hoc loco quærimus, afflictam domum Tharæ à Chaldæis. D. Augustinus, qui hæc totidem penè verbis retulit, ita concludit, *Vnde manifestum est, domum Tharæ persecutionem passam fuisse à Chaldæis, pro vera pietate, qua vnus, & verus ab eis colebatur Deus.*

(hom. 31. — l. 16 de Ciu. c. 13. — l. 1. Ant. c. 6.)

VII. *Alia causa parum probabilis.*

CÆTERVM Iosephus aliam huius profectionis causam parum sanè probabilem excogitauit, siue non cognita vera, siue potiùs dissimulata. Nam in causa Abrahami illam attigit, vt infra dicemus, nunc de Thare agimus. *Cæterùm*, inquit, *cùm Tharrus exosam haberet Chaldæam, propter luctum Aranis, omnes simul migrauerunt Charan Mesopotamiæ, vbi etiam Tharrum defunctum sepelierunt.* Quid enim probabilitatis habet, hominem ducentos annos natum, ob vnum de filiis suis defunctum, exosam habere patriam, & relicta domo, possessionibus, cognatis, amicis, longinquam, & planè ignotam peregrinationem suscipere. Exiit enim, sicut & filius eius, *nesciens quò iret*. Hebræorum 11.

VIII. *Qui comites peregrinationis; & an etiam Nachor.*

DEVS ergo afflictos pro confessione nominis sui consolaturus, siue ipse per se, siue per angelum suum, in specie quadam gloriosa, & illustri apparuit Abrahæ; propterea enim eo loco *Deus gloriæ* nominatim appellatur à Stephan. vt notauit Caietanus in 12. Genes. vbi ait dormienti apparuisse, & migrationem præcepisse ex terra sua, Vr scilicet Chaldæorum, in qua ipse, fratrésque eius nati fuerant, relictis cognatis, & consanguineis; nisi qui fortè vltrò comites peregrinationis esse vellent, vt Tostatus, & Caietanus notarunt, & res ipsa docet. Nam ipsemet Pater profectionis se non solùm socium, sed etiam ducem præbuit, vt ante diximus, idque ob amorem in filium, vt ait Chrysostomus. De Nachor autem, qui ad eandem Tharæ familiam pertinebat, meritò dubitatur. Nam Scriptura texens Catalogũ personarum, quæ de Vr Chaldæorum egressæ sunt, illum præteriit filium Tharæ, cùm eius nepotis, ac nurus meminisset, minimè sine dubio præteriturus, si in illo migrantium cœtu repertus esset. E contrariò Iosephus omnes simul migrasse ait cum Thare; D. etiam Chrysostomus in Genes. vt habetur tam in editis, quàm in manuscriptis codicibus, nominatim ponit Abram & Nachor eductos à Thare ex terra Chaldæorum. itáque recitat ex textu scripturæ: ex memoria fortasse vt fit, non consulto libro. Nam nusquam omninò in scripturæ textu Græco Nachor eductus reperiatur à patre.

(Ibid. — hom. 31. — l. 1. c. 6. — hom. 31.)

IX. *Non fuisse.*

SED nec olim tempore D. August. nam is, causam inquirens, cur ille præteritus fuerit. *Nusquam*, inquit, *hic nominatus Nachor, & vxor eius Melcha, sed inuenimus postea, cùm seruum suum mitteret Abraham, ad accipiendam vxorem filio suo Isaac, ita scriptum; & accepit puer decem camelos de camelis domini sui, & de omnibus bonis domini sui secum, & exurgens profectus est in Mesopotamiam, in ciuitatem Nachor. Isto, & aliis sacræ huius historiæ testimoniis ostenditur, etiam Nachor, fratrem Abrahæ exisse de regione Chaldæorum, sedésque constituisse in Mesopotamia, vbi cum patre suo habitauerat Abraham. Cur ergo Scriptura eum non commemorauit, quando ex gente Chaldæorum cum suis profectus est Thara, & habitauit in Mesopotamia, vbi non solùm Abraham filius eius, verùm etiam Sara nurus eius, & Loth nepos eius commemorantur, quod eos duxerit secum? Cur putamus, nisi fortè quod à paterna, & fraterna pietate desciuerat, & superstitioni adhæserat Chaldæorum; & postea inde, siue pœnitendo, siue persecutionem passus, quod suspectus haberetur, & ipse emigrauit?* Sic Augustinus. Occurrit mihi etiam alia suspicio, videtur enim præproperus fuisse discessus Tharæ cum Abram, & reliquis; nam Achior dicit eos non discessisse, sed fugisse in Mesopotamiam. Nachor igitur quibusdam remoris præpeditus, tempori ad discessum expeditus non fuerit; sed mox tamen exolutus impedimentis patrem, fratrémque etiam ipse secutus fuerit, & cum iis habitauerit in Charan, & quinquennio post cum fratre patrem defunctum sepelierit, vt ait Iosephus, nec tamen cum eodem in regionem Chananæorum emigrate voluerit[4].

(l. 16. de Ciu. c. 13. — 4. X.)

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2108.

N. III. I. Vtraqve tamen quasi vna eadémque à Scriptura profertur, quia vtriusque vnus idémque finis fuit, vnica vocantis intentio, profectio scilicet in terram Chanaan, vt rursus anno Abrahæ septuagesimo sexto dicemus.

N. IV. 2. Temporario in Chron. Bibliandro in tabula tertia Chronologica, vbi vult quadringentos triginta annos quorum meminit Moses Exod. 12. 40. ab hoc anno incipere, quadringentos autem à natiuitate Isaac. Itémque Viguerius in Chronol. Capellus in anno Abrahæ septuagesimo, Tremellius Genes. 11. Beza in 7. Actuum versu sexto, Laurent. Codomanus l. 1. Chron. cap. 3. id scriptum reliquerunt. Verùm eam quæstionem ego nunc intactam relinquo, satis enim mihi est, plures scriptores egressionem Abrahæ ex Chaldæa ad annum eius septuagesimum referre.

Textus Græcus sic habet. Καὶ προσεκύνησαν τῷ Θεῷ τοῦ οὐρανοῦ, Θεῷ ᾧ ἐπέγνωσαν, καὶ ἐξέβαλον αὐτοὺς ἀπὸ προσώπου τῶν θεῶν αὐτῶν, καὶ ἔφυγον εἰς Μεσοποταμίαν, καὶ παρῴκησαν ἐκεῖ ἡμέρας πολλάς. Καὶ εἶπεν ὁ θεὸς αὐτῶν ἐξελθεῖν ἐκ τῆς παροικίας, καὶ πορευθῆναι εἰς γῆν Χαναάν. N. VI. 3.

Ponit hoc anno Eusebius initium regni Telasionis quinti Sicyoniorum regis; in Græco Eusebij dicitur Θελξίων. N. IX. 4.

ANNVS MVNDI 2113. DILVVII 457. 3. ÆTAT. 75.

SEMI 555. SALÆ 390. HEBER 360. THARÆ 205. ET VLTIMVS. ABRAHÆ 75. NINYÆ 23. IMPERII ASSYRIORVM 182.

ANTE CHRISTI ORTVM 1940.

I. *Obitus Tharæ.* Nobilitatvr hic annus, morte Tharæ Patriarchæ, filij gloria quàm propria longè clarioris. Mortis locum & tempus assignat Scriptura. Genes. 11. Confirmat nostram Chronologiam Chronicum Alexandrinum, vbi habet anno septuagesimo quinto Abrahæ mortuum esse Tharam patrem eius. p. 119 edit. Græco-Lat. Funus à filiis curatum, Abrahamo, inquam, & Nachore memorat Iosephus, vt paulò antè retulimus. Verùm explicanda est hoc loco non ignobilis quæstio, fueritne Thare idololatra, necne. Non enim desunt, quæ in vtramque partem dicantur, & ancipitem lectorem reddant.

II. *Opinio, Tharam vixisse, ac obiisse idololatram.* Partem ergo aientem propugnant Hebræi apud Lyranum in vndecimum cap. 11. Genes. & Tostatum, quæst. vigesima in eundem locum, aiunt enim eum in cultum idolorum tam perditè insanisse, vt Abrahamum auersantem idololatriam apud Nembrodum accusaret, cuius imperio ignis apud Chaldæos adorabatur. Eiusdem etiam iussu Abrahamum in ardentem fornacem fuisse coniectum, ibique diuino beneficio incolumem perdurasse. Interea autem Aramum astantem in corde suo, dixisse, securum se fidem Abrahæ, si illæsus egrederetur ab incendio, sin minùs ignem cum cæteris culturum. Cùm igitur Abraham euasisset incolumis Aramum dixisse eadem se cum fratre sentire, & coniectum in ignem cùm minore esset fide quàm Abraham, neque ad tam magna diuinitus destinatus, deflagratione consumptum. Sic illi. Malè quoque audit Thare apud Epiphanium, vt suprà non semel retulimus, eo nomine, quod primus statuarum, quibus diuinus honor impenderetur, fabricator extiterit; proptereáque filium præmatura morte, diuina animaduersione perdiderit; quæ Suidas ferè sequitur verbo Serug; & verbo Abraham ait *ante discessum è terra Chaldæorum patris simulachra partim confregisse, partim exussisse.* Sed pro hac sententia longè pugnaciùs certat Iosuë, vbi Thare nominatim ponit in patribus Israëlitarum, cap. 24. 2. qui ab initio trans flumen habitarunt, & seruierunt diis alienis. Itáque eum locum intelligit Theodoretus in Iosuë. q. 18. *Deinde docet*, inquit, *quòd Thare coluerit Deos alienos, & propterea Dominus Deus segregauerit Abraham, quem transtulit in hanc terram;* Idémque videtur sentire diuus Augustinus, diuus etiam Chryso- l. 16 de Ciu. c. 12.

hom. 31. ſtomus in Geneſ. *Viſus Abrahamo Deus imperauit vt inde migraret. Quod vt cognouit Thara pater eius, licet infidelis eſſet;* (ὁ καὶ ἄπιστος ἐτύγχανεν) *attamen ob amorem in filium, ſocius illi peregrinationis eſſe voluit.* Sic Chryſoſtomus; qui etiam in infidelitate mortuum Thare exiſtimauit, vbi agens de morte Abrahæ, à Deo prænunciata. *Abibis*, inquit, *ad patres tuos, non carnales dicit, qui enim poterat? Incredulus enim erat pater eius, & non erat poſſibile vt eundem locum caperet, quem ille. Hiatus enim*, inquit, *magnus eſt inter nos, & vos.* (hom. 37. Geneſ. 13.)

III. *Altera ſententia motior.*

PRO parte negante eſt Scriptura Iudith quinto, vbi dicuntur patres Iſraelitarum eiecti ex Chaldæa, quod idolis ſeruire nollent, & fugiſſe in Meſopotamiam. Atqui iſti memorantur à Moyſe, non ſolùm Abraham & Loth, ſed etiam Thare. Idémque ſentit, ac ſcribit Auguſtinus, quem ſuprà retulimus, & Toſtatus in vndecimum Geneſ. & Pererius in eundem locum, vbi ad concilianda hæc loca aiunt, dum Thare manſit in Chaldæa, veri Dei cultorem fuiſſe, purúmque ab idololatria ſe conſeruaſſe, atque ea de cauſa perſecutionem paſſum inde profugiſſe. Dum autem habitaret in Charan, paulatim corruptum fuiſſe, ſiue gentis illius conſuetudine, ſiue Nachoris aduentu, quem idola coluiſſe ſatis conſtat ex Geneſ. trigeſimo primo, vbi Laban cultor idolorum inuocat Deum Nachor, quem opponit Deo Abrahæ. (ann. Abrahæ 70. n. 8 qu. 20. num 254.)

IV. *Nec ſatis probabilis.*

VERVM hæc non ſatis conſentanea ſunt eorum opinionibus, qui volunt nullam penè moram factam in Charan, ſed eodem anno tam migrationem ex Chaldæa, quàm mortem Tharæ, & profectionem Abrahami in Chanaan contigiſſe; quomodo enim paulatim corrumpi potuit conſuetudine gentis illius, ſi ibi mox, & labore itineris, & ætate confectus eſt mortuus? Aut quomodo rem tantam Abrahamo curæ non fuiſſe ſuſpicabimur? Neque enim abfuit Abraham. Nam teſte Chryſoſtomo. *Non antea Deus Abrahamum inde euocauit, donec mortuus eſt Thare.* (hom. 31.)

V. *Tharæ initia deteriora; laudabilis finis.*

CONCILIANDA potiùs in ſpeciem diuerſa loca cenſerem, aſſerendo Thare aliquando in Chaldæa idololatria contaminatum, ſed mox diuinitus, Abrahami etiam opera conuerſum fuiſſe, atque in vero Dei cultu cum Abrahamo filio perſeueraſſe: Priorem aſſertionis partem confirmant verba Ioſuë, quæ non ſimpliciter faciunt Thare idolorum cultorem, *ſed cùm habitaret trans flumen, ſicut & cæteri Patres.* (cap. 24. 2.) Chryſoſtomus ita videtur ſentire, qui ait, *Abrahamum ab initio nullum externum ſortitum fuiſſe doctorem, ſed ab infidelibus*, inquit, *parentibus educatus diuina apparitione potitus eſt. Nam quia prima ætate errorem paternum ſecutus non eſt, ſed pietatem diuini cultus ſeruauit, ideo ſupernam viſitationem citò obtinuit*, &c. (hom. 36.) Vbi vides tam pietatem Abrahæ à primis annis, quàm Tharæ infidelitatem eodem tempore confirmari à Chryſoſtomo. Poſteriorem partem probat Abrahæ pietas in Deum, & in patrem ſuum, Dei quoque in Abrahamum amor, & in ſenem, qui pro eius cultu perſecutionem paſſus, patria exularet. *Non enim iniuſtus Deus*, ait Paulus Apoſtolus, *vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* (Hebr. 6. 10.) Quin etiam exiſtimo cum Torniello, qui hanc quoque de Thare ſententiam amplectitur, cauſam commorationis Abrahæ in Haran cum patre ſuo fuiſſe, vt ne eum decrepitum, & penè animam agentem, ſpirituali auxilio deſtitutum, ad piè & religiosè moriendum, deſereret. Præſertim cùm non exigui temporis profectionem, ſed perpetuam tranſmigrationem institueret; & intelligeret Deo gratum eſſe, vt tam pio, ac neceſſario officio non deeſſet; & ratio humanitatis, ac iuſtitiæ poſtularet, vt quoniam pater in gratiam filij patriam deſeruerat, filius in gratiam patris inſtitutam, atque inchoatam peregrinationem ad aliquod tempus differret.

VI. *Refellitur poſtrema opinio.*

AD obiecta verò ita reſponderi poteſt, fabulam illam inſulſam eſſe, & à Lyrano, Toſtato, Pererio, nobíſque ſuprà refutatam; rectéque dici poſſe inſanire Hebræos, qui tam alienum ab omni ſenſu humanitatis faciunt Thare, potiùs quàm tam grandem natu parentem ita in filios inſaniſſe. Epiphanius autem, & Suidas traditionem Hebræorum recitant, nixam, vt apparet, aſſertioni Ioſuë, (c. 24. Ioſ.) & præmaturæ morti Aran, & perſecutioni Chaldæorum aduerſus Abraham; ſed vehementer amplificatam. Iam verò locus Ioſuë explicatus eſt à nobis, cui

sine dubio non quadrat explicatio Pererij, aut Tostati. D. Chrysostomo repugnat Scriptura, & D. Augustinus, qui vtrumque propter confessionem veri Dei ex patria profugisse tradunt. Dicamus ergo Thare plenum dierum in senectute bona, animam Deo, pro cuius honore persecutionem passus fuerat, in manibus Abrahæ filij sui piè reddidisse, in fide, spe, & charitate venturi Messiæ.

ANNUS MUNDI 2114. DILUVII 458. 3. ÆTAT. 76.

SEMI 556. SALÆ 391. HEBER 361. ABRAHÆ 76.
PROMISSIONIS 1. NINYÆ 54. IMPERII
ASSYRIORUM 183.

ANTE CHRISTUM 1939.

I. *Ratio temporis.* SEPTUAGINTA *quinque annorum erat Abram, cùm egrederetur de Charam*, vt ait Moses, (cap. 12. 4.) quos de more absolutos numeramus, vt phrasis ipsa videtur exigere, qui enim septuaginta quinque inchoauit, est tantùm septuaginta quatuor, & aliquot hebdomadarum, vel mensium[1]. Itaque licet non desint qui ipsum annum septuagesimum quintum velint esse primum profectionis Abrahæ ex Haran, & peregrinationis in Chanaan; rectiùs tamen alij ipsum septuagesimum sextum primum esse volunt, quæ est Eusebij in Chronico sententia, & eorum omnium, qui eum sequuntur, quorum magnus est numerus; non enim alioqui octogesimus quintus Abrahæ, erit decimus repromissionis, prout in omnibus libris notatum est, nisi septuagesimus sextus sit primus, sed erit vndecimus[2], & ita deinceps in cæteris decadibus, & numeris. Hunc quoque primum annum repromissionis numerat Iosephus absoluto septuagesimo quinto Abrahæ[3]. *Reliquit*, inquit, *Chaldæam septuaginta & quinque natus annos, iubente Deo in Chananæam demigrare.* Quod si exiens è Chaldæa erat iam septuaginta quinque annos natus, quanto magis ex Haran? Apertissimè Marianus Scotus. *Primus annus*, inquit, *repromissionis Dei ad Abrahamum, septuagesimus sextus ætatis eiusdem Abrahæ.* Idem habet Ioannes Lucidus, & è sectariis Codomanus, Brougtonus, Capellus, & si qui alij accuratiùs hæc tempora expenderunt: licet Torniellus septuagesimum quintum Abrahæ faciat primum repromissionis, quia commorationi in Charan vnum tantùm annum tribuit; qui etiam habeat exitum ex Vr Chaldæorum; quod nos improbauimus. Itaque deinceps in enumerandis promissionis annis, vno ab ipso anno differemus.

1. ✗.
2. ✗.
3. ✗.

II. *Altera vocatio, & profectio Abrahæ.* MORTUO itaque Thare, iustisque ei superiore anno persolutis, Abraham eo impedimento profectionis expeditus, intentus erat in diuinam voluntatem, dicebàtque in corde suo; *Domine, quid me vis facere?* Cùm enim non obstante priore iussione de adeunda regione Chananæorum, in Charan aliquot annos cum patre substitisset, ignorabat an Deus in eo loco moram diuturniorem exigeret. Ergo Deus illum iterarò monet, vt inchoatam peregrinationem, quinque annis intermissam, redintegret. Huius secundæ vocationis in Haran factæ testis est Moses capite duodecimo; vbi post eam factam, ait Abrahamum cum suis exisse de Haran, *sicut præceperat ei Dominus;* Non præcepit autem illi in Chaldæa, vt exiret de Haran, in quam nondum ingressus fuerat: sed quia priorem vocationem, quam exposuit D. Stephanus, (Actuum 7.) Moyses prætermiserat, quòd illa egressio, ductu & auspiciis Tharæ, potiùs quàm Abrahæ facta videretur; nunc vtrámque coniungit, & quasi vnicam profert, quia vnus, & idem erat vtriusque finis, & ad vnum eundémque Abrahamum propriè spectabat. Nam si D. Stephani verba spectemus, quibus prior vocatio continetur, nudum iis præceptum egressionis traditur; posterior autem etiam promissiones videtur habuisse, quas Moyses cum præcepto migrationis iungens, vnam ex gemina vocatione conflauit. Et ita scriptorum plurimorum tam antiquorum quàm recentium conciliantur opiniones, quorum aliqui id oraculum in Chaldæa factum asserunt, alij in Mesopotamia. Vtrobique

enim factum asserimus, iuxta ea quæ anno septuagesimo Abrahæ scripsimus; sed additis addendis, quæ scrupulosiùs non distinxit Moyses, contentus primum oraculum referre in secundo loco, vt hoc quoque in loco factum fuisse significaret.

III. *Et præstãtius fides, & obedientia.*

IN hac porrò euocatione, & eductione Abrahæ de terra sua, & de cognatione sua, &c. multa virtus Abrahæ, multa Dei magnificentia ac liberalitas demonstratur; fidem enim & obedientiam celebrat Paulus ipse, cùm alibi sæpè, tum
cap. 11. Hebræorum vndecimo, & quidem cæcam obedientiam eius qui *exiit, nesciens quo iret*, & quantum in se fuit, patrem, & patriam, & cognatos, & omnia deseruit, nisi illi sponte profectionis comites esse voluissent: paratus abire solus, quos tamen reiicere ooo habuit in mandatis; exiit inquam, & quidem sine vlla spe mercedis, ostendens in se eximium rerum humanarum contemptum, & amorem in Deum, in cuius gratiam cuncta despiceret. Non enim Deus cùm primum eum euocauit, ait, *Veni in terram*, quam dabo tibi, sed *quam monstrauero tibi*, vt ait Stephanus, qui planè promissiones omnes omisit, significans fortasse, vt dixi, eas ad secundam vocationem, quæ huius est temporis, pertinere.

IV. *Et Dei in eum munificentia.*

VERVM Deus, qui hominum in se charitatem mercenariam quidem esse non vult, mercede tamen carere non patitur, vltro ei mercedem offert omni ex-
c. 12. n. 4. pectatione maiorem. *Solet*, inquit Del Rio in hunc locum, *vaga, & incerta peregrinatio liberorum procreationi efficere, opes deterere, maculare famam, amicitias soluere. Contraria cuncta Deus Abrahæ peregrinaturo in præmium obedientiæ pollicetur, primum posteritatem copiosam, faciámque te in gentem magnam, non carnalem tantùm*, quæ stellas cœli numero, & arenas maris æquet, *sed spiritualem*; vt sit futurus omnium credentium pater. Deinde opes, copias, digoitatem, corporis incolumitatem, longæuos dies. (*& benedicam tibi*) hæc enim omnia benedictionis nomine continentur. Accedit fama, & gloria, nominísque celebritas, quæ toto terrarum orbe, in omnes annos consequentes propagetur, *& magnificabo nomen tuum*. Denique omni benedictionum genere cumulaberis, *erísque benedictus*; quòd ad benedictionem fœlicitatis æternæ meritò referre possumus, qui est status omnium bonorum aggregatione perfectus; ad quod significandum in Hebræo abstractum pro concreto pooitur; sicut Deus, non tantùm sapiens, & verax, sed veritas, & sapientia dicitur, ad significandam veritatem, & sapientiam omni ex parte perfectam. Quin etiam in gratiam tui amicus ero amicis tuis, id est beneficus; amicitia enim Dei in homines, beneficentia est, *benedicam benedicentibus tibi*; inimicis autem tuis hostis ero, eósque suppliciis afficiam, *maledicam maledicentibus tibi*, quòd non solùm de ipso Abraham, sed de populo etiam ex eo nascituro intelligitur. Denique, quòd omnium maximum & summum est, *in te*, id est in semine tuo, quod nascetur ex te, *benedicentur vniuersæ cognationes terræ*, nimirum in Christo Iesu Domino nostro filio Abraham,
Ephes. 1. 3. in quo pater *benedixit nos omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*; per quem omnibus mundi nationibus acquisita est gloria, sine quo nemini filiorum Adam benedictio cœ-
l. 16. de ciu. c. 16. lestis concederet. Vide Diuum Augustinum, & Lipomanum in Catena. Sed iam Abrahamum abeuntem prosequamur, sociósque eius, & commeatum videamus.

V. *Abit Abraham ex Haran.*

EGRESSVS est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus; tam in Chal-
4. x. dæa, quàm in Mesopotamia [4], egressus autem ex mero Dei aliò vocantis imperio, non coim Mesopotamitarum persecutionibus fatigatus, vt Iosephus ait, consilium migrandi cœpit; nam opes ibi acquisitæ, & familiæ amplitudo non sunt indicia persecutionum; nec rectè facit, quòd diuinum imperium, in proprium hominis consilium vertit: qnasi ipse sibi profectionis auctor fuerit, & non Deus; nam quòd subdit, *Et voluntate ac fauore Dei fretus terram Chananæam tenuit*, ad confectionem itineris pertinet, non ad consilium, & iussionem conficiendi [5]. Sed nec ex Haran migrauit Abrahamus, Nachoris idololatria of-
5. x. fensus, vt quidam putant; existimari enim rectè potest, ipsum quandiu fratris consuetudine vsus est, pietatis fuisse cultorem, paulatim verò Abrahamo

absente deprauatum. Quòd autem fratrem non fuerit comitatus, causam fuisse dicemus, vel quod incertæ peregrinationis pertæsus esset, ad quam præsertim non vocabatur à Deo, qui eam hæreditatem solis Abrahæ posteris destinauerat; vel quod præsentis loci commoditas, vberras, salubritas ipsi admodum blandiretur, vbi iam, sicut & frater, plurimam substantiam acquisiuerat.

VI. *Qui eius viæ Comites,*

NIHILOMINVS iuit cum eo Loth; septuaginta quinque annorum erat Abram cùm egrederetur de Haran. Lot autem iuxta ea quæ diximus, decimo anno Abrahæ, sexaginta sex, Sara verò sexaginta quinque. Vtrumque assumpsit viæ comitem Abraham, hanc quidem vt vxorem indiuiduam vitæ comitem, illum autem vt nepotem, & amantem sui, qui patruum coleret instar patris. Nam quod adoptatum Lotum ab Abraham scribit Iosephus, quòd germano filio careret, probatum quidem videtur à Diuo Chrysostomo, qui huc, vt apparet, respiciens. (hom. 31.) *Quare*, inquit, *cùm Dominus dixerit, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, hunc assumpsit? Non fuit inobediens Domino, sed fortè quia iuueni erat fratris loco præfectus, & ille ob singularem amorem, morúmque suauitatem à iusto diuelli noluit, & hac de causa Abram eum assumpsit, & filij loco postea habuit; præsertim quod tam grandæuus, nullum adhuc habebat filium propter Saræ sterilitatem.*

VII. *An Lot adoptatus ab Abrahamo.*

VERVM id aliis non probatur, præsertim Pererio in hunc locum, (num. 59.) quòd post aduentum eorum in Chanaan, cum fratrem appellauit non filium, (Gen. 13. 8.) quòd factum oportuisset, si eum iam adoptasset in filium. Quin & constituisset eum hæredem bonorum suorum, non autem illum à se, quasi alterius familiæ patrem, segregasset. Accedit quod quem Chrysostomus νέον, id est iuuenem, aut adolescentem vocat, sicut & Philo in libro de Abram, grandem iam natu fuisse diximus. Et cùm Aran eius pater maturè mortuus fuerit, & constet sororem eius Saram hoc tempore sexaginta quinque annorum fuisse, non potuit Lot esse iuuenis. Verùm non prohibuit Dominus ne Abraham quemquam de cognatis, aut necessariis suis assumeret, si illi vltrò comites esse vellent; modo ipse exiret de terra, & cognatione sua, siue multo, siue nullo suorum comitatu, vti iam cum Tostato, & Caietano, imò & Chrysostomo diximus. Hæc de sociis.

VIII. *Quis commeatus, & familia.*

DE commeatu autem, *Tulitque*, inquit Moyses, *vniuersam substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Haran.* Pecora intelligit substantiæ nomine. Hæc enim maximæ erant Patriarcharum diuitiæ, vt de Iobo constat, & de ipso Abraham, & Lot; (Gen. 13.) quamquam etiam possessionem auri, & argenti intelligere nihil vetat, vt ex eodem Genes. loco patet. Animas autem intelligit homines, non quos genuerat Abraham, nam decem adhuc annos liberis caruit; potuit tamen Lot genuisse filias suas, quæ viris tradebantur tempore deflagrationis Sodomiticæ, (Gen. 19.) annis ab hinc ferè viginti quinque. Verùm probabilius est in terra Sodomorum natas, præsertim cùm Moyses de progenie Lot nihil dicat hoc loco, alioqui, vt apparet, non omissurus; intelligit ergo seruos & ancillas emptitias, & vernas ex illis magno numero natos. Onchelus in paraphrasi Chaldaica animas quas fecerant, interpretatur, quas subiecerant legi. (Fagius.) Nam, vt ibi interpres ait, Hebræi tradunt Abrahamum viros, Saram verò mulieres in vero Dei cultu instituisse, atque ita eas Domino procreasse. Idem habet Tostatus hoc loco, eámque verborum sententiam in primis probat, iuxta illud Apostoli, (Gal. 4.19.) *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Existimátque probabile eos, quos in eo loco ad Dei veri cognitionem, cultúmque traduxerant, cùm abeuntibus esse profectos in terram Chanaan, vt magis ab eis erudirentur, & ne si in Haran remanerent, iterum ad idolorum cultum, impiorum consuetudine, & persecutione transferrentur; eadem habet Pererius. (in c 12. n. 56) Sed priorem expositionem præfert.

IX. *An Damasci substiterit, aut etiam regnauerit.*

PORRÒ huic multitudini comitum inferioris notæ, fauet tum illud quod scribit Moyses, de expeditis ad pugnam trecentis octodecim vernaculis suis, (cap. 14.) tum quod scribit Iosephus ex Nicolao Damasceno, Abrahamum cum exercitu, è regione suprà Babylonem sita, venisse Damascum, ibique regnasse, nec ita

multò pòst inde cum suo populo migrasse, & sedem in terram tunc Chananæam, nunc verò Iudæam nominatam transtulisse. Et cætera quidem non malè Nicolaus iste, de regno autem non satis probabiliter, quantumuis dissimulante Iosepho, & fauente Iustino, qui ait, *Damascum quendam regnasse Damasci, indéque Abrahamum, Moysem, Israelem.* Tam verum id de Abrahamo, quàm de Moyse, qui nunquam Damascum vidit. Excluditur porrò hoc figmentum angustiis temporis, nam cùm hic annus sit septuagesimus sextus Abrahæ, & idem post annos decem commorationis in Chananitide, acceperit Agar vxorem, ex qua anno octogesimo sexto suscepit filium Ismaëlem, apparet eum rectà è Mesopotamia in Chananæam venisse; nec tempus vllum isti regno reliquum esse. Deinde siue vi, siue precario regnum illud accepit, quomodo tam citò deseruit, præsertim fame ad Ægyptiacam illum peregrinationem compellente? quomodo rem tam illustrem ad Iudaicæ gentis gloriam, neque Moyses, neque Prophetæ, neque Apostoli, neque vllus omninò Scriptorum sacrorum, qui Abrahæ laudes celebrant, vel vllo verbo attigerunt? cùm & regnasse, & sponte regnum, obeundæ peregrinationis diuinitus mandatæ causa, reliquisse, magnam veræ commendationis segetem subministret. *Neque verò non grauiter peccasset Abraham*, inquit Pererius, *neque Dei mandatum, quo iubebatur ex Mesopotamia ire in terram Chanaan, vt par erat, executus fuisset, si Damasci non solùm commorari, verumetiam, post habitis Dei promissis, regnum sibi comparare studuisset. Adde quod Abraham vbique se peregrinum, & aduenam esse dixit; idémque de se, suisque maioribus professus est Iacob. Nusquam igitur ille propriam sedem, aut domicilium, nedum regnum obtinuit.* Hæc & plura Pererius.

lib. 36. | in c. 12. n. 58.

FACESSAT ergo commentum hoc, regnúmque commentitium, ex quo illud si videtur, accipiamus duntaxat, vt illac Abrahamum transisse, ingredientem in Cananitidem existimemus; illic fixisse tentoria, ibi dies aliquot substitisse; ex quo deinde datum nomen illi vico, quem idem ait, vocatum Abrahami domicilium; idem validius confirmatur ex Septuaginta interpretibus: nam vbi nos legimus, *Pertransiuit Abram terram, vsque ad locum Sichem*; illi habent, *Et perambulauit Abram terram in longitudinem ipsius, vsque ad locum Sichem*; quomodo etiam legit Chrysostomus. Tostatus quæstione vigesima tertia, putat eum transisse per Emath, siue Reblata, quia inde intrauit, & exiuit Nabuchodonosor Rex Babylonis, cùm Iudæam oppressit, & Hierusalem perdidit, ex Emath autem vsque ad Bersabee longitudo terræ promissæ desumitur. Itaque non assentior Torniello, existimanti Abraham venisse per eandem viam, quam postea Iacob veniens de Mesopotamia perambulauit, scilicet per montem Galaad, & Manaim, & Socoth, & Salem, & Sichem. Ea enim est latitudo terræ Chanaan, non longitudo. Et sanè si quid Ptolemæi tabulis fidimus, venientibus ex Haran, siue Charris in Sichem (quæ postea appellata est Neapolis, quo modo ab eodem Ptolemæo in quarta Asiæ tabula vocatur) rectissima via est per Damascum, adeò vt tentum filum ab vno locorum illorum ad alterum, ad portas Damasci penè transeat [6]. | X. *Ingressus Abraham in Chananitidem, & aduentus in Sichem.*

hom. 31. in c. 12. Genes. | 6. ☧.

PORRÒ Sichem, quæ & Sichima, & Sichimi, & Sichar, &, vt quibusdam placet, Ephron dicta olim fuit, post ruinam verò posterioribus temporibus restaurata, dicta est Neapolis, vrbs Leuitarum fuit, refugio destinata, Metropolis Samariæ, adeò vt Salem, quæ postea Ierusalem iuris Sichimorum esset, vicinos habuit montes Hebal & Garizim à Moyse celebratos, sita fuit in monte Ephraim, amœnitate, & delitiis abundans. Breidembachius putat Neapolim non planè in ruinis veteris Sichen restitutam, sed aliquantò longiùs, quantum scilicet bis arcus iacit. Vide Adrich. Hanc vrbem Abrahæ primum vestigiis nobilitatam, honorauit Iosue moriturus totius populi comitiis, & renouato cum Domino fœdere. Idem locus Patriarchæ Ioseph ossibus ditatus est, vbi & puteum habuit dono patris sui Iacob. In ea maxima regni pars à Roboamo defecit; eadem Ieroboamo primo Schismaticorum Regi perfugium fuit. Eam denique vrbem Christus Dominus præsentia sua, prædicationéque nobilitauit. vide Hieronymum, Masium, & Brocardum. | XI. *Eius Mora in Sichem; & quæ vrbs fuerit.*

Gen. 33. 18. Deut. 11. Iosue 20. 7. in Tribu Ephraim, n. 91. Iosue 24. 1. 25. Iosue vlt. 32. Ioan. 4. Ioan. 4. De loc. Hebr. in 20. Iosue & 24.

XII. *Aduentus in conuallẽ illustrem.*

CVM autem Abraham ad locum Sichen aliquandiu substitisset, neque enim in vrbem ipsam cum populo suo ingressus videtur, vlterius progreditur meridiem versus, secundum longitudinem terræ Chanaan, venitque in conuallem illustrem, de qua Adrichomius horum locorum studiosissimus indagator, in tribu Manasse citra Iordanem numero 24. *Conuallis*, inquit, *illustris, quæ & vallis Saue, & vallis regis, Iosepho campus regius dictus, propter fertilitatem & amœnitatem. Hodie Aulonem Palæstini nominant, incipit à Bethsan, siue Scythopoli ad mare Galilææ, & extenditur secundum decursum Iordanis, vsque ad mare mortuum, erátque illustrißima, priusquam Dominus subuerteret Sodomam & Gomorrham, medióque Iordane irrigabatur, sicut paradisus Domini.* Hæc ibi, quæ partim ex Brocardo desumpta sunt.

CÆTERVM pro conualle illustri, Septuaginta habent quercum excelsam, propiùs ad verba Hebraica אלון־מורה eloo-moreh. Sed facilis est conciliatio eorum cum vulgata, quia ea planicies querectum habebat excelsis arboribus consitum, atque propterea spectabilis fuit, &, vt vertit Hieron. illustris. Vide Pereriũ, & Del Rio. In hac porrò planitie, quam Chananæi latè possidebant, apparuit Dominus Abrahæ in somnis, vt Caietano placet, aut vigilanti, vt mauult Pererius, & dixit ei, *Semini tuo dabo terram hanc, qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei;* sub initia videlicet planiciei illius, nam aliquantò vlterius in eadem valle aliud erexit, vt mox dicetur. In hunc locum Gen. 12. 6.

XIII. *Tertia Domini apparitio facta Abrahæ cũ promissione Chananitidis, & acceptatione.*

MVLTVM iam terrarum erat emensus Abraham, ex quo erat egressus ex Charan, & inter Chananæos peregrinabatur sine lare, sine solo, sine domicilio, cùm eum Dominus consolari volens, tertia ipsum apparitione dignatur; prima enim in Chaldæa fuit, ad iubendam migrationem è patria; altera in Mesopotamia, ad eandem redintegrandam post mortem patris; tertia ad eum in suscepta peregrinatione consolandum. Prima quidam habuit iussionem exeundi, vt eam retulit D. Stephanus, Act. 7. altera promissiones multiplices habuit, sed vniuersè, atque in genere; tertia particularem habet promissionem terræ huius, in qua peregrinabatur, de qua tanquam vniuersæ terræ Dominus, pro arbitrio & potestate disponit; in prima Dominum se Abrahæ demonstrabat, in altera parentem, in tertia posteritatis eius magnificum muneratorem. Act. 7. Eam autem regionem Patriarcha sanctissimus nomine posterorum suorum ita acceptat, vt iam tum, quasi in possessionem mitteretur, altare erigat, quòd sit insigne monimentum grati in Deum animi, simúlque acceptatæ, & acquisitæ possessionis indicium; denique consecratæ vero Deo regionis argumentum. Hæc est terra, quam se ei monstraturum promiserat, nunc liberalior factis quàm promissis, spondet se eius dominium ipsius posteritati traditurum.

XIV. *Perseuerat nihilominus peregrinus.*

PERMITTENS interea ipsum tanquam aduenam & peregrinum, in eadem terra oberrare. Et quamuis Dominus ipsius mentionem nullam faceret, non intulit aliquam mentionem sui, dicens, Ego autem quid? sed quasi oblitus sui, & suorum, quos secum habebat, & totius præsentis rerum status, in silentio gratias agit Deo, aram excitat, & sine dubio sacrificat, vt ait Tostatus, & Pererius, reliquáque religionis officia Deo cumulatè exhibet. Idem confirmat Iosephus, *Terram*, inquit, *Chananæorum tenuit, vbi sedibus positis Deo struxit aram, & hostias mactauit.* lib. 1. c. 7. ἱδρυθεὶς autem, non verè, nusquam enim habuit Abraham hoc tempore fixas sedes, vt series Mosaicæ narrationis apertè ostendit, & consentiunt omnes ad vnum. Idque Chrysostomus in primis ponderat. *Vidisti*, hom. 32. inquit, *quomodo non quiescat iustus ille, & nunc hùc, nunc illùc transeat*, &c. Et iterum, hom. 31. *Cum loca illa præoccupata essent à Chananæis cogebatur, quasi vagus & peregrinus, quasi abiectus & vilis aliquis diuersari, vt fortè obtingebat*, &c. Fusius tota illa & sequenti homilia. Verùm quod ad aram, ex qua digressi sumus attinet. *Vide*, inquit idem D. Chrysostomus, *piæ mentis specimen, & locum ipsum, ob suam cum* hom. 32. *Deo consuetudinem ibi habitam, consecrauit, & gratiarum actionem pro viribus declarauit. Hoc enim quod dixit, ædificauit altare Domino, idem est quod gratias pro promissis egit.* Sic Chrysostomus.

XV. Noua Abrahæ migratio ad Bethel.

Inde autem mouens progreditur in dicta conualle illustri versus Orientem, simul & Meridiem, hîc enim est situs Sichem, habita ratione Bethel, & Hai, vt patet ex tabulis geographicis Adrichomij. *Et inde transgrediens*, inquit Moyses, *ad montem, qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum ab Occidente habens Bethel, & ab Oriente Hai.* Erat enim orientalior Hai, & vicinior Iordani, quàm Bethel, quæ propius aberat à mari Mediteraneo, quod occidentalem regionem Iudææ allicit: ideóque in Hebræo, & Græco legitur, *à Mari habens Bethel.*

XVI. Quæ ibi gesta.

VIDETVR hoc loco Abraham diutius aliquantò, quàm in præcedentibus locis substitisse, eò quòd nominatim fit mentio fixi tabernaculi, cùm certum sit in reliquis quoque locis fixisse tentorium. nam paulò ante vbi Hieronymus vertit, *& inde transgrediens*, in Hebræo est, *& euulsit*, siue eradicauit, nimirum palos tentorij, quos terræ defixerat, ita Dominus diutius locuturus in monte, dicitur aperuisse os suum ad docendum. Quod vtique alibi quoque aperiebat. Deinde quod cùm antea quoque altare ædificasset, hîc specialiter additur *inuocasse nomen Domini*, quod alij vertunt, vt ait Vatablus, *& prædicauit alijs in eo loco Dominum*, quod sane peruelim maius habere, vel in textu Hebraico, vel in Græco fundamentum. Id tamen certè visum est D. Chrysostomo, *Volebat*, inquit, *hunc doctorem fieri, nunc quidem omnibus Palæstinis, paulò post autem etiam Ægyptijs.* idémque mox repetit, vt dicemus. Et perfectò id valdè consentaneum est, tam pietati Abrahæ, quàm eius zelo salutis animarum, quas idolorum cultu dementatas, perire videbat. Quin etiam altaria ipsa quæ erigebat, quæque in præsens vsui erant suis, vt in vera vnius Dei pietate, ac religione ipsi retinerentur, eam etiam ob causam, vt opinor, relinquebat Chananæis, vt essent eis memorialia, & inuitamenta pietatis: prætерquàm quod ipsemet suam religionem palam, & publicè profitebatur.

Homil. 31.

XVII. Ob famem adit Ægyptum.

NEQVE verò ad Bethel quies est Patriarchæ, inde enim vltra progreditur ad Meridiem, Ægyptum versus: opportunè, Nam *facta est fames in terra: descenditque Abraham in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi, præualuerat enim fames in terra*: præualuerat, quasi dicat, superauerat humanam industriam, cum ea colluctantem. Eius magnitudinem his describit verbis Philo. *Cùm diu laboratum esset frugum inopia, iam propter insolitos squalores, iam verò propter nimios imbres, vrbes Syriæ continua fame oppressa, desertæ fuerant ab habitatoribus, aliis aliò dispersis, quærendi victus gratia. Abram quoque audita Ægypti fertilitate, cuius campi solenni stagnatione fluminis rigati copiosas proferunt segetes, auris tempestiuis nutritas, illùc se cum omni familia contulit.* Sic ipse. Noua est hæc iusti probatio, exercitatióque virtutis. Nam ad vitam instabilem, & inquietam, in ignoto solo, ignotis hominibus, ignota lingua, accessit ingens fames, nam exiguæ non cessisset, fames, quæ magnæ familiæ patri, magnam sollicitudinem afferret; *Sed dispensabat Dominus*, inquit Chrysostomus, *vt non solùm Palæstinam incolentibus esset doctor, sed & ijs, qui in Aegypto erant, & lux virtutis eius manifestaretur omnibus: quasi enim luminare quoddam, eum, qui in Chaldæorum delituerat terra, illinc euocarat, vt eos qui in tenebris errorum sedebant, ad veritatis viam introduceret.* Hæc ipse.

in lib. de Abram.

Homil. 32.

XVIII. Improba Iosephi de Abrahamo opinio.

lib. 1. c. 8.

LONGE sapientius ac verius quàm Iosephus, qui eum parum constantem in sua in Deum fide repræsentat. *Fame*, inquit, *Chananæam terram inuadente, Abrahamus audita Aegypti vbertate proficisci illuc decreuit, tum vt copiis eorum frueretur, tum vt sententiam sacerdotum de diuinitate cognosceret, aut secuturus illorum opinionem, si modò melior esset, aut ipse rectiora eis commonstraturus.* Ain tu seriò paratum Abrahamum mutare religionem, siquis meliora demonstraret? Nonne certò sciebat, non posse dari meliorem ea, quam profitebatur ipse; imò ne bonam quidem, quæ ab ea discreparet? Potuit id quidem, ipse de se cum tacita quadam ironia dicere. At qui Historicus ita sine vlla dissimulatione loquatur (nullam enim omninò præ se fert eius oratiu) certè ancipitem illum in religione demonstrat, & alternantem; nedum ad mortem obeundam, pro ea propugnanda.

XIX. *Tempus huius peregrinationis.*

QVOD ad tempus attinet satis constare video sub extremum hunc annum istam in Ægyptum peregrinationem contigisse [7]. Nam in Seder-Olam, apud Genebrardum legimus, eam hoc anno factam. *Is ipse est annus*, inquit, *quo exiit Abram pater noster de Haran, est annus famis cuius causa descendit in Aegyptum, vbi transegit tres menses*, sic ibi. Extremum autem annum requirit longitudo obitæ iam peregrinationis ex Haram, Damascum vsque, quæ apud Ptolemæi tabulam, duplo maior est, quàm Damasco vsque ad Sichem. Deinde ea, quæ in terra Chanaan facta est, toties fixis, refixisque tentoriis, erectisque altaribus. Accedebat multitudo pecorum, mulierum, paruulorum, quos necesse erat lentè progredi, & sæpè quiescere, ne omnes, quòd timebat Iacob, vno die morerentur. 7. x.

XX. *Abrahæ pro vxore sollicitudo.*

EXTREMO ergo anno proficiscitur, aut *descendit Abraham in Aegyptum*. Regionem scilicet multò decliuiorem Palæstina, ad quam vice versa ex Ægypto ascenditur, vt passim loquitur Scriptura. Sed dum maximè profectionem adornat, valde ancipiti cura, & cogitatione distrahitur. Nam hinc fames iter non suadet, sed extorquet: è contrario metus mortis, vel dedecoris propter vxorem, ab eo vehementer reuocat, atque auertit. Tandem *hæc alternanti potior sententia visa est*, vt eam sororem fateretur, dissimularet vxorem, vt illi spe coniugij (quòd viuo marito nullum esse poterat) fratrem colerent, qui virum interfecturi erant; quod tamen coniugium sperabat diuina prouidentia impeditum iri, sicut & factum est, quòd fortassis etiam Deo reuelante præuiderat. Alioqui maluit vxorem suam exponere periculo incontinentiæ, quàm seipsum periculo mortis; *Vxorem*, inquit Augustinus, *tacuit, non negauit, coniugis tuendam pudicitiam committens Deo: & humanas insidias cauens vt homo, quoniam si periculum quantum cauere poterat non caueret, magis tentaret Deum, quàm speraret in Deo.* Sed Scripturam audiamus. *Cùm prope esset*, inquit, *vt ingrederetur Aegyptum, dixit Sarai vxori suæ. Noui quod pulchra sis mulier, & quod cùm viderint te Aegyptij, dicturi sunt, vxor ipsius est, & interficient me, & te reseruabunt. Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis, vt benè sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.* c. 13. 1. lib. 16. de ciu. c. 19.

XXI. *Qualis Saræ pulchritudo.*

MIRVM est primo celebrari pulchritudinem mulieris, quæ sexagesimum quintum prætergressa esset annum, & non potiùs pendula cute rugis exaratam dici. Num zelotypia mariti oculis illudebat? An dicendum Saram multùm de pristina pulchritudine retinere potuisse, vt quæ necdum conceperat, aut pepererat, aut educauerat prolem? Ergo ærumnis, & doloribus partuum nondum exercita, multum retinuerat pristini floris, ac decoris. An potius pulchra erat comparatione mulierum Ægyptiarum? cute nigerrima, capillo crispo, ac breui, simo naso, prominentibus labris, felleis oculis, carne durissima, toto corpore ad seruitutem nato. Ita sensit Tostatus. q. 29. in hunc locũ.

XXII. *Cur metuit ab Aegyptiis pro vxore.*

DEINDE, quare timuit Saræ ab Ægyptiis, potius quàm à Chananæis? viris alioqui pessimis, vt docuit aliquantò post diuina animaduersio in habitatores vallis illustris. An Ægyptij magis erant in amorem mulierum proiecti, quàm Chananæi, qui in mares potius insaniebant. An quia Ægyptus libidini magis obnoxia, cœlo scilicet æstuosiore, solo feruidiore, ac pinguiore, corporum denique temperie calidiore; itaque eorum libido non semel in Scriptura notatur. Quamuis enim agat de fornicatione spirituali, metaphorica tamen propriam facilè repræsentat, cum similitudine non parua. Idem confirmat Ambrosius. An quia in Ægyptum ignotus & indigens ingrediebatur, qui annum iam in Chananæa versatus fuerat, multis bonis circumfluens: multáque in opinione sapientiæ, ac virtutis? Ezech. 16. 26. c. 23. 19. & seq. lib. 1. de Abram, c. 2.

XXIII. *Et seipso.*

PRÆTEREA num tam præpostero iudicio futuri erant Ægyptij, vt homicidium præ adulterio leue crimen ducerent; & vt hoc vitarent, illud perpetrarent? Cùm certum planè sit homicidium maius esse adulterio, itáque mortalibus omnibus videatur. Neque enim assentior Abulensi, quæstione trigesima existimanti aliter Ægyptiis visum esse. Aut potiùs Abrahamus intelligeret, neutrum illos crimen reformidaturos; sed per mariti cædem, qui alioqui impediturus, aut vl- q. 30.

turus videbatur adulterium, tutam illos, & facilem viam, & ad pudicæ matronæ dedecus munituros.

DENIQVE an facienda, aut suadenda sunt mala, vt eueniant bona? aut mentiendum, vel vllo modo peccandum, vt benè sit nobis? cùm peccatum non possit esse medium ad opus bonum. Neque enim finis dat illi bonitatem, sed ab eo potius accipit malitiam. illúdque bonum omninò censendum est fieri non posse, ad quod nisi per peccatum perueniri non potest. Verùm satis constat Abrahamum non esse mentitum, vt ex Augustino dicebamus, neque suasisse mendacium, sed vocabulo sororis ambiguè vsum esse, Ægyptiis eam vocem de germana sorore accipientibus, Abrahamo de nepte, quæ soror quoque Hebræis dicitur, intelligente. Nec obligabatur ad eorum mentem loqui, quos legitimos in ea re iudices non habebat, sed aduersarios. Hac ergo præcautione muniti, extremo anno in Ægyptum perueniunt, vbi eos sequenti anno inuisuri sumus, nam trimestrem Ægypti moram in hunc annum conferre absurdum putamus. XXIV. *An suaserit malum Abraham.*

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2114.

N. t. t. NEC Iubilæus primus, aut secundus, nisi cum anno quinquagesimo, aut centesimo terminatur. Nec est hora quinta, donec pulsata sit, sed quarta cum $\frac{1}{4}$ aut $\frac{3}{4}$.

N. t. 2. Vide hic rem oculo subiectam.

75		1
76	1	2
77	2	3
78	3	4
79	4	5
80	5	6
81	6	7
82	7	8
83	8	9
84	9	10
85	10	11

Ibid. 3. Habe verba Græca Iosephi. Καταλιπὼν, inquit, τὴν Χαλδαίαν ἑβδομήκοντα, καὶ πέντε γεγονὼς ἔτη, τοῦ Θεοῦ κελεύοντος εἰς τὴν Χαναναίαν μετελθεῖν.

N. v. 4. Et fortè ea de causa vtitur interpres plusquàm perfecto; sicut in principio capitis Vatablus ait vertendum fuisse. Iam verò dixerat Dominus ad significandum hanc præceptionem, profectionem Tharæ, cuius paulò ante mors narrata est, antecessisse: sed posita gemina vocatione quam diximus, huiusmodi ἀναστροφαλωσις necessaria non est. Et verò ea neque in Hebræo textu, neque in Græco habetur.

Ibid. 5. Verba eius sunt δι' ἀεὶ Χαλδαίους τε, καὶ τοὺς ἄλλους Μεσοποταμίτας στασιάσαντας πρὸς αὐτὸν μετοικεῖν διανοηθεὶς, μεταβουλευσε, καὶ βουλήσει τοῦ Θεοῦ τὴν Χαναναίαν ἔσχε γῆν. Vbi nota Iosephum in Mesopotamitis Chaldæos numerare, sicut

Act. 7. D. Stephanum.

N. x. 6. Iter autem à Damasco vsque ad Sichem, siue Neapolim describitur ab Antonino in

In e vlt. Iosue. itinerario. ex quo Andreas Masius, *A Damasco*, inquit, *ad triginta duo millia passuum occurrit Aere, post hanc ad tricesimum millesimum passuum* Neue. *Post Neuen ad triginta sex millia pas. Capitolias, quæ vrbs hodie Sunete vocatur, anniuersariis Arabum nundinis celeberrima. Post Capitoliada ad sexdecim mill. pas. Gadara, apud quam Christus dæmonia immittebat in porcos. Post Gadaram ad sexdecim mil. passuum Scythopolis, hoc est, Betsan, transmisso iam Iordane. A Scythopoli ad nouemdecim millia passuum Neapolis, hoc est Sichem. A Neapoli ad triginta millia passuum Aelia, siue Hierusalem. Hinc ad viginti millia passuum Eleutheropolis, ab hac ad viginti quatuor millia Ascalon.* Hæc itinerum dimensio, quam fideliter Masius ex Antonino retulit, ostendit quod spacium contineatur illis Moysi verbis. *Cùmque venissent in eam* (terram Chanaan) *pertransiuit Abram terram, vsque ad locum Sichem.* Nimirum millia passuum centum quadraginta nouem: quorum si terna singulis leucis dederis, efficies quadraginta nouem leucas cum $\frac{2}{3}$.

Millia Pas.
32 Aere.
30 Neue.
36 Capitol.
16 Gadara.
16 Betsan.
19 Sichem.
149

Matth. 8. 28

Situs Eleutheropolis.

Gen. 12. 6.

Non dissimulabo hoc loco monere, bonam partem harum vrbium in quarta tabula apud Ptolemæum reperiri. Verùm ex hoc itinerario perspicuè apparet, quàm distortus sit horum locorum situs in illa tabola. Neque enim credibile est Romanos tam distantia ciuitatum diuortia quæsiuisse ad ordinaria itinera, qualia ab Antonino describuntur. Cæterùm pro Aëre fortasse reponendũ est Elere Ptolemęi, per quam transitus fuerit montium declinandorum gratia; non rectè etiam Scythopolis ponitur cis Iordanem, & vicina valde Gadare. N. x. 7.

Chron. Alexand. p. 121. Græco-lat. refert hũc descensum Abrahæ in Ægyptum anno eius octogesimo quinto, sed vtique non rectè. N. xix. 8.

ANNVS MVNDI 2115. DILVVII 459. TERTIÆ ÆTATIS 77. SEMI 557. SALÆ 392. HEBER 362. ABRAHÆ 77. PROMISSIONIS 2. NINYÆ 25. IMPERII ASSYRIORVM 184.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1938.

I. *Ingressus Abrahæ in Aegyptũ; & abductio Saræ.*

INGRESSVS Abtahæ in Ægyptum obſcurus eſſe non potuit, ſiue quod iam fama de tali viro præcucurrerat, qui & ſapiens, & opulentus, & grandis natu cùm eſſet, plurimáque cum familia, deſerta patria, in alieno ſolo peregrinaretur; ſiue quod hæc ipſa in conſpectu iam poſita, ipſa inſolentia admiranda videbantur. (Gen. 12.14.) *Cùm itaque*, inquit Moyſes, *ingreſſus eſſet Abram Aegyptum, viderunt Aegyptij mulierem, quòd eſſet pulchra nimis. Et nunciauerunt Principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum, & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis*, vtique animo potiùs, quàm corpore reluctante; vt quæ non ignara eſſet quantum ſubiret periculum tam ipſa, quàm maritus eius. Id declarat Philo. (In lib. de Abram.) *Erat illi vxor*, inquit, *animi & corporis dotibus ornatiſſima. Hac viſa quidam Aegyptiorum optimates admirati pulchritudinem (nihil enim eximium latere poteſt) rem ad Regem ſuum deferunt. Is mulieris forma captus, abiecta hoſpitalitatis iuris reuerentia, voluit ea, prætextu nuptiarum, potiri. At illa in aliena regione, apud impotentem, & crudelem principem, omni deſtituta auxilio (neque enim vir eius malum impendens arcere poterat) ad eam, quæ ſola ſupererat, diuinam opem confugit.*

II. *Abrahæ apud Aegyptios gratia.*

INTEREA dignum erat, vt is multa in gratia apud Regem, omnéſque illius optimates eſſet, qui frater habebatur futuræ vxoris Regis, & eius vxoris, quæ, ob inſignem pulchritudinem, plurimùm gratia apud ipſum valitura erat. Itaque *Abram benè vſi ſunt propter illam*, pluribus eum muneribus demereri cupientes, eò ſiquidem videtur pertinere quod ſequitur; (in hunc locum.) *Fuerúntque ei oues & boues, & aſini, & ſerui, & famulæ, & ancillæ* (& in his Agar Ægyptia) *& aſinæ, & cameli*, quæ eſt Toſtati ſententia, & Caietani, imò in Hebræo textu habetur. *Et ipſi Abram benefecit* (puta Pharao homini ſororio) *propter eam*. Et Chryſoſtomus. (hom. 30.) *Hæc autem ipſa, quæ honoris, & miniſterij gratia data ſunt ei, quomodo non magnum rogum in eo ſuccenderunt; quomodo autem non eius exuſſit mentem, & deflagrare fecit rationem, cogitatio cauſa tantorum donorum.*

III. *Et indenata calũnia.*

HVC pertinet illa Fauſti Manichæi calumnia aduerſus Abrahamum; qui iuſtum ac fidelem virum, matrimonij ſui nundinatorem appellabat, cui pluribus reſpondet Auguſtinus. (lib. 22. contra Fauſtũ. c. 33. to. 6.) Ait enim hoc Abrahæ factum lenocinio ſimile videri, nõ volentibus, ex lumine legis æternæ, à peccatis rectè facta diſcernere. Neque Abrahamum vxoris flagitio conſenſiſſe, eiúſque adulterium vendidiſſe, ſed certum de coniugis fide, & caſtitate, tacuiſſe vxorem, dixiſſe ſororem. Ne ſe occiſo, ab alienigenis, atque impiis captiua poſſideretur; certum de Deo ſuo quod nihil eã turpe, ac flagitioſum, perpeti ſineret. Hæc & plura Aug. Sed nos hæc iam in fine (n. 23. & 24.) præcedentis anni purgauimus.

IV. *Flagellatur diuinitùs Pharao.*

ERAT iam res ad vltimum adducta diſcrimẽ, cùm Dominus ſeruo ſuo opportuniſſimè opem tulit; & vtrúmque coniugem ab infamia, & dedecore liberauit. *Flagellauit* enim *Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sarai vxorem Abram.* Eas plagas Scriptura non explicat, explicat Philo. (lib. cit.) *Tunc* (ſcilicet cùm Sara ad Deum precibus confugiſſet) *propitius Deus, factúſque patientium iniuriam protector, graues pœnas, & cruciatus inflixit Regi, adeò vt animo, & corpore laboraret, & morbo quidem multiplici; ita vt amorum, voluptatúmque oblitus, longè diuerſas agitaret curas, quemadmodum ſcilicet euadere poſſet è tormentis, quibus ſine intermiſſione, dies noctéſque affligebatur. Quam eius pœnam ſenſit & tota regia, propterea quod nemo ſe tantæ iniquitati oppoſuerat, ſed omnes libidini Regis aſſenſi, & obſecuti fuerant.*

Hæc Philo luculenter, cui assentiens Theodoret. *Constat ergo quod capta Sara, statim dispensator omnium Pharaonem obstrinxit morbo, qui libidinem eius fregit; & venator habens inter retia prædam, capta frui non potuit, quia morbus non permisit.* Nec alia sanè mens Augustini, & Chrysostomi homilia 32. *Et idcirco*, ait, *acerbissima pœna concutiens eius mentem, discedere fecit à nefario flagitio, coërcuit ab irrationali impetu, cohibuit incontinentem mentem, alligauit concupiscentiam indomitam, refrænauit furoris insaniam.*

l. 16. de Ciu. c. 19. & l. 22. cót. Faust. c. 33.

MORBI genus etiam perscrutatur Hebræorum curiositas; nam, Lyrano teste, aiunt isti eum fluxu seminis laborasse, cum graui cruciatu, vt de venere ne cogitare quidem liberet. Catholici autem interpretes aiunt eam plagam fuisse conclusionem vuluæ vxorum Pharaonis, & seruorum eius, ita vt parere non possent. Et mox ex eisdem Hebræis ait Sarai habuisse angelum custodem corporis sui, sicut de B. Agnete legitur, & quando Sara dicebat Angelo, vt percuteret Pharaonem, plaga prædicta, tunc percussisse, & sic cognoscere eam non potuisse. Hæc Hebræi non absurdè, etiam Pererio iudice, quæ in hunc locum repetit Tostarus. Parum ergo probabiliter D. Hieronymus, conseruatam Sarai pudicitiam non tam plagis tribuere videtur, quàm ritui apud Assyrios vsitato, de differendo multis mensibus mulierum ad regem ingressu, præsertim si tres tantum menses ibi commoratus sit. V. *Et qualis plagæ.*

num. 91. in tradit.

EVPOLEMON etiam apud Eusebium. *Annonæ*, inquit, *caritate oppressus in Aegyptum migrauit, vbi vxorem eius, quam sororem, & viduam esse dicebat, Rex Aegyptiorum abduxit, sed peste domum eius ingressa, ab aruspicibus didicit id mali sibi accidisse, quoniam alienam vxorem abduxerit; ita viro suo intactam reddidit mulierem.* Sic ipse, tam verè opinor de peste affirmasse, quàm de viduitate; sed Ethnico homini condonandum est aliquid, potiùs quàm Iosepho. Is enim ineptè plagas commentus est, quæ nullam habent cum re proposita congruentiam, aut eum diuinæ prouidentiæ more, quæ solet *per quæ peccat quis, per eadem & torquere*, vt ait Sapiens, quod & Scriptura confirmat sexcentis exemplis, vt sæpiùs deinceps notabimus. Quid ergo ait Iosephus? *Huic malæ libidini Deus obstitit pestilentia, & seditione res regis infestans.* Num pestilentia Regem ipsum infestabat, aut Sarai, vt ille hanc attingere non auderet, aut posset? Num seditiones regni, congressum Regis eum muliere prohibere poterant? Meræ nugæ. Deinde cùm hæc mala nihil habeant affine cum culpa, sed alias causas habere potuerint toto cælo discrepantes, vnde cognouit Pharao tanti mali labem atque originem? *Consulti*, inquit, *de remedio sacerdotes, quóue modo placandum esset numen, hanc mali causam responderunt, quod Hospites matrimonio iniuriam inferre parauisset.* Sic ipse. Non habet hæc inquisitio vllum in Scriptura fundamentum, & ponit impios sacerdotes à Deo edoctos, vt sic prophana, de eorum diuinandi scientia, credulitas altiores ageret radices in animis Ægyptiorum. Itaque non minus probabile est Deum illi in somnis, sicut & Abimelecho eadem peccaturo apparuisse, & de re tota non sine minis edocuisse. Audi August. *Nec Abrahamum fides ac spes fefellit; nam Pharao territus monstris, multísque propter eam malis afflictus, vbi eius vxorem diuinitùs didicit, illæsam cum honore restituit.* VI. *Non peste, aut seditione.*

lib. 9. de prępar. c. 4.

c. 21. 17.

Gen. 20. 3. tom. 6. l. 22. cont. Faust. c. 33.

ERGO *vocauit Pharao Abram, & dixit ei. Quidnam est hoc quod fecisti mihi? quare non indicasti, quod vxor tua esset? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam*, ex quo futurum erat vt sine crimine adulterij *tollerem eam mihi in vxorem? Nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam, & vade.* Mirum videatur Pharaonem non acerbiùs cum Abrahamo expostulasse, aut etiam suppliciis exantlatis exacerbatum, supplicio in illum non animaduertisse. Sed qui eum de re docuit, etiam conterruit ne asperius aliquid aut diceret, aut moliretur; vt de Labano in Iacobum ira frementi legimus. Hoc videtur voluisse Chrysostomus. *Quamuis*, inquit, *nisi Dei fuisset gratia, quæ mentem eius emolliebat, consentaneum erat vt in maiorem furorem inductus, quasi deceptorem iustum puniuisset, & extremis affecisset suppliciis.* Sic ipse. Merito vtique formidabat, ne qui plagis magnis castigatus fuerat in delicto, per ignorantiam non commisso, sed suscepto duntaxat; grauioribus etiam pœnis plecteretur in iniusta cæde hominis Deo charissimi, atque innocentis. *Nihil ergo horum fecit*, ait idem sanctus, *timor quippe supplicij, inflammatam eius iram humiliauit, & restinxit.* VII. *Restituitur Sara viro suo sine iniuria.*

Gen. 31. 29 hom. 32.

IMÒ & officiosum esse docuit. Non enim solùm viro reddidit vxorem suam, VIII. *Imò officio-*

fiis Abrahamum Ægyptij. ac dimisit incolumem; sed *præcepit etiam Pharao super Abram viris, & deduxerant eam & vxorem illius, & omnia quæ habebat.* Ne qua scilicet eis iniuria fieret à popularibus suis Ægyptiis, quæ in caput suum redundaret. Nec parum etiam credibile est factam illi potestatem multos camelos, atque asinos frumento onerandi, & in Chananitidem exportandi, quando illum muneribus ac diuitiis ab iis affectum, ac locupletatum, scribit Chrysostomus, *Terribilis postea erat eis iustus, & propterea magnis officiis eum prosequi contendunt placantes ipsius Dominum, propter ea, quæ in illum commiserant.* Et mox, *Magna cum claritate & gloria, locupletatúsque diuitiis redit iustus. Et fit doctor per ea, quæ contigerunt non solùm Aegyptiis, sed etiam omnibus qui in itinere erant, & qui in Palæstina habitabant.* Iosephus quoque magna donatum à Rege pecunia scribit, respexit fortasse ad id quod mox initio capitis decimitertij à Moyse dicitur, fuisse Abrahamum valdè diuitem, in possessione auri & argenti.

IX. *An docuerit Ægyptios.* Sed addit Iosephus ei potestatem factam congrediendi cum præstantissimo quoque Ægyptiorum, ac doctissimo, quo factum sit vt virtutis nomine in maximam æstimationem venerit, eorum errores vanissimos esse probarit, Arithmeticam, Astronomiámque docuerit; quod tradidit etiam Eupolemon apud Eusebium. lib. 9. c. 4. *Vixit autem*, inquit, *Abraham in Heliopoli cum sacerdotibus, à quo Astrologiam sacerdotes didicerant, qui tamen non inuenisse, sed ab Enoch per successionem sibi traditam fatebatur.* Artapanus quoque ibidem ait Abrahamum ad Pharetatem Ægyptiorum regem migrasse, & Astrologiam illi tradidisse, ac post 20. annos in loca Syriæ rursus rediisse. Ismaëlem igitur genuerit in Ægypto, & ibidem contra Reges Sodomorum populatores pugnauerit, eodem & Melchisedechum transferre oportebit, & alia pleráque contra scripturam fateri. Tam improbabilis itaque videtur illa Mathematica institutio, quàm falsum institutionis tempus, cui neque Pererius, neque Del Rio ibidem, neque ego satis fidei habemus. in cap. 12. num. 112. Ps. 104. 21. *Non videtur.* Hæc enim eruditio probabilius, & scripturæ conuenientius Patriarchæ Iosepho tribui potest; adde quod nec tempus, quo Sara fuit apud Ægyptium, quod Abram in magna sollicitudine, curísque traduxit, idoneum fuit ad eas scientias docendas, quæ non minùs quàm

Carmina, secessum scribentis, & otia quærunt.

Multo minùs autem posterius, quia, vt Scriptura significat, tum statim dimissus est Abraham ex Ægypto, vbi tres omnino menses peregrinatum esse Hebræi in Seder Olam longè probabilius, & rebus gerendis conuenientiùs tradiderunt.

X. *Reditus Abrahæ in Chananitidem.* Transacta ergo hyeme, & bona parte veris, reuersus est Abraham in Chananitidem, cum vxore sua, & Loto, auctior familia, diuitiísque locupletior, c. 13. 1. 2. *Reuersúsque est per iter, quo venerat, à meridie in Bethel;* Per easdem scilicet mansiones, & hospitia, vt ex Hebræo interpretatur R. Salomon; in quo habetur per profectiones suas, *vsque ad locum, vbi priùs fixerat tabernaculum, inter Bethel & Hai, in loco altaris, quod fecerat priùs, & inuocauit ibi nomen Domini.* Non ait in altari, sed ad locum altaris. *Fortè*, inquit Abulensis, *mansit ibi altare, & iterum Abraham super illud immolauit, & gratias egit; vel melius dicendum quod Abraham non reliquit ibi altare quando descendit in Aegyptum, sed destruxit, ne fortè Chananæi illud immunditiis Deorum suorum polluerent.* Consentit Del Rio. quod si accipimus, idem de priori altari dicēdum erit. Verba tamen Scripturæ ad eam expositionem nos non cogunt, nam locus altaris potest dici collis aliquis, qui tamen totus ab altari non occuperur; & roganti vbi sit altare, rectè in Ecclesia esse dicemus. Oporteret etiam notari, rursus excitatum fuisse, vt ibi sacrificaretur. Quod si altare consecratum fuerat, poterat expiari.

ANNVS MVNDI 2116. DILVVII 460. 3. ÆTAT. 78. SEMI 558. SALÆ 393. HEBER 363. ABRAHÆ 78. PROMISSIONIS 3. NINYÆ 26. IMPERII ASSYRIORVM 185.

ANTE CHRISTVM 1937.

NARRAT deinceps Scriptura ſeparationem Abrahæ à Loto, ab Abrahamo propoſitam, conſeruandæ charitatis gratia inter patruum & nepotem: quam vtriuſque paſtores rixando inter ſe labefactare poterant, dum ſuos, vt fit, herus vtérque paſtores tuetur. *Cogita*, ait hoc loco Chryſoſtomus, *quantum ex diuitiis damnum, & quanta ex multis opibus contentio. Aucta ſunt armenta, multiplicati greges, affluxerunt diuitiæ multæ, & ſtatim diſcinditur concordia. Ante erat pax, & charitatis vinculum, nunc rixa, & contentio. Vbi enim meum & tuum, illic omne litium genus, & contentionis occaſio.* I. *Lothi ab Abrahamo ſeparatio.* (hom. 33.)

PORRÒ diſtuli in hunc alterum annum ſeparationem Loti ab Abrahamo, quod crediderim non tam citò exortam contentionem inter paſtores: nec cùm exorta eſt, repentè ad heros delatam; nec ad primam querelam, ſtatim illatum de ſeparatione ſermonem; nec cùm illatus eſt ſtatim executioni mandatum. Experimento enim didiciſſe poterat Lot, Deum ſibi bene facere propter Abrahamum, ſicut infra de Labano & Iacobo legimus; quin etiam ipſius prouidentia ac virtute diutiùs frui cupiebat; boni tamen, vt par eſt, conſulebat Abrahæ petitionem, qui bono pacis inter fratres in futurum proſpiciebat. Reliquam itaque ſuperioris anni partem ſimul manſiſſe probabile eſt; tandémque ſicut bonorum iamdudum facta erat ſeparatio, ita & locorum ad habitandum, & paſcendum factam eſſe, ne deinceps alter alterius incrementis officere putaretur. Sed vtérque ſuis rebus per otium proſpiceret. II. *Quando contigerit.* (Gen. 30. 27.)

SED, inquies, num in Abrahæ vel Loti poteſtate erat terrarum diuiſio, vel electio, quæ ſuos habebant dominos? Intelligendum eſt ita à ſe inuicem ſeparatum iri, vt vtérque ſeorſim vteretur conductis ædibus, & paſcuis, à Chananæis, & Phereſæis, qui habitabant in terra illa, & domini locorum erant; Abrahamus autem & Lot aduenæ, & inquilini. Ex eo verò quod Abraham tam facilè offert optionem Loto commigrandi quamcúnque in partem regionis mallet, colligit Caiet. terram illam, quamuis poſſeſſam ab illis populis, parum tamen habitatam fuiſſe, imò nec illos populos habuiſſe tot pecora, vt ſuus ipſis ager neceſſarius eſſet. Supponit enim Abraham illos procliues ad agrum locandum futuros. III. *An fieri potuerit.*

PORRÒ in hac ſeparatione tractanda, iniquior in Lotum videtur Philo, & ſine vllo ſcripturæ fundamento paſtorum culpam in herum conferre. *Habebat*, inquit, *fratris filium Lot, cùm quo patriam reliquerat, non ſatis firmum amicum, ſed nutantem, & ſuſpectæ fidei, à quo interdum familiariter & blandè, interdum verò contemptim & ſuperbè tractabatur, propter iuuenis illius morum inæqualitatem. Quapropter etiam ſerui huius contentioſi, ac moroſi erant, quòd caſtigatorem non haberent.* Hebræi quoque alij vitio vertunt Loto, quòd apud Sodomitas habitare voluerit, qui peſſimi erant, & *peccatores coram Domino nimis*, id eſt, publici peccatores, vt patet ex Geneſ. Sed eum Catholici ſcriptores ſanctum appellare non dubitant. Nec ſanè modica laus, iudice Gregorio, inter improbos conſeruare innocentiam. Vide Toſtatum in hunc locum. IV. *An ex Loti culpa facta ſeparatio.* (Geneſ. 19.) (qu. 40. in c. 13.)

QVANDO ergo ſeparatio neceſſaria videbatur, & ſenior iuniori optionem offerebat, ne quo modo ſe ab illo circumuentum ſuſpicari poſſet, elegit Lot regionem circa Iordanem, quam idem fluuius irrigatione fœcundam reddebat & fertilem, ſicut Nilus Ægyptum, aut ſuus olim fluuius paradiſum. V. *Loti optio.*

De illo enim agi communiter interpretes sentiunt. Quod autem dicitur Lot elegisse sibi regionem circa Iordanem, & recessisse ab Oriente, inferimus cum Caietano regionem illam Pentapoleos magis Occidentalem fuisse quàm Bethel, & Hai, vbi remansit Abraham; quod non est consentaneum tabulis Adrichomij. Respondet etiam Tostatus recessisse à fronte Orientis & peruenisse ad angulum Orientis: & reuera Pentapolis, quæ fuit deinde mare salsissimum, ad Orientem ponitur. Cæterùm quod Iosephus, ait Abrahamum ex Ægypto reuersum in Chananæam, agros cum Loto diuisisse, ambiguè de industria, atque ambitiosè dictum videtur ab ipso, vt æstimari possit agros suos diuisisse, vt filij eiusdem patris hæredes, solent paternas possessiones inter se diuidere; cùm tamen certum sit nihil adhuc Abrahamum, aut Lotum in Chananæa possedisse; sed elegisse loca, quæ conductò incolerent, vt semper expeditus esset Abraham ad iniunctas à Domino peregrinationes. (Ant. 1. 1, c. 8.)

VI. *Apparet iterũ Abrahæ Dominus.* — CVM autem separatus esset Lot ab Abrahamo noua facta est apparitio, & promissio Domini ad Abraham, vt is intelligeret priùs factam ipsi promissionem, Lotum, eiusue progeniem non comprehendere. Est autem hæc promissio superiore longè magnificentior, cùm enim ibi tantùm dixisset, *Semini tuo dabo terram hanc.* hic, *Leua*, inquit, *oculos tuos, & vide, à loco in quo nunc es*, circa Bethel, *ad aquilonem, & meridiem*, versus Syriam, & Ægyptum; *ad Orientem & Occidentem*, versus Euphratem, & mare Mediterraneum, vt infra quoque repetitur, *omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum*. Non dedit quidem ipsi in persona propria, vt constat ex oratione Stephani, vbi negat Abrahæ datum in ea terra, quantum est pedis vestigium: ei tamen dicitur dedisse, quando ratione ipsius semini eius dedit. (Gen. 13. 18. / Act. 7. 5.)

VII. *Promissio Domini quomodo intelligẽda.* — SED quomodo in sempiternum, cùm à mille & quingentis annis ex ea terra funditus exterminati sint? *Et est sensus*, inquit Caiet. *quandiu erit semen tuum dabo ei terram hanc, vnde cùm desierunt esse semen Abrahæ, perdiderunt terram illam.* Et primùm quidem pro maxima parte, quando inde translatæ sunt decem tribus. Deinde ex integro cum ab Nabuchodonosore euersa est Hierusalẽ, ibique precariò, concessu Persarum, Græcorum, Romanorum habitarunt; postremo inde sine spe vlla restaurationis eiecti sunt, post Messiam suum scelestissimè trucidatum; tunc enim penitùs desierunt esse semen Abrahæ, effecti semen Diaboli. Dicente domino Iudæis, asserentibus se habere patrem Abraham, *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Et, *Vos ex patre Diabolo estis.* Nam scitè R. Salomon, vt refert Abulensis in hunc locum, dicebat Deum comparasse filios Abrahæ stellis cœli, & terræ pulueri, ad vtrúmque eorum statum, virtutis scilicet, atque improbitatis designandum; quamdiu enim iusti fuerunt, & diuinæ legis obseruatores, instar stellarum fuerunt, quas nemo potest attingere, aut lædere; quando autem facti sunt improbi, vt puluis terræ facti sunt, qui in omnem ventum spargitur, & ab omnibus conculcatur, & impletur illud Dauidicum. *Et comminuam eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos.* Nam in omnes dispersi regiones, vbique miserabilem seruitutem seruiunt. (Ioan. 8. 39. v. 44. / Ps. 17. 43.)

VIII. *An perlustrarit Abrahã Chananitidem.* — POSTREMO amplificata ex comparatione cum terræ puluere immensa multitudine filiorum Abrahæ, quæ in spiritualibus filiis fidei Abrahæ potiùs, quàm in corporalibus carnis Abrahæ vera esse dignoscitur. *Surge*, inquit, *& perambula terram in longitudine, & latitudine sua, quia tibi daturus sum eam.* Non fuisse hanc iussionem, sed inuitationem eius arbitrio permissam, ex effectis intelligimus; neque enim Abrahamus obedientiæ studiosissimus, hoc præceptum implere neglexisset. Non implesse autem patet, quia inde profectus est in Hebron. Accedit quod Abraham iam terræ longitudinem emensus erat, ex quo venerat ex Haran in Ægyptum proficiscens. Quod si quis existimet cum relicta ibi familia sub cura Saræ, terram totam Chananæorum, cum aliquot tantum famulis, perlustrasse, non admodum repugnarim. Nam id video non nemini placuisse. (Gen. 13. 17.)

ANNVS MVNDI 2117. DILVVII 461. TERTIÆ ÆTATIS 79. SEMI 559. SALÆ 394. HEBER 364.

Abrahæ 79. Promiss. 4. Ninvæ 17.

Imperii Assyriorvm 186.

ANTE CHRISTVM 1936.

Num. I. *Noua demigratio Abrahæ, & habitatio in Hebron.*

Gen. 13. ſi.

Damvs hunc annum nouæ Abrahami demigrationi, poſt perluſtratam, ſi placet, Chananitidem, vt paulò antè dicebamus, de qua Moyſes. *Mouens igitur tabernaculum ſuum Abram, venit & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ eſt in Hebron, ædificauitque ibi altare Domino.* Nouum hoc teſtimonium eſt pietatis Abrahæ, in gratiarum actionem de poſtrema apparitione & promiſſione Domini, vt placet Chryſoſtomo. (hom. 34.) Poſſumus etiam exiſtimare Abrahamum, qui eo loco diutiùs, quàm in præcedentibus, habitaturus erat (etſi ex diuino nutu pendens ad omnem oris illius auram mobilis erat, ideóque neque domos ad habitandum, neque agros ad perpetuum vſum ſuum emebat) de diuino primùm cultu cogitaſſe, ad ſuam, totiúſque familiæ ſuæ ordinariam conſolationem.

II. *Fœdus Abrahæ cum Hebronitis, quando & qua occaſione initum.*

Divtvrnioris moræ indicium eſt, quod nunc primùm cum terræ huius incolis fœdus init, vt collatis ſtudiis, viribúſque ab hoſtium potentia, atque iniuriis ſeſe tuerentur. Tres enim fratres, Mambre, Eſcol, & Aner Hebronitas, ſibi fœdere copulauit. Huc enim pertinet quod cap. decimo quarto (c. 14. 13.) dicitur, *Nunciauit Abraham Hebræo, qui habitabat in conualle Mambre Amorrhæi fratris Eſcol, & fratris Aner. Hi enim pepigerant fœdus cum Abram.* Id factum arbitror hoc anno, quem numeramus decimum tertium, ex quo Chodorlahomor reges Pentapoleos ſibi ſubiugarat; & quidem factum, occaſione rupti fœderis cum rege illo Elamitarum. Cùm enim Hebron non multùm diſtaret à Pentapoli, veriti Hebronitæ principes, ne clades illorum, quæ imminere videbatur, in ſeipſos redundaret, libentes Abrahamum, virum potentem, & ſapientia celebrem, & bello fortem ſibi propugnaculum aggregarunt. Itaque vnanimes bello perſecuti ſunt victores Elamitas, vt ſequenti anno dicemus.

III. *Hebron in Montanis.*

Est autem hoc loco conuallis Mambre memoratur, certum tamen eſt Hebron ad Montana Iudææ pertinuiſſe, & ipſam in monte fuiſſe. Illam autem conuallem, quæ dominum habebat Mambre, ex quo & nomen habebat, modicam fuiſſe, & vrbi vicinam. Nec eſt qui neſciat in Montanis regionibus ſæpe valles incluſas, nec minus propterea totam regionem Montanam appellari. Rectè ergo dicebat Caleb ad Ioſue, (Ioſue 14. 12.) *Da mihi montem iſtum quem pollicitus eſt Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim ſunt,* id eſt gigantes, *& vrbes magnæ, atque munitæ.* Et mox; *Benedixitque ei Ioſue, & tradidit ei Hebron in poſſeſſionem,* & cætera.

IV. *Vnde dicta Cariath Arbe.*

Ibidemqve ſubdit eam vrbem ante dictam fuiſſe Cariath-Arbe, id eſt ciuitas quatuor virorum, ſcilicet, vt interpretantur Hebræi, Adami, Abrahami, Iſaaci, & Iacobi, qui ibi habitarunt, & ibidem, ſepulti ſunt. At cùm id nomen fuerit antiquiſſimum, dictam potiùs exiſtimarim ab Abrahamo, & tribus illis principibus Hebronitis, qui cum ipſo erant fœdere copulati, & in ea vrbe plurimùm poterant, quam noſtram coniecturam deinde animaduerti placuiſſe iampridem Hebræis, nam circa hanc nominis notationem audi quæ Maſius referat, ex Bereſith Rabba Hebræorum comment. (in c. 14. Ioſue.) *Scriptum illic eſt, ideo ab Arba, id eſt quatuor, nomen iſti vrbi eſſe, quia priſcis ſæculis quatuor illic pij viri habitauerint Aner, Eſchol, Mambre, & Abraham, iidemque illic ſint circuncisi. Quatuor item matronæ celeberrima fama ibi ſepultæ Eua, Sara, Rebecca, Lia. Et quatuor Patriarchæ quoque Adam, Abraham, Iſaac, Iacob. Ad hæc quia Abraham inde quatuor re-*

ges insecutus percusserit. Sed piget referre cætera. Hæc ipse. Putat autem idem Andrèas Masius dictam ciuitatem Arbe, vel quod Arba quidam, vir inter Ænacinos aut membris aut potentia præstans eius conditor fuerit, aut in ea tenuerit diutius principatum. Sed R. Salomon illam à Cham Noë filio exædificatam fuisse putat; quidam ab Hebrone filio Caleb denominatam. *Cariath-iarim*, ait Hieronymus, *ipsa est Cariath Arbe, & Cariath Baal, & Hebron, id est ciuitas syluarum, ciuitas quatuor, & ciuitas mariti*, eodem vocabulorum enodatore Hieronymo. (in tradit. in 2. Paral. in hoc cap. 13. u. 66. & sequent.) Vide hac de vrbe Pererium.

ANNVS MVNDI 2118. DILVVII 472. TERTIÆ ÆTATIS 80. SEMI 560. SALÆ 395. HEBER 365. ABRAHÆ 80. PROMISS. 5. NINYÆ 28. IMPERII ASSYR. 187.

AN. ANTE CHRISTVM 1935.

Num. I. *Bellum Abraha quãdo contigerit.*

PVGNAT hoc anno Chodorlahomor, cũ sociis regibus, contra Pentapolitas, (Gen. 4.) quos expugnant & spoliant, móxque ab Abrahamo vice versa expugnati spoliantur. Et potuit quidem hoc bellum ad vnum aut alterum annum differri, sicut à plerisque dilatum est. Sed maluimus in re dubia, & quę nullum afferret momentum ad perturbandam Chronologiam, Catholicos scriptores sequi, quàm alienigenas: nouatores dico, atque Hebræos, qui quatuor annorum gesta quæ descripsimus, in vnicum annum septuagesimum sextum coniiciunt, quos secutus est Genebrardus. Hæc autem Chronologia nostra Pererio, & Torniello probatur, nec repugnat Gordonus. Cæterum Chronicum Alexandrinum, malè omninò collocat hoc bellum, & occursum Melchisedech, sub annum Abrahæ septuagesimum quartum, quando (p. 117 Græco Lat.) nondum exierat ex Charan. Tardior è contrario videtur Epiphanius, vbi scribit (hæresi 55.) hoc bellum sub nonagesimum annum Abrahæ contigisse, & Abrahamum octoginta octo, aut nonaginta annorum plus minus fuisse, cùm ei occurrit Melchisedech. Sed contrarium ex serie Mosaicæ narrationis agnoscitur. hoc enim bellum confectum est antequam Abraham acciperet Agar in vxorem. quod octogesimo quinto Abrahæ factum esse, ex Genes. decimo sexto liquet. Vide Pererium. (in cap. 14.) Iam verò quod scribit Tertullianus non vno in loco, hanc pugnam, & hunc occursum (n. 64.) Melchisedecis & Abrahæ contigisse Abrahamo iam circuncifo, memoriæ lapsu (contra Iudæos. c. 3. l. 5. con. Mar. c. 9.) scriptum apparet; aut oportet ordinem narrationis Mosaicæ esse valde perturbatum. D. quoque Hieronymus, *Eo quod*, inquit, *præputium habens, Abraha benedixerit circuncifo.* (in qq. in Gen.) Verùm huiusmodi locutio à circunstantia certi temporis auocat, vnde mox ibidem Synagogæ sacerdotium circuncisum appellat. Cæterùm non differendum diutiùs hoc bellum post commorationem Abrahæ in Hebron, indicant verba, quæ initio capitis decimiquarti habentur, nam illud, *In illo tempore*, Abulensis interpretatur, immediatè post separationem, Del Rio mox ferè vt Abram fixit tentorium in territorio Hebron. Tigurina, in hisce diebus. Verùm in textu Hebræo & Græco [a], (a. χ.) & Paraphr. Chald. hæc designatio temporis ad posteriora pertinet, non ad superiora; legitur enim, *Et factum est in diebus Amraphel*, & cætera. & ita interpretatur Caietanus, & Vatablus. Cæterùm Abulensis, vt rectè notauit Torniel. nimium properè conflatum bellum putat contra Sodomitas. ad primos enim belli rumores, priusquam Lot ibi fixisset sedem, ad Abrahamum vtique remigrasset.

II. *Causa belli huius.*

CAVSA porrò huius belli est, iterata assertio in seruitutem. *Duodecim enim annis seruierant*, Pentapolitæ, *Chodorlahomor, & tertio decimo anno recesserunt ab eo, igitur decimo quarto anno venit Chodorlahomor*, & cætera. verum si mentis oculos in Pentapolitas defigamus, & cogitemus *homines pessimos, & peccatores coram Domino nimis*, facile erit intelligere non hæc sine diuina prouidentia verbera contigisse.

Prima verbera senserunt, cum ante quatuordecim annos amiserunt libertatem; secunda hoc anno, cùm amiserunt omnia bona sua. Sed vide diuinæ prouidentiæ dulcedinem, antequam ad extrema procederet, Lotum ad eos misit, qui verbo & exemplo eos ab immanibus flagitiis reuocaret; misit Abrahamum, qui amissa bona recuperaret, & redderet. Vbi neque virgæ, neque oscula profuerunt, secutum est incendium.

III. *Qui belli auctores, præter Codorla.*

AVCTORES belli, & alienæ libertatis oppugnatores fuerunt Persæ, vt scribit Diodorus (apud Eug. & Lipom.), qui vocat hoc bellum πόλεμον, ὃν ἐπολέμησαν οἱ Πέρσαι πρὸς τοὺς βασιλεῖς τῶν Σοδομιτῶν. nimirum quia Elamitæ, qui & Persæ, primas in hoc bello partes agebant, duce Chodorlahomore. Cui suppetias tulerat Amraphel rex Sennaar, id est Babylonius, vt patet ex cap. decimo (Gen. 10. 10.), cùm autem perspicuum sit Babylonem hoc tempore, sicut & Niniuen, sub Assyriorum fuisse potestate, existimauerim hunc, qui Rex dicitur, fuisse Principem, siue Gubernatorem Babylonis, subiectum Ninyæ, qui omnia per præfectos suos administrabat, vt supra ex Diodoro Siculo dicebamus. Illi autem, sicut & cæteris, Regis nomen indultum esse ab Assyriorum Imperatore, satis constat ex Isaia, vbi ille ait, *Nunquid non principes mei simul Reges sunt*, vt notauit Del Rio, post Pererium (Isa. 10 v. 8. in hoc cap num. 5.). Nam qui hunc Nemrodum putant (Lyranus Hebræos citat) toto cœlo aberrare, omnísque Chronologiæ imperitos esse necesse est; quum ille hoc tempore à centum viginti duobus annis esset mortuus. Cognata verò est hæc ignorantia illi, qua dixerunt Hebræi quidam Abrahamum exisse de Chaldæa fugientem tyrannidem Nemrodis, ad ignis adorationem compellentis, quod supra quoque reiecimus. Chaldæus Paraphr. & Pagnini versio significat Regis Amraphel fieri tantùm mentionem, ad notandum tempus, quo bellum hoc contigerit, reliquos autem tres bellum gessisse. ait enim, *Et factum est in diebus Amraphel Regis Babel, Arioch Rex Elasar, Cadarlahomor Rex Elam, & Rex Thideal rex populorum fecerunt bellum*, &c. verùm ex decursu narrationis constat quatuor Reges in prælio fuisse, & aduersus quinque dimicasse. v. 9.

IV. *Amraphel Rex Sennaar.*

IN his ergo Regibus qui in Chananitidem irruperunt, quosque omnes Assyriorum nomine Iosephus (l. 1 ant. c. 9.), comprehendit, consentaneè præsenti Assyriorum potentiæ latè in Asia dominantium, primus ponitur Amraphel (quem septuaginta vocant Amarphal vnius literæ metathesi, & ex iis Iosephus corruptius μαρφάδης amissa prima litera) qui dignitatis nomine primo loco ponitur, non quod eius auspiciis bellum gereretur; id enim Scriptura regi Elamitarum tribuit. Ait enim venisse quarto decimo anno Chodorlahomorem, & reges qui erant cum eo, etsi Iosephus nihil distinguat, sed omnium quatuor regum auspiciis initum bellum putet. Sed errat etiam absurdiùs, dum bellum primum ante quatuordecim annos gestum, cum secundo confundens, ait Assyrios sub quatuor imperatoribus Sodomitarum regionem oppugnasse, victorésque factos illis tributum imperasse, quod duodecim annis pependerunt, cùm illud soli Chodorlahomori Scriptura tribuat.

V. *Arioch Rex Ponti.*

SECVNDVS ponitur Arioch Rex Ponti, qui omnibus facessit negotium, tum quod nihil affine videatur esse inter Pontum & Ellasar, quæ vox in Græco, Hebræo, & Chaldæo habetur; tum quia Ponti regio longissimè distet ab Elam, & Sennaar, quantum scilicet occasus ab ortu, quidquid dicat Tostatus in hunc locum (in cap. 15. Gen.), Procopius; *Symmachus*, inquit, *interpretatus est Ellasar Pontum, Elam Scythas, Gentium Pamphiliam*; nec sanè abludit Pamphiliæ nomen, manet tamen ille scrupulus, quod Scriptura significat hos Reges vicinos fuisse, vt commilitones fierent. Verterat Aquila Ellasar Pontum, vt est in scholiis editionis Græcæ Septuaginta, eum Hieronymus secutus est; nec absurdum est istam siue vrbem, vt eam vocat Hieronymus (in locis Heb. in cap. 14. n. 8. & 9.), siue prouinciam, Pontum quoque dictam esse, circa Persidem, & Babylonem sitam. Vide Pererium.

De tertio qui est Rex Ælamitarum, qui à primogenito Sem orti sunt, iam dixi; vide etiam quæ supra, anno diuisionis linguarum diximus, is est diluuij ducentesimus septuagesimus quintus, nec placet hùc Scythas cum Symmacho à à finibus orbis accersere.

VI. *Thadal. Rex Gentium.*

QVARTVS est Thadal Rex Gentium, siue populorum, Septuaginta inter.

pretibus Θαργαλ βασιλεὺς ἐθνῶν, Hebr. גוים, vel quia prouinciæ præerat, quæ diuersarum gentium, & linguarum frequentia celebrabatur, vt Lyranus & Tostatus existimant, vel quia vlteriori Galilææ præerat, vt Andreæ Masio placet in commentario in librum Iosue. In quo capite duodecimo extremo, Rex quoque gentium memoratur inter eos, qui à Iosue deuicti sunt; hæc ab Isaia Galilæa gentium appellatur; & à Strabone, numeratur inter alias Iudææ prouincias, quæ magna ex parte à mixtis gentibus habitatæ sunt, Ægyptiis, Arabibus, & Phœnicibus: ponit enim Galilæam in primis, tum Hiericuntem, Philadelphiam, & Samariam, quæ ab Herode in honorem Augusti Sebasta appellata est. Vt notauit Pererius hoc loco.

c. 12. v. 9. *c. 9. 1.* *lib. 16.* *num. 10.*

VII. *Pugnæ locus.* HI ERGO contra quinque ciuitatem Reges arma sumpserunt, & conuenerunt in vallem Syluestrem, quam vallem salsam vocant Septuag. Hebræus textus vallem Siddim, id est, vt explicat Del Rio, amœnam, & instar nemoris pulchris arboribus condensam; *quia*, vt scribit Hieronymus. *Eam vocem Aquila interpretatur τῶν πεδινῶν, Theodotion, τῶν ἀλσῶν, amœna nemora significantes.* Sic ipse. πεδινά, tamen alij interpretantur campestria, & humilia loca. Itaque Vatablus Siddim interpretatur. Vide & Oleastrum. Denique quis locus esset satis explicat quod sequitur, *quæ nunc est mare salis*, quod & mare mortuum dicitur, eo quod nihil in eo dicatur posse viuere.

in Genesim.

VIII. *Alij populi vastati ante.* *Raphaim.* ANTEQVAM autem Pentapolitanos aggrederentur, populos illis ab Oriente, & Meridie positos deuastarunt, primò Raphaim, quos passim Gigantes interpretantur, sicut & Enacim, habitarúntque in Basan, quæ ideo terra Gigantum appellatur, vt placet Del Rio, videntur tamen potius sedes habuisse in tribu Ephraim citra Iordanem, vbi Masius ait eos in antris, & cauernis terræ habitasse, qua de re vide eundem in caput duodecimum Iosue: etsi aliis quoque in locis Chananitidis, gigantes fuisse in Scriptura memorentur. Vide vndecimum Iosue.

Deuter. 3. 13 *Iosue 17. 15.* *in cap. 12. v. 4.* *11. 22.*

Zuzim. Secundò Zuzim, qui iidem putantur cum Zomzomim, qui terram Ammonitarum tempore Abrahæ incolebant, sicut Emim Moabitarum, & Chorræi, siue Horrhæi Idumæorum, quorum erant montes Seir, vt perspicuè traditur in capite secundo Deuteron. quibus consequenter cladem intulerunt Assyrij, persequentes Horræos vsque ad desertum Pharan. Denique Amalecitis, & Ammorrhæis vastitatem intulerunt. Cæterùm illud non ignorandum, quod à plerisque notatum est, pleraque horum vocabulorum per anticipationem vsurpata. Idque notat *in fonte iudicij* D. Hieronymus, qui hoc loco *fons Misphat* dicitur, Numerorum 20. *aqua contradictionis* appellatur; ad quam iudicati sunt Moyses & Aaron, & pœna affecti, vt non ingrederentur in terram promissam, vt ait Tostat. Quod si verum est, non tantùm anticipatio est in vocabulo, sed in re quoque. Natus enim est ille fons diuinitus, percutiente Moyse virga silicem, nec erat tempore horum Regum, neque post annos quadringentos.

Emim. *Chorræi.* *Amalecitæ* *Amorrhæi.* *Vers. 7. in tradit.* *Num. 20. 13.*

IX. *Ignauia Pentapolitanorum.* HÆ Regiones cùm valdè latè pateant, & totam penè Chananitidem ab Oriente & Meridie cingant, non potuerunt paucis diebus ab hostili exercitu percursari, ac deuastari. Ex quo intelligitur Pentapolitanorum vel ignauia, vel iustus metus, qui cùm à tempore defectionis ad bellum parati esse debuissent, & nunc alacres venienti hosti occurrere; vix tandem ex suis vrbibus egressi sunt, *direxerúntque aciem contra eos*, in suburbiis suis, valle scilicet syluestri, nimirum libido non molles solùm & ignauos, sed stupidos etiam ac vecordes homines reddit. Ergo pararunt prælium in propinqua valle syluestri, de qua iam diximus; cuius multos bituminis puteos idcircò memorat, quòd is locus electus putetur, vt hostes locorum ignari, iis per imprudentiam absorberentur, quod tamen potiùs plerisque Pentapolitanorum terga vertentibus, & præcipiti pauore fugientibus, exitio fuisse meritò creditur.

X. *Hebræorum nugæ.* SED augent rem suo more Hebræi, & fabulis amplificant. Quod enim scriptura dicit, *Itaque Rex Sodomorum, & Gomorrha terga verterunt, cecideruntque ibi; & qui remanserant fugerunt ad montem;* casum illum non de cæde multorum de exercitu regio, vt veritas exigit, interpretantur, sed de casu regis Sodomorum in puteos illos bituminis, & quidem, si nescis, non propter infames culpas, sed propter nō creditam liberationem Abrahæ de igne Chaldæorum. Multis ergo aliis timendi

sunt

sunt putei bituminis. Sed benè habet, quod inde diuinitus ereptus est, nam miracula semper habent ad manum; & profectò in fundo putei miserum Sodomitam deseruissent, sicut Gomorrhæum reliquerunt, nisi is mox ad occurrendum Abrahæ necessarius fuisset.

ASSYRII obtenta victoria, non diu fugacibus tergis inhæsere, sed ad prædam conuersi; *Tulerunt omnem substantiam Sodomorum, & Gomorrha, & vniuersa quæ ad cibum pertinent, & abierunt.* Idem autem in cæteris quoque vrbibus, quæ habitatoribus desertæ fuerant, factum apparet, idque pro certo Caietanus affirmat. *Necnon & Lot, & substantiam eius filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis. Cæterùm*, inquit Iosephus, *Sodomitæ cum Assyriis congressi, post egregiam pugnam editam, partim in acie ceciderunt, partim deditionem fecerunt; cum quibus & Lotus captiuus est abductus, qui Sodomitis in auxilium venerat.* τοῖς Σοδομίταις σύμμαχος ἐληλυθώς. Verùm hæc locutio auxiliaribus sociorum copiis conuenit, non ciuibus, & eiusdem ciuitatis incolis. Nec admodum assentior isti egregiæ pugnæ hominum infami luxuria perditorum, idque Scriptura videtur innuere, quæ non pugnam καρτερὰν μάχην, sed fugam duntaxat, & casum memorat. Et Chrysostom. ait, *Assyrios hostes suos, etiam aspectu suo, in fugam vertisse.* Luculenter Philo de Pentapolitis, & nominatim de Sodomitis, *Vbi bonis*, inquit, *satiati sunt, vt solet è saturitate nasci petulantia, sumpto maiore quam pro viribus animo, primo excusserunt iugum. Deinde more nequam seruorum, in Dominos coorti sunt, freti seditione ac robore. At illi*, quatuor scilicet orientales reges, quos paulò antè memorauerat, *suæ nobilitatis memores stipati valida manu, contemptim eos aggressi sunt, vtpote primo incursu, & ipso clamoris sui sono profligaturi. Et mox conserta pugna, alios coegerunt terga vertere, alios in ipsa fuga cadentes magnam stragem ediderunt: abductámque ingentem captiuorum turbam cum cætera præda inter se diuiserunt.*

[Right margin: XI. *Victoria de Pentapolitanis.*]
[Left margin: l. 1. c. 9. — hom. 35. l. de Abraham. — αὐτοβοεί.]

DE Loto verò hæc addit. *Abduxerunt autem & illius sapientis nepotem, qui iamdudum ad vnam Pentapoleos ciuitatem migrauerat.* In quem ipsum consequenter ista Chrysostomus, *Quanto melius erat eum cum Patriarcha viuere, & omnia ferre, vt ne concordia solueretur, quàm separatum & electis potioribus, in tanta repente pericula incidere, & in Barbarorum venire potestatem?* Deinde inquirit cur, cùm plerique alij Sodomitæ viri pessimi effugissent, permiserit Dominus iustum Lotum abduci in seruitutem; cuius rei populares aliquot rationes affert, in quibus illæ eminent, vt scilicet Patriarchæ virtus, & apud protectorem Deum gratia in eo liberando monstraretur, qui fortasse, illo non capto, non sumpsisset arma: vtque patienter feramus, diuinóque iudicio acquiescamus, dum permittit improbos euadere à laqueo venantium, iustos in tentationem cadere; nam his cum tentatione victoria præparatur, illi ad incendium reseruantur. Sed iam Lotum periculo eripiamus.

[Right margin: XII. *Loti captiuitas.*]

Et ecce vnus qui euaserat, nunciauit Abram Hebræo (περάτῃ habent 70. allusione facta ad notationem vocis Heber, & innuendum natale solum, & genus Abrahæ, qua de re alio loco dictum est) *qui habitabat in conualle Mambre Ammorrhæi fratris Escol, & fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abraham*, de quo fœdere præcedenti anno, quo factum apparet pluribus diximus, vi cuius fœderis nunc Abrahæ commilitones facti sunt, vt patet ex fine capitis huius.

[Left margin: n. 2. c. 13. v. 24.]

QVOD *cùm audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos*[2] *trecentos decem & octo, & persecutus est vsque Dan.* Hæc vrbs in extremis Iudææ finibus sita est, ad fontes Iordanis, non longè à monte Libano. *Persecutus est*, inquit Hieronymus in traditionibus, *ad Phœnicis oppidum, quod nunc Paneas dicitur. Dan autem vnus est è fontibus Iordanis. Nam & alter vocatur Ior, quod interpretatur* ῥεῖθρον, *quod est riuus. Duobus ergo fontibus, qui haud procul à se distant, in vnum riuulum fœderatis, Iordanis deinceps appellatur*[3]. Quis autem sociorum numerus fuerit expressum non est, fuisse tamen constat; nam mox nominabuntur. Etsi Philo vt gloriosiorem reddat Abrahæ victoriam, id negare videatur. *Cúmque pararet se*, inquit, *ad eripiendum fratris filium, carebat commilitonibus, homo inquilinus & hospes; nemine audente fortissimas tot regum copias victoria recenti feroces lacessere.* Sic ipse. De seruis autem scribit eum empticios, ne fortè transfugerent, retinuisse domi, de vernaculis aliquot centurias conscripsisse.

[Left margin: 2. ✠. — 3. ✠.]
[Right margin: XIII. *Abrahami copiæ pro eo liberando.*]

Ille autem numerus famulorum Abrahæ, qui domi eius nati erant, satis docet quanta illius esset familia; nam illi, vt Caietanus notat, post Ambrosium, & Chrysostomum, electi de multis ad pugnam idonei; relictis domi senibus, paruulis, inualidis, mulieribus, empritiis etiam, vt Philoni placet, ad curam tot animalium, & domesticum ministerium necessariis.

XIV. *Seruitia numerosa.*

NEC est quod Porphyrius aliquis, aut Iulianus, scripturam in hoc seruorum numero suspectam habeat falsitatis; Recordetur Tiberium Minucium Romanum equitem quadringentos seruos domesticos armantem, apud Diodorum. (l. 36.) Turbam seruorum M. Crassi, authore Plutarcho, ad quingentos excurrentem. Demetrium Pompeij magni libertum, cui quotidie seruorum numerus, velut imperatori exercitus, referebatur, authore Seneca; (l. de tranq. ani. c. 8.) Hermetem præfectum vrbis, & Ouinium Gallicanum, vtrúmque martyrio coronatum, quorum ille in die sancto Paschatis mille ducentos quinquaginta seruos manumisit; iste quinque millia: octo etiam millia Melania iunior apud Palladium, quæ aliáque plura studiosè collegit Laurentius Pignorius in comment. de seruis. Sed omissis Ilotis, redeamus ad Spartam.

XV. *Abrahæ prudentia.*

QVINQVE dierum fuisse hoc iter scribit Iosephus, idque ferè cum Adrichomij tabulis congruit. Cæterùm vt fortitudini cooperaretur industria, diuisit socios, vt pluribus ex locis simul hostes incautos inuadens, & perturbationem inferret, & simul, quantum fieri posset, auferret elabendi viam. Deinde nocte irruit super eos, vt facilius inermes, semisomnes, quietos, & nihil minus quàm de hoste, & pugna cogitantes, opprimeret; neque illi paucitatem hostium agnoscere possent, & conscientiam suscitare virtutem. Ergo cùm omnia clamoribus, ac confusione plena essent, & cuncta cædibus miscerentur, omne præsidium in nocturnis latebris, & fuga posuerunt; quos nihilominus, sequenti luce, vt ait Iosephus, persecutus est Abraham vsque Hoba, quæ est ad læuam Damasci. (l. 1. c. 10; l. de Abraham v. fi.) His Philo consentiens in eodem libro, *Magna*, inquit, *contentione properauit, nunquam remittens celeritatem, donec potitus occasione noctu superuenit hostibus, iam sumpta cœna ad somnum se componentibus, in quo irruens alios trucidauit in cubilibus, alios resistere conatos fudit, fugauitque, atque ita omnes deuicit, non tam armorum apparatu, quàm fortitudine animi* [4]. (4. x.)

XVI. *Et victoria.*

FVSIS fugatisque hostibus, [5] victor Abraham cùm suis ad locum, in quo hostem oppresserat, reuertitur, locum spoliis hostium, & præda, ab iis dudum ex tot populis corrasa, & congesta opulentum, (5. x.) *Reduxitque omnem substantiam, & Lot fratrem suum, cum substantia illius, mulieres quoque, & populum.* Philo ait reduxisse suos omnes ad vnum incolumes, & victores. (loc. cit.) *Rediit autem*, ait Chrysostomus, (hom. 35.) *magno & præclaro triumpho insignis, cum Lot equos, & cæteram substantiam reducens: clara ac plena voce prædicans, tubáque vocalius clamans, quod non humana virtute, neque corporali robore, & illos fugarat, & victor euaserat, sed superna manu faciente omnia.* Equorum meminit Chrysostom. secutus septuaginta qui [illegible]em rachus, id est substantiam, (רכש) verterunt τὴν ἵππον, id est equitatum, [illegible] notauit Hieronymus in traditionibus. Nimirum in domesticis copiis floret equitatus. Philo eosdem secutus, (in l. de Abram.) *Nec prius*, inquit, *reuertit, quam hostilibus regum copiis deletis, reduxit fratris filium, adeptus egregiam victoriam, auctúsque ingenti equorum, & iumentorum numero, prædáque opulentissima.*

XVII. *Congratulatio facta Abrahæ: præsertim à Melchisedecho.*

EGRESSVS *est autem Rex Sodomorum*, Baram ante vocauerat, qui se fuga mortis periculo subduxerat, móxque desolatam vrbem, fœdissimæ nequitiæ ganeam repetierat, inde egressus, audita Abrahami victoria, venit *in occursum eius*, siue tam insignem gratulaturus victoriam, siue suos è captiuitate reduces recuperaturus; siue etiam sua, vt ex fine capitis intelligetur.

Verùm non vnus Bara Rex Sodomorum venit obuiam Patriarchæ; venit enim & *Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, & benedixit ei*, à quo vice versa decimas omnium Melchisedech accepit, vt interpretatus est Apostolus. (Ad Hebr. 7.) *Eum conspicatus*, ait ibidem Philo, *redeuntem ille magnus Pontifex Dei maximi, reducentémque suos omnes ad vnum incolumes, & victores, attonitus tanti facinoris magnitudine, & id quod verum erat cogitans præsentem eis opem diuinam adfuisse, manus ad cœlum tendens fausta illi precatus est, mactatisque victimis*

splendidum epulum sociis omnibus dedit. Sic Philo. Verùm de hoc Melchisedech rege Salem, Sacerdore Dei altissimi, próque munere & officio suo, Deo panem & vinum offetenti, Deumque, & Abrahamum benedicenti, non leuis est quæstio, tum de persooa ipsius, fueritne Sem Noë primogenitus, qui hoc tempore quingentesimum & sexagesimum agebat annum, vt in indice anni huius notatum est; tum de eius functione, num panem & vinum Deo, in sacrificium gratiatum actionis obtulerit, quæ oobis est cum Nouatoribus colluctatio: In qua non immorabimur, ne actum agamus, néve extra septa nostra excurramus; prior quæstio etiam inter Catholicos controuertitur, quæ ipsa paucis quoque expedienda est, plurima suggetet Pererius, Ribera, Villalpandus, & alij quos deinceps referemus.

[in henclocum à n.43. ad 85.]

[XVIII. *Quis fuerit Melchisedech; an Sem. Et Assertioni non repugnare Chronologiam.*]

[in epi. ad Hebr. c. 7. fere toto. 10.3. 2. par. l.2. c. 72. & 13. in c. 15. Gen. hær. Melchisedecianorum, quę est 55.]

SIT ergo prior assertio, non absurdè dici posse Regem Melchisech eundem esse cum Semo. Haoc assertionem pono contra Procopium, cuius hæc sunt verba. *Quidam*, inquit, *admodum stulte opinantur Sem esse Melchisedechum; verùm id impossibile est. Supra enim cùm eius Genealogiam explicaremus patuit, quod nec Thare tempora assequi potuit.* Eandem ratiooem Chtonologicam obtendit Epiphan. eamque latè per partes diducit, vt rem videatur Mathematica demonstratiooe conclusisse. Ea videlicet res Procopio maiores animos fecit. Epiphanius autem ibi nnmerat ab ortu Semi ad haoc pugnam, mille centum triginta, aut iuxta aliam supputationem sexcentos viginti octo, plus minus annos, cùm tameo ex Scriptura constet, Semum non vltra annum sexceoresimum vitam propagasse. Verùm hæc Chronologia cum corruptis 70. interpretum codicibus nitatut, pari nunc omnium consensu deseritur, ac repudiatur; nam hoc tempore iouenitur superstes, non solùm ab us qui Cainan omiseruot, & qui Abrahamum anno patris septuagesimo natum volunt, quæ est Hebræorum etiam supputatio apud D. Hieronymum, sed eriam à nobis, aliisque permulris, qui & Cainao in recta serie collocamus, & Abrahamum anno centesimo trigesimo patris natum affirmamus. Nam hic annus, cùm sit Semi quingentesimus sexagesimus, consequens est, vt eius vita non ante vigesimum annum Isaaci terminetur.

[Gen 11. v. 10. & 11.]

[Epist. 146.]

[XIX. *An faueat locus ipse.*]

[n. 18.]

ALTERVM est Procopij argumentum, *Cùm Semo*, inquit, *orientalis pars obuenisset, quomodo inuasisset terram Chamo destinatam?* Hoc argumentum cum primis validum censet Ribera, & apud nos validum esse debet, qui eadem in terrarum diuisione explicanda sensimus, & ab Epiphanio discessimus, qui vult Semitas à Chananæis expulsos fuisse possessione sua, eámque eisdem in persona filiorum Israël restitutam, post exitum ex Ægypto. Verùm respondet Torniellus anno quadragesimo quarto 3. ætatis, probabile esse Chanaoæos hunc honorem Semo detulisse, vt eum cum vrbe sua, quoad viueret, intactum relinquerenr. Semum quoque, licet à suis segregatum, libenter ibi Deo inspirante, remanere voluisse, quasi retinentem terræ possessionem sibi diuinirus traditam, & aliquando suis posteris restituendam, eáque de causa alacrius venienti Abrahæ occurrisse. Nihilominus cùm illa traditio ab Epiphanio relata, superius euersa fuerit, ranquam parum scripturæ consentanea, oecesse est quicquid superstructum fuerit corruere. Ex quo fir Semum nunquam ibi substitisse, quò nunquam adierit. nec eius posteros vsquam eiectos Chananitide, quò nunquam penetrarint, Abrahamo primum, eo se diuino iussu conferente. Vide etiam Iustinianum nostrum.

[in c. 7. ad Heb.]

[XX. *Quorum sit hac opinio.*]

MANET tamen probabilis ex multorum opinione sententia, qui eam aut veram, aut ptobabilem putant; nam rationem pro ea à Caietano, Villalpando, & aliis nullam reperio. Quod ex ratione temporis ducitur argumentum, sicut ad conclusionem negantem validissimum est, ita ad aientem infirmissimum, viuebat adhuc Sem. ergo regnabat in Salem. Er illud Rabbinicis quoque dignum ingeniis. Primogenirus erat inter filios Noë, ergo Sacerdos erar, ergo & Melchisedech. num secunda figura conclusionem aientem inferre porest? In hac opinione sunt Hebræi apud Hieronymum, in traditionibus in Genes. & Epistola centesima quadragesima sexta. Neutro tamen in loco eam se amplecti significauit, quem imitatus est Rupertus, Lipomanus in Care. air id Iudæos tradere, post Ionarham auctorem rranslarionis Hierosolymiranæ. eandem etiam recitat ex Hebræis Isidorus, nec improbar Epiphanius di-

[l.5. c. 13.]

stinctius vocat Samaritas. Amplectitur Genebrardus, sæpéque inculcat, Lyranus hoc loco, Torniellus anno tertiæ ætatis sexto, numero nono, & quadragesimo quarto probabilem existimat, Tostatus in caput vndecimum, & rursus in cap. decimum quartum, sicut & ibidem Eugubinus, Caietanus, Suarez, Villapandus loco citato. *de vita & morte Prophetarũ c.3 q.15. & 16.*

XXI. *Non esse valde antiquam.* VERVM hanc Hebræorum traditionem non esse valde antiquam argumento est Iosephus, qui cùm alioqui totus sit in laude suæ gentis, non tamen hunc aut Semum, aut ex Semi gente aliquem esse dixit, quæ est omnium Abrahamitarum origo, sed Chananæorum Dynastam, qui patria lingua rex iustus appellatus sit. Eandem ignorauit & Philo, qui pluribus locis de hoc rege cum laude locutus, nunquam eum ad suam gentem pertinere dixit. Nec sequitur si eam in traditionibus Hebraicis numerat diuus Hieronymus, propterea antiquam esse, vt putat Torniellus, refutare volens Pererium; constat enim Diuum Hieronymum, vt passim ipse fatetur, recitare quæ reperit, nullo delectu, non solùm antiquitatis, aut nouitatis, sed ne probabilitatis quidem. Nam etiam quas vocat ipsemet fabulas, commemorat; nec iudicium suum proferre solet. quod vltro fatebuntur, qui id opus legerunt. Narram verò scribit hanc traditionem Pererius, ex Hebræorum superbia, ac liuore; quod æquo animo non ferant aliquem de populo Gentilium, stirpíque Hebræorum extraneum, parente suæ gentis Abraham potestate apud Deum haberi maiorem, ac præstantiorem. Talis ferme est R. Leui Gersonis zelus pro Moyse, cùm audet negare Solem ad imperium Iosue substitisse, quia Moyses vir tanto clarior miraculis, id non fecerit. Vide Masium. *in 3. part. t. 1. disp. 46. sect. 4.* *l. 7. de bel. c. 18.* *num. 65.* *in c. 10. Iosue p. 286.*

XXII. *Melchisedech fuisse Chananæũ, & quàm multi ita sentiant.* ALTERA assertio est; Melchisedech Rex Salem, & Sacerdos Dei altissimi, ex Chananæorum gente fuit. Hæc communis Patrum sententia est. Nam Hieronymus, *Verti me*, inquit, *ad Hippolytum, Irenæum, Eusebium Cæsariensem, & Emisenum, Apollinarem quoque nostrum, & Eustathium qui primus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, contra Arium clarissima tuba bellicum cecinit, & deprehendi horum omnium opiniones, diuersis argumentationibus, ac diuerticulis ad vnum compitum peruenisse, vt dicerent Melchisedech hominem fuisse Chananæum, Regem vrbis Hierosolymæ*, & cætera. Dionysius Areopagita idem sentit: ex gentibus enim conuersum ait Angelorum ministerio, sicut & seipsum. Idem Epiphanius; hanc enim sententiam, refutatis aliis, necessariò infert. Idem sanctus Ignatius quem enim virginem fuisse tradit, omninò Semum fuisse negat. Idem Chronicum Alexandrinum, nam eum è stirpe Cham fuisse dicit, & à Deo è terra Chananæorum translatum, vltra Iordanem, in oppidum Salem. *Epist. 126. ad Euagr.* *lib. de cœl. Hier. c. 9.* *hæresi 55.* *Epist. ad Philadel. pag. 117. & 119.*

XXIII. *Genus eius ex Suida. Et Epiphanio.* IDEM Suidas cuius hæc sunt verba, *Melchisedech Sacerdos Dei Rex Chananæorum. Is vrbem in Sione monte condidit, Salémque dixit, hoc est pacificam, in qua cùm regnasset annos centum tredecim obiit vir iustus, & per omnem ætatem virgo.* Et infrà, *Natione autem eum fuisse Chananæum, cùm ex eo clarum est, quod in climate Chananæo regnauit, & quod improbissimis Sodomitis vicinus fuit, tum etiam quod Salem cuius Rex erat, celebris est illa Hierosolyma.* Et iterum. *Hic Melchisedech Abrahami tempore floruit, vir religiosus ex gentibus genus ducens, à Side filio regis Libyæ.* Verùm de parentibus eius sic Epiphanius. *Apud quosdam Melchisedech, pater ac mater habetur, non autem in expressis, ac geminis scripturis. Dixerunt autem quidam Heraclam vocari ipsius patrem, matrem verò Astaroth, quæ & Asteria dicitur.* Theodoretus quoque, etsi genus ignotum ex Apostoli sententia fatetur, verisimile tamen esse ait illum fuisse ex illis gentibus, quæ Palæstinam incolebant, vt qui ibi Rex esset, & Sacerdos. Idem Iosephus sensit, & sine dubio Philo, vt diximus. Ex recentioribus idem pro certo & indubitato habent Pererius, Ribera, Capellus, Benedictus Iustinianus, longè autem probabiliorem nobiscum putat hanc sententiam Del Rio in hunc locum, nec Torniellus ipse diffitetur. *Ibidem. hæres. 55.* *q. 63.* *in hoc cap. n. 66.* *in epist. ad Hebr c. 7. n. 16 & seq.* *anno Abrahæ 84.* *in c. 7. ad Heb.*

XXIV. *Probatur Semũ aliũ esse à Melchisedech.* PROBATVR autem hæc sententia eo argumento, quod suprà ex Procopio retulimus. Nam cùm constet ex omnibus Scripturæ locis totam illam regionem à posteris Chanaan possessam fuisse, eámque illis regionem sorte obtigisse, sicut Semo regiones vltra Euphratem sitas, vti

ex Iosepho, consentaneè Mosaicæ narrationi, suo loco declarauimus. *Qui sit credibile*, ait Pererius, *aut Semum regnasse inter Chananaos, aut Melchisedech, in Chananæorum regione Pontificatum & regnum obtinentem, non fuisse Chananaum?* Secundò, Melchisedech nullam habet in Scriptura geoealogiam; Semus autem eam habet, per omnes maiores posterósque descripram: ergo alius est à Semo Melchisedech. Respondent Nicolaus, & Abuleosis in Scriptura oon tradi genealogiam Melchisedecis sub hoc nomine, sed tantùm sub nomine Semi. *Sed quid hoc refert?* in-
num. 17. quit Ribera. *Apostolus enim non de nomine loquitur, sed de homine ipso; hominis autem, si ille fuit Sem, & genus, & anni traduntur in Scriptura.* Quis ferret negantem in 1. Matth. cap. commemorari posteritatem Israëlis, quod ea non sub nomine Israëlis, sed sub Iacobi nomine teferatur? ergo neque ferendus est Apostolus, qui negar dati genealogiam Melchisedecis, cùm ea sub nomine Semi tradatur: præsertim si attendas ad vim negationis, quam inculcat Apostolus. Cùm enim dicit eum sine patre, sine matre, sine geoealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habere, non id simpliciter affirmar, vt fatentur omnes, alioqui homo non esset, vt antiqui hæretici fioxere, sed talem à Scriptura profetri vult, vt scilicet non habentem patrem neque genus, ergo neque in hoc, neque in illo, genus haber; neque in hac, neque in illa lingua: neque sub hoc, neque sub illo nomine. Adde
ann. mundi 2118. n. 9. quod mysterij vis in hac parte eneruatur, quicquid dicat Torniellus, non enim Melchisedech assimilatur tantùm filio Dei, in eo quod Rex fuerit, aut pacificus, aut iustus; sed maximè vt carens patre, & matre, vt carens initio & fine, manet sacerdos in perpetuum, denique vt careos genealogia in Scriptura; quod de Semo falsum est.

TERTIÒ Melchisedech non annumeratur in generationibus Leuitarum, aut, XXV. *Alia probatio.*
v. 6. vt alij interpretantur illud Apostoli, μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν, eius genus non refertur ad illos, aut non pertinet ad illos; atqui Sem generationi Leuitarum annumeratur. Si enim texas genus Leuitarum, ascendes ad Leui, ex quo nomeo habent, & ad Iacob patrem Leui, & ad Abraham in quo, vt in parente decimati sunt, & ad Thare, & ad Arphaxad, & ad Sem, Melchisedech autem à latere dimittitur, nec vnquam ingreditur in illam patrum & filiorum seriem, quæ nomine generationis siue generis intelligitur: ergo Melchisedech non est Sem. Ex quo intelligitur, non benè à Torniello refutari Pererium, sed manere vim argumenti eius, extraneum scilicet esse Melchisedech à genere Leuitarum, non autem Semum.

MANEAT ergo Melchisedechum alium planè à Semo esse, ex quo etiam se- XXVI. *Melchisedech esse proprium nomen.*
quitur Melchisedech noo esse cognomen Semi, ipsi attributum ad commenda-
6. x. tionem iustitiæ eius[6], sed esse nomen eius proprium, tametsi nominis significatio, personæ moribus, & virtuti congruat. Inconueoiens enim esset hunc Regem semel à Moyse, iterum à Dauide, & ab Apostolo Paulo, denique semper
cap. 5. 6. ad Hebr. sub appellatiuo, nunquam sub proprio nomine designari: præsertim cùm oeque à parentibus, neque à genere singulariter notetur. Si Christus Dominus nusquam in nouo testamento, ousquam omninò in sacris literis, nisi Christus appellaretur, quis dubitaret hoc illi esse proprium nomen, tametsi appellatiuum sit? Et sicut incerta esset & indefinita persona, ita incerta esset historia, denique Del Rio contra Caietanum ait omnium patrum esse sententiam, Melchisedech esse huius viri proprium nomen; quia scilicet oemo illorum vnquam ea de re ante dubitauit, licet Hebræi, quorum verba recitat Eugubinus, quasi appellatiuum vsurpent.

IACOB, inquiunt, *seruiuit Abrahæ patri nostro quindecim annos, & Semo filio Noe,* XXVII. *Fallax Hebræorum Chronologia.*
qui vocatus est Melchisedech, seruiuit annis quinquaginta. Memoriæ enim proditum accepimus, dixisse Iacob, ipse ministraui Sem regi Salem, qui vocatus est Melchisedech, quinquaginta annos. Hæc ibi. Verùm quã vera sit assertio de Melchisedecho, falsitas Chronologiæ osteodit: nam Sem mortuus est totos quadraginta duos annos antequam Iacob nasceretur, vt sequeotium annorum series apertè docebit; nedum vixerit cum illo quinquaginta annis, sed Hebræorum Chronologiam totam perturbarunt tres parachrooismi in diuisione linguarum, in omissione Cainam, in ortu Abrahæ. Adde quod D. Hieron. in tradit. non nisi vsque ad Isaac peruenisse ex

eorundem tradit. refert. *Aiunt*, inquit, *hunc esse Sem filium Noë, & supputantes annos vitæ ipsius, ostendunt eum ad Isaac vsque vixisse.*

XXVIII. *Qui locus Regni Melchisedech, an Sichem.*

His de persona, & nomine magni huius viri constitutis, illam quoque de loco regni eius dubitationem attingamus. Cùm enim constet fuisse regem Salem, geminàque reperiatur Salem, quæstio est ad vtram ille pertineat. *Salem*, inquit Hieronym. *ciuitas Sichimorum, quæ est Sichem.* Idque confirmat, ex Genes. 33. vbi dicitur Iacob transisse in Salem vrbem Sichimorum. Eundémque locum ait esse, iuxta quem Ioannes Baptista in Ennon baptizabat. Altera est Salem, quæ & Hierusalem omnium notissima, quod probatur ex psalm. septuagesimo quinto. *Et factus est in pace locus eius;* in Hebræo est, *in Salem*, sequitur autem. *Et habitatio eius in Sion.* Quod notauit Masius, & Pererius. Illam diuus Hieronymus vult fuisse regni Melchisedecis sedem, hanc è contrario Iosephus, & Catholici omnes, vt idem Hieronymus fatetur, suam autem sententiam ita declarat ac probat. *Salem autem*, inquit, *non vt Iosephus, & nostri omnes arbitrantur esse Hierusalem. Nomen ex Græco, Hebraicóque compositum* [7]. *Quod absurdum esse peregrinæ linguæ mixtura demonstrat; sed oppidum iuxta Scythopolim, quod vsque hodie appellatur Salem, & ostenditur ibi palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum, veteris operis ostendens magnificentiam.* Deinde à Paneade reuertenti in itinere occurrit illa Salem, non Hierusalem, vt idem ait. In hac opinione est Oleaster, & Eugubinus, &, vt apparet, Rupertus.

in locis Hebr. Epist. 126.
in c. 10. Iasue init. Num. 67. Epist. 126.
7. χ.
l. 5. c. 13.

XXIX. *Esse Hierosolymam communis sententia.*

VERVM altera sententia & probabilior est, & plures habet propugnatores; nam præter Iosephum, quem eius agnoscit auctorem Hieronymus, & reuera eam ille tradit, vbi Salem interpretatur Solymam. *Quam posterior ætas*, inquit, *vocauit Hierosolyma.* Et libro septimo de bel. Catholici omnes tempore Hieronymi ita censuerunt, nomine enim nostrorum, Catholicos, quorum paulò antè multos nominarat, siue Ecclesiasticos scriptores intelligere planum est, vt Perer. quoque intellexit, nimirùm habita ratione Iosephi, & Hebræorum; quibus Catholicis assentitur Chaldæus paraphr. imò & Hieronym. ipse in Epist. ad Marcellam. *Recurre*, inquit, *ad Genesim, & Melchisedech regem Salem huius principem inuenies ciuitatis.* Puta Hierusalem. Et iterum in traditionibus Hebraicis, licet ibi alienam potiùs quàm suam sententiam referat. Eadem sentit Procopius, ex Cyrillo. Nam vterque hic eam Salem interpretatur, in qua deinceps plerique reges Iudæorum regnarunt, quæ in præsentia Hierusalem appellatur. Egesippus qui extat, libro quinto capite nono, ex Iosepho penè ad verbum. Isidorus, Suidas in voce Melchisedech. Eadem placet permultis recentioribus Abulensi, Riberæ, Pererio, Villalpando loco[d] citato, Emanueli Sà, Del Rio in Genesim, Masio, Genebrardo initio tertiæ ætatis, Adrichomio in Hierusalem numero primo. Hæc posterior sententia & multitudine testium præponderat, & mysterij dignitate, vt non persona solùm, & dignitas, & officium, & virtus Melchisedecis Christum repræsentet, sed locus etiam ipse, in quo vterque & regnum, & sacerdotium exercuit, dicente de eo Dauide. *Ego autem constitutus sum Rex*, &c. & Euangelistis, *qui pridie quàm pateretur*, &c. Idque Hierosolymis. Vide Pererium numero septuagesimo, & Riberam.

l. 1. c. 10. cap. 18.
n. 67.
quæ est 17. in in. t.
in cap. 15. Gen.
l 3. in Gen.
l. 5. orig. c. 1 & l. de vita & obitu sanct. c. 5.
in cap. 14. Gen.
in 7. ad Hebr.
in hoc cap n. 70.
in 14. Gen. & in 7. ad Hebr.

XXX. *Prior opinio refutatur.*

IAM argumenta Hieronymi facilè dissoluuntur. Nam, vt notauit Ribera, numero quarto, & Iustinianus, ruinæ palatij Melchisedech, quæ in Sichem eo tempore visebantur, non videntur ad Melchisedech referri posse, præsertim cùm Hieronymus ipse fateatur, eam vrbem ab Abimelech ita fuisse subuersam, vt etiam salem in ea seminaret, postea vero à Ieroboamo instauratam; ruinæ igitur, Ieroboami potiùs palatium euersum, quàm Melchisedecis ostentant, etsi indigenarum errore, falsáque traditione, huic potiùs quàm illi, parietinæ illæ tributæ sint.

in c. in Iasuë sub initium.
Psal. 2.
in c. 7. n 6.
in c. 7. epi. ad Hebr.
in loc Heb. voce Sichē.

Cùm autem Abraham habitaret in conualle Mambre, reuertenti in patriam ex cæde Regum, rectà occurrit Hierusalem, non minùs quàm Sichem, vt ostendunt Adrichomij tabulæ; sicut autem Rex Sodomorum egressus est obuiam illi extra fines suos, potuit multò faciliùs Melchisedech, Abrahamo penè ad ianuas occurrere. Quod si dicamus Abrahamum transisse per Salem, quæ est in ora Iordanis propè Bethsam, siue Scythopolim, & propè Sochoth, indéquere-

cta petisse Sodoma, vt ibi Lotum cum sua supellectili restitueret, quid vetat vtrúmque Regulum tam insigni totius prouinciæ benefactori aliquantò etiam longiùs obuiam processisse?

Obviam ergo processit Abrahamo Melchisedech, etsi dignitate sacerdotij XXXI.
Occursus Melchisedech; & Abrahæ, & illius Sacrificium.
(Eccle 3.20.) superior, iuxta illud; *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*, protulitque panem & vinum, non nudi conuiuij gratia: frustra quippe fieret mentio sacerdotij eius, aut ad subueniendum necessitati exercitus. Nam, vt notauit Lyranus, minimè indigebat cibariis; quippe qui recuperauerat omnem prædam Sodomis, aliisque ex locis sublatam, in qua magna erat cibariorum copia, vt nominatim Scriptura notauit. Quin etiam in fine capitis, ad obstruenda hæreticorum ora, dicitur, *Iuuenes comedisse de cibis Sodomorum*; (v. 11.) Illud tamen Iosepho, aliisque, qui hîc prophanum tantùm conuiuium agnoscunt concedi potest, Melchisedechum, postquam, vt sacerdos, panem & vinum Deo in gratiarum actionem pro victoria obtulit; eosdem etiam panes sanctificatos tam Abrahæ, quàm eius sociis edendos præbuisse, vt multò pòst ab Achimelecho sacerdote, in gratiam Dauidis factum (1. Reg. 21.) legimus. Idque sensit Philo Iudæus, etsi Aaronicæ lanienæ assuetus parum fideliter, ne quid grauius dicam, sacrificium panis & vini in mactatas victimas commutauit. Infidelius etiam Iosephus cùm sacerdotij meminisset, omnem sacrificij memoriam missam faciens, hæreticis viam aperuit tollendæ figuræ diuinissimi Eucharistiæ Sacramenti. Sed bene est quod singulari Dei prouidentia factum est, vt vni Iosepho, tum alios fideliores Hebræos, tum plures viginti de sanctis Patribus opponere possumus, quorum testimonia in Bellarmino recitantur. Sed hæc & alia plurima in hanc rem dudum protulit (Lib. 1. de Missa c. 6. in hoc cap. disp. 3. vel 1. 10. 4. disp. 6 q. 11. puncto 1. in psal. 109.) idem Bellarminus, quæ lector consulere potest, & sunt dignissima quæ legantur. Adde & Pererium, Del Rio hoc loco, & Gregor. de Valentia, Maldonar. Del Rio in hunc locum Geneseos.

Non contentus autem Melchisedech obtulisse Deo panem & vinum, deinde XXXII.
Eprecatio.
& liberaliter victori populo distribuisse, Abrahæ bene precatur, vt famulo Dei excelsi, & cuius opera cedant in laudem, & glotiam Dei altissimi, cuius ipse erat sacerdos; tum & Deum laudat, eique gratias agit, agnoscens à Domino exercituum victoriam de hostibus esse profectam.

Vice autem versa nouus Imperator Pontifici partem Deo debitam & dica- XXXIII.
Abraham soluit decimas.
tam, decimas, de tota præda erepta hostibus, dedit; propriè autem sumendam hoc loco decimam docet Chaldæa paraphrasis, quæ decimam interpretatur vnam ex decem, nec decima aliud significat quàm eam partem, quæ nonam ordine sequitur, itáq; etiam Hebraicè & Græcè accipitur, putà de mancipiis decimum, de equis, & pecoribus decimum quemque, & ita de aliis, quæ sub numerum rediguntur. Idem quoq; mos ab Ethnicis passim vsurpatus legitur, dæmone perpetuò sibi diuinam similitudinē arrogante. M. Crassus apud Plutarchum decimam bo- *Ritus decimarum.*
(lib. 12. c. 14.) notum suorum Herculi consecrauit. L. item Lucullus. Sabæi Mercatores thuris decimas Deo suo, quem vocabant Sabin, offerre solitos testis est Plin. negátque ante diuendere licuisse, quàm sacerdotes decimam mensura non pondere cepissent, idemque pene de cinnamomo refert. Crœsus apud Herodotum ait in vrbis direptione decimas primùm Ioui necessariò reddendas, idque (cap. 19. lib. 1.) Cyro persuadet. M. Furius. Camillus Dictator decimam partem prædæ vouit Apollini delphico. Liuius libro quinto, & ibidem Florus[8]. Vt sine causa videatur (8. χ.) Caiet. impropriè decimam interpretari, *pro aliqua portione, qua solet dici decima; licet fortè sit tantùm duodecima, aut* 15. &c. Sed nimium videtur studiosus patrocinandi hominum parcitati, quæ durum putare cœpit illi, à quo decem acceperat vnum reddere. Denique Apostolus ad Hebræos septimo, de his decimis agens, eas plane eodem modo ac significatione accipit quo Leuiticas, quibus eas componit, at istæ erant veræ decimæ, ergo & illæ, vt argumentatur Pererius.

Illud potiùs dubitandum fuerit an decimam dederit tam de præda erepta XXXIV.
De quibus rebus.
Assyriis, quàm de præda Pentapolitana recepta, quæ cùm certos haberet dominos, iis restituenda, non aliis dispertienda videbatur. Et videtur sanè dedisse pla-

nè de omnibus; cùm propriorum tamen dominorum consensu, quibus meritò gratissimum fuit de decem partibus amissis, nouem recuperare, & ponere in lucro quod præter spem reciperent; non in damno, quod Domino, & eius sanctissimo sacerdoti largirentur. Cæterùm eius quem dixi consensus perspicuum dedit indicium Rex Sodomorum, cùm professus est se personis, pura ciuibus ac domesticis suis, contentum, cæteris omnibus cedere.

XXXV. *Quæ sententia verborũ Regis, & Abrahæ.* QVÆ verba non desunt qui in deteriorem partem accipiant, quasi hominis auidius quæ sua sunt quærentis, non quæ Dei, vel proximi; cui expositioni videtur probabilitatem afferre Abrahæ sequens oratio, quæ commotior videri possit. Non enim negat tantùm, se accepturum quidquam de bonis Sodomorum, sed id iuramento confirmat.

An liceat hic dicere; *Quousque irruitis in hominem, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ?* Facilè enim qui alioqui malè audiunt, semper in culpa esse existimantur; certè verba eius nihil mali redolent, nisi affectu aliquo, & accentu deprauentur; imò eximiam in suos charitatem, & gratitudinem in benefactorem, quæ si Melchisedecis forent miris vtique laudibus efferrentur; certè Chrysostom. eius laudat liberalitatem. Nec ea degrauat oratio Abrahæ, qui nullius planè culpæ hominem incusat, sed tantùm negat se quidquam de præda Pentapolitanorum accepturum. Psal. 61.4. hom. 36.

XXXVI. *Iusiurandũ Abrahæ, & eius causa.* TAM præcisæ autem negationis causa est, quod id Deo iureiurando spopondisset; cùm scilicet iret contra illos reges, vti censent Peter. Caiet. alij. Quod enim nos in præsenti legimus, *leuo manum meam*, in Hebræo & Chaldæa paraphr. est *leuaui*, in Græco, *leuabo* siue extendam, quasi dicat, possum verè iterare iusiurandum. Eo verò se obstrinxerat. Primùm, vt Deum in tam difficili victoria propitium haberet. Deinde vt homines intelligerent se tantùm adiisse discrimen hominum salutis, non propriorum emolumentorum causa, quorum largitorem eum expectabat, quem habuerat promissorem, nec eam laudem homini tribuere volebat, vt notauit Chrysostom. & Caietanus; prudenter autem addidit, ex omnibus quæ tua sunt; non enim diffitetur se prædam, quæ barbarorum propria erat, in rem suam conuersurum. Duo tamen excipit, primò Esculenta, quæ cùm distingui non possent, à suis quoque famulis pro sua parte consumpta erant, neque enim bobus triturantibus ora fuerant alliganda: Secundò, quæ in partem obueniebant sociorum fœderatorum Abrahæ, quorum iuribus nihil sua ipsius abstinentia detractum volebat. *Isti*, inquit, *accipient*, siue accipiant, *partes suas*. Est autem in iure gentium, vt quæ iusto bello acquisita sunt, in dominium victorum transeant, vt significat Ambros. & Abul. stipendij scilicet loco, vt Chrysostomus quoque interpretatur. Fag. 1. 2. hom. 35. & 36. Deut. 25.4. 1. Cor. 9.9. Gen. 14.6.

XXXVII. *Melchisedech, Christi figura multiplex.* QVONIAM verò proponitur nobis à Scriptura Melchisedech. *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens*, & alioqui vir clarissimus consuetis talium virorum elogiis carere non debet, age hoc loco, quoniam ignari mortis ipsius, alio non possumus, quasi iusta parenti persoluamus, & eam gloriam, quam in ipso prædicauit Apostolus, similitudinem nimirum cum filio Dei, more nostro explicemus atque retegamus, Pauli Apostoli, & aliorum sanctorum Patrum, doctorúmque vestigiis insistentes. Cuius similitudinis tredecim capita occurrunt. Hebr. 7.3.

XXXVIII. *In Regia dignitate.* PRIMA ergo similitudo nominis est. *Primùm quidem*, inquit Apostolus, *qui interpretatur Rex iustitiæ*. At de Christo Ieremias, *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiã in terra.* Vides Regem iustum, qui mox ibidem dicitur *Dominus iustus noster*. Et sicut ob eminentem iustitiæ laudem ille dictus est *iustitiæ Rex*, ita Christus Dominus iustitia nostra, & iustitia sempiterna, abstracto, vt philosophi loquuntur, vocabulo ad indicandam omnem iustitiæ perfectionem, & absolutionem. 1. Hebr. 7. 2. c. 23.

Melchisedech Rex Salem, & iuxta notationem vocabuli à Paulo traditam *Rex pacis*; Christus *princeps pacis* ab Esaia dictus, *Rex pacificus* ab Ecclesia die Natali celebratur, & à regio Propheta in eius persona. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius*; vt ex prædicatione, spiritale potiùs regnum, quàm terrenum intelligatur; eum etiam quasi Regem toto psalmo quadragesimo quarto Dauid compellat, & Iudæi Messiam passim Regem 2. Hebr. 7. cap. 9.6. Psal. 2. 6.

appellabant, & vt Regem etiam nunc expectant. Hinc illa ad Pilatum calumnia, (Luc. 23. 2. Matt. 15. 32.) *Ait se Christum Regem esse*. Et, *Christus rex Israel descendat de cruce*. Accedit illud quod suprà attigimus. Ex Psal. septuagesimo quinto. *In pace*, siue in Salem *factus est locus eius*.

3. (in can. Missæ.) MELCHISEDECH Rex simul fuit, & Sacerdos; & quidem summus, vt eum vocat Ecclesia. Regiam Christi dignitatem cum sacerdotali coniunctam, & parentes eius de domo Dauid, & cognati de stirpe Leuitica demonstrant; & vt Ioannes eum prædicat *Regem regum, & dominum dominantium*. Ita Paulus *Pontificem*, & quidem *sanctum, innocentem, impollutum segregatum à peccatoribus, excelsiorem cælis factum*, &c. Noc absurdè geminata in Psalmo virgæ appellatio coniuncta, & (Psal. 44. 7.) ad vnam relata sententiam, virgam regiam cum sacerdotali in Christo coniunctam designat. XXXIX. *In sacerdotio.*

4. (epist. 126. ad Euagr. De congr. erudit. l. 2. allegor. 9. x.) Melchisedech, vt ait Hieronymus, *non fuit vnctus oleo sacerdotali, vt Mosis præcepta constituunt, sed oleo exultationis, & fidei puritate*. Philo vno in loco, *à seipso consecratum sacerdotem appellat*; & alibi: *Quem*, ait, *Sacerdotem sibi constituit Deus, non expresso aliquo eius merito, sed quia talem ipse fecerat* [9]. Nimirum Christus vt Deus, operatus est incarnationem, séque ipsum constituit Sacerdotem, & Mediatorem Deum inter & homines: vt homini vero conuenit illud, *propterea vnxit te Deus*, (Psal. 44.) *Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis*.

5. Sacerdos fuit Melchisedech, Sacerdos & Aaron, vtérque typus sacerdotij Christi, sed ille perfectior, quia sacerdotium æternum designauit, iste temporale. Cruentum enim sacrificium semel impleuit in cruce, incruentum, quod Melchisedech adumbrauit, exercebit in æternum, vsque ad consummationem sæculi.

6. MELCHISEDECH panem & vinum obtulit, in gratiarum actionem Deo; in subsidium humanæ infirmitatis hominibus, in eóque Christi figura maximè ac singulariter fuit. Christus panem & vinum consecrauit, Deo, eleuatis in cœlum oculis, gratias agens: & hominibus distribuens, vt qui manducat hunc panem non moriatur, sed viuat in æternum, cuius figuræ singulariter adimpletæ testes, ac præcones habere voluit Regium Prophetam in testamento veteri, & Paulum Apostolum Euangelij tubam in nouo. XL. *In sacrificio.*

7. (Hebr. 7. 3. c. 13. 8.) Melchisedech exhibetur nobis quasi, *neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus filio Dei*. Nam, *Iesus Christus heri & hodie, ipse & in secula*. tam præterita scilicet, quàm futura.

8. Melchisedech nec prædecessorem habuit, nec successorem. Non enim dicitur Christus, *secundum ordinē Melchisedech*, quasi eius in functione sacerdotali successor; sed quasi per eum in modo, & materia sacrificij diuinissimi adumbratus. Christus neque prædecessorem habuit sacerdotij sui, neque successorem requirit, (Ibid. 23. 23.) vt alij sacerdotes, *qui morte prohibentur permanere. Hic autem eò quod maneat in æternum sempiternum habet sacerdotium, vnde & saluare in perpetuum potest, semper viuens ad interpellendum pro nobis*. Itaque in terris vicarium habet, successorem non habet.

9. (c. 7. 3.) MELCHISEDECH, *sine patre, sine matre, sine genealogia*, quasi terræ filius à Scriptura proponitur, hoc ipso, vt ait Paulus, *assimilatus filio Dei*, qui in terra sine (Esai. 53. 8.) patre genitus est, in cœlo sine matre, & vtramque *generationem eius quis enarrabit?* Nam & temporalis incarnatio ineffabilis est, & æterna processio captum & facultatem, & linguam superat hominum & Angelorum. XLI. *In genere.*

10. MELCHISEDECH maior est Abrahamo Patriarcharum maximo, vtpote cui benedixit, & in eo toti populo fidelium. Et ecce plusquam Salomon, & (Ioan. 8. 56.) plusquam Abraham hic. *Abraham* quippe *exultauit vt videret diem eius, vidit, & gauisus est*. Ipse est qui benedixit Abrahæ, & omnibus Patriarchis, & Prophetis, & omninò iustis omnibus, vt qui omnem nobis gratiam, & benedictionem (Ephes. 1. 3.) promeruit, Ephes. 1. XLII. *In benedictione.*

11. MELCHISEDECH accepit decimas ab Abraham, & in eo Leuitas, & totum Hebræorum populum decimauit, nec tamen tam Hebræorum, quàm Gentilium sacerdos fuit. Christus vix decimam partem Hebræorum ad se conuertit, vt de iis rectè dicere possit, *nónne decem mundati sunt* sanguine Redemptoris pro XLIII. *In decimatione.*

omnibus effuso *& nouem vbi sunt?* Impletúmque illud Malach. *Munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meũ in gentibus, dicit Dominus exercituum?* Sed etiam facti sunt improbi Iudæi Prophetæ in caput suum dicentes, *Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?* 1. 10. Ioan. 7.35.

XLIV. *In virginitate.* MELCHISEDECH qui non carnis & sanguinis immolator fuit, quasi carnis expers & sanguinis, angelicam in terris vitam agens, virginitatem consetuauit, vt suprà ex Ignatio & Suida diximus, cùm Leuitici sacerdotes, & eorum principes ipsi, Moyses & Aaron patres facti, filios habuerint, ac nepotes. At Christus *factus est nobis pontifex* non solùm *sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, sed etiam virgo, ac virginitatis, & continentiæ consecrator; qui *melior Angelis effectus*, Sacerdotes suos similes angelis fecit, viditque *semen longæuum eorum, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* 12. Hebr. 7.26. Esa. 53. Ioan. 1.

XLV. *Incondenda Hierusalem.* MELCHISEDECH conditor Hierusalem ciuitatis sanctæ; quæ ex duobus cõflata populis Iebusæorum, & Solymorum, in vnam coaluit ciuitatem, quæ fuit aliquando *domina gentium, princeps prouinciarum, gaudium vniuersæ terræ.* Christus Dominus conditor cœlestis Hierusalem, ciuitatis omnium electorum, & filiorum Dei; quæ ex Iudæis, & gentibus congregatur, vt post huius vitæ militiam triumphet in cœlis, & extinctis gentium erroribus, mundi pompis, & vanitatibus conculcatis, in terra viuentium æternum Alleluya decantet [10]. 13. Thren. 2. 1.

XLVI. VERVM ad hanc quasi funebrem orationem, addamus, si placet, etiam Epitaphium, quod sanctissimi, clarissimíque viri sepulchro inscribatur, ex Paulo Apostolo ferè mutuatum. 10. ✠.

EPITAPHIVM MELCHISEDECHI.

HIC SITVS EST SVMMVS DEI ALTISSIMI SACERDOS: VIR OMNINO MAGNVS, AVT VERIVS MIRACVLVM VIRORVM; QVIPPE LICET SINE PATRE FVERIT, SINE MATRE, SINE GENEALOGIA, VTRVMQVE HABVIT PARENTEM, ET VTRIMQVE GENVS. QVI INITIO DIERVM CARENS, LONGE POST INITIVM TEMPORIS FACTVS EST. QVI FINEM VITÆ NON HABENS, VITAM ITA MORTE CONCLVSIT, VT VITAM ASSECVTVS SIT, CVIVS NVLLVS EST TERMINVS NVLLVS FINIS. REX FVIT, SED IVSTITIÆ SIMVL ET PACIS; PONTIFEX FVIT, DICETVRQ. SACERDOS IN PERPETVVM; QVI IN DIEBVS CARNIS SVÆ OBTVLIT DEO SANCTVM SACRIFICIVM, IMMACVLATAM HOSTIAM PANIS ET VINI, QVO SACRIFICIO, AVGVSTIVS DIVINIVSQVE FILII DEI, CVI ASSIMILATVS EST, DEDICAVIT SACRAMENTVM. NON REGNAVIT, AVT VIXIT, SED VIVIT ET REGNAT, CVM EO, QVI SE DIGNATVS EST DICERE, SACERDOTEM SECVNDVM ORDINEM MELCHISEDECH. Heb. 7. 3.

Magna ex parte posuit Paulus Apost. nos exscribebamus.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2118.

N. 2. 1. NAM in regno, siue ἐν τῷ βασιλείᾳ vt habẽt 70. Vatic. idem est, quòd in tempore regni.

N. XIII. 2. In Hebræo quoque est, natos domus suæ, in Græco οἰκογενεῖς; Caietanus tamen putat eo numero contineri etiam seruos fœderatorum Abrahæ, dicique seruos Abrahæ, quòd illi in hoc negotio seruierint, idque ex fine huius cap. decimi quarti confirmari; quòd non absurdum est: dicuntúrque omnes vernaculi, quia maior pars eorum erat, Iosephus tamen vernaculos trecentos octodecim ab auxiliis sociorum separat, idque probabilius esse arbitror. Philo autem etiã ab emptitiis, vt dixi.

Ibid. 5. N. XV. 4. Vide eundem in locis Hebraicis, in voce Dan, & Ioseph. lib. 1. c. 10.

Alia litera, inquit Hieron. *habet Choban. Est autem Choba villa in Damasci regionibus, habens accolas Hebræos, qui credentes in Christum, omnia legis præcepta custodiunt, & à principe hæreseos Ebionitæ nuncupantur. Contra huiusmodi dogma Paulus Apostolus scribit ad Galatas.* Sic ipse. Leuam porrò Damasci accepit Adrichom. versus Occidentem, ratione scilicet venientium ex conualle Mambre. in tribo Manas. nomero sexagesimo. D. Ambr. lib. 2. c. 7. habet ad dextram, venientibus supple ex Syria.

N. XVI. 5. Dubium porrò est occisi ne fuerint hi Reges, an profligati: id est fusi fugatique duntaxat. Scriptura rem dubiam relinquit, nam vox נכה etsi aliquando significat occidere, significat etiam percutere, & flagellare citra mortem, & [illegible], sicut & κόπτω, cædere, & scindere; quòd etiam sine morte contingit. Vox tamen cædis qua vtitur hîc interpres, & in epist. ad Hebræos, vix nisi de interitu vsurpatur. Itaque cædes hîc dicetur Regũ, quòd in eis profligandis multa cædes cõtigerit, plurimi de eorum exercitu desiderati fuerint, licet ipsi fuga mortem euaserint. Seuerus Sulpitius ait tantùm in fugam compulsos, quomodo Caietanus hîc cædem accipit. Pererius tamen hoc loco, num. 88. ait quatuor reges vita pariter ac bonis omnibus spoliatos fuisse, quòd sentit etiam Abulensis.

Vt putauit Tornielius & Villalp. & ante eos Lipom. & Abulens. imò & Masius in decimò Iosoe. Vide Ribe. in c. 7. o. 9. & 10. & Iustin. in eundem locum. N. XXVI. 6

De ootatione vocis Hierusalem lege Masiũ N. XXVIII.
in 10. Iosue, p. 178. qui ex voce ירחו ierech, 7.
& vetustiore appellatione Salem factum Hierusalem tradit.

Pythagorici cum Hebræis Cabalisticis vo- N. XXXIII.
lunt decadas diuinis mysteriis fœtas, ideóque 8.
decimas superis dicatas, vt numerum iis gratum, quo & gratiæ de beneficiis agerentur.

In Græco textu ita legitur, *ὁ τὴν αὐτομαθῆ, ὁ αὐτοδίδακτον λαχὼν ἐπιστήμην.* De congressu N. XXXIX. 9.
quærendæ eruditionis gratia lib. 2. Allegor. *Μελχισεδὲκ βασιλέα τῆς εἰρήνης ἱερέα ἑαυτοῦ πεποίηκεν ὁ θεὸς, οὐδὲν ἔργον αὐτοῦ προδιατυπώσας, ἀλλὰ τοιοῦτον ἐργασάμενος βασιλέα, καὶ εἰρηναῖον, καὶ ἱερωσύνης ἄξιον ἑαυτοῦ πρῶτον.*

Leges quoddam Melchisedeci elogium in Chronico Alexandrino Græco-lat. p. 119. N. XL. 10.

ANNVS MVNDI 2119. DILVVII 463. TERTIÆ ÆTATIS 81. SEMI 561. SALÆ 396. HEBER 366. ABRAHÆ 81. PROMISSIONIS 6. NINYÆ 29. IMPERII ASSYRIORVM 188.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1934.

Gen. 15. REFERIMVS in hunc annum visionem Domini 15. Geneseos comprehensam. Etsi enim certum tempus exactè definire non possumus, aliquantò tamen tempore à prædicta victoria contigisse multorum consensu constare video, Caiet. Perer. Del Rio, etsi Iosephus ita coniungat quasi res eadem hora factas. I. *Tempus visionis factæ Abrahæ.*
hom. 36. Idque Chrysostomo placuisse videatur, quem lapsum Hebraicæ linguæ ignoratione videri potest; cùm enim Septuaginta natiuæ linguæ proprietate in Græca versione seruata dixissent, *Post hæc autem verba factum est verbum Domini*, &c.
hom. 36. credidit Chrysostomus non de rebus, sed de verbis agi, iis scilicet quæ cum Sodomorum Rege est collocutus, vt ipse interpretatur. Nec tamen placet, cum Torniello, in eundem annum referre, quod Scripturæ textus moram videatur requirere longiorem, & video non deesse, qui visionem hanc in alterum à bello annum differant. Et sanè tam multiplex bellum facilè maximam superioris anni partem tenuit, vt congruè in hunc subsequens visio reseruetur, post reditum Abrahami in Hebron, omniáque pacata.
pag. 122. Non benè igitur refertur à Chronico Alexandrino, in hunc annum Abrahæ. Verùm hic litigandum non censeo, cùm neutram in partem tempus vllum hoc loco momentum afferat, modo hæc visio post prædictum bellum, & ante natiuitatem Ismaëlis collocetur.

HIS itaque transactis, *factus est sermo Domini ad Abram per visionem*; nocte contigisse visionem hanc, ex sequentibus colligitur. II. *Aliæque circunstãtiæ.* educit enim Dominus Abrahamum foras, eíque cælum ostendens stellas numerare iubet, quæ scilicet tunc lucebant, quas interdiu constat numerari non posse.
hom. 36. Quin etiam D. Chrysostomus legit, *Factum est verbum Domini ad Abram, ἐν ὁράματι τῆς νυκτός. in visione noctis.* Et

addit, *quare in nocte? vt in silentio, & quiete melius quæ dicuntur accipiat.* Vocabulum tamen noctis Septuaginta Romana non habent, sicut nec Hebræa, neque Chaldæa; vigilanti tamen, & non dormienti visionem oblatam ex eo colligit Caiet. quod inseritur actus credendi imputatus ad iustitiam, cùm tamen dormientes nec iusti simus, nec iniusti. Cui tamen rationi responderi potest in somnis assensum præbuisse quomodo potuit; euigilantem autem, & certiorem factum diuinitus, non esse eam illusionem nocturnam, sed diuinam illustrationem plenum fidei assensum expressisse, quòd Caiet. ipse non diffitetur. Visio porrò, & auditio, & locutio iuxta eundem ad internos sensus referenda sunt, Abrahamo in quadam exstasi, & altiore contemplatione defixo. & ideò Angeli ministerio vtente, qui Deum verbis suis repræsentabat. Angelum enim interuenisse sentit Tostatus, Peter. Del Rio, & visionem totam ad externos sensus referunt, sicut illam eductionem è tabernaculo, de qua mox erit mentio. Eligat lector quã censuerit probabiliorem, ego vel propter illam eductionem in posteriorem propendeo, & specie visibili apparuisse Angelum, vt sæpè aliàs.

III. *Ordo visionum Abrahæ.* Est porrò hæc quinta apparitio facta diuinitus Abrahæ, nam prima facta est in Chaldæa, altera in Haran, tertia antequam iret in Ægyptum, quando primum altare Domino erexit; quarta post reditum & separationem à Lot, quando alteram excitauit aram; quinta est præsens post victoriam, in qua dictum est illi. *Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* In Hebræo habetur, *ego clypeus tuus sum,* quo alludunt Septuaginta, ἐγὼ ὑπερασπίζω σου, sed supplent vocem, *erit*, in promissione mercedis, quæ ab Hebræo abest, & Latino, vt possit subintelligi *ero*, Deo nimirum promittente se iusti mercedem fore, quòd ipsum in voce, *erit*, intelligi potest: Deo de se in tertia persona loquente. Gen. 15. 1.

IV. *Quis Abrahæ timor.* Qvod si quæramus quem timorem Dominus à famulo suo velit excutere. Respondet D. Chrysostomus timorem inopiæ, sic enim interpretatur. *Ne timeas quod despexeris tanta dona, neque anxius sis, quasi imminutiores factæ sint facultates tuæ.* hom. 36. Idque confirmat ex mercedis promissione, quæ subditur. Quòd sanè ex eo pendet quod paulò antè verba pro factis non accepit. Alij non minùs probabiliter censent Abrahamum reputantem apud se Assyriorum potentiam, quæ in proxima quatuor regum cæde irritata fuerat, aliquid humanitus passum fuisse, veritúmque ne illi, coactis maioribus copiis, in Hebron irruerent, séque, suósque internecione delerent, ideóque de migratione in alias terras cogitasse. Deum autem ab huiusmodi timore auocasse, bellicúmque timorẽ metaphora clypei vtendo, significasse. Itaque sensit Caiet. Peter. Del Rio, aliique; multò probabilius quàm Tostatus, qui ait Abrahamum timuisse ne bona sibi promissa diuinitus, in hac contra 4. Reges victoria complerentur. quòd absurdum est, cùm terræ promissæ possessor nondum esset.

V. *Abrahæ merita.* Anxivm ergo Patriarcham Dominus cumulatè consolatur, dum se eum immunem à damnis conseruaturum spondet, & vice clypei omnia periculorum tela depulsurum; deinde amplissima mercede cumulaturum labores eius Dei causa susceptos, præteritam patriæ, & cognatorum derelictionem, præsentem peregrinationem, in erigendis diuino cultui altaribus religionem, in parentis conuersione pietatem, in rectè instituenda & gubernanda familia prouidentiam & curam, in aggrediendo reges confidentiam, in nepote liberando charitatem, in despiciẽdis Sodomitarum bonis magnificentiam, in toleranda ad octogesimum vsque annum orbitate longanimitatem, in credenda, ac speranda copiosissima posteritate diuinitus promissa, inconcussam constantiam, atque firmitatem.

VI. *Petitio prolis à Deo.* An hanc mercedis mentionem statim memoriæ occurrit, quòd maximè insederat animo Patriarchæ, vt scilicet prolem à Deo peteret, per quam eximia illa promissa complerentur: & quidẽ peteret cum familiari gemitu, & amica querela. *Domine Deus*, inquit, *quid dabis mihi? ego vadam absque liberis*, in Hebræo est in Gen. 15. 2. præsenti, ego vado, id est morior; quomodo sæpè apud Ioan. sumitur. Et Chrysostomus, ἐγὼ δὲ ἀπολύομαι ἄτεκνος. quasi dicat, Quàm ego mercedem sperem, cùm consenescam liberis orbatus, quibus tamen repositæ sunt promissiones tuæ; ego iis non fruar vtpote grandæuus, nec filiis relinquam quibus careo. Chrysostomus, εἰς γῆρας ἔσχατον ἐλαύνων. quò mihi diuitiæ, si non conceditur

hæres?

Prou. 13. 22. hæres? Hæres, inquam, quem ego genuerim, iuxta illud, *Bonus relinquit hæredes filios, ac nepotes. & custoditur iusto substantia peccatoris. Et* nihilominus *filius procuratoris domus mea, iste Damascus Eliezer*, supple, erit hæres meus. Aposiopesis, rectè conueniens orationi plenæ affectuum, significans sibi aliquem de vernaculis suis in filium adoptandum, in quo diuina promissa compleantur, qui sit voluntate filius, non natura.

VII. *Quis Eliezer.*

Domus meæ procurator filius, & וּבֶן־מֶשֶׁק בֵּיתִי.

PORRÒ in hoc Eliezer, aut filio procuratoris multa philosophantur interpretes, nobis sufficiet audire, & sequi Hieronymum in quæstionibus Hebraicis, vbi refert interpretationem Septuaginta. *Et ego vado sine liberis, & filius Masech vernaculæ meæ, hic Damascus Eliezer*, &c. & subdit. *Vbi nos habemus, & filius Masech vernaculæ meæ hæres meus erit, in Hebræo scriptum est, vben Mesek bethi, quòd Aquila transtulit, ὁ υἱὸς τοῦ ποτίζοντος οἰκίας μου, id est, filius potum dantis domus meæ. Theodotion verò, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου, id est, & filius eius, qui super domum meam est. Quòd autem dicit hoc est. Ego sine liberis moriar, & filius procuratoris mei, vel villici, qui vniuersa dispensat, & distribuit cibaria familiæ meæ, vocatúrque Damascus Eliezer, hic meus hæres erit. Porrò Eliezer interpretatur Deus meus adiutor. Ab hoc aiunt Damascum, & conditam, & nuncupatam.* Hactenus Hieronymus, qui in editione vulgata hoc loco secutus est Theodotionem interpretando vocem Mesech. In capite autem quadragesimo Aquilam, vertit enim pincernam, vbi Septuaginta habent principem vinatiorum. Quòd si fatemur ab hoc Damasco conditam, & 1. Ant. c. 6. nuncupatam Damascum, & non ab Hus filio Haran, vt placet Iosepho, dicendum erit hanc vocem supra per anticipationem vsurpatam fuisse; fieri autem potest vt ille antiquior, conditor fuerit; iste recentior, instaurator, & denominator.

VIII. *Pia Abrahæ querela.*

SED audiamus reliquam Abrahæ querelam, gemitu vocem intercludente interruptam. *Mihi autem non dedisti semen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit.* hom. 36. *Ingentem dolorem animæ eius*, ait Chrysostomus, *declarant hæc verba; quasi diceret Deo; neque ea sum assecutus, quæ seruus meus vernaculus; sed ego quidem abibo sine filio: hic autem vernaculus meus hæreditatem accipiet, quæ à te mihi data est*, &c. Notáque deinceps sancti viri modestiam cum confidentia iunctam, vt qui nec indignatus sit, nec durum aliquid locutus; & tamen confidenter cogitationum suarum perturbationem patefecerit, vnde factum sit, vt statim diuina miseratione remedium acceperit.

IX. *Consolatio eius & diuina promissio.*

Gen. 15. 4. SVBNITVR enim, *Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens, Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo*, id est quem genueris, non quem adoptaueris, *ipsum habebis hæredem. Eduxítque eum foras*; sensibilem eductionem factam ab Angelo extra tabernaculum, & re ipsa iussum stellas aspicere & numerare, rêque ipsa exisse censent Tostatus, Del Rio, Pererius. Caietanus autem ait Deum sese habuisse ad similitudinem educentis Abraham extra tabernaculum in quo orabat, & in extasi sese habuisse, quomodo nos sæpè in somniis. Sed id difficile intellectu est, nec ego sententiam muto. De numero autem stellarum, & de consensione doctrinæ Astronomicæ cum Scriptura, quæ pluribus in locis eas innumerabiles esse tradit, & soli Deo numerum cognitum affirmare videtur, videndus est Pererius libro secundo in Gen. & rursus in hunc locum. quæst. 8.

X. *Collatio stellarum cum filiis Abrahæ.*

NIHIL ego probabilius dici arbitror, quàm Deum de stellis loquentem ad vulgi captum sermonem attemperare. quamquam nouis nunc perspiciliis, quæ vulgò Galilæi vocantur, in circulo lacteo innumerabiles stellæ rectè agnosci ac discerni dicuntur idque ego à fide dignis hominibus, qui id de sua, & aliorum experientia testabantur accepi. Quo posito facilè conciliari possunt istæ sententiæ, vt Astrologi loquantur de stellis iampridem cognitis ac notatis, quæ quadraginta octo constellationibus comprehenduntur, seclusa via lactea, Scriptura verò omnes omninò comprehendat, quas creauit is, *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Nam in via lactea*, inquit Ludouicus In 16. de ciu. c. 23. Viues, *innumeram esse stellarum multitudinem, Aristoteles, & alij magni viri asserunt, quæ internosci nullo humano obtutu queant.* Verùm vbi idipse legerit apud Aristot. nescio, is tamen apertè docet esse passionem aëris, sicut & cometas, quem pro-

pterea refellit Clauius in Sphæta. At ita censuetunt Anaxagotici, & Democritici philosophi, vt ibidem scribit Aristoteles. l.1.Meteor. c.8.

XI. *Abrahæ fides.* Accepta hac promissione *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Celebrat hanc Abtahæ fidem Paulus, vbi inter alia. *Et non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ.* Hoc refert Apostolus ad natiuitatem Isaac, nam Ismaël, qui quatuordecim annis eum antecessit, nihil ad Satam pertinet. Sed pergit, *In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcunque promisit, potens est & facere, ideò & reputatum est illi ad iustitiam.* Rom. 4. v.19.

XII. *Quomodo intelligenda.* Exvltant hoc loco Sectarij sicut mures in fatina, tam in sua illa, non vera, & reali, sed fictiria & imputatiua iustitia, quàm in iustificatione ex sola fide. Quæ plerique ex nostris cumulatissimè tefutarunt; id tantùm dixerim, falli istos vehementer, si non intelligant fieti aliquem ex peccatore iustum, & ex iusto iustiorem, dicente Ioanne, imò spiritu Dei, *Qui iustus est iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Et Apostolo Paulo, *Augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Abtaham autem non nunc primùm credidit Deo, iamptidem enim Deo credens, eiúsque promissis, & vocationi obtemperans, exietat è patria, & cognatione sua, & multos iam annos in Chananitide peregrinabatur; ad diuinam voluntatem actiones omnes suas, vitámque componens, plutimarúmque virtutum locuples, vt antè descripsi, adeò vt se illi debitorem Dominus magnæ omninò mercedis vltrò fateretur. Cùm ergo iustus iam esset, hoc tam insigni actu fidei promeritus est iustitiam, & sanctitatem ampliorem; accessitque hic virtutis fidei actus ad cæteros multarum virtutum actus, quos iam plurimos exercuerat, & cum illis computatus, atque annumeratus est ad coronam, nam ἐλογίσθη αὐτῷ, quòd est apud Moysem & Paulum, potest verti computatum est ei, λογισμὸς computus. Vel si placet Varabli, & communis interpretatio, meritò huius fidei iustus apud Deum ipsum habitus est; apud Deum ipsum, inquam, cuius scientia minimè fallitur, sed suum habet obiectum, tale omninò quale ipse cognoscit, & non tantùm apud homines, qui sæpè peccatores pro iustis habent. Apoc. 22. 2.Cor 9.10 num. 5.

XIII. *An dubitarit Abraham.* Hoc ergo testimonium fidei Abtahami præbet Moyses, vt ea illum prædicet iustificatum, magno scilicet incremenro arque accessione iustitiæ locupletatum, maiotique diuinitus fide illustratum. Sed ecce tibi dubitandi materia noua, fortassis etiam lapis offensionis. Cùm enim ad ptomissionem seminis, quòd stellis cœli numero & claritare conferri posset, Dominus adderet etiam iteratam terræ Chananæotum promissionem, quæ docetet non tam ereptam illi patriam, quàm maiore, melioréque possessione commutatam, addidit. *Domine Deus vnde scire possum, quòd possessurus sim eam.* Hæc enim verba dubitationem tedolent, hominísque videntur ptobationem, signum, aut confirmationem aliquam requirentis, vt promissis habeatur fides. Nec alia videtur Zachariæ ad Angelũ oratio, *Vnde hoc sciam? ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis*, quam tamen orationem constat non laudem, sed pœnam fuisse commeritam. Certè D. Cytillus, dubitationē quandam in Abrahamo, & fidei infirmitatem non dubitauit agnoscere. *Quoniam autem*, inquit, *promissionis magnitudo spem excedere videbatur, res enim inexpectatæ etiam creditu difficiles sunt, signum petens addebat dicens, Domine in quo cognoscam hoc? Itaque oportebat quidem senem, Deo dicente, nullo modo dubitare, quia autem erant adhuc principia fidei, Deus conniuet ad hoc, & confirmat in ipso profectum, & soliditatem in fide, & infirmo magna benignitate ad curandam pusillanimitatem quadam donat:* Hæc ipse. *Durus est hic sermo*, inquies, *& quis potest eum audire?* Audi ergo Rupertum. Luc. 1. 18. lib 10. contra Iul. in fi. Ioan 6 60.

XIV. *Non dubitasse, sed inquisiuisse.* Elegans est enim hoc loco, meo iudicio, Ruperti sententia, *Non vtique*, inquit, *diffidendo quærit, qui tam pias beneuolentiæ voces præmittit, Domine Deus quid dabis mihi? Domine Deus vnde scire possum quod possessurus sim eam?* Et infrà: *Non ergo tanquam incredulus infirmata fide dubitauit, sed tanquam pius pater futuris filiis prouidit; ne fortè peccantibus illis pœniteret Deum huius suæ promissionis, & idcirco in promissione aliquod sibi dari optauit firmamentum fixæ, stabilisque veritatis, & quasi interpositionem iuramenti. Nec moratus Dominus Deus, quòd optabat animus fidelis, cùm* lib.5. c. 20.

petere non auderet, spontè obtulit. Hæc Rupertus. Voluit ergo scire Abrahamus à Domino, an conditionalis tantùm esset ista promissio, quæ scilicet à posterorum culpis, meritisve depeoderet; an verò immutabiliter id decreto Dei definitum esset. Sicut illa posteritas, quæ omninò immensa futura erat, & carnalium, & multò maximè spiritualium Abrahamitarum. Possessio tamen, saltem perpetua, ex eorum pietate pendebat; qua deficiente ex ea paulatim expulsi, postremò funditus, atque in perpetuum exterminati sunt. Nec planè similis est Zachariæ interrogatio, quam ex infidelitate fuisse profectam euenta ipsa docuerunt.

FIRMAT ergo Dominus promissam Abrahæ possessionem, fœdere cum eo inito, additis cæremoniis solemnibus, quæ in huiusmodi pactis vsui essent, sacrificio scilicet certorum animalium, quæ parari iussit. Interea finita est visio, abscessit Angelus, & superuenit dies. In ea nihil habuit prius, neque antiquius Abraham, quàm parare in sacrificium vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, ac columbam. *Quare Deus hæc animalia, & singula, & duas fæminas, & tot annorum delegerit tolli sibi, nescio rationem literalem aliam, quàm diuinum beneplacitum*, ait Caiet. eam ergo nos, & quidem elegantem, à Theodoreto, & Diodoro discamus, prout eam breuiter, accuratéque digessit noster Del Rio in hunc locum; cùm enim plurimum faciat ad historiam, minimè duximus negligendam. XV. *Paratur sacrificium, & fœdus Abrahæ cum Deo.*

q. 65 in Genes. in Cat. Lipom. in c. 15. v. 9.

QVADRVPEDIA hæc parantur pro fœdere & sacrificio: aues pro sacrificio tantùm: cuncta verò simul significant statum & conditionem futuram posterorum. Iuuenca indomita significat primam generationem, qua Israëlitæ in Ægypto liberè, ac delicatè egerunt. Capra secundam generationem, cui iam Ægyptij aliquid seruituris imponebant, & sic aliquem ex eis fructum percipiebant. Aries, qui quantus quantus est, domino suo vtilis est, denotat tertiæ generationis tempus, quo ibidē duram & iniquam Hebræi seruitutem, & solis dominis vtilem, seruierunt. Volucres duæ tempus, quo, anno quadringentesimo ex Ægypto se proripuerunt. Turtur tempus mansionis querulæ in deserto. Columba, sociale animal, tempus quo in promissionis terra domicilia fixerunt; quadrupedia trima deliguntur quod cùm in iis tres ætates distinguantur, trium generationum seruitutem facilè repræsentant. XVI. *Quæ eorū significatio.*

{ vitula, iunix, vacca.
agnus, ouis, adasia.
hœdulus, capella, capra. }

Nam in quarta spondet Dominus eos reuersuros in terram Chanaan: in auibus huiusmodi discrimen ætatum non reperitur. Dissectio quadrupedum significat afflictiones varias, quas in Ægypto pertulerunt: Aues integræ, finem harum afflictionum. Volucrum volatus ad cadauera, Ægyptios, & Amalecitas Israëli proficiscenti molestos repræsentant: Abraham has abigens Dei prouidentiam suos defendentem, propter Abrahæ merita. Vt notat Hieronymus, & sæpè Scriptura ipsa.

in q. Hebr.

HÆC ergo animalia assumens Abraham & iugulans, ea per medium, à capite ad caudam diuisit, & vtrásque partes destinato in loco, fortassis iuxta altare, ita composuit, vt medietates sibi inuicem responderent; ἔθηκεν αὐτὰ ἀντιπρόσωπα ἀλλήλοις Septuaginta; inter se obuersas partes posuit, *altrinsecus*, id est alterum alteri oppositum, relicto in medio spatio, per quod transirent, qui fœdus inibant. Quòd ita factum, ait diuus Chrysostomus. *Quia olim eis* Chaldæis apud quos Abram educatus fuerat, aut Chananæis apud quos tum habitabat, *ita mos erat paciscendi, & pacta firmandi, ideò & ipse* Dominus *via hac ingreditur.* Sic ipse. Quibus consentanea sunt quæ habent Theodoretus, Procopius & Cyrillus. *Voluit Deus iuramento firmare promissionem, sed erat mos apud Chaldæos iuramenta stabilire transeundo per medias diuisiones, & lex regionis eius rem confirmabat.* Et Dominus quidem, sub specie ignis, inter illas diuisiones transiuit, vt habetur in extremo capite, & Caietanus notat, & apparet idem ab Abrahamo factum. *Quem morem à Domino*, vt Iosephus ait, *Abraha præceptum, Iudæi deinceps seruarunt*, vt intelligitur ex Ieremia; in feriendis item fœderibus apud Romanos, aliásque gentes, quædam animalia, porcam in primis, XVII. *Ritus fœderis.*

hom. 37. q. 65. in fin. in c. 15. Genes. lib. 10. contra Iul. l. 1. c. 10. 34. 18.

cædi solita multis passim exemplis probari potest. Vide Liuium lib. 1. vbi fœdus inter Romanos & Albanos explicat.

XVIII. *Vespertinus Abrahæ horror.*

MANSERVNT toto die ita disposita cadauera, expectante Abrahamo Dei aduentum, & prædatrices interea volucres abigente; donec sub occasum solis ingruentibus tenebris, magnus & tenebrosus horror inuasit Abrahamum. Tenebræ horrori famulantur, & tristitiæ, vt lux lætitiæ, & securitati; & Dominus his vtitur pro arbitrio ad fines suos. Nam hæc illi diuinitus contigisse vult Chrysostomus, vt Patriarcha diuinæ præsentiæ commoneretur. Verùm hom. 37. tam insolitus motus, in præsentia iam solita, & sæpius iterata aliquid amplius requirit. Nimirum vt caput membrorum suorum afflictiones præsentisceret, & simul Domini aduentum agnosceret, qui ea quoque voce se prodidit. *Scito prænosciens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* Adde quod Ægyptus in qua Israëlitarum afflictio futura erat, afflictionem significat, quam nomine tenebrarum Hebræi solent intelligere. Vt Iob, *terram miseriæ & tenebrarum, terram tenebrosam, &* 10.22. *opertam mortis caligine* [1]. 1. ✠.

XIX. *Prædicitur afflictio, & seruitus Israelitarum.*

NON leuis autem est de istis annis controuersia; quòd Chronologia certissima, ex ipsa Scriptura expressa, non patiatur isti seruituti Ægyptiacæ tot annos tribui, vt ex decursu singulorum annorum intelligetur. Itaque diuus Augustinus istos quadringentos annos ita explicat, vt eos in Ægypto finitos lib. 16. de ciu. c. 24. fuisse dicat, non integrè transactos. *Non quod in eadem seruitute*, inquit, *sub Aegyptiis affligentibus quadringentos annos ille populus fuerat peracturus, sed in ipsis quadringentis annis prænunciatum est hoc futurum. Quemadmodum enim scriptum est de Thara patre Abrahæ, & fuerunt dies Thara in Charan, quinque & ducenti anni. Non quia ibi omnes acti, sed quia ibi completi sunt. Ita & hic, propterea interpositum est, & in seruitutem redigent eos, & affligent eos quadringentis annis, quoniam ille numerus in eadem afflictione completus est, non quia ibi vniuersus peractus est.* Sic Augustinus.

XX. *Quã diuturna, & vnde inchoanda.*

ERGO peregrinatio seminis Abrahami in istis quadringentis annis includitur, & non sola seruitus & afflictio. Idémque intelligendum est, Actuum 7. Act. 7. 6. Vbi diuus Stephanus hunc locum recitat coram Iudæis. Et quoniam istud semen, de quo est ista prædictio, est Isaac iuxta illud, *In Isaac vocabitur tibi* Rom. 9. 7. Gen 21. 13. *semen*, ideò etiam ab eius ortu inchoantur. Atqui ab anno natiuitatis Isaac vsque ad annum egressionis ex Ægypto, quinque suprà quadringentos annos computantur, vt ait Augustinus, & series ipsa annorum, quæ suis vbique quæst 47. in Exod. locis confirmabitur, apertè docebit. Verùm illos quinque annos in ista maiore summa Dominus neglexit addere, quibus tamen additis ad vigintiquinque, qui antecesserunt ortum Isaac, fient integrè quadringenti triginta, quos Moyses, & Paulus celebrarunt. Notat Chrysostomus, non dici afflictum iri in Exod. c. 12. quadringentis annis semen Abrahæ in Ægypto, *Quia*, inquit, *neque dimi-* Gal. 3. 17. *dium eorum fuerunt in Aegypto, sed in terra non sua, itaut possit connumerari cum* hom 37. *annis in Aegypto etiam tempus Patriarchæ, ex quo ei imperatum est, vt ex Charan egrederetur,* &c. Verùm ex eo tempore non quadringenti, sed quadringenti triginta ex Scriptura reperiendi sunt, ex duodecimo Exodi iuxta interpretationem Apostoli. Galat 3 17.

XXI. *Deus consolator Abraham.*

HOC ergo primùm reuelat Dominus Abrahæ, distare admodum expletionem promissionis suæ. Et quoniam Abraham tum diuturna vexatione v. 14. posteritatis suæ, tum dilatione hæreditatis promissæ vehementer angi poterat, addit Dominus tria, quæ ad eius consolationem plurimum faciant. Primùm 1. *veruntamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo*, per multas nimirum plagas vindictam de eis sumendo, *Lætabitur enim iustus cum viderit vindictam, & lauabit* Psal. 57. 11. *manus suas in sanguine peccatoris.* Secundò, *& post hæc egredientur, cum magna sub-* 2. *stantia*, ne scilicet quasi mancipia, sine vtilitate sua, seruiture oppressi fuerint. Tertiò, non futurum ipsum huic obnoxium seruituti, vita in ali- 3. quot vltra sæcula propagata; sicut Semi, Salæ, & Heber, qui adhuc erant in viuis. Vix tamen medio adhuc in cursu vitæ constiterat: quippe qui

81. victurus erat adhuc annos quatuor & nonaginta. *Tu autem, ibis ad patres tuos,*
—94— inquit, *in pace ſepultus in ſenectute bona.* [2]. Verba conſolationi accommodata
175. ſunt, *Non dixit morieris, ſed abibis, quaſi peregrinaturo eo, & migraturo à patria in pa-*
Gen. 25. 7. *triam.* Chryſoſtomus. Et ideo mortem vocat profectionem ad patres ſuos, & eam
2. ✠. dicit fore in pace, id eſt in multa rerum abundantia, non in afflictione; & in ſene-
Homil. 37 ctute bona, non ærumnoſa morbis, aut curis, aut Deo malis operibus inuiſa, ſed
pia, contenta, venerabili, qualis poſſit ab hominibus à Deo deſiderari.

ETSI autem generationem quartam interpretari poſſumus ſeculum quartum, XXII.
vt Tigurina, propter proximè memoratos quadringentos annos; communiorem *Reditus*
tamen Scripturæ vſum retinere poſſumus. Nam magna ex parte filij Iacob, qui in- *contigit*
greſſi ſunt cum patre in Ægyptum, quarta generatione cum Moyſe egreſſi ſunt. *quarta ge-neratione.*
Nam Ruben primogenitus Iacob genuit Phallu, ex quo ortus eſt Eliab, pater
Num. 26. 8 Namuel, Dathan, & Abiron; qui poſt exitum de Ægypto, in deſerto, terra diſ-
cedente periere. Leui genuit Caath, patrem Amram, ex quo Aaron, Moyſes, &
Exo. 6. Maria. In Iudæ tribu; Iudas genuit Phâres, ex quo Eſron, qui pater fuit Caleb,
ſocij Ioſue in exploranda terra. Paſſim quidem dicitur filius Iephone, ſed in pri-
2. 18. mo Paralipom. dicitur filius Heſron. In eadem tamen tribu in ſtirpe regia [3] inue-
3. ✠. niuntur ſex, & in tribu Ioſeph per Manaſſem totidem, ſed ad veritatem locutio-
nis Moſis, tria illa exempla ſufficiũt. Porrò de hoc loco vide quæ ſcripſit D. Hie-
Epi. 125. quæſt. 2. ronymus ad Damaſum, & Procopius in 15. Geneſeos.

q. 64. DIDICIT porrò Abraham rationem dilationis, vt ait Theodoretus, *Ne quis* XXIII.
ſuſpicaretur ob numeroſam incolarum multitudinem Dominum Deum non potuiſſe eis tradere *Cauſa dila-tionis.*
dominium illius terræ. Dixit autem ſic. Nondum adimpleta ſunt peccata Amorrhæorum vſque
nunc. Nondum, inquit, exitio digna perpetrarunt. Non decet autem ante peccatum ex præſcien-
tia pœnam infligere. Sic ipſe. qui & ſubdit aliam rationem, quod in illis terris non-
nulli viri boni adhuc exiſterent, qui iram Dei vltricem retinerent; puta Melchi-
Geneſ. 14. 22. ſedech Rex Salem, Abimelech Rex Geraræ, quibuſcum multos etiam viros bo-
nos vixiſſe credibile eſt, populo in vtramque partem principes ſuos imitãte. Hinc
autem infert Caiet. Deum non penſare merita pœnarum ſecundum grauitatem
peccatorum, quatenus ſunt offenſæ Dei, quia ſic minimum peccatum meretur
extermination̄e, ſed ſecundum rationes iudiciorum ſuorum, quæ ſunt nobis igno-
ræ. *Iudicia* enim *Dei abyſſus multa.* Nomine porrò Ammorhæorum hoc loco, ſicut
alibi paſſim Chananæorum nomine, omnes iſti populi comprehenduntur; ſed cũ
de eorum peccatis ageretur, exempli cauſa omnium nocentiſſimos nominauit;
Ezech. 16. 3 quo pertinet illa contumelia, *Pater tuus Amorrhæus eſt, & mater tua Cethæa.*

ORATIONEM Domini excepit ritus ſacrificij & fœderis, de quo ita Moyſes. XXIV.
Cùm ergo occubuiſſet Sol, facta eſt caligo tenebroſa, vt ſcilicet excluſo cæleſti omni lu- *Sacrifica-*
mine, magis ſplendeſceret ignis ſuperueniens, *& apparuit clibanus fumans,* Ægy- *tur, & ini-tur fœdus.*
ptiacas referens videlicet fornaces, quibus maximo, miſerrimóque Iſraëlitarum
labore, lateres coquebantur, *& lampas ignis,* ſiue fax ignea, *tranſiens inter diuiſiones*
q. 65. *illas,* & ſcilicet holocauſto cuncta conſumens. *Significabat quippe hic ignis ſuſcepta eſſe*
ſacrificia, inquit Theodoretus, *& præterea Deum omnium fore conſpicuum circa finem præ-*
dicti temporis. Nam in igne viſus eſt Moſi legiſlatori, deindéque vniuerſo populo. Docebat e-
tiam quod poſthac animalia huiuſmodi per legem eſſent offerenda. Et quidam ferunt quòd Deus
volens demonſtrare promiſſionem ſuam firmam eſſe, de more, qui tunc obtinebat, pactiones i-
niit. Solebant enim, inquiunt, ſacrificio bipertito, ſic pactiones iuramento firmatas contrahere.
lib 10. con. Iulia. ſub finem. Sic ipſe, quibus ſimilia habet D. Cyrillus [4]. & D. Chryſoſtomus homil. trigeſi-
ma ſeptima, vt ſupra retuli; qui rurſus, *Et flamma,* inquit, *& clibanus, & lampades*
exiſtunt, vt ſignum habeat iuſtus firmitatis fœderum, & aduentus diuinæ operationis. Deni-
4. ✠. *que poſtquàm completa, & perfecta ſunt omnia, igne conſumente, quæ propoſita erant, diſpo-*
ſuit, inquit, Dominus in die illo Abræ teſtamentum. Sic Chryſoſt. reperit autem pleniùs
promiſſionem ſuam poſt initum fœdus cum Abrahamo, quem etiam inter diuiſio-
nes tranſiſſe conſentaneum eſt, vt humano more, quem Dominus imitabatur, fœ-
dus vtrimque firmaretur.

DE populis porrò qui enumerantur hoc loco, ſatis ſupra dictum eſt, non eſt XXV.
tamen diſſimulanda in iſtius promiſſionis amplitudine dubitatio, quod poſſeſſio *Qui ter-mini Iſrae*
terræ à fluuio Ægypti, id eſt, vt videtur, à Nilo ad Euphratem vſque promitta- *litarum.*

rur, tum hoc loco, tum in libris Deuteronomij, & Iosuë. Cùm tamen alibi longè angustioribus terminis circunscribatur; vt Numerorum trigesimo quarto termini à Septentrione ponuntur in Emath, qui locus erat citra Damascum, & Libanum; ab Oriente verò termini modicè vltra Iordanem protenduntur; longissimè omninò ab Euphrate. Respondeo, ex minoribus terminis Israëliticæ possessionis de maioribus responderi posse; sicut enim culpa suane minores quidem totos obtinere potuerunt, neque enim Tyrios, aut Sydonios, aut Philistæos suis sedibus expulerunt; ita neque maiores, quos Deus statuerat tradere Israëlitis (neque enim fallax erat diuina promissio) postquam in fide ac pietate constantes, cum diuino auxilio priores terminos, delectis antiquis possessoribus, vndique occupassent. Tunc enim latius ad Euphratem vsque victricia signa protulissent, colonias deduxissent, & ex Syria vniuersa, impios cum impietate exterminassent. Et ita sentit Andreas Masius, nonnihil dissentiente Pererio. in c. 1. Iosue n. 4. in 15. Gen. disp. 10.

XXVI. *Fluuius Aegypti.* CÆTERVM fluuius hîc Ægypti, non est Nilus; siquidem alibi & riuus, & torrens Ægypti appellatur, quæ nomina non conueniunt Nilo, sed est exiguus fluuius prope Rinocoluram: Aegypti dictus, vel quia deriuatur à Nilo, vel quia erat terminus Israëlitarum Ægyptum versus; sicut vocamus terminos Orientis, & Septentrionis qui versus Orientem, & Septentrionẽ siti sunt. Vide Hieronymũ in cap. sextum Amos in ea verba, *quia ecce Dominus mandabit*, vbi ait inter Rhinocoturam & Pelusium riuum Nili, siue torrentem de eremo venientem mare ingredi. [5]. 5. x.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2119.

N. XVIII. 1. VIDE ibidem cap. decimo quinto, versu vigesimo tertio, & vigesimo quarto, vbi diem tenebrarum explicans subdit, *terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum*, & cap. viges. secundo vers. decimo. *Circundatus es laqueis, & conturbat te formido subita. Et putabas te tenebras non visurum, & impetu aquarum inundantium non oppressum iri.*

N. XXI. 2. Septuaginta habent τραφεὶς nutritus, errore opinor (pro ταφεὶς sepultus, quomodo in vulgata legimus, & Hebræo Chaldæoque) sed antiquo, sic enim legit Chrysost. homil. 37. S. Ambr. lib. secundo cap. octauo. Augustinus lib. decimo sexto de ciuit. cap. vigesimo quarto; cúmque errorem correxere Biblia Complutensia, & regia.

N. XXII. 3. In Iuda sex generationes reperiuntur ex regia stirpe propter promptiorem generationem: { Iudas, Phares, Esron, Aram, Aminadab, Naasson. }

In Manasse quinque, & cum Iosepho sex. Nume. vige. septimo, primo. Iosue decimo sept. ter.: { Manasses, Machir, Galaad, Sephel, Salphaad. }

N. XXIV. 4. Ibidem etiam scribit, apud posteriores talia quædam vsurpata, *vnde Sophocles*, inquit, *en Antigone, introducit quendam nuncium (cui etiam preceptum erat Polynicis corpus seruare Thebanorum duci) dicentem (Creon hic erat) Eramus autem parati, & ferrum tollere manibus, & ignem discindere, & deos adiurare. Nam euntes per medium ignem & ferrum ferentes manibus faciebant iuramenta.* Sic Cyrillus verba Sophoclis sunt hæc,

Ἦμεν δ' ἕτοιμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
Καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν.

Verùm μύδρος non simpliciter ferrum significat, sed ferrum candens; oec διέρπειν diuidere, sed perreptare. Itaque sensus videtur esse, custodes istos cadaueris paratos fuisse, ad probãdam suam innocentiam, non solùm imprecari sibi dirissima quæque, sed etiam difficillima quæque agere, qualia sunt ferrũ ignitum manibus accipere, per medium ignem perreptare, & deos iureiurando contestari; nulla autem ibi de sacrificio, aut fœdere mentio.

Vide & Adrichomium in Tribo Simeonis, & Torniellum anno tertiæ ætatis sexto, & maximè Riberam in caput sextum Amos, & Pererium in caput decimum quintum, disputat. nona. N. xxv. 5. num. 4. num. 14. num. 42. & seq.

ANNVS MVNDI 2124. DILVVII 468. 3. ÆTAT. 86.

SEMI 566. SALÆ 401. HEBER 371. ABRAHÆ 86.

PROMISSIONIS 11. NINVÆ 34. IMPERII ASSYRIORVM 193.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1929.

Gen. c. 16. 3

I. Coniugium Abra cum Agar. Saræ & Abrahæ constantia.

HIc est annus coniugij Abrahami cum Agare ancilla Saræ, quæ *dedit eam viro suo vxorem, post annos decem, quam habitare cœperant in terra Chanaan*, vt scriptura loquitur. Fuisse autem exactos hos annos phrasis quoque Hebræa significat, quæ habet *à fine, siue post finem decem annorum;* ergo vndecimo inchoante, qui est præsens annus. Ex qua temporis diuturnitate non exigua Saræ virtus agnoscitur, cuius nulla querela, nulla murmuratio auditur, post tot promissa facta diuinitas semini Abrahæ. Alia enim minore virtute mulier existimasset & viro suo, & sibi illusum esse, visáque illa, & promissa, cuiuspiam impostoris esse, non Dei. Prædicat quoque D. Chrysost. (Homil. 38.) eximiam Patriarchæ constantiam, qui post tot promissa Dei, de semine cui daturus esset terram Chanaan, quod pulueri terræ multitudine, quod stellis cæli claritate æquaretur, post inita fœdera, nullus iam tot annis promissionum, aut pactorum effectus existeret; sed inania omnia, atque irrita viderentur, non fluctuauit animo, præsertim ingrauescente tam sua, quàm vxoris ætate, & viribus; & euadentibus in dies minùs idoneis, vt per ipsos huiusmodi promissa complerentur; sed omnipotentiam Domini cognoscens, qui naturæ Dominus, & conditor est, viámque in inuiis inuenire potest, sicut probæ mentis famulus (εὐγνώμων) non scrutatur anxiè diuinam prouidentiam, sed cum firma fide omnia eius arbitrio permittit.

II. Cur has nuptias Sara conciliarit.

AT Sara, quæ meminerat nullam sui factam fuisse in diuinis promissis mentionem, & dictum quidem de Abrahamo ipsum habiturum hæredem, non Damascum aliquem Eliezer, sed filium quem ipse geniturus esset, sed ex qua muliere ipsum suscepturus esset non fuisse dictum; videtur existimasse se & sterilem, & vetulam huic muneri à Deo minimè destinatam, sed alteram quampiam, cuius ipsa fœtum in filium adoptaret. Itaque habens ancillam, domo ac genere Ægyptiam, religione Hebræam, vt ait Philo, nomine Agar, in Ægyptiaca, pridem peregrinatione acquisitam, ad gignendum habilem, (in l. de Abram.) *dixit marito suo, ecce conclusit me Dominus ne parerem*, id est ne conciperem, partus pro conceptu, vt alibi notauimus, *ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios*, id est, vt Philo interpretatur, vt tui natiui liberi, mei fiant adoptiui. Perspicuum est honestissimam matronam non suasisse viro adulterium, sed diuina inspiratione impulsam, polygamiam suasisse; & communem circa prolem charitatem, magno animo natiuæ mulierum zelotypiæ antetulisse. Nam sequitur, *& dedit eam viro suo vxorem*, ad prolis duntaxat multiplicationem, non ad omnia iura coniugij; vt deinceps nomine officij *concubina*, non dignitatis nomine *mater familiâs* appellaretur. Certè Iosephus disertè asserit Saram Dei monitu (l. 1. ant. c. 11 τοῦ θεοῦ κελεύσαντος.) in thalamum viri Ægyptiam adduxisse.

III. Quî consenserit Patriarcha.

ABRAHAM quoque qui acquieuit deprecanti, & cuius virtus & continentia longè ab iniusto concubitu abhorrebat, meritò creditur diuina inspiratione instructus, in has inferioris ordinis nuptias consensisse, quibus diuina promissa, in Saræ sterilitate, & senectute impedita, commodè expediri possent. *Ille miratus*, inquit Philo, (l. de Abraham.) *tantam vxoris charitatem, & de futuro tempore curam, & prouidentiam, duxit liberorum causa eam, quam illa commendauerat, vsus eius coniunctione, vt ferunt qui se aiunt certiora prodere, donec efficeretur grauida. Quod vbi non ita*

multò pòst contigit, aiunt abstinuisse ab eius congressu, vel propter innatam viro continentiam, vel propter honorem, quem vxori habebat mutuum. Hæc Philo. Idque probabile fit, quod nullam deinceps ex ea ptolem suscepisse legatur, neque omninò ex vlla alia, vsque ad decimum tertium abhinc annum, eximia vbique continentia, contra quam hominem sanctum acuere poterant ptomissa de innumetabili posteritate ex ipso ptopaganda.

IV. *Diuina circa polygamiam Dispensatio.*

CÆTERVM diuinam interuenisse inspirationem, quæ in naturali lege coniugij, duabus personis definiti, dispensaret, omnium pene consensu constat, cuius cum ooo facta sit peculiaris in Abrahamo mentio, creditur antiquior fuisse, etiam in viris piis, ac Deum timentibus. Peretius certè, non vult eam dispensationem ptinò datam fuisse Abrahæ, cùm eam Sara, sine religione aliqua & dubitatione, non vt rem nouam, & inusitatam viro suo persuaserit, sed vt vulgò vsitatam, passimque frequentatam. Itaque existimat huiusmodi dispensationem statim à Diluuio factam esse Noë, & videlicet filiis eius, ad multiplicationem generis humani, siue per exteriotem aliquam reuelationem, siue per inspirationem internam. Eius coosuetudinis testis est Augustinus, cuius vi ac licentia hanc Abrahæ eum Agare coniunctionem à crimine vindicat. *Quando mos erat*, inquit, *crimen non erat, & nunc propterea crimen est, quia mos non est*. Et lib. tertio de doct. Chtistiana ait, *Sufficiendæ prolis causa fuisse inculpabilem consuetudinem, vt plures simul vxores vir vnus haberet, non autem vt mulier vna pluribus maritis iungeretur*. Nimirum quod talis copula præcipuo fini matrimonij, qui in legitima prole suscipienda consistit, aduetsaretur. Caietanus quoque ait nihil tunc habuisse indecens huiusmodi plutalitatem vxorum, sed consuetam, ac communi more probatam. *Non enim*, inquit, *Sarai ausa fuisset alterã proponere vxorem, nisi communi more vidisset huiusmodi bigamiam probatum. Nihil hîc de diuina dicitur dispensatione, nihil reprehensibile insinuatur.* Sic ipse. Nec sane Pattes huiusmodi dispensationis apertè meminetunt.

in cap. 16. v. 22.
lib. 22. con. Fau. c. 47.
cap. 12.

V. *Consuetudine ac lege roborata.*

VERVM vt illa consuetudo inculpabilis foret, diuinam oportuit interuenisse dispensationem legis illius, quam Deus Adami ore promulgarat, *erunt duo in carne vna*. Eam autem vt legitimam, & primario fini matrimonij consentaneam, si fatemur iure concessam Noë, in magna illa hominum paucitate, ad generis humani propagationem, certè non minùs id de Abtahamo fatendum videtur, cuius progeniem Deus sibi in populum innumerabilem selegerat, eiúsque pareoti sæpius iam antè spoponderat. Deinceps autem huiusmodi consuetudo ita inoleuit, vt lex superueniens, quæ multa laxiora in moribus hominum contraxerat, eam tamen laxitatem non tolleret, sed approbaret; quippe quæ tam odiosæ, quàm dilectæ vxoris liberos, pro legitimis filiis, & hæredibus haberi voluerit; & Regibus plures concesserit, plurimas tamen prohibuerit, *nihil enim ad perfectum adducebat lex*, donec veniret legislatot nouus, qui dispensatione sublata iterum stabiliret illud, *Erunt duo in carne vna.*

Gen. 2. 24.
Deut. 21. 15.
Deut. 17. 17

VI. *An Sara licitas fecerio has nuptias.*

NAM si haoc dispensationem vsu confirmatam, ipso etiam Patriarcharum tempore sustuleris, causæ aliæ, quæ pro huius bigamiæ excusatione apud nonnullos Patrum leguntur, plus habebunt coneinnitatis & gratiæ, quàm solidæ veritatis. Putà quas habent Theodoret. Ambrosius, Chrysostomus de casto prolis amore de consensu coniugis, de lege non prohibente; & maximè D. Augustinus, *Nullo modo*, inquit, *inurendum est de hac concubina crimen Abrahæ. Vsus est ea quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinem; nec insultans, sed potius obediens coniugi, quæ suæ sterilitati credidit esse solatium, si fœcundum ancillæ vterum, quoniam natura non poterat, voluntate faceret suum; Et eo iure quo dicit Apostolus. Similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, vteretur mulier ad pariendum ex altera, quod non poterat ex seipsa. Nulla est hîc cupido lasciuia, nulla nequitia turpitudo.* Et in fine cap. *O virum viriliter vtentem fœminis, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter!* Verùm nisi aliunde constet huiusmodi coniugium non fuisse illicitum, non potuit Saræ consensu fieri licitum; neque eam habet vxor in viri corpus potestatem, vt ei alteram mulierem suo loco substituat, sed vt sibi tantùm debitum coniugale tequirat. Neque prolis amor coniunctionem adultetinam reddere honestam potest. Quia finis bonus non nisi per bona media procurandus est. Denique à ptincipio lata lex, duos

q. 66.
lib. 1. de Abram.
cap. 4.
Hom. 38.
lib. 16. de ci. c. 24.

tantum in vno coniugio requirebat. Sed hac de re pro instituto satis, plura sug-
loco cita. gerer Pererius, & Bellarm.

CONCEPIT ergo mulier, & fortunatior effecta, facta est insolentior; ancil- VII.
lam se esse oblita est, quæ bono fruebatur, quod videbat à domina tandiu frustra *Agar insolescit.*
desiderari, *Despexit dominam suam; Agar in dominam suam magna procacitate vtebatur;*
q. 66. l. c. 11. ait Theodoretus. *Aspirans*, inquit Iosephus, *ad principatum, quasi ad prolem suam dominatio peruentura esset.* Sed vide lector an non fallatur Iosephus, hæc enim ambitionis suspicio nimium præcox est; præsertim cùm nesciret marémne, an fœminam gestaret in vtero, & ad illud potius tempus pertinet, quo, ludente Ismaële cum Isaac, dixit Sara non fore hæredem filium ancillæ, cum filio liberæ.

NVNC autem contemptum potius interpretemur, qualis solet contingere in VIII.
famulis; & maximè in ancillis, quæ multam habent in re familiari administratio- *Et heram despicit.*
nem, aut gratia apud herum valent. Nam istiusmodi mulierculæ multæ sunt in responsando, in obloquendo, in iactando seipsas, in sublimitate oculorum: ita & Agar, nam etiam oculorum fit mentio in Hebræo. vnde Tigurina vertit, *Viluit domina ipsius in oculis eius*, id est, ait Vatablus, habuit contemptui heram suam præ se. Hebraica enim phrasis nititur naturali oculorum facultate, qui internam superbiam & contemptum produnt, sicut & alias animorum affectiones. Prodebat ergo contemptum dominæ Agar vultu, & manibus insequiori obsequio, & toto corpore, in coacta veneratione, & similibus. *Ille enim fermè seruorum mos est,*
hom. 38. ait Chrysostomus, *vt cùm parum aliquid prosperitatis eis aspirauerit, nequeant intra suos sese limites continere, sed statim sui ordinis obliuiscantur, & ad improbitatem impellantur.*

HANC morum mutationem Sara non ferens, suspicata mariti gratiam ei ani- IX.
l. 16 c. 25. hom. 38. mos facere (suspicionem hanc agnoscunt D. Augustinus, & Chrysostomus,) *Sara indignatur.*
querelam ad eum defert, *Iniquè*, inquit, *agis contra me, ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit, despectui me habet; iudicet Dominus inter me, & te.* quasi dicat, de alienis in me iniuriis, tu iudex, & vltor esse debes; at de tuis contra me, Deus iudex erit, ipsum appello iudicem causæ meæ. Caue autem credas Philoni, libro de congressu quærendæ eruditionis gratia. *Caue*, inquit ille, *de Agar dictum putes, quod vidisset seipsam concepisse, cùm dicitur, videns quod concepit, sed de hera hoc intelligitur Sara, nam paulò pòst ipsa de seipsa dicit videns se concepisse, parata est coram ea*, ἑτοιμάσθη legit interpres, cùm in textu sacro sit ἠτιμάσθη, *despecta est.* Sed Philo ipse euanescit in cogitationibus suis, ad quas Scripturæ textum repugnantem trahit; constat enim vtróque loco agi de conceptione Agaris, non Saræ. Quo animosior fuit hæc mulieris oratio, & suspicacior, eo maior fuit viri virtus, quando se iniustè à coniuge accusari sine iracundia passus est, sed ira tumentem eius animum molli responsione fregit, *Ecce*, ait, *ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet.* Comprime scilicet tumorem animi seruilis, castiga verbis insolentiam, ne plagis
Prou. 10. 13. c. 26. 3. & Eccli. 33. 25. quidem parce, si necesse est. Nam *virga in dorso eius, qui indiget corde.*

SARA igitur læta stare à se maritum suum, accepta potestate strenuè vtitur; X.
ancillam dies noctésque labore vexat, & cessantem verbis castigat, & plagis. *Af- Et vexat*
Gen. 16 6. *fligente igitur eam Saras fugam iniit*, quid aliud faceret, inquies, neque enim *seruitio* *ancillam,*
exire licebat; at summitteret dominæ rigidam ceruicem; præsidio, atque armis hu- *quæ aufugit.*
militatis vteretur, virtutis omnium gratiosissimæ, & potentissimæ ad placandos, molliendósque animos quantumuis efferatos. Hoc nimirum intellexit, & consu-
hom. 38 luit Angelus. *Nam*, vt ait Chrysostomus, *quia iusti semen intra se gerebat, ideo & Angeli aspectum videre meruit.* Et infrà, *Vidisti propter Patriarchæ honorem, quanta sint ancillæ facta? quidquid enim illi impensum est, ad honorem Patriarchæ pertinet.* Angelus ergo inuentam, *iuxta fontem aquæ in solitudine, qui est in via Sur in deserto* (fugerat nimi-
in qq. Heb. rum ex Hebron meridiem versus, circa loca, quæ postea filius eius incoluit; & sanè, vt apparet, & notauit Hieronymus, patriam cogitabat; verùm per loca deuia, ne facilè à persequentibus fugitiua reperiri, & à fuga retrahi posset) & confiten- XI.
tem fugam ita monet. *Ab Angelo consilium accipit, & consolationem multiplicem.*

v. 9. REVERTERE *ad dominam tuam, & humiliare sub manu eius.* Addidit etiam forl. 1. c. 11. tasse promissionem maioris lenitatis, & mansuetudinis Saræ aduersus ipsam. Nam Iosephus ait promisisse illi angelum, fore eam meliore conditione, modò se modestè gereret: minas etiam intentasse, si vltra pergeret. Addidit certè consola-

tionem, eámque multiplicem. Primò ex spe innumerabilis posteritatis; secundò 1.
ex denunciatione qualitatis fœtus, quem vtero gestabat; tertiò significanda Dei 2.
erga ipsam misericordia, in compatiendo afflictioni eius, ideóque nasciturum fi- 3.
lium, quem natum iubet Ismaëlem vocari, eò quod audierit Dominus afflictionem ipsius. *Ismaël enim*, inquit Hieronymus, *exauditio Dei interpretatur*. Θεόκλυτον ἂν τις εἴποι, διὰ τὸ εἰσακοῦσαι τὸν Θεὸν τῆς ἱκεσίας. Iosephus; *ac si dicas, Exoratum, eò quod Deus preces exaudierit.* (Ibid.)

XII. *Ismaelis & Ismaelitarum mores.*

QVARTÒ representando mores illius asperos, quibus redderetur hominibus formidabilis. 4. *Erit*, inquit, *ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Allusit Hieronymus ad Hebræam vocem פרא phere, cùm Ismaëlē ferum dixit, cùm Septuag. habeant ἄγροικον, id est rusticum; sed Hebræa vox propriè onagrum significat, asinum scilicet syluestrem, solitudinis incolam, durum & agrestem, ignarum vrbanitatis, mutua damna inferentem & accipientem, qui dicuntur Ismaëlitarum, siue Agarenorum, vulgò Arabum, & Saracenorum mores; id est hominum latrocinantium, & ex rapto viuentium, *Qui vniuersas gentes, quibus desertum ex latere iungitur, incursant, & vicißim ab omnibus impugnantur*; vt ait Hieronymus. (tradit. in Gen.) Denique impauidum habitaturum non in vrbibus muratis, sed in tabernaculis, vt in regionibus aliis incultis nomades, & ἁμαξόβιοι: siue ad noua pascua inquirenda; siue ad declinandos hostium incursus. Habitaturum autem è regione vniuersorum fratrum suorum, qui ex Abrahamo erant orituri. Nam deserta Sur & Pharan, quæ ille inhabitauit, in finibus sunt Idumæorum, & Israëlitarum, adeo vt redeuntes ex Ægypto in terram Chanaan, per illa transierint.

XIII. *Reditus Agaris.*

CVM autem Angelus his dictis reditum Agari persuasisset, perfunctus legatione sua ex oculis mirantis euanuit; ita tamē vt à tergo recedentem videret; simúlq; pietatis sensu affecta, eodem loco inuocauit Dominum, cuius personam loquens Angelus repræsentabat, dicens, *Tu es Deus, qui vidisti me*, id est afflictionem meam, & desolationem in solitudine misertus es. Deinde secum ipsa *Profectò*, inquit, *vidi posteriora*, dorsum scilicet *videntis me*, cuius oculis nuda, & aperta sunt omnia. Ex ea porrò visione, quæ ad fontem, siue puteum facta est, locus appellatus est, *Puteus viuentis, & videntis me.*

Inde reuersa domum dominis reconciliata est, narratis, vt apparet, quæ sibi in solitudine contigissent, quod ex eo colligitur, quod natum postea filium, Abraham Ismaëlem vocauit, prout didicerat ab ancilla.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI. 2124.

Num. Euseb. 88.

SCALIGER in Eusebium ait dictos Saracenos, vel à Saraco regione Arabiæ, Stephano, qui eos post Nabatæos collocat: vel ab Sarak Arabico, quod furacem sonat; non autem à Sara, ex qua dicti fuissent Saræi. & consentit Del Rio. Hoc si verum est, mirum est illos Agarenos dici nolle, velle Saracenos à domina scilicet, non ab ancilla. Nisi fortè Arabes Arabicè nesciunt, aut se vltro latrones appellitant. Genebrardus, l. 3. sub an. Christi 560. à Sara vxore Abrahę, vel potius à Sara monte, quem ipsi olim incolebant dictos putat. (in Gen. hoc loco.)

ANNVS MVNDI 2125. DILVVII 469. TERTIÆ ÆTATIS 87. SEMI 567. SALÆ 402. HEBER 372. ABRAHÆ 87. PROMISS. 12. NINVÆ 35. IMPERII ASSYR. 194.

ANTE CHRISTVM 1928.

Ortus Ismaelis.

PEPERIT *Agar Abræ filium, qui vocauit nomen eius Ismaël.* Id factum anno Abrahæ octogesimo septimo ineunte, licet Chronicum Alexandrinum, in annum præcedentem id referat, iungit scilicet generationem cum natiuitate; *Octoginta sex annorum erat Abram*, ait Moyses, *quando peperit ei Agar Ismaëlem*; expletos enim annos sumimus, vt non semel monuimus; idque phrasi Scripturæ admodum quadrat, & historiæ sequen- (Gen. 16. fin. p. 325.)

ti, oportet enim cum hoc anno natum esse, vt quando circuncisus est, tredecim annos impleuerit, vt habetur Genes. 17. Ergo octogesimus septimus Abrahæ, est primus Ismaëlis, quem tamen in serie Chronologica non ponimus, quod per Isaacum sanctius Abrahæ semen propagandum sit. *Et si hoc tempore Abraham putaueris in Ismaële, quod reliquum erat promissionis adimplendum*, vt ait Chrysostomus, cuius rei probabilitatem auget promissa Agari ex Ismaële innumerabilis posteritas, quæ vtique ad Abrahamum pertinebat.

17. 25.
hom. 39.

ANNVS MVNDI 2128. DILVVII 472. TERTIAE ÆTATIS 90. SEMI 370. SALÆ 405. HEBER 375. ABRAHÆ 90. PROMISS. 15. NINYÆ 38. ET VLT. IMPERII ASSYRIORVM 197.

ANTE CHRISTVM 1925.

FINEM viuendi & imperandi hoc anno facit Ninyas, filius Nini & Semiramidis, quartus à Belo rex Assyriorum, cùm octo & triginta regnasset, iuxta Eusebij Chronologiam, in cuius regni exordio retulimus quæ de eo reperiuntur apud Diodorum Siculum. Interea infantulus Ismaël crescit; in eo Abraham & Sara suam senectutem consolantur, Agar facta ex vexatione modestior, gaudet in sinu. I. *Obitus Ninyæ.*

De his porro tredecim annis Abrahæ, qui vacui à Moyse prætermissi sunt audi Pererium. Mirum igitur in tot annorum spatio nulla fuisse ipsius Abrahæ digna comemoratione dicta, factáve, nullos memorabiles casus, nulla demum exempla virtutum, quæ, ad eruditionem atque imitationem posteritatis, visa sint Moysi memoriæ, ac literis prodenda. Existimarim potius rem ad Deum referendam, qui Moysi non reuelarit, quæ aliunde scire non potuit; ipsum autem quæcunque sciuerit protulisse. Neque verò hoc tantùm in tempore locum habet admiratio, sed in primis illis septuaginta, aut septuaginta quinque annis, & in multò pluribus Semi, & Noë, & Arphaxadi, & superiorum Patriarcharum. *Sicut Domino placuit, ita* scriptum *est*. II. *Scripturæ silentium.*

ANNVS MVNDI 2129. DILVVII 473. TERTIÆ ÆTATIS 91. SEMI 371. SALÆ 406. HEBERIS 376. ABRAHÆ 91. PROMISS. 16. ARII PRIMVS, IMPERII ASSYRIORVM 198.

ANTE CHRISTVM 1924.

SVFFICITVR hoc anno ab Eusebio in Chron. Assyriorum imperio Arius, ordine quintus, sic enim numeratur in Græco, licet Latini codices quartum appellent, Belo patre Nini prætermisso; qui tamen cur prætermittatur nulla causa est, etsi aliqua Eusebio fuerit, qui ab Abrahamo Chronologiam ordiri statuerat, nec antiquiora, nisi compendio, tradere, non annos κατὰ πλάτος, & sigillatim digerere; hunc annum Assyriorum centesimum nonagesimum octauum, appellauit Africanus ducentesimum, apud Scaligerum in Eusebio, cùm ait, sub Ario rege, qui regnauit ducentesimo imperij anno, Arginorum regnum incœpisse; malè autem Scaliger initium Arij refert in annum ducentesimum decimum septimum à Belo. Nec vllam suæ assertionis causam profert. Nouendecim enim annis ab Eusebio, & opinor à veritate distat. numera, si placet, annos. Num. I. *Initium Regni Arij.*

num. 161.
65. Belus.
52. Ninus.
42. Semir.
38. Ninyas.
1. Arius.
198.

II. *Eius nomen & gesta.* Eivs porro res gestas, vt cæterorum deinceps, in die Domini aliquando videbimus; interea in tumulo obliuionis latent; legi tamen qui dicerent eum Bactrianos, qui rebellassent, & omnes Caspij maris incolas subegisse. Sed audiamus potius Chronicum Alexandriuum, ex versione Raderi. *p. 89.* Nino successit in Assyriorum regno Thuras, cui Zames pater, ex Rhea frater, Martis nomen indidit à planeta. Hic acerrimus bellator, qui in expeditione aduersus Aquilonis plagas suscepta, Caucasum quendam, ex stirpe Iapheti filij Noë ortum, bello aggressus interfecit, eiúsque regnum inuasit atque in Thraciam progressus, ibi extinctus, iacet. Huic Marti (Ἀρεῖ) primam Assyrij excitarunt columnā, & pro Deo coluerunt, quem hodiéque Persica voce Baalem nuncupant, quod Græcè translatum Deum belli sonat, qui est Ares siue Mars hæc ibi, quorum similia. tradit Suidas verbo Θοῦρας. Quod autem dicitur Nino successisse, intelligendum est mediatè, constat enim Semiramidem saltem intercessisse, cùm autem Zamem eius patrem appellet, haud refellit eos, qui dicunt omnes hosce reges paternum per manus regnum accepisse, cum supra anno eius primo Ninyam etiam Zamem appellatum fuisse, cum Eusebio dixerimus.

ANNVS MVNDI 2138. DILVVII 482. TERTIÆ ÆTATIS 100. SEMI 580. SALÆ 415. HEBER 385.

Abrahæ 100. Promiss. 25. Arii 11. Imperii Assyr. 207.

ANTE CHRISTVM 1915.

Num. I. *Summa rerum huius anni.* SÆcvlaris annus Abrahæ pleráque comprehendit decimo septimo Geneseos, & tribus sequentibus capitibus comprehensa, nouam Domini apparitionem, in qua mutatio nominis, & iterata promissio ingentis posteritatis, & possessionis terræ peregrinationis suæ, deinde institutio circuncisionis, promissio filij ex Sara nonagenaria, ad quem benedictiones factæ Abrahæ maximè pertineant, confirmatio promissionum de Ismaële factarum in gratiā Abrahæ. *Gen. 17. 18. 19. 20.* Sequitur ipsa circuncisio facta ab Abraham in tota familia sua. Accedit exhibita ab Abrahamo tribus angelis hospitalitas, & promissio filij à Sara in annum proximum, deprecatio item Abrahæ pro Sodomitis, totáque de eorum clade, & Loti liberatione narratio. Denique alterum Patriarchæ circa vxorem suam apud Regem Abimelech periculum, dissimulatio, ac liberatio, ei persimilis quæ, ante annos viginti tres, in Ægypto contigerat. Quæ antequam consideremus, tempus ipsum, quod merito controuersum esse potest, stabiliendum est.

II. *Ratio temporis; hoc anno genitum Isaac, natum sequenti.* Videmvr enim repugnare Scripturæ dicenti, hæc contigisse, *Postquam Abraham nonaginta & nouem annorum esse cœperat.* *c. 17. v. 1.* Verùm hac phrasi nihil repugnat nobis Scriptura, nisi velimus eam secum pugnare, quæ mox Abrahamum *v. 27.* centenarium vocat, quod propriè & exactè loquendo, non nisi illi conuenit, qui nonaginta nouem annos expleuerit, & centesimum sit ingressus; exactè autem hic loqui scripturam in numeris patet, cùm non rotundos, vt vocant, nu-
meros per decades persequatur, sed fractos per vnitates infra decades; id est 87. 1
non articulos solum numerorum, sed digitos etiam subtilius recenseat; hinc est 88. 2
quod paulò antè octoginta sex annos retulit, & hoc loco nonaginta nouem; & 89. 3
infra tredecim. Ex quo sumitur aliud argumentum. Dicitur enim circunci- 90. 4
sus Ismaël, cùm tredecim annos impleuisset, atqui non potuit implesse trede- 91. 5
cim annos, nisi pater nonaginta nouem impleuisset, cùm primus illius concur- 92. 6
rat cum octogesimo septimo patris sui, vt supra diximus. Deinde qui aliter sen- 93. 7
tiunt non videntur animaduertere magnum esse discrimen inter incipere nona- 94. 8
ginta nouem annos, & incipere esse nonaginta nouem annorum, prior enim 95. 9
phrasis vltimum annum inchoatum, posterior absolutum ponit. Denique nul- 96. 10

97. 11

98. 12

99. 13

lam

lam vim facere voluit Diuus Hieronymus in verbo, *Cœperat*, cùm in Hebræo
tantùm habeatur, *& fuit Abraham filius nonaginta annorum, & nouem annorum*, siue,
vt habet Tigurina apud Vatabl. *cùm Abram natus iam esset annos nonaginta nouem*:
cui Græca & Chaldæa consentiunt. Postremò si Isaac anno nonagesimo nono
patris sui genitus est, ergo centesimus Abrahæ erit primus Isaaci, & centesimus
primus patris, erit secundus filij, & ita deinceps; quod est contra communem *Qui ita sentiant.*
Marian. Chronologorum dispositionem. Nam Marianus Scotus ponit centesimum pri-
Euseb. mum Abrahæ, primum Isaac, & sic consequenter; & ante eum Eusebius in Chro-
Isidor. Seuer.l.1 sacræ hist. nolog. Græco, Latinóque, in quo disertè habetur, Abrahamum centenarium
genuisse Isaacum, quod habet etiam Isidorus in Chronolog. Seuerus autem
Sulpicius, *Et cùm ipse esset annorum centum*, inquit, *vxor autem eius nonagenaria, futu-
rum eis filium Isaac Dominus pollicetur*, nota, vocem pollicetur, sic enim interpre-
v. 17. tatur illud, *(centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet)* natiuitas enim &
partus, pro generatione & conceptione ponitur. In eo enim miraculum est, &
Beda. id vnum in Sara desiderabatur: nam partus naturaliter sequitur. Beda quoque
Ado. in libro de sex ætatib. *Abraham*, inquit, *centum annorum genuit Isaac*, idem habet
Niceph. hom. 40. Ado, & Nicephorus Constantiuopolitauus, & Chrysostomus, *Quando exiuit à
p. 575. Charan, & obediuit præcepto Domini, & septuaginta quinque annorum erat, nunc autem
postquam hæc audiuit, nonaginta & nouem annos excesserat.* in Græco καὶ δὴ τότε πάντα
ἐνενήκοντα, ἑκατοστοῦ λοιπὸν ἦν ἔτους ἐπιβάς. *iam centesimum annum erat ingressus.* Atqui
Scriptura ait hoc ipso loco quo promittitur Isaac, eum sequenti anno nascitu-
rum, ergo natus est anno patris centesimo primo circiter inchoante, atque ita
centesimus primus Abrahæ est primus Isaac. Rursus idem Chrysostomus in eà-
dem homil. prædictos nonaginta nouem annos expletos interpretatur. Nam
cùm ex textu retulisset, *Nonaginta & nouem annorum erat, quando circuncidit car-
nem præputij sui*, explicans eius doloris magnitudinem; *Hic autem*, inquit, *se-
nex & decrepitus. centum enim annorum erat*, ἑκατὸν γὰρ ἐτῶν ἐτύγχανε. Et ita recen-
in suis tabulis. tiores Torniellus, Brougtonus in concentu, Gerardus Mercator, Vignerius,
Capellus Anton. Contius in Chronolog. Nicephori, Samerius, Pelicanus,
Lipomanus, Lauretius. Et quamuis aliqui ambiguè loquantur, & scribant *Qui secus.*
in hisce annis digerendis, sunt tamen qui disertè hanc visionem ad nonagesi-
l.1.c.10. num.1. mum nonum annum referant, & natiuitatem Isaac ad centesimum. Ita Iosephus,
Tostatus, Pererius, Gordonus, Del Rio. Temporarius, Beroaldus. Sed prior
sententia mihi videtur longè certior.

EST porrò hæc apparitio Abrahæ facta, ordine sexta, vt ostendimus anno III. *Sexta apparitio facta Abrahæ.*
eius octogesimo primo; factam autem visibili & corporea specie sentit cum Ca-
ietano Pererius, & Del Rio. Itáque tota narratio videtur exigere, nec æquum
est ab externis sensibus ad internos, sine necessitate confugere. Facta est autem
hæc apparitio ad institutionem circuncisionis, quæ esset signum fœderis initi
Abrahamum inter & Deum, de quo capite decimo quinto dictum est, & ad an-
nunciandum ortum Isaac in proximum annum.

ETSI autem illa verba, *Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus,* IV. *Circuncisio signum fœderis.*
ponámque fœdus meum inter me & te; in hanc sententiam accipi possint. Ratum
habebo fœdus, quod pepigi tecum, si modo in veri Dei omnipotentis fide, ac
cultu perseueraueris, & vitæ sanctimoniam adamaueris; potest nihilominus
v. 10. fœdus, pro signo fœderis metonymicè accipi; quemadmodum infra pactum
pro signo pacti sumitur, cùm ait, *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis, circunci-
detur ex vobis omne masculinum, & circuncidetis carnem præputij vestri.* Et vt intelligatur
circuncisionem non esse pactum, sed signum pacti, siue fœderis, subdit, *Vt sit
v. 11. in signum fœderis inter me, & vos.* Et infrà, *Eritque pactum meum in carne vestra in fœ-
dus æternum.* Vt sit sensus; instituam circuncisionem, quæ sit signum fœderis inter
nos initi, vt tu & posteri tui sint populus meus à me signatus & segregatus, ego
autem Dominus, & Deus ipsius.

ET quia rem duram ac molestam præcepturus erat, ingerit atque incul- V. *Multiplicatio Abrahæ quî intelligenda.*
v. 2. v. 4. cat antiqua promissa, *Et multiplicabo te vehementer nimis.* Et mox, *Erisque pater
v. 6. multarum gentium*, tam secundum carnem quàm secundum spiritum. Et rursus,

faciámque te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, regésque ex te egredientur, iterat & promissionem Chananitidis, *Dabóque tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ*, v. 8. vt scilicet tu ius ad rem habeas. illi autem ius in re, ipsámque terræ possessionem. Verùm hanc gentium multitudinem intellexerunt Iudæi, duntaxat de generatione secundum carnem, cùm Spiritus sanctus intelligeret multas nationes, etiam ex Cham & Iaphet oriundas, *Et hic verus sensus literalis est*, ait Caietanus. *Sed latuit donec Spiritus sanctus docuit Apostolos Christi.* Idque etiam ex textu colligitur: nam si generationem carnis duntaxat accepis, vnius tantùm gentis erit pater, scilicet Israëlitarum. Nam mox pactum hoc restringitur ad Isaac, secluso Ismaële; deinde ad Iacob reiecto Esau, quem Deus odio habuit. Cæterùm errat hoc loco Iosephus, aut interpres eius potius, dum ait à Deo promitti ex Isaaco prodituras gentes, quæ iure belli occupaturæ essent vniuersam Chananæam, à Sidone vsque Ægyptum. Nam πολεμήσαντας verrendum potius fuit belligerando, vel bello gesto, non enim iure belli aliena rapi potuerunt, sed iure sibi diuinitùs dato; ab eo scilicet, cuius *est terra, & plenitudo eius*. quanquam falsum est dixisse Dominum eas gentes occupaturas Chananitidem à Sidone vsque ad Ægyptum: falsum enim prædixisset, quod absurdum est, neque enim quidquam in tota illa regione littorali possederunt, sicut neque Idumæam, quæ tamen in hisce Iosephi finibus continentur. Sed Iosephum fefellit promissio; quæ cùm haberet conditionem seruandæ pietatis, & diuini cultus, inde factum est vt promissioni possessio, de qua loquitur Iosephus, non adæquatè responderit.

VI. *Augetur eius nomẽ.*

VT autem fidem ac spem Abrahæ Dominus magis magisq; stabiliat, & ille Dei promissorum magnificentiam perpetuò memoria retineat, idoneum illi & congruum ad eam rem monimentum in sui nominis amplificatione præbet. *Non vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abrahã, quia patrem multarum gentium constitui te. Dicunt Hebræi*, ait hoc loco Hieronymus in tradition. *quòd nomine suo Deus, quod apud illos tetragrammaton est, ה he literam Abrahæ & Saræ addiderit, dicebatur enim primùm* אַבְרָם, *quod interpretatur Pater excelsus, & postea vocatus est* אַבְרָהָם *quod transfertur pater multarum. Nam quod sequitur gentium, non habetur in nomine, sed subauditur.* Hæc ipse[1]. 1. 𝔛.

VII. *Instituitur lex circuncisionis.*

VBI ergo his promissis Deus Abrahæ fidem, spem, atque obediendi alacritatem excitauit, circuncisionem, quam sub nomine pacti & fœderis adhuc texerat, apertè proponit, & quasi legem perpetuò valituram promulgat. *Circuncidetur ex vobis omne masculinum*, hæc summa legis est, quæ explicatur per circunstantias loci, siue partis corporis, *& circuncidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos*, quod scilicet vos estis populus mihi fœderatus, segregatus à cæteris gentibus, quæ Deo vero non seruiunt, nec eum habent in patrem, ex quo hæreditatem accipiant. Hinc illa, *Eritis mihi in peculium de cunctis populis*, & in Deuteronomio, Exod 19. 5. *Populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram*, Deut 7. 6. 14. 2. quæ inculcabat Moses in monte, *Domine Deus ne disperdas populum tuum & hæreditatem tuam.* 9. 26. Et Dauid, *Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ.* Psal. 27. 9.

VIII. *Quare Deus elegerit hoc signum.*

QVARE *autem Deus elegerit hoc signum*, ait Caietanus, in c. 17. *& in tali membro, sola Dei libertas, ratio sufficiens est. Præcipua ratio est, quod carnaliter Messias ex genere Abrahæ producendus erat; nisi enim huius mysterij ratio habita fuisset, quilibet character, seu quæuis nota, in quacunque corporis parte suffecisset ad distinguendum, & distinctum seruandum Abraham, & genus eius ab aliis mundi nationibus.* Sic ipse. Peruulgata tamen est hæc distinctionis causa apud pleròsque Patrum, Theodoretum q. 67. inprimis, qui id idoneè confirmat ex commoratione quadraginta annorum in deserto, quo tempore nemo circuncisus est, quia nulli erant populi in ea solitudine, quibus Iudæi permiscerentur; Ingressuri verò terram Chanaan omnes circuncisionem assumpserunt. Ex quo deducit argumentum Chrysostomus circuncisionem aliquando cessare debuisse, quando scilicet Euangelica lex in mundum esset inuecta, quæ omnes gentes amplecteretur, iuxta illud, *Euntes in mundum vniuersum*, & cætera. *Cuius*, inquit, *rei gratia circuncidi volunt? Nam* hom. 39. *tunc quidem, vt ne illis impiis gentibus se commiscerent, hoc in mandatis acceperunt, nunc autem per Dei gratiam, omnibus ad lucem veritatis adductis, quæ circuncisionis vtilitas?*

Et infrà, *Signum hoc apud vos introduci oportebat, quoad gentes illæ propter quas signum accepistis, esse cessarent. At nunc cum illa ad veritatis lucem accelerent, vestrum est non tam propriæ ingratitudinis indicium circumferre.*

IX. *Ad quos lex ista pertinuerit, & qua pœna sancita fuerit.*

In cap. 17. n. 49.

ADDITVR circunstantia personarum, ad quas lex circuncisionis extenditur, vt ea quoque serui, tam emptitij, quàm domi nati comprehendantur, vt scilicet ab ea non excludantur, qui in circuncisorum familiam assumpti sunt, & tamen ad circuncisionem non adigantur inuiti, vt fusè disputat Pererius, dissentiente Del Rio in versu duodecimo huius capitis non minore probabilitate, quoniam in textu Græco, & Chaldæo est, *circuncidendo circuncidatur tam vernaculus, quàm emptitius*, quæ locutio geminata eandem vim habet, ac si dicatur, *omnino circuncidatur*. Itaque Tigurina. *Omninò verna, & emptitius ære tuo comparatus circuncidi debent.* Temporis quoque peristasis ponitur octauus dies, ne ante id tempus infantulus dolorem vulneris, sine vitæ discrimine ferre non posset. Inde firmatur lex interminatione supplicij, *Masculus cuius præputij caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*, id est, non censebitur in populo Dei, vt qui signo careat fœderis initi cum populo Dei, sed huius criminis, ac contemptus gratia, morte mulctabitur, si adultus fuerit. Et vniuersè delebitur de populo suo, populo scilicet electorum, & filiorum Dei, ex semine Abrahæ congregando: vt qui maneat filius iræ, carens remedio ad expiationem peccati originalis, diuinitus tradito Abrahamiris. Vide Perer.

n. 61.

X. *Promittitur Abrahæ filius ex Sara.*

CIRCVNCISIONIS lege ita constituta, ad eius præcepti duritiem molliendam subdit Dominus ingentem materiam gaudij, tam ipsi Abrahæ, quàm Saræ, & familiæ vniuersæ. Et si enim Abraham in filio, quem ex Agare susceperat, diuinæ prouidentiæ acquiescebat; pro suo tamen in Saram amore vehementer illam opprobrio sterilitatis eximi cupiebat, & ex illa filium planè liberum, & non semiseruum suscipere, magna ergo illi lætitiæ seges parabatur; Sara quoque non solùm gloriosiore nomine deinceps honorabatur, sed & filio, ex seipsa, & vetula, & sterili genito; in quo omnia promissa, benedictiones omnes, & omnium præsentium bonorum hæreditas cumularentur; & per quem maritalis sanctorum coniugum amor vehementius colligaretur, maioráque acciperet incrementa. Denique vniuersa familia gaudij Dominorum suorum particeps, cùm iis vniuersorum bonorum largitorem Deum magna animorum conspiratione celebraret, cum amicis omnibus, cognatis, ac vicinis, iuxta illud Saræ ipsius, *Quicunque audierit corridebit mihi.*

c. 21. 6.

XI. *Mutatur Saræ nomen.*

c. 17. 15. in trad. Heb. Arguit Instin. contra Tryphon. p. 266. Græco-lat. 2. χ. 3. χ.

DIXIT ergo *Deus ad Abraham, Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Errant*, inquit Hieronymus, *qui putant primùm Sara per vnum r scriptum fuisse, & postea ei alterum r additum, Et quia r, apud Græcos centenarius numerus est, multas super nomine eius ineptias suspicantur; cùm vtique vtcunque volunt ei vocabulum commutatum, non Græcam, sed Hebræam debeant dare rationem, cùm ipsum nomen Hebraicum sit. Nemo autem in altera lingua quempiam vocans, Etymologiam vocabuli, sumit ex altera*'. Et mox, *Causa autem nominis ita commutati hæc est, quod ante dicebatur princeps mea, vnius tantùm domus materfamilias, postea verò dicitur absolutè princeps, id est ἄρχουσα*. Sic ipse.

Sed ad quid princeps absolutè dicetur? quia domina multarum gentium, quarum tu futurus es parens; ideo sequitur, *& benedicam ei*, id est de sterili fœcundam reddam, *& ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum; eritque in nationes*, siue caput, & radix multarum gentium, *& reges populorum orientur ex eo*, vulgata editio, & Septuaginta interpretes, & eos secuti Chrysostomus, aliique Græci Patres retulerunt ad filium, quod Hebraicè refertur ad matrem, Aug. sequitur Latinam versionem, licet in reliqua hac oratione Græcam; sed res eodem redit, ex filio enim immediatiùs orituri sunt ex matre mediante filio. Sicut cùm de muliere dicitur, ipsam contritutam serpentis caput, aut idem semini mulieris tribuitur in Hebræo.

l. 16. de ciu. c. 26.

Gen. 3.

XII. *Qualis Abrahæ Risus.*

Gen. 17. 17.

QVID autem Abraham ad tam lætum, tam gloriosum, tam insperatum nuncium? *Cecidit Abraham in faciem suam, & risit, dicens in corde suo. Putásne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet!* Non fuit hic risus, neque cogitatio index diffidentiæ, vel incredulitatis, sed magnæ, & insperatæ lætitiæ. καὶ ἐγέλασεν, ait Chrysostomus, ἀντὶ τοῦ περιχαρὴς ἐγένετο, *voluptate perfusus est*. Chaldæus, *& gauisus est*. Diuus Augustinus, *Risus Abrahæ exultatio est*

hom. 40. l. 16 c. 26. fi.

gratulantis, non irrisio diffidentis. Verba quoque eius illa in animo suo, non sunt dubitantis, sed admirantis. Ambrosius, *Quod autem promisso ex ea filio risit Abraham, non incredulitatis, sed exultationis indicium fuit. Denique procidit in faciem, qui adorauit, & credidit.* [de Abraham. l.5.c.15.] Rupertus, *O virum*, ait, *æterno risu verè dignum, & sempiterna iucunditati benè præparatum, quia ita cecidit in faciem vt rideret, ita risit vt in faciem caderet, illius vtique adorans omnipotentiam, cuius in promissione audierat singularem gratiam.* Et infrà, *Ergo putásne, in corde suo dixit non dubitando, sed suam ipse fælicitatem ineffabiliter admirando.* Sic Rupertus. Cui addi potest illud ex Luca, in simili Argumento, [c.1.66.] *Quis putas puer iste erit?*

XIII. *Anne eius verbis aliqua dubitatio.*

SED quoniam aliquam præ se ferunt dubitationem; neque enim aliter loqueretur qui dubitaret, existimat Caietanus eum dubitasse, quo in sensu verba illa accipienda essent, historicóne an mystico. *Fuit*, inquit, *risus non irridentis verba diuina, sed hilariter ea suscipientis in festiuum nuncium, nesciendo tamen quid mysterij continerent. Non enim credidit tunc illa verba dici à Deo ad illum sensum, quem sonabant; sed ad aliquod mysterium latum. & propterea hilariter suscipiendo risit, & non credendo dicta ad sensum, quem sonuerant, contulit in corde suo rationes mouentes ipsum ad interpretandum verba diuina secundum mysterium, & non secundum literam.* Et infrà, *Nec his rationibus innixus Abraham reputauit impossibile esse impleri ad litteram; quod Deus dixerat, sed difficile esse, & non intentum à Deo. Propter quod non assertiuè, sed interrogatiuè confert has rationes in corde suo, & cum maxima reuerentia adorans, prostratus super faciem suam.* Ita Caietanus. Quam expositionem amplectitur Peretius in fine capitis decimi septimi, eámque consequentia verba textus non obscutè confirmant, vt mox dicetur. Et sanè, si risus hic dubitationis fuisset, aut diffidentiæ, reprehensione non caruisset, quam non effugit Sara, vt ex sequentibus intelligetur.

XIV. *Ratio nominis Isaac.*

QVEM risum vsque adeo non improbauit Dominus, vt propterea voluerit inde nascituro filio nomen dari, vt Hieronymus sensit. [in qq. Heb.] *Diuersa opinio*, inquit, *sed vna est Etymologia quare appellatus sit Isaac. Interpretatur enim Isaac risus. Alij dicunt quod Sara risit, ideo eum risum vocatum esse, quod falsum.* Et quare falsum? nimirum quia, antequam quidquam sciret de hoc filio Sara, ridente patre appellatus est à Deo Isaac. Simul autem falsitatis Iosephum arguit, qui id asseruit. pergit autem. [l.1. c.13.] *Alij verò quòd riserit Abraham, quod & nos probamus; postquam enim ad risum Abrahæ vocatus est eius filius Isaac; tunc legimus risisse & Saram.* Hunc porro locum, vt ad Chronologiam pertinet, initio huius anni numero secundo explicauimus, aliter quàm Peretio, & Del Rio visum sit, [in c.4. 17.] Vatablum secutis.

XV. *Inquisitio Abrahæ cum Deo colloquentis.*

CVM autem Abraham versaret animo promissionem diuinam, quæ omnem eius superabat expectationem, naturæque vires, dubitans non de potentia diuina, sed quo in sensu verba Domini accipienda essent; vt ex Caietano dicebamus, adiecit, *Vtinam Ismaël viuat coram te.* [v. 13.] quasi dicat, de noua prole centenarij hominis, & mulieris nonagenariæ, Domine Deus non sanè satis intelligo quid velis, aut quid statueris, vnum oro, vt ea proles, quam ante annos tredecim ex Agare suscepi, incolumis perseueret, in eúmque benedictiones tuas transfundas. [hom. 40.] Oleaster *coram te* interpretatur, te vidente, & conseruante eum, quæ est mens Chrysostomi, cùm ita hunc locum explicat. [l.1.c.10.] *Hic igitur, qui à te datus est, viuat coram te, & abundè satis recreati erimus, & senectutem nostram illius vita solabitur.* Eodem quoque modo intellexit hunc locum Iosephus, etsi nonnihil sententiam eius detorsit. *Consulente verò Abrahamo, & de Ismaële, an esset victurus, responsum est fore longæuum, simul & multarum gentium parentem.* Aliud est enim pro vitæ diuturnitate orare, aliud quærere an victurus sit. Sed voluit Iosephus, ni fallor, ad ritum Ethnicorum idola consulentium alludere, in eorum quippe gratiam scribebat.

XVI. *A quo edocetur & confirmatur.*

DOMINVS ergo volens omnem Patriarchæ adimere dubitationem, expressius nouam semel iterùmque confirmat promissionem, addens asseuerationem, & nomen filij ex Sara nascituri. *Sara*, inquit, *vxor tua pariet tibi filium.* In Hebræo additur vox Abal אֲבָל quod significat verè, profectò, quam vocem agnoscit & Chaldæus Paraphr. pro qua Græci ναί. Sanè, sed addunt ἰδοὺ ecce.

Sensus ergo est. Ne ambigas quæ sit verborum meorum sententia; & an mysticè,
ac parabolicè locutus sim, an nuda & simplici narratione vsus: verè tibi assero, ac
sine vlla ambiguitate spondeo, fore vt Sara vxor tua pariat tibi filiom, *& vocabis*
nomen eius Isaac, in monimentum lætitiæ, qua hoc accepto nuncio, affectus es. *Et*
constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum; quod scilicet tecum ferij de multi-
tudine posteritatis, de possessione terræ Chanaan, de semine in quo benedicendæ
sunt vniuersæ cogitationes terræ, confirmabo, & renouabo cum illo, eiúsque po-
steris, ne eam fœlicitatem Ismaëli ambias.

c.17.20. QVANQVAM ad Ismaëlem quod attinet *exaudiui te*, vt non solùm viuat, sed XVII. *De Ismaële exauditur.*
floreat, multitudine filiorum abundans, *Ecce benedicam*, inquit, *ei, & augebo, & multi-*
c.25.13 & 1. Paral.1.29. *plicabo eum valde, duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam*: Recensen-
tur hi duces nominatim infra, vocantúrqoe principes tribuum suarum, ad eundem
scilicet modum, quo duodecim filij Iacob. Redit autem Dominus ad iterandam
tertiò promissionem, addita etiam temporis circũstantia. *Pactum verò meum*, inquit,
statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero, id est sequente. *Cúmque*
finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ab Abraham, Angelus scilicet qui cum eo
loquebarur, & Domini personam repræsentabat, relicto Abrahamo cœlum versus
abscessit, & euanuit ex oculis eius.

v.23. IPSE autem è vestigio mente penitus illustrata & voluntare inflammata, *Tulit* XVIII. *Circuncisio Abrahæ, totiúsque familiæ ipsius.*
Ismaël filium suum, & omnes vernaculos domus suæ, vniuersósque quos emerat, cunctos mares
ex omnibus viris domus suæ, & circuncidit carnem præputij eorum statim in ipsa die, sicut præ-
ceperat ei Deus. Eximia vtique, & sua, & suorum omnium, obedientia, ad cuius
perfectionem neque promptitudo, neque præcepti difficultas, insolentia, pericu-
lum, &, vt apparebat, inutilitas desiderata est. Præiuit Abraham opera inter talia
primus, vt exemplo animaret suos, primúsque hoc de suo corpore sacrificium ex-
hiberet Deo. Nec deterruit ætas senilis, in qua vulnera sentiuntur magis, & cu-
v.24. rantur ægrius; ideóque hìc nominatim fit mentio ætatis, *Abraham nonaginta &*
nouem erat annorum exactorum *quando circuncidit carnem præputij sui*. Et ne ado-
lescentuli reformidarent, filium, quem tunc habebat vnicum Ismaëlem, trede-
cim annos natum eadem die circuncidit, eadémque cærimonia *omnes viri domus*
illius, circiter quadringenti, *tam vernaculi, quàm emptitij, & alienigenæ pariter circuncisi*
sunt.

INTENDITVR hìc lis à Caiet. vulgatæ editioni, quod habeat *tam vernaculi,* XIX. *Eximio virtutis exemplo.*
quàm emptitij, & alienigenæ; cùm ex Hebræo, & Græco, & Chaldæa paraphrasi ha-
beatut, *& vernaculi, & qui ab alienigenis pecunia comparati erant*. Verùm tota lis delera
conionctione (&) dirimi potest. Sed in tenui labor. animaduertendum potius exi-
mium planè, vt dixi, promptæ, & alacris obedientiæ, tam in patre familias, quàm in
tota familia exemplum. Ex eo autem quòd Ismaël decimo tertio anno circuncisus
l.1. c.12. est, *Arabes*, vt ait Iosephus, *non octauo die, vt lex præcipit, sed post decimum tertium annum*
circuncisionem celebrant, gentis suæ authorem imitantes.

lib.1. NVGATVR autem Diodorus Siculus, & sanè sua ipsius confessione μάταιος scri- XX. *Et diuersarum inde gentium.*
bit, cùm ait Iudæos, ritu ab Ægyptiis deriuato, pueros apud se natos circuncidere;
idem quoque Troglodytas ab Ægypriis didicisse scriptum reliquit. Quo nomine
lib.3. Arabas, qui veri Nomades, videtur intellexisse. Et sanè illos mox ad sinum Arabi-
lib.2. cum collocat. Idem de Colchis affirmat lib. primo, mutuatus ab Herodoto; qui
addit, Phœnices, & Syros, qui sunt in Palæstina, fateri, se id ab Ægyptiis didicisse;
sed confessio hæc aut ficta, aut falsa est, cùm viceuersa id illos à Iudæis in Ægypto
tot annis commorantibus hausisse certum sit. Sed de his hæc dicta sunto: nam ad
alia nos Moyses vocat, quæ hoc ipso anno gesta esse constat; apparitionem scilicet
eorum, qui ad perdendam Sodomam, eiusdémque sceleris cognatas ciuitates pro-
ficiscebantur. Id autem ex eo constat, quòd illi ipsi Angeli Saræ partum in annum
sequentem pronunciant; sicut paulò antè Abrahæ reuelarum fuerar.

SED meritò quis dubitarir num Abraham rem totam ad vxorem retulerit; XXI. *An Abrahã Dei promissionẽ de filio retulerit ad Sarã.*
promissionem scilicet filij ex ipsa, & mandatam circuncisionem. Et hanc quidem
ignorare non potuit, cùm ad tam multas personas pertinerer, ex eáque tota domus
aliquot diebus ægra decumberet. Illam autem promissionem si à marito iam didi-
cerat, vnde ille risus, rem vt improbabilem, & nouam eleuantis? si non didicerat

quomodo tacebat Abraham vxori rem, quæ sine ipsa confici non poterat? An di-
dicerat, & nõ crediderat, vt noua fuerit reuelatione opus? Sed piget Saram incre-
dulitatis arguere, aduersus coniugem, dubiæ fidei reputando virum illum, quem
appellabat Dominum, & tanquam Dominum venerabatur; præsertim tam diu-
turnæ, si hæc apparitio contigit septem, vel octo diebus post circuncisionem, cùm
iam Abraham conualuerat, vt ait Del Rio. In re sanè omnem in partem ambigua, in c. 18.
existimarim Abrahamum rem istam ad hanc vsque apparitionem tacuisse, siue pu-
dore aliquo retentum, propter multorum annorum desuetudinem, & à vetula,
sterilique continentiam; siue quod propter circuncisionis dolorem differre opor-
teret, siue quod rem totam diuinæ prouidentiæ, quæ *disponit omnia suauiter*, com- Sap. 8. 1.
mittendam putaret.

XXII. *Apparitio septima, & eximia hospitalitas Abrahæ.*

NEC ea Patriarchæ desiderium, aut expectationem fefellit. *Apparuit enim ei
Dominus in conualle Mambre*, quæ est prope vrbem Hebron, *sedenti in ostio tabernaculi
sui, in ipso feruore diei.* Septuaginta, *sub meridiem*, sub tempus videlicet prandij; ex-
pectabat vtique occasionem, vt erga aliquem peregrinum officium hospitalitatis
exerceret, & Domino, à quo iam copiosè locupletatus fuerat, fœnerari pergeret;
est autem hæc apparitio ordine septima, extra controuersiam tota corporea, atque
sensibilis. *Cùmque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum*,[4] videlicet 4. χ.
publicam per viam iter faciebant, *quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio
tabernaculi, & adorauit in terram*, inclinans se venerabundus vsque ad terram. Vtra
mirabilior virtus in tanto viro, & potente, & longa senectute venerabili? Humili-
tas erga ignutos iuuenes, quales credibile est apparuisse, idem ipsum suspicante
Chrysostomo,[5] An charitas, qua incitante non expectauit dum illi vltro se offer- 5. χ.
rent, & à Patriarcha peterent, vt cibo reficerentur; non misit quempiam famulo-
rum, quos habebat ad manum, vt eos inuitaret ad prandium, non maturo, ac se-
nili gradu processit obuiam, sed festinauit, imò *cucurrit* ad eos, instar adolescentu- Sept. ἀπὸ τῆς σκηνῆς.
li, tanquam ingens accepturus beneficium, non daturus, ait Chrysostomus, quem
audi.

XXIII. *A Chrysostomo celebrata.*

TANTOPERE, inquit, *curabat hospitalitatem, vt nollet hospitum venationem cuipiam* Homil. 41.
*familiarium committere, sed trecentos octodecim habens vernaculos, homo senex, & nunc de-
crepitæ ætatis, centenarius enim erat, apud ianuam sedebat.* & infra: *Sed audiamus verba scri-
ptoris ipsius, vt videas in extrema senecta iuuenilem alacritatem, & senem quasi iuuenem exul-
tantem, & putantem se inuenisse thesaurum quendam, hospitum aduentum.* Et mox. *Currit, &
volat senex, vidit enim prædam, quam venabatur, & nulla infirmitatis suæ ratione habita, ad
venationem cucurrit, & non vocauit famulos, neque imperauit puero, nihil rusticitatis, neque de-
sidiæ præ se tulit, sed ipse cucurrit, quasi diceret, magnus thesaurus est, magna negotiatio, per me-
metipsum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum*, &c. Ad ipsos autem quos
excepturus erat hospites, aut ad eum potius, qui inter cæteros oris, aut cultus di-
gnitate præstare videbatur: *Domine*, inquit, *si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas
seruum tuum, sed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore. Ne
admireris autem*, ait idem Chrysostomus, *quod cùm tres exceperit, ad vnum se conuerterit* Homil. 41.
*iustus, dicens Domine. Fortassis enim vnus illustrior ceteris apparebat, ad quem exhortationem
suam conuertit.*

XXIV. *Ablutio pedum exhibita hospitibus, & conuiuis.*

DEINDE *autem cùm progreditur communem facit sermonem*, ne videlicet vnum tan- q. 34. in Genes.
tum inuitare videretur, cæteros negligere, aut vmbrarum instar ducere, *& inquit,* serm. 70.
sumatur aqua, & lauent pedes vestros; nimirum famuli, νιψάτωσαν. August. tamen legit, de temp.
lauem pedes vestros; & alibi insinuat eũ isto munere functum. Etsi autem in Hebræo
& Latino, Chaldæóque est, *lauate*, id tamen passiuè accipiẽdum est; sic paulò pòst, 2 Reg 11. 8.
confortate cor vestrum, id est, confortetur cor, vel confortamini corde. Eodem modo 1. Reg 25. 4.
dixit Dauid ad Vriam, *Vade in domum tuam, & laua pedes tuos*, id est, cura lauari à fa-
mulo aliquo, vel ancilla. Hoc enim ministerium illis commissum significauit Abi-
gail, quæ electa à Dauide in vxorem dicebat. *Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet* L. 2 fi. p 177. Græc. Lat.
pedes seruorum domini mei. Scribit Herodotus, Amasim habuisse peluim auream, in ἀναπτύξεσθαι.
qua tam ipse, quàm omnes conuiuæ semper pedes abluebant: non caruit, opinor, ἀπονίζεσθαι.
rex ille, aut conuiuæ eius seruulo aliquo, qui hoc ministerio fungeretur. Tertul- ἀπονίπτεσθαι
lianus. *Et Angeli aliquando tanquam homines fuerunt, edendo, & bibendo, & pedes lauacro* lib. de resu
porrigendo. Vult ergo Abraham, vt hospites sui, iuxta morem, patiantur sibi ablui car. c. 62.

pedes. Nec conueniebat vt ipsi peregrini sibi pedes abluerent, vtpote de via fessi, sed domestici. Ad reliquam enim liberalitatem & humilitatem, etiam hanc adiungebant. Vnde Paulus de vidua, *Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit.* Et Christus. *Et vos debetis alter alterius lauare pedes.* Et 7. Lucæ. *Introiui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti,* vt scilicet ablueres, vel à tuis curares ablui, vt respondeat ei quod sequitur. *Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit.* Sic Spiridion apud Sozom. iubet filiam lauare hospitis pedes. Augustinus, *Peregrinos excipite, nec vos pigeat eorum pedes abluere; non erubescat exercere Christianus, quod implere dignatus est Christus.*

(1. Tim. 5.10. Ioan 13.14. Lucæ 7.44. l.1.c.11. t.10. ser. 78 de temp.)

ADDIT autem Abraham, humili vt sit oratione deprimens prandium, quod paraturus erat, *Ponámque buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis, idcircò enim declinastis ad seruum vestrum.* Rectè Del Rio, non dicit eos ad se venisse eo animo, vt ab ipso conuiuio exciperentur; sed Dei factum prouidentia, vt ea hora illac iter haberent, qua possent, hospitalitatis eius participes facti, ipsum honorare. Causam ergo appellat, quæ occasio fuit; quanquam reuera idcircò declinauerant, vt excepti conuiuio reliqua facerent, sed id tum ignotum erat Abrahamo. Cùm persuasisset hospitibus, *festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram,* iussitque ex tribus farinæ mundissimæ satis, siue modiis, iuxta vetustiorem Hebræorum mensuram, confici subcinericios panes, placentas videlicet azymas (nam fermentatio lenta est) quæ cito in foco, non in clibano coquerentur. Mirum videatur non fuisse in tanta familia coctum panem. Nimirum vtebatur etiam ipse secundario pane, non surdida vtique parcitate, sed priuato gustu, sicut de Augusto apud Suetonium legimus. Aut, quod in sancto viro magis placet, studio mortificationis. Conuiuis autem candidum dare voluit. Interea *ipse ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero,* coquo scilicet, *qui festinauit, & coxit illum.* Assatum ait Iosephus, *Tulit quoque butyrum, & lac,* lacteam fortassis offam, *& vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis; ipse verò stabat coram eis sub arbore.* An vt ministraret ipsemet potum, & quæcumque opus essent conuiuis?

XXV. *Abrahæ immeantes modestia.*

(c. 76. l.1. c.11.)

IDONEVM elegerat sub quercu, ait idem Iosephus, locum in feruore diei vento peruium, opacum vmbra, amœna viriditate iucundum. Et apparet Abrahamum iam pransum fuisse, qui sermonum tantum, non etiam mensæ comes fiat hospitibus suis. Nisi placet cum Chrysost. id eius humilitati tribuere. *Neque dignum,* inquit, *semetipsum censuit, qui consideret eis, sed illis comedentibus adstabat ipse sub arbore. O magnitudinem hospitalitatis, ô humilitatis excellentiam, ô mentem appidò piam! Cúmque comedissent,* aut comedere visi essent, vt Ioseph interpretatur, & Scriptura ipsa, & Theodoretus, & D. Thomas, de referenda hospitalitatis gratia cogitarunt. Non conuerterant cibum in substantiam suam, vtpote incorporei, & expertes potestatis nutrientis; sed illum vi aliqua nobis ignota in aërem tenuissimum resoluerant, eo ferè modo, quo Sol humorem terræ consumit, nec in se conuertit; vt ait hoc loco Del Rio.

XXVI. *Angelorũ [M]andatum.*

(Homil 41. Tob. 12.19. q.69. 1.p q.51 ar. 3 ad 5.)

SED quam gratiam referunt? Accersitur Sara, qua ad portam tabernaculi stante, & audiente [6] ait vnus Angelorum ad Abrahamum; *Reuertens veniam ad te tempore isto vita comite, & habebit filium Sara vxor tua.* Hieronymus iuxta veterem interpretationem, quæ dicebatur Italica, sic habet, *Reuertens veniam ad te in tempore hoc, & in hora, & habebit filium Sara, pro hora vitam legimus in Hebræo, vt sit ordo, vel sensus, reuertar ad te in tempore vitæ, quasi dixerit, si vixero, si fuerit vita comitata. hæc autem ἀνθρωποπάθως, quomodo & cætera.* Sic Hieronymus. Chaldæa paraphrasis vitam retulit ad coniuges, ait enim. *Reuertendo reuertar ad te, circa tempus, quo vos eritis incolumes, & ecce filius erit Saræ vxori tuæ.* Vatablus refert vitam ad Saram duntaxat, vt quarto Regum. In septuaginta est, *ad horas,* quod possis interpretari, hac ipsa hora. eodem enim redit ad horas, puta duas tresue post meridiem, quod erat tempus loquentis Angeli. Etsi autem nulla est mentio in Scriptura reuersionis eius post natum Isaac, hæc tamen promissio, quæ magnam asseuerationem habet, de ipsa impleta, dubitare non sinit.

XXVII. *Respons[a] ab hospitibus gratia.*

(6.x. in qq Heb. c 4.16.)

DE implenda tamen Sara dubitauit, & risit, vires naturæ potius intuita, quàm beneplacitum omnipotentis Dei; quod significat Moyses, cùm subdit, *fuisse ambos*

XXVIII. *Dubitatio, & risus Saræ.*

senes, provectaque ætatis, & desiisse Saræ fieri muliebria, fluxum scilicet menstruum, qui dicitur necessarius conceptui. Et ipsa mox; *Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo.* quasi dicat, nec vtiliter id facerem, nec decorè; *non eadem est ætas, non mens*; fuit autem *occultus*, id est seorsim, & à tergo conuiuarum, modestus item, ac demissus risus, non cachinnus cum exaltatione vocis, qui probabiliter negari non posset; negauit autem, occultum putans fuisse risum, neque animaduersum. At hospes supra hominem se esse ostendit, vt antè in prodendo nomine Saræ, sic & hoc loco in occultis enunciandis, vt faciliùs de promissione fidem faceret mulieri hæsitanti. *Quare*, inquit, *risit Sara dicens, num verò paritura sum anus? Nunquid Deo quidquam est difficile?* Hæc ille ad reuincendam dubitationem; simúlque significans se diuinæ voluntatis, & iussionis interpretem, cui in promptu sit quod voluerit facere. Ad firmandam autem promissionem eam iterat dicens, *Iuxta condictum reuertar ad te, hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium.* Animosior fuit repetita promissio, & toni seuerioris, adeo vt territa Sara non ausa fuerit culpam fateri, sed perturbata ad negationem confugerit, priorem culpam augens posteriore. Et nihilominùs Angelus, *Non est*, inquit, *ita, sed risisti.* Clemens lib. 6. Str. tamen Alex. *Hoc fuit*, inquit, *Saræ risus, cui pueri ortus fuit annunciatus, non quia, vt arbitror, Angelo fidem non habuisset, sed quam rursus puderet congressionis per quam futura erat mater filij.*

XXIX. *Iosephus Scripturæ addit, ac detrahit.* ADDIT autem hoc loco Iosephus nonnulla de suo, nonnulla etiam nimia breuitate præteruolat: hæc enim falsa sunt, & aliena à textu. *Non sustinuerunt amplius simulare, sed fassi sunt se Dei esse Angelos, & quod missi essent, vnus nũciatum de filio, duos verò ad delendos Sodomitas.* Nusquam enim apud Moysem habetur ista confessio, neque causa ipsorum aduentus. Chrysostomus idem ferè dicit. *Statim*, inquit, *hospitalitatis* Homil. 42. *mercedem obtinuit, & didicit quisnam præsens ille esset, & quanta eius virtus.* Quod non est aliud, quàm Abrahamum id ex eorum verbis collegisse, nõ ipsos se Angelos fassos esse. Quin in eadem potius dissimulatione perseuerant, vno eorum dicente, *Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.* c. 18. 21. Præcedentis autem dialogi magnam partem prætermisit, sicut & sequentis, ad quem nobis deinceps conuertenda oratio est.

XXX. *Abraham deducit hospites.* PERACTO prandio *surrexerunt* hospites de mensa, actisque Deo, & hospiti, de more gratiis, *direxerunt oculos contra Sodomam*, sed & gressus, nam *Abraham simul gradiebatur deducens eos*, aliquantisper vt solent officiosi hospites; Chrysostomus tamen, *In tabernaculo Abrahæ & Angeli, & eorum Dominus per idem tempus visi sunt; postea* homil. 42. *verò illi quidem, vt ministri, missi sunt ad subuersionem illarum ciuitatum, ipse autem Dominus mansit, & quasi amicus amico, iusto communicabat, quænam facturus esset.* Itáque intellexit Vatablus, qui paulò infra, pro *conuerterunt se, & abierunt*, legit, *conuerterant, & abierant*; sed id non videtur satis consentaneum narrationi, quæ vniuersè de omnibus loquitur, eos consurrexisse, & ab Abrahamo deductos esse. Quomodo autem deduxit eos, si mansit cum Domino colloquens? Hac beneuolentiæ, & honoris exhibitione commotus, qui primas hactenus egerat in hac fabula,

XXXI. *Et futura dicit triplicis fructu.* NVM *celare*, inquit, *potero Abraham, quæ gesturus sum;* [7] *cùm* is ad tantum 7. 8. honorem à Deo euehendus sit, vt *sit futurus* pater maximæ, ac robustissimæ gentis; *& benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ* per Messiam, qui ex ipso oriturus est. Sed hinc etiam triplex emanatura erat vtilitas; prima quod Abraham 1. de causa futuræ animaduersionis èdoctus, illam non fortunæ, aut casui, vt solent infideles, sed diuinæ iustitiæ attributurus sit, & suos in Dei timore instituturus, vt alieno malo sapiant, & iustè ac sanctè viuant. Altera, quæ 2. non exprimitur, est vt Abraham impendentem calamitatem præuidens, pro ea auertenda magno charitatis affectu intercedat, & iustis præbeat in posterum imitationis exemplum. Tertia vt hinc digito tangi possit; quanti Deus iustos fa- 3. ciat, quantaque in eorum gratiam, erga grauissimos etiam peccatores indulgentia vtatur.

XXXII. *Clamor Sodomorum.* CLAMOR, inquit, *Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* Duæ tantum ciuitates nominantur è quinque, quæ reliquas vt potentia & opibus, ita flagitiis anteibant, vt significat Chrisostomus; &

c. 16. 46. in Ezechiele ponitut Sodoma quasi mater siue mettopolis, reliquæ appellantur
filiæ eius; elamorem autem babent etiam Hebræi codiees, Græci & Chaldæi,
quem Tigurina inteptetando vertit *famam*, Pagninus *rumorem*, melius, non in-
congruè, homines enim apparebant, quibus longinquæ res tumore nuneio, non
clamore innotescunr, & de ea propria experientia certiores fiunt. at clamor re-
fertur ad Deum, quem Angelus exhibebar, quamuis metaphoticè. Potest tamen
Ezod. 2. & 3. clamor accipi pro clara & coostanti fama, eum aliqua de re homines non mussi-
tant in angulis, sed clarè & apertè vbique loquuntur, qualis fuit clamor Israëli-
8. ℣. tarum in Ægypto, quem ad se quoque Dominus peruenisse dicit [8].

PERGIT autem, & iodicans Ebton in montanis esse, Sodomam, & reliquas XXXIII.
vrbes in tegiooe eampestri. *Descendam*, inquit, *& videbo vtrum clamorem qui venit* *Retinentur*
9. ℣. *ad me opere compleuerint, an non est ita, vt sciam* [9]. Angeli autem (boc doeumento da- *tantisper ab*
to iudicibus, vt diligentet in crimina inquirant, antequam ad punitionem pro- *Abrahamo.*
grediantur) *conuerterunt se inde, & abierunt Sodomam*; videtut sigoificare Moyses
Angelos conuertisse se ad Abrahamum, qui vna gradiebatur, ad ei vale dicen-
dum, & eum remittendum ad tabernaculum suum. Et censeot plerique, in qui-
q. 31. in Genes. bus Augustinus, & Chrysostomus, quem ante retuli, duos tum abiisse Sodomã,
hom. 42. alterum autem ab Abrahamo retentum tantisper, dum pro Sodomitis oraret.
Crediderim potius omnes distulisse profectiooem, dum Abtaham preees suas ab-
soluerer. Neque enim consentaneum est, dum Dominus se exorabilem præbet,
loc. cit. & sententia est in ancipiti, vt interim ministri (sic vocat duos eorum Chrysosto-
mus) ad pœnam exigendam progrediantur, & Dominus inutilem intetea veniam
largiatur.

ORATIO porrò Abrahæ plena suauissimæ, & ingeniosissimæ eharitatis, præ- XXXIV.
rextu iustotum seruandorum, vult etiam improbis obrinere veniam. Et primo so- *Eius oratio*
lis iustis ineolumitarem præ se fert se flagitare, puta quinquaginta, si forrè tepe- *pro peccatoribus.*
riantut, tum delabitur eò, vt proptet illos toti ciuitati (purà Sodomotum, quæ
præcipua erat, & in qua Lot habirabat) veniam imploret, tum propter quadra-
ginta quinque, tertiò propter quadraginta, quartò propter triginta, quintò pro-
ptet viginti, denique vsque ad decem deuentum est; quos oportet non esse in-
uentos Sodomis, sed vnum tantum Lot, cum filiabus, qui proptetea inde educti
sunr. Infantuli autem quid? ne ipsi quidẽ iusti eranr, peecato otiginis obnoxij,
& filij itæ; neque enim patrum infidelium fide, aut sacrifieiis dæmonibus oblatis,
miselli poteraot iustificari. *Abiitque Dominus, postquam cessauit loqui ad Abraham*, &
quidem cum sociis, vt modò dicebamus. Sed mox regresso in locum suum Abra-
hamo, ille, qui Domini personam sustinuerat, teuolauit in cœlum, *Duo* reliqui *an-
geli vespere Sodomam venerunt.*

IN eam priusquam ingrediamut, quæoam peccata illam, & socias eius, perdi- XXXV.
derint, videamus. *Quibus*
1. v. 50. Primùm vulgatissimúmque fuit peccatum præposteræ libidiois masculæ; quòd *peccatis Pētapolita*
capite decimo nono maximè expressum est, tectius Ezechielis decimo sexto, no- *perierint.*
Sap. c. 13. 13. mine *abominationum* comprehenditur, propter quod à Sapieote, *Peccatores pessimi co-* *Libidine.*
ram Domino nimis, appellati sunt; ab Apostolo Iuda, *exfornicati abeuntes post carnem*
hom. 33. *alteram*, à Chrysostomo, *peccatores prodigiosa iniquitatis*. Et, *peccatores infanda, & nul-*
hom. 42. l. 1. c. 11. *lam veniam merentis iniquitatis, excogitatores insolita & inaudita nequitia.* A Iosepho,
qui mutuis sese libidinibus incestabant, & ab aliis aliter, tam nefarium, ac detestabile
flagitium appellatur. Quod crimen eò detestabiliùs, quò impudentiùs patraba-
tur, imò & prædicabatur, & alij alios publicè ad flagitium deposcebant. qualis
fuit teterrimi imperatoris, aut monstri potiùs impudentia, qui publicè puerum
Sporum, quasi vxorem duxit: teste Suetonio io Nerooe, meritóque audiuit. *Benè
agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset vxorem.* Quæ persequi
vltra piget, ae pudet. Sed alia etiam peccarunt, vt in tam profundam voraginem
præcipites rueteot. Impulit io primis supetbia.

2. v. 49. SVPERBIÆ eoim ab Ezechiele capite decimo sexto accusantur, & in capi- XXXVI.
lib. 1. c. 11. te accusationis superbia ponitut. *Ecce hac fuit iniquitas Sodoma sororis tua Superbia,* *Superbia.*
in lib. de Abram fi. &c. Iosephus quoque, *Sodomita*, inquit, *diuitiis, & abundantia pecuniarum elati, tam
in homines contumeliosi erant, quàm in Deum impij.* Et Philo quem paulò antè retuli-

mus, ait hæc ipsa motos superbia maiore quàm pro viribus animo excussisse iugũ Assyriorum. In pœnam autem fastus, ac superbiæ confusionem, permissos esse diuinitus in hoc barathrum præcipitari subobscurè significat Ezechiel ibidem, (c.16.49.) cùm ait, *Et eleuata sunt, & fecerunt abominationes coram me.* Et Paulus apertiùs, vniuersè agens de superbia Ethnicorum philosophorum, (Rom. 1.) *qui cùm cognoscerent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, dicentes se esse sapientes stulti facti sunt,* propter quod, ait, *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immundiciam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.*

XXXVII. *Gula.* GVLA tertium peccatum est, quod ab Ezechiele vocatur saturitas panis, (3. c.16.49.) id est ciborum copia; & rectè, cognata quippe sunt crimina. Nam, vt ait D. Hieronymus, *Venter mero æstuans despumat in libidinem;* & epistola de custodia virginitatis ad Eustochium, *Post ebrietatem nudatio fœmorum subsecuta est, libido iuncta luxuriæ, priùs enim venter extenditur, & sic cætera membra concitantur.* Denique libro secundo contra Iouinianum hûc alludens. *Ciuitas Niniue,* inquit, *imminentem iram Domini ieiuniorum miseratione detorsit; quàm & Sodoma placasset, & Gomorrha si voluissent agere pœnitentiam, & lachrymas pœnitentiæ patrocinante conciliare ieiunio.* Et Dominus memorans (Luc.17.28.) repentinum exitium Sodomorum, hûc respiciens, cibi & potus primam mẽtionem facit. (l.2. in Iouinian.) ad quæ alludens Hieronymus, *Timemus,* inquit, *ne ab aduentu æterni iudicis, sicut in diebus diluuij, & euersionis Sodomæ & Gomorrhæ deprehendamur manducantes, & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes: nam & diluuium, & ignis de cælo saturitatem pariter, & nuptias, quas deleret, inuenit.*

XXXVIII. *Abundantia.* ACCVSATVR insuper abundantia, (4.) id est luxus in affluentia omnium rerũ, quæ ad gloriam, & delicias desiderare potuisset, in pingui solo, in amœna planicie, in irrigatione Iordanis, in paradiso Domini: & Iosephus ait eos diuitiis, & abundantia pecuniarum elatos fuisse. Paulus Orosius, (lib.1. c.5.) *Huic vniuersæ regioni bonis malè vtenti, abundantia rerum causa malorum fuit. Ex abundantia enim luxuria, ex luxuria fœdæ libidines adoleuere.* Philo quoque explicata soli fertilitate, (lib. de Abraham.) ait vbi bonis satiati sunt, è saturitate, vt solet, natam esse petulantiam.

XXXIX. *Otio.* ACCVSATVR otium, siue abundantia otij, (5. Eccl.33.29) quòd nequitiæ magistrum agnoscit Sapiens, & Poëta,

Otia si tollas periere cupidinis arcus.

Et, *Fertilis assiduo si non renouetur aratro,*
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager;
Quæritur Aegysthus quare sit factus adulter,
In promptu causa est, desidiosus erat.

Toti ergo erant in ludis, in deliciis, in conuiuiis, & terra maledicta corrupta est, & abominabilis facta est. Ex hac autem erga seipsos indulgentia nata est

XL. *Inhumanitate.* INHVMANITAS, & duritia cordis in pauperes, iuxta illud Amos, (6. Amos 6.6.) *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Ergo, & Sodomitæ (Ezech.16.49.) *manum egeno, & pauperi non porrigebant.* Et tamen ante aliquot annos bello afflicti, potuerunt didicisse misericordiam in pauperes, vt Dido,

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Huc pertinet illud Iosephi (lib.1.c.11.) neque beneficiorum Dei meminerant, & hospites auersabantur. Vltionis quoque diuinæ imminentis indicium fuit isthæc inhumanitas. Permittit enim Deus vt sint immisericordes, *ne misericordiam consequantur,* ne miseri, & pauperes ab iis subleuati, clament ad Dominum pro ipsis, & mitissimum cor eius ad veniam inflectant, & ipsius iustissimæ iracundiæ se opponant.

XLI. *Iniustitia.* INIVSTITIÆ quoque à Chrysostomo accusantur, (7. hom 42.) quamquam hæc ipsa inhumanitas iniustitia est. Non enim sibi solis diuitias acceperunt opulenti, sed earum partẽ pauperes sibi vendicant, qua iniustè fraudantur. *Non solùm,* ait Chrysostomus, *magna est multitudo clamoris, sed etiam iniustitia*[10]. (10. [illegible] in fando.) *Nam quod clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, opinor significare quod cum ineffabili, & veniam nullam merente iniquitate, multas etiam iniustitias alias patrarunt, & insurrexerunt potentiores cõtra inualidiores, ditioresque contra pauperes;* qui scilicet iniustè afflicti clamabant in cœlum, Deum vindicem expostulantes. *Nónne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas; à maxilla enim ascendunt vsque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.* (Eccl.35.18.) Scholiastes quoque in illo Ezechielis loco

ita Prophetam interpretatur, vt eum dicat ostendere ipsis diuitias ex magna iniustitia contigisse, non ex benedictione ac beneficio Dei. Ad eandem iniustitiā pertinet quod Iosephus ait eos fuisse in homines contumeliosos, ὑβριστὰς, sed addit etiam impietatem in Deum, quam propriam habent & suam cultores idolorum.

8. I D peccatum licet in Chananitide commune erat, in Sodomitis tamen hoc erat criminosius, quòd coram oculis habebant Lot virum innocentem ac pium; & vicinos Abrahamum & Melchisedec, vtrumque sibi notissimum, vtrumque virū clarissimum, ac veri Dei cultorem. *His rebus offensus Deus decreuit superbiæ pœnas de illis sumere,* ait Iosephus, *& regionem eorum adeò vastam reddere, vt posthac nec plantas, nec fructum vllum produceret.* Hæc ergo crimina Sodomam, sociásque ciuitates in perniciem egerunt, hæ causæ horribilis deflagrationis, & tragœdiæ, quæ sæculis omnibus iustissimum incutiat terrorem, eius catastropheon narrat Moyses, ostenditque diuina prouidentia factum esse, vt nefarij homines in illos ipsos contumeliosi essent, quos modis omnibus placatos oportuisset, vtpote quorum manibus diuina fulmina commissa erant. XLII. *Impietate.*

(l.1.c.12.) (cap.19.)

E T vice versa Lot nihil minus cogitans, in eos gratiosus fuit, à quibus maximum accepturus erat beneficium. *Hodie*, inquit Chrysost. *Lot bonum odorem inquiramus, vt sciamus liquidò quod iustum hunc in tantùm virtutis apicem erexit Patriarchæ consuetudo, quæ effecit, vt vestigia illius sequeretur, & peculiariter hospitalitatem exerceret. Venerunt ergo duo Angeli Sodomam vespere, sedente Lot in foribus ciuitatis*, & scilicet patrui exemplo præstolante, vt aliquem peregrè venientem hospitio exciperet. Nā *cùm vidisset eos surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terram.* Eximia quadam specie commendabiles fuisse apparet, qui ita dudum ab Abrahamo, & nunc à Loto, tam in primo congressu, quàm in sermonum progressu honorarentur. Iosephus vocat adolescentes forma præstantes. XLIII. *Hospitalitas Loti.*

(hom. 43.)

I M P V L S V M etiam interdum in vtroque par est confiteri, & opinionem de iis humano fastigio superiorem, vidit Abraham eos futura prædicentes, arcana manifestantes, vrbium iudices agentes. Credidit Abraham vel ab vno eorum totam funditus prouinciam exterminari posse, & ab eo tanquam à supremo quopiam principe, quem innumerabilis vallaret exercitus, veniam pro reis, infimis precibus postulauit. Quid autem Lot? quoniam de ipso nunc nobis est sermo. Homo copiosus & grandæuus, erat quippe nonagenarius, non permittit homines ætate iuuenes[11], & aduenas conditione, alienæ charitatis egentes, officio erga se certate priores, sciebat illud Apostoli, *Honore inuicem præuenientes*; nec seuera de more oratione percunctatur in porta. *Qui genus, vnde domo? pacem ne huc fertis an arma?* Sed cùm primum eos vidit, *surrexit, & iuit obuiam eis,* quasi plebeius quispiam, captans aliquam ex peregrinis mercatoribus vtilitatem. *Audiant hæc, qui aduenas orantes, & supplicantes, & sedulo se coram eis humiliantes multa inhumanitate auersantur, & repellunt,* ait Chrysost. præuenit etiam ne in malum hospitem inciderent. *Propterea,* inquit idem Chrys. *opinor etiam iustum vsq; ad vesperam sedisse in foribus ciuitatis, vt ne sineret viatores ignaros incidere in illorum laqueos.* Nec eo contentus *adorauit pronus in terram*[12], & ad summissionem actionis, adiecit insignem verborum modestiam. XLIV. *Cuiusmodi existimati hospites ipsi.*

(11. χ.) (hom. 43.) (hom 43.) (12. χ.)

Gen. 19. 2. D I X I T enim, *Obsecro Domini, declinate in domum pueri vestri*, famuli scilicet, *& manete ibi*, & pernoctate, *lauate pedes vestros*, recipite hospitalitatis officia, *& mane proficiscemini in viam vestram. At illi minimè*, inquiunt, *sed in platea manebimus.* Accommodant se Angeli ad consuetum hominum morem in recusandis officiis vrbanitatis, vt cùm Petrus aiebat, *Non lauabis mihi pedes in æternum:* nec absurdè se in platea pernoctare posse ostendunt, videntur enim hæc in æstate contigisse, suprà enim facta est mentio feruoris diei, qui in reliquis anni temporibus permodicus est; nec alienum est à iuuenum moribus, noctes sub dio obambulantes traducere. Non dicunt se cuiuspiam alterius hospitium accepturos; ne istum illi prætulisse inurbanè viderentur. XLV. *Colloquium Lots cum Angelis.*

(Ioan. 13. 8.)

L O T autem, qui sciebat neminem esse in tam execranda ciuitate, ad quem possent tutò diuertere; multò autem minus in platea, ab improborum petulantia, & contumeliis immunes fore: Non vltra inuitauit, sed *compulit illos oppidò, vt diuerterent ad eum.* Vehementi scilicet, & præstanti efflagitatione; qualis fuit discipulorum Christi, & Soceri Leuitæ in libro Iudicum. In Hebræo est, *& vim fecit in eos* XLVI. *Quos coegit ad hospitiū.*

(Luc. 14.) (Iud. 19.)

valde, & declinauerunt ad eum; qui negarant se Loti hospitium simpliciter inuitantis acceptúros, statuerant acquiescere compellenti, vt necesse non sit mutatam Angelorum voluntatem existimare. *Postea*, inquit Chrysost. *non tam verbis contentus est* hom. 43.
exhortari, sed & vim facit. Propterea & Christus dicebat, violenti rapiunt regnum cælorum. Vbi enim spirituale affulserit lucrum, tempestiua fuerit violentia, & laudabilis coactio. Et compellebat, inquit, eos, mihi autem videtur & inuitos eos trahere. Deinde vbi viderunt iustum ita feruentem & nolentem desistere, nisi voti compos fiat, declinauerunt ad eum. Hæc Chrysostomus. Quid plura? ingressi sunt domum, tota cum patrefamiliâs gratulante familia; lauerunt pedes, conuiuati sunt.

XLVII. *Eo confluunt flagitiosi, & vim parant.*

ECCE *autem priusquam irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem, omnis populus simul*, in Hebræo est, *omnis populus ab extremo*, scilicet vrbis, eo enim concurrerant ab extremis vrbis locis. *Summa*, inquit Chrysostomus, *malitia conspiratio, vehemens malè agendi studium, inenarrabilis peruersitatis magnitudo, conatus nulla venia dignus.* hom. 43. Omnis ergo ciuitas *circumfusa ruit, certátque illudere captis*. Vt non mirum sit diuinam patientiam tam truculentarum bestiarum immanitate, atque feritate victam, iustitiæ cessisse. Nondum finis, *vocauerunt Lot*, eúmque nequitiæ suæ, quàm magnis vocibus palam canina impudentia euulgabant, participem esse voluerunt; & hospitij, & naturæ iurium violatorem; in quo impletum est illud Esaiæ, *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt*; vt par erat saltem cæcari tenebris, opera tenebrarum. Esai. 3. 9.

XLVIII. *Studium Loti pro hospitibus suis.*

AT bonus hospes pro suis peregrinis sollicitus, negligens sui foras vocatus *egreditur, post tergum occludit ostium*, ne receptum quidem sibi liberum in domum suam relinquens, ne isti Corybantæ in tecta ad hospites facto impetu irrumperent, tum blanda oratione furentes mitigate nititur, paratum se potiùs exhibens ad ferendam domesticam ignominiam, quàm ad iura hospitalitatis atrociore scelere violanda. Nam quod in Latino textu habetur, *Abutimini eis, sicut vobis placuerit*, in Hebræo rectius habetur, *& facite eis sicut bonum est in oculis vestris.*

XLIX. *An peccarit.*

MVLTA lis hoc loco à plerisque Loto intenditur de filiabus oblatis insanis illis, cynedico furore bacchantibus. D. Augustinus culpam non excusat, nec compensationem facinorum admittit, veniam tamen Loti perturbationi tribuit. q. 42. in Genes. hom. 43. *Meritò quæritur*, inquit, *vtrum admittenda sit compensatio flagitiorum*, quam planè videtur Chrysostomus admittere, *vel quorumcúmque peccatorum, vt nos faciamus mali aliquid, ne alius grauius malum faciat, an potiùs perturbationi Lot, non consilio tribuendum sit, quod hoc dixerit, & nimirum periculosissimè admittitur hæc compensatio; si autem perturbationi humanæ tribuitur, & menti tanto malo permotæ, nullo modo imitanda est.* Sic Augustinus.

L. *Non videri.*

EVM tamen Scriptura non arguit facinoris. Imò D. Petrus ad hunc locum respiciens, *Iustum vocat oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione.* 2. ep. c. 2. 8. Et Sapiens ait Sodomitas *in foribus iusti subitaneis coopertos esse tenebris*, Sap. vlt. 16. qui tamen iam filias suas obtulerat, & alio in loco, *Iustum vocat etiam fugientem à pereuntibus impiis.* c. 10. v. 7. Constat prætcrea grauium Theologorum consensu, minus malum habere rationem boni, si cum grauiore malo conferatur. Quòd si nec illi quidem reprehenduntur, qui sicarium exorant, vt mutilet hominem, quem omninò interficere constituerat, non videtur Lot condemnandus peccati grauioris, ac fortasse ne peccati quidem.

LI. *Elegans Caiet. pro Loto Apologia.*

ITAQVE cum aliis doctis viris valde assentior hoc loco Caietano, cuius hæc sunt verba. *Solutio est, quòd Lot non obtulit filias animo repensandi flagitium flagitio, sed placandi hyperbolica summissione furentem populum. Arbitrabatur enim, & rationabiliter, vt rei probauit euentus, quòd populus non acceptaret huiusmodi oblationem, sed quod placatus tanta submissione ipsius Lot, desisteret à cœpto, & eò rationabiliùs, quod filiæ eius sponsæ erant ciuium Sodomæ*; & quidem, vt apparet, primariorum. *Quemadmodum vir placaturus lacessitum iniuria, pugionem nudum offert, dicendo, interfice me, non animo vt interficiatur, sed vt tanta summissione læsus placetur. Et propterea non declinauit Lot à iustitia in huiusmodi oblatione.* Hactenus Caietanus [13]. 13. 2. 2.

LII. *Exemplis Scripturæ comprobatur.*

IDEM etiam Scripturæ exempla confirmant, quis enim accusat Dauidem dicentem Ionathæ, *Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.* 1. Reg 20. 8. Aut Rubem dicentem patri, *Duos filios meos interfice, si non reduxero* Gen. 42. 37.

illum

Exod. 32. 31 *illum tibi.* Aut Moysem, *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Sic enim ausim, non temerè opinor, eum locum interpretari. Quā porrò vim haberet huiusmodi submissio ad frangendos iratorum animos, intellexit Poëta, dum Achæmenidem ita clamantem inducit,

Æneid. 3. *Spargite me in fluctus, vastóque immergite ponto,*
Si pereo, manibus hominum periisse iuuabit.
Et iterum: *Vos animam hanc potiùs quocunque absumite letho.*
Et Sinonem, *——iamdudum sumite pœnas.*
Æneid. 2. Æneid. 9. Et Nysum, *Meme, adsum qui feci, in me conuertite ferrum*
O Rutuli.—— sed redeamus in viam.

NIHILI isti persuasi, insanire pergunt, abscedere à ianua iubent, verbis insultant, peregrinum vocant, iudicem agere criminantur, minas intentant. Denique *vim faciebant Lot vehementissimè, iamque propè erat vt effringerent fores. Et ecce miserunt manum viri*, aperto tantisper ostio, *& introduxerunt ad se Lot*, etsi poterant incolumem inter furiosos conseruare, quantumuis illud iactarent, *te ipsum magis quàm hos affligemus*, vtpote quos iam cœcitate percussuri erant, & inhabiles ad ei nocendum reddituri. Sed datum oportuit exemplum vitandi improborum contubernij. Introduxerunt ergo Lot, *clauserúntque ostium, & eos qui foris erant percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* LIII. *Illi insanire pergunt, & cæcitate percutiuntur.* (vers. 9.)

HANC cœcitatem Septuaginta interpretantur ἀορασίαν, quæ nullum oculis vitium inferebat, sed ostium videre prohibebat. quam cæcitatem Augustinus, comparat illi, qua affecti sunt, qui quærebant Elizæum, & discipuli illi duo cùm non agnoscerent Dominum à resurrectione. Verùm hîc Sodomitæ videntur ostium Loti non solùm non agnouisse, sed ne vidisse quidem; eo nullam speciem visibilem ipsorum oculis immittente. Ergo cùm alia viderent, ostium videre non possent, nec suam cæcitatem agnoscerent, ostium frustra quærendo defatigati, vel inuiti quieuerunt, & irrisi, irritique abierunt. Hanc fatigationem, quæ in Hebræo textu est, verterunt Septuaginta, παρελύθησαν ζητοῦντες τὴν θύραν, quod Chrysostomus videtur intellexisse, quasi membra ipsorum paralysi dissoluta essent, ἀσθενεῖς παραλελυμένοι, sicut cæcitatem τύφλωσιν interpretatur. quòd videtur improbare D. Augustinus, *Nam meritò mouet*, inquit, *quomodo potuerunt deficere quærendo ostium, si tali cæcitate erant percussi, vt omninò nihil viderent. hoc enim modo sua calamitate turbati, vlterius ostium non requirerent.* Rectiùs igitur fuerit dicere, eos quasi lymphatos circa domum discurrisse, cùm eis ianua, quasi continens paries, appareret, nec eam omninò videre possent, & omninò ira & cupiditate arderent, multo labore fatigatos fuisse, fessósque, re in posterum diem dilata, recessisse. Sed hic quoque verum illud fuit, *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit.* LIV. *Qualis fuerit ista cæcitas.* (q. 43. in Genes. 4. Reg. 6. 18. Luc. 24. q. 43. Psal. 111.)

QVONIAM verò, de Ægyptiis legitur, *Percussi sunt autem cæcitate* (ἀορασίᾳ, quasi dicat inuidentia, vt loquitur Augustinus) *sicut illi in foribus iusti, cùm subitaneis essent tenebris cooperti, vnusquisque transitum ostij sui quærebat*, exponit hoc loco Del Rio, cum Ribera, ἀορασίας, non de solo ostio Lot, sed de omnibus ostiis. *Cætera videbant*, inquit, *ostia non videbant, alienas fores volebant perfringere, dignum erat vt nec suas inuenirent.* Verùm hæc expositio quæ primùm Riberæ viro in primis erudito placuit, capite primo in Sopho. plus fortasse concinnitatis habet quàm veritatis. Scriptura enim apertè loquitur de foribus Loti, quas perditi illi reperire non poterant, non de foribus aliarum domorum, quarum nulla est hîc omninò mentio, & ita hunc locum omnes antiqui Patres interpretantur, vt fusè docet Pererius. De loco autem illo Sapientiæ, Iansenio potius, & Pererio assentior; existimóque eas tenebras, quibus percussi dicuntur, ad Ægyptios tantùm pertinere, quorum ea nona plaga fuit, non Sodomitarum. Similitérque solos Ægyptios in eas angustias redactos, vt præ tenebrarum densitate, qui extra domos suas deprehensi fuerant, ad eas peruenire, eásque perinde ac si cæci fuissent, reperire non possent. Itaque in prædicto loco Sapientiæ, ea duntaxat verba, *sicut illi in foribus iusti*, quasi per parenthesim clausa, intelligenda, & legenda sunt. LV. *An similis Ægyptiæ.* (Sap. vlt. 16. q. 43. in Gen. num. 81. num. 18.)

LVI. *Lot agnoscit hospites suos.* HIS angustiis Lot expeditus opera suorum hospitum, quibus vnis maximè timuerat, non ægrè agnouit eos, quos adhuc homines crediderat, supra homines esse, vt qui senem è media iuuenum turba rapere, & aperta ianua eosdem ab ingressu prohibere, & cœcitate percussos, longiùs abigere potuissent. Chrysostomus ait Angelos hoc tempore seipsos manifestasse, opere scilicet. Nam subdit. *Et quia viderant iustum omne officium suum implesse, suam declarantes potentiam, suppetias ferebant iusto, cui vis fiebat ab illorum insania.* Habes ergo hoc loco agnitionem tragicæ fabulæ. Sequitur περιπέτεια, commutatióque fortunæ. (hom. 43.)

LVII. *Eiusdem meritum.* DIXERVNT *autem ad Lot, habes hîc quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias, omnes qui tui sunt, educ de vrbe hac; delebimus enim locum istum, eo quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, vt perdamus illos.* Habes hîc apertum argumentum meriti iusti Lot apud Dominum, quando in eius gratiam, & meritum hospitalitatis, paratus est omnes ei sanguine, vel affinitate coniunctos, siue iustos, siue peccatores, *& ab illorum crimine alienos*, vt ait Chrysostomus ibidem (& credibile est iustum Lot optimos quosque elegisse in generos) ab imminente interitu liberare. Et sanè peccatores fuisse, tam perniciosa negligentia, in quam Deus illos labi, & perire permisit, satis indicat. Vnde idem Chrysost. *Vide quomodo è malo illo fermento erant & isti.* (c. 19. 12. — Chrysost. hom. 43. — ibid.)

LVIII. *Et cognatorum negligentia.* OBEDIT Lot Angelis, & ea ipsa nocte domo egreditur, *Generos adit, qui accepturi erant filias eius*, iubet de lecto surgere, & de imminente clade liberari; at *miseri, quibus vltimus esset ille dies*, ludere illum & iocari, non seriò loqui credentes, salutare consilium aspernati sunt. *Cùm audirent à iusto*, ait Chrysostomus, *terribiles illas minas, quasi subsannabant, & putabant deliramenta esse quæ dicebantur.* Nullam nimirum videbant dispositionem, aut apparatum ad tam vicinā cladem, ideò eum visis quibusdam, aut panico terrore ludificatum putabant, qui nocturnus obambularet, & turbaret aliorum quietem[14]. (hom. 43. — 14. x.)

LIX. *Loti cunctatio.* LOT infecta re domum redit, & fortasse omnino nihil, propter recentia generorum ludibria, de imminente clade subdubitans; fortasse etiam amore bonorum suorum retentus. *Quamuis*, ait Rupertus, *comparatione Sodomorum esset iustus, adhuc tamen à perfecta iustitia minus habens; & minoris fidei quàm Abraham, amœnitate Sodomorum tenebatur, & irriguis penè paradisiacis aruis; & idcircò quasi non satis intelligeret quod dicebatur, cùm percelleretur nuncio instantis periculi, dormitantes oculos, & amore diuitiarum pressos auertebat à lumine præsenti.* Cùm ergo gemina quasi compede præpediretur, fiebat vt lentior redditus cunctaretur, adeò vt penè per vim ab Angelis domo eductus sit; iucunda gratiæ retributione, per vim à Loto inducti erant domum, vt immunes fierent à peccatorum petulantia; nunc vice versa, ab iis per vim Lot educitur, vt immunis fiat à sceleratorum pœna. (l. 6. in Gen. c. 10.)

LX. *Educitur Sodomis.* CVMQVE *esset mane, cogebant eum Angeli dicentes; Surge*, an è lecto, in quem se modicum abiecerat, reuersus à generis, an potius idem est quod, Age, accelera, *tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes*, ex Græco, ἃς ἔχεις, aut ex Hebræo, *quæ hic inueniuntur*; innuit autem hæc oratio alias etiam in vrbe fuisse; nec sine causa supra meminit filiorum, quos fortè habuit, & perdidit in clade ciuitatis, *Ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.* Dissimulante illo, aut cunctante, siue tardante, vt est in Hebræo. at Septuaginta, καὶ ἐταράχθησαν, *& turbati sunt*, nimirum Lot, vxor, & filiæ, vt exponit Chrys. Aquila vertit, ἐμέλλησεν, *cunctabatur*, quòd sequitur Ambr. Scholiastes, ἐστρατεύετο, *profectionem adornabat*; vel, vt Tostato placet, *Deum interea pro salute ciuitatis deprecabatur.* Fortè etiam aliquam moliebatur moram, vt aliquid de suis bonis, auro, vel pretiosa supellectile, in futurum vitæ suæ, suorúmque subsidium eriperet incendio. Illi nihilominus *apprehendunt manum eius, & manum vxoris, & duarum filiarum eius, eo quod parceret Dominus illi.* Terni videntur exisse, vno Angelo medio inter coniuges, altero inter filias incedente. *Eduxerúntque eum, & posuerunt extra ciuitatem, ibique locuti sunt ad eum dicentes: Salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simul-* (Gen. 19. 15.)

LXI. *Prohibetur retro aspicere, aut subsistere.* *-ter pereas.*

PROHIBETVR Lot, cæterique domestici retro in hac fuga respicere, siue ad significandum summa festinatione opus esse, quæ respectando impeditur; 1.
siue ad maiorem detestationem pereuntium, quos Dominus ne bonorum quidem 2.

virorum aspectu, nedum commiseratione dignatur. Siue ad obedientiæ proba-
3. tionem, quæ in re modica potiùs, quàm in graui cernitur, quando non res ipsa,
sed nuda obedientia hominem in officio continet, siue ad reuerentiam iudicio-
4. rum Dei, quæ humana æstimatione atrocia videntur, quæ tamen minimè curio-
sè inspectanda sunt, & cum Dauide potius demisso capite dicendum, *Iustus es*
Psal. 118. 5. *Domine, & rectum iudicium tuum.* Quas rationes fusiùs prosequitur hoc loco Pere-
Num. 22. rius. Addit Abulensis qui primam, & secundam de præcedentibus attigit, vetari
inspectionem, ne scilicet inordinatè dolerent de rebus quas in ciuitate, agróque
circumposito perdendas relinquebant, quas Deus perire volebat, domos, vil-
las, agros, pecora, seruos, ancillas, famulos, supellectilem, amicos, cognatos,
omnia. Prohibetur etiam in circumposita regione subsistere, quia tota vallis fun-
ditus perdenda erat, in qua erant quinque ciuitates, vt probat nomen Pentapo-
24. 2. leos Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, & Segor, quæ & in Gen. & Deutero-
19. 23. nomio tanquam eiusdem malitiæ sociæ iunguntur.

SED Segor, quæ prius Bala dicebatur, & nomen paruæ, id est Segor, à LXII. *Orat pro*
Loto pro ea deprecante sortita est, in extrema erat valle, in aditu montium, *vrbe Segor.*
ad quos clades, quæ valli imminebat, & in lacum vertenda erat, non erat
peruentura. Cùm ergo Angeli digitum in montes, quo se Lot recipere debe-
bat, intenderent, vidit & ciuitatulam, pro qua orare instituit. *Quæso*, inquit,
Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam
tuam, quam fecisti mecum; vt saluares animam meam, nec possum in monte saluari,
ne fortè apprehendat me malum, & moriar. Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fu-
gere, parua, & saluabor in ea; nunquid non modica est, & viuet anima mea? Vide
artificium; primò vt causam ponat impetrandi, non merita in eos sua, tametsi
non contemnenda, sed meram erga se gratiam, quòd valet ad conciliandos ani-
mos. Deinde vt acceptum beneficium ita prædicet, vt tacitè innuat oportere id
non fieri irritum, ex quo etiam inferat petitionis necessitatem, quia grandæuus,
& ductor mulierum properare, citóque ad montem peruenire non possit, prius-
quam publica eum clades inuoluat. Denique facilitatem impetrandi ponit ob
oculos, quod pro oppidulo roget, sibique ad breuiorem fugam, & salutem ma-
gis expeditam idoneo.

RESPONDET Angelus, *Ecce*, miram rem faciet Dominus in gratiam tui, e- LXIII.
tiam latam sententiam contra oppidum, pro quo rogasti, reuocabit, *etiam in hoc* *Exauditur.*
suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es. Nimirum statuerat, vt
notauit Abulensis, non subuertere oppidum Segor, sed interuentu precum Lot,
ideóque eum ad preces fundendas pro ea excitauit, quas si non fudisset, vtique
periisset, aliúdque de ea decretum in diuina mente antecessisset. Ergo quoniam
factus es voti compos, *Festina*, inquit Angelus, *& saluare ibi, quia non potero facere*
quicquam donec ingrediaris illùc, non explicat disertè quid facturus esset, ne eum
terreat & contristet, sed aliam etiam ob causam iubebat festinare, vt scilicet
vehementia motus alias cogitationes excluderet, præsertim de respiciendo
retro. Quòd autem negat se posse, id est velle facere quicquam, antequam
Lot peruenerit ad locum refugij, propterea negat, vt ait Abulensis, quòd
locus ipse, per quem transeundum erat Loto, subuertendus erat, & proruen-
dus in præceps. Et quòd horrendi pereuntium clamores facilè ad respiciendum
induxissent Lotum, cùm eadem clade, in quam incidit vxor eius.

NAM in hoc itinere, cùm iam appropinquarent portis ciuitatis, in ipsis e- LXIV.
ius suburbiis, & iam cœlum vltrices flammas ostentaret, horrendúmque inci- *Interitus*
perent mugire tonitrua, mulier quæ progrediebatur lentiùs, & gressu prope- *vxoris Lot.*
rabat anili, victa curiositate muliebri, conuertit se retrò, vt videret finem, &
horribile spectaculum tantisper oculis vsurparet, cùm statim conuersa in sta-
tuam salis, celeres inobedientiæ, & curiositatis pœnas dedit. Loto interea
cum filiabus vrbem properè subeuntibus, nec cladem domesticam animaduer-
tentibus.

EANDEM mulierem Sapiens, incredulitatis accusare videtur propter quam LXV.
exo 7. in figmentum salis conuersa sit, in posteritatis memoriam sempiternam, & *incre-* *Et qua ex culpa, insi-*
dibilis animæ memoria stans figmentum salis, ἀπιστούσης ψυχῆς μνημεῖον ἑστηκυῖα στήλη ἁλός. *delitatisne.*

Iansen. *Incredula anima memoriale constituta columna salis.* Quam memoriam Christus ipse refricat. *Memores*, inquit, *estote uxoris Lot.* Verùm hæc incredibilitas non Luc. 17. 32. malè, opinor, hoc loco explicatur inobedientia, sicut in Ecclesiastico, *Qui ti-* 2. 18. *ment Dominum non erunt incredibiles verbo eius*, οὐκ ἀπειθήσουσι ῥημάτων αὐτοῦ, *non erunt inobedientes*, nam πείθεσθαι est obtemperare, & fidem habere. Et sequitur, *Et qui diligunt illum conseruabunt viam illius*, id est, mandatis eius obedient.

LXVI. *An potius inobedientiæ.* VNDE Seuerus Sulpicius libro primo, *Mulier*, inquit, *parum dicto audiens*, hist. sacræ. *humano malo, quo ægrius vetitis abstinetur, reflexit oculos, statimque in molem conuersa traditur.* Nec facilè inuenias qui eam infidelitatis arguat; at inobedientiæ plerique omnes, in quibus Tostatus, & apertè Iosephus. *Cæterùm Loti uxor inter abeundum subinde ad urbem respiciens, & curiosius cladem hanc contra mandatum Dei spectans in statuam salis est versa*[15]. Et res ipsa hanc interpretationem videtur exi- 15. χ. gere, quomodo enim non credebat verbis Angeli, antea ne an tunc? Si antea, vtique non egressa esset, sed mansisset cum pluribus incredulis cognatis & amicis, ad fruendum bonis, quæ maritus temerè deserebat: si tunc, quomodo credibile est de veritate ruinarum dubitasse mulierem, ideóque punitam esse illo ipso tempore, quo complebantur, quando effecta ipsa ingerebant se oculis, auribus obstrepebant, fœtorem sulphureum naribus inferebant, manibus penè tangebantur? Denique nullum apparet ex narratione Mosis in muliere infidelitatis vestigium.

LXVII. *Clades ciuitatum.* HANC cladem Moyses describit his verbis. *Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor. Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo; & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.* Eadem habet Iosephus: vbi tamen v- l. 1. c. 11. nius tantùm vrbis meminit, *In quam Deus telum iaculatus sit.* Fastidiuit fortasse Scripturæ locutionem, & igneam pluuiam: vt ad Iouis telum, in gratiam Ethnicorum, alluderet. Porrò diminutus est numerus vrbium hoc loco, sed suppletur in Deuteronomio, vbi Iudæis similis pœnæ terrorem incutiens, *In* 29. 23. *exemplum*, inquit, *subuersionis Sodomæ, & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim quas subuertit Dominus in ira, & furore suo.* Et in Osea, *Quomodo dabo te sicut Adama, ponam te* 11. 8. *vt Seboim.*

LXVIII. *Quot eæ fuerint.* QVATVOR ergo fuere ciuitates, quas diuina vindicta disperdidit. Theodo- q. 69. retus etiam addit pagos plurimos, *Cùm vidissent quatuor ciuitates, & vniuersos pagos in ignea pluuia exarsisse*, quinque vrbes incensas dixit Iosephus, & Egesip- lib. 5. de bel. c. 5. pus, & alij quoque, vt Masius, sed memoriæ lapsu. Abitque à vero Solinus cap. quadragesimo octauo, vbi duas tantùm memorat, Sodomum, & Gomorrhum; lib. 4. c. 18. sic enim appellat, si non plures censuit ea clade periisse. Abit etiam multò longius Stephanus, qui decem vrbes hanc cladem passas putat, Σόδομα, μητρόπολις τῶν δέκα πόλεων, τῶν ἐν τῇ Ἀσφαλτίτιδι λίμνῃ καταστραφεισῶν, & Strabo, ex lib. 16. regionis facie atque habitu fidem haberi posse putat, iis quæ ab indigenis prædicantur, in eo loco tredecim vrbes olim habitatas fuisse, quarum caput Sodoma, quod tam verum est, quàm quod ibi subdit, *Sodomam adhuc sexaginta stadiorum habere superstitem ambitum.* Cùm certum sit ne lapillum quidem eius superesse. Sed si numerus placet dicamus quatuor vrbes, & nouem pagos hac deflagratione periisse, à numero abstinuit Tacitus, *Ego sicut Iudaicas quondam vrbes igne cælesti flagrasse* lib. 5. hist. *concesserim.* Et paulò antè: *Haud procul inde campi quos ferunt olim vberes, magnisque vrbibus habitatos fulminum ictu arsisse.*

LXIX. *Tempus & modus cladis.* NOTATVR à Moyse circunstantia temporis Solis Orientis, & causa siue instrumentum mali duplex, è cœlo alterum, alterum ex terra, illud perspicuè, istud subobscurè. Prioris iste ordo fuisse videtur & modus. Oriente Sole, & aëris serenitate mundum reliquum exhilarante, Pentapolitanis edentibus, bibentibus, stertentibus, alia omnia cogitantibus, vt est in Euangelio, ecce nimbus horribilem in modum vndique rutilans, quatuor vrbibus, earúmque agris, terrísque circumpositis, magna celeritate insedit. Dei flagrantem iram cœli ardore denuncians, & statim crebri ignes excutiuntur è nubibus, fulmina coruscationibus æquantur, quæ tectis flammas inferunt, & tonitrua horrendo fragore, metúq; diræ morti destinatos exanimant; & ne quis remedia fulminum flammis inueniat,

ecce tibi ignea pluuia, ex sulphure, seu pice & sale liquatis, qua domus, qua
plateæ, qua vici omnes, qua agri planiciès que camporum inundantur, & exu-
untur; hoc cuncta consumuntur animalia, hoc supellex vniuersa in cinerem
vertitur.

NVLLVM iã pereuntibus hominibus, in aquis, nullũ in ferro, nullũ in fuga LXX. *Hominum pernicies.*
nullũ in cauernis terrę perfugiũ, sulphuris fluuius omnia loca peruadit, omnia ar-
dore tabefacit, & vbique teterrimã flãmam cum fumo exhalans, omnem præclu-
dit exitum fugæ. Hoc miseri torrentur incendio, & membris fœdè truncati, vstu-
latique interimuntur; sed antequàm tartaro exhalent animas infœlices, non pue-
c. 19. 4. tos modò, & senes, qui & ipsi domum Loti libidine prurientes obsederant, sed
mulieres etiam, & vtriúsque sexus infantes miserè eiulantes, omnibus iam mem-
bris concepto incendio, in parentum oculis, complexúque pereuntes vi-
dent; & præ dolore ardentium plagarum vociferantes, sicut ipsorum pecca-
ta, quorum clamor cælum ipsum pulsabat, exululantes blasphemantésque in-
tereunt. Ditum incendium, quo non domorum tigna, trabésque, sed totæ
syluæ in fauillas abeunt, metalla liquantur, & riuis fluunt; lapides in calcem
cinerésque vertuntur, terra ipsa lateritio more excoquitur, & in piceas com-
2. Pet. 2. 6. mutatur glebas. Nam Petrus, *Ciuitates*, inquit, *Sodomorum & Gomorrhæorum in
cinerem redigens, euersione damnauit. Et Abraham*, teste Moyse, *vidit ascendentem
Gen. 19. 28. fauillam de terra, quasi fornacis fumum.* Et quarto Esdræ, *Gens mala memorare quid
2. 8. fecerim Sodomæ & Gomorrhæ, quorum terra iacet in piceis glebis, & aggeribus cinerum.* Et
10. 7. Sapientiæ 10. *Hæc iustum à pereuntibus impijs liberauit fugientem, descendente igne in
pentapolim, quibus in testimonium nequitiæ, fumigabunda constat deserta terra.* Et rur-
Deut. 29. 23. sum Moses, *Sulphure, & salis ardore comburens, ita vt vltra non seratur, nec virens quip-
piam germinet.*

ALTERVM instrumentum Sodomiticæ cladis est subuersio ciuitatum, quæ ab LXXI. *Alterũ instrumentũ cladis.*
imo terræ facta est, vt contra insensatos, & cœlum, & terra pugnaret; qui cæ-
lum peccatorum suorum clamore fatigarant, & terram detestabili, diutúrnaque
nequitia fœdè polluerant. Intelligo *subuersionem* quam toties Scriptura inculcat,
quasi ex inferiore, & subiecto loco factam euersionem, per ingentes terræ motus
terra vastis hiatibus discedente, & in profundum abeunte, & aquis subterraneis
q. 69. eius locum subeuntibus. Nam & terræ hiatus in hac subuersione Theodoretus,
memorat, & Strabo lib. decimo sexto ex indigenarum relatione per manus acce-
pta scribit, *Terræ tremoribus, & ignis, aquarúmque calidarum, ac sulphurearum eruptione
extitisse lacum, saxa ignem concepisse, vrbium alias absorptas, alias ab ijs quicunque fugere
potuerunt, derelictas.* Atque ita terra cum habitatoribus suis abiit in perditionem, &
Psal. 106. eius vicem subiit lacus salsus, quo videtur allusisse Dauid, *posuit terram fructiferam
in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.* Erat enim antea illa regio quasi paradisus
Domini, & facta est monimentum vindictæ Domini.

HABET porro locus ille à sulphure fœtorẽ, & amaritudinem tantã, vt propte- LXXII. *Status præsens lacus, fœtor, & amaritudo.*
tea nullus ibi piscis innascatur, vt refert Arist. in Meteoris. Tacit. autẽ, *Lacus immẽ-
lib. 5. so ambitu specie maris, sapore corruptior, grauitate odoris accolis pestifer, neque vento impel-
litur, neque pisces, aut suetas aquis volucres patitur.* Ex quo Egesippus, *Aqua ipsa amara,
li. 4. c. 18. & steriles, nihil recipiens generum viuentium. Demique neque pisces, neque assuetas aquis, &
latas mergendi vsu, patitur aues. Hoc ex vitio mare mortuum appellatur.* Pausanias quoque
in Eliacis νεκρὰν θάλασσαν appellat: à sale autem de cælo lapso, & cum illis aquis cõ- *Salsedo.*
in c. 3. v. 16. fuso, magnam habet salsedinem, vt propterea à Scriptura non mare salsum, sed
cap. 2. v. 9. mare salis, & mare salsissimum octies appelletur. Putat Masius, posse nomen ha-
bere à fodinis salis, quæ illis locis mansere, & in Sophonia, memorantur; vbi pro
siccitate spinarum, & aceruis salis, ipse vertit, *promptuarium spinarum, & fodina
salis.*

HABET & grauitatem tantam, vt terrenis rebus ponderosior ipsis perpetuò sub LXXIII. *Grauitas.*
esse velit. Strabo qui hunc, *Sirbonis lacum* appellat, errore pro Asphaltite, vt pla-
in c. 3. Ios. cet Masio, *Profunda*, inquit, *& grauissima est eius aqua, vt vrinatores in eo locum non
v. 16. habeant.* Nam qui vmbilico tenus in eum procedit, mox extollitur: hoc mirum
l. 5. de bel. c. est à Iosepho tribui leuitati. *Asphaltidis lacus*, inquit, *salsus quidem ac sterilis est, nimia
5. verò leuitate, etiam quæ grauissima sunt in eum iacta fluitant.* Verum id, ô bone, grauita-

gratulantis, non irrisio diffidentis. Verba quoque eius illa in animo suo, non sunt dubitantis, sed admirantis. Ambrosius, *Quod autem promisso ex ea filio risit Abraham, non incredulitatis, sed exultationis indicium fuit. Denique procidit in faciem, qui adorauit, & credidit.* Rupertus, *O virum*, ait, *æterno risu verè dignum, & sempiternæ iucunditati benè præparatum, quia ita cecidit in faciem vt rideret, ita risit vt in faciem caderet, illius vtique adorans omnipotentiam, cuius in promissione audierat singularem gratiam.* Et infrà, *Ergo putásne, in corde suo dixit non dubitando, sed suam ipse fælicitatem ineffabiliter admirando.* Sic Rupertus. Cui addi potest illud ex Luca, in simili Argumento, *Quis putas puer iste erit?*

(. de Abraham. l.5.c.35. / c.1. 66.)

XIII. *An in eius verbis aliqua dubitatio.*

SED quoniam aliquam præ se ferunt dubitationem; neque enim aliter loqueretur qui dubitaret, existimat Caietanus eum dubitasse, quo in sensu verba illa accipienda essent, historicóne an mystico. *Fuit*, inquit, *risus non irridentis verba diuina, sed hilariter ea suscipientis in festiuum nuncium, nesciendo tamen quid mysterij continerent. Non enim credidit tunc illa verba dici à Deo ad illum sensum, quem sonabant; sed ad aliquod mysterium lætum. & propterea hilariter suscipiendo risit, & non credendo dicta ad sensum, quem sonuerant, contulit in corde suo rationes mouentes ipsum ad interpretandam verba diuina secundum mysterium, & non secundum literam.* Et infrà, *Nec his rationibus inuictus Abraham reputauit impossibile esse impleri ad litteram; quod Deus dixerat, sed difficile esse, & non intentum à Deo. Propter quod non assertiuè, sed interrogatiuè confert has rationes in corde suo, & cum maxima reuerentia adorans, prostratus super faciem suam.* Ita Caietanus. Quam expositionem amplectitur Pererius in fine capitis decimi septimi, eámque consequentia verba textus non obscurè confirmant, vt mox dicetur. Et sanè, si risus hic dubitationis fuisset, aut diffidentiæ, reprehensione non caruisset, quam non effugit Sara, vt ex sequentibus intelligetur.

XIV. *Ratio nominis Isaac.*

QVEM risum vsque adeo non improbauit Dominus, vt propterea voluerit inde nascituro filio nomen dari, vt Hieronymus sentit. *Diuersa opinio*, inquit, *sed vna est Etymologia quare appellatus sit Isaac. Interpretatur enim Isaac risus. Alij dicunt quod Sara risit, ideo eum risum vocatum esse, quod falsum.* Et quare falsum? nimirum quia, antequam quidquam sciret de hoc filio Sara, ridente patre appellatus est à Deo Isaac. Simul autem falsitatis Iosephum arguit, qui id asseruit. pergit autem. *Alij verò quòd riserit Abraham, quod & nos probamus; postquam enim ad risum Abrahæ vocatus est eius filius Isaac; tunc legimus risisse & Saram.* Hunc porro locum, vt ad Chronologiam pertinet, initio huius anni numero secundo explicauimus, aliter quàm Pererio, & Del Rio visum sit, Vatablum secutis.

(in qq. Heb. / l.1. c.13. / in E.c.17.)

XV. *Inquisitio Abrahæ cum Deo colloquentis.*

CVM autem Abraham versaret animo promissionem diuinam, quæ omnem eius superabat expectationem, naturæque vires, dubitans non de potentia diuina, sed quo in sensu verba Domini accipienda essent; vt ex Caietano dicebamus, adiecit, *Vtinam Ismaël viuat coram te.* quasi dicat, de noua prole centenarij hominis, & mulieris nonagenariæ, Domine Deus non sanè satis intelligo quid velis, aut quid statueris, vnum oro, vt ea proles, quam ante annos tredecim ex Agare suscepi, incolumis perseueret, in eúmque benedictiones tuas transfundas. Oleaster *coram te* interpretatur, te vidente, & conseruante eum, quæ est mens Chrysostomi, cùm ita hunc locum explicat. *Hic igitur, qui à te datus est, viuat coram te, & abundè satis recreati erimus, & senectutem nostram illius vita solabitur.* Eodem quoque modo intellexit hunc locum Iosephus, etsi nonnihil sententiam eius detorsit. *Consulente verò Abrahamo, & de Ismaële, an esset victurus, responsum est fore longæuum, simul & multarum gentium parentem.* Aliud est enim pro vitæ diuturnitate orare, aliud quærere an victurus sit. Sed voluit Iosephus, ni fallor, ad ritum Ethnicorum idola consulentium alludere, in eorum quippe gratiam scribebat.

(n. 13. / hom. 40. / l.1. c.10.)

XVI. *A quo edocetur & confirmatur.*

DOMINVS ergo volens omnem Patriarchæ adimere dubitationem, expressius nouam semel iterùmque confirmat promissionem, addens asseuerationem, & nomen filij ex Sara nascituri. *Sara*, inquit, *uxor tua pariet tibi filium.* In Hebræo additur vox Abal אֲבָל quod significat verè, profectò, quam vocem agnoscit & Chaldæus Paraphr. pro qua Græci ναί. Sanè, sed addunt ἰδοὺ ecce.

Sensus ergo est. Ne ambigas quæ sit verborum meorum sententia; & an mysticè, ac parabolicè locutus sim, an nuda & simplici narratione vsus: verè tibi assero, ac sine vlla ambiguitate spondeo, fore vt Sara vxor tua pariat tibi filium, *& vocabis nomen eius Isaac*, in monimentum lætitiæ, qua hoc accepto nuncio, affectus es. *Et constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum*; quod scilicet tecum ferij de multitudine posteritatis, de possessione terræ Chanaan, de semine in quo benedicendæ sunt vniuersæ cogitationes terræ, confirmabo, & renouabo cum illo, eiúsque posteris, ne eam fœlicitatem Ismaëli ambias.

c.17.20. QVANQVAM ad Ismaëlem quod attinet *exaudiui te*, vt non solùm viuat, sed XVII. *De Ismaële exauditur.*
floreat, multitudine filiorum abundans, *Ecce benedicam*, inquit, *ei, & augebo, & multi-*
c.25.13 & 1. Paral.1.29. *plicabo eum valde, duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam*: Recensentur hi duces nominatim infra, vocantúrque principes tribuum suarum, ad eundem scilicet modum, quo duodecim filij Iacob. Redit autem Dominus ad iterandam tertiò promissionem, addita etiam temporis circũstantia. *Pactum verò meum*, inquit, *statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero*, id est sequente. *Cúmque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ab Abraham*, Angelus scilicet qui cum eo loquebatur, & Domini personam repræsentabat, relicto Abrahamo cœlum versus abscessit, & euanuit ex oculis eius.

v.25. IPSE autem è vestigio mente penitus illustrata & voluntate inflammata, *Tulit* XVIII. *Circuncisio Abrahæ, totiusque familiæ ipsius.*
Ismael filium suum, & omnes vernaculos domus suæ, vniuersosque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ, & circuncidit carnem præputij eorum statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus. Eximia vtique, & sua, & suorum omnium, obedientia, ad cuius perfectionem neque promptitudo, neque præcepti difficultas, insolentia, periculum, &, vt apparebat, inutilitas desiderata est. Præiuit Abraham opera inter talia primus, vt exemplo animaret suos, primúsque hoc de suo corpore sacrificium exhiberet Deo. Nec deterruit ætas senilis, in qua vulnera sentiuntur magis, & cu-
v.24. rantur ægrius; idcóque hìc nominatim fit mentio ætatis, *Abraham nonaginta & nouem erat annorum* exactorum *quando circuncidit carnem præputij sui*. Et ne adolescentuli reformidarent, filium, quem tunc habebat vnicum Ismaëlem, tredecim annos natum eadem die circuncidit, eadémque cærimonia *omnes viri domus illius*, circiter quadringenti, *tam vernaculi, quàm emptitij, & alienigenæ pariter circuncisi sunt.*

INTENDITVR hìc lis à Caiet. vulgatæ editioni, quod habeat *tam vernaculi,* XIX. *Eximio virtutis exemplo.*
quàm emptitij, & alienigenæ; cùm ex Hebræo, & Græco, & Chaldæa paraphrasi habeatur, *& vernaculi, & qui ab alienigenis pecunia comparati erant*. Verùm tota lis deleta coniunctione (&) dirimi potest. Sed in tenui labor. animaduertendum potius eximium planè, vt dixi, promptæ, & alacris obedientiæ, tam in patre familias, quàm in
l.1.c.12. tota familia exemplum. Ex eo autem quòd Ismaël decimo tertio anno circuncisus est, *Arabes*, vt ait Iosephus, *non octauo die, vt lex præcipit, sed post decimum tertium annum circuncisionem celebrant, gentis suæ authorem imitantes.*

lib.1. NVGATVR autem Diodorus Siculus, & sanè sua ipsius confessione μυθικῶς scri- XX. *Et diuersarum inde gentium.*
bit, cùm ait Iudæos, ritu ab Ægyptiis deriuato, pueros apud se natos circuncidere; idem quoque Troglodytas ab Ægyptiis didicisse scriptum reliquit. Quo nomine
lib.3. Arabas, qui veri Nomades, videtur intellexisse. Et sanè illos mox ad sinum Arabi-
lib.2. cum collocat. Idem de Colchis affirmat lib. primo, mutuatus ab Herodoto; qui addit, Phœnices, & Syros, qui sunt in Palæstina, fateri, se id ab Ægyptiis didicisse; sed confessio hæc aut ficta, aut falsa est, cùm viceuersa id illos à Iudæis in Ægypto tot annis commorantibus hausisse certum sit. Sed de his hæc dicta sunto: nam ad alia nos Moyses vocat, quæ hoc ipso anno gesta esse constat; apparitionem scilicet eorum, qui ad perdendam Sodomam, eiusdémque sceleris cognatas ciuitates proficiscebantur. Id autem ex eo constat, quòd illi ipsi Angeli Saræ partum in annum sequentem pronunciant; sicut paulò antè Abrahæ reuelatum fuerat.

SED meritò quis dubitarit num Abraham rem totam ad vxorem retulerit; XXI. *An Abrahã Dei promissionẽ de filio retulerit ad Sarã.*
promissionem scilicet filij ex ipsa, & mandatam circuncisionem. Et hanc quidem ignorare non potuit, cùm ad tam multas personas pertineret, ex eáque tota domus aliquot diebus ægra decumberet. Illam autem promissionem si à marito iam didicerat, vnde ille risus, rem vt improbabilem, & nouam eleuantis? si non didicerat

quomodo tacebat Abraham vxori rem, quæ sine ipsa confici non poterat? An didicerat, & nō crediderat, vt noua fuerit reuelatione opus? Sed piget Saram incredulitatis arguere, aduersus coniugem, dubiæ fidei reputando virum illum, quem appellabat Dominum, & tanquam Dominum venerabatur; præsertim tam diuturnæ, si hæc apparitio contigit septem, vel octo diebus post circuncisionem, cùm iam Abraham conualuerat, vt ait Del Rio. In re sanè omnem in partem ambigua, existimarim Abrahamum rem istam ad hanc vsque apparitionem tacuisse, siue pudore aliquo retentum, propter multorum annorum desuetudinem, & à vetula, sterilique continentiam; siue quod propter circuncisionis dolorem differre oporteret, siue quod rem totam diuinæ prouidentiæ, quæ *disponit omnia suauiter*, committendam putaret.

[In c. 18.] [Sap. 8. 1.]

XXII. *Apparitio septima, & eximia hospitalitas Abraha.*

NEC ea Patriarchæ desiderium, aut expectationem fefellit. *Apparuit enim ei Dominus in conualle Mambre*, quæ est prope vrbem Hebron, *sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei*. Septuaginta, *sub meridiem*, sub tempus videlicet prandij; expectabat vtique occasionem, vt erga aliquem peregrinum officium hospitalitatis exerceret, & Domino, à quo iam copiosè locupletatus fuerat, fœnerari pergeret; est autem hæc apparitio ordine septima, extra controuersiam tota corporea, atque sensibilis. *Cùmque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum*, [4] videlicet publicam per viam iter faciebant, *quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adorauit in terram*, inclinans se venerabundus vsque ad terram. Vtra mirabilior virtus in tanto viro, & potente, & longa senectute venerabili? Humilitas erga ignotos iuuenes, quales credibile est apparuisse, idem ipsum suspicante Chrysostomo, [5] An charitas, qua incitante non expectauit dum illi vltro se offerrent, & à Patriarcha peterent, vt cibo reficerentur; non misit quempiam famulorum, quos habebat ad manum, vt eos inuitaret ad prandium, non maturo, ac senili gradu processit obuiam, sed festinauit, imò *cucurrit* ad eos, instar adolescentuli, tanquam ingens accepturus beneficium, non daturus, ait Chrysostomus, quem audi.

[4. ℞.] [5. ℞.] [Sept. [illegible]]

XXIII. *A Chrysostomo celebrata.*

TANTOPERE, inquit, *curabat hospitalitatem, vt nollet hospitum venationem cuipiam familiarium committere, sed trecentos octodecim habens vernaculos, homo senex, & nunc decrepitæ ætatis, centenarius enim erat, apud ianuam sedebat.* & infra; *Sed audiamus verba scriptoris ipsius, vt videas in extrema senecta iuuenilem alacritatem, & senem quasi iuuenem exultantem, & putantem se inuenisse thesaurum quendam, hospitum aduentum.* Et mox. *Currit, & volat senex, vidit enim prædam, quam venabatur, & nulla infirmitatis suæ ratione habita, ad venationem cucurrit, & non vocauit famulos, neque imperauit puero, nihil rusticitatis, neque desidiæ præ se tulit, sed ipse cucurrit, quasi diceret, magnus thesaurus est, magna negotiatio, per memetipsum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum,* &c. Ad ipsos autem quos excepturus erat hospites, aut ad eum potius, qui inter cæteros oris, aut cultus dignitate præstare videbatur: *Domine*, inquit, *si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum, sed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore. Ne admireris autem*, ait idem Chrysostomus, *quod cùm tres exceperit, ad vnum se conuerterit iustus, dicens Domine. Fortassis enim vnus illustrior ceteris apparebat, ad quem exhortationem suam conuertit.*

[Homil. 41.] [Homil. 41.]

XXIV. *Ablutio pedum exhibita hospitibus, & conuiuis.*

DEINDE *autem cùm progreditur communem facit sermonem*, ne videlicet vnum tantum inuitare videretur, cæteros negligere, aut vmbrarum instar ducere, *& inquit, sumatur aqua, & lauent pedes vestros*; nimirum famuli, νιψάτωσαν. August. tamen legit, *lauent pedes vestros*: & alibi insinuat eū isto munere functum. Etsi autem in Hebræo & Latino, Chaldæóque est, *lauate*, id tamen passiuè accipiēdum est; sic paulò pòst, *confortate cor vestrum*, id est, confortetur cor, vel confortamini corde. Eodem modo dixit Dauid ad Vriam, *Vade in domum tuam, & laua pedes tuos*, id est, cura lauari à famulo aliquo, vel ancilla. Hoc enim ministerium illis commissum significauit Abigail, quæ electa à Dauide in vxorem dicebat. *Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei.* Scribit Herodotus, Amasim habuisse peluim auream, in qua tam ipse, quàm omnes conuiuæ semper pedes abluebant: non caruit, opinor, rex ille, aut conuiuæ eius seruulo aliquo, qui hoc ministerio fungeretur. Tertullianus. *Et Angeli aliquando tanquam homines fuerunt, edendo, & bibendo, & pedes lauacro porrigendo.* Vult ergo Abraham, vt hospites sui, iuxta morem, patiantur sibi ablui

[q. 34. in Genes. serm. 70. de temp.] [2. Reg. 11. 8.] [1. Reg. 25. 4.] [Lib. 2. p. 177. Græc. Lat. [illegible]] [lib. de resur. car. c. 62.]

pedes. Nec conueniebat vt ipsi peregrini sibi pedes abluerent, vtpote de via fessi, sed domestici. Ad reliquam enim liberalitatem & humilitatem, etiam hanc adiungebant. Vnde Paulus de vidua, *Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit*. Et Christus. *Et vos debetis alter alterius lauare pedes*. Et 7. Lucæ. *Introiui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti*, vt scilicet ablueres, vel à tuis curares ablui, vt respondeat ei quod sequitur. *Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit*. Sic Spiridion apud Sozom. iubet filiam lauare hospitis pedes. Augustinus, *Peregrinos excipite, nec vos pigeat eorum pedes abluere; non erubescat exercere Christianus, quod implere dignatus est Christus.*

1.Tim.5.10. Ioan.13.14. Lucæ 7.44. — l.2.c.11. — t.10. ser.78 de temp.

XXV. *Abrahæ inuitantis modestia.*

ADDIT autem Abraham, humili vt sit oratione deprimens prandium, quod paraturus erat, *Ponámque buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis, idcircò enim declinastis ad seruum vestrum*. Rectè Del Rio, non dicit eos ad se venisse eo animo, vt ab ipso conuiuio exciperentur; sed Dei factum prouidentia, vt ea hora illac iter haberent, qua possent, hospitalitatis eius participes facti, ipsum honorare. Causam ergo appellat, quæ occasio fuit; quanquam reuera idcircò declinauerant, vt excepti conuiuio reliqua facerent, sed id tum ignotum erat Abrahamo. Cùm persuasisset hospitibus, *festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram*, iussitque ex tribus farinæ mundissimæ satis, siue modiis, iuxta vetustiorem Hebræorum mensuram, confici subcineticios panes, placentas videlicet azymas (nam fermentatio lenta est) quæ cito in foco, non in clibano coquerentur. Mirum videatur non fuisse in tanta familia coctum panem. Nimirum vtebatur etiam ipse secundario pane, non sordida vtique parcitate, sed priuato gustu, sicut de Augusto apud Suetonium legimus. Aut, quod in sancto viro magis placet, studio mortificationis. Conuiuis autem candidum dare voluit. Interea *ipse ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero*, coquo scilicet, *qui festinauit, & coxit illum*. Assatum ait Iosephus, *Tulit quoque butyrum, & lac*, lacteam fortassis offam, *& vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis: ipse verò stabat coram eis sub arbore*. An vt ministraret ipsemet potum, & quæcumque opus essent conuiuis?

c.76. — l.1.c.11.

XXVI. *Angelorũ prandium.*

IDONEVM elegerat sub quercu, ait idem Iosephus, locum in feruore diei vento peruium, opacum vmbra, amœna viriditate iucundum. Et apparet Abrahamum iam pransum fuisse, qui sermonum tantum, non etiam mensæ comes fiat hospitibus suis. Nisi placet cum Chrysost. id eius humilitati tribuere. *Neque dignum*, inquit, *semetipsum censuit, qui consideret eis, sed illis comedentibus adstabat ipse sub arbore. O magnitudinem hospitalitatis, ò humilitatis excellentiam, ò mentem oppidò piam! Cúmque comedissent*, aut comedere visi essent, vt Ioseph interpretatur, & Scriptura ipsa, & Theodoretus, & D. Thomas, de referenda hospitalitatis gratia cogitarunt. Non conuerterant cibum in substantiam suam, vtpote incorporei, & expertes potestatis nutrientis; sed illum vi aliqua nobis ignota in aërem tenuissimum resoluerant, eo ferè modo, quo Sol humorem terræ consumit, nec in se conuertit; vt ait hoc loco Del Rio.

Homil.41. — Tob 12.19. — q.69. — 1.p.q.51.ar.1 ad 5.

XXVII. *Repensa ab hospitibus gratia.*

SED quam gratiam referunt? Accersitur Sara, qua ad portam tabernaculi stante, & audiente [6] ait vnus Angelorum ad Abrahamum; *Reuertens veniam ad te tempore isto vita comite, & habebit filium Sara vxor tua*. Hieronymus iuxta veterem interpretationem, quæ dicebatur Italica, sic habet, *Reuertens veniam ad te in tempore hoc, & in hora, & habebit filium Sara, pro hora vitam legimus in Hebræo, vt sit ordo, vel sensus, reuertar ad te in tempore vitæ, quasi dixerit, si vixero, si fuerit vita comitata. hac autem ἀνθρωπομόρφως, quomodo & cætera*. Sic Hieronymus. Chaldæa paraphrasis vitam retulit ad coniuges, ait enim. *Reuertendo reuertar ad te, circa tempus, quo vos eritis incolumes, & ecce filius erit Saræ vxori tuæ*. Vatablus refert vitam ad Saram duntaxat, vt quarto Regum. In septuaginta est, *ad horas*, quod possis interpretari, hac ipsa hora. eodem enim redit ad horas, puta duas tresue post meridiem, quod erat tempus loquentis Angeli. Etsi autem nulla est mentio in Scriptura reuersionis eius post natum Isaac, hæc tamen promissio, quæ magnam asseuerationem habet, de ipsa implera, dubitare non sinit.

6.x. — in qq Heb. — c.4.16.

XXVIII. *Dubitatio, & risus Saræ.*

DE implenda tamen Sara dubitauit, & risit, vires naturæ potius intuita, quàm beneplacitum omnipotentis Dei; quod significat Moyses, cùm subdit, *fuisse ambos*

senes, proueſtaque ætatis, & desiisse Sara fieri muliebria, fluxum scilicet menstruum, qui dicitur necessarius conceptui. Et ipsa mox; *Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo.* quasi dicat, nec vtiliter id facerem, nec decorè; *non eadem est ætas, non meus*; fuit autem *occultus*, id est seorsim, & à tergo conuiuarum, modestus item, ac demissus risus, non cachinnus cum exaltatione vocis, qui probabiliter negari non posset; negauit autem, occultum putans fuisse risum, neque animaduersum. At hospes supra hominem se esse ostendit, vt antè in prodendo nomine Saræ, sic & hoc loco in occultis enunciandis, vt faciliùs de promissione fidem faceret mulieri hæsitanti. *Quare*, inquit, *risit Sara dicens, num verò paritura sum anus? Nunquid Deo quidquam est difficile?* Hæc ille ad reuincendam dubitationem, simúlque significans se diuinæ voluntatis, & iussionis interpretem, cui in promptu sit quod voluerit facere. Ad firmandam autem promissionem eam iterat dicens, *Iuxta condictum reuertar ad te, hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium.* Animosior fuit repetita promissio, & toni seuerioris, adeo vt territa Sara non ausa fuerit culpam fateri, sed perturbata ad negationem confugerit, priorem culpam augens posteriore. Et nihilominùs Angelus, *Non est*, inquit, *ita, sed risisti.* Clemens lib. 6. Str. tamen Alex. *Hoc fuit*, inquit, *Sara risus, cui pueri ortus fuit annunciatus, non quia, vt arbitror, Angelo fidem non habuisset, sed quam rursus puderet congressionis per quam futura erat mater filij.*

XXIX. *Iosephus Scripturæ addit, ac detrahit.* ADDIT autem hoc loco Iosephus nonnulla de suo, nonnulla etiam nimia breuitare præteruolat: hæc enim falsa sunt, & aliena à textu. *Non sustinuerunt amplius simulare, sed fassi sunt se Dei esse Angelos, & quod missi essent, vnus nũciatum de filio, duos vero ad delendos Sodomitas.* Nusquam enim apud Moysem habetur ista confessio, neque causa ipsorum aduentus. Chrysostomus idem ferè dicit. *Statim*, inquit, *hospitalitatis mercedem obtinuit, & didicit quisnam præsens ille esset, & quanta eius virtus.* Quod non est Homil. 42. aliud, quàm Abrahamum id ex eorum verbis collegisse, nõ ipsos se Angelos fassos esse. Quin in eadem potius dissimulatione perseuerant, vno eorum dicente, *Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.* c. 18. 21. Præcedentis autem dialogi magnam partem prætermisit, sicut & sequentis, ad quem nobis deinceps conuertenda oratio est.

XXX. *Abraham deducit hospites.* PERACTO prandio *surrexerunt* hospites de mensa, actisque Deo, & hospiti, de more gratiis, *direxerunt oculos contra Sodomam*, sed & gressus, nam *Abraham simul gradiebatur deducens eos*, aliquantisper vt solent officiosi hospites; Chrysostomus tamen, *In tabernaculo Abraha & Angeli, & eorum Dominus per idem tempus visi sunt; postea* homil. 42. *verò illi quidem, vt ministri, missi sunt ad subuersionem illarum ciuitatum, ipse autem Dominus mansit, & quasi amicus amico, illo communicabat, quaenam facturus esset.* Itáque intellexit Vatablus, qui paulò infra, pro *conuerterunt se, & abierunt*, legit, *conuerterant, & abierant*; sed id non videtur satis consentaneum narrationi, quæ vniuersè de omnibus loquitur, eos consurrexisse, & ab Abrahamo deductos esse. Quomodo autem deduxit eos, si mansit cum Domino colloquens? Hac beneuolentiæ, & honoris exhibitione commotus, qui primas hactenus egerat in hac fabula,

XXXI. *Et futura dicit tri-plices fructu.*
NVM *celare*, inquit, *potero Abraham, quæ gesturus sum;* [7] *cùm* is ad tantum 7. 2.
honorem à Deo euehendus sit, vt *sit futurus* pater maximæ, ac robustissimæ
gentis; *& benedicenda sint in illo omnes nationes terræ* per Messiam, qui ex ipso
oriturus est. Sed hinc etiam triplex emanatura erat vtilitas; prima quod Abra- 1.
ham de causa futuræ animaduersionis èdoctus, illam non fortunæ, aut casui,
vt solent infideles, sed diuinæ iustitiæ attribututus sit, & suos in Dei timo-
re instituturus, vt alieno malo sapiant, & iustè ac sanctè viuant. Altera, quæ 2.
non exprimitur, est vt Abraham impendentem calamitatem præuidens, pro ea
auertenda magno charitatis affectu intercedat, & iustis præbeat in posterum imi-
tationis exemplum. Tertia vt hinc digito tangi possit; quanti Deus iustos fa- 3.
ciat, quantaque in eorum gratiam, erga grauissimos etiam peccatores indulgentia
vtatur.

XXXII. *Clamor Sodomorum.* CLAMOR, inquit, *Sodomorum, & Gomorrha multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* Duæ tantum ciuitates nominantur è quinque, quæ reliquas vt potentia & opibus, ita flagitiis anteibant, vt significat Chrisostomus; &

c. 16. 46. in Ezechiele ponitur Sodoma quasi mater siue metropolis, reliquæ appellantur filiæ eius; clamorem autem habent etiam Hebræi codices, Græci & Chaldæi, quem Tigurina interpretando vertit *famam*, Pagninus *rumorem*, melius, non incongruè; homines enim apparebant, quibus longinquæ res rumore nuncio, non clamore innotescunt, & de ea propria experientia certiores fiunt. at clamor refertur ad Deum, quem Angelus exhibebat, quamuis metaphoricè. Potest tamen clamor accipi pro clara & constanri fama, cum aliqua de re homines non mussitant in angulis, sed clarè & apertè vbique loquuntur, qualis fuit clamor Israëlitarum in Ægypto, quem ad se quoque Dominus peruenisse dicit [8].

Exod. 2. & 3.

8. ✗.

XXXIII. *Retinentur tantisper ab Abrahamo.*

Pergit autem, & indicans Ebron in montanis esse, Sodomam, & reliquas vrbes in regione campestri. *Descendam*, inquit, *& videbo vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non est ita, vt sciam* [9]. Angeli autem (hoc documento dato iudicibus, vt diligenter in crimina inquirant, antequam ad punitionem progrediantur) *conuerterunt se inde, & abierunt Sodomam;* videtur significare Moyses Angelos conuertisse se ad Abrabamum, qui vna gradiebatur, ad ei vale dicendum, & eum remittendum ad tabernaculum suum. Et censent plerique, in quibus Augustinus, & Chrysostomus, quem ante retuli, duos tum abiisse Sodomã, alterum autem ab Abrahamo retentum tantisper, dum pro Sodomitis oraret. Crediderim potius omnes distulisse profectionem, dum Abraham preces suas absolueret. Neque enim consentaneum est, dum Dominus se exorabilem præbet, & sententia est in ancipiti, vt interim ministri (sic vocat duos eorum Chrysostomus) ad pœnam exigendam progrediantur, & Dominus inutilem interea veniam largiatur.

9. ✗.

q. 33. in Genes.

hom. 42.

loc. cit.

XXXIV. *Eius oratio pro peccatoribus.*

Oratio porrò Abrahæ plena suauissimæ, & ingeniosissimæ charitatis, prætextu iustorum seruandorum, vult etiam improbis obtinere veniam. Et primo solis iustis incolumitatem præ se fert se flagitare, puta quinquaginta, si fortè repe riantur, tum delabitur eò, vt propter illos toti ciuitati (putà Sodomorum, quæ præcipua erat, & in qua Lot habitabat) veniam imploret, tum propter quadraginta quinque, tertiò propter quadraginta, quartò propter triginta, quintò propter viginti, denique vsque ad decem deuentum est; quos oportet non esse inuentos Sodomis, sed vnum tantum Lot, cum filiabus, qui propterea inde educti sunt. Infantuli autem quid? ne ipsi quidẽ iusti erant, peccato originis obnoxij, & filij iræ; neque enim patrum infidelium fide, aut sacrificiis dæmonibus oblatis, miselli poterant iustificari. *Abiitque Dominus, postquam cessauit loqui ad Abraham*, & quidem cum sociis, vt modò dicebamus. Sed mox regresso in locum suum Abrahamo, ille, qui Domini personam sustinuerat, reuolauit in cœlum, *Duo* reliqui *angeli vespere Sodomam venerunt.*

XXXV. *Quibus peccatis Pẽtapolita perierint. Libidine.*

In eam priusquam ingrediamur, quænam peccata illam, & socias eius, perdiderint, videamus.

1. v. 50.

Primùm vulgatissimúmque fuit peccatum præposteræ libidinis masculæ; quòd capite decimo nono maximè expressum est, rectius Ezechielis decimo sexto, nomine *abominationum* comprehenditur, propter quod à Sapiente, *Peccatores pessimi coram Domino nimis*, appellati sunt; ab Apostolo Iuda, *exfornicati abeuntes post carnem alteram*, à Chrysostomo, *peccatores prodigiosæ iniquitatis*. Et, *peccatores infandæ, & nullam veniam merentis iniquitatis, excogitatores insolitæ & inauditæ nequitiæ.* A Iosepho, *qui mutuis sese libidinibus incestabant*, & ab aliis aliter, tam nefarium, ac detestabile flagitium appellatur. Quod crimen eò detestabiliùs, quò impudentiùs patrabatur, imò & prædicabatur, & alij alios publicè ad flagitium deposcebant. qualis fuit teterrimi imperatoris, aut monstri potiùs impudentia, qui publicè puerum Sporum, quasi vxorem duxit: teste Suetonio in Nerone, meritóque audiuit. *Benè agi potuisse cum rebus humanis, si Domitius pater talem habuisset vxorem.* Quæ persequi vltra piget, ac pudet. Sed alia etiam peccarunt, vt in tam profundam voraginem præcipites ruerent. Impulit in primis superbia.

Sap. c. 13. 13.

hom. 33.

hom. 42.

l. 1. c. 12.

XXXVI. *Superbia.*

2. v. 49.

Svperbiæ enim ab Ezechiele capite decimo sexto accusantur, & in capite accusationis superbia ponitur. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ Superbia*, &c. Iosephus quoque, *Sodomitæ*, inquit, *diuitiis, & abundantia pecuniarum elati, tam in homines contumeliosi erant, quàm in Deum impij.* Et Philo quem paulò antè retuli-

lib. 1. c. 12.

in lib. de Abram fi.

mus, ait hæc ipsa motos superbia maiore quàm pro viribus animo excussisse iugũ Assyriorum. In pœnam autem fastus, ac superbiæ confusionem, permissos esse diuinitus in hoc barathrum præcipitari subobscurè significat Ezechiel ibidem, (c.16.49.) cùm ait, *Et eleuata sunt, & fecerunt abominationes coram me*. Et Paulus apertiùs, vniuersè agens de superbia Ethnicorum philosophorum, (Rom. 1.) *qui cùm cognoscerent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, dicentes se esse sapientes stulti facti sunt*, propter quod, ait, *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis*.

XXXVII. *Gula.* GVLA tertium peccatum est, quod ab Ezechiele vocatur saturitas panis, id est (3. c. 16. 49.) ciborum copia; & rectè, cognata quippe sunt crimina. Nam, vt ait D. Hieronymus, *Venter mero æstuans despumat in libidinem*; & epistola de custodia virginitatis ad Eustochium, *Post ebrietatem nudatio fœmorum subsecuta est, libido iuncta luxuria, priùs enim venter extenditur, & sic cætera membra concitantur*. Denique libro secundo contra Iouinianum hûc alludens. *Ciuitas Niniue*, inquit, *imminentem iram Domini ieiuniorum miseratione detorsit; quàm & Sodoma placasset, & Gomorrha si voluissent agere pœnitentiam, & lachrymas pœnitentiæ patrocinante conciliare ieiunio*. Et Dominus memorans repentinum exitium Sodomorum, (Luc.17.28.) hûc respiciens, cibi & potus primam mẽtionem facit. ad quæ alludens Hieronymus, (L.2.in Iouinian.) *Timemus*, inquit, *ne ab aduentu æterni iudicis, sicut in diebus diluuij, & euersionis Sodomæ & Gomorrhæ deprehendamur manducantes, & bibentes, & nubentes, & nuptui tradentes: nam & diluuium, & ignis de cælo saturitatem pariter, & nuptias, quas deleret, inuenit*.

XXXVIII. *Abundantia.* ACCVSATVR insuper abundantia, id est luxus in affluentia omnium rerũ, (4.) quæ ad gloriam, & delicias desiderare potuisset, in pingui solo, in amœna planicie, in irrigatione Iordanis, in paradiso Domini: & Iosephus ait eos diuitiis, & abundantia pecuniarum elatos fuisse. Paulus Orosius, (lib.1. c.3.) *Huic vniuersæ regioni bonis male vtenti, abundantia rerum causa malorum fuit. Ex abundantia enim luxuria, ex luxuria fœdæ libidines adoleuere*. Philo quoque explicata soli fertilitate, ait vbi bonis satiati (lib. de Abraham.) sunt, è saturitate, vt solet, natam esse petulantiam.

XXXIX. *Otio.* ADDITVR otium, siue abundantia otij, quòd nequitiæ magistrum agnoscit (5. Eccl.33.29.) Sapiens, & Poëta,

Otia si tollas periere cupidinis arcus.

Et, *Fertilis assiduo si non renouetur aratro,*
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager;
Quæritur Aegysthus quare sit factus adulter,
In promptu causa est, desidiosus erat.

Toti ergo erant in ludis, in deliciis, in conuiuiis, & terra maledicta corrupta est, & abominabilis facta est. Ex hac autem erga seipsos indulgentia nata est

XL. *Inhumanitate.* INHVMANITAS, & duritia cordis in pauperes, iuxta illud Amos, (6. Amos 6.6.) *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Ioseph*. Ergo, & Sodomitæ *manum egeno, & pauperi non porrigebant*. (Ezech.16.49.) Et tamen ante aliquot annos bello afflicti, potuerunt didicisse misericordiam in pauperes, vt Dido,

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Huc pertinet illud Iosephi neque beneficiorum Dei meminerant, & hospites a- (lib.1.c.11.) uersabantur. Vltionis quoque diuinæ imminentis indicium fuit isthæc inhumanitas. Permittit enim Deus vt sint immisericordes, *ne misericordiam consequantur*, ne miseri, & pauperes ab iis subleuati, clament ad Dominum pro ipsis, & mitissimum cor eius ad veniam inflectant, & ipsius iustissimæ iracundiæ se opponant.

XLI. *Iniustitia.* INIVSTITIÆ quoque à Chrysostomo accusantur, quamquam hæc ipsa (7. hom 42.) inhumanitas iniustitia est. Non enim sibi solis diuitias acceperunt opulenti, sed earum partẽ pauperes sibi vendicant, qua iniustè fraudantur. *Non solùm*, ait Chrysostomus, *magna est multitudo clamoris, sed etiam iniustitia*[10]. *Nam quod clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, opinor significare quod cum ineffabili, & veniam nullam* (10. ἀφάτῳ infando.) *merente iniquitate, multas etiam iniustitias alias patrarunt, & insurrexerunt potentiores cõtra inualidiores, ditioresque contra pauperes*; qui scilicet iniustè afflicti clamabant in cœlum, Deum vindicem expostulantes. *Nónne lachryma viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas; à maxilla enim ascendunt vsque ad cælum, &* (Eccl.35.18.) *Dominus exauditor non delectabitur in illis*. Scholiastes quoque in illo Ezechielis loco

ita Prophetam interpretatur, vt eum dicat ostendere ipsis diuitias ex magna iniu-
stiria contigisse, non ex benedictione ac beneficio Dei. Ad eandem iniustitiã per-
tinet quod Iosephus ait eos fuisse in homines contumeliosos, ὑβριστάς, sed addit e-
tiam impietatem in Deum, quam propriam habent & suam cultores idolorum.

8. In peccatum licet in Chananitide commune erat, in Sodomitis tamen hoc e- XLII. *Impietate.*
rat criminosius, quòd coram oculis habebant Lot virum innocentem ac pium; &
vicinos Abrahamum & Melchisedec, vtrumque sibi notissimum, vtrumque virũ
l. 1. c. 11. clarissimum, ac veri Dei cultorem. *His rebus offensus Deus decreuit superbiæ pœnas de*
illis sumere, ait Iosephus, *& regionem eorum adeò vastam reddere, vt posthac nec plantas,*
nec fructum vllum produceret. Hæc ergo crimina Sodomam, sociásque ciuitates in
perniciem egerunt, hæ causæ horribilis deflagrationis, & tragœdiæ, quæ sæculis
cap. 19. omnibus iustissimum incutiat terrorem, eius catastrophem narrat Moyses, osten-
ditque diuina prouidentia factum esse, vt nefarij homines in illos ipsos contume-
liosi essent, quos modis omnibus placatos oportuisset, vtpote quorum manibus
diuina fulmina commissa erant.

ET vice versa Lot nihil minus cogitans, in eos gratiosus fuit, à quibus maxi- XLIII. *Hospitalitas Loti.*
hom. 43. mum accepturus erat beneficium. *Hodie*, inquit Chrysost. *Lot bonum odorem inqui-*
ramus, vt sciamus liquidò quod iustum hunc in tantùm virtutis apicem erexit Patriarchæ
consuetudo, quæ effecit, vt vestigia illius sequeretur, & peculiariter hospitalitatem exerceret.
Venerunt ergo duo Angeli Sodomam vespere, sedente Lot in foribus ciuitatis, & scilicet pa-
trui exemplo præstolante, vt aliquem peregrè venientem hospitio exciperet. Nã
cùm vidisset eos surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terram. Eximia quadam
specie commendabiles fuisse apparet, qui ita dudum ab Abrahamo, & nunc à Lo-
to, tam in primo congressu, quàm in sermonum progressu honorarentur. Iose-
phus vocat adolescentes forma præstantes.

IMPVLSVM etiam internum in vtroque par est confiteri, & opinionem de iis XLIV. *Cuiusmodi existimati hospites isti.*
humano fastigio superiorem, vidit Abraham eos futura prædicentes, arcana ma-
nifestantes, vrbium iudices agentes. Credidit Abraham vel ab vno eorum totam
funditus prouinciam exterminari posse, & ab eo tanquam à supremo quopiam
principe, quem innumerabilis vallaret exercitus, veniam pro reis, infimis preci-
bus postulauit. Quid autem Lot? quoniam de ipso nunc nobis est sermo. Homo
copiosus & grandæuus, erat quippe nonagenarius, non permittit homines ætate
11. χ. iuuenes[11], & aduenas condirione, alienæ charitatis egentes, officio erga se certa-
re priores, sciebat illud Apostoli, *Honore inuicem præuenientes*; nec seuera de more
oratione percunctatur in porta. *Qui genus, vnde domo? pacem ne huc fertis an arma?*
Sed cùm primum eos vidit, *surrexit, & iuit obuiam eis*, quasi plebeius quispiam, ca-
prans aliquam ex peregrinis mercatoribus vtilitatem. *Audiant hæc, qui aduenas oran-*
hom. 43. *tes, & supplicantes, & sedulo se coram eis humiliantes multa inhumanitate auersantur, & re-*
hom. 43. *pellunt*, ait Chrysost. præuenit etiam ne in malum hospitem inciderent. *Propterea,*
inquit idem Chrys. *opinor etiam iustum vsq; ad vesperam sedisse in foribus ciuitatis, ita vt*
ne sineret viatores ignaros incidere in illorum laqueos. Nec eo contentus *adorauit pronus*
12. χ. *in terram*[12], & ad summissionem actioris, adiecit insignem verborum modestiam.

Gen. 19. 2. DIXIT enim, *Obsecro Domini, declinate in domum pueri vestri*, famuli scilicet, *&* XLV. *Colloquium Loti cum Angelis.*
manete ibi, & pernoctate, *lauate pedes vestros*, recipite hospitalitatis officia, *& mane*
proficiscemini in viam vestram. At illi minimè, inquiunt, *sed in platea manebimus.* Ac-
commodant se Angeli ad consuetum hominum morem in recusandis officiis vr-
Ioan. 13. 8. banitatis, vt cùm Petrus aiebat, *Non lauabis mihi pedes in æternum:* nec absurdè se in
platea pernoctare posse ostendunt, videntur enim hæc in æstare contigisse, suprà
enim facta est mentio feruoris diei, qui in reliquis anni temporibus permodicus
est; nec alienum est à iuuenum moribus, noctes sub dio obambulantes traducere.
Non dicunt se cuiuspiam alterius hospitium accepturos; ne istum illi prætulisse
inurbanè viderentur.

LOT autem, qui sciebat neminem esse in tam exectanda ciuitate, ad quem XLVI. *Quos cogit ad hospitiũ.*
possent tutò diuertere; multò autem minus in platea, ab improborum petulantia,
Luc. 14. & contumeliis immunes fore: Non vltra inuitauit, sed *compulit illos oppidò, vt diuer-*
Iud. 19. *terent ad eum.* Vehementi scilicet, & præstanti efflagitatione; qualis fuit discipu-
lorum Christi, & Soceri Leuitæ in libro Iudicum. In Hebræo est, *& vim fecit in eos*

valde, & declinauerunt ad eum; qui negarant se Loti hospitium simpliciter inuitantis accepturos, statuerant acquiescere compellenti, vt necesse non sit mutatam Angelorum voluntatem existimare. *Postea,* inquit Chrysost. *non iam verbis contentus est exhortari, sed & vim facit. Propterea & Christus dicebat, violenti rapiunt regnum cælorum. Vbi enim spirituale affulserit lucrum, tempestiua fuerit violentia, & laudabilis coactio. Et compellebat, inquit, eos, mihi autem videtur & inuitos eos trahere. Deinde vbi viderunt iustum ita feruentem & nolentem desistere, nisi voti compos fiat, declinauerunt ad eum.* Hæc Chrysostomus. Quid plura? ingressi sunt domum, tota cum patrefamiliâs gratulante familia; lauerunt pedes, conuiuati sunt.

hom. 43.

XLVII. *Eo confluunt flagitiosi, & vim parant.*

ECCE *autem priusquam irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsque ad senem, omnis populus simul,* in Hebræo est, *omnis populus ab extremo,* scilicet vrbis, eo enim concurrerant ab extremis vrbis locis. *Summa,* inquit Chrysostomus, *malitia conspiratio, vehemens malè agendi studium, inenarrabilis peruersitatis magnitudo, conatus nulla venia dignus.* Omnis ergo ciuitas *circumfusa ruit, certátque illudere captis.* Vt non mirum sit diuinam patientiam tam truculentarum bestiarum immanitate, atque feritate victam, iustitiæ cessisse. Nondum finis, *vocauerunt Lot,* eúmque nequitiæ suæ, quàm magnis vocibus palam canina impudentia euulgabant, participem esse voluerunt; & hospitij, & naturæ iurium violatorem; in quo impletum est illud Esaiæ, *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt;* vt par erat saltem excæcari tenebris, opera tenebrarum.

hom. 43. — Esai. 3. 9.

XLVIII. *Studium Loti pro hospitibus suis.*

AT bonus hospes pro suis peregrinis sollicitus, negligens sui foras vocatus *egreditur, post tergum occludit ostium,* ne receptum quidem sibi liberum in domum suam relinquens, ne isti Corybantæ in tecta ad hospites facto impetu irrumperent, tum blanda oratione furentes mitigare nititur, paratum se potiùs exhibens ad ferendam domesticam ignominiam, quàm ad iura hospitalitatis atrociore scelere violanda. Nam quod in Latino textu habetur, *Abutimini eis, sicut vobis placuerit,* in Hebræo tectius habetur, *& facite eis sicut bonum est in oculis vestris.*

XLIX. *An peccarit.*

MVLTA lis hoc loco à plerisque Loto intenditur de filiabus oblatis insanis illis, cynedico furore bacchantibus. D. Augustinus culpam non excusat, nec compensationem facinorum admittit, veniam tamen Loti perturbationi tribuit. *Meritò quæritur,* inquit, *vtrum admittenda sit compensatio flagitiorum,* quam planè videtur Chrysostomus admittere, *vel quorumcúmque peccatorum, vt nos faciamus mali aliquid, ne alius grauius malum faciat, an potiùs perturbationi Lot, non consilio tribuendum sit, quod hoc dixerit, & nimirum periculosissimè admittitur hæc compensatio; si autem perturbationi humanæ tribuitur, & mentis tanto malo permota, nullo modo imitanda est.* Sic Augustinus.

q. 42. in Genes. — hom. 43.

L. *Non videri.*

EVM tamen Scriptura non arguit facinoris. Imò D. Petrus ad hunc locum respiciens, *Iustum vocat oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione.* Et Sapiens ait Sodomitas *in foribus iusti subitaneis coopertos esse tenebris,* qui tamen iam filias suas obtulerat, & alio in loco, *Iustum vocat etiam fugientem à pereuntibus impiis.* Constat præterea grauium Theologorum consensu, minus malum habere rationem boni, si cum grauiore malo conferatur. Quòd si nec illi quidem reprehenduntur, qui sicarium exorant, vt mutilet hominem, quem omninò interficere constituerat, non videtur Lot condemnandus peccati grauioris, ac fortasse ne peccati quidem.

2. ep. c. 2. 5. — Sap. vlt. 16. — c. 10. v. 7.

LI. *Elegans Caiet. pro Loto Apologia.*

ITAQVE cum aliis doctis viris valde assentior hoc loco Caietano, cuius hæc sunt verba. *Solutio est, quòd Lot non obtulit filias animo repensandi flagitium flagitio, sed placandi hyperbolica summissione furentem populum. Arbitrabatur enim, & rationabiliter, vt rei probauit euentus, quòd populus non acceptaret huiusmodi oblationem, sed quod placatus tanta submissione ipsius Lot, desisteret à cœpto, & eò rationabiliùs, quod filiæ eius sponsæ erant ciuium Sodomæ;* & quidem, vt apparet, primariorum. *Quemadmodum vir placaturus lacessitum iniuria, pugionem nudum offert, dicendo, interfice me, non animo vt interficiatur, sed vt tanta summissione læsus placetur. Et propterea non declinauit Lot à iustitia in huiusmodi oblatione.* Hactenus Caietanus [13].

LII. *Exemplis Scripturæ comprobatur.*

IDEM etiam Scripturæ exempla confirmant, quis enim accusat Dauidem dicentem Ionathæ, *Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.* Aut Rubem dicentem patri, *Duos filios meos interfice, si non reduxero*

13. ✗. — 1. Reg. 20. 8 — Gen. 42. 37.

illum

Exod. 32. 32 *illum tibi.* Aut Moysem, *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Sic enim ausim, non temerè opinor, eum locum interpretari. Quã porrò vim haberet huiusmodi submissio ad frangendos iratorum animos, intellexit Poëta, dum Achæmenidem ita clamantem inducit,

Æneid. 3.
Spargite me in fluctus, vastóque immergite ponto,
Si pereo, manibus hominum periisse iuuabit.

Et iterum: *Vos animam hanc potiùs quocunque absumite letho.*
Et Sinonem, ——*iamdudum sumite pœnas.*
Æneid. 2. Æneid. 9. Et Nysum, *Me me, adsum qui feci, in me conuertite ferrum O Rutuli.*—— sed redeamus in viam.

LIII. *Illi insanire pergunt, & cæcitate percutiuntur.*

Nihil isti persuasi, insanire pergunt, abscedere à ianua iubent, verbis insultant, peregrinum vocant, iudicem agere criminantur, minas intentant. Denique (vers. 9.) *vim faciebant Lot vehementissimè, iámque propè erat vt effringerent fores. Et ecce miserunt manum viri*, aperto tantisper ostio, *& introduxerunt ad se Lot*, etsi poterant incolumem inter furiosos conseruare, quantumuis illud iactarent, *te ipsum magis quàm hos affligemus*, vtpote quos iam cæcitate percussuri erant, & inhabiles ad ei nocendum reddituri. Sed darum oportuit exemplum vitandi improborum contubernij. Introduxerunt ergo Lot, *clauserúntque ostium, & eos qui foris erant percusserunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.*

LIV. *Qualis esset ista cæcitas.*

Hanc cæcitatem Septuaginta interpretantur ἀορασίᾳ, quæ nullum oculis vitium inferebat, sed ostium videre prohibebat. quam cæcitatem Augustinus, (q. 42. in Genes.) comparat illi, qua affecti sunt, qui quærebant Elizæum, & discipuli illi duo cùm (4 Reg 6 18 Luc. 24.) non agnoscerent Dominum à resurrectione. Verùm hîc Sodomitæ videntur ostium Loti non solùm non agnouisse, sed ne vidisse quidem; eo nullam speciem visibilem ipsorum oculis immittente. Ergo cùm alia viderent, ostium videre non possent, nec suam cæcitatem agnoscerent, ostium frustra quærendo defatigati, vel inuiti quieuerunt, & irrisi, irritíque abierunt. Hanc fatigationem, quæ in Hebræo textu est, verterunt Septuaginta, παρελύθησαν ζητοῦντες τὴν θύραν, quod Chrysostomus videtur intellexisse, quasi membra ipsorum paralysi dissoluta essent, ἐστήκεισαν παραλελυμένοι, sicut cæcitatem τύφλωσιν interpretatur. quòd videtur improbare D. Augustinus, (q. 42.) *Nam meritò mouet*, inquit, *quomodo potuerunt deficere quærendo ostium, si tali cæcitate erant percussi, vt omninò nihil viderent. hoc enim modo sua calamitate turbati, vlterius ostium non requirerent.* Rectiùs igitur fuerit dicere, eos quasi lymphatos circa domum discurrisse, cùm eis ianua, quasi continens paries, appareret, nec eam omninò videre possent, & omninò ira & cupiditate arderent, multo labore fatigatos fuisse, fessósque, re in posterum diem dilata, recessisse. Sed hic quoque verum illud fuit, (Psal. 111.) *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit.*

LV. *An similis Ægyptia.*

Qvoniam verò, de Ægyptiis legitur, (Sap. vlt. 16.) *Percussi sunt autem cæcitate* (ἀορασίᾳ, quasi dicat inuidentia, vt loquitur Augustinus) (q. 43. in Gen.) *sicut illi in foribus iusti, cùm subitaneis essent tenebris cooperti, vnusquisque transitum ostij sui quærebat*, exponit hoc loco Del Rio, cum Ribera, ἀορασίαν, non de solo ostio Lot, sed de omnibus ostiis. *Cætera videbant*, inquit, *ostia non videbant, alienas fores volebant perfringere, dignum erat vt nec suas inuenirent.* (num. 81.) Verùm hæc expositio quæ primùm Riberæ viro in primis erudito placuit, capite primo in Sopho. plus fortasse concinnitatis habet quàm veritatis. Scriptura enim apertè loquitur de foribus Loti, quas perditi illi reperire non poterant, non de foribus aliarum domorum, quarum nulla est hic omninò mentio, & ita hunc locum omnes antiqui Patres interpretantur, vt fusè docet Pererius. De loco autem illo Sapientiæ, Iansenio potius, & Pererio assentior; (num. 18.) existimóque eas tenebras, quibus percussi dicuntur, ad Ægyptios tantùm pertinere, quorum ea nona plaga fuit, non Sodomitarum. Similitérque solos Ægyptios in eas angustias redactos, vt præ tenebrarum densitate, qui extra domos suas deprehensi fuerant, ad eas peruenire, eásque perinde ac si cæci fuissent, reperire non possent. Itaque in prædicto loco Sapientiæ, ea duntaxat verba, *sicut illi in foribus iusti*, quasi per parenthesim clausa, intelligenda, & legenda sunt.

LVI. *Lot agnoscit hospites suos.*

HIS angustiis Lot expeditus opera suorum hospitum, quibus vnis maximè timuerat, non ægrè agnouit eos, quos adhuc homines crediderat, supra homines esse, vt qui senem è media iuuenum turba rapere, & aperta ianua eosdem ab ingressu prohibere, & cœcitate percussos, longiùs abigere potuissent. Chrysostomus ait Angelos hoc tempore seipsos manifestasse, opere scilicet. Nam subdit. *Et quia viderant iustum omne officium suum implesse, suam declarantes potentiam, suppetias ferebant iusto, cui vis fiebat ab illorum insania.* Habes ergo hoc loco agnitionem tragicæ fabulæ. Sequitur περιπέτεια, commutatióque fortunæ. hom. 43.

LVII. *Eiusdem meritum.*

DIXERVNT *autem ad Lot, habes hîc quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias, omnes qui tui sunt, educ de vrbe hac; delebimus enim locum istum, eo quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, vt perdamus illos.* Habes hîc apertum argumentum meriti iusti Lot apud Dominum, quando in eius gratiam, & meritum hospitalitatis, paratus est omnes ei sanguine, vel affinitate coniunctos, siue iustos, siue peccatores, *& ab istorum crimine alienos*, vt ait Chrysostomus ibidem (& credibile est iustum Lot optimos quosque elegisse in generos) ab imminente interitu liberare. Et sanè peccatores fuisse, tam perniciosa negligentia, in quam Deus illos labi, & perire permisit, satis indicat. Vnde idem Chrysost. *Vide quomodo è malo illo fermento erant & isti.* c. 19. 12. Chrysost. hom. 43. ibid.

LVIII. *Et cognatorum negligentia.*

OBEDIT Lot Angelis, & ea ipsa nocte domo egreditur, *Generos adit, qui accepturi erant filias eius*, iubet de lecto surgere, & de imminente clade liberari; at *miseri, quibus vltimus esset ille dies*, ludere illum & iocari, non seriò loqui credentes, salutare consilium aspernati sunt. *Cùm audirent à iusto*, ait Chrysostomus, *terribiles illas minas, quasi subsannabant, & putabant deliramenta esse quæ dicebantur.* Nullam nimirum videbant dispositionem, aut apparatum ad tam vicinã cladem, ideò eum visis quibusdam, aut panico terrore ludificatum putabant, qui nocturnus obambularet, & turbaret aliorum quietem[14]. hom. 41. 14. x.

LIX. *Loti cunctatio.*

LOT infecta re domum redit, & fortasse nonnihil, propter recentia generorum ludibria, de imminente clade subdubitans; fortasse etiam amore bonorum suorum retentus. *Quamuis*, ait Rupertus, *comparatione Sodomorum esset iustus, adhuc tamen à perfecta iustitia minus habens; & minoris fidei quàm Abraham, amœnitate Sodomorum tenebatur, & irriguis penè paradisiacis aruis; & idcircò quasi non satis intelligeret quod dicebatur, cùm percelleretur nuncio instantis periculi, dormitantes oculos, & amore diuitiarum pressos auertebat à lumine præsenti.* Cùm ergo gemina quasi compede præpediretur, fiebat vt lentior redditus cunctaretur, adeò vt penè per vim ab Angelis domo eductus sit; iucunda gratiæ retributione, per vim à Loto inducti erant domum, vt immunes fierent à peccatorum petulantia; nunc vice versa, ab iis per vim Lot educitur, vt immunis fiat à sceleratorum pœna. l. 6. in Gen. c. 10.

LX. *Educitur Sodomis.*

CVMQVE *esset mane, cogebant eum Angeli dicentes; Surge*, an è lecto, in quem se modicum abiecerat, reuersus à generis, an potius idem est quod, Age, accelera, *tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes*, ex Græco, ἃς ἔχεις, aut ex Hebræo, *quæ hîc inueniuntur*; innuit autem hæc oratio alias etiam in vrbe fuisse; nec sine causa supra meminit filiorum, quos fortè habuit, & perdidit in clade ciuitatis, *Ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.* Dissimulante illo, aut cunctante, siue tardante, vt est in Hebræo. at Septuaginta, καὶ ἐταράχθησαν, *& turbati sunt*, nimirum Lot, vxor, & filiæ, vt exponit Chrys. Aquila vertit, ἐμέλλησεν, *cunctabatur*, quòd sequitur Ambr. Scholiastes, ἐστέλλετο, *profectionem adornabat*; vel, vt Tostato placet, *Deum interea pro salute ciuitatis deprecabatur.* Fortè etiam aliquam moliebatur moram, vt aliquid de suis bonis, auro, vel pretiosa supellectile, in futurum vitæ suæ, suorúmque subsidium eriperet incendio. Illi nihilominus *apprehendunt manum eius, & manum vxoris, & duarum filiarum eius, eo quod parceret Dominus illi.* Terni videntur exisse, vno Angelo medio inter coniuges, altero inter filias incedente. *Eduxerúntque eum, & posuerunt extra ciuitatem, ibique locuti sunt ad eum dicentes: Salua animam tuam, noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne & tu simulter pereas.* Gen. 19. 15.

LXI. *Prohibetur retro aspicere, aut subsistere.*

PROHIBETVR Lot, cæterique domestici retro in hac fuga respicere, siue ad significandum summa festinatione opus esse, quæ respectando impeditur; 1.
siue ad maiorem detestationem pereuntium, quos Dominus ne bonorum quidem 2.

virorum aspectu, nedum commiserarione dignarur. Siue ad obedientiæ proba-
3. tionem, quæ in re modica potiùs, quàm in graui cernitur, quando non res ipsa,
sed nuda obedientia hominem in officio continet, siue ad reuerentiam iudicio-
4. rum Dei, quæ humana æstimatione atrocia videntur, quæ tamen minimè curio-
sè inspectanda sunt, & cum Dauide potius demisso capite dicendum, *Iustus es*
Psal. 118. *Domine, & rectum iudicium tuum.* Quas rationes fusiùs prosequitur hoc loco Pere-
5. Num. 21. rius. Addit Abulensis qui primam, & secundam de præcedentibus arrigit, vetari
inspectionem, ne scilicet inordinatè dolerent de rebus quas in ciuitate, agróque
circumposito perdendas relinquebant, quas Deus perire volebat, domos, vil-
las, agros, pecora, seruos, ancillas, famulos, supellectilem, amicos, cognatos,
omnia. Prohibetur etiam in circumposita regione subsistere, quia tota vallis fun-
ditus perdenda erat, in qua erant quinque ciuitates, vt probat nomen Pentapo-
24. 2. leos Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, & Segor, quæ & in Gen. & Deutero-
29. 23. nomio tanquam eiusdem malitiæ sociæ iunguntur.

SED Segor, quæ prius Bala dicebatur, & nomen paruæ, id est Segor, à LXII.
Loto pro ea deprecante sortita est, in extrema erat valle, in aditu montium, *Orat pro*
ad quos clades, quæ valli imminebat, & in lacum vertenda erat, non erat *vrbe Segor.*
peruentura. Cùm ergo Angeli digitum in montes, quo se Lot recipere debe-
bat, intenderent, vidit & ciuitatulam, pro qua orare instituit. *Quæso*, inquit,
Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam
tuam, quam fecisti mecum; vt saluares animam meam, nec possum in monte saluari,
ne fortè apprehendat me malum, & moriar. Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fu-
gere, parua, & saluabor in ea; nunquid non modica est, & viuet anima mea? Vide
artificium; primò vt causam ponat impetrandi, non merita in eos sua, tametsi
non contemnenda, sed meram erga se gratiam, quòd valet ad conciliandos ani-
mos. Deinde vt acceptum beneficium ita prædicet, vt tacitè innuat oportere id
non fieri irritum, ex quo etiam inferat petitionis necessitatem, quia grandæuus,
& ductor mulierum properare, citóque ad montem peruenire non possit, prius-
quam publica eum clades inuoluat. Denique facilitatem impetrandi ponit ob
oculos, quod pro oppidulo roget, sibique ad breuiorem fugam, & salutem ma-
gis expeditam idoneo.

RESPONDET Angelus, *Ecce*, miram rem faciet Dominus in gratiam tui, e- LXIII.
tiam latam sententiam contra oppidum, pro quo rogasti, reuocabit, *etiam in hoc* *Exaudi-*
suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es. Nimirum statuerat, vt *tur.*
notauit Abulensis, non subuertere oppidum Segor, sed interuentu precum Lot,
ideóque eum ad preces fundendas pro ea excitauit, quas si non fudisset, vtique
periisset, aliúdque de ea decretum in diuina mente antecessisset. Ergo quoniam
factus es voti compos, *Festina*, inquit Angelus, *& saluare ibi, quia non potero facere*
quicquam donec ingrediaris illùc, non explicat disertè quid facturus esset, ne eum
terreat & contristet, sed aliam etiam ob causam iubebat festinare, vt scilicet
vehementia motus alias cogitationes excluderet, præsertim de respiciendo
retro. Quòd autem negat se posse, id est velle facere quicquam, antequam
Lot peruenerit ad locum refugij, propterea negat, vt ait Abulensis, quòd
locus ipse, per quem transeundum erat Loto, subuertendus erat, & proruen-
dus in præceps. Et quòd horrendi pereuntium clamores facilè ad respiciendum
induxissent Lotum, cùm eadem clade, in quam incidit vxor eius.

NAM in hoc itinere, cùm iam appropinquarent portis ciuitatis, in ipsis e- LXIV.
ius suburbiis, & iam cœlum vltrices flammas ostentaret, horrendúmque inci- *Interitus*
perent mugire tonitrua, mulier quæ progrediebatur lentiùs, & gressu prope- *vxoris Lot.*
rabat anili, victa curiositate muliebri, conuertit se retrò, vt videret finem, &
horribile spectaculum tantisper oculis vsurparet, cùm statim conuersa in sta-
tuam salis, celeres inobedientiæ, & curiositatis pœnas dedit. Loto interea
cum filiabus vrbem properè subeuntibus, nec cladem domesticam animaduer-
tentibus. LXV.

EANDEM mulierem Sapiens, incredulitatis accusare videtur propter quam *Et qua ex*
c. 10 7. in figmentum salis conuersa sit, in posteritatis memoriam sempiteroan & *incre-* *culpa, insi*
dibilis animæ memoria stans figmentum salis, ἀπιςούσης ψυχῆς μνημεῖον ἑςηκυῖα ςήλη ἁλός. *delitatis ne.*

ecce tibi ignea pluuia, ex sulphure, seu piee & sale liquatis, qua domus, qua
plateæ, qua viei omnes, qua agri planicies que campotum inundantur, & exu-
runtur; hoc cuncta consumuntur animalia, hoc supellex vniuersa in cinerem
vertitur.

NVLLVM iã pereuntibus hominibus, in aquis, nullũ in ferro, nullũ in fuga LXX.
nullũ in cauernis terrę perfugiũ, sulphuris fluuiusomnia loca peruadit, omnia ar- *Hominum*
dore tabefacit, & vbique teterrimã flãmam cum fumo exhalans, omnem præclu- *pernicies.*
dit exitum fugæ. Hoc miseri torrentur incendio, & membris fœdè truncati, vstu-
latique interimuntur; sed antequàm tarraro exhalent animas infœlices, non pue-
c. 19. 4. ros modò, & senes, qui & ipsi domum Loti libidine prurientes obsederant, sed
mulieres etiam, & vtriúsque sexus infantes miserè eiulantes, omnibus iam mem-
bris concepto incendio, in parentum oculis, complexúque pereuntes vi-
dent; & præ dolore ardentium plagarum voeiferantes, sieut ipsorum pecca-
ta, quorum clamor cælum ipsum pulsabat, exululantes blasphemantésque in-
tereunt. Ditum incendium, quo non domorum tigna, trabésque, sed totæ
syluæ in fauillas abeunt, metalla liquantur, & riuis fluunt; lapides in calcem
cinerésque vertuntur, terra ipsa lateritio more excoquitur, & in piceas com-
2. Pet. 2. 6. mutarut glebas. Nam Petrus, *Ciuitates*, inquit, *Sodomorum & Gomorrhæorum in
cinerem redigens, euersione damnauit. Et Abraham*, teste Moyse, *vidit ascendentem*
Gen. 19. 28. *fauillam de terra, quasi fornacis fumum.* Et quarto Esdræ, *Gens mala memorare quid*
2. 8. *fecerim Sodoma & Gomorrha, quorum terra iacet in piceis glebis, & aggeribus cinerum.* Et
10. 7. Sapientiæ 10. *Hac iustum à pereuntibus impijs liberauit fugientem, descendente igne in
pentapolim, quibus in testimonium nequitia, fumigabunda constat deserta terra.* Et rur-
Deut. 29. 23 sum Moses, *Sulphure, & salis ardore comburens, ita vt vltra non seratur, nec virens quip-
piam germinet.*

ALTERVM instrumentum Sodomiticæ cladis est subuersio ciuitatum, quæ ab LXXI.
imo terræ facta est, vt contra insensatos, & cœlum, & terra pugnaret; qui cæ- *Alterũ in-*
lum peccatorum suorum clamore fatigarant, & terram detestabili, diutúrnaque *strumentũ*
nequitia fœdè polluerant. Intelligo *subuersionem* quam toties Scriptura inculcat, *cladis.*
quasi ex inferiore, & subiecto loeo factam euersionem, per ingentes terræ motus
terra vastis hiatibus discedente, & in profundum abeunte, & aquis subterraneis
q. 69. eius locum subeuntibus. Nam & terræ hiatus in hac subuersione Theodoretus,
memorat, & Strabo lib. decimo sexto ex indigenarum relatione per manus acce-
pta scribit, *Terra tremoribus, & ignis, aquarúmque calidarum, ac sulphurearum eruptione
extitisse lacum, saxa ignem concepisse, vrbium alias absorptas, alias ab ijs quicunque fugere
potuerunt, derelictas.* Atque ita terra cum habitatoribus suis abiit in perditionem, &
Psal. 106. eius vicem subiit lacus salsus, quo videtur allusisse Dauid, *posuit terram fructiferam
in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.* Erat enim antea illa regio quasi paradisus
Domini, & facta est monimentum vindictæ Domini.

HABET porro locus ille à sulphure fœtorẽ, & amaritudinem tantã, vt propte- LXXII.
rea nullus ibi piscis innascatur, vt refert Arist. in Meteoris. Tacit. autẽ, *Lacus immẽ- Status præ-*
lib. 5. *so ambitu specie maris, sapore corruptior, grauitate odoris accolis pestifer, neque vento impel- sens lacus,*
litur, neque pisces, aut suetas aquis volucres patitur.* Ex quo Egesippus, *Aquã ipsa amara, fœtor, &*
li. 4. c. 18. *& sterilis, nihil recipiens generum viuentium. Denique neque pisces, neque assuetas aquis, & amaritudo.*
letas mergendi vsu, patitur aues. Hoc ex vitio mare mortuum appellatur. Pausanias quoque
in Eliacis νεκρὰν θάλασσαν appellat: à sale autem de cælo lapso, & cum illis aquis cõ- *Salsedo.*
in c. 3. v. 16. fuso, magnam habet salsedinem, vt propterea à Scriptura non mare salsum, sed
cap. 2. v. 9. mare salis, & mare salsissimum octies appelletur. Putat Masius, posse nomen ha-
bere à fodinis salis, quæ illis locis mansere, & in Sophonia, memorantur; vbi pro
siccitate spinarum, & aceruis salis, ipse vertit, *promptuarium spinarum, & fodina
salis.*

HABET & grauitatem tantam, vt terrenis rebus ponderosior ipsis perpetuò sub LXXIII.
esse velit. Strabo qui hunc, *Serbonis lacum* appellat, errore pro Asphaltite, vt pla- *Grauitas.*
in c. 3. Ios. cet Masio, *Profunda*, inquit, *& grauissima est eius aqua, vt vrinatores in eo locum non
v. 16. habeant.* Nam qui vmbilieo tenus in eum procedit, mox extollitur: hoc [m]irum
l. 5. de bel. c. est à Iosepho tribui leuitati. *Asphaltidis lacus*, inquit, *salsus quidem ac sterilis est, nimia
5. verò leuitate, etiam quæ grauissima sunt in eum iacta fluitant.* Verum id, ô bone, grauita-

tis signum est. Oleum enim super aquam fluitat, quia oleum leuius est, & aqua
grauior. Pergit, *Demergi autem quis in profundum nec de industria facile potest, denique*
Vespasianus, qui eius visendi causa illùc venerat, iussit quosdam natandi inscios, vinctis post
terga manibus in altum protici; & euenit omnibus tanquam vi spiritus sursum repulsos desu-
per fluitare. Cautior Egesippus loco citato, qui eadem ex Iosepho referens, causam
neque leuitati ascripsit, neque grauitati. Cautior & Tacitus, *Superiecta*, inquit, lib. 5. hist.
incertum vnde, vt solido feruntur, periti imperitique nandi perinde attolluntur. Certum ta-
men videtur id ex aquæ grauitate oriri, vt quæ maxima ex parte liquato sale, sul-
phure, argento viuo, bitumine, quæ sunt omnia grauissima, referta sit. Addit de l. 5. c. 5. de bel.
Color. colore aquæ huius Iosephus, *Ter in die solis radijs percussam colorẽ mutare*, quod Ege- lib. 4. c. 18.
sippus fabulosum putat, aitque obscuriorem esse ceteris aquis, & quasi adustæ
præferre similitudinem; scriptores quoque recentiores, qui visa scribunt, aquas
spissas, sordidas, fœtidas, amarissimas tradunt.

LXXIV. *Lacus & vicina Regio deserta.* POSTREMÒ lacus propter inutilitatem desertus est, eámque ob causam di- Deut. 4. 49. Iosue 3. 16.
citur mare solitudinis; nulli enim vsui est nisi, *eiciendo bituminis, quod crebrò e-*
ructat, cum fumosa fuligine, vt ait Strabo. In cuius littore se puteos bituminis Itiner. 6
aspexisse scribit Brocard. Et tamen Iosephus, incendio Sodomitico periisse l. 1. ant. c. 9.
docet. *Castrametati sunt*, inquit, *in valle puteorum bituminis: tunc enim putei fue-*
rant in eo loco, mox verò Sodomis deletis, lacus ibi, quem à scatenti bitumine Asphalti-
dem dixere, repente extitit. Cui credemus? Ergo cur fidem abrogem Brochardo
non habeo, habeo cur Iosepho abrogem. Sed maximè quod loca circumpo-
sita vertit in solitudinem, *Quia post memorabilem*, inquit Masius, *omnibus sa-*
culis quinque vrbium deflagrationem loca circumquaque vicina tetro virosarum aquarum
vapore & halitu, quali illa perpetuò fumant, ita continuò inficiuntur, vt penitus steri-
lia, atque hominibus, simul & pecudibus alendis infesta sola maneant. Tacitus quo-
que, vt retulimus, ait *eum lacum grauitate odoris accolis esse pestiferum.* Et infrà.
Haud procul, inquit, *inde campi, quos ferunt olim vberes, magnisque vrbibus habita-*
tos, fulminum iactu arsisse, & manere vestigia, terrámque specie torridam, vim frugi-
feram perdidisse. Fœtoris etiam eminus effusi testis est Strabo, & corrupti aëris
cuius iudicium est ærugo, quàm æri, argento, & nitidis, ac tersis omnibus
inducit, sub id tempus quo bitumen eructat. Vicinas etiam terras afflatas in- l. 2. de vita Mos. in fin.
cendio scribit Philo, *Extant* inquit, *in hodiernum vsque diem monumenta cladis il-*
lius inenarrabilis, ostenduntúrque ruina in Syria mixta cinere, fumo, sulphure. Lam-
bentibus hæc interdum flammis tenuibus, sicut fit in reliquiis incendij. His non
dissimilia habet Strabo. *Esse autem ignem in solo regionis eius, multis etiam aliis* lib. 16.
signis docent, Nam & petras asperas exustas circa Moasada ostendunt, & multis in lo-
cis exesas cauernas, & terram cinerulentam, & picis guttas è petris distillantes, &
flumina fœtore eminus edito efferuescentia, & habitationes passim euersas, & cet. Quo-
rum fides sit apud auctores. Addamus & loci spectatorem Brocardum, *Ma-* num. 30.
re, inquit, *mortuum semper est fumans, & tenebrosum, sicut os inferni, sicut oculis* num. 24.
meis vidi ob tetrum vaporem inde fumantem. Vallis dicta quondam illustris, &c. Quæ
apud ipsum vide, refert etiam Peterius, & Torniellus.

LXXV. *Qualesetius regionis fructus.* HOC ipsum diuinæ vltionis monimentum in plantis animaduertitur, vt l. c.
plerique prodidere. Tacitus. *Cuncta sponte edita, aut manu sata, siue herba tenus*
aut flore, seu solitam in speciem adoleuere, atra & inania velut in cinerem vanescunt.
Solin. *Apud quæ oppida pomum gignitur, quod habeat speciem licet maturitatis, man-* cap. 48.
di tamen non potest. Nam fuliginem intrinsecus fauillaceam ambitio tantùm extima cu-
tis cohibet, quæ vel leui tactu pressa, fumum exhalat, & fatiscit in vagum puluerem.
Egesippus, *Spectes illic ad speciem poma viridantia, formatos vuarum racemos, vt e-* l. 4. c. 18.
dendi generent spectantibus cupiditatem: Si carpas fatiscunt, ac resoluuntur in cinerem,
fumumque excitant, quasi adhuc ardeant. Iosephus, *Denique adhuc in ea diuini reli-* l. 5. c. 5.
quias ignis, & oppidorum quinque videre licet imagines, & renascentes in fructibus ci-
neres, qui colore quidem sunt edulibus similes, carpentium verò manibus in fumum dissol-
uuntur, & cinerem.

LXXVI. *Ex Scriptura.* QVÆ ipsa obscurius habentur Sapientiæ 10. *Fumigabunda constat deserta ter-* 10. 7.
ra, & incerto tempore fructus habentes arbores: in Græco legitur, vt notauit Ian-
senius, ἐκ ἀπλέον ὥραις καρποφοροῦντα φυτά. Id est, *Et imperfecta*, vel incon-

summata, *pulchritudine, & maturitate fructificantes arbores. Non enim hic ὥρα tempus, sed pulchritudinem, & maturitatem significat, unde ὡραῖος, pulcher vel maturus.* Sic ipse. Quod verò vuarum meminit Egesippus, & Tostatus boc loco, e-
Deut. 32. 32 tiam φυτῶν, & plantarum nomine comprehenduntur, & videntur confirmari illis verbis Mosis. *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ; vua eorum vua fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile*, Quamquam satius sit hæc in morali sensu accipere, vt sumit Iansenius, Caiet. & alij, & ante eos Philo in lib. de temulentia sub finem, vbi nonnihil de hac clade, sicut & in fine libri secundi de vita Mosis.

LXXVII. *Quandiu durarit incendium.*

QVANTVM durauerit boc incendium, quantóue tempore subuersio facta
c. 4. 6. sit, non satis constat. Etsi enim hæc penè momento fieri potuerunt, & Ieremias in Lament. dicat, *Sodomam in momento subuersam*, aliquot tamen horis durasse supplicium credibile est. Nam pluuia nec tota simul decidit, nec momento, sed per partes, & necessariò aliquam temporis exigit moram; vt quamuis ignis maxima polleat agendi celeritate, celerius tamen agit, cùm ex imo sursum erumpit, quàm cum ex alto vibratur in præceps, quia alterum secundum naturam est, contra naturam alterum. Deinde dum recta flagrarent igne concepto, probabile est, dum ad remedia curritur, aliquod tempus in luctando consumptum esse, donec magnitudine mali, remedia omnia victa, atque irrita reddita sunt. Denique valuit mora ad pœnam, eiusque causam agnoscendam, & crimina per pœnitentiam dete-
Gen. 19. 27. standa. Cæterum ex eo quòd *Abraham mane consurgens*, & ad locum veniens, quo deduxerat Angelos, non *videt* descendentem pluuiam, sed *ascendentem fauillam*, colligitur exiguo tempore durasse, vt notauit Caietanus; in magna tamen copia fuisse, vt pote extensam per totam illam planiciem, & sufficientem non solùm ad comburenda omnia, sed etiam ad impediendam habitantium fugam, quos omnes consumptos fuisse Scriptura testatur. Nec Ieremias contra nos facit, nam momentum non semper temporis punctum significat, sed laxius sæpè vsurpatur, vt cùm vocamus hanc vitam, *Momentum vnde pendet æternitas.* Atque Propheta, *Sodomam momento subuersam*, comparatione Ierusalem, quæ longa obsidione prius afflicta est, quàm vastaretur, quam obsidionem significant illa verba, quæ subduntur, *Et non ceperunt in ea manus.* Vt ibi Vatab. Christoph. à Castro, aliique explicant.

LXXVIII. *Quàm iusta & conueniens pœna Sodomitarum.*

1. IVSTO ergo Dei iudicio, vt hoc quasi Epitaphio peccatores turpissimos sepe-
2. liamus; iusto, inquam, Dei iudicio nouo & inusitato supplicio nouorum & inauditorum scelerum rei perierunt; & qui scandalo fuerant omnibus in crimen, om-
3. nibus exemplo facti sunt in terrorem. Clamor peccatorum ascendebat in cælum
4. vindictam petens, pœnam à cœlo descendentem accepit; igneus libidinis fluxus,
5. ignea pluuia restinctus est; & pluuia contra ordinem naturæ facta est, ad punien-
14. Mor. c. 16. da peccata contra naturam. *Cùm Dominus*, ait Greg. *carnis Sodomitarum scelera punire decreuisset in ipsa qualitate vltionis, notauit maculam criminis. Ignem enim, & sulphur pluisse Dominum narrat Scriptura: Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad peruersa desideria ex carnis fœtore arserant, dignum fuit vt simul igne & sulphure perirent, quatenus ex iusta pœna discerent, ex iniusto desiderio quid fecissent.* Sic ipse.

LXXIX. *Eadem conuenientia.*

6. Infamia abominandæ nequitiæ omnem circa regionem replebat; sulphureus fœtor, quo circum afflatur aër, & terra vicina, omnē circa regionē desertā reddidit.
7. Terra sordibus immunditiáque inquinata fuerat, eadē succussione, & tremore suo
8. sordes excussit, & in aquas mersit. Omnes à puero vsque ad senem pestiferæ nequitiæ participes erant, omnes ad vnum horribili deflagratione consumpti sunt; & quia nefando peccato naturalem hominum propagationem impediebant, ne vnus quidem de tot populis superfuit (nam Lot Chaldæus erat genere) qui tam
9. scelestorum hominum genus propagaret. Diuturna abundantia & fertilitas terræ luxum & luxuriam inuexerant, etiam ipsa æterna sterilitate, & solitudine damnata est, & fumus ex aquis, & vapor pestilens erumpit, in signū quod, *Fumus tormen-*
Apoc. 14. 11 c. 1. 7. *torum eorum ascendet in secula sæculorum.* Nam vt ait Iudas Apostolus, *Sodoma & Gomorrha & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.*

LXXX. *Spectaculū Sodomorū desertum Abrahæ.*

SED hic fumus nos ad Abrahamum deducit, quem non minus tristem, quàm

follicitum reliquimus pro Sodomitis, apud quos nepotem habebat Lotum, cum multa familia, sed Dominus noluit irritas sancti Patriarchæ preces. *Abraham ergo consurgens mane*, ad eum locum venit, ex quo descensus erat ad Sodomitas, & apertus in totam illam vallem prospectus; ad quem locum comitatus fuerat hospites suos, denique *ibi* orans pro *peccatoribus steterat prius coram Domino. Intuitus* autem *Sodomam, & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius, vidit ascendentem fauillam de terra, quasi fornacis fumum.* (c. 19. 28.) Vocat fauillam fumum flammæ permixtũ. ad huc enim durasse incendium significant Septuaginta: quẽ enim Hebræus dixit vaporem, Chaldæus fumum, ipsi flammam vertunt. Fumo ergo cum flamma exundãte, & aërem, terrásque obscurante fiebat, vt non satis discerni posset quis esset vrbium, & regionis status, quem tamen luctuosum esse constabat. Nihilominus, (16. 29.) *Cum subuerteret Dominus ciuitates regionis illius, recordatus Abrahæ,*[16] *liberauit Lot de subuersione vrbium, in quibus habitauerat.* An habitarat in pluribus? Nusquam facta mentio nisi Sodomorum. Varablus explicat, *in quibus*, id est, in quarum vna.

LXXXI. *Lot migrat de Segor.* SVB idem tempus, *ascendit Lot de Segor*, timore perterritus vicinitatis; quod eo quoq; fauilla, & terræ motus, qui reliquas vrbes subuertebant, peruenirent, memor Angeli, qui prius eum iusserat in monte saluum fieri, quàm de Segor assentiretur. *Ascendit in montem cum filiabus suis*, & nactus speluncam à diro spectando auersam, in eam se abdidit. Hunc locum paucis explicat Hierony. non sine Loti accusatione. (in trad. in Gen.) *Quæritur*, inquit, *quare cùm primùm fuga montis, Segor prætulerit, & eam in habitaculum suum voluerit liberari, nunc de Segor rursum ad montem migret? Respondebimus, veram esse illam Hebræorum coniecturam de Segor, quod frequenter terræ motu subruta, Bale primùm, & postea Salissa appellata sit, timueritq; Lot, dicens; Si cùm cæteræ vrbes adhuc starent, ipsa sæpe subuersa est; quantò magis nunc communi ruina non poterit liberari? Et hanc occasionem infidelitatis, etiam in filias coitus dedisse principium. Qui enim ceteras viderat subrui ciuitates, & hanc stare, seque Dei auxilio erutum, vtique de eo, quod sibi concessum audierat, ambigere non debuit.* Sic Hieron.

LXXXII. *An Segor perierit.* SI verum esset quod scribit Theodoretus, quo tẽpore aliæ vrbes incendio peribant, habitatores Segor terræ hiatu absorptos esse, iustissimus sanè fuisset timor, (q. 69. in Genes.) & cadens in constantem virum: at id ex proximis Hieron. verbis refellitur, & Angelorũ promissioni repugnat, & fundamentũ ab etymologia petitum, quo Theodoretus nititur, quasi Segor terræ hiatum significet, ruinosum est; id enim vox Bale significat, quam Hierony. deuorationem interpretatur, non Segor, quam paruam interpretantur. Verùm pro Theodoreto facere videtur, quod mox sorores inter se colloquentes dicunt, *nullum virorum remansisse in terra*; at Segor, ex qua paulò antè fuerant egressæ, multos habebat habitatores, itaque nullam habet ea ratio probabilitatem, nisi eos quoque perijsse dicamus. Respondet Caiet. quod pater timuit futurum, leuissimam mulierẽ mentem iudicasse iam euenisse, eandémque calamitatem mundum totum, sicut olim diluuium, occupasse, nec patrem super ea re consuluisse, sed temerarium sibi consilium stultè accepisse, & stultius impleuisse.

LXXXIII. *Facinus filiarum Lot.* PORRÒ in digressu ab vrbe Segor, ea secum abstulerunt, quæ ad vitam aliquandiu tolerandam necessaria erant, vt patet ex vino, quo biduo saltem vsæ sunt, quoque parentem obruerunt, specie consolandi, & exhilarandi eum in tantis cladibus, & tanta rerum omnium iactura: vt placet Theodoreto, & Chrysostomo, & (q. 69.) Origeni. Nec est necesse curiosius in hoc lubrico versari; sufficiunt quæ à Moy- (Hom. 44.) se satis perspicuè traduntur, & à Pererio propria hac de re disputatione. Dico tã- (Hom. 5.) tùm ex communiore Doctorum sententia, neque patris ebrietatem, neque filiarum ignorantiam, à culpa excusari posse. Intelligebant enim se rem flagitiosam ambire, quam à patre, nisi ebrietate victo, videbant se obtinere non posse: & diuinitus in pœnam præcedentis diffidentiæ, fuisse permissam, vt ex Hieron. paulò (In trad. Hebr.) antè dictum est.

LXXXIV. *Migratio Abrahæ in Palæstinam eiusque causa.* NONVM rerum hoc anno gestarum finis, reliqua est enim Abrahæ peregri- (N. 81.) natio in Palæstinam; cuius causam cùm Moses non expresserit, occasionem dedit coniecturis. Hebræi, vt refert Abulens. migrasse putarunt, vt alibi exerceret hospitalitatem, quæ defectura videbatur subuersa regione Sodomitica; frigidè, erat enim Hebron ad quam habitabat Abraham vrbs celebris, & frequens, & satis

2. 3. distans à Sodomis. Pererius probabiliter existimauit eam famem hoc anno in hac regione contigisse, cuius est mentio initio cap. vigesi. sexti, eiúsque declinandæ gratia, ad Gerara Palæstinorum esse profectum. Alij existimarunt, vt idem refert, inde emigrasse ad vitandam graueolentiam, & aëris insalubritatem, ex Sodomitico lacu emanantem. Verùm id parum probabile redditur, cùm satis constet eum locum perpetuo valdè cultum fuisse, & Regum, & Ducum, & Patriarcharum temporibus, vt sequens tradit historia; nec traditur vlla facta in eo lacu mutatio.

EGO sanè crediderim non aliam illi migrationis causam fuisse è loco, in quo & gloria, & diuitiis, & beneuolentia, ac fœdere incolarum florebat, quàm diuinam iussionem, quæ illius virtutem exercere, & peregrè vitam ducere volebat; quod non obscurè significat Chrysostomus, cùm ait, *Eum aliquando in Bethel figere tabernacula, aliquando autem apud quercum Mambre, aliquando in Aegyptum descendere, nunc autem in Geraris tabernacula collocare, & omnia facilè sustinere, vt gratitudinem erga benefactorem, & obedientiam erga Dominum suum per omnia manifestè declaret.* Cùm ergo tota Patriarchæ peregrinatio ab exitu de Vr Chaldæorum, vsque ad mortem ex Dei nutu, & directione penderit, etiam hanc oportet illi ascribere, qui primùm illi dixit, *Exi de terra tua.* Præsertim cùm hæc commoratio in Geraris diuturnior futura esset; volebat autem Dominus non solùm merita eius augere, sed diuersis populis sancti viri virtutem, & pietatem in veri Dei cultu, in exemplum proponere. LXXXV. *Vera causa.* (hom. 45.)

EST autem credibile Abrahamum plenum fidei feruore, & obedientiæ promptitudine, ei obsecundante Sara, ante digressum ex Hebron filium promissionis Isaac genuisse, eodem tempore quo filiæ Lot ex parente, Moabitarum, & Ammonitarum auctores conceperunt. Anticipauit enim Moses natiuitatem eorum referre cum conceptione, quia illic Loti, & filiarum eius historiam terminabat: Del Rio quoque scribit paucis post discessum Angelorum ab Abrahamo diebus Saram concepisse. Nec satis probabile arbitror quod habet Procopius, Saram decursu trium mensium spatio post promissam sobolem, concepisse. LXXXVI. *Conceptus Isaac, Moab, & Ammon.* (in 20. Gen.)

PROFECTVS ergo est Abraham ex conualle Mambre, siue ex quercu Mambre, de qua in hoc digressu dicam quæ habet Hieronymus. *Drys id est quercus Mambre iuxta Chebron, in qua vsque ad ætatem infantiæ meæ, & Constantij regis imperium, terebynthus monstrabatur peruetus, & annos magnitudine indicans, sub qua habitauit Abraham. Miro autem cultu ab Ethnicis habita est, & velut quodam insigni nomine consecrata.* Hæc refert Hieron. non affirmat. Et sanè valdè paradoxon est arborem vnam tot sæculis durare posse. Nam cùm sub ea habitaret Abraham, annosam iam esse oportebat, & supparem ætati eiusdem Patriarchæ. Atqui ab illius ortu vsque ad Hieronymi infantiam penè bis mille, & quadringenti anni numerantur. Hinc ergo digressus est in terram australem, Ægyptum versus, & habitauit inter Cades, & Sur, & peregrinatus est in Geraris. quem locum describit Hieronymus [27]. LXXXVII. *Quercus Mambre eiusque vetustas.* (in loc. Heb. lit. D.) (forte nomine.) (in locis Hebr.) (27. x.)

BREVI porrò compendio Moses narrat hunc aduentum, & transmigrationem Abrahæ in Gerara, vbi cùm diutiùs manere statuisset, & haberet copiosam familiam, exigit ratio, vt fateamur, quoniam in paruulo regno, tanquam peregrinus aliquis, latere non poterat, nec iniussum & improuisum, in alienos fines adire, & penè irruere conueniebat: exigit, inquam, ratio, vt fateamur missum esse ad Abimelech regem ab Abrahamo legatum, oraturum, vt liceret ei, bona cum eius venia, in eius regno, sine cuiusquam iniuria commorari. Eam orationem regi pergratam fuisse non parum probabile est, quippe qui frequenti fama accepisset (neque enim ab Hebron ad Gerara maior est quam quatuordecim horarum iter, si tabulis Adrichomij fidem habeamus,) qui vir, & quantus esset Abraham, quanta probitate, fortitudine, opibus. Existimauit ergo eius commorationem, & sibi decoram, & regno fructuosam fore. Itaque respondit perhumaniter, per sibi gratum, pérque iucundum eius aduentum fore. amicitiam autem, ac vitæ consuetudinem, etiam gratiosiorem. Veniret ad se ad vrbem regiam, cum illic, non quasi subditum, sed instar germani fratris habitaturum. LXXXVIII. *Aduentus Abrahæ in Gerara.*

CREDIDIT Abraham, venit ad Regem cum Sara vxore, cum Ismaële filio, & præcipuis aliquot domesticis suis, tota paulatim subsequente familia, sed suum illud antiquum seruauit, vt Saram non vxorem diceret, sed sororem*, iisdem ex LXXXIX. *Qui exceptus fuerit.*

causis, quibus in profectione Ægyptiaca, ante annos quatuor & viginti, commotus fuerat ad eandem dissimulationem. Aduenientem beneuolè accipit, & amicè inuitat ad commorandum, & post alia familiariter requirit, quæ esset mulier, quam habebat comitem, cui Abraham, *Soror*, inquit, *mea est*. Hoc initium narrationis Mosis de rebus gestis in Geraris probabilem præcedentem narrationem facit, vt intelligatur quomodo Abimelech Saram viderit, sororem hospitis esse didicerit, eámque vxorem habere desiderarit; ratus eam affinitatem Abrahamo gratam, & gloriosam; sibi etiam fructuosam fore, quòd ea sibi Abrahamum deuinciret, hominem sapientem, & opulentum, regnóque, vt dixi, non indecorem. Ex quo non incongruè tolli posse arbitror communem illam de Sara, vel dubitationem, vel admirationem. Nam si ante viginti quatuor annos mirum fuit Saram sex & sexaginta annos natam tanta pulchritudine præstitisse, vt à Rege Ægyptio in coniugium quæri posset, quanto id nunc admirabilius in nonagenaria? Et tamen Augustinus, *Magis*, inquit, *forma illius vis miranda est, quæ adhuc adamari poterat, quàm quæstio difficilis putanda.* 18.x. q. 48.

XC. *Cur desiderata; à rege.* DICENDVM enim videtur eam à rege Abimelech, non pulchritudinis, sed affinitatis causa desideratam, atque acceptam fuisse. Solent enim principes ambire matrimonia, quibus potentiores fiant; cùm alioqui non desint eis mulieres, pulchritudine præstantes in regnis suis. Itaque nulla hoc loco fit mentio pulchritudinis Saræ, quæ tamen in Ægyptiaca illa peregrinatione celebratur. Optauit Saram Abimelech, vt matronam venerabilem, vt regendæ familiæ peritam, quam credidit vtique viduam: eam enim ætas suspicionem meritò dare potuit, deniq; vt forma præditá, quæ præteritam pulchritudinem facilè testaretur: sed, quod caput erat, Abrahæ sororem optauit, vt Abrahamum haberet fratrem, id est commilitonem in bello, si res tulisset, eximium bellatorem. In pace consiliarium, antiqua probitate & prudentia virum: in rerum penuria cognatum, cuius essent opes minimè contemnendæ. Denique, qui in prosperis, & aduersis rebus præsidio esset, & ornamento.

XCI. *Quomodo abducta, & intacta manserit.* HÆC ergo animo versans Abimelech, misit viros honoratos ad Abrahamum, qui cùm bona eius, affinitatem non respuentis, venia Saram, ipsius, vt ferebat, sororem, ad se, quasi futuram coniugem adducerent, quam tamen apud se interea haberet intactam, dum eius virtutem & mores, non indignos regio thalamo, cognitos haberet, atque perspectos. Hæc eo dico, quod necesse est sat multùm temporis versatam Saram in domo Abimelech, antequam sciretur eam esse Abrahæ coniugem, vt plaga sterilitatis, quæ memoratur in fine vigesimi capitis, in tota regis familia sentiretur, nec aliam video rationem probabiliorem, qua & ducta fuerit, & tamen intacta permanserit; tulit enim eam quasi sponsam, & futuram coniugem, non quasi vxorem in præsens, Deo ita disponente, & fortè regionis consuetudine id ferente. quod mihi videtur conuenientius, quàm ad morbum cum Iosepho recurrere; cui tamen adhærent Del Rio, & Caietanus.

XCII. *Agnoscitur Sara vxor Abrahæ.* CVM autem iam tempus adesset, quo eam in vxorem erat ducturus, ne fieret Sara duorum maritorum coniux, *Venit Deus ad Abimelech per somnium noctè, & ait illi; en morieris, propter mulierem, quam tulisti: habet enim virum.* Subintelligenda est profectò hoc loco ea conditio, quæ inferius additur, *si reddere nolueris*. siue à Domino expressa fuerit, siue non fuerit, vt iustior sit Regis excusatio; nam tulisse bona fide mulierem in coniugium, nulli obligatam viro, criminosum non fuit, at vbi agnouit coniugatam, retinere, crimen fuisset, capitis supplicio vindicandum. Etsi enim illis temporibus ex diuina saltem dispensatione, vni viro licuit plures simul habere vxores, nunquam tamen licuit vni mulieri ad plures viros pertinere. an.m.2124. n.4. & 5.
vt alio loco dictum est pluribus.

CXIII. *Excusatio Abimelechi.* ITAQVE Abimelech, qui mulierem non tetigerat, ideóque adulterij reus nullomodo erat, eam culpam non modo deprecatur, sed etiam voluntatem ignorati adulterij excusat, & totius rei culpam à se in hospites deriuat, de quorum tamen iniuria Dominus queri, & minas intentare videbatur. *Et ait, Domine num gentem ignorantem, & iustam interficies? Nónne ipse dixit mihi, Soror mea est, & ipsa ait, frater meus est? in simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc.* Non simpliciter se iustum appellat, sed tantùm in hoc negotio à culpa immunem.

FVISSE autem alioqui hunc regem virum probum, ac fidelem Dei cultorem XCIV. *Fuisse eum virum probum, ac fidelem.*
q. 62. restatur Theodoretus apud Lipomanum in Cat. nam alia omnia apud ipsum leguntur, *Abimelech*, inquit, *Rex cùm esset iustus, Saram iustam sibi copulare optauit, maxima sibi gloria futurum existimans, si ex tali fœmina liberos suscepisset.* Sic ipse, atqui sine fide non potest esse vera iustitia, qualis erat Saræ, cuius iustitiæ Abimelechi iustitia comparatur. Ambrosius fidelem appellat,
l. 1. de Abraham c. 7. *Abimelech autem fidelis æstimatus est à Deo, à quo meruit audire, Et ego scio, quia puro corde fecisti hoc, nec dubium est cæteris eius operibus indignationem Domini esse reuocatam, quippe qui interioris arbiter est conscientiæ, & animi ac mentis interpres.* Vides hîc Ambrosium merita commendare Abimelechi, eiúsque bona opera, quibus indignatio Domini reuocata fuerit, quæ sine vera in Deum fide esse nequiuerunt. Et paulò pòst, cùm Abraham dicit, *Forsitan non est timor Dei in loco isto*, Septuaginta habent, θεοσέβεια, id est Dei cultus; at si Ethnici erant frustra dubitaret, quis enim ambigit idololatras carere Dei cultu? aut quis credat cultum Idolorum à Scriptura θεοσέβειαν dici? *Denique ex eius verbis*, inquit
num. 7. Pererius, *atque ex ipsa Mosis narratione apparet Abimelech probum fuisse virum, Dei veri cultorem, iustitiæ amantem, & obseruantem, ab iniuria facienda, etiam peregrinis & ignotis hominibus abhorrentem, & adulterium, tanquam graue quoddam malum, nec regi tantùm, sed regno calamitosum detestantem.* Itaque non assentior Lipomano in Catena, *eum infidelem regem appellanti, & gentilem, cuius Deus peccata dissimulet.* Id enim ex textu Mosis colligi non potest. Sed bene habet, quod in ea sententia non est præfractior, Nam mox eundem in dilectis à Deo videtur annumerare; cùm ait, *In omni gente Deum semper habere sibi delectos*, at constat *sine fide impossibile esse placere Deo.*

EXCVSANTI Abimelecho inculpabilem ignorantiam, & voluntatem ab adulterio alienam, respondet Dominus. *Et ego scio, quod simplici corde feceris*, id est sine XCV. *Qui cum Deus à peccato prohibuerit.*
quæst. 49. hom. 41. vlla machinatione fraudis, aut iniuriæ cupiditate, *Et ideo custodiui te, ne peccares in me, & non dimisi, vt tangeres eam.* Ergo, quod hoc loco notant Augustinus & Chrysostomus iniuriæ, quæ in carne peccantur aut in Dei famulos inferuntur, in
Zach. 2. 8. Deum fiunt, qui alibi etiam admirabiliùs, *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Sed quid est, *custodiui te ne peccares?* Septuaginta, *peperci tibi*, Hebræ. & Chald. *prohibui te.*

IMMISSO *morbo*, vt ait Iosephus. Cui non est necesse fidem habere, cùm nullum sit eius in Scriptura vestigium. *Timebat*, inquit ille de Abrahamo, *Abimelechum eius loci regem, qui & ipse amore Saræ captus, ea potiri cupiebat. Eam cupiditatem morbus grauis impediuit, diuinitus immissus, atque ita medicorum ope destitutus, in somnii admonetur abstinere se ab iniuria coniugis hospitis.* Verùm, vt dixi, neque morbus hic, neque pulchritudo Saræ, neque libidinosa Regis cupiditas vllum habet in Scriptura XCVI. *Sed quomodo? Improbatur Iosephi expositio.*
n. 89. 90. 91. ista fundamentum, & sine vlla necessitate excogitata sunt, vt ex supradictis patet. Neque enim comminatio mortis morbum antecedentem supponit: nec satis consentaneum videtur diuinæ bonitati, innoxium regem tanto morbo affligere, vt à medicis extra spem salutis esse crederetur, præsertim cùm constet ex Scriptura, eam ignorantiam, si culpa non caruit, alia quadam pœna, scilicet afflictione sterilitatis, fuisse castigatam. Nec soleat Dominus *bis in idipsum punire*. Itaque satius mihi visum est ad alium diuinæ prouidentiæ modum, quem supra exposui, confugere [19].
19. 7.

NVNC *ergo*, inquit Dominus, *redde viro suo vxorem, quia Propheta est, & orabit pro te, & viues.* Magni vir est meriti apud me, & eo familiariter vtor, ipsum ego diuinis honoro illustrationibus, & futurorum cognitione glorifico. Eius ergo precibus exoratus incolumem te seruabo, & vxor tua, cæteræque fœminæ à sterilitate curabuntur. Non enim alium morbum intelligit, vt iterum infra dicetur. Addit autem ad præceptum minas, *Si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt.* His monitis, ac denunciationibus territus Abimelech, *statim de nocte consurgens vocauit omnes seruos suos.* Noctem pro extrema parte noctis posuit, vt ex Hebræo, & Chaldæo, ac Septuaginta colligitur, apud quos habetur summo mane surrexisse. Sic postea dicitur Abraham de nocte surrexisse ad immolandum filium, id est diluculo, ex quo etiam intelligitur fabulosam esse ægritudinem Abimelechi, etiam à medicis, si superis placet, desperatam; quæ non prohibuerit quo minus primo diluculo surgeret, domesticos conuocaret, & visa per quietem, XCVII. *Imperatur restitutio Saræ.*

audiráque referret. *qui timuerunt etiam ipsi*, quoniam ad ipsos quoque minæ perti-
nebant, nec obliti erant vltionis, quam paulò antè Dominus expetierat de Sodo-
mitis, ob voluntatem violandi hospites, & peregrinos.

XCVIII. *Expostulatio Regis cum Abrahamo, & huius excusatio.* DE *eorum ergo consilio*, vt ait Iosephus, *Abrahamum accersit, & cum eo expostulat,
quod ipsius dissimulatione tantùm non factum fuerit, vt adulterij pœnas immeritè luerent*. Res-
pondet Abraham, afferens primò iustam dissimulationis causam, & in homine 1.
peregrino, non reprehendendam, *Cogitaui mecum, dicens; forsitan non est timor Dei in
loco isto, & interficient me propter vxorem meam.* Non quod grauius putarent adulte- Vide D. Thom.
rium homicidio; nam contrarium lumine naturæ perspicuum est, sed quod adul- 2.2 q.154.
terij vltorem timerent; quo de medio sublato, nullo Dei timore coërciti, impu- a 3. ad 3.
nè se peccaturos sperarent; vt supra in simili dubitatione dictum est. Secundò 2.
ostendit se, iusta cautione vtentem, veritatem celasse, non tamen esse mentitum, anno Abra. 76.n. 21.
vtendo verbis, iuxta morem in sua gente vsurpatum, qui fert, vt qui eundem pa-
trem, siue mediatè, siue immediatè agnoscunt, fratres dicantur & sorores. Vt alio ann. Abra-
loco fusius explicatum est. *Alias*, inquit, *& verè soror mea est, filia patris mei* (me- hæ 11.
diante Aran) *& non filia matris meæ*, quia genitus est Aram ex alia vxore Tharæ. n.6.& 7.
Addit tertiò ad molliendam dissimulationem, id consilium non ipsius Abimele- 3.
chi causa recens susceptum esse, sed iampridem institutum in omnem huiusmodi
euentum, ex quo scilicet Dei iussu paterna è domo egressus peregrinari cœpisset,
& in Ægyptum descendisset, vt patet ex cap. duodecimo, versu decimotertio. 12. 13.

XCIX. *Reconciliatio Regis & dona.* HAC satisfactione placatus Abimelech, & Dei insuper minas à se, suísque a-
uertere cupiens, & Abrahami gratiam, & orationes ad sterilitatem depellendam
impetrare. *Tulit oues & boues, & seruos & ancillas, & dedit Abraham, reddidítque illi Sa-
ram vxorem suam*, hoc necessitatis fuit, illud humanitatis, & beneuolentiæ. Ad hęc
porro animalia addunt Septuaginta tam in editione Basil. quàm Romana χίλια
δίδραχμα, id est mille didragmas, volentes datam esse huiusmodi pecuniam, præter
ea, quæ dixi, animalia; sed cùm ea verba neq; in Hebræo, neque in Chald. neque
in nostra vulgata reperiantur, videntur per errorem ex versu decimo sexto, in de-
cimum quartum translata, vt Del Rio quoque putat, & Lipoman. Cùm enim ibi
dicantur dati iam mille argentei, nec tamen priùs fuerint commemorati, existi-
mauit quispiam, eam mentionem pecuniæ desiderari, & reponendam esse, itáque
fecit, corrupto non correcto textu, esse tamen antiquum id erratum, ex Chryso- hom. 45.
stomo patet, qui præposteram habet hanc pecuniæ mentionem. Quis autem sit
harum didragmarum valor, paulò pòst dicendum erit. Postremò liberam facit
Rex Abrahamo potestatem habitandi, quouis in loco ditionis suæ. Inde ad Sa-
ram oratione conuersa. *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculo-
rum, ad omnes qui tecum sunt; Et quocunque perrexeris memento te esse deprehensam.* Locus
est satis obscurus. Verùm illud in primis minimè dubium, quasi iocando, & per
ironiam vocari Abrahamum fratrem Saræ, quod illa dudum fratrem ipsum sole-
ret appellare.

C. *Quo pertineant isti argentei.* ILLVD autem dubium, an hi mille argentei, sit æstimatio prædictorum ani-
malium, vt vult Caiet. an verò præter animalia dati etiam fuerint mille argentei, num. 17.
vt placet Pererio, & Del Rio ver. decimosexto. Idque veriùs arbitror, perexi-
guum enim esset pretium non solùm ouium & boum, sed seruorum etiam & an-
cillarum, quæ venundabantur vt pecudes, & satis significat ipsa narratio argen-
tum mulieri, animalia viro donata fuisse.

CI. *Quis eorũ valor. An didrachma sit siclus.* DVBITARI secundò potest, quæ sint hæ didragmæ, siue argentei, quibus
Hebræorum Ceseph à Septuag. & vulgata vertitur. Dico autem didrachmam, si- כסף
ue argenteum nummum esse, qui passim in Scriptura vocatur siclus. Nam pro ar-
genteis habet paraphrasis Chaldæa, mille siclos argenti, quorum singuli quasi
duas drachmas penderent. Passim etiam à Septuaginta didrachma appellantur.
Sic in Iosue, bis pro siclis Septuaginta habent didrachma, bis quoque Geneseos 7. 21.
viges. tertio, & alibi passim, eosque, vt apparet, secutus Epiphanius, ait siclum 15. 16.
esse dimidium stateris, & habere drachmas duas, & staterem dimidium esse vn- l. de pond. & mens.
ciæ, siclum autem quadrantem. Quæ videtur etiam sensisse Isidorus. lib 16 de orig c. 24

CII. *An potius Tetradrachma.* VERVM his repugnat cõmunissima sententia antiquorum, atque adeo Scriptu-
ræ ipsius, quæ siclum tetradrachmum facit. Vtar autem præcipuè hac in re Vil-

lalpandi

lalpandi nostri diligentia, qui totam hanc materiam laboriosissimè persecutus
est. Id ergo primùm ex Scriptura facilè intelligi potest, quæ staterem cum siclo
7.v.8. confundit: nam primo Reg. nono, vbi *quarta pars stateris argenti* legitur, in He-
bræo & Græco est, *quadrans sicli argentei*; in quarto Reg. c. 7. vbi staterem semel
atque iterum legimus, vtrobique in Græco & Hebræo habetur siclus; Ezechie-
lis item quarto, versu decimo, vbi Diuus Hieronymus, *Panes habent vicenos si-
clos, id est stateres, siclus autem, id est stater, habet quatuor drachmas, drachma autem octo
Latinam vnciam faciunt, ita vt vnus panis decem vncias habere dicatur, quo trahitur ma-
gis anima, quàm sustentatur.* Sic ipse. Rectè autem siclum interpretatur staterem,
c.4.10. nam vbi in illo Ezechielis loco legimus, *Cibus tuus quo vesceris erit in pondere vi-
ginti stateres in die*, in Græco est εἴκοσι σίκλοις τὴν ἡμέραν. Et ibi Schol. στατῆρες εἴκο-
σι, οἵτινες εἰσὶ δράχμαι π. id est octoginta, ergo siclus non est dimidium stateris,
vt dicebat Epiphanius, sed stater; & singuli stateres quatuor drachmarum sunt,
& consequenter sicli. Cibúsque Prophetæ quotidianus erat decem vnciarum,
vt dixit Hieronymus, non autem trium, & aliquantò amplius, vt putauit Poli-
20. χ. chronius. verùm hac de re plura seorsum [20].

QVID ergo dicendum de Septuaginta interpretibus? De nomine tantùm es- CIII. *Septuag. didrachmũ fere pro tetradrachmo vsurpant, & quare.*
se quæstionem, nam quod ad rem attinet, cum communi sententia conueniunt,
v.13 27. 25 vt patet ex trigesimo Exodi, & Leuitici 27. vbi didrachmo dant viginti obo-
los, totidem scilicet quot vulgata ibidem dat siclo: & rursus Numer. tertio, qua-
dragesimo septimo, vbi nos legimus; accipies quinque siclos per singula capi-
ta ad mensuram sanctuarij, siclus habet viginti obolos. Ipsi retinent nomen si-
loc. cit. cli, eique viginti obolos attribuunt. Cur ergo vocant didrachmum, & non te-
tradrachmum? an, vt Riberæ placet & Pererio loco citato; quoniam siclus ha-
bebat duas drachmas Hebræas, & ipsi de suis drachmis locuti sunt, non de atti-
n 18. cis, quæ dimidio minores sunt, vt quatuor duabus æquiualeant? an vt Villalpan-
t.3.l.2. de pond. & men d 4.c. 22.p.398. in c. 20. & 23. Gen. dus, non habuerunt illi certam exæquandi ponderis rationem, sed pro Hebrai-
co nummo Iudæis vsitato, Græcum pariter Græcis vsurpatum reddidisse. An,
vt vult Del Rio, geminus est siclus, alius maior quatuor drachmarum, alius mi-
nor duarum, & Septuaginta de minori egerint? at cùm siclum semper vertant
didrachma, semper de minore siclo agerent, quod nemo dixerit. Prima ergo
Responsio magis placet, quæ probatur etiam Del Rio; quid autem pro Epipha-
nio & Isidoro responderi possit, vide eodem loco Villalpandum, Del Rio illum
de minore siclo explicat.

EX his ergo habemus siclum eundem plane esse cum statere, valere quatuor CIV. *Verus sicli valor.*
drachmis atticis, Hebraicis autem duabus, & habere pondus semiunciæ, quod
semel hoc primùm loco constitutum, deinceps vbique retinebimus. Quoniam
verò sicli tam aurei, quàm argentei, & ærei reperiuntur, par est vt hoc loco Ge-
neseos, in quo versamur, siclos argenteos accipiamus, cum tales nobis editio
vulgata exhibeat, Hebraicæ consentiens, atque Chaldaicæ. Quod si quis quæ- *In ære Gallico.*
rat, quanta fuerit hæc summa ad nostram pecuniam æstimata. Dico id facilè re-
vncia 55. sol. periri posse, si constituamus valorem vnciæ argenteæ, quæ communiter statui-
8. vnc. 22. fr. tur solidorum, siue assium nostratium quinque & quinquaginta; quoniam octo
vnciæ, siue Marca, est viginti duorum Francorum. Mille ergo argentei, sunt
numus au reus 60. sol. quingentæ vnciæ, respondéntque mille trecentis septuaginta quinque Francis
458 $\frac{1}{3}$ Gallicis, aureis autem (sexaginta solidorum siue assium) quadringentis quinqua-
ginta octo, & vno triente. Et iuxta hanc æstimationem & valorem pecuniarum,
deinceps siclos, aliásque monetas peregrinas, in nostrates transferemus.

VT autem hanc Abimelechi historiam, simúlque res huius anni aliquando CV. *Sanatur domus Abimelech.*
concludamus. Accepit Abraham munera, *Eóque orante sanauit Deus Abimelech, &
vxorem, ancillásque eius, & pepererunt: concluserat enim Dominus omnem vuluam domus
Abimelech, propter Saram vxorem Abrahæ.* Perspicuum est hanc muliebrem pœnam
esse, nec Regi conuenire, sed is sanatus dicitur, quoniam tota domus, cuius e-
rat ipse paterfamiliâs sanata est, nec potest esse caput sanum, toto corpore lan-
guente. Possumus etiam explicare illud, Et, *Abimelech, & vxorem eius*, vt sit
idem quod, id est, hac sententia, *Sanauit Deus Abimelech, id est vxorem eius*,

& ancillas, &c. frequens est enim huiusmodi phrasis in Scriptura. Ema. Sà, plus quadraginta exempla profert, quale est illud, *Benedicat tibi, & crescere te faciat*, &c. Gen. 28. 3. Sic actu. 7. 5.
Accedit quod Aben-Ezra, celebris in Hebræis doctoribus, negat Abimelechum ægrorum fuisse, vt refert Pererius in fine huius capitis, & interpres paraphrasis Chaldææ. Pag.

CVI. *Res gestæ in Geraris ex Iosepho.*

Non omittam porrò hoc loco Iosephum notare, vt parum fidelem sacræ historię paraphrastem; sed ne quid per calumniam affingere videar. Eius primùm paraphrasis audienda est; *Abrahamus autem*, inquit, *migrauit in Gerara Palæstinæ, Saram, ac si sororem, secum ducens, eadem arte, qua quondam, nimirum insidiarum metu: timebat enim Abimelechum eius loci regem, qui & ipse amore Saræ captus, ea potiri cupiebat. Eam cupidinem morbus grauis impediuit, diuinitus immissus: atque ita medicorum ope destitutus, in somnis admonetur, abstineret se ab iniuria coniugis hospitis. Mox cùm meliusculè habere cœpisset, indicat amicis, quòd Deus sibi hunc morbum immisisset vindicans ius hospitis, & vxori eius ab iniuria cauens: non enim sororem esse, sed vxorem legitimam.*

CVII. *Reliqua eiusdem narratio.*

Hæc *locutus, Abrahamum de consilio amicorum accersitum, securum esse de pudicitia coniugis iubet. Deum enim eius curam habere, cuius auxilio nihil turpe passam se illi restituere: idque ita esse Deum testabatur, & mulieris conscientiam: ac ne expetiturum quidem eam fuisse, si nuptam esse sciuisset. Ad hæc rogabat, vt æquo animo in se esset, Deúmque propitium redderet. Et siue apud se maneret, nihil ei defore, siue abire mallet, deductores est pollicitus, & omnia quorum causa ad ipsum venisset. Hæc locuto, Abrahamus nec omnino fictam consanguinitatem aiebat, esse enim fratris filiam: & sine hac simulatione parum tutam peregrinationem credidisse: ac ne morbi quidem causam ei se fuisse excusabat. Quin & salutem regis sibi curæ futuram, & mansurum quoque cum illo libenter. Tum rex tam agri, quàm pecuniarum partem ei cessit; & conditiones pacis bona fide vtrinque seruandas dixit, fœdere cum eo super puteo quodam icto, qui Bersabe vocatur: ea vox iuramenti puteum significat, & id nomen & hodie locus seruat.* Hactenus Ioseph.

CVIII. *Examinatur, & notatur.*

Quem aliquot ex caussis notandum putabamus. Primò quia graui morbo 1.
regem parum probabiliter affligit, vt ante declaratum est. Secundò, quia re- 2.
fert Abimelechum amicis indicasse, quæ per somnum à Deo didicisset, cum me- n. 96.
liusculè habere cœpisset. At Scriptura docet rem patefactam, non post tempus aliquod, quo morbus remisisset, sed statim summo mane: priusque vxorem restitutam, quàm is precibus Abrahæ, recepta vxore, sanaretur. Tertiò 3.
quia nihil Deus in ea visione de immisso morbo, vel eius caussis locutus est, sed tantùm reddi iussit vxorem comminatione supplicij. Iosephus minas de futura pœna, in præteritam castigationem conuertit. Quartò quia pro querela re- 4.
gis, quam Scriptura luculentam recitat, quàmque ipse totam prætermittit, addit de suo ingentem asseuerationem de conseruata à se pudicitia Saræ.

CIX. *Alia eiusdem errata.*

Qvinto regem inducit rogantem Abrahamum, vt æquo animo in se es- 5.
set, quasi Abrahamus in regem esset infensus; cum è contrario Abrahæ oratio tota humilis sit ac mitis, quasi eius, qui videretur non accepisse iniuriam, sed
intulisse. Sextò quia præter historiæ veritatem & fidem vult à rege oblatam 6.
Abrahamo potestatem abeundi, promissis etiam deductoribus, cùm potiùs Rex eum retinendi cupidus, ei quemuis regni sui locum ad habitandum obtu-
lerit. Septimò quia Abrahæ in loquendo cautelam minuit, neque enim is dixit 7.
Saram esse fratris filiam, sed patris sui filiam, quod sororis nomen manifestiùs excusat apud regem.

CX. *Terra Abrahamo data non est.*

Octavò quia donorum mentione prætermissa, quam copiosam Scriptura 8.
suggerebat, falsam agri distributionem Abrahamo à rege factum commentus est: ait enim, καὶ Ἀβιμέλεχος πλέον γῆν αὐτῷ νέμεται, καὶ τὰ χρήματα. *Et Abimelechus & terram illi distribuit, & pecuniam.* Terram ergo siue agrum deinceps quasi suum possedit, sicut & pecunias, neque fas est terræ locationem intelligere hoc loco, in quo de Regis erga Abrahamum beneficentia, ac largitatè agitur; & constat Abrahamum terram, iam ab initio aduentus sui, conductione possedisse. Atqui non solùm, nullam agri mentionem facit Moy-
ses, sed Diuus Stephanus apertè profitetur Abrahamum ne vestigium quidem Act. 7. 5. n. 6.
pedis possedisse in terra Chanaan. Postremò, quia, vt notauit etiam Pererius, 9.

fœdus perçussum in Bersabee inter Abrahamum & Abimelech malè ad hoc tempus refert, quo nondum natus erat Isaac; cùm ex capite vigesimo primo Geneseos clarum sit id factum esse post ortum Isaac, & fortasse non paucis annis, si id contigit post eiectionem Agar & Ismaëlis è domo Abrahæ, iuxta seriem Mosaicæ narrationis. Vide annũ Abrahæ 116. n. 2.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2138.

N. VI. 1. QVI etiam addit, ex quo intelligas tempore ipsius Hierony. Hebræorum motiones, siue puncta, nondum inuenta fuisse, aut vsurpata. *Nec mirandum*, inquit, *quare cùm apud Græcos, & nos A, litera videatur addita, nos* ה *he literam Hebræam additam dixerimus. Idioma enim linguæ illius est per* ה *he quidem scribere, sed per a legere; sicut e contrario a literam sæpe per* ה *he pronunciant.* Quod si poncta in vsu fuissent facilè erat dicere pronunciari a propter motionem Kametz ipsi ה subiectam, eandémque literam ה cum aliis punctis alium sonum effecturam. Mirum est autem Philonem initio libri de Cherubim dicere Abrahamũ verti patrem excelsum soni, μετονομασθεὶς Ἀβραάμ, ὃ ἑρμηνεύεται πατὴρ ἐκλεκτὸς ἠχοῦ. de qua interpretatione peritiorum esto iudicium.

N. XI. 2. Sarai igitur primum vocata est per ש sin, ר res, י iod, שָׂרַי Sarai; sublato igitur י id est; elemento, addita est ה litera, quæ per a legitur, & vocata est Sara שָׂרָה siue Sarah.

Ibid. 3. Notat autem eleganter Lipom. in catena, geminum ה qood repetitur in Dei nomine tetragrammato יהוה, alterum Abrahamo, alterum Saræ communicatum; *Ad significandam maximam prærogatiuam vtrique datam, generandi Deum, per intermediam beatissimam virginem, quæ vera vtriúsque filia futura erat.*

N. XXII. 4. Hûc allusum ab Ethoicis, iam plerique notarunt, Perer. Del Riò relata fabula ex 5. fastorum vbi hyreus, vt refert Aristonicus apud hyginum l. a. tres excipit deos ementito habito, Iouem, Neptunum, & Mercurium, quorum beneficio in gratiam hospitalitatis Orionem filium acceperit. Sed fabula spurca est, & digna aotoribus suis.

N. XXII. 5. *Ione τῷ ὄλῳ τῆς ἀνθρωπομόρφῳ, forte cum iuuenili forma ipsi apparuerunt.* Chrysost. hom. quadragesima prima.

N. XXVII. 6 Quæ à tergo illorum erat, vt ex Hebr. notat Vatablus, & Caiet. itaque mox cùm dicitur Saram risisse post ostium tabernaculi, in Hebræo legitur, eam fuisse in ostio tabernaculi, quod ostium erat auersum ab Angelo.

N. XXXI. 7. Non potero, id est nolo celare, sic Ioseph. c. trigesimo nono, nono vers. *Quomodo possum hoc malum facere?* id est nolo facere, & Ioan. duodecimo, trigesimo nono, *non poterant credere*, id est nolebant; Lucæ decimo quarto, vigesimo, *Vxorem duxi, & ideo non possum venire*, & vndecimo, septimo, *Non possum surgere, & dare tibi*; Iudicum nono, nono versu, *Nunquid possum deserere pinguedinem meam.* Et ibid. vndecimo, versu decimotertio, denique infra capite decimonono, versu vigesimo secundo, *Non potero*, inquit Angelus, *facere quicquam donec ingrediaris illûc.*

N. XXXII. 8. Scholiastes Græcus κραυγὴν interpretatur τὴν τόλμαν ὁ τὴν παρρησίαν, audaciam vel licentiã; melius Aug. in libro locutionũ, *Clamorem solet Scriptura ponere pro tanta impudentia, & libertate iniquitatis, vt nec verecundia, nec timore abscondatur.*

Ibid. 9. In Hebræo est, *fecerint consummationem*, pro quo plerique volunt כָּלָה esse nominatiuum, & subintelligunt, fiet, id est cõsummatio fiet, à me disperdentur, ita Chal. ex quo Oleaster, Caiet. Del Rio, Vatab. & dispungunt aliter, quàm in regiis codicibus, quos satius est sequi cum vulgatæ editioni bene consentiant, vt Septuaginta, cũ Græcis patribus, in quibus Chrys. & antiqui omnes, qoorum sententias fusè describit Lipom. in Car. quibus consonat & Pagnini versio Lipom. Emanuel Sà, & alij passim.

L. XXI. 10. Ἀλλὰ καὶ τῆς ἀδικίας, in Græco est, quod interpres omisit, habet enim tantum clamoris & iniustitiæ.

N. XLIV. 11 hom. 41. in qq supra Gen. Lotum nesciuisse eos fuisse angelos, apertè asserit S. Chrys. & D. Augustinus immò & Paulus ad Hebræos decimotertio, vers. secundo, ibidem interprete Augustino.

Ibid. 12. Quam adorationem videtur Chrys. (ibidem) ad Deum referre, non ad hominom venerationem. *Gratias*, inquit, *egit Deo, quod dignatus esset eum prætereuntium susceptione. Animaduerte illius animæ virtutem, magnum Dei beneficium arbitrabatur incidisse in hos viros, vt susceptis illis, suum perficeret desiderium.*

N. LI. 13. Qui nihil imprudentiæ, & inconsiderationi Loti tribuit, cootra quam censuit Del Rio.

N. LVIII. 14. In Hebræu habetur, לֹקְחֵי lokche *accipientes filias eius*, eodem sensu; significatur enim desponsas tantùm fuisse, vt quæ adhuc domi paternæ habitarent, quo modo vertit Tigurina vulgatæ consentiens, idqoe probat Chrysostomus, vt qui mox dicat, oon permisisse dominum illos commisceri filiabus iusti. Et mox, *Et quia semel illis filias desponsarat* ἐμνηστεύσατο, denique Lot ipse paulò antè dixit eas *nondum cognouisse virum.* Idem habet Hieronymus in traditionibus hoc loco; in Græco οἱ εἰληφότες, *qui acceperant*, quomodo vertit etiam Pagninus, & Varablus, & Aben-Ezra, vt notat Fagios; quòd alias plures filias maritatas habuerit, ad quarum maritos accesserit. Caietanus putat eam vocem verbalem à tempore abstrahere, vt sit, *acceptores filiarum*, & paraphrasis generorum. At satis constat לֹקְחֵי esse participium plurale, à לָקַח quod est accipere. loc. cit.

N. XXVI. 15 Sic Ecclesiast. decimo sexto, septimo, in gẽte incredibili ἀπειθεῖ, vt vtrobique explicat etiam Iansenius, & alibi sæpe.

N. LXXX. 16. Qui tam studiosè orauerat, ne iustum perderet cum impiis, Chrysostomus homil. quadragesi. quarta, ex quo infert Sanctorum intercessiones nobis valde fructuosas.

N. LXXXVII 17. *Gerara ex cuius nomine nunc Geraritica vocatur regio, trans Daroma.* (id est trans tribum Iuda, ad australem plagam, vt ipsemet Hieronymus interpretatur in locis) *procul ab Eleutheropoli viginti millibus, & quinque ad meridiem. Erat autem olim terminus Chananæorum, ad australem plagam, & ciuitas Metropolis Palæstinæ. Scriptura commemorat eam fuisse inter Cades & Sur, hoc est duas solitudines, quarum vna Aegypto iungitur, ad quam populus trans fretum maris rubri peruenit. Altera verò Cades, vsque ad Saracenorum eremum extenditur.* Collocat eam Adrichom. in tribu Simeon, prope torrentem Besor. Florebat autem hæc vrbs temporibus etiam Regis Asa, qui fuit nepos Roboami. Vide secundum Paralipom. c. 14. 13.

N. LXXXIX. 18. Caietani præsertim, qui nihil affert responsionis, quasi rei improbabilitate victus, cum Pererius nonnullas afferat congruentias.

n. 4. & 5. N. XCVI. 19. Cui sine dubio magis fauent illa verba, *custodiui te, peperci tibi, prohibui te;* ie t'ay conserué, ie l'ay espargné, ie l'ay gardé; quæ ex Iosephi sententia, interpretanda sunt, *Morbo grauissimo afflixi te, in extremum capitis discrimen adduxi te,* hoccine est parcere, & custodire?

Iosephus, *Contribuerunt virorum dimidium sicli, siclus autem nummi genus est apud Hebræos quales sunt tetradrachmi attici.* Apud Hesychiũ σίκλος τετράδραχμον ἀττικόν. Philo explicans locum Leuitici vigesi. septimo, vbi de redemptione votorum agit, octo diuersas siclorum summas in drachmas conuertens, quaternas semper drachmas pro singolis siclis ponit. Nã quinquaginta siclos interpretatur ducẽtas drachmas; & triginta siclos centum & viginti drachmas, & viginti siclos octoginta drachmas, & decem siclos quadrag. drachmas & ita de ceteris. Math. 17. iubet Dominus Petrum soluere staterem pro se & pro ipso, illis qui tributo colligendo præerant, & didrachma petierant, vt tributum singulis capitibus impositum, stater ergo gemino didrachmo respondebat. Eadem sentit Ribera, & Pererius in vigesimum Gen. N. CII. 20. l. 3. ant. c. 9. l. 2. de special. leg. 17. fi. in c. 8. Amos n. 14. & sequent. num. 17.

ANNVS MVNDI 2139. DILVVII 483. TERTIÆ ÆTATIS 101. SEMI 581. SALÆ 416. HEBERIS 386. ABRAHÆ 101. ISAACI 1. PROMISS. 26. ARII 11. IMPERII ASSYR. 208.

ANTE CHRISTVM 1914.

I. Ortus Isaaci. ANNVS adest singularis, atque inusitatæ lætitiæ in domo Patriarchæ Abrahæ in natiuitate Isaaci, quæ in hunc annum cadit; eóque maioris, quo diutiùs expectata, & ardentioribus votis fuerat expetita. Adest annus mirabilium operum Domini, quo angelica promissio completur, quo sterilis fœcundatur, quo vetula parit, quo semen benedictionis exoritur, quo Abrahamus in solatium proximæ afflictionis, ob Saram toleratæ, ob eiusdem fœlicissimum partum omnibus lætitiis incessit. Et quoniam de anno quæ dubia esse poterant, proximè præcedenti satis expedita sunt, rem ipsam, prout à Moyse narratur, audiamus. Gen. 21.

II. Visitatio Domini. VISITAVIT *autem Dominus Saram, sicut promiserat, & impleuit quæ locutus est.* Hæc visitatio benedictio est, & fœcundatio sterilis, quæ diuinam veritatem & prouidentiam, circa singularia rerum humanarum, prodit, factis vberiorem, ac lætiorem, quàm promissis. Potest hæc visitatio propriè accipi de Angelo inuisente Abrahamum & Saram, iuxta promissionem quæ habetur cap. decimo octauo vers. decimo, vt placet D. Chrys. & Del Rio in hunc locum, vt eis ortum filij gratularetur; verùm prior expositio magis placet, quod visitatio ponatur vt causa conceptionis, & partus, & antecessisse demonstretur, non subsecuta esse. Ergo *concepit Sara, & peperit filium in senectute sua,* nonagesimo concepit sub æstatem, vt colligitur, ex cap. 18. 1. nonagesimo primo peperit sub veris initia. quia non videtur conceptio in tertium mensem differenda, vt suprà dicebamus. hom. 45.

III. Nomen & circuncisio Isaaci. VOCAVITQVE *Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac, & circuncidit eum octauo die, sicut præceperat ei Deus,* in generali lege de circuncisione, *cùm centum esset annorum; hac quippe ætate patris natus est Isaac,* annos expletos accipiendos esse supra, vt dixi, probatum est; atque ita primus Isaaci, est centesimus primus Abrahæ, quod etiam atque etiam inculcandum est, quoniam cùm per Isaac Chrono-

logiæ sacræ recta linea ptopagetur, si in hoc anno peecetur, in omnibus deineeps necessariò peccandum est.

DIXITQVE *Sara, risum fecit mihi Deus, quicunque audierit corridebit mihi*; congratulabitur mihi, fiétque particeps gaudij mei. Hoc indieium est vittutis Saræ & Abrahæ, quòd ab omnibus diligerentur, ex quo futurũ etat, vt eis eum charitate collætarentur. *Erãt enim ambo non solùm iusti ante Deum, sed incedebant etiam in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela*, vt de Zacharia & Elizabetha seriptũ est. *Quis auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei tam seni?* Quis putasset fore vt aliquando huiusmodi nuneius Abrahamo verè defertetur? Hæc planè Hieronymi est phrasis, quam tutbant aliqui interpretes, dum non intelligunt. Præsertim qui legunt, *Quis auditurus crederet*, &c. Vt Abulensis. Nec sane satis hinc se Vatablus explieat.

IV. *Lætitia Saræ.* — Luc. 1. 6.

ANNVS MVNDI 2140. DILVVII 484. TERTIAE ÆTATIS 102. SEMI 582. SALÆ 417. HEBERIS 387. ABRAHÆ 102. ISAACI 2. PROMISS. 27. ARII 12. IMPERII ASSYRIORVM 209.

ANTE CHRISTVM 1913.

HIc annus, & aliquot sequentes, vsque ad Isaaci ablactationem vacui sunt; quibus tamen prodigium eonceptionis, & partus Saræ confirmatut, & veritate lactationis excluditur, quod quis de supposito partu suspieari posset. *Propter hoc*, inquit Chrysostomus, *Et lactis fontes concessi sunt, vt partum magis credibilem faciant, & ne quis supposititium esse puerum putet. Fontes enim lactis omnibus prædicabant, præter humanam expectationem hoc euenisse. Quis annunciabit quod lactat puerum Sara? quod peperi filium in senectute mea? Quod ego quæ senus, parere potui, & in hac ætate filium alere possum.* Sic ipse.

I. *Lactatur Isaac.* — Homil. 45.

MAGNO autem cum gaudio totum hoc tempus lactationis Saram transegisse, & res loquitur ipsa per sese, & Chrysost. signifieat. *Omnes*, inquit, *auditores gaudy mei participes faciam, magnum enim donum mihi à Deo concessum est, & quod humanam transcendit infirmitatem. Quis enim non obstupescat, videns me lacte meo enutricantem puerum in extrema senectute, quæ hucúsque non peperi?* Et paulò post, *Non sic admirabile fuit, quod ex petra in deserto scaturierint fontes aquarum, quando illam virga Moyses percussit, sicut de vulua iam emortua puerum nasci, & lactis fontes scaturire*, &c. Huc quoque illa August. ferè pertinent. *Portabat vterum grauem talis mater, quæ inanis ambulare vix posset. Sed quia credulitatis fuerant, quæ acceperat defecta viscera fides validior animabat. Marcidæ mammæ, quas in vacuos folles subducti succi detrimenta laxauerant, lactei fontis vbertate tenduntur. Fit mater in pectore, fit mater in partu, fit, inquam, mater, quæ ansa fuerat per ætatem.*

II. *Gaudet mater.* — Homil. 46. — ser. 68. de temp.

QVONIAM verò non parcè libetalis est Deus, magnam Saræ lactis vbertatem dedit, adeo vt pluribus etiam infantibus nutriendis sufficerer, vt placet Hebræis, referente Caietano, post Lyranum & Abulensem, ideo enim Scripturam plurali numero vsam volunt, cũ ait, Sarã lactare filios, cui etiam Chaldæa paraphrasis adstipulatut. Verùm satius est, agnoseere enallagem numeti, etiam vulgo, vsitatam, vt Lipomanus quoque obseruat, & post eum Perer. & ante vtrumque Lytanus & Abulensis.

III. *Lacte abũdans.* — in cap. 21. n. 10.

ANNVS MVNDI 2143. DILVVII 487. TERTIÆ ÆTATIS 105. SEMI 585. SALÆ 410. HEBERIS 390. ABRAHÆ 105. ISAACI 5. PROMISSIONIS 30. ARII 15. IMPERII ASSYRIORVM 212.

ANTE CHRISTVM 1910.

I. *Tempus ablactationis Iſaaci.*

DE tempore ablactationis Iſaaci varias reperio ſententias. D. Hieronymus duas Hebræorum refert, quarum altera illam in annum eius duodecimum refert, altera in quintum. Torniellus prætulit initium ſexti; Toſtatus Caiet. & Lipomanus cenſent ablactatum poſt biennium, vel triennium; quod ſancta Machabæorum mater triennio filios lactaſſe legatur. Ego quinto anno currente ablactatum cenſui, quoniam eam ſententiam Hieronymo loco citato probatam video, & Pererio, Del Rio in hunc locum, qui & D. Hieronymum, ſiue Pelagium citat, quod ego non reperi. Adduntque ambo dum vita hominum fuit productior lactationem fuiſſe diuturniorem, eámque cum diminuta vita, contractam, vt non mirum ſit tempore Abrahæ factam fuiſſe ablactationem anno quinto, tempore autem Machabæorum poſt mille ſcilicet ſeptingentos & quadraginta circiter annos, anno tertio. nam res diutius duraturæ tardius perfectionem ſuam aſſequuntur; itaque fortaſſis etiam tardius eis dentes ad cibum ſolidiorem neceſſarij ſuccreſcebant.

c. 21. in trad. Hebr. — *c. 21. n. 4 & 14. & 18. in cap. 4. ad Gal.*

II. *Conuiuium Abrahæ in illa.*

DE hac ablactatione nihil aliud habet Moſes, quàm *creuiſſe puerum, & ablactatum eſſe, feciſſéque Abrahamum grande conuiuium in die ablactationis eius.* Sed addidit R. Salomon, Saram in die ablactationis, vt ſuppoſititij partus ſuſpicionem amoliretur, omnibus conuiuarum infantibus lac præbuiſſe, quæ fabula iam ſuprà repudiata eſt, & ab omnibus meritò contemnitur; alij etiam Rabbini ſcribunt in eo conuiuio fuiſſe Abimelech, & maiores de genere Sem & Heber. Sed nihil probant, an ex Vr Chaldæorum accerſiti ſunt, aut ex Charan? nequaquam. Nam ex iis quæ in fine cap. vigeſimi ſecundi narrantur, liquet nullam fuiſſe inter illos & Abrahamum in Chananitide peregrinantem, communicationem. Cæterùm conuiuia in die ablactationis Hebræis fuiſſe ſolemnia etiam ex Samuëlis hiſtoria demonſtratur. Et ex eo clarius intelligitur ea ad gratias Deo agendas referri. cur autem in die circuncisionis non fieret conuiuium, in ſignum lætitiæ, quod infans aggregatus eſſet in numerum filiorum Dei, ſicut nunc pleriſque in locis fit in baptiſmate paruulorum, cauſam non reperio, niſi quod recens adhuc eſſet inſtitutio circunciſionis, conſuetudo autem conuiuij in ablactatione antiquior; nec ab Abrahamo inducta, ſed à maioribus recepta per manus.

1. Reg. 1. 24

ANNVS MVNDI 2144. DILVVII 488. TERTIÆ ÆTATIS 106. SEMI 586. SALÆ 421. HEBERIS 391. ABRAHÆ 106. ISMAELIS 20. ISAACI 6. PROMISS. 31. ARII 16. IMPERII ASSYRIORVM 213.

ANTE CHRISTVM 1909.

I. *Eiectio Iſmaëlis.*

HABET hîc annus eiectionem Iſmaëlis cum matre ſua, quam pleriſque eorum, qui cuiuſque geſtæ rei tempus ſtudioſius inquirunt in hunc annum referunt, cùm ſcilicet Iſaac iam quinque annorum eſ- *cap. 21.*

In trad. Heb. set , nimirum expletorum , & sextum esset ingressus. Præit ferè Hieronymus
vbi cùm dixisset quinto infantis anno ablactationem factam fuisse , addit post
ablactationem Ismaëlem cum matre domo expulsum esse. Et cùm nihil co-
Hoc an. m. n. 2. gat illos statim à conuiuio eiicere , possumus sanè expectare eiusdem quinti
anni finem. Quem expectat Tornielius in hunc annum , & alij quos ci-
tat.

Genes. 15. 13 vers. 6. QVÆ sententia ex Scriptura confirmatur. Cùm enim Dominus dixerit — II.
semen Abrahæ afflictum iri quadringentis annis , quod Actuum 7. à D. Ste- — *Tempus eius ex Scriptura.*
phano repetitur , idque de semine eius per Isaac intelligatur , ab hoc autem
anno ad exitum de Ægypto numerentur quadringenti anni , oportet hunc
annum esse primum afflictionis , quando Ismaël persequens Isaacum , vt lo-
Galat. 4. 29 quitur Apostolus , domo eiectus est. Deinde cùm à promissione primùm fa-
cta Abrahæ , vsque ad legem datam quadringenti triginta anni numerentur ,
Galat. 3. 17 eodem Apostolo teste , & hic annus sit trigesimus primus promissionis , o-
portet etiam primum esse eorum quadringentorum qui sequuntur ; quos ita
In sua Chronol. c. 3. colligit Niceph. Constantinopolit. *Isaac natus annos sexaginta genuit Iacob ; Ia-* — *Et Nicephoro.*
cob natus annos octoginta septem genuit Leui ; Leui natus annos quadraginta quinque
60. *genuit Caath ; Caath natus annos sexaginta tres genuit Amram ; Amram natus annos*
87. *septuaginta genuit Moysem. Moyses natus annos octoginta eduxit populum ex Ægypto.*
45. 63. Sic ipse ; quas summas si collegeris , reperies annos quinque & quadringen-
70. tos , ergo quinque primi anni Isaaci tollendi sunt , ita vt sextus sit primus
80. quadringentorum. Beda quoque agens de his quadringentis annis , *Potest &*
405. *sic intelli* , inquit , *quòd à quinto Isaac anno , quo per filium ancillæ cœperit affligi,*
in cap. 7. act. *labor quadringentorum comprobetur annorum.* Eadem sentit Beroal. Sed ei suus
l. 3. Chron. c. 3. Index Chronologicus non consentit. Idémque de Brougtono, Vignetio , Bi-
bliandro sectatiis dixerim. Est porrò hic annus vicesimus Ismaëlis , quando — *Et Hieronymo aliisque.*
Ex Gen. 16. 16. quidem primus illius annus fuit octogesimus septimus Abrahæ , vt dictum est
in qq. Heb. suo loco. Non ergo exacta est Hieronymi supputatio , cùm ait ; *Nos igitur ,*
vt breuiorem eligamus ætatem , post decem & octo annos Ismaël supputauimus eiectum
esse cum matre. dicendum potius fuerit post decem & nouem annos. Et cùm
Del Rio vocat Isaacum duodecim annis iuniorem , exactius diceret quatuor
in hoc cap. n. 14. decim. Rectè etiam Peretius nostræ Chronologiæ consentiens ait, Ismaëlem
non fuisse vigesimo anno minorem. Abulensis hoc loco etiam maiorem fa-
facit , sed immeritò , fallitur enim in supputatione sua , vt legenti patet.

HVIVS eiectionis causam refert Moyses in hæc verba. *Cùmque vidisset* — III.
Sara filium Agar Ægyptiæ , ludentem cum Isaac filio suo , dixit ad Abraham , Eiice an- — *Eiectionis causa.*
cillam hanc , & filium eius , non enim erit hæres filius ancillæ , cum filio meo Isaac.
Ex hac ratione Saræ apparet Ismaëlem vigesimum iam annum ingressum, ma-
iores , quàm pro filio ancillæ , spiritus assumpsisse , & sese pro hærede , ac
primogenito gerentem , Isaacum quinquennem contempsisse ; & crebra il-
lusione vexasse. Ita hunc locum intellexit Paulus Apostolus , cùm hunc lu-
Ad Gal. 4 dum persecutionem vocat. *Is qui secundum carnem natus fuerat , persequebatur ,*
(ἐδίωκε) eum qui secundum spiritum.

in com. eius loci. ITA Paulum intellexit Hieronymus, *Intellexit*, inquit, *Apostolus lusum illum sim-* — IV.
plicem non fuisse. Sed quia forsitan Ismael quasi maior natu , & eo tempore circumcisus, quo iam — *Quis eius cum Isaaco ludus.*
poterat intelligere , & sentire quod passus est , sibi primogenita vendicabat ; Scriptura iurgium
paruulorum, lusum vocauit, vnde & Sara hæc verba non sustinens , & consuetudinem sibi pri-
mogenita vendicantis ancillæ filij à parua ætate non patiens, erupit in vocem, Eiice ancillam cum
1. χ. *filio suo.* Eadem ferè habet in trad. Hebr. Et vox Hebræa mezacheq non tam lu-
dentem, quā insultantem , & superbè , & contumeliosè tractantem significat ; sic
c. 39. v. 14 enim vsurpatur eadē vox infra in hoc ipso libro Geneseos, vbi impura mulier que-
ritur de marito, qui domum induxerit Hebræū, *vt illuderet* , inquit, *nobis*. Talis fuit
2. Reg. 2. 14 ludus famulorum Abner & Ioab, qui in mutuam multorum cædem euasit.

l. 1. c. 12. Ex quibus improbandus videtur Iosephus , qui hunc lusum interpretatur fa- — V.
miliarem conuersationem , & coniunctam ac communem educationem. *Amabat ,* — *A Iosepho malè intellectus.*
inquit , *Sara Ismaelem ab initio , famula Agare natum , non secus ac si ex se esset*
genitus ; alebatur enim in spem successionis. Verùm post quàm ipsa Isaacum peperit ,

non amplius æquum censebat Ismaëlem cum hoc educari, quippe qui natu maior, defuncto communi patre, iniuriam ei facilè inferre potuisset. Suasit igitur Abrahamo vt eum vnà cum matre aliquò ablegaret. Eadem fere habet D. Chrys. De irrisione autem, Homil. 46.
aut vexatione, nullum verbum, sed nemo non videt interpretationem Apostoli omnibus anteferendam esse.

VI. *Molestia Abrahæ super Ismaëlem, & consolatio.*

DVRE *accepit hoc Abraham pro filio suo. Patriarcha*, inquit Chrysostomus, *benè affectus erga Ismaelem molestè accipiebat quæ à Sara dicebantur. Neque enim de Agar multum sollicitus erat, sed erga puerum ita afficiebatur, vt pote adhuc adolescentem.* Sic ipse. Meminerat quoque eximias sibi de eo promissiones factas, eundémque, vtpote à se genitum, non poterat aspernari, nedum exturbare domo cum matre sua. Cùm ergo hæc eiectio Abrahamum affligeret, affuit Deus per visum nocturnum, qui eius virtutem duris exercebat rebus; simúlque, *Non tibi*, inquit, *videatur asperum super puero, & super ancilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Cui scilicet dabo terram hanc, & in quo benedicentur omnes nationes terræ. *Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* Significat ergo Dominus hanc Saræ postulationem, non ex inconsulta mulieris iracundia, sed ex diuina inspiratione profectam. Volente Deo illum ab adolescentia longe ab Isaaco secludere; ne cum ætate crescente ferocia, Isaaco legitimo hæredi dominari conaretur. (Gen. 21. 11. — Homil. 46. — 2. 4.)

VII. *Dimittit adolescentē cum matre.*

ABRAHAM, cui nihil erat antiquus quàm diuinæ voluntati omnibus in rebus obtemperare, *Surrexit mane, & tollens panem & vtrem aquæ, imposuit scapulæ eius, tradidítque puerum, & dimisit eam.* Magna hæc videtur erga vxorem concubinam, & susceptum ex ea filium parcitas, atque duricies. *Ergóne*, inquit Rupertus, *sic auarus fuit diues ille Regum victor, trecentorum octodecim vernaculorum Dominus, vt præter panem, & vtrem aquæ nihil filio donaret, quem tristis eijciebat, nec saltem illi vnum asellum commodaret, sed ea scapulæ matris imponeret*, Et recurrit ille more suo ad mysticum sensum. Sed fortasse hoc quoque iussit Dominus, vtriúsque deinceps curam in se suscipiens. Sic intellexit Theodoretus. *Veruntamen*, inquit, *valde diligens puerum, fecit quod Dominus præcepit, & sic promissionibus diuinis credidit, quia non datis illi seruis, ancillis, auro, vel argento, è domo iussit abire puerum, sed matre sola, cum panibus paucis, & vtre aquæ. Iam enim certa erat præcipientis promissio, qua Deus promiserat eis effecturum se puerum in gentem magnam, dignam vtique eius agricultura; quod etiam adimpleuit. Nam simulátque sicut puer potum desiderans, Angelus à Domino missus puteum ostendit plenum aqua potabili.* Idem sentit etiam Abulensis, qui hanc parcitatem refert in Saram, Agari & filio eius parum æquam; cui tamen hac in re Dominus voluerat Abrahamum obsequi. Ita etiam sentit Pererius, & Del Rio, quamuis obsistente Caietano; qui illi largè datum vult commeatum, & famulos, & iumenta; cui sine dubio Scriptura resistit. (lib. 6. c. 22. — q. 72. in Gen.)

VIII. *Quibus necessaria sub ministrat.*

ADDIDERIM tamen cum Abulensi, mox à discessu eorum Abrahamum eis copiosè necessaria subministrasse, idque propter loci vicinitatem, facilè fuisse, & propter naturæ coniunctionem, oportuisse. Quod videtur Torniellus sine causa negauisse: non enim si puer penè siti defecit à principio, & Deus ei per Angelum prouidit, propterea deinceps Abraham se patrem esse, & maritum oblitus fuerit; & qui in alienos, ignotósque benignus erat, in suos factus sit ferræus. Nec si in eis dimittendis cum tantulo commeatu Deus probare voluit obedientiam Abrahæ, ideo etiam voluit eum in reliqua eorum cura esse negligentem, & angelico eis ministerio quotidie famulari. (Hoc an. mund.)

IX. *Afflictio Agaris.*

CVM *ergo abiisset Agar, errabat in solitudine Bersabea*, qui locus est in extrema Chananitide, ad meridiem, Ægyptum versus, & postea ex euentu Bersabee dictus est, vt habetur hoc ipso capite extremo. *Cúmque consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborum, quæ ibi erant*, eam arborem Septuaginta τὴν ἐλάτην vocant, id est abietem, quos secutus est hoc loco Iosephus: quidam Hebræam vocem virgultum vertunt, alij, etiam de Hebraizantibus retinent (c. 21. 14. — c. 21. 33.)

versionem vulgatam, sicut & paraphr. Chald. Del Rio putat Septuaginta ex traditione accepisse, eam arborem fuisse abietem; proptereáque minus ad Hebraicam vocem respexisse. Illud autem abiicere, est eum ingenti mœrore, & impatientia deserere, quasi moriturum, cui tamen nihil opis afferre posset. Neque enim illum abiecit, quasi eum ferret in brachiis infantulum, qui annum iam vigesimum attigerat.

Qvia ergo oculi augent dolorem, *Abiit, seditque è regione procul, quantum potest arcus iacere*, quamuis Iosephus maluerit eam vlterius esse progressam, & dum pergeret ei Angelum occurrisse. *Dixit enim, non videbo morientem puerum*, siti videlicet exarescentem, quæ indicat hanc dimissionem factam æstiuo tempore, per quod in aridis, & siticulosis locis oberrantibus citiùs aqua defecit. Et *sedens contra leuauit vocem suam, & fleuit*, sed flebat etiam puer, & Dei, vt apparet, implorabat opem, ex pia, & domestica institutione Patriarchæ. X. *Et deserto filij.*

Itaqve *exaudiuit Deus vocem pueri* in gratiam patris, & misit Angelum, qui ei opem ferret. Nam *vocauit Angelus Dei Agar de cælo dicens. Quid agis Agar? Noli timere* puero, qui Deo curæ sit, qui in promissis suis fidelis est, & verax. *Exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo est. Surge tolle puerum, & tene manum illius.* In Hebræo Arias vertit ad verbum, *fortifica manum tuam in eo*, id est constanter eius curam habe, sicut interpretatur eum locum Iosephùs; additque Angelus cur illius cura habenda sit, *Quia*, inquit, *in gentem magnam faciam eum*, tantò enim maior cura habenda est iuuentutis, quo ad maiora destinantur, & plus commune animarum ac Reipub. bono prodesse vel obesse possunt. Hanc promissionem peruertit Iosephus, *Curam*, inquit, *educandi pueri habere iussit, sperandam enim illi eximiã fœlicitatem, è salute Ismaëlis.* Sic ipse. XI. *Vtriusque consolatio, & subuentio.*

vers. 20. At fœlicitas, si qua promittitur, filio promittitur, & non matri. Etenim iam tum dicitur, *Deum cum eo fuisse*, (Dei enim vox ex Hebræo, & Græco subaudienda est) peculiari scilicet prouidentia erga eum vtendo, quòd non satis conuenit cum eo, quòd Hebræi apud Abulensem, & Lyranum dicunt, eum latrocinia exercuisse, & transeuntes deprædatum esse. *Aperuítque oculos* mulieris Deus, vt videret fontem, quem mœrore turbata non animaduertebat, vbi impleuit vtrem aqua, deditque puero potum. quo vterque recreati, bene de diuina prouidentia, etiam in solitudine, sperare cœperunt, &, vt apparet, ad aquam illam ad tempus commorari, eóque conuehere, quæ ad victum erant necessaria, hinc Abrahamo prospiciente, vt ex Abulensi dicebamus, inde adolescente venationem exercente. *Factus est* enim *iuuenis sagittarius.* Addit Iosephus, Agarem in pastores incidisse, eorúmque benignitate miseriam euasisse. Deinde aliquantò vltra progrediens *habitauit in deserto Pharan*, quòd Israëlitæ ex Ægypto reduces celebre reddidere. XII. *Ismaëlis vita in solitudine.*

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2144.

N. IV. 1. מְצַחֵק est à radice צָחַק quod ridere & illudere, aut propinare deridendum; quo modo accepit Caiet. hoc loco.

N. VI. 2. Hæc tristitia Abrahæ in eiiciendo carnali filio, repræsentat tristitiam Apostolorum videntium Iudæos Abrahæ filios expelli è regno cœlorum, quorum Paulus fatetur, imò iurat tristitiam sibi esse magnam, & continuum dolorem cordi suo, propter Israëlitas. Vide hæc fusè apud Rupertum libro sexto, capite secundo. Rom. 9.

ANNVS MVNDI 2150. DILVVII 494. TERTIÆ ÆTATIS 112. SEMI 592. SALÆ 427. HEBERIS 397. ABRAHÆ 112. ISMAELIS 26. ISAACI 12. PROMISSIONIS 37. ARII 28. IMPERII ASSYRIORVM 219.

ANTE CHRISTVM 1903.

HIc annus eſt finis Iubilæi 43. quem ſacris æquè ac prophanis rebus vacuum reperio: hoc tamen fidenter addo Iſaacum domi verſatum, ſub exactiſſima parentum cura, vt filium benedictionis. Iſmaëlem duram ac penè ſylueſtrem in deſertis locis vitam egiſſe, nullius admodum cura munitam. ergo ille mitis, iſte ferox pro educationis diuerſitate redditur.

ANNVS MVNDI 2154. DILVVII 498. TERTIÆ ÆTATIS 116. SEMI 596. SALÆ 431. HEBERIS 401. ABRAHÆ 116. ISMAELIS 30. ISAACI 16. PROMISS. 41. ARII 26. IMPERII ASSYRIORVM 223.

ANTE CHRISTVM 1899.

I. *Coniugium Iſmaëlis.* SVB trigeſimum Iſmaëlis annum contigiſſe arbitramur coniugium eius, de quo Moyſes; *Habitauitque in deſerto Pharan, & accepit illi mater ſua vxorem de terra Aegypti*; cui chronologiæ conciliant fidem ortus aliquot Patriarcharum, qui cap. vndecimo Geneſeos memorantur orti ſub annum trigeſimum parentum ſuorum. Idem ſentit Ioſephus. *Poſt quam autem ad virilem ætatem peruenit* (ἀνδρωθέντι δὲ τῷ παιδὶ) *vxorem ei coniunxit, Aegyptiam genere*, vnde & ipſa erat oriunda, quibus cum etiam fortaſſe hoc decennio, quo abfuit à domo Abrahæ, non raro conuerſata eſt. Et credibile eſt hoc coniugium non ignaro Abrahamo coaluiſſe; & patrem filio munera, non minus quàm Cethuræ poſtea filiis, largitum eſſe. lib. 1. c. 12.

II. *Fœdus Abrahæ cum Abimelecho, & eius cauſa.* EODEM *tempore* fœdus init Abrahamus cum Abimelecho, vt ait Moyſes, explicato Iſmaëlis coniugio, nec video cur anteuertendum ſit hoc fœdus, & ex eo loco mouendum, quem dedit ei ſeries Moſaïcæ narrationis; tametſi id fecerit Abulenſis, & Ioſephus, quem eam ob cauſam ſupra notauimus. Diuturnam enim Abimelechi experientiam innuunt illa verba, *Deus tecum eſt in vniuerſis quæ agis.* Quæ cauſam habent, qua Rex hic excitatus eſt, ad ambiendum hoc fœdus. Apparet etiam interueniſſe querelas quaſdam, fortè & minas, inter regios famulos, & Abrahamiticos, vt pridem inter paſtores Loti & Abrahæ; quæ ad dominos delatæ, inimicitias inter vtrumque procreare potuiſſent; & ea quæ ex inimicitiis oriri ſolent. Abimelech igitur pro ſua prudentia non ſolùm præſentibus malis occurrere ſtudens, ſed etiam futuris, & à ſe regnóque ſuo potentem aduerſarium auertere, eum amicum habere voluit, ac fœderatum. Quòd fidem etiam conciliat iis quæ de cauſa experiti Saræ coniugij ſuprà dicebamus. Et fortè inaudierat aliquid de terra illi diuinitus promiſſa, & poſteris eius, ideóque pro ſe poſteríſque ſuis cum Abrahamo paciſci voluit. c. 15. 6. an. 100. Abrahæ in fi. an. m. 2138.

III. *Petitur à Rege.* ASSVMPTO ergo ſecum *Phicol principe exercitus ſui*, quaſi teſte ineundi fœderis, Abrahamum adit, non enim initum eſt in vrbe hoc fœdus, vt ex ſequentibus conſtat, eíque ingenuè fatetur ſe motum fœlicitate eius, & diuina in ipſum

c. 21. 23. beneficentia, ad quærendam non tam amicitiam, quæ iamdudum parta erat, quàm fœdus quod ad seram vsque posteritatem pertineret. *Iura ergo*, inquit, *per Deum ne noceas mihi, & posteris meis, stirpíque mea*, iuxta Hebræum, *te non mentiturum mihi, aut filio, aut nepoti*, sed verbis factísque amicum præstiturum, & quemadmodum de te bene meritus sum, dum beneuolè aduenam recepi in regnum meum; tu quoque studebis de me, meísque bene mereri. Notat autem Del Rio pactum ad tertiam vsque tantùm generationem pertinere, ideóque quartam generationẽ à iureiurando immunem fore. Sed credibile est Abimelechum, omnem omninò posteritatem intellexisse; cur enim vllum excluderet?

ABRAHAM consentit in fœdus, promittítque se iuraturum, sed ne qua in animis simultas resideret, quo minus non linguis solùm, sed animis conuenirent, expostulat prius Abraham de accepta à seruis Regis iniuria; qui puteum, quem foderant Abrahamitæ, illi per vim abstulerant. Expostulationem factam ait Caietan. per seruos Abrahami, qui nacta temporis opportunitate, & iactanti collatũ beneficium, opposuerunt acceptam iniuriam. At Abimelech negat se authorem culpæ, aut participem, imò ad ius cuique suum reddendum paratum, si res ad eũ delata fuisset. *Nesciui*, inquit, *quis fecerit hanc rem, sed & tu non indicasti mihi, & ego non audiui, præter hodie*. Excusationem accepit Abraham; & vt ostenderet querelam, non ex rancore animi, sed iustitiæ zelo profectam, memor antiquæ erga se Regis liberalitatis, & ipse liberaliter oues & boues Regi largitur. Nisi potiùs malis, cùm Abulensi, ea pecora data in precium putei, & loci circũ vicini, in quo mox Abraham dicitur plantasse nemus, nam septem agnæ non videntur illi solo respondere. Denique dici potest Regem eum locum liberaliter largitum Abrahamo; qui vice versa liberaliter ei pecora dono dedit; *percusserúntque ambo fœdus*, seruando solemnitatem, vt ait Abulensis, quæ seruabatur antiquitus in huiusmodi fœderibus, vt scilicet occiderentur aliqua animalia, & inter diuisiones transiretur; iuxta ea quæ suprà dicta sunt, de fœdere inter Deum & Abrahamum inito. IV. *Admittitur à Patriarcha & initur.*

cap. 15. *Seorsim autem septem agnas* statuit Abraham, quas dedit Abimelecho, *In testimonium*, inquit, *quoniam ego fodi puteum istum*, de quo scilicet fuerat querela, & qui

1. X. deinceps ex re ipsa nomen accepit Bersabee[1].

HIS gestis regressi sunt illi in ciuitatem Gerara; Abraham vero possessor putei, vt & loci circumpositi, plantauit in eo nemus, hortum interpretatur Ionathas in Thargum Hierosolymitanum, qui & addit, vt refert Del Rio, in illo horto plantasse frugiferas arbores, & ibi solitum peregrinos excipere, & cum illis pacisci, vt Deum creatorem cæli & terræ timerent, ac colerent. Itaque institutos, & vera religione imbutos dimittere. Innuitur etiam ibi altare extruxisse, cùm dicitur, *Et inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni*. Quòd affirmat Abulensis, qui & narrationi Ionathæ consentit. V. *Abraham plantat nemus, & erigit altare.*

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2154

N. IV. 1. SIVE, vt est in Hebræo, באר־שבע prior pars puteum significat, posterior autẽ tam septem, quã iuramentum, vt notauit Hieron. in trad. ideóque tam puteus septem, scilicet agnarum, quàm iuramenti dictus est.

ANNVS MVNDI 2156. DILVVII 500. TERTIÆ ÆTATIS 118. SEMI 598. SALÆ 433. ET VLT. HEBER 403.

ABRAHÆ 118. ISMAELIS 32. ISAACI 18. PROMISS. 43. ARII 28. IMPERII ASSYR. 215.

ANTE CHRISTVM 1897.

Gen. 11. 15. EXPLENTVR hoc anno tres & triginta suprà quadringentos annos Salæ, quem ei vitæ cursum Scriptura suprà, in catalogo Patriarcharũ attribuit. Itaque moritur hoc anno, relicto adhuc in viuis proauo suo Semo, quam- *Salæ obitus.*

uis centum sexaginta quinque annis natu grandiore. Neque enim assentior Tornello, qui in hunc ipsum annum Semi obitum refert, quippe cuius sexcenti anni, post biennium tantùm explentur, anno diluuij quingentesimo secundo, vt paret ex vndecimo Genes. Græci codices annos viginti septem addunt vitæ Salæ, sed eorum Chronologiam, vt vitiatam, iampridem deseruimus. De Sala porrò nihil reperimus, aut scriptum à Moyse, aut excogitatum ab Hebræis, quo eius funus celebrare possemus.

433
165.
598.
v. 10. & 11.

ANNVS MVNDI 2158. DILVVII 502. TERTIÆ ÆTATIS 110. SEMI 600. ET VLT. HEBER 405. ABRAHÆ 120. ISMAELIS 34. ISAACI 20. PROMISS. 45. ARII 30. ET VLTIMVS. IMPERII ASSYRIORVM 227.

ANTE CHRISTVM 1895.

I. *Mors Semi.*

Hoc denique anno moritur Semus, omnium Patriarcharum antiquissimus. atque adeò omnium mortalium, qui ab obitu Noë patris eius in viuis fuere, vt quem eius primogenitum fuisse in ipsius Semi ortu docuerimus. Sepultus dicitur in Babylone, vt habetur in Romano martyrologio decimo Aprilis. Eum nonnulli Melchisedechũ esse putauerunt, quibus suffragium nostrum non damus, vt ex iis, quæ suprà disputauimus, intelligi potest, quæ non sunt hoc loco iteranda. Ne mireris autem Chronologiam nostram à Rabinica Seder-Holam discrepare, in qua dicitur Iacob annis quinquaginta Semo ministrasse, erroris causa gemina est, quòd Abrahamum natum volunt anno patris septuagesimo, quódque Cainan filium Arphaxad prætermiserint, quæ duo nonaginta annorum parachronismum inuehunt, quos si detraxeris, annos Semi ad quinquagesimum vsque Iacobi deduces, qui patris sui anno sexagesimo natus est.

Gen. 11.
an. mundi 1559. n. 2.
an. mundi 2118.

II. *Coæuus 16. generationibus.*

Et quoniam diu admodum vixit, coæuos habuit plerósque tam ante, quàm post diluuium. Ante diluuium vixit cum Mathusalem proauo, annis nonaginta octo, cum Lamech auo, nonaginta tribus, cum patre Noë nonaginta octo. Post diluuium autem cum eodem Noë parente suo trecentis quadraginta octo, cum Arphaxad filio quadringentis triginta octo, cum Cainam nepote trecentis sexaginta, cum Sala pronepote quadringentis triginta tribus, cum Hebere abnepote quadringentis quinque, cum Phaleg, & Rheü atnepote & trinepote ducentis triginta nouem cum singulis; tantumdem enim vterque vixit. Cum Sarug Abrahæ proauo ducentis triginta, cum Nachor eius auo, centum quadraginta octo; cum Thare eiusdem patre ducentis quinque, cum Abrahamo centum viginti, cum Isaaco viginti. Vidit itaque filios ac nepotes vsque ad vndecimam generationem, atque adeò duodecimam, si iam Ismaël, vt credibile est, primogenitum suum Nabaioth ex vxore susceperat. Maiores autem vsque ad tertiam, & omninò quindecim aut sexdecim generationes sexcentis annis emensus est. quòd vix reperias vlli mortalium contigisse, si ab Enoch & Elia discesseris. Vide rem subiectam oculis.

Sem vixit omnino annis sexcentis; in quib. habuit coæuos,	Ante diluuiũ,	Mathusalem proauũ,	cum quo vixit annis	98
		Lamechum auum,		93
		Noë parentem,		98
	Post diluuium,	Eundem Noë patrẽ,	cum quo vixit annis	348
		Arphaxad filium,		438
		Cainam nepotem,		360
		Sala pronepotem,		433
		Heber abnepotem,		405
		Phaleg atnepotem,		239
		Rehu trinepotem,		239
		Sarug proauum		230
		Nachor auum (Abrahæ)		148
		Thare patrem (Abrahæ)		205
		Abraham,		120
		Isaac filium (Abrahæ)		20
		Nabaioth nepotẽ (Abrahæ)		

VIR fuit eximiæ virtutis adeò vt potuerit Melchisedech existimari, quem constat fuisse sanctissimum; quam etiam indicat illa in parentem reuerẽtia, quam illustriorem reddit alterius fratris, in patris dedecore, petulantia. Indicat & collata in eũ Patriarchæ sanctissimi benedictio, in qua singulari priuilegio, Dominus Deus Semi appellatur, sicut posteà Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Benedictio, quam meritò existimare possumus non in externa solùm bona, sed largè in corpus, vt diutissimè, & in animam, vt sanctissimè viueret, redundasse. Indicat retenta in eius vnius familia vera pietas, verúsque Dei cultus, aliis penè omnibus in idololatriam prolabentibus. Penè omnibus dixi; nam satis constat Melchisedechum, & Abimelechum Chananæorum regulos, cum magna vtrique parte subditorum suorum, veri Dei cultores extitisse; quòd si in posteritate maledicti Chanaan tales viri reperti sunt, minimè dubitandum videtur, quin in Iapheti filiis, ac nepotibus, plerique haustam à Noëmo pietatem fouerint, ac propagarint. III. *Eius virtus.*

Eccl. 49. 17 SED virtuti Patriarchæ huius, respondit gloria, Nam Sapiens, *Seth & Sem*, inquit, *apud homines gloriam adepti sunt;* quia, vt rectè notauit Iansenius, sicut Seth post Adam est primus pater piæ generationis vsque ad diluuium, cùm frater eius pater esset impiorum: ita & à diluuio post Noë Sem factus est primus parens sanctæ generationis Patriarcharum, ex quibus Christus ipse natus est, cùm eius frater Cham impius parentis irrisor, primus pater esset impiorum. Gloriosus ergo Sem, & inclytus iuxta nomen suum quod Hieronymus nomen, siue nominatum, alij etiam famam interpretantur. IV. *Et gloria.*

1. QVI etiam Christum ipsum omnium nepotum eius longè gloriosissimum, ad- V.
2. umbrauit, qui viderit semen longæuum, sicut de Christo prophetauit Isaias: qui *Fuit Christi figura.*
c. 53. zelo pro patris honore commotus sit, qui vel maximè viuebat in Christi pectore,
vnde illa, *Et glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Et, *Zelus domus tua comedit me;*
Ioan. 7. 18. Ioan. 8. 49. &, *Qui quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est.* Et, *Ego honorifico patrem meum, &*
3. *vos inhonorastis me.* Et vt in Sem segregatum est semen piorum à diluuio, quo de-
leti sunt peccatores: ita in Christo segregatum est semen Sanctorum Christiano-
4. rum, postquam diluuio passionis, & sanguinis Christi peccata periersit. Denique
Sem excipit Iaphet in tabernaculis suis. Christus excipit gentilium populos in
Ecclesiam suam.

Hoc ipso anno trigesimus & vltimus expletur annus Arij quinti Assyriorum regis, iuxta ea, quæ in primo eius anno diximus, & Eusebij Chronologiam, cui respondet Africani ἀλφ. δ. χέ. *Mors Arij.*

ANNVS MVNDI 2159. DILVVII 503. TERTIÆ ÆTATIS 121. HEBER 406. ABRAHÆ 121. ISMAELIS 35. ISAACI 21. PROMISS. 46. ARALII REGIS 1. IMPERII ASSYR. 228.

ANTE CHRISTVM 1894.

Eius successor Aralius.

SEXTVS à Belo Assyriorum rex Aralius, hoc primum anno imperij habenas suscepit, tenuítque annis quadraginta authore in chronicis Eusebio & Africano. Filium fuisse Arij censet Viues, ex Velleio, qui ait apud Assyrios filium semper patri successisse. Hunc porro regem à bellis minimè quieuisse probabile facit Oros. qui ait, Regnum per mille centum sexaginta annos vsque ad Sardanapalum, per quinquaginta propemodum reges actum, nunquam penè à bellis vel inferendis, vel excipiendis quieuisse. *lib. 8. de ciu. c. 3.* *l. 1. c. 12.*

ANNVS MVNDI 2163. DILVVII 507. TERTIÆ ÆTATIS 125. HEBERIS 410. ABRAHÆ 125. ISMAELIS 39. ISAACI 25. PROMISS. 50. ARALII 5. IMPERII ASSYRIORVM 232.

ANTE CHRISTVM 1890.

I. *Sacrificiū Isaaci.* INSIGNIS est in paucis hic annus, admirabili Abrahæ, & Isaaci Patriarcharum obedientia, quam ille exhibuit Deo, vsque ad mortem dilectissimo filio inferendam, hic Deo exhibuit & patri sese, tam horribili, támque inusitato sacrificio hostiam religiosissima deuotione offerendo. Quo porrò tempore contigerit hæc historia controuertitur, & si autem plerique tacent, vt Paulus Orosius, Sulpitius Seuerus, Ado, Isidorus, Nicephorus, Beda, Euseb. & ex recentioribus Bellarm. Tempotarius, Mercator, Beroald. nihilominus tres ea de re sunt opiniones, extremæ duæ, tertia media. *Gen. 22.*

II. *Quando contigerit. 1. opinio.* NAM Aben-Ezra, apud Tostatum, putat Isaacum dum à patre ligatus est, decem aut duodecim annorum fuisse, & inuitum ligatum esse. Eam sequitur opinionem Bibliander, licet decimumtertium ponat, sicut & Vignetius, qui eam esse doctissimorum Hebræorum asserunt. Huc aggregandus est Caluisius, qui quindecim maluit. Verùm hæc ætas non satis idonea fuit ad deferendum tantùm ligni, quantum necesse est ad cadauer vnius hominis comburendum. Nec aliud in hanc sententiam impulit Aben-Ezra, quàm imprudens zelus. Timuit enim ne si sponte & volens sacrificio sese obtulisset Isaac, maioris meriti in hoc actu fuisset, quàm Abraham. Ideò renitentem inducit, & à patre ligatum, quòd facilè fuisse ex eo ducit, quòd is decem, vel duodecim annorum esset. quòd ille probare non potuit. Nam pueri vox, qua Scriptura vtitur, nihil probat, cùm legamus grandes natu, vt Absalonem, ita vocari à patre, cùm tamen tum triginta annorum esset, Septuag. παιδάριον vocant. vide Pererium. *2. Reg. c. 18 num. 45.*

2. opinio. Altera extrema est Chronologiæ Hebræorum, in qua hæc loquuntur. *Isaac pater noster peruenerat ad trigesimum septimum annum, quando super altare ligatus est.* quam probasse videtur Genebrardus, Capellus item, & Brougtonus, qui tamen habet *in Chronol.*

tantum trigesimum tertium, loci spatiis fortè coarctatus, quòd mors Saræ spa-
tium anni trigesimi septimi occupasset. eadem videtur Tostati sententia in hoc
pag. 127. caput, & Chronicum Alexandrinum, quod habet annum trigesimum quintum.
Hæc opinio minus fit probabilis ex eo, quòd cùm hic annus trigesimus septimus
sit is, quo mortua est Sara, si mortua est ante hoc sacrificium, inuersus est ordo
narrationis Mosis, & simul dicendum esset iam tum Abrahamum Geraris mi-
c. 22. v. 19. grasse in Hebron, vbi mortua est Sara. At manebat adhuc in Bersabee, ibique e-
l. 1. c. 13. & 14. tiam deinceps habitauit, vt habetur infrà; si autem nondum obierat, vt vult Iose-
phus, cùm hoc sacrificium contigerit septimo mense, vt decimus, reliquum anni
tempus videtur breuius, quàm vt & habitationi in Bersabee, & migrationi, & æ-
gritudini, & morti Saræ aptari possit.

MEDIA sententia & communior & verior, quæ nobis probata est, vult Isaa- III. *Media sententia verior.*
cum annum tum egisse vigesimum quintum. Ita sentit Iosephus, quem sequitur
lib. 1 c. 13. num. 3. Marianus Scotus, Pererius in hoc caput, Del Rio, Adrichomius, Functius, Gor-
donus, etsi ponat vigesimum septimum, Lyranus, in quo per errorem legitur
trigesimus quintus pro vigesimo quinto, citat enim Iosephum, qui sine contro-
uersia habet vigesimum quintum. Consentit Caiet. licet numerum annorum nō
exprimat. Sequitur disertè Torniel. anno tertiæ ætatis quinquagesimo primo,
l. 5. Vertonius, Vignerius[1]. Quæ sententia, præterquam quod plurium est, & fide di-
gniorum, hoc ipso probabilior est, quod nullis vrgetur incommodis. Etenim va-
lida est ætas, ad tridui pedestre iter, & ad lignum ferendum holocausto necessa-
tium, & rursum plures annos relinquit habitationi in Bersabee, quæ à Scriptura
memoratur, & iteratæ migrationi in Hebron, & ægritudini ac morti Saræ.

QVO autem anni tempore ductus sit Isaac ad sacrificium, refert Abulensis hoc IV. *Quo die, & mense.*
num. 3. capite, & post eum Perer. proditum ab Hebræis, in primo die septimi mensis con-
Leuit. 23. 24. tigisse; quo die institutus est à Mose festus dies tubarum, in quo earum clangore
Num. 29. 1. conuocabatur populus ad audiendam legem, vt patet libro secundo Esdræ, ca-
pite octauo. Dicunt autem Hebræi huiusmodi tubas fuisse corneas, in memo-
riam liberati Isaac à sacrificio, & immolati pro eo arietis, qui cornibus vepreto
hæserat implicatus. Quo etiam referunt illud Dauidis excitantis ad laudandum
Psal. 97. 6. Deum, *In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.* Huc videtur respexisse Hieronymus
in trad. *Apud Hebræos,* inquit, *exiuit in prouerbium, vt si quando in angustia constituti
sunt, & Domini optant auxilio subleuari dicant, in monte Dominus videbit, hoc est, sicut A-
brahæ misertus est, miserebitur & nostri, vnde & in signum dati arietis, solent etiam nunc
cornu clangere.* Sic Hieronymus. Hæc de tempore.

DE re ipsa primum occurrit inquisitio causæ tentationis huius. Prima est in- V. *Causa tentationis huius.*
1. gens incrementum meritorum sanctissimi viri, quem cùm Deus, magna quadam
gratiæ copia donauisset, noluit eam inutiliter, & sine fructu possideri, sed grauis-
sima tentatione, in qua victorem eum futurum certò sciret, imò in qua victoriam
2. ipse concederet, vehementer augeri. Deinde voluit Dominus Abrahamum ser-
uum suum vsque adeò honorare, vt eius fidei & obedientiæ meritis deberentur,
quæ Deus hactenus se donaturum ipsi, & posteris eius, ex mera liberalitate pro-
miserat, idque ostendunt ea verba, *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo
vnigenito propter me, benedicam tibi,* &c. addito etiam aduentu Messiæ, nam conclu-
dens ait, & *benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.*

3. VOLVIT præterea Dominus ad gloriam suam, & ad gloriam amici sui, ad- VI. *Admirabiles virtutes Abrahæ in hoc sacrificio.*
mirabilem eius virtutem manifestari omnibus gentibus. Nam ingens quædam
gloria Domini est habere seruos, qui tanti faciant imperium eius, vt ad nutum
ipsius, omnia impedimenta perrumpant, omnia naturæ iura transcendant. Et
ingens gloria est Abrahami, tanta in Deum fide extitisse, vt humanæ ratio-
nis iudicium omne in eius obsequium captiuaret; tanta obedientia vt non par- *Fides.*
ceret vnigenito suo, sed eum sua ipse manu iugularet; tanta spe, vt pereun-
dem nihilominus speraret, & crederet diuinas promissiones implendas esse; *Obedientia.*
tanta charitate, vt suum omne gaudium illi consecraret, paratus totam reli- *Spes.*
quam vitam in luctu domestico, in populari infamia traducere; tanta forti- *Charitas.*
tudine, vt paterno amore percalcato, vt omnium affectuum violentissima pu- *Fortitudo.*

pugna prostrata, innocentissimum, maximéque amabilem filium mactare non dubitaret; voluit denique Dominus extare clarissimum exemplar, atque ideam illius sacrificij, quòd aliquando vnigenitus eius pro salute mundi Hierosolymis impleturus erat, quando *proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum,* vt ait Apostolus. 4. Rom. 8. 32.

VII. *An quidpiam in eo culpa.* AT, inquies, nunquid propterea innocens Isaac interfici debuit; & humanum sacrificium, quòd ipsa natura exhorrescit, & Dominus in idololatris detestatur, perpetrari, exemplóque suaderi? Neque enim facienda sunt mala, vt eueniant bona. Quis autem dubitet innocentum cædem in malis esse numerandam? Respondet Abulensis Isaacum innocentem quidem fuisse apud homines, quia nulli eorum nocuerat, non autem apud Deum, non enim carebat peccatis venialibus, propter quæ potuit eum Deus morti tradere. Videtur existimare Abulensis Deum non nisi propter culpam, afflictiones hominibus inferre, at satis constat Deum pœnam non inferre, nisi propter culpam, sunt enim relata, sicut meritum & præmium, afflictiones autem non item; vnde D. August. afflictiones iustorum in hac vita, sine culpa propria, non vult vocare pœnas. *Iustis,* inquit, *quidquid malorum ab iniquis dominis erogatur, non est pæna criminis, sed virtutis examen.* L. 4. de ci. c. 3

VIII. *Nihil fuisse, & simul mirum esse ius in omnia creata.* DIXERIM potius Dei ius in homines, creatáque omnia, non esse ex iuris humani similitudine metiendum. Nam hominum actiones, vt bonæ sint, rectam rationem pro regula sequi debent, cùm in Deo, eius vna voluntas sit regula iustitiæ & æquitatis, & iustum sit aliquid hoc ipso quod placet Deo; ideóque iustum fuisse Isaacum mori, quia Deus elegerat tale medium ad illustrandam gloriam suam. Deinde aliter sunt creatæ res in diuina, aliter in humana potestate. Deus dedit hominibus regulam actionum suarum rectam rationem, à qua si deflexerint obnoxij sunt diuino iudicio, Deus propriam voluntatem pro regula habet, à qua deflectere non potest. Homines pro arbitrio res tractare, conseruare, disperdere sine culpa non possunt, quia alienæ sunt, & vsum ipsi tantum earum habent, Deus de rebus omnibus pro arbitrio disponere potest, quia in eas, vt planè, omníque ratione suas, omnem omninò potestatem habet, vt non solùm vni homini vitam eripere, sed omnibus planè, imò & vniuersum mundum in nihilum redigere valeat; quia sic placitum fuerit ante ipsum, idque sine vlla omninò culpa, aut indecentia. His consequens est humanum sacrificium, & quidquid à Deo imperatum fuerit, iustum & sanctum esse. quia tamen simpliciter tales hostiæ ipsi non placent, propterea & illas respuit, & hoc sacrificium perfici non est passus, & sola Patriarchæ voluntate contentus fuit.

IX. *Tentatio Abrahæ grauissima. ex Origene.* TENTAVIT ergo Dominus Abraham, sese erga ipsum gerens eo modo, quo solent homines, cùm de aliis volunt experimentũ accipere, sicut infrà ait se nunc cognouisse, metaphoricè scilicet ad modum hominum recẽs in cognitionem venientium alicuius rei se gerens. Tentauit, inquam, eíque præceptum imposuit lõgè grauissimum, atque difficillimum. *Tolle,* inquit, *filium tuum, vnigenitum, quem diligis, Isaac; & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum, super vnum montium, quem monstrauero tibi.* Singula penè verba præcepti difficultatem amplificant, sicut præclarè docent omnes sancti Patres. Ambrosius, Augustinus, Rupert. Chrysost. Greg. Mag. & in primis Origenes homilia octaua, vbi inter alia multa, *Non suffecerat,* inquit, *dixisse filium, sed adiicitur & charissimum. Esto & hoc, quid adhuc additur, & quem diligis? Sed vide tentationis pondus, charis & dulcibus appellationibus iterum ac sæpè repetitis paterni suscitantur effectus, vt amoris euigilante memoria, ad immolandum filium paterna dextera retardaretur, & aduersus fidem animi, tota carnis militia repugnaret.* Et mox: *Sufficiat hoc ad supplicium patris, quid opus est adhuc vt commemores, & Isaac? Nunquid nesciebat Abraham quia filius suus ille charissimus, ille quem diligebat, Isaac vocaretur, nisi vt & promissionum, quæ sub hoc nomine facta sunt, desperatio subeat.* Et rursus: *Intuemini per singula, quomodo fiunt tentationis augmenta, vade, inquit, in terram excelsam. Nunquid non poterat duci prius Abraham cum puero ad illam terram excelsam, & imponi prius in monte quemcunque delegerat Dominus, & ibi ad eum dici vt offerret* Burg. Caiet.

filium? Sed prius ei dicitur, quia offerre debeat filium ſuum, & tunc iubetur ire in terram excelſam, & aſcendere in montem. Quò hoc ſpectat? vt dum ambulat, dum iter agit per totam viam cogitationibus diſcerpatur, vt hinc perurgente præcepto, hinc verò vnici affectu obluctante crucietur. Propterea ergo etiam via iniungitur (& quidem tridui) *& montis aſcenſio, vt in his omnibus ſpatium certaminis accipiat affectus & fides, amor Dei & amor carnis, præſentium gratia, & expectatio futurorum.* Ita Origenes. Vt meritò dici poſſet, *Certamen*

Sap. 10. 12.

forte dedit illi, vt vinceret. Vnigenitum vocat, vel ratione matris Saræ, ex qua illum vnum genuerat, vel ratione electionis diuinæ, quæ illum vnum patri dedit diuinatum promiſſionum hæredem.

X. *Terra viſionis, locus templi Salomonis.*

3. 1.

TERRAM autem viſionis, ex communi conſenſu interpretum Hebræorum, Græcorum, Latinorum, intelligit montem, in quo deinde templum Salomonis excitatum eſt: idque omninò perſpicuum eſt ex Hebræo textu, vbi iubetur Abraham ire in terram Moriah, in ſecundo autem Paralip. dicitur Salomon ædificaſſe domum Domini in monte Moria, quam vocem cùm varij variè interpretentur, Hieronymus Symmachum ſecutus, qui habet, τῆς ὀπτασίας, viſionis interpretatus eſt, in editione vulgata; Septuaginta terrã, ὑψηλὴν, id eſt, excelſam dixere, Aquila

in tradit. Hebr.

καταφανῆ, id eſt lucidam, vt eſt apud eundem Hieronymum, quæ omnes verſiones eodem recidunt, vt ſignificetur conſpicuus locus, qui longè latéque proſpectum habeat, in ſubiectas vndique terras; ex quibus etiam facilè videri poſſit. Id autẽ rectiſſimè conuenit terræ, in qua templum ædificatum eſt, nam cùm Hieruſalem loco eſſet totius Palęſtinæ eminentiſſimo, adeò vt vndequaq; in eam vrbem aſcẽderetur; templum in loco erat totius vrbis altiſſimo. Porrò totus ille mons in plures colles, vallium interiectu diſtributus, varia ſortitus eſt nomina. Nam qui meridiem reſpicit dictus eſt Sion, qui occaſum Golgotha ſiue Caluaria, qui ortum Moria communi totius loci nomine, qui Septentrionem Acra, vt videbis in tertio omo Villalp. Totum ergo hunc locum nomine terræ viſionis complexus eſt Dominus, reſeruans ſibi particularem locum collem, quem ei oſtenſurus eſſet, vbi propius acceſſiſſet; illum ſcilicet in quo templum ædificarum eſt.

XI. *Mirabilis obedientia Patriarchæ.*

SED quid Abrahãm ad hæc? nihil excuſat, nihil obmurmurar, nihil obſecrar, in tam luctuoſo negotio, ne hiſcit quidem, & penè præcepti nouitatem, atque admirabilitatem non admiratur, totus ad celerem executionem fertur, de nocte conſurgit tacitus, parat quæ ſacrificio erant neceſſaria, addit ad Iſaacum comites duos, ac ſtatim ſe dat in viam. Imprudenter fortaſſis, inquies; at ille ſapienter cẽſuit prudentiam imperantis eſſe, non obſequentis. Sed quare imprudenter? quòd

An imprudens.

examinandum prius videretur taléne præceprum, de illicito ſacrificio, & diuinæ promiſſioni repugnante, diuinum eſſet, an dæmonis illuſione ſuggeſtum. Reſpõdet Abulenſis, Deum iſtorum præſcium, dediſſe pleniſſimam cognitionem, & certitudinem Abrahæ, per quam omninò ſecurus eſſet; nullo manente ſcrupulo, hoc mandatum à Deo profectum eſſe; & ſic ad executionem intrepidum proceſ-

Hebr. 11. 19

ſiſſe; fide etiam erigebatur, *arbitrans*, vt ait Apoſtolus, *quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus*, id eſt, credebat Deum quàm primùm eum exciraturum, vt in eo promiſſiones implerenrur; alioqui fides illa communis eſſet omnium fidelium, non ſingularis Abrahami.

XII. *Peruenitur ad montẽ.*

TERTIO autem die eleuatis oculis vidit locum procul. *Notandum*, inquit Hieronymus in tradit. *quod de Geraris vſque ad montem Moria, id eſt ſedem templi, iter dierum trium ſit, & conſequenter illuc die tertio perueniſſe dicatur. Malè igitur quidam Abraham putant illo tempore ad quercum habitaſſe Mambre, cùm inde, vſque ad montem Moria, vix vnius diei iter plenum ſit.* Hæc Hieronymus; cui & horum locorum luſtratori ſedulo, meritò fides habeatur; eáque dimenſio Adrichomij etiam tabulis rectè

n. 32.

congruit, ideóque minimè audiendus eſt Abulenſis, (eum tamen audit Pererius,) cùm ait diſtantiam Berſabee à monte Moria fuiſſe ſepremdecim milliariorũ, quæ quis facilè vno die conficiat. Initio ergo diei tertij vidit locum procul, & ex columna ignis, vt Hebræi dicunt, à Deo excitata in loco, in quo filiũ oporrebat immolari, agnouit diſtinctè locum à Deo electum ad holocauſtum, aut certè interno monitu & indicatu, vt cùm Samueli oſtendit Saülem, & Dauidem inungen-

1. Reg. 9. 17
16. 12.
Perer. n. 34.

dos; omnes ſimul progreſſi ſunt, vſque ad radices montis Moria, vt Abulenſis ait, ibique Abrahamus iuſſit famulos cum aſino ſubſiſtere, & ligna Iſaaci humeris

imposuit in ascensu montis, non autem cùm primùm à longè mons apparuit, ne dicamus Abrahamum inutili labore filium vexare voluisse.

XIII. *Quomodo reditum promittat Abraham.*

EXPECTATE, inquit, *hic cum asino, ego & puer illucusque properantes, postquam adorauerimus reuertemur ad vos.* Num præter mentem loquitur Abraham? Ita sanè visum Antonio Fonsecæ in Genes. & Thomæ Eboterisi, sed præter mentem alienam, non suam: itaque amphibologia vsum, non mendacio, subintelligendo, si Deus voluerit[2], aut loquẽdo de se in numero multitudinis, aut, vt Caietanus existimat, & idem Thomas, metiendo reditum ex statu præsenti causarum naturaliũ, iuxta quem satis certus erat reditus, non autem iuxta præternaturalem ordinem diuinæ prouidentiæ. aut denique ex impulsu Spiritus sancti prophetando, nõ aduertendo quid diceret, quasi extra se positus, vt placet Abulensi, & ante eum Chrysostomo, & Ambrosio. — 2. ✗. — hom. 47. lib. 1. de Abrahã, c. 8.

XIV. *Ascensus montis, & colloquium filij cum parente.*

TVLIT *quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, ipse verò portabat in manibus ignem & gladium.* Quàm triste parenti spectaculum præscio futurorum; sed ecce nouum telum ad senile pectus perfodiendum, eò acerbius, quo mollius & blandius. *Cùm enim duo simul progrederentur,* puta in montis ascensu[3], *dixit Isaac patri suo, Pater mi; sufficiebat hoc verbum ad initi viscera laceranda.* ait Chrysostomus, *At ille respondit, Quid vis fili; Ecce, inquit, ignis & ligna, vbi est victima holocausti? Dixit autem Abraham, Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.* Quæ enim mens, qui sensus Abrahæ fuit in spectando vultum innocentis filij, nihil mali suspicantis, & mox paterna manu morituri? cuius viscera, nedum mitissimi parentis, non dilaceraret illa tam candida interrogatio, tam mitis, tam simplex. Quomodo non strangulabat inclusus dolor, cùm in dissimulatione perseuerandum esset, nec liceret afflictissimo Patriarchæ in rugitum magni clamoris erumpere, aut saltem gemitu ac lachrymis cor ingenti mole tristitiæ oppressum aliquantulum exonerare. *Quia sciebat,* ait Chrysostomus, *magnitudinem præcepti, nemini prorsus hoc significauit, neque pueris, neque ipsi Isaac. Sed solus secum agonem illum decertabat, & quasi adamas quidam, manebat inuictus, robur cogitationum tantùm declarans.* Et quanta gratia credimus misericordem Dominum eius animam sustentasse, vt par esset ferendo oneri, ne penitus tristitiæ fluctibus absorberetur. — 3. ✗. hom. 47. — hom. 47.

XV. *Paratur sacrificium, & nunciatur mors Isaco.*

RELIQVVS est postremus tragœdiæ huius actus, in quo res è luctuosissimo statu in lætissimum commutatur. Peruenitur ad locum quem Dominus ostenderat Abrahæ, ibi opere tumultuario altare construitur, desuper ligna componuntur, victima cædenda est. Quæ fuerit tunc Abrahæ ad filium oratio reliquit Moyses piæ hominum meditationi. Eam Iosephus exhibet in hæc verba. *Fili mille votis te expetitum, postquam in hanc vitam venisti, summa cura, ac sollicitudine educaui, nihil beatius existimans, quàm si te virum videre daretur, & tandem hæredem meæ ditionis relinquere. Sed quoniam Deo visum est vt te susciperem, ac nunc rursum vt te amittam, fer generosè hoc sacrificium. Cedo enim Deo, qui à nobis hunc honorem reposcit, pro perpetuo fauore, quo nos belli, ac pacis tempore est prosecutus. Nunc lege naturæ natus cùm sis vt moriaris, non vulgarem habebis vitæ exitum, sed à proprio patre, patri vniuersorum Deo sacrifico ritu oblatus: ipso, vt credere par est, indignum te censente, qui aut morbo, aut bello, aut alia quapiam humana calamitate de vita decedas: Sed inter precamina, & sacra, animam tuam exceptam apud se collocabit: vbi memor cur te potissimum educauerim, senectutem meam sustentabis, non quidem per te ipsum, sed Deum mihi curatorem tuo loco relinquens.* Hæc Iosephus, non solùm probabiliter, sed etiam religiosè, credens piorum animas apud Deum viuere, atque etiam viuentibus suis apud eundem opem ferre precibus. Itaque Iosepho interprete sperat Abraham Isaacum defunctum sibi fore, ὡς κηδεμόνα, καὶ γηροκόμον, funeris ac senectutis curatorem, non per seipsum quidem, sed precibus peculiarem Dei erga se prouidentiam obtinendo. Iosephum nihilominus arguit hoc loco Lyranus, quasi nihil de resurrectione Isaaci cogitantem, quam tamen certò credidit Patriarcha, vt testatur Paulus, & necessaria erat, vt per eam promissiones implerentur. — l. 1. c. 13. vel 14.

Sancti apud Deum curã gerunt hominum.

XVI. *Isaac parat*

ISAAC ergo non tam patris oratione, in tam horrifico, atque insperato nuncio, quam diuina interius motione persuasus, nihil reluctatur, nil queritur, sed

ſe ad mortem.

incredibili animi fortitudine circunſeptus, deponit veſtimentum, procumbit in genua, manus offerr in vincula, corpus ad cædem, aſcendit in ſtruem lignorum rogo paratam, vale dicir patri, animam commendat Deo, gladio iugulum præbet. Nihilo ſegnius parer filium ſuper ligna commodè ad ictum excipiendum diſponit, vt ſanguis ſuper ligna effunderetur, arripit gladium, extenditque manum, vt immolaret filium ſuum; an vt capite truncaret? id videtur innuere illa manus extenſio, quæ hîc ſemel iterúmque memoratur, manum eleuarat, inquit Del Rio, & gladium vibrabat in ceruicem, cui interpretationi picturæ fauent; verùm gladius in iugulum victimarum ſolebat immergi. & σφάξαι, quo vtuntur Septuaginta, licet aliquando vniuersè significet interficere, propriè tamen eſt iugulare. Vnde hîc Chryſoſtomus, κατὰ τῆς δέῤῥας τοῦ παιδὸς, ἐνέφηκε τὸ ξίφος, *per collum pueri immiſit gladium*, & Hebræum לשחט ad iugulandum significat, itáque interpretatur Abulenſis, & alij, idque videtur probabilius.

hom 47.

XVII. Dimittitur liberatur.

Ad extrema iam ventum erat, & poterat Iſaac iam mortis horrore exanimatus, oculis caligine circunfuſis, corde vitali calore deſtituto, concidere; cùm ecce ex inſperato Angelus Domini clamat de cœlo, inhiber filij cædem, prædicat ſat magnum captum eſſe de Patriarchæ in Deum fide, atque obedientia experimentum. Et Abraham ſollicitus de ſacrificio Domini, mutata licet hoſtia, peragendo, circunſpiciens vidit poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, à Deo pararum, vt promiſſionem ſerui ſui impleret, qui dixerat, Deum ſibi de hoſtia prouiſurum; Chryſoſtomus; & illûc angelico miniſterio delatum, Abulenſis & Del Rio, & arbuſtis implexum, ne effugere poſſet, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio; tanto maiore vtriuſque lætitia, quanto propius vtérque à periculo abfuiſſent.

hom. 47.

XVIII. Dominus promiſſiones ſuas iureiurando confirmat.

Eo peracto rurſus Angelus apparens, Deique perſonam gerens, propter huius obedientiæ clariſſimum facinus, antiquas promiſſiones factas Abrahæ iureiurando confirmat, hoc eſt tam ſtabiles, & immobiles futuras atteſtatur, ac quæ iureiurando firmata ſunt inter homines. *Vide*, inquit Chryſoſt. *quomodo in ſermone ſe demittit Dominus, per memetipſum, inquit, iuraui, vt confidas omninò euentura tibi, quæ à me dicta ſunt. Quandoquidem enim homines promiſſis iuramenta adhibent, vt ſtabiliorem accipiant promiſſionem, ij quibus promittitur; Eapropter & Dominus humana vſus conſuetudine, inquit, per memetipſum iuraui.* Ita Chryſoſtomus. His ergo promiſſionibus iterum ſolemni iureiurando confirmatis, reuerſus eſt Abraham cum filio ad famulos, eorum aduentum præſtolantes, abierúntque Berſabee ſimul, & habitauit ibi. Hic hiſtoriæ huius finis fuit.

hom. 47.
Hebr. 6. 13.

XIX. Quid hîc Ioſephus peccaſſe videatur.

A qua priuſquam abeo, monuerim, Ioſephum promiſſiones à Deo factas amplificaſſe, nec promiſſionem Meſſiæ in eis agnouiſſe; ſed Iudaico more, animo ad terrena duntaxat conuerſo, benedictionem, quam à ſemine Abrahæ accepturæ erant omnes gentes, ad Iudaicam fœlicitatem conuertiſſe. Nam poſt promiſſam Iſaaco longiſſimam vitam, de qua nullum verbum Dominus; poſt magni etiam principatus ſucceſſionem ambitioſè promiſſam, qui tamen aut viuo, aut moriente Iſaaco nullus erat, vtpore qui carerent ſubditis extra domeſticam familiam, nec quidquam terræ poſſiderent, quique ante quadringentos & viginti abhinc annos nullus fuit (nam à vigeſimo quinto Iſaaci vſque ad ingreſſum in terram Chanaan, ductore Ioſue, non pauciores reperiuntur) denique poſt nonnullas id genus promiſſiones, ſubdit, regione quoque Chananæa bello quæſita, vſque ad inuidiam omnium exterarum gentium fortunatos fore. id quidem modico tempore Dauidis & Salomonis verum fuerit, nam reliquo, propter peccata ſua, earum potius gentium ludibrium fuere. Cæterùm miſer pſeudopropheta benedictionem gentibus omnibus promiſſam diuinitus, in inuidiam vertit, cùm vice verſa Iudæos præſens vrat inuidia, & iis futurus reſeruetur interitus, Chriſtianos autem, olim gentes, & ius, & maximè futuræ vitæ fœlicitas expectet.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2163.

N. III. 1. HVc referri potest Chrysost. homil. quadragesima septima, qui cum in flore ætatis fuisse ait, ὡς ἀκμῆς. & infra, laudat in eo αὐτὸ τῆς ἡλικίας τὸ ἄνθος.

N. XIII. 2. Αὐθεκείαν significat etiam Chrys. homil. quadrag. septima τάχα ἐξαπατῶν αὐτούς, καὶ παρασκευάζων αὐτοὺς μένειν, fortasse decipiens ipsos, & faciens vt illic manerent, Ambro-

l. 1 de Abra c. 8. sius captiosè ait locutum cum seruis, ne cognito negotio, aliquo modo impedirent.

Tardius Iosephus hanc interrogationem ab Isaaco factam scribit, cùm is aram in monte appararet; promissiones quoque contra Scripturæ ordinem, sacrificio anteponit. N. XIV. 3. l. 1. c. 13. vel 14.

ANNVS MVNDI 2164. DILVVII 508. TERTIÆ ÆTATIS 126. HEBERIS 411. ABRAHÆ 126. ISMAELIS 40. ISAACI 26. PROMISS. 51. ARALII REGIS 6. IMPERII ASSYR. 233.

ANTE CHRISTVM 1889.

I. *Mutui Nũcij Abrahamum inter & Nachorem.* IMPVNE licuit nuncium ab Abrahamo acceptum, quem in hunc annum referimus, ad quemuis alium qui sequatur oblationem Isaaci, & mortem Saræ antecedat referre; nemo enim quod sciam certum tempus assignauit. Libet autem suspicari Abrahamum post liberatum à morte Isaacum, & spes suas diuinitus etiam iureiurando, firmatas, lætitia exultantem, suos qui erant in Mesopotamia, gaudij sui participes facere voluisse, & ad eos certos nuncios misisse, sub extremum præcedentis anni. Sub huius autẽ initia Nachorẽ vice versa nuncios de rebus suis ad fratrem suũ Abrahamum misisse. Quæ à Moyse relata sunt, vt genus Rebeccæ, quæ postea data est Isaaco in vxorem, intelligeretur, & item Rachelis & Liæ, quæ fuerunt vxores Iacobi Patriarchæ. Gen. 22.

II. *Confirmatur Mors Tharæ ante digressum Abrahæ ex Haran.* HOC porrò nuncium de duodecim filiis à Nachore genitis, apertè ostendit nullam fuisse Abrahami cum Nachore communicationem, ex quo discesserat ex Charan, ante annum quinquagesimum. Ex quo etiam intelligi potest, vt rectè obseruauit etiam Torniellus, confirmari Chronologiam nostram de morte Thare, ante digressum Abrahæ ex Haran; nam si eo viuo discesserat, quomodo illum totis quinquaginta annis non inuisebat? Illum, inquam, qui pater erat, qui spirituali eius auxilio vehementer egebat, qui eius vnius amore incitatus, patriam grandæuus reliquerat & longinquam transmigrationem susceperat; si inuisebat, quomodo octo filios ex Melcha, quatuor ex Rheuma nepotes suos, fratri suo ibidem genitos ignorabat, vt nunc illi tanquam noua, & ignota nuncientur? *Nunciatum est* ergo *Abrahæ, quod Melcha quoque,* & non solùm Sara istius germana, *genuisset filios Nachori fratri suo,* de quibus nonnulla Hieronymus in tradit. quæ parum à Doctoribus probantur, illud imprimis de Hus primogenito Nachoris, de cuius stirpe vult Iobum fuisse generatum, quod initio libri eius legatur fuisse in terra Hus. Verùm Septuag. interpretes eum asserunt Idumæum, & de stirpe Esaü, nec credibile est terram Hus, quæ pars erat Idumææ, ab illo denominatam, qui nunquam fortasse è Mesopotamia pedem extulit, & quamuis daremus ab eo dictam; non tamen ideo consequens est Iobum de illius stirpe genitum fuisse: sed de his iterum suo loco dicendum erit, sub descensum Israëlitarum in Ægyptum.

III. *Ortus Rebeccæ.* HOC ipso anno centes. viges. sexto Abrahæ volunt Hebræi natam esse Rebeccam in Haram, eodémque rediisse Abrahamum è Palæstina in Hebron; sed suo more nihil probant, & credibilius est aliquot iam annis ante ortam esse, alioqui decimo quarto tantùm anno nupsisset Isaaco, at maiorem natu videtur exhibere historia Geneseos. 24. c. Gen.

ANNVS MVNDI 2175. DILVVII 519. TERTIÆ ÆTATIS 137. HEBER 422. ABRAHÆ 137. ISMAELIS 51. ISAACI 37. PROMISS. 62. ARALII REGIS 17. IMPERII ASSYR. 244.

ANTE CHRISTVM 1878.

Gen 25. l. 5. Chron. in c. 23. n 3. l. 16. deci. c. 31. ff. an. 6. Abrahæ.

Mors Saræ quando cōtigerit.

DECEM ipsos annos inuiti silentio transcurrimus, quod rerum inopes reperiantur. Nam quod habetur in Hebræorum Chronologia, quam sequitur Genebrardus, & Pererius, & refert Augustinus, biennio ante mortem Saræ Abrahamum sepelisse patrem suum Thare, totis sine dubio sexaginta duobus annis à vero alienum reperitur. Deceptio autem ex eiusdem erroris constantia nascitur, quod velint natum Abrahamum anno patris septuagesimo, indéque vixisse eundem Thare centum triginta quinque annis. Sed hoc alibi satis refutatum est. Circa tempus huius funeris se ipse refutat Iosephus cùm ait, Saram defunctam non multò pòst liberatum Isaacum, at cùm id vigesimo quinto ipsius anno contigerit, vt ipsemet affirmat, eius autem mater trigesimo septimo, necesse est duodecim annos intercessisse. Hic autem annus Saræ funere celebratur. Vixit enim centum viginti septem annis, vt Moyses affirmat, cum ergo decennio minor esset coniuge suo; isque hoc anno centesimum trigesimum septimum annum ageret, oportet eam hoc anno viuere desiisse, quod notauit Augustinus[1]. I.

c. 23. c. 17. 17. l. 16. de ciu. c. 31. 1. x.

Et vbi.

MORTVA verò est *in Hebron, quæ & Arbee dicta est*, vt hoc loco ait Moyses, & nos alibi explicauimus, *Venitque Abraham vt plangeret, & fleret eam*, meritò fleret mulierem eximia virtute præditam, bonum hòc lachrymis dignius, quò rarius. Vnde autem venit, vt plangeret? *Propter hoc*, ait Abulensis, *quidam Hebræi dixerunt Abrahamum ab immolatione venisse, & in reditu reperisse mortuam Saram, examinatam nuncio immolationis*. Sed id commentum Scriptura refellit, quæ digressos ex monte Moria ait venisse Bersabeam, ibique babitasse. Probabilius loquerentur si dicerent, dum migrarent ex Bersabee antecessisse Saram, & contracta ex itinere ægritudine, breui morte sublatam, móxque venisse Abrahamum, & mortuam planxisse. Rectius Abulensis ait venisse vt plangeret, quia sepulchrum erat in agro extra ciuitatem; ideóque domo & vrbe exisse in agrum ad plangendum. II.

Eccl. c. 16. 16.

c. 22. Gen.

n. 10.

Ritus funeris fletus.

Planctus.

RECTE quoque Perer. ait funebri vestitu, & comitatu multorū, qui ad eū consolandū venerant, venisse ad locum vbi depositū fuerat cadauer, quoad sepulturæ mandaretur; vt eo loco oratione lugubri, planctúque, dolorem suum declararet, simúlque mortuam, virtutes ac laudes eius commemorando, dilaudaret. Et fletus quidem, vt vtérque notauit, veri doloris erat; planctus autem honoris ac solennitatis, personis illustribus concedi solitus, quomodo Dauid planxit Saulem & Ionatham cæsos in monte Gelboë, & lugubre carmen ipse composuit, quod ab Israëlitis decantaretur. Ita planxit Iosiam Ieremias Propheta, & euersionem templi ac Hierusalem in Lamentationibus suis. Ideóque in pœnam minatur Israëlitis, fore vt non plangantur. *Hæc dicit Dominus ad Ioakim, filium Iosiæ, regem Iuda, non plangent eum væ frater, & væ soror; & non concrepabunt ei, væ Domine, & væ inclyte, sepultura asini sepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas Ierusalem.* III.

2 Reg. 1. 17. 2. Paralip. 35. 24. Ierem. 22. 18.

Complosio, &c.

SED ad verba addebant etiam complosionem manuum, quo refero illud, *Non concrepabunt ei*; percutiebant etiam pectora sua, vt qui in morte Christi Domini plangentes *reuertebantur, percutientes pectora sua*, nonnunquam ad verum gemitum excitandum, res progrediebatur vsque ad lacerationem crinium, & incisionem cutis. *Non sepelientur neque plangentur, & non se incident, neque caluitium fiet pro eis*. Videntur & illa Hierem. in luctu fuisse solemnia. *Sederunt in terra, consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abiecerunt in terram capita sua virgines Hierusalem*. Fiebat & conuiuium ad consolationem lugentis familiæ, & amicorum Ierem. *Non* IV.

Lucæ 23. 48. Ier. 16. 6.

Thren. 2. 10. 16. 5.

ingrediaris domum conuiuij, neque vadas ad plangendum, neque consoleris eos. Et rursum. v. 7.
Non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo, & non dabunt eis potum calicis, ad consolandum super patre suo, ac matre.

V. *Quærit Abraham locum sepulturæ.*

SED redeamus ad Abrahamũ, qui *cùm surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth.* Gen 20 13 Incolæ loci huius erant Hethæi, quos inter filios Chanaan Moyses in Catalogo gentium, secundo loco numerat; à quibus vniuersè primùm petit Abraham, vt sibi liceat habere in eorum agro locum aliquem, in quo defunctæ vxoris corpus sepeliat. Illi vltrò offerunt sepulchra sua, vt eligat vnum ex omnibus in quo sepeliat mortuum, spondentes neminem id prohibiturum. At Abraham qui nolebat Saram in profanis infidelium sepulchris condere, petit certum sibi locum vendi, quem deinceps vt proprium possideat; in eoque Saram sepeliat, vbi & ipse, & sui perpetuum sepulturæ locum obtineant. Is locus fuit spelunca duplex, quam possidebat Ephron filius Seor Hethæus, cuius precium edixit rogante Abrahamo quadringentos argenti siclos, quos si ad nostratem pecuniam reduxeris, inuenies quingentos & quinquaginta Francos [a], quoniam siclus semiuncia est argenti, vt superius ex Hieronymo diximus, qui tamen in tradit. in vigesi. quartum Genes. lapsus memoria, vt probat Perer. ait siclum vnciæ pondus habere. Prædictam pecuniam appendit Abraham, & ita confirmatus est ager, & antrum, quod erat in eo, Abrahæ in possessionem sepulchri. 2. ✠. c. 20.

VI. *Modestia Patriarchæ.*

HÆC summa rei est, sed remetiamur iter, vt modestiam Patriarchæ obseruemus. Aduenam se fatetur Abraham, quoniam talem eum volebat esse Dominus, & quidem apud Hethæos, vt non sit mirum, ipsum, tametsi virum potentem, nihildum agri possidere; cùm autem petit sibi dari ius sepulchri, nihil aliud petit, quàm acquisitionem loci, in quo possit sepelire suos, nec vlla est hoc loco quæstio de emptione spiritualis rei, vt fusius docet Perer. in hunc locum. Offerunt Hethæi sepulchra sua, honori sibi ducentes, cum tali ac tanto viro communionem habere sepulchri. Abraham penè contemptum aduenam & peregrinum se ipse vocauerat, tametsi secundum iam & sexagesimũ annum ageret in Chananitide; at illi vice versa, eum *principem Dei*, id est principem magnum vocant, interprete Vatablo, vel quia agnoscunt hominem sanctum & iustum & dilectum Deo, vt vult Abulensis, qui loco Dei esset in terris apud ipsos, & ad quem tanquam ad oraculum confugerent in controuersiis suis. Septuaginta etiam regem appellant. Βασιλεὺς παρὰ θεοῦ σὺ εἶ ἐν ἡμῖν. Nihilominus Abraham demissè de se sentiens, & loquens eos quasi superiores honorat; eorum sibi fauorem & gratiam, qua apud possessorem, & dominum loci valebant, implorat. Is erat Ephron filius Seor, qui siue præsens aderat, vt probabilius videtur, siue euocatus venit, officiis vrbanitatis cum Abrahamo decertans, tandem precium edicit, & sine alia verborum commutatione recipit.

VII. *Difficultas ex 7. Actorum Apostol.*

GRAVIS porrò hoc loco exoritur difficultas ex septimo Act. vbi D. Steph. ait, hunc sepulchri locum ab Abrahamo emptum *à filiis Hemor filij Sichem.* Cùm hic dicatur emptus ab Ephron filio Seor. quæ difficultas satis commodè tollitur ab iis, qui aiunt Ephronis patrem fuisse binominem, dictum enim fuisse Seor, & Hemor, & prius illi nomen à Moyse dari, posterius à Stephano, qui etiam adiecit auum, nomine Sichem; Quæ videtur fuisse sententia D. Gregorij, eámque probat Perer. Lyranus, & Del Rio, hic, Lorinus in Actis, & alij. Verùm quia dicitur Iacob emisse partem agri à filiis Hemor patris Sichem, censuit Beda & Rabanus in eum locum, D. Stephanum duas pariter narrationes coniunxisse, nec tam ordinem historiæ, quàm causam de qua agebatur intendisse. Quibus verbis Beda, vt ait Melchior Canus, *Verecundè quidem, ac modestè significanit, id quod vulgò solet, accidisse, vt in longa, ac subita narratione confuderit nonnulla, in quibusdam etiam memoria lapsus fuerit, sed in iis duntaxat, quæ ad rem parum, aut nihil attingerent, nam causæ, de qua potissimùm agebatur, & intentus. Lucas verò historiæ veritatem retinere volens, ne iota quidem immutauit, sed rem, vt à D. Stephano narrata fuerat, exposuit.* Sic ipse. Audacter sanè. Timidius Beda, subdit enim. *Hæc vt potius dixi, non præiudicans sententiæ melioris si adsit.* l. 7. epist. ep. 55. in hoc cap. n. 70. c. 33. Gen. v. 19. l. 2 de lo. theol.

VIII. *Duæ historiæ coniunctæ.*

EO respexit Emanuel Sà in septimo Act. *Quidam dicunt*, inquit, *Stephanum intentum, vt fit, in aliud, pro Iacob dixisse Abraham, & pro, patris Sichem, filij Sichem. Lucam*

verò fideliter, quod ille dixerat, retulisse, quæ mihi opinio non displicet. Neque enim id repugnat Stephani sapientiæ, & spiritus, quo plenus erat. accidit enim id interdum sapientissimis, & sanctissimis. Ita Emanuel. Del Rio quoque cum Beda fatetur D. Stephanum duas narrationes duarum sepulturarum coniunxisse; nempe sepulturam Iacobi, & maiorum eius, qui fuerunt sepulti in Hebron. Item sepulturam Ioseph, & aliorum filiorum Iacob, qui sepulti fuerunt in Sichem, quod de Ioseph legimus. Ad priorem sepulturam pertinere illa verba, *Positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham.* Ad posteriorem autem illa, *translati sunt in Sichem.* Verùm apparet S. Stephanum de vno tantum sepulchro loqui, cùm ait, *Defunctus est ipse* (Iacob) *& patres nostri: Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham, precio argenti,* &c. & perspicuum est duo illa verba (*translati,* & *positi*) ad eosdem, non ad diuersos pertinere, & P. Salmeron in Epist. ad Card. Caraf. quæ habetur in fine decimi sexti tomi, ait non sine violentia, ac duritia, illud *Translati sunt,* distingui ab eo, *& positi sunt,* vt de diuersis intelligantur, sed de hac difficultate satis. pertinet enim potius ad Act. Apostol. Eligat eruditus lector vtram interpretationem amplecti malit. Ego venerabilis Bedæ & Rabani expositionem non improbo, cui vides graues & doctos viros subscripsisse.

(Gen. 50. Iosue 24. 32.)

IX. Parallelismus Saræ cum B. Virgine.

NOSTRI potius muneris fuerit, imitatione Abrahami, cohonestando funeri non deesse. Funeri matris credentium Saræ; cuius laudem ex comparatione ipsius cum Beatissima Virgine petemus. Nam eximia planè laus est incomparabilem virginem adumbrasse, & illi aliquo modo similem dici posse.

1. Nominis. Et prima nominis similitudo est. Nam Sara dominam, & principem, vel Hieronymo interprete, significat. Maria inter alia significata etiam dominam significat & excelsam, quo alludens Ecclesia, *O gloria domina, excelsa super sydera,* &c.

2. Fidei. (Ad Heb. 11. 11. Esa. 51. 2.) Deinde sicut pater credentium Abraham, ita & mater credentium Sara, cuius etiam fidem nominatim prædicat Apostolus; Quo pertinet & illud Esaiæ, *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos,* vt scilicet eorum imitemini fidem. At sicut pater credentium Christus Dominus, ita & Maria eorundem mater, quæ audit ab Elizabetha, *Beata quæ credidisti,* & ab Ecclesia, *Gaude maria virgo, quæ cunctas hæreses sola interemisti.*

3. X. Gratiæ. APUD Reges Ægyptios, & Palæstinos bene fuit Abrahæ propter Saram dicentem se esse sororem eius: & nobis bene est habitantibus in terra peregrinationis nostræ, dicente ipsa Regi filio, & regi omnium Deo se esse matrem nostram.

4. Fœcunditatis. (Gen. 18. Luc. 1.) Sara natura sterilis diuino munere fœcunditatem accepit: B. Virgo, cuius perpetua, atque intemerata virginitas sterilitatem necessariò adducebat, diuino munere fœcundatur, ac fit mater, & vtraque nunciante Angelo futuri miraculi præmonetur, atque instruitur.

5. Expetitæ prolis. Vtraque multo tempore expectatum, multis precibus expetitum, vtraque vnigenitum, vtraque gaudium parit; illa domui Abrahæ, hæc vniuerso mundo, vtraque filium suum lactat in præcedentis miraculi confirmationem, & materni amoris argumentum.

6. XI. Peregrinationis. SARA cum coniuge peregrinatur ex Chaldæa in Mesopotamiam, in Chananitidem, in Ægyptum, inde rursus in terram Chanaan. Et ibi in Sichem, in Bethel, in Hebron, in Geraris, & rursus in Hebron. B. Virgo cum Iosepho coniuge & ipsa peregrinatur è Nazareth in Montana Iudæ, rursus in Nazareth, in Bethleem, in Ægyptum, atque inde redit in terram Israël, & in Galilæam. Denique ad vtriusque aduentum Dominus Ægyptum afflixit.

7. Coniugij. (12. 12. 14.) SARA ex eadem domo ac familia coniugem habet, quem fratrem appellat. Maria virum habet ex eadem tribu Iuda, eadémque familia Dauid, qui ita coniux est, vt, quod ad thorum attinet, sit instar fratris.

8. Pulchritudinis. (Gen. 12. 12. 14.) Saræ pulchritudo celebratur in Genesi. B. Virginis pulchritudo insigniter in Cantico prædicatur, vt modò *tota pulchra,* modò *pulcherrima mulierum, pulchra vt Luna, electa vt Sol, quasi aurora consurgens,* & cum admiratione geminata. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es!* aliisque sexcentis modis appellatur.

9. Honoris. (Luc. 1.) Sara ab alienigenis Philistæis, & Ægyptiis ambitur. B. Virgo etiam ab impiis atque infidelibus honoratur, & pene in patronam accipitur, & impletur illud, *Beatam me dicent omnes generationes.*

10\. XII. *Vtráque filium amittit, & recipit.* SARA in profectione Hierosolymitana filium tantùm non amittit, ac recuperat. Filium amittit Maria Virgo, ac recuperat in profectione eadem anno duodecimo; ac rursum anno trigesimo quarto eundem per immolationem amittit, & per resurrectionem cum ingenti gaudio recuperat.

11\. *Virtutum similitudo.* D. Petrus sanctis mulieribus annumerat Saram, eius humilitatem, & obedientiam commendat, Paulus etiam fidem, Moyses amorem in coniugem, & pro filio zelum. Eas virtutes B. Virgo vsque ad heroicum extulit gradum, & suæ consentaneum maiestati, eóque sublimiorem, quo ipsa ad maiorem euecta est dignitatem. 1. Petr. 3.5.

12\. Denique Sara à principe Patriarcharum magno cum honore sepelitur; B. Virgo à Patriarchis noui testamenti cum hymnis & canticis, magnáque gloria tumulatur, nec illic abfuit Isaac filius eius; neque hic desideratus est Iesus filius eius, qui eam in cœlum, ad beatam immortalitatem assumpsit.

EPITAPHIVM SARÆ.

MVLIEREM FORTEM SI FORTE QVÆRAS LECTOR, PROCVL, ET DE VLTIMIS FINIBVS EAM ACCERSENDAM MONEBAT SAPIENS. ECCE TIBI SARAM FORTISSIMAM, NOBILISSIMAMQVE MVLIEREM. QVID MVLIEREM? IMO PRINCIPEM NON FAMILIÆ VNIVS, SED MAXIMI, LECTISSIMIQVE POPVLI; NON POPVLI, SED GENTIVM PLVRIMARVM; NON PLVRIMARVM, SED OMNIVM; NAM AD ILLAM QVOQVE PERTINET, BENEDICENTVR IN TE OMMES GENTES TERRÆ. IACET IN HAC SPELVNCA DVPLICI DILECTISSIMA CONIVX ABRAHÆ; DIGNA PLANCTV, LACHRYMISQVE MAXIMI PATRIARCHÆ. CVIVS HEROICAM FORTITVDINEM PROCVL AB IPSA VSQVE CHALDÆA, ATQVE EX VLTIMA ANTIQVITATE ABRAHAMITARVM REPETAS LICET. MVLIER PLANE FORTIS IN DESERENDO NATIVO SOLO, PATRIOQVE COELO, CVM DIIS PATRIIS, PATRIAQVE DOMO, AMICIS, COGNATISQVE, IN SPEM PEREGRINATIONIS, ATQVE EXILII SEMPITERNI. FORTIS IN STERILITATE AD ANNOS XC. PATIENTER TOLERANDA, ET EXPECTANDA IPSOS XXV. ANNOS PROMISSA PROLE, SVPRA SPEM OMNEM, AC NATVRÆ VIRES. FORTIS IN PERICVLIS, ATQVE OMNI TENTATIONE SVPERIOR, VT MERITO CONFIDAT IN EA COR VIRI EIVS, DVM REGI ÆGYPTIO, RVRSVMQVE PRINCIPI PALÆSTINO EAM CREDIT; ET ILLA SE EX EIVS ARBITRIO VXOREM VTROBIQVE DISSIMVLAT, ET IN EIVS GRATIAM SORCREM VOCAT. FORTIS IN PEREGRINATIONIBVS ANNORVM DVORVM SVPRA SEXAGINTA; E CHALDÆA IN MESOPOTAMIAM, IN CHANANITIDEM, IN ÆGYPTVM; INDEQVE RVRSVM IN TERRAM CHANAAN, ET IBI IN SICHEM, IN BETHEL, IN HEBRON, IN GERARIS, ET RVRSVS IN HEBRON. VBI PEREGRINATIONE MORTE TANDEM TERMINATA, AD SINVM PATRIARCHARVM PROFECTA, IPSI ABRAHAMO PARAVIT LOCVM, ANNO ÆTATIS CXXVII. AB ORBE CONDITO CIↃ CIↃ. CLXXXV. ANTE ORTVM VIRGINIS MATRIS, CVIVS CLARISSIMVS TYPVS FVIT, CIↃ DCCCLXIII.

SCHOLIA

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2175.

N. I. 1. Chronicvm Alexandrinum in trigesimum sextum Isaaci refert Saræ mortem, quia non numerat annos absolutos.

N. V. 2. 400. sicli, 27. s. $\frac{1}{2}$ singuli, valent, efficiúntque 550. Francos, 20. s. singulos, siue 183. v cum triente, assignando singulis aureis sexaginta solidos.

ANNVS MVNDI 2178. DILVVII 522. TERTIÆ ÆTATIS 140. HEBERIS 425. ABRAHAMI 140. ISMAELIS 54. ISAACI 40. PROMISS. 65. ARRLII 20. IMPERII ASSYRIORVM 247.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1875.

Gen. 24. 1. χ. l. 16 de ciu. c. 33. Gen. 25. 20. in c. 24. Qvadragessmo ætatis anno Isaaci matrimonium contigisse omnes æquè consentiunt, & nominatim Augustinus [1], præit enim Scriptura, *Abraham*, inquit, *genuit Isaac, qui cùm quadraginta esset annorum duxit vxorem Rebeccam.* Isaac compleuit annum quadragesimum, quando Rebeccam accepit vxorem, ait Abulensis: id matrimonium antecessit legatio ab Abrahamo missa in Mesopotamiam, ad vxorem inde è cognatione sua accipiendam, quæ latè describitur Genes. viges. quarto. Cùm autem tam legationi, quàm matrimonio vnus annus sufficiat, quod visum quoque Pererio, & Abulensi, non visum est rem in duos trésve annos diducere. Præsertim cùm id sine vllo Chronologiæ damno fieri possit. — I. *Tempus coniugij Isaac.* (in c. 24. n. 1.)

Et primùm tarditas huius matrimonij non caret admiratione; cùm præsertim grandæuus Abraham nihil magis expeteret, quàm videre quamprimùm ex Isaaco nepotes, quod ipsum de Sara æquè affirmari potest, quæ tamen triennio ante mortua est, quàm hic duceret vxorem. Existimo sanè Patriarcham in ea re diuinam monitionem expectasse, vt promissum diuinitus semen peculiari Dei prouidentia, & administratione dispensaretur. Ex qua illud etiam profectum est, vt vxores Chananitides ab hoc coniugio repellerentur; & puella de ipsiusmet cognatione eligeretur. Accedere potest illa ratio ex Hebræorum Chronologia; quod cùm Rebecca diuinitus huic matrimonio destinata esset, non ante monuit Dominus Abrahamum de coniugio, quàm illa nubilis foret, quæ hoc anno decimum qoartum agebat annum, vt quæ vigesimo sexto Isaaci nata esset, vt suprà notauimus ex Hebræis; Chrysostomus ἁπαλὴν κόρην eam vocat, teneram, & delicatam. — II. *Quæ causa moræ.* (hom. 48.)

Hvivs negotij mediator atque interpres eligitur ab Abrahamo, non ipsemet Isaac, ad quem res maximè pertinebat, & cuius consensus in matrimonium, certámque mulierem necessariò requirebatur, sed domesticus famulus. De Isaaco autem consulendo nulla hoc loco fit mentio, quod Abrahamo certissimum esset, Isaacum in paterna potestate fore, vt cuius virtutem, atque obedientiam, & reuerentiam in parentem exploratissimam haberet. Accedit quod cùm vnigenitus ei esset Isaac, meritò prudentérque veritus est, ne quid ei humanitus contingeret in itinere longinquo, noluitque interea suauissima ipsius consuetudine priuari [2]. Eum famulum vocat Moyses, *Seniorem domus*, Abrahæ, *qui præerat omnibus quæ habebat*, creditúrque fuisse ille Damascus Eliezer, qui memoratur Genes. decimo quarto, eum enim fidelissimum Abrahæ, dilectissimúmque apparet ex eo, quod de illo etiam constituendo hærede, filiorum defectu cogitaret. — III. *Interpres matrimonij Eliezer œconomus.* (2. χ.)

IV. *Adiuratur à Patriarcha.*

ETSI autem illum duceret fidelissimum, tanti tamen duxit negotium, quod illi nunc committebat, vt ab eo exigeret iusiurandum, *Pone*, inquit, *manum tuam subter femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cæli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito. Sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac.* Vide quantam dederat Abraham huic famulo procuratori suo, in administranda familia potestatem, vt in eius arbitrio ponat vxorem, quam sumat filio suo: neque enim vllam nominat, aut designat; cùm in domo Nachoris plurimæ ex octo filiis Melchæ natæ esse possent: tantum excludit Chananæas, & postulat nurum de cognatione sua, sciebat enim illum rem totam diuinæ prouidentiæ sapienter commissurum, sicut & fecit. Nisi fortè placet alia sigillatim mandasse, quæ non sint mandata literis.

V. *Quæ ratio ceremoniæ.*

EA porro ceremonia famulum adiurabat per Dominum Deum cœli & terræ, qui de semine Abrahæ nasciturus erat, vt Patres omnes, Catholicique Doctores interpretantur; reiectis Iudæis, qui id in honorem circuncisionis factum volunt. Testis Hieronymus in tradit. *Tradunt Hebræi, quod in sanctificatione eius, hoc est in circuncisione iurauerit. Nos autem dicimus, iurasse eum in semine Abrahæ, hoc est in Christo, qui ex illo nasciturus erat, iuxta Euangelistam Matthæum loquentem, Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.* Hierony. Augustinus autem, *Quid*, inquit, *demonstratum est, cùm eidem seruo dixit Abraham; pone manum tuam sub fæmore meo, & cætera. nisi Dominum Deum cæli & terræ in carne, quæ ex illo fæmore trahebatur, fuisse venturum?* Aug. l. 16. de ciu. c. 33. Et quæstione sexagesima secunda super Genes. *Quod Abraham iubet puero suo, vt manum suam ponat sub eius fæmore, & sic eum adiurat per Dominum Deum cæli & Dominum terræ, solet imperitos mouere non attendentes magnam de Christo extitisse prophetiam; quod ipse Dominus cæli, & Dominus terræ in ea carne venturus esset, quæ de illo fæmore propagata est.* Eadem scripsere alij Sancti, sed hi duo instar plurimorum esse possunt.

VI. *Et qui modus.*

SICVT autem in nominatione fœmoris modesta locutio est, qualis illa, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fæmore eius;* Gen. 49. 10. Et, *Omnes animæ eorum, qui egressi sunt de fæmore Iacob, septuaginta.* Exod. 1. 5. Ita modestam fuisse actionem par est credere, quicquid salaces Iudæi comminiscantur; neque sedisse Abrahamum arbitror super famuli manum, sed ea potius stanti, aut sedenti Abrahæ fœmur leuiter attigisse, aut eam etiam admouisse duntaxat; sicut qui honoris causa manum admouent ori proprio, vel alterius genibus, aut iurando pectori; neque os planè tangunt, neque pectus, aut genua, sed admouent tantùm manum, ad eas corporis partes, & tactum significant potius, quàm faciunt.

VII. *Abraham abhorret ab affinitate Chananæorum.*

QVONIAM verò iubebat Abraham deduci puellam in Chananitidem, quærit seruus quid facto sit opus, si illa ex regione parentum suorum migrare noluerit, an eò deducendus sit Isaac. Poterat Abraham iubere totam rem ad se referri, sed in omnem euentum, si fortè interea ipse moreretur, *Erat enim senex, dierúmque multorum*, vt præmisit Moyses, seuerè prohibet *illuc reduci filium suum.*
quod nimirum statuisset Dominus vt peregrinum esset semen Abrahæ in terra non sua, eique Chananitidem spopondisset; ideóque respondet fore, vt puel- 1. Gen. 15. 13.
la non sit detrectatura migrationem; Angelo Domini rem suauiter administrante, quoniam tamen liberæ semper remanent mortalium voluntates, subdit, *Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento, filium meum tantum ne reducas illuc.* Tunc enim videlicet exquiremus à Deo quid fieri placeat. Addun-
tur & aliæ rationes cur Abraham à Chananæorum affinitatibus abhorreret, 2.
gentis scilicet idololatria, & peruersi mores, sed id malum omnium non fuit. Melchisech enim, & Abimelech veri Dei cultores erant, vt ante dictum est,
& multos habebant subditos non indignos principibus suis. Abhorruerit po- 3.
tius à gente, quæ antiquo Noë maledicto teneretur; & post aliqua tempora funditus esset exterminanda. Ideóque non oportebat cum ea gente semen Abrahæ permisceri, atque confundi, ne cum ea simul interiret. Idem etiam obseruauit Iacob, vt apparet ex Genesis 27. sed aliqui filiorum eius laxiores in ea re fuerunt, vt constat ex Genesis 38. Sed redeamus ad famulum Abrahami. c. 27. fi. 38. 2.

VIII. *Proficiscitur cum munerib.*

PRÆSTITIT iuramentum Eliezer matrimonij procurator, *Tulitque decem camelos de grege domini sui, & abiit; ex omnibus bonis eius portans secum.* Minimè credibile est res viles, ac vulgares camelis impositas, sed aurea potius vasa, atque argentea, multámque pecuniam numeratam, vestem preciosam, balsamum, cinnamomum, aliáque id genus. Idque patet ex iis, quæ hoc ipso capite habentur. v.53. *Prolatisque vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ,* & cætera. Verùm Hebræi, qui in scirpo nodum quærunt, quoniam in Hebræo est, ferens omnia bona, aiunt tulisse schedulam, qua Abraham omnia bona sua Isaaco largiebatur; cui expositioni nonnihil fauet, quod infrà dicitur, v.36. Abrahamum dedisse Isaaco omnia, quæ habuerat. Nihilominus rectius est ea phrasi Hebraica ex toto partem intelligere, & chartam, sine certiore testimonio, non admittere: l.1.c.15. *Misit*, ait de Abrahamo Iosephus, *dona ad illos vel rara illic, vel nunquam ante visa.* Talium autem rerum decem camelorum onus, magni omninò precij est.

IX. *Cui fini ea munera.*

l.6.c.40. AD quid autem tot tantáque munera? Rupertus, *Præsentibus namque honoribus*, inquit, melius fortè muneribus, *debebat instrui puella, vt non paruas viri, aut soceri sui sciret, sperarétque diuitias.* An fortè hæc ad dotem pertinebant, iuxta antiquum ritum nuptiarum, quo se maritus & vxor inuicem emebant. Quo pertinet illud Genes. trigesimo quarto, vbi Sichem petens Dinam in vxorem ait, *Inueniam gratiam coram vobis, & quæcunque statueritis dabo, augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis.* Vbi nomine dotis intelligi possunt paterna bona, super quæ dos vxoris assignanda esset. Sed hac de re vide Del Rio, & in hoc cap. v.53. Brisson. in libro de ritu nuptiarum, & Riberam. Sed & iis camelis oportebat in c.3.Osee v.7. & seq. deuehi comites Eliezeris, de quibus infra fit mentio, & in reditu nouam nuptam, cum eius comitibus, & multa suppellectile. Profectúsque perrexit in Mesopotamiam ad vrbem Nachor.

X. *Quantum iter id fuerit.*

in hoc cap. ex c.31. Gen. FVIT hoc iter octo vel decem dierum, vt colligit Abulensis. Nam Laban dicitur persecutus Iacob diebus septem, & comprehendisse eum in monte Galaad trans Iordanem, inde autem vsque ad Hebron, vbi tum habitabat Abraham sepulta vxore sua (non autem in Bersabee, vt idem Abulensis putauit) bidui circiter iter erat, sed illi septem dies facilè respondent octo vel nouem vulgaribus, & consuetis; quia Laban magnis itineribus fugientem Iacob persequebatur. Porrò vrbs Nachor est Haran, in qua Abraham cum patre quinquennium commoratus est; vnde non nisi eo mortuo discessit, vt suprà dictum fuit.

XI. *Votum Eliezeri pro agnoscenda vxore Isaac.*

IAMQVE peruentum erat ad Haran, & propinquum vrbi puteum, cùm Eliezer de suo negotio sollicitus, & humanæ prudentiæ diffidens, ad diuinam recurrit prouidentiam, quæ futurum hoc matrimonium, pro sua in Abrahamum beneuolentia, moderabatur. Humiles ergo Deo fundit preces, vt quoniam ipse negotij huius curator, & interpres institutus est, ex certo quopiam euentu ex ipsius inspiratione profecto, intelligat, quamnam Deus elegerit in vxorem Isaaci. Eum euentum ipse proponit, vt scilicet ea puella à Deo electa agnoscatur, quæ viro potum petenti libenter tribuat, & insuper vltrò camelis offerat potum. Id desiderium ac postulatum legitimum fuisse, Deóque acceptum, & eodem inspirante conceptum euentus ipse docuit, quem fusè, & perspicuè Moyses enarrauit.

XII. *Et prudentia.*

AGNOSCITVR autem in hoc postulato procuratoris huius prudentia, cùm enim sciret mores Abrahami, & Isaaci, ad hospitalitatis officia propensos; hanc ipsam animi inclinationem optauit in vxore, ac nuru dominorum suorum, vt tantò esset fœlicius matrimonium, quo magis inter se coniugum mores congruerent, ac conspirarent. *Vide serui prudentiam*, inquit Chrysostomus, *nam quia sciuit Patriarcha hospitalitatem, & quia virginem inde ducendam congruebat iisdem esse præditam moribus, quibus iustus, nullam aliam coniecturam inquirit, sed characterem virginalis animi ex hospitalitate colligere vult.*

XIII. *Rebeccæ officiosa charitas.*

AGNOSCITVR & prompta atque officiosa Rebeccæ charitas, quæ nec ignotum repulit virum, neque vespertinum tempus cogitauit, quo vrgebatur ad reditum; nec iteratum hauriendi laborem detrectauit; nec reliquas puel-

las, quibuscum venerat recedentes motata est, sed libenter, ac promptè quod petebatur dedit, ad benignitatem famulatus, etiam verborum gratiam atque modestiam adiungens. Respondit enim; *Bibe Domine mi, celeritérque deposuit hydriam super vlnam suam, & dedit ei potum*, non solùm illi dat potum de hydria sua, sed illi etiam bibenti famulatur, sustentans hydriam, & aptè ad bibendum inclinans. *Cúmque ille bibisset*, & expectatione penderet, vt experimentum, quod iam media ex parte responderat votis, planè compleretur, adiecit officiosa virgo. *Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant*, statímque non expectato assensu, quem ille verecundius præbuisset, *Effudit hydriam in canalibus, recurrit ad puteum, vt hauriret aquam, & haustam omnibus camelis dedit.* Eliezero rem totam cum iucundissima admiratione contemplante, & rebus ipsis agnoscente exauditam fuisse orationem suam.

XIV. *Donatur muneribus.*

IAMQVE probabantur puellæ mores, forma, ætas, supererat vt genus agnosceretur; quoniam Abraham expetebat nurum de cognatione sua. Itaque rogat Eliezer cuius filia sit, & vtrum domi eius hospitio accipi possit; interim autem profert inaures aureas appendentes siclos duos, & armillas totidem, pondo siclorum decem; & protulit ille quidem; non tamen ante responsionem dedit, vt patet ex versu quadragesimo septimo sequenti[3]. Porrò cùm siclus, siue semiuncia auri, sit pondus quatuor nummorum aureorum duæ inaures valebunt octo aureis. Armillæ autem, quæ decem aureorum siclorum pondus habebant, quadraginta nostratibus aureis nummis respondebunt; sed ponderi addeodum maou precium. 3. x.

Dum Eliezer ista munera expedit, Rebecca & genus suum refert, & hospitij commoditatem, sed vice versa credibile est, vt placet Abulensi, Pererio, & Del Rio, puellam ab hoc viro quæsiisse quisnam esset. Tunc ille vna eadémque opera, & Deo gratias agens, & rogationi satisfaciens, *Inclinauit se, & adorauit Dominum, dicens, Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam, & veritatem suam à domino meo*, cui scilicet quod misericorditer promisit, verè præstitit; *& recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei*, Nachoris scilicet. Itaque cùm plaoè iam ipsi satisfactum esset, nec vltra dubitaret quin Rebecca à Deo electa esset in vxorem Isaaci, tum demum, quasi in pignus matrimonij, dona quæ protulerat, illi dedit.

XV. *Rebecca domi [...] refert, & introducitur Eliezer.*

CVM quibus illa celeriter ingreditur domum, siue habitaculum matris suæ, (nam mos erat Hebræis, aliisque Orientalibus populis, vt separatas haberent viri à fœminis maosiooes, vt ootat Abulensis, Serarius, Del Rio, nisi placet cum Thoma Angelico, & Caietano existimare plures fuisse Bathuelis vxores, quæ diuersis essent habitaculis distributæ, nam constat eius patrem Nachorem vxores habuisse Melcham, & Romam, siue Reumam.) nunciauitque omnia quæ audiuit; his visis, auditísque Laban frater Rebeccæ, egreditur foras, & hominem beneuolè inuitat, atque introducit domum, cum toto comitatu suo, & camelis, quibus iussit detrahi clitellas, pabulúmque porrigi, tum aquam ad ablutionem pedum parari[4], denique & præberi cibum, quem ille se sumpturum negauit, donec exposuisset, à quo, & quam ob causam venisset, quóque modo deprehendisset diuinam Rebeccæ electionem, in vxorem Isaaci. quod & fideliter, diligentérque præstitit. Denique concludens requirit, an in huiusmodi matrimonium consentiant, vt consideret, iuxta responsionem, quid sibi consilij capiendum sit. Nam cùm Nachor multos habuisset filios, multæ erant familiæ Abrahamo cognatæ, ex quarum aliqua vxorem Isaaco petere posset. 4. x.

XVI. *Consensus Rebeccæ, & parentũ in nuptias.*

RESPONDERVNTQVE *Laban, & Bathuel, à Domino egressus est sermo*, & cætera. quasi dicat, negotium hoc diuina prouidentia administratur, cuius beneplacito nostrum est acquiescere, nostrúmque tibi significare consensum. Consentiebat & Rebecca silentio, vt quæ huic sermoni præsens, nihil resisteret, vnde illi, *En Rebecca*, inquiunt, *coram te est, tolle eam & proficiscere, & sit vxor filij Domini tui, sicut locutus est Dominus.* Sed expressior mox habetur eius consensus, cùm se paratam obtulit ad eundum cum Eliezero, matrimonij sequestre, atque interprete.

XVII. *Bathuel an pater Rebeccæ, an potius frater.*

SED dubium est quis sit iste Bathuel, nam non fuisse illum Rebeccæ pa-
Homil. 48. trem, quod putat diuus Chrysostomus, sed minorem natu fratrem non im-
1. meritò aliqui existimant, tum quia illum defunctum iam fuisse Iosephus as-
l. 1. c. 15. seruit, eiúsque loco Labanum domus curam gessisse, quod tota series Mo-
2. saicæ narrationis apertè confirmat; tum quia hoc loco indecorè postpone-
3. retur filio pater; tum quia conuenientius erat alioqui, vt diceretur, Re-
4. beccam adiisse domum patris sui, quàm matris; tum quia illi ipsi Laban &
5. Bathuel mox fratres vocantur; tum quia seorsim nominatur mater, pater
6. nusquam; cuius tamen primariæ omnino in hoc negotio partes erant. De-
7. nique seruus Abrahæ puellæ dat munera, & fratribus, & matri, patri ni-
8. hil. Eodem dimissionem petente, fratres respondent, & mater, pater
mutus est. Illa discedente fratres imprecantur prospera sorori suæ, di-
centes, *Soror nostra es, crescas in mille millia*, Pater filiam lectissimam, ma-
ximéque amabilem negligens, nusquam comparet. Quæ cùm absurda sint,
nihilque absurdi habeat Iosephi sententia, imò omnibus absurdis medea-
tur, eam sequendam censui, à qua non abhorret Abulensis. Qui autem
Bathuelem adhuc viuum fuisse putant, iis quæ obiecimus, perquàm frigida res-
pondent, aut etiam ridicula, quæ non tanti est referre, aut refellere. Vide Abu-
lensem & Augustinum, qui ex Septuaginta plures fratres¹ hîc agnoscit, quæstio-
5. x. ne sexagesima octaua.

XVIII. *Admittit consensum Eliezer.*

HABITO puellæ & parentum consensu, Eliezer, *Procidens in terram Do-
minum adorauit.* Humilem ei exhibens gratiarum actionem, cuius nutu ac
prouidentia tota res fœliciter transacta erat. *Prolatísque vasis argenteis, & au-
reis, ac vestibus dedit ea Rebeccæ pro munere.* Vasa vocat mundum muliebrem,
Ps. 70. 22. quem ei nomine Isaaci sponsi sui largiebatur; quoniam & instrumenta musi-
Psal. 7. 14. ca à Dauide appellantur vasa psalmi; sicut instrumenta bellica ab eodem,
vocantur vasa mortis. *Fratribus quoque eius ac matri dona obtulit, initóque conui-
uio, vescentes pariter & bibentes manserunt ibi.* Caue putes pernoctasse in epulis,
sed Eliezer cum comitibus in domo Bathuelis remanserunt consensu in ma-
trimonium habito, quia ante dixerat, *Sin autem aliud placet, & hoc dicite mihi,
vt vadam ad dexteram, siue ad sinistram.* Septuaginta, καὶ ἐκοιμήθησαν, & dor-
mierunt.

XIX. *Et dimissionem petit, quæ modicè differtur.*

VNICA ea nocte transacta, Eliezer dimissionem petit, *Dimitte me*, in-
quit, *vt vadam ad dominum meum.* Labanum alloquitur, qui maior natu, in-
star erat patris familias, & ita habetur in Hebræo textu. Græcus tamen, &
quidam Latini codices habent, *Dimittite*, quomodo habet Chald. parapht.
Idque suadet responsio quæ plurium est, sequitur enim, *Responderúntque fra-
tres eius & mater, maneat puella saltem decem dies apud nos, & postea proficiscetur.*
Chaldæa paraphrasis habet: *Maneat puella nobiscum ad tempus aliquod, vel sal-
tem decem mensibus.* Interpres ait, referre Hebræos morem fuisse, vt virgo
viro desponsata ad integrum annum adornaretur, atque ita marito prædpara-
retur, ad eámque consuetudinem Scripturam hoc loco respexisse, quæ ha-
bet ad verbum, *Maneat puella dies vel decem.* At si isti diem interpretantur
annum, cùm in plurali habeatur, dicendum erit eos petere moram decem
annorum; quo nihil absurdius, vt Caietanus, & Oleaster etiam notant.
At decem dies non indecorè petuntur ante discessum charissimæ animæ, &
in regionem tam longinquam, & migrationem in reliquam totam vitam.
Nec tamen impetrant, consentiente præsertim in promptum discessum Re-
becca. Nihilominus non absurdum est moram duorum vel trium dierum
concedere ante perfectionem, ne fuga potius, & raptus, quàm honesta
migratio videretur, quibus vale diceretur propinquis, atque cognatis, quo-
rum magnus erat numerus, quibus antidotalia pararentur, & necessaria puellæ
ac comitibus eius supellex; quibus denique tam Eliezer, & socij eius, quàm ca-
meli à longo itinere modicè reficerentur.

XX. *Abit Rebecca cum Eliezer.*

DENIQVE, *Dimiserunt eam, & nutricem illius.* Aliqui libri, inquit
Abulensis, habent Delboram, sed non est de textu: erat enim glossa inter-

linearis, idem habet Lyranus, ab eáque aiunt non ſolùm lac in infantia, ſed puerilem etiam inſtitutionem accepiſſe; puellæ quoque honorariæ eam ſecutæ ſunt, vt habetur in ſequentibus, quæ fortè fuerunt ancillæ in dotem datæ, vt ait Del Rio, vt mirum ſit eam pridie ancillari modo aquatum iuiſſe, & aqua onuſtam reuertiſſe. Abulenſis ait eum morem Hebræis fuiſſe, vt puellæ, etiam opulentarum familiarum, ante nuptias domi quaſi ancillæ deſeruirent. Dimiſerunt autem & ſeruum Abrahæ, & comites eius, *Imprecantes proſpera ſorori ſuæ*[6]. 6. χ. Nimirum multiplicem prolem, & potentiam, conſentaneè ei promiſſioni, & benedictioni, quam poſtremò Dominus dederat Abrahæ, quam his notam fuiſſe putat Auguſtinus quæſtione ſexageſima octaua. Homil. 48. Chryſoſtomus autem ait, *Ignorantes virgini, quæ futura erant indicaſſe, Deo mentem eorum ad hoc dirigente, & imitante. Soror noſtra es*, inquiunt, *creſcas in mille millia, & poſſideat ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.*

XXI. *Peruenit ad Iſaacum in Gerara.*

IGITVR *Rebecca, & puellæ illius aſcenſis camelis ſecutæ ſunt virum, qui feſtinus reuertebatur ad dominum ſuum. Eo autem tempore deambulabat Iſaac per viam quæ ducit ad puteum Agar, cuius nomen eſt viuentis & videntis*, de quo ſupra, *habitabat enim in terra Auſtrali.* Hanc terram auſtralem ſuprà cap. vigeſimo Moſes vocauit Geraram, cap. 16. ſi. quod hoc loco Hieronymus in tradit. confirmat. Sed dubium eſt, an illic adhuc habitaret Abraham. Nam difficile creditu eſt Iſaacum habitatione à patre ſeiunctum fuiſſe, & tamen ſignificatum eſt ſupra Abrahamum in Hebron remigraſſe, vbi & ſepeliuit Saram, quæ ibidem mortua fuerat; nec probabile eſt Abrahamum diuerſam ab vxore regionem incoluiſſe: Et in Hebron tunc Abrahamum habitaſſe ſcribit Sulpitius Seuerius. l. 1. hiſt. ſacra. Sed hac de re iterum dicetur inferius. Dicendum igitur videtur Abrahamum poſt ſepulturam vxoris iterum in Gerara rediiſſe, ibique cum filio habitaſſe, & quidem ante miſſum famulum in Meſopotamiam, nam is rectà venit in prouinciam Geraræ, ad quam pertinet puteus prædictus.

XXII. *Meditatio Iſaaci.*

ILLIC autem inuenit deambulantem, aut, vt ſcriptum eſt in Hebræo, reuertentem, *Per viam, quæ ducit ad puteum.* Nam *Egreſſus fuerat ad meditandum in agro inclinata iam die. Significat*, inquit Hieronymus, in trad. Hebr. *ſecundum illud quod Dominus ſolus orabat in monte, etiam Iſaac, qui in typo Domini fuit, ad orationem quaſi virum iuſtum domo egreſſum, & vel hora nona vel ante ſolis occaſum ſpirituales Deo victimas obtuliſſe.* Ita Hieronymus interpretatur illud ἀδολεσχῆσαι Septuaginta interpretum; exercitationem ſcilicet ſpiritualem mentis, non corpoream membrorum. Sanctus quoque Auguſtinus ait hoc verbum ad animi non corporis exercitationem pertinere. q. 69. *Et videtur mihi*, inquit, *ſignificare animi affectum, ſtudioſiſſimè aliquid cogitantis, cum delectatione cogitationis*; Videtur autem mihi alludere ad illud regij Prophetæ, Pſ. 76. v. 4. 7. 13. Pſ. 118. ſæpe. *Memor fui Dei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum*, in Græco eſt ἠδολέσχησα. Vox autem Hebræa, שוח Suach. ſignificat propriè, vt ait Vatablus, ſubmiſſa voce loqui, & murmurare vt orantes, vel meditantes, vel apud nos de re aliqua mirantes facimus. Conſentit Oleaſter, & Scholiaſtes Græcus[7]. 7. χ.

XXIII. *Occurſus Iſaac & Rebeccæ.*

REGREDIENS ergo Iſaac domum, *Cùm eleuaſſet oculos, vidit camelos venientes procul. Rebecca quoque, conſpecto Iſaac, deſcendit de camelo.* Quippe iam, vt arbitror, didicerat vicinam eſſe domum, & voluit paululum ambulare, & interrogauit Eliezerum quis eſſet, qui in occurſum veniret; cognouit quippe à longe camelos ſuos Iſaac, & ſuſpicatus eſt quod res erat, & venit obuiam ſuis. At Rebecca, vbi accepit eum eſſe Iſaac, paratum ſibi virum, *accepit pallium, & operuit ſe.* Vel pudoris cauſa, quod ſponſo ſuo ex improuiſo, atque inſperatò appareret, vel vt eſſet ornatior, vt ait Ioſephus, apud Abulenſem; ſed id Ioſephus non habet. Porrò id pallium Theriſtrum Septuaginta vocant, quod Hieronymus in trad. vocat muliebre pallium Arabici moris, alij peplum vertunt, flamineum, velamen, calyptram, & cætera. De hoc velamine vide Tertullianum. l. de veland. virg. c. 11. Seruus occurrit prior, vt par eſt, ſignificans vno verbo adeſſe Rebeccam cognatam, & coniugem. Quam Iſaac peramanter

osculatur, amplectitur. *Introducitque in tabernaculum Saræ matris suæ*, quod illi pater inhabitandum tradiderat, ex quo significatur seorsim fæminas à viris habitasse.

XXIV. *Et nuptiæ.*

EAMQVE *accepit vxorem*, ratum habendo quod eius nomine in Mesopotamia Eliezer transegerat. Nuptiarum simplicitatem hîc miratur Chrysostomus, vt arguat suorum temporum abusus nuptiales. *Hîc considera, oro, quomodo nusquam superflua illa & inutilia, nusquam diabolica pompa, nusquam cymbala & tibiæ, & choreæ, & satanica illa conuiuia, & scommata omni obscœnitate plena; sed omnis honestas, omnis sapientia, omnis modestia.* Addit Moses Isaacum *in tantum dilexisse eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* Ingentem illum fuisse necesse est, qui in pectore filij quadragenarij, post triennium viueret. Nimirum vt eum Sara immenso quodam amore dilexerat, ita & vice versa Isaac Saram, dolor autem amissi boni, antegresso amori respondet; eum ergo amorem Isaac deinceps in vxorem Rebeccam transfudit, & illa in locum Saræ amando successit.

XXV. *Narratio Iosephi de Isaaci nuptiis.*

l. 1. ant. c. 15. HACTENVS sacra historia matrimonij Isaaci & Rebeccæ, ad quam exigenda est Iosephi eadem de re narratio, vt ad siclum sanctuarij profanus siclus, à quo pluribus obolis distare reperitur, vt plerique interpretes in hac historia queruntur. Sed primùm audiendus est, ne se inauditum condemnatum queratur. *Isaaco*, inquit, *iam fermè quadragenario Abrahamus pater coniungere volens vxorem Rebeccam Nachoris fratris sui neptem, mittit maximum natu famulorum ad sponsalia, prius accepta fide obligatum. Modus verò deiurandi fuit talis. Subditis alter alteri manibus, sub fæmora, Deum ita testem inuocabant, eorum quæ destinauerant. Misit etiam dona ad illos, vel rara illic, vel nunquam ante visa. Profectus autem famulus diuturnum iter faciens, eò quòd difficilis esset transitus per Mesopotamiam, hyeme propter cœni altitudinem, æstate ob aquarum inopiam, ad hæc propter latrocinia, quæ vitari non poterant, nisi à cautis.* Hæc de itinerum molestiis adiecta sunt gratis, nec tamen reprehendenda, si veritati consentiunt. Pergit autem, *Tandem peruenit ad vrbem Carras: & cùm venisset in suburbium, incidit in complures puellas euntes aquatum: moxque intra se precatur, si Deo grata forent hæ nuptiæ, vt inter illas inueniretur Rebecca, ad quam filio desponsandam Abrahamus eum miserat; & hoc signo dignosceretur, quod cæteris negantibus, ipsa potum roganti præberet. Hæc secum volutans accedit ad puteum, poscens ab eis potum. Illis verò causantibus, aquam se non sine labore acquirere, quam domum deferant, non aliis præbeant: vna omnium, obiurgatis reliquis, negando eas vnquam inter homines versatas, quæ ne aquam quidem impartirent, benignè hospiti potum offert.* Hæc examine indigent, sed addit paulò pòst.

XXVI. *Reliqua eiusdem narratio.*

PVELLA *in hoc quoque et gratificatura genus suum indicat. Rebecca, inquit, mihi nomen est, pater verò fuit Bathuel, quo defuncto Labanus frater meus & domum curat, & matrem, meæ quoque virginitatis tutor. His cognitis homo gaudebat ob ea, quæ sibi acciderent, quæque audiuisset: manifestò cernens Deum hoc iter prosperare: prolato deinde monili, & aliis quibusdam ornamentis, quibus ætas ea delectatur, obtulit puellæ, dicens hanc esse gratiam, & honorem pro communicato potu, ipsamque dignam quæ accipiat, cùm inter tot virgines bonitas eius emineat.* Addit mox postulatum, & concessum hospitium, non satis consentaneè Scripturæ; nec tamen improbabiliter. *Rogabat etiam vt ad domesticos ipsius diuertere liceat, quando quidem, nocte iam appetente, vlterius progredi non detur: ferre se mundum muliebrem magni pretij, qui nusquam tutior esse possit, quàm apud eos quorum probitatem iam esset expertus; coniecturam enim se facere ex ipsius moribus, matrem quoque, & fratrem pari humanitate esse præditos, neque grauatim hospitem esse admissuros, præsertim ipsis nec oneri, nec sumptui futurum. Ad hæc illa, benè eum de parentum humanitate coniectare, sed non rectè facere quod tam illiberales suspicetur, omnia enim sine pretio habiturum. indicaturam tamen prius Labano fratri, cuius permissu ipsum adducturam. Quo facto postquam adduxit hospitem, serui Labani camelos curandos acceperunt, ipse verò ad cœnam eum secum duxit: qua peracta, sic eum, & matrem puella est allocutus.* Sequens oratio ex præcedentibus intelligitur, in qua errata præcedentia confirmantur, & plurima quæ habet Moyses prætermittuntur.

XXVII. *Examinatur.*

PRIMVM igitur narratio Iosephi à Mosaica distat, quod dicat Abtahamum 1.
voluisse dare Rebeccam vxorem Isaac filio, cùm id nullo modo definitum fue-
rit Eliezero ab Abrahamo, sed tantùm dictum, vt mulierem acciperet de co-
gnatione sua; cæteris omnibus diuinæ prouidentiæ, & famuli sui prudentiæ
relictis.

Distat secundò quod vtrumque iurasse dicit subditis alter alteri sub fœmora 2.
manibus,[a] cùm solum famulum iurasse ter, quaterue Scriptura demonstret, nec
causa vlla fuerit Abrahamo iurandi.

Distat tertiò quod ait Eliezerum incidisse in complures puellas, quæ po- 3.
tum ei negauerint, & propterea à Rebecca obiurgatæ fuerint: quæ ficta sunt
omnia. Nam vnam tantùm Rebeccam Moyses memorat, à qua potum pe-
tierit, & acceperit; idque iam ante nos Abulensis, & Pererius meritò repre-
henderant.

XXVIII. *Deprauat signum Eliezeri.*

DISTAT quartò quod signum à famulo propositum vehementer deprauat. 4.
In eo enim ponit, quod aliis negantibus potum Rebecca præbitura esset; quæ
coniectura valde infirma erat; nam huiusmodi potus ægrè negatur. Cùm tota res
in eo maximè posita esset, quod ea, quæ destinata erat diuinitus Isaaci coniugio,
& sibi libenter potum daret, & vltro potum camelis præberet: quod Iosephus o-
misit. Et quid obsecro signo erat opus, si nominatim Rebeccam Abrahamus
designauerat? Nonne satis erat eius parentes adire, & Abrahami petitionem
exponere? At cùm vna eligenda esset ex diuino beneplacito, meritò illud
ex euentu inuestigauit, in quo diuina prouidentia perspicuè agnosceretur.

Et data monilia.

Distat quintò quod ait data Rebeccæ monilia, in gratiam & honorem, pro 5.
communicato potu. Tam prodigus videlicet fuit grandæuus hic famulus A-
brahæ, vt tam leue officium tributæ aquæ, aureis monilibus quadraginta
octo aureorum, quasi Assyriorum monarcha compensaret. Itaque absurdita-
tem videns, cùm nollet Scripturam sequi, rem dissimulans pro geminis inau-
ribus aureis, geminisque armillis item aureis, monile posuit, & alia quæ-
dam ornamenta; tacito metalli genere. Quanto dixisset rectius, hæc illi in pi-
gnus matrimonij data esse, quoniam iam Eliezero clarè constabat illam à Deo fi-
lio domini sui vxorem destinatam.

XXIX. *Et postulatam Rebeccam.*

DISTAT sextò quod ait famulum Abrahæ peracta cœna Rebeccam à pa- 6.
rentibus postulasse, cùm Moses asserat ab illo dictum, *Non comedam donec lo-
quar sermones meos*, & post eam narrationem, & obtentum parentum consen-
sum, dicat initum fuisse conuiuium. Quod autem dixit de Bathuële defun-
cto, etsi passim ab interpretibus reiicitur, valde tamen mihi probabile, & 7.
consentaneum Mosaicæ narrationi visum est. Non ita tamen, quod extremo
capite additur, *Duxítque illam*, inquit, *Isaacus, facultatum paternarum iam do-
minus.* Quomodo id verum, cùm Pater ipsos triginta quinque annos adhuc
vixerit, vxorem duxerit, multos filios susceperit. Sed tabernaculum Saræ eiús-
que supellectilem illi datam, omnes patris facultates largissimè interpretatus
est. Nam illud verbum Eliezeri, *Dedítque illi omnia, quæ habuerat*, idem est ac
constituit eum hæredem omnium bonorum suorum. Itaque futurus erat do-
minus, Abraham reipsa dominus erat. Denique post multos annos natis iam
ex Cetura filiis non ait, Dederátque iampridem Abraham cuncta, quæ pos-
sederat Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera, sed vno eodém-
que tenore quasi testamentum conderet, *Dedit*, inquit, *cuncta quæ possederat,
Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos*, & cetera. Quod
autem addit, *Dum adhuc viueret*, significat eum non expectasse vltimum vitæ
diem, ad disponendum de rebus suis, sed maturè hanc inter filios omnem
distributionem fecisse. Non negauerim tamen hanc separationem, quæ sub
ipsas nuptias facta sit, non carere probabilitate, vt infrà ex Caiet. & Perer. di-
cemus.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2178.

N. I. 1. ET Lipomanus in Catena, sub finem cap. 24. & cap. 25. dubitandi tamen occasionē dedit initio cap. 24. Verùm ibi tantùm ait Abrahamum mortua Sara, cùm ageret annom 137. Isaac autem 37. de eius matrimonio cogitationem suscepisse.

N. III. 2. Perer. n. 4. Del Rio, & Torniel. id aiunt, & ante eos Abulensis, & Lyranus, & D. Thom. quæst. 95. art. 7. 2. 2.

N. XIV. 3. Dobium porrò est hoc pondus inaurium. Nam primo si legitimum sicli pondus accipimus, quòd est semiunciæ, vt suprà disputatū est, nimiū graues videntur hæ inaures, & suo pondere molestæ. Secundò quia textus Hebræus attribuit inauri vni pondus, quòd vocat בקע Hieronymus legit bace, recentiores becagh, quòd significat dimidium sicli. ergo inaures duæ siclum vnū pendebant non duos. Tertio in Græco est singulas inaures pependisse drachmam vnam, *ἀνὰ δραχμὴν ὁλκῆς*. ergo duæ inaures non pendebant, nisi dimidium siclum, nedom siclos duos.

Respondetur communiter à Lyrano, Abulensi, Sà, duplicem fuisse siclum, maiorem vnum tetradrachmum, alterum minorem didrachmum; & hîc agi de minore, non de maiore; illum dictum fuisse sanctuarij, huoc autem vsualem. Verùm Villalp. to. 3. lib. 2. c. 28. disp. 4. contendit nullum fuisse discrimen inter siclum sanctuarij & vsualem, sed vtrunque viginti obolos pependisse, inculcari autem pondus sanctuarij, quòd in templo asseruaretur siclus aliquis legitimi ponderis, ad quem cæteri exigerentur, quæ sentit quoque Ribera in cap. 8. Amos n. 16. additque eodem modo, apud Romanos fuisse in poblico loco mensuram pedis in marmore, & in capitolio mensuram amphoræ, nequis esset deceptioni, aut cupiditati locus. Eidē subscribit Del Rio in c. 23. Gen. num. 18. sed vult nihilominus geminum fuisse siclum alterum maiorē quatuor drachmarum, alterum minorem, duarū duntaxat, de quo videatur locutos Epiphan. lib. de pond. cùm siclum appellat dimidium stateris. Idque videatur ad pleráque loca Scripturæ explicanda necessarium; & præsentem in primis. Nam explicando inaures de siclis minoribus, nihil est absurdi singulas pependisse siclum vnum, id est drachmas duas, & similiter pependisse bace, id est dimidium sicli maioris, siue minorem vnum. Denique eodē recidet versio Septuag. interpretum, qui cùm soleant siclum communiter vertere didrachmum, licet quatuor drachmas habeat, sic hoc loco verterint drachmas singulas, pro binis drachmis, quia ex vi vocabuli, drachma vna est dimidium didrachmi. Nec Villalp. probat non dari maiorem & minorem siclum, sed tātum siclum sanctuarij non esse alium à communi. Dici etiam posset, si non placet geminū siclum admittere, Bace hoc loco in siclom cōuersum esse, siue quod hæc vox insolens esset Latinis auribus, siue quod re vera Bace hoc loco idem esset quod siclus. Diuus enim Hieronymus in tradit. *Bace*, inquit, *quod in hoc loco pro didrachmo* (id est siclo vt Septuag. vocant) *scribitur, semiuncia est*. Non simpliciter tamen & absolutè, sed quatenos pro siclo sumitur, propriè enim est dimidium sicli, & consequēter quadrans vnciæ, non semiss. Chaldæus quoque paraphrastes pro Bace habet siclum, sicut & vulgata nostra, *Accepit* inqoit, *vir ille inaurem auream, cuius pondus siclum valebat*. Et sic poterit etiam satisfieri obiectionibus. Nā primum non est absurdum inaurem vnā esse dimidiæ vnciæ, quòd est pondus sicli, præsertim si per vittam, vt vult Lipomanus, fronti circunductam suspenderentur, aut aliter, vt fieri videmus, ad aurem, ea non perforata, appenderentur. cùm sæpè ex iis perforatis non minora pondera pendeant. Ad secundum dicimus Bace pro siclo ibi esse positum, vt diximus ex Chaldæo paraphraste. Diuus tamen Hieronymus ibi vult Bace esse dimidium sicli; sed cùm ibidē dicat siclum vnciæ pondus habere non mirum si ei tribuat dimidium sicli, id est semiunciam, re tamen vera, siclus dimidiam habet vnciam, & Bace quadrantē. Ad tertium dicimus, D. Hieron. in eo loco legisse, non *ἀνὰ δραχμὴν*, sed *διδραχμὸν*, habet enim, *Et tulit vir inaurem auream, didrachmum pondus eius*, quomodo etiam habet vetustus codex, vt habetur in scholiis editionis Septuag. Romanæ tam Græcè, quàm Latinè.

in cap. 24. Gen.

vide supra an. m. 2138. n. 102.

Olim legebatur in editione vulgata pedes camelorum ablutos, itáque legitur in Glossa ordinaria, & ita legit Abulensis, Eogubinus, Caiet. Lipomanus, & Emanuel Sà, & habetur in editione Roberti Stephani, in qua notæ Vatabli, & germanica editione Pererij, sed id in Biblijs emendatis correctum est. N. XV. 4.

In Hebræo semper ponitur frater in singulari, in Græco modò in singulari, modò in plurali, in Hebræo tamen est, *dimiserunt sororē suam*, non dimisit. N. XVII. 5.

Vt suprà maledictio in bonam partem pro iureiurando posita est, sic & hoc loco imprecatio. N. XX. 6.

Eius verba sunt, Ἐξῆλθε γὰρ μόνος τοῖς ἰδίοις λογισμοῖς ἐσχολακώς. οὐ προσεῖχον δέ τινι, ὁπότε... Id est, Exiit solus propriis cogitationibus operam dare, ac sermocinari. Non additur autem quo cum, iure id quidem, quando neque hominum hæc collocutio est, sed vel ad Deum, vel sui ipsius ad seipsum. Hæc ex edit. Septuag. Rom. N. XXII. 7.

Τοῦ τῆς μητρὸς ἀλλάξας καὶ χεῖρας ... Sic Iosephus. N. XXVII. 8

ANNVS MVNDI 2179. DILVVII 523. TERTIÆ ÆTATIS 141. HEBERIS 426. ABRAHAMI 141. ISMAELIS 55. ISAACI 41. PROMISS. 66. ARALII 21. IMPERII ASSYR. 248.

ANTE CHRISTVM 1874.

I. *Coniugium Abrahæ cum Cetura.* CONIVNCTA narratio gemini matrimonij Isaaci, & Abrahami, significat alterum alteri breui interiecto tempore successisse. Nec vlla subest causa cur Iosephum potius, quàm Moysem sequamur, qui narratis Rebeccæ nuptiis, ad Ceturam transit. At Iosephus statim à morte Saræ, subiicit matrimonium Abrahæ cum Cetura, quasi hoc illam statim excepisset: sed sequamur potius Scripturam, quæ triennium saltem interiicit. Hæc de tempore. De re autem, *Abrahā verò*, ait Moyses, *aliam duxit vxorem nomine Cethuram*. Duo quæruntur, quæ causa nouarum nuptiarum, quæ noua vxor. Gen. 25.

II. *Cur paradoxon videatur.* MIRATI sunt plerique iam olim hasce Abrahami nuptias. Cùm enim matrimonij duplex sit finis, suscipiendæ prolis studium, & vitandæ fornicationis, iam Abrahamus duos susceperat filios, quorum ex vtroque immensam multitudinem posterorum promiserat Dominus. *Super Ismaël quoque exaudiui te. ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde. Duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam.* quòd repetitur Genes. vigesimo primo. De Isaac verò cæteræ omnes promissiones de æquanda multitudine stellarum, & arenæ maris datæ, sæpiúsque iteratæ fuerant; & ex illo oriturum sciebat, in quo benedicendæ erant omnes terræ nationes; vt propterea nulla deinceps vxor requirenda videretur. Ideo Augustinus, *An adhuc procreandi filij quærebantur, cùm iam Deo promittente tanta multiplicatio filiorum ex Isaac per stellas cæli, & arenam terræ, fide probatissima teneretur.* Carnis autem illecebræ quænam esse potuere, cùm de centenario verè dixerit Apostolus, corpore illum fuisse emortuo? *Absit*, ait idem Augustinus, *vt incontinentiam suspicemur; præsertim in illa iam ætate, & in illa fidei sanctitate.* Et lōgè ante ipsum Origenes, *Putamus*, inquit, *in tanto Patriarcha per id tempus incitamenta carnis viguisse, & qui olim à naturalibus motibus emortuus dicitur, nunc à libidine rediuiuus putabitur?* Gen. 17. 20. v. 18. l. 16. de ciu. c. 34. Ibid. hom. 11. in Gen.

III. *Quæ causa nouarum nuptiarū.* Itaque recurrit idem August. ad sensum mysticum, vt scilicet sicut per filios Agar, carnales veteris testamenti filij significabantur, ita per filios Ceturæ, qui post Isaacum nati sunt, carnales filij, qui se ad nouum testamentum pertinere existimant, intelligantur, qui sunt hæretici, in domo veri Abrahæ, post fideles exorti. Et rursum, *Hoc ipso facto prouidit Dominus exemplum, quo hæreticorum ora obstruerentur, qui secundarum nuptiarum hostes futuri erant, vt in ipso patre multarum gentiū, post obitum coniugis, iterum coniugari demonstraretur non esse peccatum.* Hæc ferè August. ibidem, & ex eo Isidorus, Rupertus, Lyran. alij. 1. 2.

Abraham separatus ab Isaaco. Suspicatur Caietanus & Peretius, Abraham pręfecisse domui suæ Isaac tanquam hæredem vniuersalem, ipsum autem seorsim mansisse cum Cetura, quam vxorem acceperit, vt senectutis suæ curam gereret, & eam familiam, quam sibi ipse retinuerat, administraret fidelius, quàm simplex ancilla. Cui rei conciliat fidem quod in aduentu Rebeccæ, nulla fit mentio Abrahæ, sed res tota refertur ad Isaacum, quasi iam à patre separatum. Idque vt dixi probabile est. num. 6. 3.

IV. *Germana earum causa, Dei iussio.* CÆTERVM vt hæ, aliæque idoneæ causæ excogitentur, nullam certiorem existimauerim obedientia Patriarchæ, quem non dubium est diuino imperio ad id adductum, vnde rationes humanæ prudentem hominem deduxissent; quamuis consultationis nullam hîc mentionem factam esse fateamur. Diuinam siue iussionem, siue inspirationem in hoc facto agnoscunt quoque Peret. & Del Rio hoc loco, Abulensis item, & antiqui illi Patres, quicunque censuerunt ad futurorum prænunciationem tam seras hasce nuptias esse copulatas. Non enim vera fu- 4. num. 5.

turorum prænunciatio ab alio quàm à Deo est, cui futura sunt cognita, quæ fa- *& illius*
1.%. ctis, verbisque prænunciat. Iussionis autem causæ fuerint siue illæ quas retuli, *causa.*
siue quod placuit Deo etiam extra populum Dei Chananitidis hæredem, multi-
plicari ex dilecto famulo suo nationes, quæ regiones fortè iam tum patū cultas,
frequentarent, tantóque cumulatius promissio oumerosissimæ posteritatis im-
Rom. 4. pleretur. Nec falsum est, quod ait Apostolus corpore illum emortuo fuisse, cùm
credidit se geniturum Isaacum, sed illud etiam verum, eum tunc diuinitus virtu-
tem, ac facultatem accepisse, quæ ad vltimam vsque senectutem vigeret; vt filij
num. 15. ex Cetura suscepti docuere. Vide Perer.
QVÆ noua autem hæc vxor? primo florentis ætatis, ne hîc miracula sine ne- V.
cessitate multiplicemus. facilius enim fuit ex huiusmodi fœmina senem liberos *Quæ fuerit*
suscipere, quàm ex vetula; imò sine oouo miraculo ex vetula non potuit; vt sen- *hac vxor*
tit Abulensis, Pererius, & alij; ex quo refellitur commentum Hebræorum existi- *ætate.*
mantium eandem esse Agarem cum Cetura, cùm Agar nunc septuagesimū quin- *an Cetura.*
tum circiter annum ageret, vtpote cuius filius ageret quinquagesimum quintū.
Accedit quod mox filij concubioarum à Scriptura memorantur, qui ab Isaaco se-
parati fuerunt. Oportet ergo Agarem aliam esse à Cetura. Hieronymus tamen in
Hebręorum opinionem videtur aliquantò fuisse propensior. Nam in tradit. *Cetu-*
ra, inquit, *Hebræo sermone copulata interpretatur, aut coniuncta, quam ob causam, suspican-*
tur Hebræi mutato nomine eandē esse Agar, quæ Sara mortua, de concubina transierit in vxo-
rem. Sic illi. Sed afferr pto ea ratiooem Hierooymus, & quæ eius erga continen-
tiam amorem sapit, *Videtur*, inquit, *decrepiti iam Abrahæ excusari ætas, ne senex post*
mortem vxoris suæ vetulæ, nouis arguatur nuptiis lasciuisse. Sic ipse. Etsi autem ibidem
rem in incerto relinquat, id tamē sine vlla dubitatione affirmat semel iterúmque
in traditio. in Paralipom. tam initio lib. 1. quàm cap. 5. eiusdem. Verùm contraria
sententia communis est, & Scripturæ consentanea, nec nouæ nuptiæ lasciuiam
arguunt, sed obedientiam.
SECVNDO, non crediderim Chanaoæam, etsi id non oeget Abulensis, neque VI.
num. 14. Perer. ne coniugia quæ verbis in filio repudiarat, factis in seipso approbasse vide- *Genere &*
retur. cuiatem ergo dixerimus? an Ægyptiam? *conditione.*
Tertiò, existimauerim cum Del Rio fuisse ancillam Abrahæ, sicut & Agarem.
Nam, ait Del Rio, *ingenua non diceretur concubina.* Non dubium tamen quin id no-
men in Scriptura multis ingenuis, ac liberis tribuatur. Nisi fortè omnes illæ tre-
3.Reg.11.3. centæ concubinæ Salomonis seruili conditione oatæ fuetuot. Aut defuisse Da-
uidi Regi ingenuas mulieres in tanto populo, quæ illi essent concubinæ, & vxo-
res, vt necesse foret ad ancillas confugere. Quoniam ergo ab Abrahamo è ma-
gno grege ancillarum domi natarum, vna electa est, quæ de ancilla fieret vxor,
non dubium est quin ea multis naturæ & gratiæ donis præstiterit, vt rectè Abra-
hæ senectutem fouere, eius familiam administrare, & in ea Dei cultum conser-
uare, atque amplificare studeret.
NARRAT deinceps Moyses quos susceperit Abraham ex Cetura liberos, ac VII.
nepotes, sex videlicet filios, nepotes aut pronepotes decem. Etsi non dubium est *Quæ ex ea*
multò plures extitisse, nam de sex filiis duorum tantùm posteri recensentur, & *suscepta*
credibile est hos omnes ante mortem Abrahæ intra triginta quinque annos natos *proles.*
fuisse, quorum tamen ortus, gesta, mortem iouoluit Scriptura silentio, quòd ad
populum Dei, qui ex Isaaco propagandus erat, non pertinereot.
EORVM nomina multum deprauata reperiuntur apud Iosephum, & quod de- VIII.
terius est, etiam genealogia. Nam quos Scriptura filios tribuit secundo Ceturæ *Circa tam*
filio, qui dictus est Iecsan, ipse tribuit sexto, qui à Moyse Suc, ab ipso dicitur, *Iosephi la-*
Suus. Sed illud addo, quod rectè noster Del Rio notauit, illa nomina Assurim, *psus.*
Latusim, & Loomim, à Iosepho corrumpi, quasi singulorum hominum nomina
2.%. essent, cùm ex Hebræo constet esse populorum, à filiis Abrahæ nuncupatorum,
quorum tamen nominibus quæpiam exercitatio respondet. Vide Hieron. io trad.
De istis porrò hæc subdit Iosephus, quæ à Hieronymo etiam in trad. memoran-
tur, *His omnibus*, inquit, *filiis, ac nepotibus Abrahamus deducendi colonias author fuit, oc-*
cupaueruntque Troglodyticam regionem, & Arabiæ fœlicis quidquid ad mare rubrum pertinet.
Confirmari hæc possunt ex iis, quæ de Troglodytarum circuncisione suprà anno

Abrahæ centesimo ex Diodoro retulimus. Non enim dubiũ est, quin omnes hosce Ceturæ filios Abraham circuncidi curauerit, sicut circunciderat Ismaelem [3]. Pergit autem. *Fertur etiam quòd hic Ophres* (secundus filius Madiam, quem Moses appellat Opher, Septuaginta Aphir, Hebr. עֵפֶר Ghepher) *cum exercitu profectas occupauit Libyam, quàm postea nepotes eius tenuerunt, Africam ab ipso denominatam.* Idque confirmat Iosephus ex Cleodemo quodam, cui quantum fidei tribuendum sit ex eo patet, quòd tres filios Abrahæ ex Cetura tradat ductu Herculis in Libya militasse contra Antæum, cùm tamen Hercules hic multis sæculis posterior esse conuincatur, quippe qui sub tempora Troiana fuerit, & Eusebius eum scribit Antæum interfecisse, sub Sosarmo vigesimo quarto rege Assyriorum, & Gedeone Iudice Hebræorum sexcentis viginti quinque ab hinc annis. 3. ✠.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2179.

N. IV. 1. QVAS primo à Spiritu sancto intentas existimat Pererius n. 7. sicut in Agaris tam coniugio, quàm expulsione. Ad causam allegoricam primum spectasse dominum significat Apostolus Galat. 4. vt sic nõ tantùm verbis, sed factis etiam prophetaretur, vt ait Abulensis hoc loco. Vide etiam Augustinum quæst. 60. in Gen.

N. VIII. 2. Ex hac porrò vocabulorum Hebræorum corruptione suspicari licet Iosephum linguã Hebraicam aut non satis intellexisse, aut ad eam parum attendisse. Sed ea de re copiosius in præfat. to 2. dicetur.

Ne mireris autem Troglodytas in Arabia poni ad mare rubrum. Id enim & alij Geographi faciunt. Vide Plinium, qui Troglodytas quoque, inter Sarmatas & Scythas ponit, & rursus alios in Africa Cyrenaica. N. VIII. 3. l. 6. c. 29. l. 4. c. 12. l. 5. c. 5.

ANNVS MVNDI 2189. DILVVII 533. TERTIÆ ÆTATIS 151. HEBERIS 436. ABRAHAMI 151. ISMAELIS 65. ISAACI 51. PROMISS. 76. ARALIS 31. IMPERII ASSYRIORVM 258.

ANTE CHRISTVM 1864.

I. *Alia probatio Abrahæ circa sterilitatem Rebeccæ.*

INITIVM quadragesimi tertij Iubilæi Hebræorum ponit hoc anno Euseb. cum quo planè consentiremus, nisi obstarent, nonaginta illi anni, de quibus diximus anno Abrahæ quinquagesimo primo, & quinquagesimo secundo, propter quos post vndecim annos, quatuor & quadraginta Iubilæi explebuntur, & inchoabitur quadragesimus quintus. Hoc porrò tempore multiplici iam partu Cetura lætabatur, gemebant Isaac & Rebecca, exactis iam in coniugio annis decem sine liberis. Quid Abraham? qui videbat ancillæ filios multiplicari, liberæ desiderari; & quinquagesimum iam annum sine filiis illum agere, cui promissi erant innumerabiles? expectabat vtique fideliter & constanter, & sperabat, vt arbitror, non visurum se mortem, donec eius videret semen, per quem diuinæ promissionis à se transfunderentur in posteros Chananitidis possessores. in Chron.

II. *Et pro ea Isaacis preces.*

VERVM Isaac & Rebecca non gemebant tantùm, sed magnis, continentibúsque precibus diuinam implorabant clementiam, vt sterilitati remedium afferre dignaretur. Isaac maximè, de quo aliquantò post dicitur. *Deprecatúsque est Isaac dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis; qui exaudiuit eum.* Septuaginta habent, ἐδεῖτο, deprecabatur, ne semel tantùm orasse putemus. Nam in ea verba Chrysostomus. *Non quia mox ita subditur, & scriptum est, putes è vestigio, & protinus assecutum esse quod optabat, & quærebat. Nam viginti annis perseuerauit orans, & deprecans Deum, & tunc tandem assecutus est, quod desiderabat.* Et iterum: *Si igitur quadraginta annorum erat quando duxit, sexaginta autem quando peperit vxor, manifestum quod annis viginti perseuerauit orans Deum, & vterum Rebeccæ inutilem generationi, idoneum fecit.* Quæ rursus homilia quinquagesima inculcat. hom. 49.

ANNVS

ANNVS MVNDI 2198. DILVVII 542. TERTIÆ ÆTATIS 160. HEBERIS 445. ABRAHAMI 160. ISMAELIS 74. ISAACI 60. PROMISS. 85. ARALII 40. ET VLTIMVS. IMPERII ASSYRIORVM 267.

ANTE CHRISTVM 1855.

ADEST annus consolationis, & lætitiæ sanctis Patriarchis, eóque maioris, quò diutius expectata fuerat, & expetita. Annus quo diui- *[Gen. 25.]* na miracula in fœcundanda sterili renouantur, quo Rebecca, post vigesimum sterilitatis annum, geminos ex marito concepit. *[I. Rebecca concipit.]* Id admirans Chrysost. *Quare*, inquit, *cùm & ipsa, & vir eius vitæ fuerint eximiæ, & ambo multæ probitatis, sterilis fuit; & vt discas rem miram, non solùm ipsa sterilis* *[Hom. 49.]* *fuit, sed & mater iusti Sara, neque mater eius sola, sed & nurus, Rachel vxor Iacob. Quid sibi vult iste sterilium chorus? omnes iusti, omnes virtute præditi, omnes à Deo testimonium habentes.* Et infrà.

QVÆNAM *igitur est causa? vt cùm videris virginem Dominum parientem ne sis incredulus. Exerce mentem tuam in vulua sterilium, vt cùm didiceris ligatam, & emortuam vuluam diuina virtute ad procreationem aperiri, inde copiosis argumentis acceptis, non admireris audiens quod virgo pepererit, imo admirare & obstupesce, sed ne sis incredulus miraculo.* *[II. Cur vxores Patriarcharum steriles.]* Et infrà, *Sterilis igitur iam viam parat virgini, & propter hoc steriles fuerunt istæ, vt credatur virginitatis partus*, & cætera. Addit Theodoret. Voluisse dominum ostendere *[q. 74.]* genus Israëliticum non naturali successione, sed gratia, & fauore suo esse multiplicandum.

DOMINVS porrò, qui merita supplicũ excedit & vota, Rebeccæ conceptũ dedit, sed expectatione maiorem; geminos enim concepit, *sed collidebantur in vtero eius paruuli.* *[III. Gemini in vtero colluctantur.]* Antiqua editio, quã refert Hierony. habebat, *Et mouebantur, sed pro motione, ait idem, Septuag. interpretes* ἐσκίρτων *posuerunt, id est ludebant, siue calcitrabant, quod Aquila transtulit, confringebantur filij in vtero eius, Symmachus verò* διέπλεον*, id est, in similitudinem nauis in superficie ferebantur.* Sic Hieronymus. Quidam ex *[1. 2. q. 72. in Gen.]* Symmacho habent διεπάλαιον, colluctabantur, rectius fortasse. Sanctus Augustinus ex Italica versione habet *gestiebant.* Quicunque autem fuerit hic motus, certum est illum matri cruciatum attulisse, & quidem tantùm, vt penè conceptionis pœniteret, vt notat Caiet. Vnde & dolens ait, *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Certum est etiam eos præternaturali motu in vtero, in figuram futurorum, decertasse, ideóque id consultus Dominus mox explicauit.

PERREXIT enim, *vt consuleret Dominum*, vt ait Moses, sed admodum succincta oratione vsus, nec quo adierit explicauit, nec ad quem. *[IV. Consulit Dominum Rebecca.]* De persona respondet Chrysostomus, *Cucurrit*, inquit, *ad veram scientiam, & festinauit ad sacer-* *[Hom. 50.]* *dotem Dei ministrum, per quem latentium scientiam volebat discere: & enarrans omnia, quæ sibi contigerant, didicit diligenter omnia misericorde Deo per Sacerdotis linguam detegente et omnia manifestè, & alacriorem eam reddente.* Quamuis autem id parum probasse vi- *[q. 72. in Gen.]* deatur August. quasi incredibile sit Dominum per sacerdotem consultum fuisse, nec illum nominatum esse, alij tamen nominant.

NAM apud Lipomanum Eusebius, & Gennadius tradunt illum fuisse Melchisedech, qui in Salem functionem sacerdotij exerceret, nominat & Theodo- *[V. Et per quē.]* *[q. 73.]* retus ex relatione quorundam, Procopius in hoc caput, Comestor capite sexagesimo sexto, Lyranus, Abulensis, & Genebrardus idem ex Hebræorum assertione referunt. In eo tamen minimè audiendi, quòd etiam hoc loco Melchisedechum vna cum Semo confundunt, qui ante annos quadraginta mortuus erat, sed eos præter veritatem accelerata natiuitas Abrahæ, necessariò induxit in fraudem. Quidam etiam ipsorum putarunt esse Heber, qui spiritu prophetiæ donatus creditur, in prædicenda diuisione terrarum, & adhuc in viuis fuit annos nouemde-

cun. Quippe qui quadringentos sexaginta quatuor annos viuendo complerit, vt habetur in catalogo Patriarchatum. Sed vnde constat ipsum in hisce terris Chananæorum habitasse? Ideóque hîc Melchisedechum diuinorum oraculorum interpretem libentius amplector; cui nec ætas repugnat, & fauet locus.

VI. *Et vbi.* De loco, qui Melchisedechum hîc recipiunt, putant Rebeccam adiisse montem Moria, in quo sacrificauerat Abraham, ibique de mysterio infantulorum factá esse certiorem. (Gen. 25. 16. 17.) Eum quoque locum memorat Augustinus, sed nihil asserit, sicut nec ferè cæteri. *Verùm*, inquit Theodoretus, *cùm Patriarcha consueuissent in locis, in quibus habitabant construere altaria quadam, verisimile est illam ad vnum ex istis supplicasse Deo, & ita nouisse quæ futura erant.* (q. 72. in Gen. q. 75.) Sic ipse. Eadémque videtur Diodori Tharsensis, & Procopij Gazæi sententia, cùm aiunt Rebeccam recepisse se in locum aliquem secretum domi orandi causa, & ibi conscíam factam futurorum. Quæ sententia probabilior quoque visa Pererio, & Del Rio; quibus libentius assentior. (n. 19.) Neque enim admodum credibile est Rebeccam, cum magna molestia ferentem vterum, tridui emensum iter, & arduum ascendisse montem, cùm haberet in promptu, vbi diuinum oraculum sciscitaretur; nullo adhuc loco in id munus destinato. Itaque Iosephus oraculi meminit, loci non meminit.

VII. *Oraculum de geminis fratribus.* Responsum autem est, duas gentes, duósue populos in vtero matris esse; quòd scilicet ad ipsorum capita, & stirpem attineret, eásque inter se hostili animo futuras, quando eorum principes iam ex vtero ipso, in quo colluctentur, animos alienos à se mutuo, ac diuisos ostendant. Sed eius pugnæ victoriam iuniori cessuram, & maiorem minori seruum fore. quòd postea Dauidis temporibus cōtigisse, suo loco dicemus. Ea porrò diuisio in vtero exorta, in egressu etiam patuit, quando alter alterius egressum impedire volebat. Deinde studiis planè diuersis tota vita, moribúsque discreparunt.

VIII. *Iosephi Parachronismus.* Hanc Rebeccæ vterum ferentis historiam Iosephus, quamuis breuissimè, sine lapsu referre non potuit. Nam, *Defuncto*, inquit, *Abrahamo vxor Isaaci gerebat* (l. 1. c. 17.) *vterum, cuius mole crescente in dies anxius consuluit oraculum. Responsum est gemellos ei parituram Rebeccam, & ab vtroque descensuram gentem auctori suo cognominem, & quæ minor videbitur eam fore potiorem.* Sic ipse. Miror Iosephum, non vidisse Abrahamū, quem paulò antè ipsemet scripserat vixisse centum septuaginta quinque annos, non potuisse defunctum esse antequam Rebecca conciperet; cùm in Scriptura luce clarius sit illos natos Isaaco sexagenario, & ex eadem etiam clarissimè constet Isaacum centenario patre natum esse. Hoc ergo tempore Abrahamus centum sexaginta annorum erat; ergo ei quindecim anni vitæ restabant; & sic totidem annorum parachronismo à veritate aberrauit Iosephus. Sed eum fefellit, quòd vidit Scripturam prius mortem Abrahami, quàm ortum Iacobi retulisse. Nec rectè facit, dum non à Rebecca, sed ab ipso Isaaco Dominum consultum refert.

Hic porrò annus postremus est regni Aralij, quando illi quadraginta tantùm annos Eusebius attribuit: Africanum secutus, sine vlla rerum ab eo gestarum commemoratione.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2198.

N. III. 1. Est quidem σκιρτᾶν salire, exultare, vt Luc. 2. dicitur Ioannes in vtero matris exultasse, ἐσκίρτησε, ἀπὸ τοῦ σκαίρειν, quòd est salire: sed quia duo simul agitabantur, dicti sunt collidi, consentaneè Hebræo textui & Chaldæo.

ANNVS MVNDI 2199. DILVVII 543. TERTIÆ ÆTATIS 161. HEBERIS 446. ABRAHAMI 161. ISMAELIS 75. ISAACI 61. IACOBI 1. PROMISS. 86. XERXIS SIVE BALANEI ANNVS PRIMVS, IMPERII ASSVR. 268.

ANTE CHRISTVM 1854.

Gen. 25. 24. v. 26. NASCVNTVR hoc anno magni duorũ populorum principes, Iacob & Esaü, & oraculi de iis editi veritas incipit agnosci. Tempus confirmat Moses cùm ait, *Sexagenarium fuisse Isaac, quando nati sunt illi paruuli.* Annos nimirum sexaginta explerat; tunc primum enim verè sexagenarius dici potuit, siue vt loquitur Hebræus, filius sexaginta annorum. Itaque primus annus paruulorum concurrit cum sexagesimo primo patris, & aui centesimo sexagesimo primo, quo modo Eusebius quoque hos annos ordinat, & recentiores. I. *Ortus Iacob & Esau.*

DE ipsorum natiuitate hæc habet Moses; *Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. Qui prior egressus est rufus erat, & totus in morem pellis hispidus, vocatúmque est nomen eius Esaü.* Duo hîc notantur in Esaü, ex quibus futuri eius mores repræsentantur, color rufus, & villosa cutis, ex colore dictus est Edon, quòd postea confirmatum est, cùm pro coctione rufa primogenituram v. 30. vendidit, vt habetur infrà. A pilis, quibus, præter naturam aliorum infantium, Gen. 27. 11. qui toto corpore glabri nascuntur, opertus, ferarum in morem prodiit, asperitas ibid. & hîc. eius, ferinique mores præsignantur, eique nomen Seïr datum est quod Hiero- l. 1. c. 17. nymo, & post eum Lyrano interprete pilosum sonat; à pilorum autem significatione dictus est Esaü. Itáque possumus intelligere Iosephum, *Pater*, inquit, *amabat seniorem Esaü, ex re cognomen habentem. nam Hebræi pilos vocant Seir*[1]. *Aiunt dictum* 1. ☧. *Esaü*, vt inquit Caietanus, *eo quod natus sit quasi perfectus, pilositas enim in adultis si-* hom. 50. *gnum est ætatis perfectæ.* Hùc pertinet illud Chrysostomi, *Tenebat* (Iacob) *manu calcaneum Esaü, id quod erat signum superantis eum, qui fortis videbatur*, χειρὶ τῇ ... ἰσχυρὸν εἶναι δοκοῦντα, quia scilicet pili signum fortitudinis [2]. Fuisse autem in hoc 2. ☧. infante præternaturale aliquid, ex contraria fratris dispositione patet; cùm tamẽ ambo simul geniti essent. II. *Prognosticon Esau in colore, & pilis.*

PROTINVS *alter egrediens plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum Iacob*, qui scilicet ei nomen indidit, siue pater is fuit, siue mater, quasi dicat supplantatorem, in signum deceptionis futuræ, in acquirenda primogenitura, & intercuertenda benedictione; quod ipsemet Esaü obseruauit, dum de ipso quereretur infrà, in corpore autem ipsius nihil extraordinarium, aut insigne videbatur. III. *Et Iacobi.* c. 29. 30.

SEPTIMVS à Belo Rex Assyriorum Balaneus, siue Balæus, cognomento Xerxes, ad differentiam, opinor, alterius Balæi iunioris, qui tertius ab hoc regnauit annis duobus & quinquaginta. Hic ergo Balæus prior, imperij Asiatici clauum hoc anno regendum accepit, tenuítque teste Eusebio, annis triginta. Cæterum Africanus prius illi tantum nomen attribuit, & in regibus Assyriorum vnicum Balæum agnoscit ordine decimum, nec Balæi nomen Græcũ Eusebij chronicum habet hoc loco. Verùm D. Aug. Eusebium de more sequitur. IV. *Septimus Rex Assyriorum.*

l. 18 de ciu. c. 3. QVI hoc etiam anno Argiuorum regnum inchoat, sub Inacho primo eorum Rege per annos quinquaginta, inde illi Phoroneam eius filium subiicit, & alios duodecim, qui omnes regnauerint quingentis quadraginta quatuor annis, vsque ad Perseum, qui regnum Argiuorum Mycænas transtulit. Inachi porrò filia Io Poëtarum fabulis celebratur, quam Ægyptij, vt idem ait, mutato nomine Isidem colunt. A patre Inacho Inachus fluuius apud Argos, à filia Ione Bosphorus nuncupatur. Sed vter, Thraciúsne, an Cimmerius? Æschylus de 4. Argon. Cimmerio testatur. de Thracio Valerius Flaccus. Nil mirum in fabulis non conuenire scriptores, quando in veritate, tanta est per sæpe dissentio. Porrò Græci V. *Initia Argiuorum.*

ſcriptores nihil ferè antiquius tradunt Inacho & Photonæo, præter ea, quæ ad Sicyonios pertinent. qui cum Aſſyriis de antiquitate certant. Nam ex ſupputatione Euſebij quatuor & triginta tantùm annis ſunt poſteriores. Ad quæ etiam tempora Ægyptiorum initia referenda ſunt, quidquid ipſi fabulentur.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2199.

N. II. 2. Nisi fortè putauit Seir & Eſaü idem etymon habere שֵׂעִיר עֵשָׂו cum toto cœlo diſtent. Nam Eſaü eſt à radice עָשָׂה id eſt facere, & Seir à שָׂעַר quod eſt horreſcere quaſi pilis ſubrigentibus, & שֵׂעָר pilus. Id ſi putauit, vt aliquibus doctis placet, confirmatur ſententia eorum, qui Hebraicæ linguæ ignorantiam Ioſepho tribuunt.

Eſaü verò interpretatur faciens, ſiue operãs, à Hieronymo verò, factus ſiue rubeus, vel aceruus lapidum, ſeu vanus, aut fruſtra. Ibid. 2.

ANNVS MVNDI 2201. DILVVII 545. TERTIÆ ÆTATIS 163. HEBER 448. ABRAHAMI 163. ISMAELIS 77. ISAACI 63. IACOBI 3. PROMISS. 88. XERXSIS 3. IMPERII ASSYR. 270.

ANTE CHRISTVM 1852.

I. *Teſtamentũ Abrahæ.* Hic demum eſt primus annus Iubilæi quadrageſimi quinti, quod Euſebius nonaginta annis poſterius ponit, ob cauſam quam anno Abrahæ quinquageſimo primo, alibique retulimus. Gen. 25.

Ad hæc porrò circiter tempora referre poſſumus diſtributionem bonorum Abrahæ, quam filiis concubinarum factam Moyſes recenſet. *Dedit*, inquit, *Abraham cuncta quæ poſſederat Iſaac, filiis autem concubinarum largitus eſt munera, & ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo, dum adhuc ipſe viueret, ad plagam Orientalem.* Continent hæc pauca verba magni Patriarchæ quoddam quaſi teſtamentum, quo, hærede conſtituto eo filio, quem ex Sara matre familias ſuſceperat, reliquis ſeptem filiis, quos ex Agare, & Cetura concubinis genuerat, portionem aliquam bonorum ſuorum diſtribuit. Quòd ſi iam res ſuas ſibi habebat Iſaac, vt Caietano placet, hæc diſtributio facta fuerit de bonis, quæ ipſe Abraham ſibi reſeruarat in matrimonio Iſaac, quæque ab eo tempore diuina benignitate acquiſierat. Itaque hæc ſeparatio ab Iſaac non tam ad bona, quàm ad habitationem pertinebit, vt Moſes ipſe ſignificat.

II. *Munera filiorum Ceturæ.* Verum audiendus etiam hoc loco Epiphanius ſub finem panarij, in compendiaria doctrina fidei Catholicæ, *Filiis Ceturæ*, inquit, *dona erant pecuniæ præſentes, aurum & argentum, ac veſtitus. Et in myſterio concluſit Abraham in peris thus, & myrrham, & aurum Regum Sodomorum & Gomorrhæ*, &c. quæ in traditionibus Hebræorum ſe reperiſſe fatetur, Magóſque, qui ex ſucceſſione ſeminum illorum deſcenderant, eadem dona in participationem eiuſdem ſpei Chriſto obtuliſſe. Significat hæc traditio totam prædam receptam à Regibus, conſecratam fuiſſe Deo, & datam filiis Ceturæ. At Scriptura ſatis ſignificat prædam ſuis quamque dominis, vt patet, reſtitutam. Nam cùm Rex Sodomorum omnia offerret Abrahæ, præter animas, negauit ille ſe quidquam accepturum de omnibus, quæ eius erant; quæ ſcilicet ei reddidit, ſicut & Loto, & aliis. Itaque retulit ſanctus Epiphanius, quæ legerat, non quæ credebat; ſicut ſolet Hieronymus. Et fortaſſe reges pentapolitanos, pro eorum hoſtibus, regibus Aſſyriorum acceperit S. Epiphanius.

III. *Hæreditas Iſaaci.* Ad Iſaacum ergo pertinuerunt, ſi qua fuerunt, Abrahami bona immobilia, vt ſepulchrum in Hebron, cum agro circumpoſito, de quo Geneſeos vigeſimo tertio, vt puteus ille Berſabee, cum vicino nemore, quòd plantauit Abraham. Reliqua autem fuerunt, qualia ſolent eſſe peregrinantium, mobilia Gen. 21. 6.

ſcilicet, qualia deſeribir Eliezer apud parentes Rebeccæ, oues & boues, argen-
rum, & aurum, ſerui & ancillæ, cameli & aſini. Quam opulentus autem hoc
n. 27. tempore fuerit, hinc æſtimari poteſt, vt ait Pererius, quod annis ante obitum
ſuum amplius nonaginta, cùm ex Ægypto rediit, quo eum compulerar fames, di-
citur diues valde in poſſeſſione auti & argenti, & vſque adeò abundaſſe gregibus,
armentis, ac ſeruitiis, vt coactus fuerit ſeparari à Lot nepote ſuo, quod eos ſimul
terra capere non poſſet. Adde mox debellatos quatuor Reges, cũ ſola penè ſuorũ
domeſticorum manu; vnde non exigua præda, ex propriis illorum Regum bon
ditatus meritò creditur. Idq; innuunt innuunt illæ decimæ, quas Melchiſedecho
ex omnibus dedit. Denique, nulla affectus iactura, creuit ſemper; vt ideo diceret
Abimelech, Deus tecum eſt in vniuerſis, quæ agis. Illud quoque ingentis opu-
lentiæ Abrahami, & diuinæ in eum beneficentiæ argumenrum fuit, quod Abi-
melech rex Palæſtinorum non alienum à ſua dignitate duxerit, cum eo inire fœ-
dus, & ab eo iuſiurandum exigere, nihil eum damni tam ipſi Regi, quàm
poſteris eius illaturum. Hæc ergo penè omnia ad hæredem Iſaacum tranſie-
runt.

EIVSDEM generis erant quæ Iſmaëlis, cæteríſque filiis dedit, quæ licet per IV. *Portiones cæterorum & cur ſeparati ab Iſaac.*
ſe magna erant, & eo non indigna, qui Princeps Dei audiebat; tamen ad Iſaaci
hæreditatem nihil erant, vt nomen potius munerum, quàm hæreditariæ dona-
n. 29. tionis mererentur, vt Perer. quoque notauit, & Abul. qui & notat ſeparatos
1. fuiſſe ab Iſaac; quoniam notat Abraham eos vehementer multiplicatum iri, pro-
ptereáque fore, vt non caperet eos terra, & neceſſario, vt ipſe à Lot, breui ſepa-
randi eſſent; ergo ſeparationem ipſe anteuertit, quam potuit maiore cum auto-
ritate, atque ſuauitate perficere. Deinde prudenter agnoſcebat fore, vt fratres
2. Iſaaci ipſi inuiderent, quod vnus ipſe plura à patre, quàm reliqui omnes ſimul
accepiſſet, ex qua inuidia, rixæ, & querelæ naſcituræ erant; nec tamen eis pater
faciebat iniuriam, quoniam Deus, qui eum locupletarat, Iſaacum volebat hæ-
3. redem, cæteros autem leui portiuncula hæreditatis aſpergi. Accedebat quod ad
illos terra promiſſa diuinitus non pertinebat, ſed ad poſteros Iſaaci duntaxat. Po-
ſtremo iſti concubinarum filij, qui à veri Dei cultu diſceſſuri erant, poſteros I-
4. ſaaci idolatriæ peſte infeciſſent, ſi permiſti Iſaacidis habitaſſent. Hæc plutibus
Abulenſis, & Pererius.

ANNVS MVNDI 2213. DILVVII 557. TERTIÆ ÆTATIS 175. HEBERIS 460. ABRAHAMI 175. ET VLT. ISMAELIS 89. ISAACI 75. IACOBI 15. PROMISSIONIS 100. XERXIS 15. IMPERII ASSYRIORVM 182.

ANTE CHRISTVM 1840.

ADEST centeſimus Abrahamiticæ peregrinationis, & diuinæ promiſ- I. *Obitus Abrahæ.*
ſionis annus, & eiuſdẽ vitæ cẽteſimus ſeptuageſimus quintus, & vlti
Gen. 25. mus; *Fuerunt enim*, vt ait Moyſes, *dies vitæ Abrahæ centũ ſeptuag. quinq; an-
ni, & deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, prouectaque ætatis, & plenus die-
rum, congregatúſque eſt ad populum ſuum.* Itaque impletum eſt quod præ-
dixerat illi Dominus, *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona.* Mo-
ritur Abraham vt homo, in ſenectute bona, vt ſanctus, abit ad cœtum ſanctatum
Gen. 15. animarum, ſecundum animam; corpore autem in ſpelunca ſepelitur; placida
morte defunctus eſt, viribus paulatim præ ſenio deficientibus, humore vitali, vt
in lampade oleo paulatim conſumpto, non autem violenta & præpropera morte,
vt iuuenibus contingit, quorum mors non eſt αὐτόματος, aut ſponte deficiens,
ſed violenta, & præcox.

HIC ergo finis vitæ magni Patriarchæ, vitæ hinc quidem modis omnibus
laudatiſſimæ, inde autem innumeris moleſtiis, ac tentationibus exercitæ. Cu- II. *Eximiæ virtutes*
ius vt nullum facinus illuſtre ſacris literis proditum haberemus, hoc ip-
ſo tamẽ vir maximus, & inter heroas veteris teſtamenti longè clariſſimus habẽdus
eſſet, quod à Deo Opt. Max. electus eſt, qui eſſet Pater credentium & populi Dei

Patriarcha, atque adeo illius patet & figura, qui populi Dei & electorum omnium in cœlo princeps.

Requirit profectò tanta dignitas admirabilem in Deum fidem, spem inconcussam, animam in Deum & proximum eximia charitate flagrantem : hæc ipsa sunt primaria sancti Patriarchæ ornamenta. Requirit religiosissimam pietatem, patientiam incredibilem, obedientiam omnibus retro sæculis inauditam : hæ quoque sunt laudes, & decora magni Abrahæ. Requirit heroicam fortitudinem, generosum rerum humanarum contemptum, officiosissimam hospitalitatem, sui ipsius contemptum, atque humilitatem singularem : expressit hæc, aliáque omnia, quæ in magno viro desiderari possunt scriptis Moyses, Abraham gestis ipsis; vt meritò exclamet Ambrosius. *Magnus planè vir Abraham, & multarum virtutum clarus insignibus, quem votis suis philosophia æquare non potuit*[1]. *Minus est, quod illa finxit, quàm quod iste gessit, maiórque ambitioso eloquentiæ mendacio, simplex veritatis fides.* Quin & scriptura ipsa admirans ait, *Abraham magnus pater multitudinis gentium*, &, *Non est inuentus similis illi in gloria.* Ergo Philo libro primo de Abrahamo eum vocat θεοσεβείας, καὶ ἀρετῆς, τῆς αὐτῆς, καὶ μεγίστης ζηλωτὴν γενόμενον, pietatis ac virtutis eminentissimæ, atque maximæ æmulatorem.

l.1.de Abra. c.2.
2. [?]
Eccli. 44. 20.

III. *Fides.*

Hic est, qui in medio nationis prauæ, dum ad idola Chaldæorum vicini, amici, cognati, parentes, viri principes, cum populis suis, cœco impetu ferentur, integram perpetuò retinuit, atque illibatam fidem; quam neque magnitudo tentationum labefactauit, neque diuturnitas peregrinationis imminuit, nec profanarũ gentium nefanda scelera, superstitionésque coinquinarunt, dum constanter leuat manum suam, & cor, & linguam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli & terræ. Qui fidei suæ præcones habuit Moysem & Esaiam maximos Prophetarum: Paulum & Iacobum Apostolorum primarios, & Christum ipsum Prophetarum & Apostolorum Deum.

Gen. 24. Gen 13.6. Esa. 51.2. Ro. 4. toto. Iac. 2.21. Act. 7.

IV. *Spes ac fiducia.*

Hic est qui fide ac fiducia in Deum plenus, cum parua famulorum manu sperauit de quatuor regibus victoriam, quam eodem protegente est consecutus; qui è vulua sterili & emortua, & effœto sene, filium benedictionis se accepturum credidit, sperauit, obtinuit. qui omnes longè, latéque regiones ab eo sperauit, à quo ne tantùm quidem terræ accepisset, quantùm potest pedis calcare vestigium; qui denique prodigiosa quadam in Deum spe, ex eo immensam filiorum multitudinem sperabat, quem propria ipse manu iugularet.

V. *Charitas in Deum.*

Hic est qui diuinam charitatem, patriæ, amicorum, cognatorum, parentũ charitati anteferens, cũcta deseruit, vt illius vnius amicitia frueretur, cui vni vt gratificaretur, non dubitauit tollere filium suum, filium tot votorum, ac desideriorum fructum; filium tot promissionum heredem; filium vnigenitum matri suæ, filium amabilissimum, ætate florentem, longéque dilectissimum; Isaacũ gaudium cordis sui, animam coniugis suæ: tollere, inquam, talem filium, ligare in sacrificiũ; lignis, quæ suis ille humeris sustulisset, innoxio sanguine cruentatis imponere flãmis deuorandum; & brachium armatum gladio qui iugulo immergendus esset extendere, &, quantum in se fuit, vita illum priuare, pro quo vitam profundere sibi dulcissimum foret. Hoc nimirum fuit Deum super omnia diligere. Verè liceat hoc quoque loco exclamare : Sic Abraham dilexit Deũ, vt filium suũ vnigenitũ daret!

Et proximum.

Hic est cuius tanta, tam sollicita, tam ingeniosa charitas enituit, in vita, ac salute scelestissimarum ciuitatum imploranda; in auertendis precibus suis Ægyptiorum, ac Palęstinorum flagellis; in alienigenis à simulachrorũ superstitione ad vnius Dei famulatum traducẽdis, in suis in Dei cultu, timoréq; retinendis, cuius charitatis, ac zeli animarũ illi Dominus ipse testimoniũ perhibet. *Scio*, inquit, *quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viã Domini, & faciant iudiciũ, & iustitiã.* Gen. 18.19.

VI. *Pietas,*

Hic est qui cum Deo religiosissimè conuersabatur, ambulans coram eo in corde perfecto, cui vbique erigebat altaria, vbique sacrificia offerebat; quo cum solemne fœdus inierat, cui se suáque omnia consecrarat, cuius crebris visionibus, oraculis, reuelationibus honorabatur; cui quasi stigmaticus famulus, admissa circumcisione pudoris, dolorisque plenissima, libentissimè seruiebat, vt minora illa, religiosa tamen, & pia prætermittam, solutionem decimarum, curam sepulturæ.

VII. *Patientia.*

Hic est cuius insignem patientiam, atque admirabile animi robur, neque cen-

tum annorum laboriosissimæ peregrinationes, neque denunciata in quadringentos annos seruitus, atque afflictio posterorum suorum fregit; cùm interim illi ne vestigium quidẽ pedis dedisset in terra incolatus sui, sed in casulis habitantem cũ suis, huc illúcque traduceret, & quasi fugitiuum nullibi apud se esse permitteret, vbique cogeret exulare: cuius constantiam non alia ex aliis ingruentia pericula, non fames, non orbitas, non sterilitas vicit, non sublata vxor, non pudoris illius, non capitis sui discrimen; non denique vnici filij imperata cædes euertit.

Hic est cuius nulla exauditur vox, nulla excusatio, nulla obmurmuratio, nul- VIII. *Obedientia.*
la dilatio, in admittenda, vel exequenda quantumuis dura, difficili, inopinata,
& humano iudicio imprudenti, & absurda obedientia. Iussus *exiuit de terra sua, de*
Heb. 11. 8. *cognatione sua, de domo patris sui*, & exiit *nesciens quò iret*, vt ait Apostolus. *Nonaginta*
Gen. 17. 24. *nouem annorum erat*, cùm accepit circumcisionis molestum, & ignominiosum præceptum; eodem tamen ipso die & seipse, & Ismaëlem filium suum circumcidit, *& omnes viri domus illius tam vernaculi, quàm emptitij pariter circuncisi sunt*. Vult Sara eiici ancillam, & filium eius. Durè hoc accipit Abraham; & interuenit Domini vox; *quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius*; & illicò oblitus vxorem pauperculam, oblitus adolescentem filium, vtrúmque primo mane, ad Saræ arbitrium cum pane & aqua dimittit. Audit præceptum, aut verius horribile tonitru, de sacrificando filio suo; resistit paterna charitas, innocentia filij, metus infamiæ sempiternæ, imminens orbitas, implacabilis Saræ luctus, resistunt omnia iura naturæ, & contra impositam obedientiam tumultuosissimo certamine in Patriarchæ pectore dimicant; nihilominus vincit obedientia, tacitus de nocte consurgit, triduum carnificinam cogitationum suarum circunfert, & paternum gladium, quantum in se fuit, in amantissimi filij guttur immergit.

Qvæ fuit vnquam heroica fortitudo, si hæc non fuit? Nam quatuor poten- IX. *Fortitudo.*
tissimis regibus illata clades, erepta præda, erepta vita, erepta victoria, cum modica famulorum, armorum insolente manu, generosi cuiusdam animi fuit eximiáque victoria; sed quæ ad talem, tantámque de seipso victoriam accedere nullo modo possit; nam *Fortior est qui se; quàm qui fortissima vincit.*

Nam excelsum rerum humanarũ cõtemptũ, prodit illa vox, *A filo subtegminis, vsq;* X.
ad corrigiam caligæ non accipiã, ex omnibus quæ tua sunt. Prodit illa electio pascuorũ ne- *Humanarũ*
poti permissa: prodit illa numerũ in Rebeccam, cęterósq; cognatos magnificentia. *contemptus,*
Quid illa hospitalitas, quàm prompta, quàm officiosa, quàm humilis quasi ex- *& Hospitalitas.*
cipiendis peregrinis ingens accipere beneficium, non conferre videretur. Vt eorum præstolabatur aduentum! vt occurrebat venientibus! vt penè inuitos ad se pertrahebat: nam quæ Loti est in hoc genere gloria, ea in Abrahamum patruum, à quo ille institutus fuerat, magna ex parte redundat.

Postremo hic ille est, qui in tot copiis, tanta fortuna, tanta rerum omnium XI.
abundantia, præ summa demissione animi, peregrinum alloquens ait, *Loquar ad Do-* *Demissio*
minum meum, cùm sim puluis & cinis. Et, *Si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum* *animi.*
tuum. Et, *Obsecro ne irascaris Dominè, si loquar adhuc semel.* Nimirum egregium tunc in animo sancti Patriarchæ certamen inierant, validéque certabant, zelus pereuntiũ animarũ, summissióq; animi singularis. Dum ille loqui iubet, ista silentium indicit, ille importunas exigit preces, ista se indignam, quæ loquatur, nedum exaudiatur, agnoscit. Apud Hethęos autẽ, apud quos erat *quasi princeps Dei*, quãta corporis, animiq; submissione, quanta verborũ lenitate vtitur, eundémque perpetuũ illi agendi, loquẽdique morẽ fuisse par est credere: nõ enim ex composito, quasi in theatro personam agebat. Nihil in eo fictum, nihil simulatum, nihil duplex, sed ex animo
Eccli. 3. 20. obseruabat illud. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & corã Deo inuenies gratiam.*

Hæc, aliáque plurima, quæ non sunt scripta in libro Moysis, dicere potuerunt XII.
in funere & laude coryphæi Patriarcharum, *Filij eius Isaac & Ismaël, cùm sepelierunt* *Funus curatum à fi-*
eum in spelunca duplici, quæ sita est in agro Hephron filij Seor Hethæi, è regione Mambre, *liis.*
quem emerat à filiis Heth; ibi sepultus est ipse, & Sara vxor eius. Dubitare non licet quin XIII.
duo isti filij Abrahæ natu grandiores, & dignitate potiores, parenti optimo iusta *Moribundi*
Gen. 25. 9. cumulatè persoluerint, id satis testatum reliquit Moyses. *monita sa-*

Dvbitare autem non possum, qui & hi, & Cethuræ filij, & multa tur- *lutis ad*
ba famulorum morienti affuerint, vt ex ore sanctissimi viri decedentis, monita *suos.*

postrema salutis haurirent: siue sua ipsi sponte, siue Abrahami ipsius conuocatu, cuius exemplum deinde Iacob nepos, qui nũc decimum quintum agebat annum, fuerit imitatus. Inuitant ad credendum illa Domini verba; *Scio*, inquit, *quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam*. Inuitant exempla posterorum eius, & consuetudo patrum, qui grandæui in senectute bona moriuntur. Gen. 49. cap. 18. 19.

Falli non potuit diuina scientia, nec inanis esse, præcepit Abraham filiis suis; præcepit nepotibus & famulis, & vniuersæ Domui suæ, cùm alias non rarò, tum maximè cum significante Domino, vt piè credere licet, finem vitæ sibi adesse intellexit. Atque vtinam extarent illa verba nouissima, quæ abiturus è viuis, congregatis filiis locutus est; quibus nunciabat sibi viam vniuersæ carnis ingrediendam esse, diuturna tot annorum peregrinatione aliquando completa; dolere se de negligentia in diuino famulatu, & ingratitudine erga Dominum Deum suum, à quo tot beneficiis affectus fuerit, qui ipsum misericorditer ab omni retro æternitate elegerit de medio pereuntium Chaldæorum, & à nefando simulachrorum cultu immaculatum custodierit. E patria, & cognatione sua, quasi filium dilectũ cui longè maiorem, meliorémque pararet hæreditatem, eduxerit, multis magnísque benedictionibus, ac promissis prosecutus sit.

XIV. *Et nominatim de Christo venturo.* In quibus, inquit, illa imprimis admirabilis atque diuina, quod præter posteritatem, quæ stellas cœli, & terræ puluerem æquare possit, etiam firmiter statuerit, & iureiurando promiserit in semine meo, tuóque Isaac, benedicendas esse omnes cognationes terræ. Venturum videlicet, qui genus humanũ dæmonũ seruituti mancipatum, in libertatem asserat, qui peccatum mundi tollat, qui cœlum mortalibus clausum aperiat; virum sanctum, virum diuinum, Dei filium, mundi redemptorem. Et ego credidi, & exultaui vt viderem diẽ eius, vidi & gauisus sum.

Hunc amate filij mei, hunc colite, hunc expectate, hunc annunciate filiis, & nepotibus vestris, & illi filiis, ac nepotibus suis, vsque ad vltimam generationem. Et ego nunc abiturus sum filij ad patrem meum Thare, quem ante centum annos in Mesopotamia sepelij, cuius animam Dominus donauit mihi; ad Semum, ad Noë cæterósque maiores meos, qui fideliter cursum vitæ suæ confecerunt, cum quibus expectabo Deum Saluatorem meum, qui se mihi protectorem vbique præstitit, & seipsum in mercedem votis omnibus expetendam promisit. Ad eum cum hisce vinculis exolutus abiero, sepelite corpusculum hoc in spelunca duplici iuxta Saram sororem meam, quam sepeliui, ecce triginta octo anni sunt: vt puluis pulueri reddatur, dum veniat immutatio nostra.

XV. *Et Dei iudicus.* Vos autem mementote iudiciorum diuinorum, vt faciatis iudicium, & iustitiam in terra. Nolite obliuisci Sodomitarum, & Gomorrhæorum, & cæterorum, quos te, ô Ismaël iam quatuordecim annorum adolescentulo, & Sara vterum ferente, ante hos septuaginta quinque annos vltrix de cœlo flamma consumpsit, & perseuctabunt iræ diuinæ argumenta in omnes annos consequentes. Videte vt pacificè inter vos, & cum nationibus, quæ in circuitu vestro sunt, viuatis. Custodite viam domini, in qua ego ambulaui coram vobis, & benè fuit mihi, & erit, vt spero, in perpetuum. Non sit vobis alius Deus præter Dominum, qui creauit cœlum & terram. qui iustus est & zelator; nec si ab eo ad idola gentium defeceritis, impunè abire permittet; sed ærumnis, ac suppliciis viuos, mortuósque mactabit. Sperate in eum, qui fidelis est, nec obliuiscetur pacti sui, quod pepigit mecum. Reposita est hæc spes in sinu meo. Et his dictis, amplexatus omnes, paternámque omnibus benedictionem impertitus, orsus ab Isaaco, quem præ omnibus dilexit, & benedixit, (vt quem promissionum diuinarum, & bonorum, virtutúmque suarum hæredem relinquebat, animam Deo reddidit.

XVI. *Abraham quàm expressa Christi figura.* Iam verò patriarcham nostrum, vt Christi Domini ac filij sui figuram illustrẽ consideremus. In qua illud sane maximum, atque illustrissimum, quod vt nouæ gentis Abrahamiticæ, nouíque populi, cui benedixit Dominus, primus parens, & auctor fuit: Ita Christus Dominus nouæ gentis Christianæ, nouique populi, qui ęternã benedictionẽ consequetur, conditor à Deo, & princeps cõstitutus est.

1.
2. Præluxit Abrahã omnibus maioribus suis, eorúmq; gloriã, & nomẽ è tenebris eruit, neque enim agnosceretur Thare, aut Nachor, aut Sarug, aut Heber, aliique

Patriarchæ, nisi pattes essent, aui, proaui, maiores Abrahami. Patriarcha noster
ac princeps Christus Dominus maiores omnes suos, secundum carnem, singulari
gloria illustrauit, vt nihil sit in eorum commendatione magnificentius, quàm
quod in huius regis regum progenitoribus numereotur. Itaque à duobus Euan-
gelistis studiosè commemorantur.

Exiit Abraham iussu Domioi de terra sua, de cognatione sua, de domo patris 3.
sui: Exiit Christus Dominus à patre, & venit io mundum, & à summo cœlo egres-
sio eius, relicta spiritali cogoatione Angelorum, quos oon apprehendit, sed eis se-
Hebr.2.16. c.10. men Abrahæ prætulit; vt scribit Apostolus. *Quis autem alius*, inquit Isidorus in
Genesim, *exiit de terra, & de cognatione sua, vt apud exteros locupletaretur, & esset in gen-
tem magnam, nisi Christus, qui relicta terra, & cognatione Iudæorum, præpollet nunc, vt vide-
mus in populis gentium?*

PEREGRINATVR Abraham in terta aliena, quam Chananæi possidebant, 4.
& tamen sua, quippe quam ipsi, & semini eius promiserat Dominus. Christus Do- XVII. *Decem migrationes Abrahæ.*
Ioan.1. minus *in propria venit, & sui eum non receperunt*. Abraham decies mutauit sedes,
ex Vr eoim venit in Haran Mesopotamiæ, inde in Sichē, & conuallem illustrem;
deinde in Bethel; & mox in Ægyptum, vnde post trimestrem moram reuersus
est in Bethel, & inde transiit ad conuallem Mambre in Hebron, vbi substitit die-
bus multis: post quos euersis Sodomis migrat in Gerara, fitque colonus Palæsti-
næ, & iterum reuertitur in Hebroo, vbi sepelit vxotem. Inde redit cum Isaac in
Bersabee; ex quo mittit famulum ad petendam Rebeceam, sed ibi relicto filio,
cum maxima parte bonorum suorum, veoit in Hebron, vbi cum Cetura manet,
moritur, & sepelitur. Christus primum peregrinationis locum habet in Nazareth,
vbi diuinitus concepitur, alterum in Bethlehem vbi nascitur, tertium in Ierusa-
lem, vbi offertur ac redimitur, quartum rursus in Nazareth, vnde monitu Angeli
transfertur in Ægyptum; vnde anno tertio rediit, vt docebimus in eius anno ter-
tio, & in Nazareth multos egit annos, inde prædicationis tempore, nullo certo
vsus domicilio totam Iudæam sæpius perlustrauit. Donec Hierosolymis mortuus
est, ac sepultus.

Heb.11.9. Abraham peregrinando, *In casulis habitauit cum Isaac, & Iacob cohæredibus repro-* 5.
Act. 7. *missionis eiusdem*, vt ait Apostolus, *nec habuit passum pedis in Chananitide*, vt ait Ste-
phanus, in figuram speluncæ Bethlehemiticæ, & reliquæ vitæ, quando ipsemet
fassus est, non habere se, *vbi caput reclinaret suum.*

VXOREM habuit Saram eximiæ pulchritudinis, eámque ad nonagesimum 6.
vsque annum sterilem, quando Isaacum filium promissionis emisit in lucem, eu- XVIII.
ius etiam non leuia extiterunt pericula, & tribulationes apud reges terræ Ægypti, *Sara respondet Ecclesiæ.*
& Palæstinæ; à quibus tamen cum maiore gloria, & diuitiis liberata est à Domino.
Ephes.5.27 Sponsam Christus habet *Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, neque aliquid
einsmodi.* Contra quam à regibus & imperatoribus grauissimæ persecutiones exti-
tere, à quibus liberauit eam cum magno fœnore Dominus, nec nisi tardè fœcun-
da facta est, admissa multitudine gentium, ad quam promissiones diuinæ refe-
rebantur.

Abraham separatur à Lot cognato suo, qui post aliquot annos in Sodomorum 7.
deflagratione omnia perdidit, indéque igootus, ignoto fine interiit. Christus se-
paratur à Iudæis, quos *principes Sodomorum, & populum Gomorrha* vocat Esaias, qui
c.1.10. postea euersa patria, nudi, inglorij, miserè periere.

Gen. 20.7 Luc.7.16. Act.10.38. Abraham, ipso Deo teste, Propheta fuit, & ad eius preces domus Ahimelech 8.
morbis liberata est. De Christo populus publicè prædicabat, *Propheta magnus sur-
rexit in nobis, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo*, & cæ-
tera.

Abraham pro peccatoribus magna animi contentiooe ac feruore precatur; 9.
Gen. 19. Esa.53.12. Christus & viueos in terris *pro transgressoribus rogauit*, & nunc *semper viuens apud
Heb.7.25. Deum est, ad interpellandum pro nobis*, & quasi ex officio aduocati munere fungitur.
1.Ioan.2.1. Dimittit Abraham seruum prudentem ac fidelem in regionem longinquam 10.
ad quærendam vxorem filio suo: Dimittit Christus Apostolos vsque ad fines
Ioan.11.52. terræ ad colligendam sponsam suam Ecclesiam, & filios suos qui erant dispersi
congregandos.

11. XIX. *Filij Abrahæ ex libera, & ancilla.* Habvit Abraham Agar vxorem, & Saram matrem familias, & ex illa ancillæ filium Ismaëlem; qui eiectus est cum matre sua, dum Isaacum persequitur: ex hac filium liberæ Isaacum suscepit: & de illo dictum est, *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum:* de hoc verò, *In Isaac vocabitur tibi semen.* Synagoga & Ecclesia producunt carnales, & spirituales filios Abrahæ, Iudæos & Christianos; sed illi eiiciuntur cum Synagoga matre sua, dum Christum, & Christianos persequuntur; isti cum Ecclesia retinentur: illi omnibus nationibus infesti sunt, omnes pessimè oderunt, & ab omnibus æquè affliguntur; isti semen sunt, cui benedixit Dominus, & *qui hæreditatem capiunt salutis;* & cùm filiis concubinarum dentur munera, & prosperitates vitæ huius, Isaac æternam possidet hæreditatem. Gen. 16. 12. Gen. 21. 12. Heb. 1. 14.

10. Init Dominus fœdus cum Abrahamo, promittens ei terram Chananæorum; init Deus fœdus cum filio suo, *Dedi te*, inquit Esaias, *in fœdus populi, in lucem gentium.* & rursus, *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Plura alia colligi, & conferri possunt, sed hæc pauca boni consulet lector, quibus addo Epitaphium; quod in spelunca inscribi possit. Gen. 15. c. 42. 6. & 49. 6. c. 53. 10. &c.

EPITAPHIVM ABRAHÆ.

QVIESCIT IN HAC SPELVNCA MAGNVS CREDENTIVM PATER ABRAHAM, POST CENTVM INQVIETÆ PEREGRINATIONIS ANNOS: IN QVO NOVA MVNDI ÆTAS, CVM NOVARVM VIRTVTVM ADMIRABILIBVS EXEMPLIS ILLVXIT. QVI IN MEDIO SECVLORVM ET ILLVSTRIVM VIRORVM VETERIS TESTAMENTI, SICVT SOL IN MEDIO PLANETARVM, ITA REFVLSIT, VT ILLI SIMILIS IN GLORIA NON SIT INVENTVS. QVI FOEDERE CVM DOMINO INITO, EIVS SIGNACVLVM GESTAVIT IN CORPORE SVO. DVX MAGNVS, PRINCEPS MAGNVS, PATRIARCHA MAXIMVS, IN CVIVS SEMINE OMNES NATIONES BENEDICTIONEM SVNT CONSECVTÆ. VIDIT AVOS, PROAVOSQVE, ET ALIOS RETRO MAIORES SVOS, VSQVE AD DECIMAM GENERATIONEM [2]. SEMVM PRIMOGENITVM NOE, CENTVM VIGINTI ANNIS. EIVS FILIVM ARPHAXAD, OCTO ET QVINQVAGINTA, CAINAM QVINDECIM ANNIS, SALEM CENTVM OCTODECIM, HEBEREM CENTVM SEPTVAGINTA QVINQVE [3]. CVM REHV ABAVO OCTODECIM ANNIS, VERSATVS EST, CVM PROAVO SARVG CENTVM ET QVADRAGINTA, CVM PARENTE THARE, SEPTVAGINTA QVINQVE. FILIOS HABVIT INNVMERABILES, SPIRITVALES VT STELLAS COELI: CARNALES, VT PVLVEREM TERRÆ. DENIQVE PROGENITIS OCTO LIBERIS, EXPLETIS CENTVM SEPTVAGINTA QVINQVE ANNIS, PLENVS FIDE, ET SPIRITV SANCTO MORTVVS EST, IN SENECTVTE BONA, ET CONGREGATVS IN PACE AD POPVLVM SVVM, PRÆCEDENTIVM SANCTORVM COETVM, VBI ETIAM PRINCEPS DEI APVD SVOS FACTVS EST, PRÆPOSITVS RECIPIENDIS PIIS FILIORVM SVORVM ANIMABVS IN SINVM SVVM. DONEC MESSIAM FILIVM SVVM, QVEM CVM INGENTI GAVDIO IN SPIRITV VIDERAT, PRÆSENTEM, IN SVO SVBTERRANEO DOMICILIO, MAIORE LÆTITIA AMPLEXATVS, CVM MAXIMA GLORIA, INGENTI PATRVM, ET FILIORVM COMITATV CINCTVS, IN REGIONEM VIVORVM RECEPTVS EST. VENERARE PARENTEM VIATOR, SIVE IN LIBERÆ, SIVE IN ANCILLÆ FILIIS CENSEARIS.

2. X. 3. X.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2213.

N. II. 1. ALLVDIT Ambros. ad Rēpub. Platonis, & Cyri pædiam Xenophontæam, vt patet ex cap. primo libri eiusdem Ambrosij.

N. XX. 2. Hanc Chronologiam longè diuersam reperies apud Perer. in hoc caput, à numero 36. cui cōsentit Del Rio. Diuersitas ortus partim propter omissum ab ipsis Cainam, filium Arphaxad, cui dedimus annos triginta ante quā filium gigneret, propter rationes quas in primo anno Cainam posuimus; partim ex Abrahami natiuitate, posita ab ipsis anno septuagesimo patris, à nobis autem cum Tornielle, & aliis, anno centesimo trigesimo. à Torniello autem discrepamus propter Sem in duobus annis, & eius filium Arphaxad, cui centum annos vitæ addimus, consentaneè iis quę in ipsius vitæ anno trecentesimo trigesimo octauo disputauimus.

Phaleg sextum à Semo non vidit: Auum Nachorem non vidit. N. XX. 3.

ANNVS MVNDI 2214. DILVVII 558. TERTIÆ ÆTATIS 176. HEBERIS 461. ISMAEL 90. ISAA. 76. IACOBI 16. PROMISS. 101. REGIS XERXIS 16. IMPERII ASSYRIORVM 283.

ANTE CHRISTVM 1839.

Gen. 25. 11. POST obitum, Patriarchæ Abrahæ, *benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine viuentis, & videntis,* vt ait Moyses. De tēporalibus vtique bonorū incrementis, agit quæ digito tangi possunt, & à rudi Hebræorum populo, cui hæc primùm scribebantur, pene sola cogitabantur. Quamquam valuisse etiam parentis demortui, pro dilectissimo filio, apud Deum preces, vt spiritalibus quoque bonis augeretur, dubitare non licet; & id Moyses videtur innuere, cùm mentionem obitus, benedictioni coniungit. Illa porrò bonorum incrementa, cùm in multiplici pecorum fœtu, in terræ frugibus, earúmque fructuosa distractione, aliísque id genus rebus agnoscantur, quæ temporis spatium requirunt, ideo auctas Isaaci opes à patris eius obitu seiunximus; & ad hunc annum ita retulimus, vt ad sequentes quoque pertinere censeamus. Habitabat porro Isaac circa prædictum puteum iam à tempore coniugij sui cum Rebecca, vt ex cap. vigesimo quarto colligitur, & notauit Caietanus hoc loco. *Augetur bonis Isaac.*

ANNVS MVNDI 2217. DILVVII 561. TERTIAE ÆTATIS 179. HEBERIS 464. ET VLT. ISMAEL. 93. ISAA. 79. IACOBI ET ESAV 19. PROMISS. 104. XERXIS 19. IMPERII ASSYRIORVM 286.

ANTE CHRISTVM 1836.

Gen. 11. 16. 17. EXPLETVR hoc anno vitæ periodus Heberi attributa, in Hebræis, Chaldæis, Latinísque codicibus, quæ fuit quadringentorum sexaginta quatuor annorum; conflata ex triginta quatuor annis, quos vixit ante genitum Phaleg, & quadringentis triginta, quos deinde vixit; quam Chronologiam, vt probatissimam, sequimur. Græci autem in Romanis codicibus sexaginta annis diminuti sunt; regij verò, & Basilienses annos quadraginta superaddunt, vt sint quingenti quatuor. 1. *Obitus Heberi, & vitæ diuturnitas.*

Moritur ergo hoc anno Heber, qui vnus ex omnibus Patriarchis secundæ ætatis supererat, reliquis omnibus, ante Abrahami obitum, qui tertiæ ætati dedit initium, morte sublatis. Omnibus porrò secundæ ætatis coæuus fuit, Noëmo atauo suo annis ducentis quinquaginta tribus. Semo abauo quadringentis quinque. Arphaxad proauo trecentis quadraginta tribus. Cainan auo trecentis. Salæ patri quadringẽtis tribus. Filio autem Phaleg, ducentis triginta nouem, totidémque Rehu nepoti, pronepoti autem Sarug ducentis triginta. Nachori verò abnepoti centum quadraginta octo. Tharæ, atnepoti ducentis quinque, quot scilicet annis singuli vixerunt, qui post eum nati sunt. In tertia verò ætate coæuus fuit Abrahamo centum septuaginta quinque annis, Ismaëli nonaginta tribus, Isaaco septuaginta nouem, Iacobo nouemdecim. Eius itaque ætas 13. generationibus respondet; aut etiam pluribus, si ratio habeatur filiorum Ceturæ.

II. *In multa casuum, ac rerum diuersitate.* QVOD totum tempus in magna rerum varietate decurrit. Vidit diuisionem terrarum à Noë institutam, vidit & linguarum, atque populorum, &, vt erat Propheta, in filij sui denominatione prædixit. Vidit impiorum filiorum Cham progeniem, & in primis violentam Nemrodi tyrannidem, vidit penè generalem veri Dei cultus prolapsionem; eundémque in Abrahamo exsuscitatum, ac restauratum. Vidit de filiis, ac nepotibus suis sex generationum ortus atque interitus, in quorum singulorum funeribus, incolatum suum prolongatum vtique ingemiscebat, quod illis superstes esset, à quibus, vt pote iunioribus, sepulturæ mandandus videbatur. Vidit flagrantem bello Syriam primùm, deinde incendio cœlesti Pentapolim, totámque circumpositam regionem, vidit totum Orientem Nini, Semiramidis, aliorúmque Assyriorum armis, turbatum, afflictum, & seruituti mancipatum; quibus credibile est sæpe virum iustum ea verba vsurpasse, *Tolle Domine animam meam, neque enim melior sum quàm patres mei.* 3. Reg. 19. 4.

III. *Vir insignis.* VIRVM insignem fuisse Heberem iam ex iis, quæ eius anno primo, & trigesquinto dicta sunt, intelligi potest. Magno autem in pretio fuisse apud posteros denominatio ex eo sumpta, & in omnem transfusa posteritatem apertè declarat. Moyses etiam Abrahamum ipsum Hebræum vocat, etiam nato iamdudum Israëlitarum cognomine, tum Patriarcham Iosephum, tum omnes vniuersè Iacobi posteros Hebræos appellat. Quid autem ab eo quinque penè sæculis gestum fuerit, voluit nos ignorare Dominus, vsque ad magnum Domini diem. Gen. 14. c. 39. & seq. Gen. 43. Exo. 1. & 2. & passim deinceps.

ANNVS MVNDI 2218. DILVVII 562. TERTIÆ ÆTATIS 180. ISMAELIS 94. ISAACI 80. IACOBI, ET ESAV 20. PROMISS. 105. XERXIS 20. IMPERII ASSYR. 287.

ANTE CHRISTVM 1835.

I. *Studia duorũ adolescentium, Esau.* PERTINET hic annus, aliíque nonnulli tam antecedentes, quàm consequentes ad duorum fratrum studia diuersa declaranda, *Quibus adultis*, inquit Moyses, *factus est Esaü vir gnarus venandi, & homo agricola. Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Quibus adultis*, inquit Abulensis, *scilicet cùm peruenissent ad annum quindecimum, vel vigesimum, in qua ætate vocatur homo adultus.* In Hebræo, Græco & Chaldæo est, *cùm creuissent*, eadem planè significatione, adolescunt enim, siue crescunt notabili longitudinis incremento pueri, sub illos annos, quos comprehendit adolescentia, quo maximè tempore diuersa studia efferunt se apertius, quæ primis iam annis emicuerant. Itaque Esaü natura, atque ingenio ferus, & rusticanus, à pueritia ruri multus erat, & capiendis auibus, feris que capiebatur; faciléque reperiebat famulos ad sua studia obsequentes. Isaaco primum dissimulante, qui sciret nihil inuita Minerua dicendum, faciendúmque: nec violentum quidquam diuturnum esse posse; deinde etiam approbante, illúmque eo nomine diligente. *Isaac enim*, teste Gen. 25. 27.

Mose,

Mose, *amabat Esaü, eo quod de venationibus illius vesceretur.* Quæ fuerunt ei prąludia, vt olim Nemrodo, bellieæ, ae militaris artis.

Iacob autem natuta mitis ac placidus, mitiora studia, occupationésque frequentabat, domi assiduus, propterea enim dicitur *habitasse in tabernaculis*, quum id Esaü quoque conueniret, sed in iis erat infrequens. Iacob autem parentum voluntati morem gerens, quo sua ipsum ferebat indoles, animo magis exeolendo, quàm corpore exercendo oecupabatur. Quod aurem simplex à Moyse dieitur in vulgata, videtur D. Augustinus interpretari, quasi hominem minimè malum, sed oon satis acutum, vt ait Tullius, vnde locum habet ipsius dubitario. *Quod Gracè,* inquit, *dicitur ἄπλαςος, hoc Latini simplicem interpretati sunt; propriè autem ἄπλαςος non fictus; vnde aliqui Latini interpretes, sine dolo, interpretati sunt, dicentes, erat Iacob sine dolo, habitans in domo, vt magna sit quæstio, quomodo per dolum acceperit benedictionem, qui erat sine dolo.* Sic ipse, tecurritque ad mysticos sensus. Sed facilis est, & expedita responsio, ipsum non suo, sed materno dolo benedictionem interuertisse. Et hæc simplicitas opponitur calliditati, eámque non malè conuenire Iaeobo, fuisséque hominem opportuoum fraudibus, satis declarat eommutata vxor primo die nuptiarum; & eius merces à Laban decem vicibus immutata; vtique fraude potius, quàm per vim, apertámque iniuriam. Et verò erat de *filiis lucis, quibus filij huius sæculi prudentiores sunt.* Videtur autē ἄπλαςος metaphorā habere ab operibus figulorum, qui argillam variè formant, ae pro arbitrio figurant, sic callidi homines externam speciem, vt in rem suam omnibus omnia fiant. Cui tamen externæ speciei, quia interior non respoodet, ex duplici quasi facie duplices appellantur[1]. Cæteri verò quorum corda respondent vultui, quasi ex vnica facie, simplices dicuntur, quæ laus est Iobi, *viri simplicis, ac recti*, & Iacobi hoc loco, & superius Abimelechi[2].

II. Et Iacob, cur simplex dicatur.

q. 74. in Gen.

Luc. 16. 8.

1. ✠. c. 1. 2. Gen. 20. 6. 2. ✠.

Qvod autem dicitur habitasse in tabernaculis, aliter exponuot Hebræi, qui nomine tabernaculotum iotelligunt scholarum loca, in quibus manebat Iacob, addiscens sapientiam, & Dei timorem; vt referunt Lyranus, & Abulensis, qui ex iisdem aiunt fuisse duo huiusmodi tabernacula, alterum Melchisedeehi, qui erat sapiens, & sacerdos Dei altissimi. Alterum Heberis, qui erat Propheta, & res diuinas docebat; apud quem Iaeob quatuordeeim annis habitarit, aut ex Chronologia nostra nouemdecim. Chaldæus Paraphrastes huc alludens, *Iacob*, inquit, *erat vir integer, & minister domus doctrinæ.* Ludum enim literarium Hebræi vocant domum doctrinæ. Verùm parum probabile est grandæuum Regem, si ad hanc ætatem peruenit, pueriii institutioni operam dedisse, neque probare possunt Hebræi, Heberem cum Abrahamo aut Isaaco habitasse, aut omnino Euphratem transisse. Hoc si est verum, ait Del Rio, habes Scholarum, & Gymnasiorum antiquitatem. Nec repugnat Pererius. Fateor tam antiquos Rabinos mihi suspectos videri, & à Rabinis inferioribus exeogitatos ad honorificandum, & antiquitate donandum ministerium suum. Nec video quos illi potuerint habere doctores: crediderímque Iacobum non alium à patente habuisse præceptorem.

III. An Iacob in tabernaculis, id est Scholis habitauerit.

an. m. 2217. n. 2.

n. 63.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2218.

n. 11. 1. Qvos significat D. Iacob. c. primo, v. octauo, *Vir duplex animo, inconstans est in omnib. vijs suis.* Et Sapiens Eccl. secundo, v. deci. quarto, *Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.*

Ibid. 2. Quò respexit Aquila, qui pro ἀπλάςῳ habet ἁπλοῦν, at Symmachus ἄμωμον, id est irreprehensibilem; à Chaldæo dicitur integer, cui conueniat illud, *Integer vitæ, scelerisque purus*, quæ interpretatio propius accedit ad vocem Hebræam tham תָּם quę perfectum significat, à rad. תָּמַם thamam, quæ significat perficere. Duplices autem illi maximè imperfecti sunt; fronte enim duntaxat, & lingua probi sunt, animo autem, & corde, pleni fraudibus & nequitia.

ANNVS MVNDI 2223. DILVVII 567. TERTIÆ ÆTATIS 185. ISMAELIS 99. ISAACI 85. IACOBI, ET ESAV 25. PROMISS. 110. XERXIS 25. IMPERII ASSYR. 292.

ANTE CHRISTVM 1830.

I. *Venditio primogenituræ Eſaü, quando cõtigiſſe videatur.*

HVNC annum elegimus venditioni primogenituræ Eſaü, non vt certum, ſed vt probabilem. D. Auguſtinus quæſt. ſeptuag. quinta, vbi diſputat an Abimelech, de quo paulò pòſt agetur, ſit idem cum eo, apud quem peregrinatus eſt Abraham, ponit Eſaü non minorem viginti annis primogenituram fratri vendidiſſe. *Ponamus*, inquit Auguſtinus, *ipſos iuuenes circa viginti annos fuiſſe*. At Pererius exiſtimat, non fuiſſe triginta annis minorem. Mediam ergo ſumemus ſententiam, quam etiam Torniello probatam videmus. Bibliander ſectarius, qui ad quadrageſimum vſque annum diſtulit, cauſam nullam attulit, fortaſſe nec potuit. Et probabilius eſt feruida hac viginti quinque annorum ætate, quàm maturiore quadraginta annorum ita deſipuiſſe, vt vilem eſcam nobiliſſimo priuilegio anteferret. Gen. 25. 29. In c. 26. n. 4. anno 1. & 2. 111.

II. *Pro lenticula Aegyptia.*

REM geſtam Moyſes in hac verba retulit. *Coxit autem Iacob pulmentum*, lenticulæ ſcilicet Ægyptiæ, vt ait Auguſtinus. *Lenticulam*, inquit, *inuenimus cibum eſſe Aegyptiorum; nam ibi abundat in Aegypto, vnde magnificatur lenticula Alexandrina, & venit vſque ad terras noſtras, quaſi hic non naſcatur lenticula. Ergo deſiderando Eſau cibum Aegyptium, perdidit primatum. Ad quem cùm veniſſet Eſaü de agro laſſus, ait, da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò laſſus ſum*. At Iacob qui intentus erat in occaſionem recipiendæ primogenituræ, quam ſibi diuinitus deſtinatam ex matre didicerat. *Vende*, inquit, *mihi primogenita tua*, ſiue ius primogenituræ, quod multiplex erat. In Pſal. 46.

III. *Ius primogenituræ multiplex ex Abul.*

OCTO collegit Abulenſis hoc loco, primo quod primogeniti erant ſacerdotes, ideóque tribus Leuitica ſacerdotalis facta eſt, loco primogenitorum omniũ, 1.
qui Deo dicati erant. Non ſoli tamen primogeniti erant ſacerdotes, nam Abelem, Num. 3. v. 12. 13.
& Abrahamum ſacrificaſſe conſtat, nec tamen fuiſſe primogenitos. qua de re fusè diſputat Pererius, & communem ſententiam de coniuncto cum primogenitura ſacerdotio à tempore diluuij amplectitur, & ex Hieronymo, & Pauli ad Hebr. duodecimo confirmat. Secundò quod primogenitus reliquos antecedebat in mẽſa, & lautius accipiebatur, vt colligitur ex Geneſi. Tertiò cæteri fratres à primo- In c. 25. n. 76. Ep. 126. ad Euagr. 19. Exodi 41. inf.
genito benedicebantur, & illi benedictionem cum humili corporis inflexione re- 2.
cipiebant. Vnde cùm Iſaac daret Iacobo benedictionem, *Incuruentur*, inquit, *coram te filij matris tuæ*. Quartò veſte precioſa in feſtiuitatibus, & actionibus ſolem- 3. Gen. 27. 29.
nioribus vtebantur. Huc pertinet illud ex eodem loco, *Et veſtibus Eſaü valde bonis*, 4.
quas apud ſe habebat domi, induit eum. Et infra, *Statímque vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi*, &c. vbi Hieronymus, *& in hoc loco; tradunt Hebræi primogenitos functos officio ſacerdotum, & habuiſſe veſtimentum ſacerdotale, quo induti Deo victimas offerebant, antequam Aaron in ſacerdotium eligeretur*. Sic ipſe. Cui traditioni valde
fauet, quod Exodi decimo nono fit mentio ſacerdotum ante latam legem. Quin- 5. Gen. 27. v. 29.
tò dominium quoddam in fratres, quaſi principes exercebant. *Eſto Dominus fratrum tuorum*, aiebat Iſaac; & rurſus v. 37. *Dominum tuum illum conſtitui, & omnes fratres eius, ſeruituti illius ſubiugaui*. Et Iacob benedicens Ruben primogenitum, vocat *priorẽ in donis, maiorẽ in imperio*. Sextò duplices partes hæreditatis conſequebãtur. Hinc eſt Gen. 49.
quod cùm primogenitura è Rubẽ tranſlata eſſet in Iudã, & Ioſeph, ille imperio in 6.
fratres donatus eſt, iſte princeps duarum tribuũ factus eſt. Septimò primogeniti Num. 3.
redimebantur quinq; ſiclis, quaſi ſpeciali ratione ad Deũ pertinentes. Octauò à pa- 7.
rentibus morientibus benedicebantur, vt ſic gubernationi domus, quaſi patres 8.
familiâs quodammodo initiarentur; quò pertinet illud Iſaaci ad Eſaü, primogenitum, *Vt benedicat tibi anima mea, antequam moriar*. Hæc fere Abulenſ.

IV. *An vendi potuerit.*

1.2.q.100. art.4.

Ex quibus patet hoc primogenituræ ius, quod etiam sacerdorium continebat, neque vendi ab Esaü, neque emi à Iacobo potuisse. Et communiter respondetur à D. Thoma, & Abulensi hoc loco, Caietano in eum D. Thomæ locum, Lipom. in Cat. & Peretio primogenituram ex diuina dispositione ad Iacobum pertinuisse; idque ipsum à matre didicisse, proptereaque rem suam, quasi ab iniusto, & violento possessore, redimendo vexationem, recuperasse, verbum autem venditionis molliendum est in huiusmodi sententiam. Cedo mihi prætensum ius tuum primogenituræ, vt gratificer tibi de hoc edulio.

V. *An reuera vendiderit, atque contempserit.*

Ille autem turbatus cupiditate sua, nec satis attendens quid faceret, aut certè putans hac cessione, tametsi iureiurando firmata, quasi ridicula, & à ludibundo facta, nihil sibi de iure suo decessurum, *accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit*, quæ verba significant prandium fratri à Iacobo subministratum; *Qui abiit, paruipendens quod primogenita vendidisset*. Non ipsum ius primogenitorum paruipendens, sed venditionem, quasi nugatoriam, & irritam, & quam, si opus esset, ipsemet ferro irritaturus esset; nam & postea minatus est se fratrem occisurum. Quã expositionem attingit Peterius, propteréaque Esaü periurij reum facit, atque perfidiæ. (n.84.) Sicque vulgata interpretatur, quod in Hebræo habetur, & Septuaginta contempsisse Esaü primogenituram, quia scilicet ita se gesserit, quasi eam contemneret, quod eam pro re contemptibili commutarit. Vnde ab Apostolo audit βέβηλος, id est profanus, à Chrysostomo γαστρίμαργος, id est ventri ad insaniam vsque indulgens. (Hebr. 12.16; μάργος insanus.) Sed eius culpam vehementius amplificat Targum Hierosolymitanum, cùm ait, *Abiit, & contempsit Esaü primogenituram, & floccipendit partem futuri sæculi, negauitque resurrectionem mortuorum*. Hæc apud Fagium, quæ cùm nullum habeant in textu fundamentum, nec in reipsa causam, parum probabilia meritò videantur, & ab infenso Iudæorum in Idumæos animo profecta. (*Iudæorum odium in Idumæos.*) Porrò Iosephus hanc totam historiam prætermisit hoc loco, refert autem alibi parum opportunè. (l.2. c.1.)

ANNVS MVNDI 2228. DILVVII 572. TERTIÆ ÆTATIS 190. ISMAELIS 104. ISAACI 90. IACOBI, ET ESAV 30. PROMISS. 115. XERXIS 30. ET VLT. IMPER. ASSYRIORVM 297.

ANTE CHRISTVM 1825.

I. *Xerxes siue Balæi obitus.*

Gen.26.1.

Moritvr hoc anno Xerxes, qui Balanæus quoq;, & Balæus dictus est, à Belo, vt diximus, septimus, à Nino apud Eusebium sextus, à Temporatio, qui Nemrodum diuersum à Belo facit, & à recentiore Beroso Annij vocatur octauus, *Octauus*, inquit, *Babyloniæ Rex Balæus, cognomento Xerxes, & regnauit annos triginta. Hunc appellauerunt Xerxem, id est victorem, & triumphatorem, quod imperauit duplo plus gentibus, quàm Aralius. Erat enim militia ferox, & fortunatus, & propagauit regnum, vsque prope Indos*. Sic Annius in Beroso, quam verè ipse viderit, eadem enim de Nino & Semiramide decantata fuerant: an postea amissa? quis nouit? Hunc Xerxem antiquiorem appellat Augustinus, propter celebrem illum Persarum Regem, sui exercitus magnitudine, & cladis in Græcia acceptæ nobilitatum. (l.18. de ciu. c.3.) Et meritò antiquior dicitur, cùm hic noster Assyrius ante alterum annis mille trecentis septuaginta regnare cœperit, vt ex primo posterioris Xerxis anno intelligetur.

II. *Fames sub Isaac.*

Svb hunc nonagesimum Isaaci annum contigisse famem, cuius meminit Moses initio cap. vigesimi sexti; probabilius censeo cum Pererio, quàm quod aliqui aiunt, vix minorem centenario fuisse, huius famis tempore Isaacum, & famem paulò antè digamiam Esaü quadragenarij contigisse. (n.4.) Nam inter hanc famem, & illud coniugium intercessit transmigratio in Getara, & ibi *plurimorum dierum habitatio*, vt ait Moses, & rursus remigratio in Bersabee. (c.26.8) Quod si quis dixerit non suo loco & ordine positum Esaü Matrimonium à Moy-

se; id verò illi probandum erit, alioqui ordinem temporum & narrationum inter se conuenire fatendum est. obserua autem diuinam erga Isaacum prouidentiam, quæ eum, sicut Abrahamum eius parentem peregrinationibus exercere voluit, & ad eas vel fame vrgente compellere.

III. *Proficiscitur in Palæstinam.*

NARRAT ergo Moyses ortam famem circa ea loca, quæ incolebat Isaac, ad eàmque declinandam statuisse Isaacum in Ægyptum exemplo patris sui, peregrinationem suscipere; sed hæc illo cogitante, Dominum illi apparuisse, dixisséque vt peregrinaretur in Geraris, quod & fecit. Moyses tamen prius profectionem, quã apparitionem, quà profectio dirigebatur, narrauit; eáque in itinere existenti videtur facta, vt passim consentiunt interpretes. Nam si eò iam peruenisset, non dixisset ei Dominus, *Quiesce in terra, quam dixero tibi*, sed, in terra hac. *Orta* ergo *fame super terram* illam, quæ deserto vicina erat, nimirum circa puteum viuentis, & videntis, quam satis sterilem fuisse probabile est, vt tantò magis in illis locis Dei in Isaacum benedictio, & beneficentia agnosceretur. (c. 25. 11. c. 16. 14.) Nec existimo totam terram Chanaan hoc loco intelligi, multóque minus bonam terræ partem. nam Palæstina, in qua Gerara, ad terram Chanaan pertinebat. Cùm autem Moyses ait, hanc famem contigisse, *Post eam sterilitatem, quæ contigerat in diebus Abraham*; non improbabiliter censuit Pererius, & Del Rio eam hîc significari famem, quæ exegerit Abrahamum ex Hebron, sub euersionem Sodomorum, nonaginta ab hinc annis; (c. 20.) Probabilius tamen puto cum Abulensi, eam intelligi, quæ compulit Abrahamũ (c. 12. v. 10.) in Ægyptum, sub ipsa initia peregrinationis Abrahæ; tum quia in illo capite nulla fiat mentio famis; tum quia alia causa idonea illius migrationis, præter famem, (c. 20.) proferri potest; iussio scilicet diuina, quæ volebat Abrahamum peregrè vitam agere, sicut & nunc Isaacum, & deinceps Iacobum & filios eius, plurimámque eorum posteritatem.

IV. *Ad Abimelech, & qui is fuerit.*

ABIIT ergo *Isaac ad Abimelech Regem Palæstinorum in Gerara*, quem non absurdum putat Augustinus dicere eundem esse cum illo apud quem diuersatus est Abraham; quod locus, & personæ, tam regis ipsius, quàm principis militiæ eius, conueniant. Quod sentit etiam Chrysostomus, *Sed Rex*, inquit, *adhuc habens recentem memoriam eorum, quæ tempore Patriarcha rapta Sara tulerat, increpabat eum, reúmque arguens dicebat. Cur hoc fecisti?* (hom. 51.) Et homilia quinquages. secunda, *Hanc deceptionem*, inquit, *& olim sustinuimus à patre tuo*. Verùm sine dubio & tempus, & res ipsa isti opinioni repugnant: oporteret enim illum regnasse centum circiter annos, contra illud, *omnis potentatus breuis vita*. (Eccl. 10. 11.) Deinde nec tam facilè Isaaco credidisset Abimelech, à patre eius iam deceptus, & longè acriori expostulatione contra ipsum vsus esset; vt ait Abulens. & Perer. Quod intelligens Iosephus, qui eundẽ putauit, hanc totam dissimulationẽ Isaaci, & expostulationẽ regis prætermisit. Fuerit ergo iste Abimelech prioris illius filius, sicut & Phicol dux militum; nisi placet illa nomina apud Palæstinos communia, & appellatiua fuisse dignitatum, non propria.

V. *Ei Dominus apparet in via.*

DVM autem adit ad Abimelechum, vt inde breuiore, ac commodiore via Ægyptum perat, apparet ei Dominus, vetátque descendere in Ægyptum: nec tamen indicat quò eum abire velit, sed suspensum retinet, & ex suo nutu pendentem, ad maioris virtutis exercitationem. *Quiesce*, inquit, *in terra quam dixero tibi, & peregrinare in ea.* in Hebræo legimus. *Habita in terra quam dicam tibi. Peregrinare in terra hac.* eodémque modo habent Septuaginta, & Chald. Paraphrastes; quo significatur gemina apparitio, prior antequam ingrederetur fines Palæstinæ, altera postquam (v. 7.) in eam esset ingressus, quod Pererius quoque significat. Sed rectius fortasse vnicã dixerimus, sic vt priora verba requirant ab Isaaco, vt vbique terrarum ad Domini nutum habitare paratus sit; posteriora locum præsentis habitationis definiant.

VI. *Et repetit promissiones Patri factas.*

REPETIT porrò promissiones factas Abrahæ, easdémque confirmat in gratiam Isaaci. Sicut enim dixerat Abrahæ, *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum*: (Gen. 15. 1.) Ita hîc se futurum cum Isaaco pollicetur, vtique ad protegendum eum; vtrique se benedicturum ait, temporalibus scilicet, ac spiritualibus bonis; quod & cumulatè præstitit; vtriúsque posteris vniuersas Chananæorum regiones in hæreditariam possessionem promittit; vtriúsque semen spondet se sicut stellas cœli multiplicaturum. Denique nobilem illam benedictionem, quæ ab eius semine deriuata, in omnes nationes effundenda sit, Abrahamo semel, iterum, tertiò promis-

Gen. 22. 3. 18. 28. 22. 18. sam, in præmium obedientiæ ac pietatis eius, Isaac confirmat, qui & illius obedientiæ pars magna fuerat, & eius pietatis nonagesimum iam annum sedulus imitator exciterat.

Thare — Nachor, Abraham frat. — Bathuel, Isaac consob. — Rebecca, coniuges.

VII. *De uxore dissimulat Isaac.*

MANSIT itaque Isaac in Geraris. *Qui cùm interrogaretur à viris loci illius, super uxore sua, respondit, Soror mea est. timuerat enim confiteri, quod sibi esset sociata coniugio, reputans ne fortè interficerent eum, propter illius pulchritudinem.* Et tamen quinquagesimum iam annum viuebat in coniugio, & quartum supra sexagesimum complebat annum. Erat autem Isaaco soror, id est cognata, more Hebræorum, & instar neptis, filia scilicet consobrini sui Batbuelis, & neptis patrui sui Nachoris. Timuit autem etiam ipse, ne Palæstini capti amore Rebeccæ, ipsum interficerent, ne quis superesset vindex adulterij. Iuxta illud, *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Prou. 6. Prou. 6. 34.

ANNVS MVNDI 2229. DILVVII 573. TERTIAE ÆTATIS 191. ISMAELIS 105. ISAA. 91. IACOBI, ET ESAV 31. PROMISS. 116. ARMAMITRIS 1. IMPERII ASSYRIORVM 298.

ANTE CHRISTVM 1824.

Gen. 26. 8. cap. 3.

IMPERIO Assyriorum Rex nouus sufficitur Armamitres, Eusebio septimus ordine, nobis octauus, & D. Augustino lib. decimo octauo de ciuit. vbi & huius successorem Belochum nonum appellat. Etsi enim Eusebium vbique sequatur in Chronologia, visum tamen ei est non à Nino, sed à Belo Regum horum seriem inchoandam esse, quem nos libenter secuti sumus ducem. I. *Octauus Rex Assyriorum.*

EXISTIMARI autē nō temerè potest ad hunc annum pertinere patefactam Isaaci & Rebeccæ dissimulationem, ait enim Moyses, id contigisse, *Cùm pertransissent dies plurimi.* Hebræus, *Cùm prolongati essent ei ibi dies;* septuaginta, ἐγένετο δὲ πολυχρόνιος ἐκεῖ. *Fuit autem illic longo tempore.* Chald. *Et factum est, cùm multis diebus ibi moraretur.* Non rectè ergo Tigurina. *Cúmque moram traheret eodem loci diebus aliquot.* II. *Patefit Isaaci dissimulatio.*

Hoc ergo circiter anno cùm essent in tabernaculo suo Isaac & Rebecca, *Prospiciens Abimelech Rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca uxore sua.* Familiarior fuit ludus, quàm cum sorore, cum amplexibus scilicet, & osculis.

CAVE autem putes actum coniugalem, ne vtrúmq; summæ imprudentiæ, aut impudentiæ accuses, qui aut è longinquo se spectandos præbuerint, & alienos oculos cynica procacitate neglexerint, aut certè per insignem imprudentiam non vitarint. Iudæorū ergo proterua, & petulans interpretatio, Patriarchæ accusatio est, quibus doleo adhæsisse Lyranum, Caietanum, & Abulensem, etsi fateantur Hebræam vocem מצחק metsaebeq' id non requirere. qua etiam Scriptura vtitur dum Ismaëlem eum Isaaco lusisse dicit, & generos Loti ipsum irrisisse. Alia omnia sensit, ac dixit S. Augustinus, *Fortè,* inquit, *studiosiorum aliquis quærat, in cuius figuræ sacramento accipiendum sit, quod Rex alienigena Rebeccam viri sui coniugem tunc esse cognouit, quando eum cum illa ludentem vidit, quod non cognouisset, nisi cum coniuge ille sic luderet, quomodo cum ea, quæ coniux non esset, ludere non deceret. Quod cùm sancti coniugati faciunt, non inaniter faciunt, sed prudenter. Descendunt enim quodammodo ad fœmineæ sexus infirmitatem, vt aliquid blanda hilaritate vel dicant, vel faciant, non eneruantes, sed temperantes virilem rigorē, quod tamen ei, quæ vxor non est, qui dixerit, aut fecerit, turpis est.* III. *Et quonam facto. ex August.* 1. 22. con. faust. c. 4.

CVM ergo Isaacum maiore cum Rebecca licentia, quàm pro fratre vtentem vidisset Abimelech, eum maritum esse credidit, non fratrem, expostulauitque cum eo de mendacio, vt putauit, & periculo adulterij, cuius reatum tantum non induxisset in regnum. Necesse est hunc Regem, eiúsque populum magnam omninò de peccato adulterij opinionem animo concepisse, quando etiam IV. *Grauitas adulterij.*

per ignorantiam commissum existimarit ingens aliquod malum, non solùm in facinoris reum, sed in totum etiam regnum inuecturum fuisse. Itaque proposito mortis supplicio, id scelus interdixit. *Qui tetigerit*, inquit, *Hominis huius vxorem, morte morietur*. In Hebræo, & Græco, *virum hunc, & vxorem eius*, id est, viri huius vxorem. Sententiam magis, quàm verba respexit interpres, & figuram Hendiadym sustulit; nimirum regis mens fuit, cauere vxoris honori, & consequenter viri. Hendiadys.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2229.

N. III. 1. A צָחַק, quod est Iocari, ludere, ridere; vnde ductum nomen Isaach. Scholiastes etiam Græcus Septuaginta interpretum fauet Hebræorum expositioni. quod sanè non laudo.

ANNVS MVNDI 2230. DILVVII 574. TERTIÆ ÆTATIS 192. ISMAELIS 106. ISAACI 92. IACOBI, ET ESAV 32. PROMISS. 117. ARMAMITRIS 2. IMPER. ASSYRIORVM 299.

ANTE CHRISTVM 1823.

1. Ditatur Isaac, ad inuidiam vsque. VITATO periculo Isaac, intelligens diuinæ voluntatis esse, vt in Geraris longiores traheret moras, conduxit agros, in quos sementem iecit, Gen. 26. 12. bene de diuina benignitate etiam tempore sterilitatis sperans, & collegit eodem anno centuplum, si de hordeo sumas, vt Septuaginta, improbante Hieronymo[1], interpretati sunt, intra trimestre colligere 1. 2. in qq. Heb. potuit, tantum frugum incrementum; sin & triticum quoque seuit, & si intra vnum annum agricolarum sementis & messis contigit, diuersis tamen annis Iulianis. Sed hæc minutiora sunt, non tamen minutum Patriarchæ emolumentum. Nam *locupletatus est homo, & ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est*. Exigunt hæc verba diuturnum tempus, & pluriũ potius annorũ, quàm mensium, sed pergit Moses. *Habuit quoque possessiones ouium, & armentorum, & familiæ plurimum*; intelligo præter ea quæ habuit, cùm venit in Gerara: eámque multiplicationem non vnius anni, vt dixi, esse crediderim, nam id quoque videtur inuidia requirere, quam iugis, & perpes, non vnius anni profectus accendit, vt à tenuioris fortunæ hominibus ad summos quoque perueniat; qualis mox describitur. nec solent agri in vnicum annum conduci. demus ergo succrescenti inuidiæ adhuc triennium.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2230.

QVI ait eandem vocem שְׁעָרִים æstimationem, & hordeum significantem, variam produxisse versionem. Aquila vertit ἑκατὸν εἰκασμένον, id est centuplum æstimatum, vt vertit Hieronymus ibidem; Septuaginta verò habent ἑκατοστεύουσαν κριθήν, centuplicant hordeum. Pagninus vertit modios, Hebræi שְׂעֹרָה vocant hordeum, quod pilosum sit, & hirsutum; eandem enim habet originem cum Seir, à שֵׂעָר id est pilus, שָׁעַר quoque æstimare est, vnde שַׁעַר mensura, & æstimatio. Vide Pagninum in thesauro.

ANNVS MVNDI 2233. DILVVII 577. TERTIÆ ÆTAT. 195. ISMAELIS 109. ISAACI 95. IACOBI ET ESAV 35. PROMISS. 120. ARMAMITRIS 5. IMPERII ASSYRRIORVM 302.

ANTE CHRISTVM 1820.

Gen. 26. 14 — *I. Inuidia Palæstinorum cur puteos obstruerent.*

NON se continuit Palæstinorum inuidia, aduersus Isaaci, apud ipsos peregrinantis profectus, & incrementa, intra latibula pectoris, sed prodiit foras, atque erupit. Quoniam ergo multis pecorum, atque armentorum gregibus adaquandis, & ad multiplices vsus amplissimæ familiæ, aquarum copia vehementer necessaria est, in terra præsertim siticulosa, qualis est Geraritarum vicina desertis, *Omnes puteos, quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo.* Vt siti terra frugésque exarescerent; homines, & iumenta in quærenda, & ex remotissimis locis vectanda consumerentur, aut sumptibus in emenda ab ipsis aqua, grauarentur. Nam aquam in illis locis vendi solitam, tam regionis ariditas, quàm illa Scripturæ verba persuadent. Nam de Idumæis, *Cibos*, inquit Dominus, *emetis ab eis pecunia, & comedetis; aquam emptam haurietis, & bibetis.* Et de terra Sehon regis Amorrhæorum trans Iordanem, *Alimenta*, inquiebant Israëlitarum legati, *Pretio vende nobis, vt vescamur, aquam pecunia tribue, & sic bibemus.* In Hebræo, & Græco, Chaldæóque, tempus ad fossionem potius pertinet, quàm ad obstructionem; sed ad vtrúmque referri potest, & constat ex sequentibus, etiam tempore Abrahæ obstructos fuisse, ingesta terra.

Deut. 2. 6. — Ibi. 2. 28.

II. Migrare compellitur.

ID erat hominem factis ipsis ad migrationem compellere, sed cùm id non satis esset, Isaaco contra inuidam hominum improbitatem laboriosa patientia decertante; non erubuit Rex ipse Abimelech migrationem imperare. *Recede*, inquit, *à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde*, Et scilicet periculum est, ne opprimamur à te, & vt aiebat Pharao, *Si ingruerit contra nos bellum, addaris inimicis nostris.* Improuidè vtique, cùm hominem potentem, eundémque virum bonum, & probatum conciliare, atque officiis demereri satius fuerit, quàm offendere, & ad vltionem opportuno tempore exigendam, prouocare.

III. Non statim, sed congruo tempore.

NON est tamen credibile tanta inhumanitate vsum Abimelechum, alioqui non improbum, vt è vestigio migrare compelleret, sed idoneam, & opportunam tempestatem, & spatium temporis, ad expedienda sua cum Palæstinis negotia, denique quod sufficeret migrationi maximæ familiæ elargitum fuisse. Nã quod infrà queritur Isaac apud ipsos, se expulsum fuisse, id, vt in querelâ, cum aliqua amplificatione dictum est. Itaque nihil prohibet, quo minus discessum Isaaci ex Palæstina in sequentem annum differamus. Nec probandus est Iosephus, qui id non animaduertit. Nam sic habet. *Cúmque hominem initio magna beneuolentia prosequeretur, motus inuidia, non potuit in eo affectu permanere. Videns enim Deum Isaaco propitium, suúmque fauorem declarantem, expulit illum.* μεῖναι πρὸς τὸ πᾶν ἐκωλύετο. Manere eum prohibuit.

ANNVS MVNDI 2234. DILVVII 578. TERTIÆ ÆTATIS 196. ISMAELIS 110. ISAACI 96. IACOBI ET ESAV 36. PROMISS. 121. ARMAMITRIS 6. IMPER. ASSYR. 303.

ANTE CHRISTVM 1819.

I. *Migrat Iſaac in torrentem Geraræ.*

Discessit Iſaac, vel ex Gerara ciuitate, vel ex agro vicino; Gen. 26. 17.
proceſſitque paulò vlterius orientem verſus, *ad torrentem Geraræ,*
vt habitaret ibi. Pagninus Hebræam vocem נַחַל vertit vallem, ſi-
cut & Septuaginta, & Chaldæus, Ioſephus vertit φάραγγα, id
eſt fauces, & non Pharan, vt habet Abulenſis, & qui eum ſe-
cuti ſunt, Græcam vocem in Hebræam transformantes, non
conſulto Ioſepho. D. tamen Hieronymus in tradit. ait, *Pro val-*
le torrentem haberi in Hebræo, ibique Eliam tempore famis bibiſſe. Facilis eſt conciliatio.
nam aquæ decurrentes loca decliuia ſectantur, & valles aut reperiunt, aut faciũt.
Hunc torrentem omiſit Adrichomius in tabula tribus Simeonis, ad quam perti-
nebat. Dictus eſt autem Geraræ, quod per regionem Geraritarum decurreret.

II. *Ibique habitat, & puteos reparat.*

Ad eum ergo torrentem in conualle fixit tentoria Iſaac, ibique habitauit. *Et*
puteos quos olim ſerui Abrahæ in eo loco foderant, & illo mortuo Philiſtei, ingeſta terra *ob-*
ſtruxerant, ea rurſum egeſta inſtaurauit; *Appellauitque eos eiſdem nominibus, quibus* in hunc lo-
ante pater vocauerat. Id totum ſapienter, vt Abulenſis, & poſt eum Del Rio nota- cum.
runt. Primùm quia cùm iam olim illic aquam reperiſſet Abrahã, probabile erat 1.
itidem etiã nunc repertum iri; nec eam aliò effugiſſe. Deinde quia terram mollio- 2.
rem facilius erat egerere, quàm intactam perfodere, denique iuſtè poſſeſſionem 3.
paternam, & minore inuidia repetebat, Addit Del Rio, id ita factum, vt gratam 4.
patris memoriam recoleret, ac veneraretur; ideóque & eadem nomina reno-
uaſſe.

III. *Et effodit nouos.*

Verisimile, autem eſt illos puteos a Palæſtinis ſibi fuiſſe vindicatos,
non ſine egregia Iſaaci patientia, qui eos amittere maluerit, quàm litigare. Nam
ſi illi manerent, nihil erat neceſſe nouos effodere; & tamen ſequitur, *Foderúntq;*
in torrente, iuxta videlicet eius alueũ, *& repererunt aquam viuam*, id eſt ſcaturiginem
iugiter manantem. Nec putandum eſt hos puteos, qui deinceps commemoran-
tur, fuiſſe Abrahamiticos. Nam noua denominatio repugnat, quam nouam eſſe,
noui euentus, quibus nomina reſpondent, apertè demonſtrant. Sed hanc aquam
ſibi paſtores Geraræ vendicarunt, quòd in Geraritano ſolo erupiſſet, ideóque
Iſaac alienus à contentione, & litigio, dimiſſo illis puteo vocauit eam aquam
עֵשֶׂק Eſech, id eſt contentionem, ſiue iurgium, vt exponit Vatablus, aut, vt vul-
gata, *Calumniam*, Septuag. ἀδικίας, Scholiaſtes Græcus Συκοφαντίας, Aquila & Sym-
machus ἀντιδικίαν, & ἐναντίωσιν, apud Hieronymum in tradit. *Foderunt autem &*
alium, & pro ipſo quoque rixati ſunt, appellauitque eum inimicitias, שִׂטְנָה Sithnah, id eſt
odium, quia illum quoque præ odio ſibi arrogarunt, quo etiam dimiſſo, vlterius
progreſſus alterum puteum fodit; *pro quo non contenderunt*, vt remotiore à ſe, &
quo non ſolerent adire, vt ait Abulenſ. aut quod Rex fodiendi poteſtatem feciſ-
ſet, vt ait Ioſephus; ideóque vocauit eum Rehoboth רְחֹבוֹת id eſt, *latitudines, dicẽs,* l. 1. c. 17.
nunc dilatauit nos Dominus, & fecit creſcere ſuper terram. Sublatis ſcilicet contentioni- Gen. 26. 22
bus, quibus coarctabamur.

IV. *Quæ hic in Ioſepho animaduertenda.*

Nolo in contentioſis iſtis puteis, aduerſus Ioſephum contentioſum funem
trahere. Illud tamen moneo omiſſum ab eo, quod valde pertinebat ad Iſaaci mã-
ſuetudinem commendandam, quòd puteos à patre effoſſos, & à ſe repurgatos, pa-
cis cauſa dimiſerit: iuxta illud Apoſtoli ad Romanos. *Non voſmetipſos defendentes* 12. 19.
chariſſimi, ſed date locum iræ. Quòd autem armis opus impeditum ait, neſcio vnde
aſſerat, illud ſcio nullum armorum iſtorum eſſe in Scriptura veſtigium. Sed &

Escon. Zuitra.

puteorum istorum vocabula, vsque adeò deprauata legi, vt pro Ghesech, dicatur Escon; pro Sithnah, Syenna, vt in Iosepho Græco leguntur, nescio amanuensibúsne, quòd malim, an Iosepho tribuenda sit culpa.

V. *Noua apparitio Domini in Bersabee.*

LICET autem puteum latitudinis inuenisset, quoniam is omnibus eius gregibus, & familiæ par esse non poterat. *Ascendit ex illo loco in Bersabee, vbi apparuit ei Dominus in ipsa nocte.* Non differens diu consolationem post Gerariticam persecutionem, & puteorum ereptionem, renouans promissiones factas Abrahæ. Ideóque, vt is locus, qui ex diuina apparitione honorabilis erat, deinceps religiosus fieret, Deo illum erecto altari, in quo is coleretur, consecrauit; & ibidem *inuocauit nomen Domini.* Fixísque tentoriis iussit seruos suos circa eum locum puteum fodere. Vbi rectè notat Abulensis, Isaaci in Deum pietatem; qui prius Deo erexit altare, quàm sibi extenderet tabernaculum. Et hæc hoc anno gesta: tot enim puteorum effossiones sibi ordine succedentes, etiam numerosam seruorum familiam, vnum annum tenere potuerunt. Cætera itaque opportunius anno sequente.

ANNVS MVNDI 2235. DILVVII 579. TERTIÆ ÆTATIS 197. ISMAELIS 111. ISAACI 97. IACOBI ET ESAV 37. PROMISSIONIS 122. ARMAMITRIS 7. IMPERII ASSYRIORVM 304.

ANTE CHRISTVM 1818.

Gen. 26. 26.

I. *Fœdus inter Isaac & Abimelech ex Iosepho.*

REFERIMVS in hunc annum fœdus, initum Isaacum inter & Abimelechum; quòd rationi consentaneum est satis longo tempore dilatum esse, dum non solùm feruor ex accepta iniuria resedisset, sed dolor etiam expulsionis tempore ipso mitigatus esset, licet Abulensis dixerit, statim vt venit Isaac in Bersabee, ascendisse post illum Abimelech cum suis. Causam optati, quæsitique fœderis refert Iosephus. *Isaaci potentia,* inquit, *cum opibus in dies magis, ac magis crescebat. Abimelech autem ratus contra se fortunas Isaaci augeri, cum quo parum syncerè consuetudinem habuerat, & qui, ob simultatis suspicionem, aliquantisper secesserat, veritus ne quando apud eum plus recens offensa, quàm pristinæ amicitiæ memoria valeret,* (eundem putat Abimelechum, qui cum Abrahamo amicitiam centum ferè antè annis contraxerat, quòd suprà improbatũ est) *néve iniuriam acceptam vlcisceretur, profectus ad illum amicitiam cum eo renouat, vno è suis amicis arbitro adhibito. Cúmque Isaacus pro naturæ bonitate iniurias suas paternæ amicitiæ libenter donaret, voti compos domum est reuersus.* Hæc Iosephus breui compendio.

l. 1. ant. c. 15.

χάριν εἰς αὐτὸν τε, καὶ πατρὸς γνωρίμων.

II. *Examinatur.*

NAM prȩterquam quod multa omittit, vt mox referam, illud neque veritati consentaneum, neque Scripturæ, venisse Regem cum vnico socio, certè Scriptura saltem numerat duos, & si D. Hieronymo credimus, venit ipse non solùm cũ Phicol militum duce, sed etiam cum Ahuzath, quam vocẽ ipse ex Hebræo collegium amicorum eius interpretatur. *Vt non tam,* inquit, *hominem significet, quàm amicorum turbam, quæ cum rege venerat, in quibus fuit & Phicol princeps exercitus eius.* Sic Hieronymus, & Rupertus.

1. 2. l. 7. c. 11.

III. *Quæ omittat.*

OMITTIT autem Iosephus Isaaci querelam. *Quid venistis ad me, hominem quem odistis, & expulistis à vobis.* Omittit & Palæstinorum agnitionem diuinæ in ipsum beneficentiæ, & prouidentiæ, in quo se quoque veri Dei cultores significant. *Vidimus,* inquiunt, *tecum esse Dominum, & idcirco nos diximus, sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quicquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus; nec fecimus, quòd te læderet.* Quibus verbis significat se inscio iniuriam, quæcunque in ipsum illata est, factam esse, quomodo & pater eius, increpationem Abrahæ excusarat. Omittit & hospitibus datum conuiuium, quòd

c. 21. 26.

Scriptura non duxit omittendum, tanquam indicium benignitatis ac manſuetudinis Patriarchæ huius.

IV. *Puteus & Berſabee.* LÆTITIAM verò communem, ex inito fœdere, & iureiurando, auxerunt famuli Iſaaci, referentes, inuentam aquam in puteo, quem foderant, quem vocauit Abundantiam Sibeah, שִׁבְעָה ex quo & nomen vrbi Berſabee datum, quòd eadem vox, pro diuerſitate punctorum, & aſpirationum diuerſa habeat ſignificata. qua de re plurima leges apud Pererium, Del Rio, Caiet. Lipom. &c.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2235.

N. II. I. EODEM modo interpretantur eam vocem paraphr. Chald. Tigurina, Gloſſa interlinearis, Lyranus, ex Hebræis; & Abulenſis, qui etiam mutat illud *amicus illius*, in *amici illius*, contra fidem Latini, Græci, & Hebraici textus. Pagninus tamen ſumit Ochozath, ſiue Achuzath tanquam nomen proprium ſicut & Vulgata, & Septuaginta, qui vocant hunc Ochozath, νυμφαγωγὸν, id eſt pronubum eius, nec repugnat Vatablus, Eugubinus, Lipomanus. Vide hoc loco Pererium & Del Rio.

ANNVS MVNDI 2238. DILVVII 582. TERTIÆ ÆTAT. 200. ISMAELIS 114. ISAACI 100. IACOBI ET ESAV 40. PROMISS. 125. ARMAMITRIS 10. IMPERII ASSYRRIORVM 307.

ANTE CHRISTVM 1815.

I. *Eſaü ducit vxores.* HIC eſt quadrageſimus annus filiorum Iſaac, ad quem vſque cœlibes vixerunt, ſed longè diutius etiam Iacob, vt ex ſequentibus perſpicuum erit, *Eſaü verò quadragenarius duxit vxores*, vt ait Moyſes. Nec tamen credibile eſt vtramque ſimul duxiſſe, licet vtramque poſtea ſimul habuerit. In cuius rei ſignum in Hebræo, Græcóque, ac Chaldæo habetur in ſingulari *duxiſſe vxorem Iudith, & Baſemath*. Significat ergo Scriptura Eſaü non ante quadrageſimum annum vxores duxiſſe; factum autem quadragenarium cœpiſſe ducere, primò Iuditham, deinde aliquantò poſt, etiam Baſemath. Eodem modo ſuprà dixit Moyſes. *Noë fuiſſe quingentorum annorum cùm genuit Sem, Cham, & Iaphet.* Et rurſus: *Thare vixiſſe ſeptuaginta annis, & genuiſſe Abrahamum, Aram, & Nachor.* Quantum autem temporis inter vtraſque nuptias interiectum fuerit, diuinare non poſſumus; biennium fortaſſe, vel triennium. Fortaſſe etiam pauci tantùm dies interceſſere, ſicut de Lia, & Rachele conſtat. Suſpicor tamen non parum interceſſiſſe temporis; & hanc ſecundam ductam fuiſſe, quia prima ſterilis erat; nulli certè eius liberi vſquam produntur. Nam quod eam quidam volunt eſſe Adam filiam Elon, non poſſunt probare; & cùm nomen tam filiæ quàm patris differat, eodem iure dicere poſſent Liam filiam Laban; eſſe Rebeccam filiam Bathuel. Gen. 26. 34.

II. *Quæ illæ fuerint.* PRIOR fuit Iudith filia Beeri Hethæi, quæ infrà non numeratur inter vxores Eſaü, quia, vt opinor, nullos ex ea ſuſcepit liberos; nam tres, quæ ibi memorantur, ſingulæ cum filiis ſuis recenſentur. Poſterior autem Baſemath filia Elon Hecczi fuit, vt habent Septuag. ſed in Hebræo, ſicut & in vulgara, & Chald. vtraque dicitur ex Hethæorum genere; & rurſus in fine cap. ſeq. vbi Septuag. Hebræo conſentiunt. Appellatur Ada cap. 36. fortaſſe quia ibi ponitur alia vxor, filia Iſmaëlis, quæ Baſemath quoque dicebatur. quæ etiam aliud nomen habuit. nam Geneſ. 28. dicitur Maheleth. Additur ibidem, & quarta vxor, nomine Colibama, ex qua Eſaü tres liberos ſuſcepit. Has vxores perturbat Ioſephus, nam Iuditham prætermittit, & duas alias ex altero Scripturæ loco mutuatur, vocabulis multum de more corruptis. cap. 36. v. 9. l. 1. c. 17.

III. *Duxit ſa-* ILLVD autem probabile eſt, quòd addit, *fuiſſe Dynaſtarum inter Chananæos*

consultis parentibus.

filias, quòd omnibus nota esset potentia, & opulentia Isaaci, cuius ille, vt primogenitus multo maximam hæreditatis partem obtenturus videbatur. Mores verò Esaü probabile faciunt, quod sequitur apud Iosephum, *Duxit*, inquit, *auctoritate propria, ne patre quidem consulto.* (hom. 55.) Chrysostomus quoque, inconsultis parentibus Esaü illas duxisse scribit, secutus Iosephum, qui pergit. *Neque enim ille permissurus erat; si filius sententiam ipsius expectasset, quippe qui non delectabatur affinitate eius regionis hominum: nolens tamen esse molestus filio, iubendo eum mulieres missas facere, decreuit rem totam silentio transmittere.* Hæc ibi.

IV. *Quot illa offenderint.*

(Gen. 26.35.) QVÆ fidem aliquam accipiunt, ex eo quod ait Moyses, *Ambas offendisse animum Isaac, & Rebeccæ.* Idque siue propter improbatam cognationem cum alienigenis, siue propter motum improbitatem, siue propter religionis dissimilitudinem, ex qua Esaü in periculum idololatriæ trahebatur, vt notauit Abulensis, Caietanus. Targum Onkelos explicans eam offensionem ait. *Et fuerunt rebelles atque immorigeri verbo Isaaci, & Rebeccæ.* Septuaginta, *Et erant* ἐρίζουσαι, *contendentes, siue contentiosæ aduersus Isaac, & Rebeccam.* Targum Hierosolymitanum, *Et fuerunt rebelles, & & inflato animo, colentes idola, nec recipientes doctrinam, neque ab Isaac, neque à Rebecca.* Fortasse etiam offendebant, quia duæ erant, cùm Isaac vnica semper contentus vixisset, & quia, vt fit, inuicem rixabantur, & Isaac natura mitissimus, diligebat pacem; & cedere malebat, quàm contendere, vt in causa puteorum perspectum est. Qua improbitate earum bene vsus est Dominus, auertens vtriusque animum à contrahendo nuptias Iacobo, in quo spes summa benedicti seminis, cum istiusmodi mulieribus. Et simul Isaaci virtutem, & patientiam molestiis domesticis exercens, & meritorum coronas amplificans.

ANNVS MVNDI 2239. DILVVII 583. TERTIÆ ÆTATIS 201. ISMAELIS 115. ISAACI 101. IACOBI ET ESAV 41. PROMISS. 126. ARMAMITRIS 11. IMPER. ASSYR. 308.

ANTE CHRISTVM 1814.

Scripturæ silentium; & longus Iacobi cælibatus.

HVNC annum Eusebius appellat principium quadragesimi quarti Iubilæi, cùm sit ferè finis quadragesimi quinti; iuxta ea quæ alibi non semel diximus. Nam post duodecim annos inchoatur quadragesimus sextus. Magnum porrò hîc silentium est rerum sacrarum, vt totis triginta septem annis nihil, præter Ismaëlis mortem, occurrat in Mosaica Chronologia. Nec minus admirabilem puto dilationem matrimonij Iacob, per quem benedictio in posteros transfundenda erat. An id fortasse nondum sciebat Isaac, donec illum imprudens benedixit? & interim satis supérque videbatur mulierum domi, & Iacob nihil de se statuebat, totus à diuina prouidentia, & parentum voluntate pendens.

ANNVS MVNDI 2249. DILVVII 593. TERTIAE ÆTATIS 211. ISMAELIS 125. ISAA. 111. IACOBI, ET ESAV 51. PROMISS. 136. ARMAMITRIS 21. IMPERII ASSYRIORVM 318.

ANTE CHRISTVM 1804.

I. *Phoroneus Argiuus.*

REFERT in hunc annum Eusebius principium regni Phoronei, secundi Argiuorum regis, qui in regno, Inacho patri successit, tenuitque annis

sexaginta. Eusebij verba hæc sunt, ex versione Hieron. *Phoroneus Inachi filius & Niobes leges primus, iudiciáque conscripsit.* Eadem sensit post Eusebium S. Augustinus, & antè Clemens Alexandrinus in serm. Exhort. ὁ μὲν οὖν Ἀθηναῖος τοῖς Σόλωνος ἑπέσθω νόμοις, καὶ ὁ Ἀργεῖος τοῖς Φορωνέως, καὶ ὁ Σπαρτιάτης τοῖς Λυκούργου. Atheniensis Solonis legibus obsequatur, Argiuus autem Phoronei, & Spartiata Lycurgi. Notauit & Scaliger. Augustinus loco citato ait Inachum patrem tam ipsi Phoroneo, quàm eius fratri iuniori Phegoni, regnum partitum fuisse, idque, vt videtur, ex Varrone. Quidam huius filiam Niobem arbitrantur [1]. l. 18. de ciu. c. 3. 1. χ.

II. *Quæ de eo Plato.* Horvm temporum quasi valde antiquorum, Plato in Timæo meminit ita dicens. *Et aliquando volens eos prouocare in sermones de temporibus antiquorum, quæ cuique ciuitati apud veteres accidissent, de Phoroneo qui primus hoc nomine appellatus est, & Niobe, & his, qui post diluuium fuere* [2]. Quæ Socrates refert dicta Soloni, ab Ægyptio sacerdote in ciuitate Saim [3]. Verba Platonis sic vertit Marcilius. Et cùm de vetustatis memoria ab illis sacerdotibus, qui in hac re cæterorum peritissimi erãt, quæsisset, expertum se esse dicebat, neque seipsum, neque alium Græcorum quenquam cognitionem antiquitatis vllam habere. Quandoque verò coram sacerdotibus, vt eos ad sua narranda prouocaret, de antiquissimis illis Athenarum gestis rebus verba fecisse. Phoroneo primo & Niobe, póstque inundationem mundi, de Pyrrha & Deucalione, eorúmque posteritate, & de temporibus quibus singula contigerunt. Tunc ex sacerdotibus quendam grandem natu dixisse, *Græcorum scientia nõ cana.* O Solo, Solo, Græci pueri semper estis, nec quisquam è Græcia senex. Cur istud diceret, percontante Solone, respondisse sacerdotem, quia iuuenis semper vobis est animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia. Sic ibi. Et mirum est Solonem non Inachum potius Phoronei patrem, qui ante eum quinquaginta annis regnauerat, non Europem, aut Ægyaleum, qui in eadem Peloponneso ducentis octoginta tribus annis ante Phoroneum, iuxta Eusebij chronicon, rerum potitus fuerat commemorasse; quomodo hæc Solon ignorauit? Num ita desipuit, vt primum hominem Phoroneũ putaret, de cuius patre Inacho constaret? Verùm Ægyptij ex Hebræorum consuetudine, multo etiam antiquiora notant, nimirum quæ bis mille ducentis & quadraginta nouem annis Phoronei regnum antecesserant. quod est mundi exordium. 2. χ. 3. χ.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2298.

N. I. 1. IN Græco additur, ἐξ ἧς ποιεῖ τὸν παῖδα Ἆπιν, τὸν καὶ Σέραπιν. ex qua genuit filium Apin, qui & Serapis dicitur. quod ipsum idem in 80. anno Isaaci dixerat.

N. II. 2. Verba Platonis hæc sunt. Καὶ δὴ καὶ τὰ παλαιὰ ἀνερωτῶν τοὺς μάλιστα περὶ ταῦτα τῶν ἱερέων ἐμπείρους, σχεδὸν οὔτε αὐτὸν, οὔτε ἄλλον Ἑλλήνων οὐδένα οὐδὲν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, εἰδότα περὶ τῶν τοιούτων ἀνευρεῖν. καί ποτε προαγαγεῖν βουληθεὶς αὐτοὺς περὶ τῶν ἀρχαίων εἰς λόγους, τῶν τῇδε τὰ ἀρχαιότατα λέγειν ἐπιχειρεῖν περὶ Φορωνέως τοῦ πρώτου λεχθέντος καὶ Νιόβης, καὶ μετὰ τὸν κατακλυσμὸν αὖ περὶ Δευκαλίωνος, καὶ Πύρρας, ὡς διεγένοντο μυθολογεῖν, καὶ τοὺς ἐξ αὐτῶν γενεαλογεῖν, καὶ τὰ τῶν ἐτῶν, ὅσα ἦν οἷς ἔλεγε πειρᾶσθαι διαμνημονεύων τοὺς χρόνους ἀριθμεῖν. καί τινα εἰπεῖν τῶν ἱερέων εὖ μάλα παλαιόν. Ὦ Σόλων Σόλων, Ἕλληνες ἀεὶ παῖδές ἐστε, γέρων δὲ Ἕλλην οὐκ ἔστιν. Ἀκούσας οὖν, πῶς τί τοῦτο λέγεις; φάναι. Νέοι ἐστὲ εἰπεῖν, τὰς ψυχὰς πάντες, οὐδεμίαν γὰρ ἐν αὐταῖς ἔχετε δι' ἀρχαίαν ἀκοὴν παλαιὰν δόξαν, οὐδὲ μάθημα χρόνῳ πολιὸν οὐδέν.

Quæ compendio refert D. Clemens Alexandrinus libro 1. Strom. & ab Acusilao mutuata refert. Ait etiam Poëtam quandam, qui poëma inscripsit Phoronidem, eum mortalium hominum patrem appellasse, ab Acusilao verò dictum πρῶτον ἄνθρωπον. Cæterùm *Phoronidem Poëtam*, non rectè vertit Eusebij interpres apud Euseb. libro 10. de præparatione, capite vltimo. legitur enim apud Clementem, quem ibi refert Eusebius, τῆς Φορωνίδος ποιητής. N. II. 3.

ANNVS MVNDI 2250. DILVVII 594. TERTIÆ ÆTATIS 212. ISMAELIS 126. ISAACI 112. IACOBI ET ESAV 52. PROMISSIONIS 137. ARMAMITRSS 22. IMPERII ASSYRIORVM 319.

ANTE CHRISTVM 1803.

Hoc anno Iubilæus quadragesimus quintus absoluitur, vt non multò antè monuimus, in quem nihil mihi occurrit quod referam; suppleat studiosus lector, si quid notauerit.

ANNVS MVNDI 2258. DILVVII 602. TERTIÆ ÆTATIS 220. ISMAELIS 134. ISAACI 120. IACOBI ET ESAV 60. PROMISSIONIS 145. ARMAMITRSS 30. IMPERIS ASSYRSORVM 327.

ANTE CHRISTVM 1795.

I. *Diluuium Ogygium quando contigerit.*

tom 4. Annalium lib. 10 de temp. c. 3.

Hoc anno, qui est millesimus & vigesimus ante principium Olympiadum, quòd eadit in primum annum Ioathan regis Iuda, vt suó loco docebimus, contigit diluuium Ogygium. Nam Africanus, apud Eusebium. *Ab Ogyge*, inquit, *indigena, cuius temporibus primum & maximum diluuium in Attica fuit, & Phoroneus Argiuus regnabat, vsque ad primam Olympiadem anni fuere mille atque viginti. Ita enim omnes asserunt, qui Atheniensium annales conscripsere, Hellanicus dico, atque Philochorus, Castor etiam & Thallus in hoc conueniunt, qui Syriacam historiam diligenter tractarunt. Diodorus quoque, qui orbis historiam in Bibliothecas contulit, aliique permulti.* Sic ipse. Atqui primus Ioathan est ter millesimus ducentesimus septuagesimus octauus ab orbe condito, ex quo si auferas mille & viginti exister præsens mundi annus. quæ etiam est supputatio Tornielli, in hoc genere accuratissimi. Paulus Orosius ponit diluuium hoc, annis mille quadraginta ante vrbem conditam; rotundum numerum ponere voluit, neglectis annis tribus; sunt enim omninò mille quadraginta tres. Nam à prima Olympiade sunt viginti tres anni vsque ad vrbem conditam.

3278
1020
2258

l. 1. c. 7.

Hoc diluuium ad tempora Phoronei refert Clemens Alexandr. lib. 1. Strom. Eusebius loco citato de præparatione, & in chronicis, [*] quem sequitur Augustinus. Orosius de eo, hæc pauca. *Ante annos vrbis conditæ mille quadraginta, in Achaia fæuum diluuium, vastatione plurima totius penè prouinciæ fuit, quòd quia Ogygis, qui tunc Eleusinæ conditor, & Rex erat, temporibus effusum est, nomen loco ac tempori dedit.* Idem habet ex eo Marianus Scotus in chronicis.

l. 5. l. 18. de ciu. cap. 8. l. 1. c. 7.

II. *Triplex diluuium.*

AVGVSTINVS loco citato triplex diluuium memorat, & hoc vt tempore, ita magnitudine medium. *Ogygius*, inquit, *ipse quando fuerit, cuius temporibus etiam diluuium magnum factum est, non illud maximum, in quo nulli homines euaserunt, nisi qui in arca esse potuerunt, quòd gentium nec Græca, nec Latina nouit historia, sed tamen maius, quàm postea tempore Deucalionis fuit.* Et paulò post Ogygij diluuium contigisse scribit post annos amplius quàm trecentos, ex Eusebij, & Hieronymi chronicis. Verùm hoc loco vtrumque reprehendit Scaliger μνημονικοῦ σφάλματος, Augustinum quidem metachronismi quadraginta annorũ, Orosium autem prochronismi triginta sex. *Nam si Orosio credimus*, inquit, *hoc diluuium contigerit numero Eusebiano 224. si Augustino, vltra trecentesimum numerum hæc periocha ponenda fuerit.*

num. 261.

III. *Defenditur Orosius & Augustinus.* At ipse fortasse [illegible] non iniuria accusetur, pro certo enim ponit Orosium eadem vti cum Eusebio Chronologia, quod tam hoc, quàm pluribus aliis exemplis, anterioribus & posterioribus refelli potest. Et perspicuũ est Eusebium ab Abrahamo, Orosium à Roma condita numerasse annos. Hunc toto primo libro retrogradam seruare Chronologiam, illum toto in opere progressiuam. Cæterùm Orosij Chronologiam in hac parte nihilo deteriorem esse Eusebiana ex eo patet, quod omnibus iis autoribus, quos ex Eusebio retulimus, consentanea est. (l. 10. Præp cap. 3.) Imò planè consentit etiam nostræ, si principium Olympiadum primo anno Ioathain ponat, quod faciendum esse suo loco docebimus, & non quadriennio ante cum Eusebio, qui tamen, vt solet etiam in aliis, in ea re varias variis locis secutus est sententias. Malè quoque Augustinum arguit, quasi trecentos illos annos malè ad Eusebianos numeros accommodarit. At vnde nouit Augustinum illorum numerorum, quos Eusebius nunquam posuit, rationem habere voluisse? aut omninò illos trecentos annos ab ortu Abrahæ, quæ est æra Eusebij, numerasse? Et non potiùs à Noëtico diluuio, cuius proximè mentionem fecerat, & à quo multo plures quàm trecenti anni elapsi erant. Nam Chronologia ex Hebræo sumpta, cuius Eusebius quoque in Chronicis meminit, quámque S. Augustinus Græcę præfert, vt alibi diximus, ducentos nonaginta duos annos numerat à diluuio vsque ad Abrahamum; cùm erga Ogygium diluuium Isaaci tempore contigisse scribat Eusebius, meritò Augustinus laxiore supputatione dixit, plus trecentis annis diluuium Noëticum, Ogygio priùs fuisse. Quod si quis nimiam arguat laxitatem, recordetur 90. annorum quibus retardata est Abrahami natiuitas, ad quam fortasse non respexit S. Augustinus, sed ad ipsius potiùs obitum [a]. (a. ✕.)

SCHOLIA IN ANNUM MUNDI 2258.

N. I. 1. Et quidem in editione Pontaci anno quadragesimo quarto eiusdem Phoronei, Scaligeri autem quinquagesimo, qui est annus Isaaci centesimus sexagesimus, & Abrahami ducentesimus sexagesimus.

N. III. 5. Porrò de stella Veneris, quæ huius Ogygis temporibus colorem, magnitudinem, figuram, cursum mutasse dicatur à Castore, & Varrone, vide Augustinum libro vigesimo primo de Ciuit. cap. octauo. Rursum de Minerua, quæ ad lacum Tritonidem eodem regnante apparuerit, meminit idem, ex Euseb. (l. 18. c. 2.) in Chron. apud quem alia etiam memorata reperies, & apud Oros. quæ suggerent quoque Eusebij interpretes. (l. 1. c. 7.) Nobis ad Moysem redeundum est, quoniam illa minus ad institutum nostrum pertinent. Ogygis tamen diluuium, vt celeberrima antiquitatis nota, prætereundum non fuit.

ANNUS MUNDI 2261. DILUVII 605. TERTIÆ ÆTATIS 253. ISMAELIS 137. ET ULT. ISAACI 183. IACOBI, ET ESAU 63. PROMISS. 148. ARMAMITRIS 33. IMPERII ASSYR. 330.

ANTE CHRISTUM 1792.

I. *Obitus Ismaelis.* Terminatur hoc anno Ismaëlis vitæ periodus, vt ex vigesimo quinto Genes. apertè constat, vbi centum triginta septem annis vixisse perhibetur; confirmat hanc Chronologiam Seder Holam, vbi tamen nonnulla sunt, quæ posterius expendantur. Res ab eo gestas obuoluit Scriptura silentio, scripsit tamen vnde suspicemur eas multas fuisse, atque memorabiles, cùm ait, *Eum fuisse hominem ferum, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Certè non sine bello magna parte Arabiæ potitum esse, nouáque nomina locis sibi subiectis imposuisse credendum est. (Gen 25. 17. c. 2. init. c. 16. 12.)

II. *De eius posteris.* Altera pars diuinæ prænunciationis, quæ est de multitudine posterorum eius, & multis habetur locis, præsertim Genes. decimo sexto, impleta ostenditur Genes. vigesimo quinto, vbi duodecim filij eius, totidem tribuum principes memorantur. Et rursum primo Paralip. de quibus hæc habet Hieronym. *Duodecim* (v. 10. c. 17. 20. c. 21. 13. 18 c. 25. 13 1. 29.)

filij nascuntur Ismaëli, è quibus primogenitus fuit Nabaioth, à quo omnis regio ab Euphrate vsque ad mare rubrum Nabatena vsque hodie dicitur, quæ pars Arabiæ est. Nam & familiæ eorum, oppidáque, & pagi, ac munita castella, & tribus eorum hac appellatione celebrantur.
.1.c.12. *Ab vnoquoque ex his Cedar in deserto, & Duma alia regio, & Theman ad Austrum, & Cedma ad Orientalem plagam dicitur.* Sic ipse: quorum priorem partem ex Iosepho sumpsit, qui & addit hos esse, à quibus Arabes gentem suam, eiúsque tribus denominauerunt, tum propter ipsorum virtutem, tum propter Abrahami auctoritatem. Denique totam eorum habitationem Scriptura hoc ipso loco definit, ab Heuila vsque Sur, inter Assyrios & Ægyptios, ad Meridiem & Orientem terræ Chanaã. Non videtur hoc loco negligendum quod circa tria nomina filiorum Ismaël no-
Pau. fag. tauit ex Hebræis interpres Onkelos, quintum scilicet, sextum & septimum. Masma, Duma & Massa. *Hæc tria*, inquit, *nomina propria, coniuncta Hebræi prouerbialiter vsurpant, quo significent multa audienda, tacenda, & ferenda esse.* Quòd scilicet prima vox à radice, quæ audire significat, silere altera, tertia sustinere deducuntur, eodem vsu quo apud Græcos, *ἀνέχου, καὶ ἀπέχου.*

Gen.25.17. DE eius morte hæc habet Scriptura, *Et facti sunt anni vitæ Ismaëlis centum triginta septem, deficiénsque mortuus est*, morte scilicet naturali, minimèque violenta, vt de Abrahamo quoque dictum est. Quòd autem additur, *Coram cunctis fratribus suis obiisse, id est,* ait Hieronymus, *in manibus omnium filiorum suorum, superstitibus liberis, & nullo prius morte prærepto*, quòd ad magnam vitæ huius fœlicitatem videtur pertinere. Nam quod ad futuram attinet, Hebræi colligunt eum piè defunctum esse, & in limbum sanctorum Patrum, ad Abrahamum patrem suum esse profectum, quòd hic dicatur appositus ad populum suum, sicut antea de Abra-
Gen. 35. & 49. hamo ipso dictum fuerat, & infrà de Isaac & Iacob dicitur, & de Moyse & Aa-
Deut 32.50 rone, & Mathathia, & Dauide. In eáque sententia est Abulensis hoc loco, nec
1. Machab. 2. fin. repugnat Lyranus, & Genebrardus. Rabbi Salomon ait egisse pœnitentiam, verùm ea locutione res tam incerta parum probatur; cùm reperiatur in Scriptura
Act. 13. 36. perditorum hominum funeri attributa, vt disputat Peret. & Daniel. 13. fi. dicitur
hoc c. n.73. Astyages appositus ad patres suos. (III. *Qualis eius mors.*)

17.18. RECTIVS probaretur ex eo loco Genes. vbi Abraham Deum alloquens, *Vtinam*, inquit, *Ismaël viuat coram te.* Quæ oratio ex mente religiosissimi Patriarchæ, non tantùm ad bona temporalia huius vitæ, sed æterna sequentis pertinebat. Et tamen Dominus mox subdit, se exaudisse Abrahamum super Ismaële
L.5.c.36. quoque; quæ ipsa est dubitandi ratio Ruperti libro quinto, vbi suam sententiam ita concludit. *Nunc illud dictum sit, quamuis reproborum typum gesserit, non omninò consequens, vel constans esse, quòd & ipse in sua persona à Domino reprobatus sit, dicente illo, Super Ismaël quoque exaudiui te.* Et Dominus quidem ibi mentionem tantùm facit bonorum temporalium, vt ad ea duntaxat exauditio referenda videatur. Verùm in iis comprendi possunt etiam spiritualia; sicut è contrario, cùm E-
Malach.1. saü dicitur odio habitus, id odium tantùm ex temporalibus probatur. *Esau*, inquit, *odio habui, & posui montes eius in solitudinem, & hæreditatem eius in dracones deserti.* Et tamen spiritualis quoque vastitas, & reprobatio illius vulgò intelligitur
Rom. 9. in verbis illis, sicut intellexisse videtur Apostolus. Religiosa quoque funeris Abrahæ curatio dat Genebrardo coniecturam ipsum, quoad vixit Abraham, pietatem coluisse; atqui Ismaël in Abrahæ morte nonagesimum annum agebat; credibile est etiam reliquam vitam in eodem Dei cultu traduxisse, memorem mandatorum patris sui. Et quoniam naturali morte paulatim extinctus est, in cœtu filiorum suorum, etiam rationi consentaneum est ipsum patrem suum extremo illo tempore imitantem, cum pœnitentia, & Dei timore obiisse, vt deinceps mundo mortuus, viueret coram Deo; vt optarat, & rogauerat Abraham. Itaque in re incerta rectius arbitror in mitiorem, melioremque partem propendere, & cum Domino dicere, *Nemo te condemnauit* Ismaël, *neque ego te condemnabo.* (IV. *An saluus sit.*)

ANNVS MVNDI 2266. DILVVII 610. TERTIÆ ÆTATIS 228. ISAACI 128. IACOBI ET ESAV 68. PROMISSIONIS 153. ARMAMITRIS 38. ET VLT. IMPERII ASSYR. 335.

ANTE CHRISTVM 1787.

Obitus Regis Assyriorum.

FINEM affert hic annus & regno & vitæ Armamitris octaui à Belo Assyriorum Regis, qui est quintus à morte Ismaëlis annus. Et Esaü sexagesimus octauus, qui cùm multos susciperet liberos ex vxoribus suis, Iacob nihilominus, stupenda vtique continentia, perseuerabat celebs. Vt dixi anno eiusdem quadragesimo primo.

ANNVS MVNDI 2267. DILVVII 611. TERTIÆ ÆTATIS 229. ISAACI 129. IACOBI ET ESAV 69. PROMISS. 154. BELOCHI PRISCI 1. IMPERII ASSYRRIORVM 336.

ANTE CHRISTVM 1786.

I. *Initium Belochi Regis.*

BELOCHVS huius nominis primus, ordine nonus, Assyriorum capessit imperium, rexitque annis triginta quinque, vt Eusebio placet. Nam secundus Belochus illi successit decem regibus interiectis. Valde autem miratus sum Pontacum virum doctissimum scripsisse hunc Belochum apud Plutarchum appellari Ochum; cùm ex eodem perspicuum sit istum fuisse Persarum Regem Cyri successorem, & Xerxis filium. Fortassis à Belo primo rege inflexum est hoc nomen, etsi apud Clementem Alexandrinum non Βήλοχος, siue Βήλοχος, vt ab Eusebio, & cæteris, sed Βηλόδχος dicatur, & appelletur octauus. At Augustinus & Belocum, siue Belotum appellat, & nonum.

in chron. *lib. de amore fraterno; & lib. de virtute mulierum.* *l. 1. Strom.* *l. 18. de ciu. cap. 3.*

II. *Chronologia gloriosa. Phegõ frater Phoronei.*

CVSVS tempore contigisse ait, quòd ad antiquam chronologiæ laudem pertineat, proptereàque minimè omittendum videatur. *Cùm iam*, inquit, *Belochus Rex nonus Assyriis, & Phoroneus Inachi filius secundus regnaret Argiuis, Leucippo apud Sicyonios permanente. His temporibus Græcia sub Phoroneo Argolico rege, legum & iudiciorum quibusdam clarior facta est institutis. Phegonis tamen frater huius Phoronei iunior, cùm esset mortuus, ad eius sepulchrum templum est constitutum, in quo coleretur vt Deus: & ei boues immolarentur. Credo honore tantò ideo dignum putarunt: quia in regni sui parte, pater quippe loca ambobus distribuerat, in quibus eo viuente regnarent, iste sacella constituerat ad colendos deos: & docuerat obseruari tempora per menses atque annos, quid eorum quatenus metirentur, atque numerarent. Hæc in eo noua mirantes rudes adhuc homines, morte obita Deum esse factum, siue opinati sunt, siue voluerunt.* Sic sanctus Augustinus.

ANNVS MVNDI 2271. DILVVII 615. TERTIAE ÆTATIS 233. ISAACI 133. IACOBI ET ESAV 73. PROMISSIONIS 158. BELOCHI PRISCI 5. IMPERII ASSYRIORVM 340.

ANTE CHRISTVM 1782.

I. *Bellū Telchinum & Carpathiorum contra Phoroneū.*

PONITVR hoc anno apud Eusebium Telchinum, & Carpathiorum bellum aduersus Phoroneum, in editione Pontaci; nam in Scaligerina ponitur anno Isaaci 129. sed illa rectius habet, vt dicetur, quòd Paulus Orosius, & eum secutus Marianus Scotus, qui eiusdem belli duces ponit Thalasium & Caratrum annis mille septuaginta ante vrbem conditam contigisse ait, quòd ineptissimum esse vult Scaliger, quia id cum numeris suis Eusebianis non conueniat, quasi ea vna regula sit chronologicæ veritatis. At cùm ipsemet victos à Phoroneo fateatur, quomodo non videt eam victoriam ab Eusebio poni post sex annos à Phoroneo mortuo, an post 48. annos, à quo victi fuerant, distulerunt se in tutum locum recipere? Rectius dixisset atque modestius in numerum illapsum erratum, quòd ille annus vltra initia Phoronei protendatur.

n. 5. — l. 1. c. 7.

II. *Quid de eo scribat Orosius.*

AVDIAMVS ergo potius Orosium. *Ante annos*, inquit, *vrbis conditæ mille septuaginta Telchines & Carpathy pertinax bellum aduersus Phoroneū regem Arginorum, & Parrhasios ancipiti spe, sine fructu victoria gesserunt. Iidémque Telchines & Carpathij post paululum bello victi, patria profugi, ignaríque rerum, credentes quia se penitus à congressu totius humanæ habitationis abstraherent, Rhodum insulam, quæ Ophiussa antea vocabatur, quasi tuta possessione ceperunt.* Sic Oros. patria profugos dicit, scilicet Peloponneso, vbi & regnum Arginorum; quo fortasse isti Phoroneum exturbare moliebantur. Euseb. in chron. Græco, Τελχῖνες ἐκπεσόντες Πελοποννήσου Ῥόδον ᾤκισαν, ἤτοι τὴν καλουμένην Ὀφιοῦσαν, *Telchines expulsi Peloponneso Rhodum habitarunt insulam vocatam Ophiussam.* Quòd ergo Diodorus Siculus Rhodum vocat *antiquam Telchinum sedem*, minimè fallitur, sed Peloponnesus antiquior etiam fuit. Carpathij verò Rhodo in vicinam insulam traiecerunt, ex quibus nomen accepit, sicut & adiacens pelagus, apud Ptolemæum.

lib. 5. — tab. 1. Asiæ.

III. *Quo anno ante vrbem conditam contigerit.* 1030.

VERVM quod ad memoratos ab Orosio annos ante vrbem conditam mille septuaginta, arbitror sanè legendum mille triginta. Quòd sic demonstro. Nam mille & triginta anni omnino reperiuntur vsque ad annum nonum Achaz, qui est primus vrbis conditæ, & ante Christum septingentesimus quinquagesimus secūdus. Et apparet omninò mendum in numeros Orosij irrepsisse, quippe qui enarrer historica exempla descendendo ad vrbis conditionem: præcedens autem exemplum habet annos ante vrbem conditam mille sexaginta, sequens autem habet mille & octo, oportet vt exemplum medium habeat numerum minorem mille sexaginta, scilicet mille triginta, non autem mille septuaginta, vt legitur in textu eius, præsertim cùm chronologia hæc cum præcedenti de Ogygij diluuio per quā exactè respondeat. Nam diximus cum citatis illis authoribus, id diluuium contigisse mille viginti annis ante primam Olympiadem. Olympiades autem cœpere viginti tribus annis ante vrbem conditam; ergo illud diluuium contigit mille & quadraginta tribus annis ante vrbem conditam, tolle tredecim annos, qui ab anno illius diluuij, ad præsentē fluxerunt, remanent omninò mille triginta ante vrbem conditam, quòd erat demonstrandum. Ex quo sequitur non ponendum hoc bellum numero Eusebiano 229. vt vult Scaliger, sed 235. nam mille triginta, & 235. exactè conficiunt mille ducentos sexaginta quinque, quo numero ponit Eusebius vrbem conditam. Sequitur etiam hoc bellum gestum post Ogygium diluuium; licet ab Eusebio, & Orosio præponatur illi.

mutato L. in X. LXX. pro XXX.

1030
235
1265

ANNVS MVNDI 2276. DILVVII 620. TERTIÆ ÆTATIS 238. ISAACI 138. IACOBI ET ESAV 78.

PROMISSIONIS 163. BELOCHI PRISCI 10. IMPERII ASSYRIORVM 345.

ANTE CHRISTVM 1777.

I. *Tempus benedictionis Iacobi, & fugæ in Mesopotamiam.*

HIc est annus surreptæ à Iacobo benedictionis, & fugæ in Mesopotamiam, quæ fusè Geneseos vigesimo septimo describuntur. Gen. 27.
Quam chronologiam copiosè hoc capite confirmat Abulensis, & post eum Pererius & Torniellus. Summa hæc est. Erat Iacob centum triginta annorum, quando stetit coram Pharaone, tunc autem Ioseph agebat trigesimum nonum annum (*nam triginta annorum erat cùm steteis in conspectu Pharaonis*, & septem anni fertilitatis, & duo sterilitatis erant elapsi,) Gen 47.9. Gen 41.46. cap.45.11.
si ergo à centum triginta annis triginta nouem sustuleris, remanent nonaginta vnus, quæ erat ætas Iacobi, quando genuit Iosephum quem suscepit ex Rachel, postquam seruisset Labano quatuordecim annis, qui si auferantur ex nonaginta vno remanebunt septuaginta septem. Agebat ergo septuagesimum & septimum annum, quando obtinuit benedictionem, à qua immediatè fugit in Mesopotamiam, ad declinandum fratris furorem. Quoniam autem annos completos sumimus, oportet hunc annum esse initium septuagesimi octaui.

II. *Ex Demetrio, qui emendatur.*

DEMETRIVS apud Eusebium, iuxta ea quæ habentur in codice Græco, de præpar. l.9.c.4.
quæ miserè deformata sunt in veteri versione, in anno Isaaci consentit, in Iacobi autem ætate bieunio distat à vero, nisi textus, quod necesse est, corrigatur; quæ ad verbum conuersa sic habent. *Demetrius ait Iacobum annos natum septuaginta quinque fugisse in Charam Mesopotamiæ, dimissum à parentibus propter occultas cum fratre Esau simultates, quod eum benedixisset pater, ratus ipsum esse Esau, & vt inde coniugem acciperet. Peruenisse autem Iacobum in Charan Mesopotamiæ, relicto patre Isaaco nato annos centum triginta septem, ipso verò septuaginta septem.* Atqui ante dixerat septuaginta quinque, num biennium in itinere posuit? Fabulæ; priori quoque loco legendum est septuaginta septem. Et res clara est, nam ex Scriptura certissimè constat Iacobum sexagesimo parentis anno in lucem editum esse. Nam quod Eusebius Scaligeri annum ponit septuagesimum septimum, sicut & Africanus apud eundem, de absolutis intelligendum est. Chronicum Alexandrinum ait Iacob descendisse in Mesopotamiam anno sexagesimo tertio, non leui parachronismo: fortè voluit seruisse annis quatuordecim antequam vxores haberet.

III. *Cur Isaac filium benedicere voluerit.*

RES tota hoc clarior est, quò copiosius à Moyse describitur, tantóque minus in ea nos immorari necesse est. *Senuit* ergo *Isaac*, vt qui ad centesimum trigesimum octauum annum peruenerat, *& caligauerunt oculi eius, & videre non poterat*, præ senectute, vt ait D. Augustinus. At cùm nihil tale de Abraham ferè quadraginta annis seniore dicatur, non immeritò hæc caligo peculiari eius infirmitati l.16. de ciu. c.37.
tribuatur; quæ nec videtur vsque ad mortẽ, id est annos adhuc quadraginta duos perdurasse. Fit autem mentio senectutis, & quidem, vt putabatur, decrepitæ vt causa benedictionis vltro oblatæ intelligatur. Fit & caliginis, & cæcutientium oculorum, vt causa deceptionis agnoscatur.

IV. *Disponitur Esau ad benedictionem.*

ERGO Isaac accersit Esaü, quem habebat pro primogenito, eúmque iubet venatu sibi quærere ac parare cœnam, nam cœnam δεῖπνον appellat Iosephus, & venatio longius fere tempus petit, quàm vt matutinis horis capi, ac parari possit, vt mox cibo sumpto paternam illi benedictionem, quasi moriturus impertiatur. Ex quo intelligitur mansuetissimum Isaacum, etsi vxoribus Esaü, & illi ipsi filio, qui eas iniussus acceperat, pridem infensum, ipsum tamen nunc eo iure priuare noluisse, quòd prior nascendo acquisiuerat. Ad accipiendam autem benedictionem eum conuenienter disposuit, per opus obe-

dientiæ, & charitatis in parentem suum. Ille nihil cunctatus, ad patris iussionem implendam proficiscitur.

V. *Consilium Rebeccæ pro intervertenda benedictione.*

Vide Hier. ep 125 ad Damasum q.3 to.3.

AT mater Rebecca, quæ Iacobum diligebat, & illi benedictionem ambiebat, cui sciebat ius primogenitorum diuinitus esse concessum, audierat quippe, *Maior seruiet minori*, rem ad ipsum defert, & destinatam à se maiori fraudem aperit, hœdinis carnibus ferinæ substituendis, in quo, vt ait Abulensis, non dedit consilium ad furandum rem alienam, sed industriam ad liberandum ius suum de manu iniusti detentoris. Nihilominus cunctatur Iacob, timens ne in fraude deprehensus, maledictionem sibi loco benedictionis accersat; quam, vt valde formidabilem, vehementer horrebat, & meritò, vt pluribus docet hoc loco Pererius ex doctrina Platonis, & Augustini. Mater autem ad quam delatum fuerat oraculum, & quæ nihil dubitabat, quin Deus rem totam ad optatum exitum deducturus esset, *In me sit*, inquit, *ista maledictio fili mi.*

in c 27 n. 91 l. 11. de leg. l. 27. de ciu. c. 8. v. 13.

VI. *In rem deducitur.*

ILLE persuasus curriculo gregem adit, duósque affert hœdulos, non vt ille ambos comederet, cùm vnus abundè sufficeret: sed duæ pelles necessariæ erant, altera ad colli nuda protegenda, altera ad circuntegendam vtrámque manum. Ergo parat Rebecca cibos, *Sicut velle nouerat patrem illius, & vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum.* Vestitu scilicet pretiosiore, quali primogeniti, siue sacrificando, siue in actione quapiam solemni vti solebant, quē mater in quapiam area ex lignis odoratis, aut cum herbis, floribúsve odoriferis asseruabat, *pelliculísque hædorum circundedit manibus, & colli nuda protexit*, quæ scilicet partes senis attrectationi erant expositæ; genas & mentum barba protegebat. *Dedítque pulmentum, & panes quos coxerat tradidit.*

Gen. 27. 16.

VII. *Adit parentem Iacob, & nō excusandus sit à mendacio.*

ITA persona quasi ad theatricam actionem composita, venitur ad senem, &, *Ego sum*, inquit Iacob, *primogenitus tuus Esaü, feci sicut præcepisti mihi, surge, sede, & comede de venatione mea: vt benedicat mihi anima tua.* Atqui nec venatio hæc erat, nec ferina, sed hœdina caro, neque præceperat quidquam illi Isaac, nec fecerat ipse quod se fecisse dicebat: denique vt iure primogenitus esset, Esaü tamen non erat. Hic videlicet plurima sancti Patres, posterioresque Doctores disputarunt, vt apud Pererium totis quinque disputationibus reperias, vt Iacobi dicta, factáque à mendacio, culpáque vindicent. Plerique tamen neque Iacobum, neque Saram, neque Iuditham, neque Dauidem, nonnullásque alias personas in Scriptura laudatissimas, ab omni mendacio, aut culpa, saltem veniali excusandas putant; cùm id priuilegium ne Apostolis quidem post acceptum Spiritum sanctum tributum videatur, Paulúsque reprehensibilem fuisse Petrum scriptum reliquerit. Certè Chrys. non negat in Iacobi verbis mendacia, sed excusat. *Quia Deus*, inquit, *erat qui cooperabatur iis quæ fiebant, omnia opere sunt impleta. Quid igitur? cooperatúsne est Deus mendacio? Dilecte ne indages tantùm quod fit, sed attende etiam scopum.* Et infrà, *Ne igitur hoc considera, quod ementita fuerint, quæ dicebantur à Iacob, sed illud cogita, quod volens Deus prædictionem impleri, omnia vt sic fierent dispensauit.* Sic ipse. At rem ipsam quidem ordinarat Dominus, non tamen modum istum, qui fraudem & mendacia continebat, vt disputat Abulensis hoc loco. Non negat Isaac ipse, qui mox dicit venisse Germanum Esaü fraudulenter. Idem præter Chrysostomum fatetur Abulensis, Scotus, Lyranus, Adrianus, Caietanus, Lipomanus, Olcaster, Fonseca, Del Rio, atque Pererius ipse post multam tergiuersationem, *Ego non dissimulo*, inquit, *sensum animi mei. Nam vt non inficior dictum illud Iacob, ego sum Esaü, in quo vno ad verum intellectum interpretando, purgandóque à mendacio Doctores laborarunt, satis commodè in verum sensum redigi posse, ita fateor duo alia eiusdem Iacob dicta, feci sicut præcepisti mihi, &, comede de venatione mea, perdifficiliter ad veritatis sententiam accommodari posse.* Sic ipse.

in c. 27. Gen.

hom. 53.

disp. 5 n. 37.

VIII. *Autoris sententia.*

NEC sanè facilè video cur ingenuam hanc confessionem leuioris mendacij, cum tot viris, pietate, atque eruditione præstantibus, admodum reformidare debeamus; cùm simplex, & perspicua verborum sententia eam requirat; nec ad vllam absurditatem trahat ista confessio; & pleræque excusationes violentæ sint, ac multis difficultatibus impeditæ, & literalem sensum deserere cogantur. Dici tamen potest in gratiam optimi Patriarchæ, ex mente antiquorum Patrum, Iacobum dicere se Esaü, non simpliciter & absolutè, sed vt primogenitum; quia diuina dispositione talis habendus erat apud homines; sicut apud Deū, apud quem

tes vetissimè sunt, primogenitus reputabatur, secundum omnia illius iura, atque priuilegia. Fecit Iacob, quod pater, mediante Rebecca matte, præcepit. Quidni autem venatio metaphoricè sumatur, vt hœdi in agro capti, sicut & lepores, venatio appellentur? Quod seriò venari pisces dixit Plinius, cur non cum quadam ironia, quæ sine dubio mendacium non est, Iacob se hœdos venatum esse dicat? sicut alius viduas frustis venatur & pomis. *l. 10 c. 1. Horat.*

IX. *Explorat filium senex, & decipitur.*

SED redeamus ad Iacobum, & consideremus eum Chrysostomo, *Quanta cum anxietate verba hæc locutus sit Iacob. Qui enim principio dixerat matri, timeo ne inducam super me maledictionem, & non benedictionem, nunc expende in quanto timore constitutus fuerit, qui tantam fabulam agit.* Quæ rursus inferius inculcat, maximè autem, vt par est credere, intremuit, cùm post multam locutionem, quæ fraudem sono vocis prodebat, audiuit illud, *Accede huc, vt tangam te fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non.* Verùm & præsens necessitas, & diuinus fauor, & antegressa animi comparatio ipsum confirmabant. Accessit ad patrem, & palpato eo dixit Isaac, *Vox quidem vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau. Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant.* Atque ita deceptus est Isaac; nec prophetiæ donum, quo præditus fuit, eum ab deceptione reddidit immunem, quia spiritus prophetiæ non semper adest Prophetis, vt ex plerisque Scripturæ locis intelligitur, vt 2. Regum de Nathan, & quarto Regum de Elisæo, sed pro illius arbitrio, qui loquitur per Prophetas. Vide de hac Isaaci deceptione Hieronymum scribentem ad Damasum Epist. 125. *hom. 53. 7. 1. 4. 27. to. 3. q. 3.*

X. *Eique benedicit.*

HAC ergo opinione imbutus, præparans se ad benedicendum filium, quem putabat Esau, *Comedit, bibit, osculatus est eum, statimque vt sensit vestimentorum illius fragrantiam benedicens illi, qui scilicet ea vestimenta ferebat*, qui præsens aderat, non illum cuius erant vestimenta. Idque notat Chrysost. *Ne quis*, inquit, *opinetur quod in personam Esau benedictionem fecerit, sed in illum quem osculatus est, propterea commemorat diuina scriptura quod osculatus est, & benedixit illum, quem osculatus est.* Quasi dicat, intendebat benedicere hunc quem osculabatur, etsi putaret se alterum benedicere, intentio anterior ferebatur in Esau, immediata verò in hunc præsentem. Sic Episcopus conferens ordines præmonet ac prænunciat se non intendere conferre ordines, nisi examinatis & probatis, & tamen cùm mox præsentes ordinat, etiam illos ordinat qui se sine examine turbæ inseruerunt, quia immediata intentio fertur in præsentes. qua de re fusè Abulensis, & Pererius. Et reuera tam Isaac quàm Esau mox agnouerunt verè obtentam ab eo, quamuis per fraudem, benedictionem. Est autem hæc benedictio. *hom. 53. in hoc c. q. 7. num. 8. 4.*

XI. *Benedictio Isaac, & quæ vis eius.*

ECCE *odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini. Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus, esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Alludere videtur Isaac ad benedictionem, quam Dominus dedit Abrahæ, quando eduxit eum de Haran, quam ille memoriæ diligenter commendarat, filióque sæpius inculcarat. Porro licet hæc ex supradictis de primogenitorum priuilegiis intelligantur, hic nihilominus obseruanda tria. Illi enim primùm imprecatur abundantiam frugum terræ vitæ necessariarum, quæ ex benefico cœlorum influxu, & terræ bonitate pendet. Secundò honorem & venerationem apud externos. Tertiò auctoritatem, dominium, ac iurisdictionem in domesticos, ac suos; quæ in posteritate Iacobi potius, quàm in ipso censentur implenda: neque enim plures habebat fratres, aut plures filios matris suæ, & ipse potius Iacob incuruatus est ante Esau. Nam Iacob, *Vt vidit venientem Esau, progrediens adorauit pronus in terram septies.* Ipse eum Dominum suum appellauit, & se seruum eius, per se, pérque famulos suos. Promittuntur tamen Iacobo, quia ipse erat caput, ac principium eorum, in quibus ista implenda erant. *Gen. 27. 27. Gen. 12. an Iacob. 25. n. 3. 1. 2. 3. Gen. 33. 3. Gen. 32. 18. & c. 33. 3. 8. 13. 15.*

XII. *Retegitur fraus, cum exstasi decepti senis.*

SEQVITVR deinceps fraudis agnitio. Nam *Vix Isaac sermonem impleuerat, & egresso Iacob foras venit Esau, coctósque de venatione cibos intulit patri.* Et agnita deceptione, *Expauit Isaac stupore vehementi, & vltra quàm credi potest admirans.* in Hebræo est, *Et expauit*, siue *contremuit Isaac pauore magno vsque valde*, id est vehementissimè. Voluit D. Hieronymus repræsentare magnitudinem admirationis, quam Septua-

ginta non dubitarunt *extasim* appellare. ἐξέστη δὲ Ἰσαὰκ ἔκστασιν μεγάλην σφόδρα. *Vbi,*
q. 80. inquit Augustinus, *tanta commutatio intelligitur, vt quadam mentis alienatio sequeretur.*
Ipsa enim propriè dicitur exstasis, & quia solet in magnarum rerum reuelationibus fieri, in hac
intelligendum est factam esse spiritalem admonitionem, vt confirmaret benedictionem suam
filio minori, cui potius irascendum fuit, quod fefellit patrem. Et in eandem sententiam li-
bro decimo sexto de ciuitate cap. trigesimo septimo. *Miratur, & quisnam sit ille per-*
cunctatur, nec tamen se deceptum esse conqueritur. Imò confestim reuelato sibi intus in corde ma-
gno sacramento deuitat indignationem, confirmat benedictionem. & mox. *Quis non hic ma-*
ledictionem potius expectaret irati, si hæc non superna inspiratione, sed terreno more gereren-
in c. 12. ad Hebr. *tur.* Eadem est doctrina D. Thomæ.

AVDITIS *Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno, & consternatus ait, Benedic* XIII. *Et consternatione Esau.*
etiam mihi, Pater mi. Pro consternatione habet Pagninus, *amaritudine affectus est ve-*
hementissimè, grauissima scilicet indignatione in fratrem, à quo statim sensit sibi
præreptam benedictionem, quod fatetur etiam Isaac. *Venit*, inquit, *germanus tuus*
fraudulenter, & accepit benedictionem tuam. Onkelos habet *sapienter*, sed in Hebræo,
ac Græco legitur *cum dolo*, qui & bonus est, & malus: sed vtrum vsurpat Isaac in
bonum, an in malum? Iuxta mentem suam, ait Del Rio, & Lyranus post reuela-
tionem in bonum, iuxta mentem Esaü in malum: qui & lamentans, & accusans
v. 36. fratrem ait, *Iustè vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me en altera vice: primo-*
genita mea ante tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam.

RVRSVMQVE *ad patrem; nunquid non reseruasti*, ait, *& mihi benedictionem?* Hæc XIV. *Qui iterato petit benedictionē, nec exauditur.*
est iterata petitio, cùm priorem dissimulasset pater. Respondet autem se Iacobo
dedisse benedictionem, quæ primogenito competebat, cum iuribus eius, ideó-
que non posse se ipsi dare, cùm non posset vtérque esse primogenitus; & Iacob
Dei dispositione factus esset primogenitus; & capax diuinarum promissionum,
quæ Abrahamo factæ fuerant, ea præsertim, quæ erat de benedictione omnium
l. 7. c. 13. gentium, à qua Esaü penitus excludebatur, quæ est Ruperti interpretatio. *Primò*
dicimus, inquit, *non multa semina, sed vnum esse semen, quod est Christus, de quo promissum*
fuerat Abrahæ, quod in illo omnes gentes benedicerentur. Quam verò, præter illud semen, be-
nedictionem haberet pater? necessariò igitur vnam tantum habuit? Sic ipse. Nihilominus
Esaü siue id intellexit, siue non intellexit, ab illa exclusus, aliam aliquam petit
dicens, *Num vnam tantùm benedictionem habes, pater? mihi quoque obsecro vt benedicas.*
Et potuit vtique illi bene precari, & obtinere precibus bonorum temporalium
copiam, imò & spiritualium. Benedictionem autem inferioris notæ non recusauit
pater, præsertim *cùm* ille *eiulatu magno fleret*, ne planè benedictione priuatus ab-
scedere cogeretur.

MOTVS ergo Isaac dixit ad eum; *In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit be-* XV. *Tandem tamen benedicitur.*
Hebr. 12. *nedictio tua.* Nec repugnat his Apostolus, qui videtur negare Esaü consecutum
fuisse à patre benedictionem. *Scitote*, inquit, *quoniam & postea cupiens hæreditare be-*
nedictionem, reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis in-
quisisset eam. Verùm Paulus non ait, eum omni prorsus benedictione caruisse; aut
peccatorum veniam obtinere non potuisse; sed illa hæreditaria, quæ cum iure
primogenituræ coniuncta erat, à qua diuina dispositione, & sua culpa exclusus
fuerat, perpetuò priuatum fuisse; nec potuisse quantislibet lachrymis, ad eam re-
dintegrari, diuina dispositione, aut Isaaci sententia, per vllam pœnitentiam com-
mutata; quamuis admissæ culpæ veniam potuerit obtinere. Sicut qui culpa sua
virginitatem amisit, potest peccati veniam lachrymis consequi, integritatem non
potest. Quo exemplo vtitur etiam Caietanus.

CÆTERVM fuisse Esaü, iuxta patris benedictionem, opulentum, significant XVI. *Nec irrita benedictione.*
illi quadringenti viri, quibuscum processit obuiam fratri. Indicat illa confessio,
Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi; significant illi tam multi Reges Idumæi, ac du-
ces, qui cap. trigesimo sexto Geneseos memorantur. Addidit autem pater in hac
Deut. 2. 12. posteriore benedictione *victurum in gladio*, id est, bellicosos fore tam ipsum, quàm
2 Reg. 8. 14. posteros eius, idque patet ex eo quod Seir regionem Horræorum, ipsis expulsis,
1. Paralip. 18. 13. occuparunt. Et ne abrogari putaret benedictionem fratris, *Seruies*, inquit, *fratri*
4 Reg. 8. 20 *tuo*, tempore scilicet Dauidis, anno regni eius decimo quinto, & deinceps per an-
v. 40. nos centum quinquaginta duos, donec tempore Iorami, anno regni eius sexto,

impletum est illud, quod fuit in ista benedictione postremum; *Tempúsque veniet cùm excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis.* Sed rursum postea redintegrata est Idumæorum seruitus, sub Ioan. Hyrcano, anno vrbis conditæ sexcentesimo vigesimo tertio, vsque ad regnum Herodis Idumæi, per annos tres & nonaginta: quando captis Hierosolymis, ope Romanorum regnare cœpit, anno vrbis conditæ septingentesimo decimo sexto. Hæc porrò Iosephus in pauca ista contraxit; *Studiis quidem venandi, & robore corporis, armorumque præstantia celebrem fore prædicit, eúmque gloriam tum ipsi, tum eius posteris mansuram sempiternam, seruiturum tamen fratri.* Sic ipse. *Ioseph l. 1. c. 17.*

XVII. *Odium Esau, & minæ ope Rebeccæ irritæ.*

ODERAT *ergo semper Esaü Iacob, pro benedictione, qua benedixerat ei pater*, idque odium propagatum est in posteros vtriusque, adeo vt statueret fratri necem inferre, cùm primùm pater mortuus esset, quod breui fore videbatur. Nec id tantùm machinatus est in corde suo, sed quoniam ex abundantia cordis os loquitur, etiam minas effudit foras, quæ ad Rebeccam delatæ sunt, fortasse diuinitus. nã sanctus Augustinus putat reuelatione diuina eas minas Rebeccæ innotuisse, idémque de Isaaco quæstione sequenti affirmat. *q. 81.* Re igitur cognita, accersito Iacobo; *Ecce*, inquit, *Esaü frater tuus minatur vt occidat te. Nunc ergo fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran, habitabísque cum eo dies paucos* (qui tamen pauci dies in annos viginti mutati sunt; sed illa sic sperabat, & optabat,) *donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius, obliuiscatúrque eorum, quæ fecisti in eum; postea mittam, & adducam te inde huc. Cur vtróque orbabor filio in vno die?* id est, cur permittam vos id adire discrimen, vt illo inuadente, te resistente mutuis vulneribus concidamini? ex quo fiat vt simul orber vtróque filio.

XVIII. *Consilium fugæ.*

VBI autem vidit filium ad obsequendum paratum, voluit etiam consensum Patris eius accipere. Rogat vt mittat Iacobum in Mesopotamiã ad fratrem suum, tum vt tantisper odium fratris deuitet, tum vt inde vxorem accipiat de cognatione sua, & non Chananitidas, vt fecerat Esaü, *Nam tædet me*, inquit, *vitæ meæ propter filias Heth;* Iuditham scilicet, & Basemath, de quibus extremo capite vigesimo sexto, & nos supra, anno Iacobi quadragesimo; *an 40. Iacobi.* *Si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere*, id est, non possum viuere, quamprimum moritura sum. Agebat autem nunc annum centesimum duodecimum. Nam trigesimum quartum annum agebat cùm peperit, ex quo iam septuagesimus octauus agebatur annus. *et tradit Rabbin.*

XIX. *Dimittitur Iacob in Mesopotamiam.*

NEC irrita fuit Rebeccæ postulatio. *Vocauit* enim *Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepítque ei*, præceptum primò ponitur, *Noli accipere coniugem de genere Chanaan, sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel patris matris tuæ* (id est soceri, & consobrini mei) *& accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui.* *Gen. 28. 1.* Personæ optionem liberam, vt par erat, relinquit, genus non item. Sequitur benedictio, *Deus autem omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, atque multiplicet, vt sis in turbas populorum, & det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te, vt possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est auo tuo.* *v. 3.* Tantùm igitur abest vt Isaac, flexus eiulatu Esaü, reuocarit benedictionem datam, vt eam diligentius expressam confirmarit, itáque filium dimiserit.

XX. *Quò ille fugit.*

PROMPTAM fuisse hanc dimissionem, tum periculi magnitudo, tum fugæ nomen persuadent, quo Rebecca paulò antè, & Propheta Osee eam appellarunt, *Osee c. 12.* sed Isaac quoque; nam, vt notauit Augustinus quæst. octogesima secunda in Genesim, vbi nos legimus, *Vade, & proficiscere in Mesopotamiam*, Septuaginta legunt *ἀναστὰς ἀπόδραθι, surgens fuge*; denique Sapiens *profugum iræ fratris* appellat, & Dominus ipse, *qui apparui tibi, quando fugiebas Esaü.* *I. Sap c. 10. c. 35 1. Gen.*

XXI. *Quæ hic Iosephus peccata circa visũ Isaac.*

SED priusquam abeuntem Patriarcham consectemur, pauca cum Iosepho verba commutemus. Primùm quæro, cùm Scriptura dicat caligauisse oculos Isaac, ita vt videre non posset, itáque in Hebræo, & Chaldæa Paraphrasi legatur, *l. 1. ant. c. 18.* ipse dicat planè cœcum fuisse, cùm longè diuersa sint, ita confusum & contractum esse visum, vt parum omninò videas, & ea facultate prorsus orbatum esse. Certè Septuaginta habent ἠμβλύνθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ τοῦ ὁρᾷν id est, hebetati sunt oculi eius ad videndum, ἀμβλὺς enim hebetem & obtusum significat, vt ferrum quod retusa acie ægrè scindit; ipse autem, γηραιὸς δὲ ὤν, καὶ τὰς ὄψεις εἰς τὸ παντελὲς ἠφανισμένος, cùm senex esset, & visu penitus orbatus. est enim ἀφανίζειν

ita abolere aliquid, vt nulla eius vestigia cernantur; & addit, εἰς τὸ παντελές, quod est prorsus, funditus, perfectè.

Qværo item cur benedictionem Isaaci, & iura primogenituræ ea compre- 2. XXII. *Circa benedictionem.*
hensa obscurarit, imò primogenituræ mentionē hoc quoq; loco prorsus omiserit, differens in cap. primum lib. secundi, nullo penè vsui; & in frigidam petitionem diuinæ propitiationis commutarit; cùm tamen illa, vel vnica, vel maxima causa fuerit lachrymarum Esaü. Num probabilis est fallacia matris, simulatio filij, & & totus ille apparatus, vt pater filio iuniori benè precetur? Quare non vtrique vellet pater Deum esse propitium? aut cur preces maiori natu filio eas vehementer efflagitanti, eidémque peculiariter dilecto negaret? *Eo quod omnes preces in Iacobum absumpsisset.* Faceta excusatio; preces videlicet vt fruges absumuntur,

Quæcumque enarras mihi sic incredulus odi.

Non quæro sanè cur tam negligens Chronologiæ fuerit, vt Iacobum octo & se- 3.
ptuaginta annos natum puerum appellarit, & Chrysostomum in fraudem induxerit, ne ex affectu paterno blandius id dictum nobis respondeat.

Illvd potiùs quæro, cur cum Scriptura hœdino exuuio collum, & manus 4.
Isaaci contegat, ipse brachia, quæ obtecta esse solent, circuntegat potiùs, & colli XXIII. *Alia male mutata, detracta, vel addita.*
nuda, manúsque negligat.

Quæro præterea cur in benedicendo Iacobo omissa sit illa populorum seruitus, illa adoratio tribuum, illud dominium in fratres, illa incuruatio filiorum matris suæ, aut cur in benedictione Esaü, præter historiæ veritatem, augeantur initia, 5.
decurtentur extrema.

Quæro denique cur dicat Esaü duxisse filiam Ismaëlis vxorem, iam ante quam 6.
Iacob in Mesopotamiam proficisceretur ad nuptias, cùm ea profectio compulerit Esau ad affinitatem cum Ismaële contrahendam, vt ex Genesi apertè constat.
c. 28. v. 6. Hactenus cum Iosepho de hoc loco velitatio.

Vervm qui potuit Esaü nuptiarum causa ire ad patruum Ismaëlem, cùm is, XXIV. *Quî Esau ad Ismaelē iam mortuū iuerit.*
vt postea dicemus, ante quatuordecim annos defunctus esset? Nimirum Ismaëlem Scriptura vocat, domum & familiam Ismaëlis, in cuius rei signum facit mentionem Nabaiothi, primogeniti Ismaëlis, qui parentis demortui loco regebat familiam. Ea porrò mulier hoc loco Maheleth dicitur, c. autē 36. dicitur Basemath, vt
l. 1. c. 17. in fi. eam Iosephus quoque vocat. Istam autem nouam vxorem de ductam fuisse in terram Chanaan ad domum scilicet paternam, ibique peperisse filium vnum, ex Ge-
36. 4. nesi perspicuum est.

Interea autem *egressus Iacob de Bersabee pergebat Haran.* Et quidem, non vt XXV. *Iter Iacobi.*
olim Eliezer, cum magna pompa camelorum, munerum, sociorum, sed vel solus, vel perexiguo comitatu, & rerum inops; vt postea rediens Deo gratulabundus diceret, *se cum baculo transisse Iordanem*, tunc autem, *cum duabus regredi turmis*. Sed nimirum hic apparatus fugitiuo conueniebat, qui sic facilius latere poterat, ne flagrante adhuc ira irrueret in eum Esaü, ac perderet. *Cúmque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit vnum de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco.* Quod simultatem haberet cum ea gente, vt
l. 2. c. 18. Iosephus ait, nollétque, aut non auderet, vt Tostatus, ad quemquam diuertere, sed sub dio quiesceret, lapide vice puluini, capiti subiecto. At textus Hebraicus, & Græcus, & Chaldæa paraphr. significat id casu contigisse, quod solis occasu, & tenebris, dum progredi festinat, maturius oppressus esset, quàm posset in aliquod oppidum diuertere; vt Caiet. quoque animaduertit, & longè antè Chry-
hom. 54. sost. *Vidisti ineffabilem*, inquit, *vitæ philosophiam? vidisti quomodo veteres iter faciebant?* Et paulò pòst, *Peregrinatur, neque iumentis egebat, neque ministris, neque viaticis, sed Apostolicum morem imitatus iter facit, & cùm occumberet sol, ibi dormiuit, vbi eum nox comprehendit.* Nec id fortasse ei nunc primùm contigit; certè non postremùm. Nam
c. 31. v. 40. postea verè vtique, conquerens cum Labano socero, se nocturno gelu, & diurno æstu adustum refert.

In somnis autem celebratissimam illam scalam, mysteriisque plenissimam vidit, quæ cœlum terræ, diuinitatem humanitati in Messiæ persona coniungeret, in XXVI. *Et visio scala.*
summo Deus esset, æterni Verbi pater, in imo Iacob eiusdem secundum carnem

pater. Interiecti gradus, funt perfonæ, per quarum generationem ortus eft Chriftus. Hanc vifionem fic intellexit Sapiens cùm ait Dominũ *oftendiffe Iacobo profugo regnum Dei*, propter vifum Deũ, quafi regni eius regem, & Angelos, quafi aulicos mandatis eius obfequentes, vota hominum deferentes ad Deum, & Dei beneficia deferentes ad homines. Accepit & promiffiones patri, auóque factas, de promiffione Chananitidis, de copiofa pofteritate, ipfóque Meffia, in quo benedicendæ effent omnes tribus terræ, ex eius femine orituro. De peculiari denique Dei erga ipfum cura, & prouidentia.

XXVII. *Religiofus locus Bethel.* EVIGILANS autem Iacob ex diuina apparitione, religiofum effe eum locum intellexit, & à Deo peculiariter electum, vt ibi honoraretur: & meritò, iam enim ibi olim, ante centum fexaginta tres annos, Abrahamus Deum audiuerat dicentem, *Semini tuo dabo terram hanc*, & ibidem altare erexerat. Quanquam Hebræi quidam crediderunt Bethel effe montem Moria, quod Bethel fignificet domum Dei, quæ poftea in eo monte excitata eft. Sed eo argumento nihil concluditur, & eos zelus templi fui aliquãdo fallit. Et perfpicuum eft ex defcriptionibus Hier. & Burchardi, & Adrichomij, longè etiam effe Bethel à monte Moriah aut Hierofol. Certè Hierony. in locis Hebr. *Bethel*, inquit, *vicus in duodecimo ab Aelia lapide, ad dexterã euntibus Neapolim* (id eft Sichem) *quæ primùm Luza, id eft Amygdalum, vocabatur, & cecidit in fortem tribus Beniamin.* Verùm nunc religiofior etiam, & auguftior reddebatur hic locus, ex tam illuftri vifione, in qua *dedit illi* Dominus *fcientiam Sanctorum*, vt ait Sapiens, fiue cognitionem de rebus diuinis, quam fancti habent, diuinæ circa res humanas prouidentiæ; diuini in Mundi reparationem myfterij, diuini ac religiofi cultus accepti Deo; qua cognitione illuftratus, *Tulit lapidẽ quem fuppofuerat capiti fuo, & erexit in titulum, fundens oleum defuper.* In qua denique vifione ex diuina præfentia horrore concuffus eft, *Pauénfque ait, Quàm terribilis eft locus ifte. Timuit autem*, inquit Caiet. *diuinum iudicium, quemadmodum confueuimus timere nouiter præfentes princips fapientis, ne aliquid ipfi difplicens appareat in nobis.* Gen. 13. 8. Sap. 10. 10.

XXVIII. *Quòd lapis erectus in titulum,* CÆTERVM lapis erectus in titulum non fignificat ibi erectum altare à Iacobo, in quo facrificaretur Deo, fed illum ipfum lapidem, quem non magnum fuiffe intelligimus, humi infixum erexiffe in modum cippi, vt effet fignum, fiue monimẽtum diuinæ vifionis, non illius adorandi caufa, quod prohibetur in Leuitico, & notauit Auguftinus, quin potius vt ex hac peregrinatione reuerfus, ibi Deum iterum honoraret, vt patet Gen. trigef. quinto, vbi iubetur à Deo non reftaurare, fed *facere altare Deo, qui apparuerat ei, quando fugiebat Efaũ fratrem fuum.* Inftillauit autem oleum in fummitate lapidis, *vt Deo honorem exhiberet*, inquit Del Rio, *& ei creaturam fuam libaret, & lapidem, diuinæ gratiæ indicem, ita quodammodo honoraret.* Aut certè, vt fignificat Auguftinus, *in honorem Chrifti fibi reuelati, qui ab vnctione dictus eft: & lapide, fiue petra figuratus eft.* c. 26. v. 1. l. 16. de ciu. c. 38. v. 1. l. 16. de ciu. c. 38.

XXIX. *Iacobi votum.* ADDIT poftremò votum, quo alludens ad prõmiffionem fibi diuinitus paulò antè factam, de peculiari illius erga fe prouidentia, vt fignificat Chryf. vt fe gratum exhibeat Deo, fpondet, fi ea fibi affuerit, fe illi perpetuò peculiari ratione feruiturum; locum nimirum iftum in rei huius memoriam honoraturum, & in Dei cultum confecraturum. Deniq; decimas de omnibus bonis fuis Deo oblaturum. Nec illud, *fi*, videtur dubitantis, fed acceptantis. Si quæratur autem à Caiet. cui facerdoti dandæ effent iftæ decimæ. Refpondet nulli, fed in honorem Dei offerendas Deo, iuxta ritum tunc folitum. *Et fic*, inquit, *quod erat confuetum comburi, comburebatur facrificando, reliquum autem comedebatur, non tanquam cibus prophanus, fed tanquam aliquid Deo oblatum; vt mos erat offerentibus ad facrificandum, participes effe facrificij, ac libaminum.* hom. 54. f.

XXX. *Progreditur, & accelerat Iacob.* HIS ita perfectis, progreditur Iacob Mefopotamiam verfus, quinto vt videtur die, ex quo exierat domo, tridui enim erat à Berfabee ad montem Moria, vt fupra dictum eft. Inde autem ad Bethel duodecim lapides numerat Hieronymus. Verùm quoniam credibilius eft eum rectiore itinere progreffum, &, vt in fuga, magnis itineribus progreffum, adeo vt deficiente die, fub dio pernoctarit, rectius dicitur triduo perueniffe in Bethel, & quarto die cœptũ iter carpere cœpiffe, idq; feptem vel octo aliis diebus confeciffe. Et omninò fallitur Abulenfis, cum à Berfabee ad Bethel iter vnius diei effe putauit, cùm fit vltra Hierufalem. Cæterum Gen. c. 29. 1 Gen. 22. 4.

prope raffe

properasse Iacobum innuit ille Hebraismus, *Leuauit ergo Iacob pedes suos*, phrasin retinuere Septuaginta, Sic dicit herus famulo, quem iubet properare, *haut le pied, double le pas*.

Pervenit tandem in Mesopotamiam, & ad oppidum Haran, vbi sciscitatus de familia auunculi sui, agnouit Rachelem consobrinam suam, quæ gregem pascebat, cui vt gratificaretur solito maturius reuoluit lapidem ab ore putei; aut certè sola tunc Rachel cum grege patris expectabatur, & Iacob, vnà cum cæteris pastoribus amouit operculum, vt ait Chrysostomus. Tradunt tamẽ Hebræi, id eum solum amouisse, eámque fortitudinem fuisse signum generis Abrahæ. *Et adaquato grege osculatus est eam, & eleuata voce fleuit, & indicauit ei, quod frater esset patris sui*, id est cognatus, nepos scilicet esset Bathuelis, *& filius Rebeccæ*. XXXI. *Peruenit in Mesopotamiam, & agnoscit Rachelem.*

hom. 55. c. 29. 11. Fagius.

Nvgantvr hîc Hebtæi more suo. Aiunt enim fleuisse Iacob, quod non haberet inaurem, & armillas aureas, quas daret Racheli, vt fecerat Eliezer Rebeccæ, & domo quidem eum attulisse huiusmodi munera, sed à primogenito Esaü spoliatum fuisse. Hæc illi audacter excogitarunt, quæ fusè refellit Abulensis, & meritò; cùm Scriptura satis apertè eas lacbrymas tribuat teneritudini affectus erga consanguineam, quam iam tum fortè cogitauit sponsam sibi à Deo paratam. Sed non minus arguendus est Iosephus, qui Rachelem penè procacem facit, vltróque irruentem in amplexus viri, nunquam antea cogniti, *Præ amore patris*, inquit, *lachrymabunda ruit in collum eius, complexóque iuuene, Optatissimam, inquit, & maximam voluptatem affers patri*, &c. Non benè interpres pro Iacobo iuuenem posuit, cùm seni propior esset, quàm iuueni. Sed hæc rursum postea viderimus, nunc quæ reliqua sunt anni huius expleamus. XXXII. *Nugæ Hebræorum.*

1. x.

Rachel hoc accepto nuncio, *Festinans nunciauit patri suo*. Credibile est eam antecessisse cum aliquo famulo, relicto grege sub pastorum cura, Iacobum autem lento gradu subsecutum esse, vel potius iure propinquitatis comitem ei se vsque ad suburbium dedisse; nam puteus hic longiusculè aberat ab oppido, vt ait Abulensis; alioqui enim si in suburbio fuisset, vt putauit Iosephus, frustra Iacob petiisset à pastoribus, vnde essent. Cùm ergo Laban *audisset* à filia, *venisse Iacob filium sororis suæ, cucurrit obuiam ei, complexúsque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam*. XXXIII. *Excipitur à Laban.*

Avditis *autem causis itineris*, in Hebræo est, *& narrauit ipsi Laban omnia verba hæc*, quæ scilicet domi contigerant, causásque duas susceptæ peregtinationis, & quidem sine vllo apparatu; subitam scilicet profectionem ob metum fratris, & causam nuptiarum. Forte etiam addidit quæ in Betbel, & ad fontem sibi contigerant, vt olim Eliezer; id est ante annos nonaginta octo (tot enim conficiunt anni Iacobi, iuncti annis sterilitatis Rebeccæ.) quando iam tum domum regebat Laban; nunc ferè centum viginti quinque annorum esse potuerit, si placet Labanum tunc fuisse viginti septem annorum. XXXIV. *Cur enarrat causas itineris.*

Respondit Laban, *os meum es & caro mea*, id propinquus, & consanguineus, significans tutum ipsum apud se fore, & nuptiarum affinitatem facilè coaliturum. Mense autem euoluto dixit ei Laban, *Num quia frater* (ex sorore nepos) *meus es, gratis serues mihi? dic quid mercedis accipias?* Significat iam gratis seruire cœpisse mense illo. neque enim credibile est mensem comedendo, & fabulando consumpsisse. Iosephus ait iam tum præfectum fuisse magistris gregum suorum. Abulensis seruisse etiam putat, probante Labano, an foret vir industrius, antequam cum eo quidquam pacisceretur. At D. Chrysostomus ait eum tum quasi in domo propria impauidè, & ab omni cura liberum egisse. XXXV. *Mensem vnum apud eum manet.*

hom. 55.

Habebat *verò duas filias, nomen maioris Lia, minor verò appellabatur Rachel, sed Lia lippis erat oculis*. Hebraicè teneris, mollibus, delicatis רכות racoth. Septuaginta ἀσθενεῖς, infirmis, qui scilicet vehementia obiecta ferre non possunt, & si connitantur, coguntur ad lachrymas, quod ad quandam lippitudinem pertinet. Sic Abülensis hoc loco, vbi & narrat Hebræorum fabulam, de causa lachrymarum, timorem scilicet ne daretur in vxorem Esaü, quam & refutat: eum vide. At Iosephus habet τὴν ὄψιν οὐκ εὐπρεπῆ, interpres vertit, *facie non admodum liberali*, at de aspectu, & oculis agitur. Fortè rectius, *Et visu parum decoro*. Iosephum secutus Chrysostomus ipsi ἀμορφίας σώματος non semel attribuit, & sanè hoc vitium non reddebat pulchriorem. Et tamen Onkelos pulchros expli- XXXVI. *Liæ oculi.*

hom 56.

cat, quia teneritudo aliquando pulchritudinem significat. *Erat enim*, inquit Caiet. *indigesta materia oculorum, nec redacta in naturalem soliditatem*, ex qua scilicet humidiore temperie oculi proni sunt ad lachrymas, & pupillæ suis orbibus quodammodo innatare videntur, vt ait Del Rio.

XXXVII. *Rachelem ambit Iacob, quæ & promittitur à patre.* RACHEL *autem erat decora facie, & venusto aspectu. Quam diligens Iacob ait, seruiam tibi pro Rachel, filia tua minore, septem annis.* Quoniam licet ex opulenta familia oriũdus esset, illiúsque destinatus esset hæres, inops tamen rerum, ac pene nudus inde venerat; famulatum offert socero, ad contrahendas coëmptione nuptias, loco pecuniarum & munerum. Consentit Laban. *Melius est*, inquit, *vt tibi eam dem, quàm alteri viro, mane apud me.* Nec tamen vicissim quidquam sponder in dotem, parcus in promissis, & in promissorum exhibitione fallax, vt mox dicetur. Sponsalibus ita contractis, nuptiæ, congressúsque maritalis in septennium integrum differuntur.

1. XXXVIII. *Quæ hic rursũ peccat Iosephus.* HÆc hactenus à Iacob in Mesopotamia gesta; quæ haud scio an benè à Iosepho repræsententur, siue quia in suburbio pastores inuentos ait, quod reddit ineptam Iacobi interrogationem, *Fratres vnde estis?* vt antè ex Abulensi notauimus, qui putat Labanum in pascuis tum fuisse, & cum Iacobo in vrbem venisse. Siue *2. In Rachelem.* quia Rachelem inuerecundiorem facit, cùm ignotum adhuc hominem alloqueretur. *Pastores*, inquit, *ei Iacobum ostendunt, dicentes, hospitem de ipsius patre sciscitari. Quæ puellariter gauisa Iacobi aduentu, rogabat quisnam, & vnde ad eos veniret, & cuius rei causa.* (At nondum sciebat vtrum ad eos veniret,) *addens optare se vt possent illi gratificari, quacunque re opus haberet.* Sed inuerecundius etiam postea in hospitis amplexus ruit, priusquam ille à parentibus, aut cognatis esset admissus. Siue quia Iaco- *3. In Iacobũ.* bum amatorem intemperantem inducit, qui visæ puellæ forma, statim captus sit, præ qua etiam cognationem parui fecerit. *Iacobum verò*, inquit, *non tam cognatione, aut eius affectu, quam insigni puellæ forma captus, obstupuit, vt qui perpaucas viderat pulchritudine huic conferendas.* Scriptura tamen motum animi eius, & fletum, quem Iosephus omittit, cognationi tribuit.

l.1.ant.c.19

4. XXXIX. *Et in Laban.* SIVE quia Labanum parum hilarem hospitem exhibet, vt in singulas personas peccare voluisse videatur; cùm enim Moyses testetur, illum, audito Iacobi filij sororis suæ aduentu *cucurrisse obuiam ei*, senilis oblitum grauitatis, eundem complexum esse, & in oscula ruisse. Iosephus horum omnium oblitus, nisi ea sponte præteriit, in Labanum paulò iniquior. Hæc tantùm. *His dictis*, inquit, *adduxit eum* Rachel *ad Labanum, & agnitus ab auunculo, tum ipse fuit securus iam apud suos, tum illis inexspectato aduentu magnam voluptatem attulit.* At non oportebat hominem, parum alioqui laudabilem, hac vna, quam ei Scriptura tribuerat, laude priuare.

c.29.

5. XL. *Ineptè illi affictа cunctatio.* SIVE denique quia præter decorum, & Scripturæ narrationem, facit Labanum cunctantem in dimittenda in Chananitidem Rachele, cum id neque peteret Iacob, neque obtaret, vt pote cui in Haran habitandum esset necessariò, dum reuocaretur à matre, & furor fratris resideret; idq; iã illi Iacob accuratè narrasset. Et nihilominus ait Laban, *Opus esse vt Iacob aliquandiu secum maneat, in Chananaã enim non missurum filiam; quin & sororis*, nẽpe Rebeccæ, *in tã longinquam regionem nuptum datæ, propemodum pœnitere.* Ficta est isthæc pœnitentia Iosephi, nec digna venia. indecoram enim exprobrationem sapit, & querelam, quasi malè in Chananitide haberetur Rebecca. Et tamen his assentiente Iacobo, de septem annis est conuentum, post longam scilicet disputationem, cùm id primo verbo statim obtulerit Iacob.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2276.

N.XXXII.1. VERBA Iosephi sunt, [illegible] *l.1.ant.c.18 vel 19.*

ANNVS MVNDI 2277. DILVVII 621. TERTIÆ ÆTATIS 239. ISAACI 139. IACOBI ET ESAV 79.

PROMISS. 164. BELOCHI PRISCI 25. IMPERII ASSYRRIORVM 346.

ANTE CHRISTVM 1776.

Gen. 28. 6. c. 2. Gen. 28. 6. Gen. 25. 17. Gen. 16. 16 c. 21. 5.

I. *Paracbronismus Hebræorum circa mortem Ismaëlis, & nuptias Esau.*

CHRONICVM Hebræorum, cui nomen Seder Olam ait quo tempote Iacob benedictionem patris est adeptus, expleuisse sexages. tertium annum, eodémque temporis puncto mortuum esse Ismaëlem. Idque probare nititur ex eo, quod Scriptura ait, Esaü nuptiarum causa ad Ismaëlem venisse, cùm Iacob iam paternam benedictionem accepisset. Verùm iam satis intellectum est quatuordecim annos intetiectos, inter mortem Ismaëlis, & benedictionem Iacobi. Ismaël enim mortuus est anno centes. triges. septimo vitæ suæ, quo tempore Isaac agebat centesimum viges. tertium; quia minor natu erat quatuordecim annis, vt ex Genesi constat. At quando benedixit filium centesimum triges. septimum expleuerat, vt superiore anno probatum est. ergo Ismaël iam ante quatuordecim annos obietat.

2. Cor. 3. 14. 15.

II. *Deceptionis causa.*

SED fefellit Hebræos, pto cæcitate mentis, cum qua Scripturas legunt, quod Moses dicat eum iuisse ad Ismaëlem, non intelligentes id nomen familiam hoc loco, non personam significare, sicut passim nomen Israëlis, & Moab, & Ammon, & Edom, &c. eodem autem tempore mortuum esse aiunt, quo Esaü hasce nuptias contrahebat. *Nam nisi*, inquiunt, *mortuus fuisset Ismaël, non erat opera pretium dicere sororem Nabaoth. Cùm verò id pronunciauit Scriptura, docuit Ismaëlem quidem eam desponsasse ipsi Esaü, posteaque esse mortuum. At Nabaoth fratrem matrimonium absoluisse, ipsique Esau suam sororem à patre desponsatã collocasse.* Sed hæc, iã euerso fundamento, sponte corruunt. Nec dici potest inter sponsalia & nuptias 14. annos intercessisse. Nam quod habet Genebrar. ex Hebræorum traditione, Iacobum, accepta anno sexagesimo tertio benedictione, duodecim annos apud Heber proauum delituisse, eique ministrasse, merum figmentum est. Nam is à sexaginta iam annis mortuus erat, anno scilicet Isaaci septuagesimo nono, Iacobi decimonono.

Seder solã c. 2. Vide an. mundi. 2217.

Abhetraditio inepta.

III. *Quãdo hæ nuptiæ cõtigerint.*

QVANTVM autem intercesserit temporis inter profectionem Iacob, & nouas nuptias Esaü, Scriptura non tradit, in hunc tamen annum rectè differri posse existimauimus. Probabile enim est eum non tam cito Iacobi profectionem, quæ consultò celabatur, didicisse; & absentia cognita, potuit aliquandiu & locum, & causam ignorare, qua etiam intellecta, non est necesse eum statim nouarum nuptiarum cogitationem suscepisse, & in rem deduxisse.

Videns ergo Esaü quod benedixisset pater suus Iacob, posteriore scilicet benedictione, quæ fuit prioris confirmatio, vt vult Abulensis, in effectum fœlicium nuptiarum, nam de priore non agere, patet ex eo quod subdit, post benedictionem prohibitum contrahere affinitatem cum filiabus Chanaan; cuius rei nulla in priore mentio facta fuerat. Ipse ergo agnoscens suam cum iisdem affinitatem hoc ipso illi ingratam esse, ratus se patri gratificaturum, & suis, vt ait Iosephus, si vxorem de sua cognatione acciperet, *iuit ad Ismaëlem*, familiam scilicet Ismaëlis, & sororem Nabaioth patruelis sui duxit vxorem. Scriptura eam hoc loco vocat Maheleth, capite autem trigesimo sexto Basemath, quo modo illam hic appellat Iosephus. Istam autem nouam vxorem deductam fuisse in terram Chanaan, ad domum scilicet paternam, vbi spetabat hanc affinitatem accepram fore, ibidémque peperisse Rahuel, constat ex cap. triges. sexto; quanto autem post tempore, non constat: sicut nec an huiusmodi matrimonio sperauerit se benedictiones aui sui Abrahæ, & patris sui Isaac, à Iacobo deriuaturum in se, posterósque suos.

1. 3. c. 37. 1. 2. c. 17. versu 3.

ſignant. Ecquis enim ſecundum Deum ſanctorum omnium, & Iuſtis & pœnitentibus potum deuotionis, & contritionis humanius præbet, & ad eorum captum, & modũ ſapientius attemperat; ſed & vltro non rogata effundit peccatoribus aquam timoris Domini, vt bibant & reſipiſcant. Quin etiam eo ipſo tempore, quo fit ſponſa Spiritus ſancti, accepto ab Angelo nuncio, abit cum feſtinatione in montana, vt Elizabetham, quæ grandis natu, & cognata illi erat, inſtar matris, viſitet, ei annunciet mirabilia Dei, illi denique officioſè famuletur.

5. Ancillam agit Rebecca in opulenta familia: B. Virgo Regum progenies ancillam ſe nominat, & in domo fabri lignarij, & cognatæ non modico tempore famulatur.

6. hom. 49. in Gen. DIV ſterilis Rebecca, aliquando concipit ac parit; in figuram, vt ait Chryſoſtomus, virginis pariturae. Illa Abrahæ, & Iſaaci Patriarcharum precibus fœcundatur; hæc conſonis omnium iuſtorum ab orbe condito precibus, accipit cum virginitate fœcunditatem: Et vtriúſque vnicus partus patrem, ac Patriarcham populi Dei edit in lucem. VI. *Et cum ſterilitate fœcunditas.*

7. Rebecca benedictionem Eſaü primogenito deſtinatam interuertit, ac transfert in Iacob, quem liberat à morte, & perſecutione maioris fratris; mittit in Meſopotamiam, vbi mirabiliter creſcit, ac locupletatur: Beatiſſima Virgo benedictionem hæreditatis gratiæ & gloriæ deſtinatam filiis Abrahæ, & Iſaaci ſecundum carnem, meritis ac precibus ſuis tranſtulit in ſecundo genitos Chriſtianos, quos à Iudæorum diris perſecutionibus eripuit; & in gentibus mirabiliter auxit, ac locupletauit. *Tranſlata benedictio.*

8. Vtriúſque vita diuturna, vtriúſque mors in Scriptura præteritur, vtraque poſt mortem glorioſa, vtraque animo, altera etiam corpore triumphat in cœlis.

IN hunc ipſum annum Iacobi octogeſimum, refert Rubeni natiuitatem Chronicum Alexandrinum: vtique non rectè, non enim effluxerant ſeptem anni primi ſeruitutis, quos conſtat præteriiſſe, antequam daretur coniux Iacobo. Ij autem non cœperunt, niſi anno vitæ ipſius ſeptuageſimo octauo. Conſequenter etiam improbandum eſt quod ait, Simeonem procreatum anno eiuſdem octogeſimo primo, Leui octogeſimo tertio: itaque tota deinceps ea Chronologia quæ nititur hoc fundamento, neceſſario erronea eſt, cuius etiam falſitas agnoſcitur ex eo, quod non ſeptem, vt Scriptura, ſed duodecim annos attribuit procreationi duodecim liberorum Iacobi. Sed Rebeccæ ſepulchrum hoc Epitaphio honoremus. VII. *Vitioſa Chronologia Alexandrina.*

EPITAPHIVM REBECCÆ.

CONDITA EST IN HAC SPELVNCA DVPLICI, ILLA REBECCA, PVELLA QVONDAM DECORA NIMIS, VIRGOQVE PVLCHERRIMA: IN QVA DECOR CVM OFFICIOSISSIMA CHARITATE, DEMISSIO ANIMI CVM DIVITIIS, STERILITAS CVM FOECVNDITATE CERTABAT. ILLA REBECCA QVÆ ITA IN OPVLENTA FAMILIA EGIT ANCILLAM, VT MAXIMARVM FAMILIARVM DOMINA FACTA FVERIT: ITA IPSOS VIGINTI ANNOS STERILIS FVIT, VT DVAS DENIQVE GENTES VNICO PARTV, DVOSQVE POPVLOS ENIXA SIT. HÆC EST ILLA CONCILIATRIX BENEDICTIONIS, ET PRIMIGENIÆ DIGNITATIS POPVLO DEI: ET QVAM LABANI QVOQVE AC BALTHVELES BENEDICTIONE PROSEQVVNTVR. HÆC EST ILLA ISAACO DIVINITVS PRÆPARATA CONIVNX, ABRAHAMI NVRVS ET NEPTIS, ET MAGNI ISRAELIS PARENS. IN QVAM VT LAVDES OMNES, VIRTVTVMQVE ORNAMENTA CONGERANTVR, NIHIL HABET MAGNIFICENTIVS, QVAM QVOD BEATISSIMÆ VIRGINI MATRI SIMILLIMA FACTA EST, ET INCOMPARABILI, POTVIT ALIQVO MODO COMPARARI. VIXIT DOMI CVM PARENTIBVS ANNOS XIV. CVM ABRAHAMO XXXV. CVM ISAACO C. OMNINO CXIV. OBIIT A CONDITV RERVM CIƆ CIƆ CCLXXVIII. ANTE CHRISTVM CIƆ DCCLXXV.

ANNVS MVNDI 2283. DILVVII 627. TERTIÆ ÆTATIS 245. ISAACI 145. IACOBI, ET ESAV 85. RVBEN 1. PROMISS. 170. BELOCHI PRISCI 17. IMPERII ASSYRIORVM 352.

ANTE CHRISTVM 1770.

I. *Matrimonium Iacobi cum Rachele.*

QVADRAT in hunc annum illud Scripturæ. *Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* (Gen. 29. 20.) Maiori quippe, ac diuturniori labore dignam putabat, quamuis, si rationem sui haberet, amoris magnitudo, cuius est quam maximè vnionem, ac fruitionem optare, & spe dilata affligi, id tempus valde diuturnum videri faciebat; vt pluribus disputat Abulensis, & post eum Pererius, quæ est mens diui Augustini. (q. 2. in hoc cap.) *Dixítque ad Laban; Da mihi vxorem meam, quia iam tempus impletum est, vt ingrediar ad illam.* Vxorem vocat, quod iam à principio septennij intercesserat consensus partium, & verum erat matrimonium, sed ex eorundem consensu matrimonij consummatio in septem annos suspensa fuit, vt placet Abulensi quæst. tertia & Pererio, & Del Rio. (n. 17. qu. 88. in Gen.) Et certè Laban in præsenti consentiens dixerat, *Melius est vt tibi eam dem, quàm alteri.* (n. 20.) Et supponitur etiam præsens Rachelis, & Iacobi consensus. Expleta verò iam conditione, & sublato omni impedimento, ad externam decentiam celebratæ sunt nuptiæ, & conuiuium cum multa amicorum frequentia.

II. *A Labano interpellatur.*

SED mox subsecuta est fraus Labani, maiori filia in locum minoris substituta. Eam ad rem tenebrarum opportunitatem captauit; cùm id tempus, ex laudabili consuetudine, non nectendæ fraudi destinatum esset, sed vt virginali verecundiæ consuleretur. Fauit & fraudi, ritus obnubendi, seu velandi sponsam, ex quo nuptiarum tractum est nomen. In testamento Patriarch. Rachel. (cap. 3.) *Seduxit me,* inquit, *pater meus, & transferens me nocte illa, non permisit me videre, quoniam si fuissem illic, non factum fuisset hoc.* Quod autem nocte ipsa fraus patefacta non fuerit, silentio & modestiæ virginis, & sponsi bonitati, ac minimè curiosæ simplicitati tribuendum est, diuus Chrysostomus τὸ ἄπλαστον hic in Iacobo notat. (hom. 56.)

III. *Et quidem cum multiplici culpa.*

ET peccauit sanè Lia, quæ in hanc grauissimam fraudem multis criminibus
implicatam consensit, sed nihil ad Labanum. Nam illi puellaris simplicitas, &
impositum parentis mandatum, & spes futuri matrimonij, & pudor contem-
ptus, nonnihil patrocinari potest. Laban verò fit leno filiæ suæ virginis, quam 1.
producit in stuprum ei, quem sciebat non esse maritum; fit reus adulterij, qui fi- 2.
liam suam permittit coniugato viro; incestus quoque, quia Lia affinis erat Iaco- 3.
bi in primo gradu, vtpote vera soror, veræ coniugis Rachelis. Fiebat & reus 4.
pellicatus, nam si Iacob eam ducere noluisset in vxorem, vt poterat non du-
cere, nec viciatam abiicere, eam pellicem habiturus erat. Sed fuit insuper reus 5.
perfidiæ, pacta & promissa, etiam cum graui diuturnæ seruitutis onere con-
iuncta, violando, quod vnum crimen accusat in socero Iacob. *Nonne pro Ra-
chel,* inquit, *seruiui tibi, quare imposuisti mihi?* Cur tibi visus sum idoneus, in
quem in hunc modum illuderes? Fuit & iniustitiæ reus in Rachelem, cui 6.
eripiebat maritum, si is monogamus esse, & consulere honori Liæ voluisset; 7.
in Iacobum, quem in matrimonium ingratum quodammodo adigebat. In 8.
Liam, quam amissa virginitate infamiæ periculo obiiceret, nisi Iacob illius mi-
sertus esset, & meretricij, in quod illa fortasse, pudore sese, ac desperatione
præcipitasset.

IV. *Inanis eius excusatio.*

NEQVE vero vllam habet vim illa excusatio. *Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradamus ad nuptias.* Tum quia vel nulla erat talis consuetudo, sed eam ipse fingebat, vt vxorem genero obtruderet, quam ille nolebat,

hom. 56.

& eum vel inuitum diutiùs in suo famulatu retineret, vt ait Chrysostomus, licet id tribuat amori Laban in Iacob; vel si erat, eam iam ipse violarat ante septennium, Rachelem promittendo, & reipsa dando in matrimonium, & mox, cum offensione hominum, Rachelis nuptias, quam iuniorem esse constabat, publicè celebrando. Denique ea consuetudo si obseruanda fuit, cum fraude, & iniustitia, & tot criminibus obseruanda non fuit. Hæc pluribus Abulensis, ex quo Pererius, & Del Rio.

q. 4. 5. & 6. in hoc cap.

V. *Remedium in geminādo cōiugio.*

ISTIS autem omnibus malis offert remedium Laban, vt vtrámque in vxorem habeat, & Liam quidem iam nunc, per mutuum consensum in matrimonium, quo præcedens culpa honestabatur. Rachelem verò post septiduum, quo nuptiale conuiuium celebratur, vt clarius habetur in Samsonis nuptiis; quod notauit D. Augustinus; sed ea tamen conditione, vt septem alios annos pro ipsa famularetur socero suo, priori septennio pro coëmptione Liæ computato. *Imple*, inquit, *hebdomadam dierum huius copulæ; & hanc quoque dabo tibi, pro opere, quo seruiturus es mihi septem annis aliis. Acquieuit placito, & hebdomada transacta Rachel duxit vxorem, cui pater Balam ancillam dedit.* Sicut ante Zelpham dederat Liæ. Scribit Genebrard. ex Hebræis, & habetur in Seder Olam, Liam & Rachelem fuisse gemellas, & vtrámque in his nuptiis annum egisse vigesimum secundum, quod possumus impunè credere, dum nihil occurrit probabilius. Nec obstat quod Lia maior dicatur, sicut Esaü Iacobo maior appellatur, licet gemini fuerint.

c. 14. 5. 17. qu. 89. in Gen.

c. 1.

cap. 8.

VI. *Balæ genus.*

FVIT hæc Bala, si authori Testamenti Patriarcharum credimus, filia Rhethæi, fratris Deboræ, nutricis Rebeccæ, quæ Bala eadem die, qua Rachel nata est. Erat autem Rhethæus de genere Abraham Chaldæus, Deum venerans, liber & nobilis; sed cùm esset captiuus emptus est à Laban, & dedit ei Euam ancillam suam in vxorem, quæ peperit filium, & vocauit eum Zelipham, cognomine castelli in quo, captus erat. Deinde peperit Balam dicens, *Nouiter festinans filia mea.* Confestim enim nata festinauit lac sugere. Hæc ibi.

VII. *Secūda nuptiæ Iacobi post septiduum.*

PERGIT autem Moses, *Tandémque potitus optatis nuptiis amorem sequentis priori prætulit.* Et meritò sanè, vel hoc titulo, quod Lia in fraudem consensisset, & matrimonium cum ea penè coactum fuisset. Porrò textus apertè docet post septem dies, non autem post septem alios annos, Rachelem Iacobo fuisse permissam, vt notauit Hieronymus, & August. Alcuinus, Aben-Ezra, Seder Olam cap. secundo, Tostatus, Perer. Del Rio, Eugubinus, Genebrardus, quem miror citare Seder Olam pro contraria sententia; aut certè eum ipse parum fideliter vertit. Iosephus tamen, & Chrysost. post alios septem annos datam Rachelem putant, quod si verum esset, vt alia taceam, nullum haberet locum Rachelis æmulatio, & querela. Verùm quoniam in Iosephi mentionem incidimus, eum de more paucis conueniamus.

in tradit. q. 89. in Gen. hom. 56.

VIII. *Iosephi hac de re narratio.*

ELAPSO, inquit, *præstituto tempore Labanus epulum nuptiale apparat: noctu verò, non sentiente Iacobo, inducit in thalamum alteram filiam Rachele maiorem natu, facieque non admodum liberali. At ille, vino & tenebris fallentibus, congressus est cum ea: luce deinde cognito errore expostulauit cum Labano. Ille veniam petebat necessitati, qua compulsus hoc fecerit. Non malitiosè, inquit, Liam supposui, sed consuetudine regionis huius cogente: nihil tamen hoc oberit Rachelis coniugio, sed dabo eam tibi videnti, ac scienti post alterum septennium. Passus est hoc sibi persuaderi Iacobus, nec enim aliter facere poterat, amore puellæ deuinctus; & exacto altero septennio Rachelem duxit. Erant autem ambabus famulæ additæ à patre, Zelpha Liæ, Racheli Bala, nequaquam ancillæ, subditæ tamen: sed Liam malè habebat amor mariti, quo sororem prosequebatur, expectabátque post partum se fore in precio, idque assiduis precibus à Deo contendebat.* Hæc ipse.

IX. *Examinatur.*

IAM de hac parum liberali facie dictum est suprà, in eáque interpretem potiùs, quàm Iosephum arguendum videri. In eo verò ipse arguendus videatur,
1. qui ex suo cerebro, fortassis & moribus, certè sine vllo Scripturæ testimonio, sanctissimum Patriarcham ebrietatis accuset, dum deceptionem non tenebris solùm, sed vino quoque, parum sobriè tribuit. Arguendus quoque qui parum decorè
2. veniam à Labano petitam dicit, culpam in necessitatem reiiciente. cùm enim ora-

tio irrisio potiùs sit, quàm veniæ petitio, præsertim cùm necessitas, quæ prætenditur, nulla esset. Arguendus tertiò quod post alterum septennium dicat Rachelem traditum iri, cùm Scriptura de hebdomada dierum testis locuples sit, non annorum: & Laban septem alios annos seruire iubeat; non expectare. Nam quomodo hoc secundo septennio Lia pariente Rachel diceretur sterilis? quid mirum si nullam viri consuetudinem habebat. quomodo post filios à Lia genitos, Rachel ait marito, *Da mihi liberos, alioqui moriar*; cùm septennium constitutum nondum esset elapsum? Nónne probarat se sterilem, quando suo loco substituit Balam? 3.

X. *Eius æmulatio pro Patriarcharum matribus.* ARGVENDVS quartò, quod dum æmulatur pro natalibus Patriarcharum, qui ex Bala, & Zelpha nati sunt, eas ingenuas esse vult, sed subditas, non ancillas; cùm tamen Scriptura toties eas ancillas vocet, & meritò, vt quæ pretij loco, & quasi in partem dotis, Racheli & Liæ datæ fuerint, vt existimat Del Rio. Nec apparet tunc libertate donatas (si quando tamen id eis beneficium collatum est) nam sic Laban non filiabus in suis nuptiis, sed ancillis gratificatus esset. Arguendus quintò, quod Liam iniustè accuset inuidiæ in sororem, ob amorem mariti in eam. Id enim Scriptura non habet, nec fortè intellexit Iosephus aliud esse, Liam doluisse se haberi contemptui, aliud doluisse sororem, quæ iustius erat vxor, & verius, à marito communi amari; prior dolor in culpa non est vt posterior; possumus enim dolere de malo nostro, non de alieno bono. Sed redeamus ad Iacobum. 4. [illegible] 5.

XI. *Secundo septennio duodecim liberi Iacobo nascuntur.* DVM autem Iacob secundo septennio Labano famulatur suscepit intra eos annos de quatuor mulieribus duodecim liberos, septem de Lia, vnum de Rachele, & quatuor de duabus ancillis. Qua in re difficultas est propter Liam quæ septennio septem peperit liberos, & tamen tandiu parere cessauit, dum Zelpha eius ancilla duos peperit, nec vlla earum gemellos ediderit. Itaque necesse est Liam duos eodem anno peperisse, alterum, initio, in fine alterum; idque contigit semel. Nec necesse est confugere ad septimestres partus, cum Chronico Hebræorum, quod secutus est Genebrardus. Ponamus ergo, vt placet Demetrio scriptori antiquissimo apud Eusebium, & Abulensi in hoc cap. in ea verba *Nato autem Ioseph*, & post eum Torniello, Liam denis quibúsque mensibus filium concepisse, ac peperisse, intra quadraginta menses peperit Ruben, Simeon, Leui, ac Iudam. Deinde per quatuordecim menses cessauit concipere ac parere, quo interim spatio Zelpha concepit ac peperit Gad, & concepit Aser. reliqui sunt triginta menses, quibus Lia concepit ac peperit Issachar, Zabulon, & Dinan. At Rachel post sex annos secundi septennij concepit, ac peperit Iosephum. Eius autem ancilla Bala, dum Lia, cessasset parere, concepit ac peperit Dan & Nephtali[1]. lib. 9. de Præpar. c. 4. 40 14 30 84 12|7 1. X.

XII. *Lia primum filium concipit ac parit.* ITAQVE dicendum est Liam sub huius anni principium, ipsásque nuptias concepisse; peperisséque primogenitum suum sub eiusdem anni finem, quem vocauit Ruben, & quamuis primus ipsius annus magna ex parte ad sequentem annum pertineat, Euseb. tamen eius primum annum hoc patris eius Iacobi octogesimo quinto ponit, in quo incepit, quemadmodum & Marianus Scotus, & tantò antè Demetrius, quod & nobis placuit, & Henrico Samerio. Nam in Eusebio Pontaci malè transfertur in octogesimum septimum. Torniellus maluit in octogesimum sextum, quod fermè in nostram Chronologiam incurrit. Plerique hunc locum tanquam periculosum scopulum saltu prætereunt, alij valde perturbant, quos infinitum sit referre, & inutile arguere. in Chron. Græc. & Lat. Scalig.

XIII. *Ortus Ruben.* RVBEN porrò nomen accepit à matre dicente, *Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.* significat enim, interprete Hieronymo, *filium visionis*; aut, vt alij, *videns filium*, aut, *videte filium*, facta videlicet voce à בן id est filius, & ראה id est videte; quam etymologiam haud scio an satis habuerit cognitam Iosephus, cùm ait, *Cúmque puer masculus natus esset, & maritus ob hoc propensior in eam factus, Rubelum nominauit, qui sibi miseratione diuina contigisset. Sic enim interpretatur hæc vox.* Et quis non videt filium visionis, à miseratione diuina toto cœlo distare? In hac autem perspicuè apparet diuinum iudicium, & eius in humilitatem amor. Lia coniugium scelere contraxerat, & à viro & sorore con- *humilitas.* [illegible]

tempta, dum contemptum humiliter, patientérque tolerat, quamprimum fœcunditate lætatur. Rachel dum amore coniugis, & propria pulchritudine insolescit, sine liberis multos annos manet, æmula interea quotannis pariente. Vt hic quoque dicere possis, *Respexit humilitatem ancillæ suæ.*

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2283.

N. XI. I. *Ordo natiuitatis Patriarcharū.*

DEMETRIVS autem quem dixi apud Eusebium Græcum lib. 9. de præpar. cap. 4. annos & menses horum partuum ita digessit. *Cùm igitur septem annos apud Laban auunculū commoratus esset, duas eius filias matrimonio accepit, Liam & Rachelem; cùm esset annorum octoginta quatuor, & nati sunt ei septem aliis annis liberi duodecim. Octauo quidem anno* (qui scilicet est patris octogesimus quintus) *mense decimo Ruben. Nono verò anno, eiúsque mense octauo Simeon. Et anno decimo, mense sexto Leui. Et anno vndecimo mense quarto Iudas.* Hactenus res clara & expedita, deinceps aliquot errata irrepsere, quæ corrigenda sunt ex Scriptura. Pergit ergo, refértque Rachelem, cùm non pareret, sorori inuidisse, & sociasse Iacobo ancillam suam Zelpham, (imò Balam, nam Zelpha fuit ancilla Liæ) eodem ipso tempore, & Balam cōcepisse Nephthalim vndecimo anno, mense quinto, & peperisse duodecimo anno mense secundo filium, & à Lia Gad vocatum esse (omittitur hoc loco Dan, & infrà, nec suo tempore ponitur, nec propriæ matri attribuitur.) Et ex eadem, eodem anno & mense duodecimo alterum peperisse, & à Lia vocatum esse Aser. Et Liam rursus pro malis mandragoræ, quæ Ruben attulit (& matri dedit) Racheli. Concepisse autem & ancillam Zelphā eodem tempore (imò Liam. Nam Zelpha prædictos tantùm duos Gad & Aser genuit) duodecimo anno mense tertio, & peperisse mense duodecimo eiusdem anni, eíque nomē imposuisse Issachar. Et rursus Liam decimo tertio anno, mense decimo alium filium peperisse, cui nomen Zabulon. Et eandem decimo quarto anno, mense octauo peperisse filium nomine Dan, (legendum filiam nomine Dinam; nam Dan fuit filius Balæ nō Liæ) in quo & Rachelem concepisse eodem tempore, quo & Lia peperit filiam Dinam; & peperisse decimo quarto anno mense octauo, eúmque vocasse Ioseph. Sícque natos esse apud Laban septem annis duodecimo liberos. Hactenus Demetrius. Quoniam ergo hæc menologia manca & imperfecta est, age schema proponamus natiuitatis Patriarcharum, quòd sequamur, tam Scripturæ, quàm rationi consentaneum, ex quo Demetrij dicta menologia suppleri atque emendari possit.

Gemini septenarij annus	Annus Iacob	Mensis	
8	85	1	
		2	
		3	
		4	
		5	
		6	
		7	
		8	
		9	
		10	nascitur Rubē
		11	ex Lia.
		12	
9	86	13	
		14	
		15	
		16	
		17	
		18	
		19	
		20	nascitur Simeō
		21	ex Lia.
		22	
		23	
		24	
10	87	25	
		26	
		27	
		28	
		29	
		30	nascitur Leui ex
		31	eadem.
		32	
		33	
		34	
		35	
		36	
11	88	37	Iacob ducit Ba-
		38	lan.
		39	
		40	nascitur Iudas
		41	ex Lia.
		42	
		43	
		44	
		45	
		46	
		47	nascitur Dan ex
		48	Bala.
12	89	49	Iacob ducit
		50	Zelpham.
		51	
		52	
		53	
		54	
		55	
		56	
		57	nascitur Neph-
		58	thali ex Bala.
		59	nascitur Gad ex
		60	Zelpha.
		61	
13	90	62	nascitur Issa-

Gemini septenarij annus	Annus Iacob	Mensis	
		63	char ex Lia.
		64	
		65	
		66	
		67	
		68	
		69	nascitur Aser ex
		70	Zelpha.
		71	
		72	nascitur Zabu-
14	91	73	lon ex Lia.
		74	
		75	
		76	
		77	
		78	

Gemini septenarij annus	Annus Iacob	Mensis	
		79	
		80	
		81	[Lia.
		82	nascitur Dina ex
		83	nascitur Ioseph
		84	ex Rachei.

Hactenus tabula mensium, quam deinceps sequuti sumus, excepto quod coniugium Iacobi cum Bala hoc loco tribus mensibus anteuertimus; & consequenter natiuitates filiorum Balæ: sed ea res nihil Scripturæ dispositionem, aut annos Patriarcharum turbat. Et æquè potuit Rachel conqueri de sterilitate sua videns Liam quarto partui vicinam, ac post quartum filium in lucem editum.

ANNVS MVNDI 2284. DILVVII 628. TERTIÆ ÆTATIS 146. ISAACI 146. IACOBI ET EASV 86. RVBEN 2. SIMEONIS 1. PROMISSIONIS 171. BELOCHI 18. IMPERII ASSYRIORVM 353.

ANTE CHRISTVM 1769.

I. *Ortus Simeonis.* NASCITVR hoc anno Simeon, sub medium anni octogesimi sexti patris, & fratris sui Ruben mensem decimum, iuxta ea quæ præcedenti anno constituta sunt. De eius ortu hæc habet Scriptura. *Rursumque concepit, & peperit filium, & ait. Quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi; vocauitque nomen eius Simeon*, quæ vox interprete Hieronymo auditionem, siue exauditionem significat, & obediētiam, quæ ab auditione deducitur; qua voce mater Dei benignitatem erga humiles, contemptósque prædicat. *Attende*, ait Chrysostomus, *quomodo per singulos pueros gratias agit Domino, & ob beneficia gratitudinem declarat*. Iosephus ait Simeonē à matre dictum, quòd ei se Deus exorabilem præbuisset. Gen. 29. hom. 56. l. 1. c. 19.

ANNVS MVNDI 2285. DILVVII 629. TERTIÆ ÆTATIS 247. ISAACI 147. IACOBI 87 RVBEN 3. SIMEONIS 2. LEVI 1. PROMISS. 172. BELOCHI 19. IMPERII ASSYRIORVM 354.

ANTE CHRISTVM 1768.

I. *Ortus Leui.* TERTIVS hoc anno exoritur Patriarcha, de quo Moyses; *Concepítque tertiò*, id factum præcedenti anno, *& genuit*, id est peperit, *alium filiū, dixítque, nunc quoque copulabitur mihi maritus meus*, speciali scilicet beneuolentia, quæ prius tota in sororem meam transfusa videbatur, *eo quod pepererim ei tres filios*; tribus ergo quasi vinculis colligabitur mihi, *& idcircò appellauit nomen eius Leui. Vbi nos legimus*, inquit Hieronymus in trad. (apud Septuaginta scilicet, πρὸς ἐμοῦ) *Apud me erit vir meus, Aquila inter-* Gen. 29. 34.

pretatus est, Applicabitur mihi vir meus, quòd Hebraicè dicitur, ילוה *ilaue; & à doctoribus Hebræorum aliter transfertur, vt dicant, prosequetur me vir meus, id est non ambigo de amore in me viri mei, erit mihi in hac vita comes, & eius dilectio me ad mortem vsque deducet, & prosequetur.* Sic ipse. Chrysostomus autem, *Videtur*, inquit, *mihi hic significari, quòd natis duobus filiis, nondum potuerit allicere virum, qui adhuc in Rachelem propensior erat: ideo dicit. Nunc temporis apud me erit vir meus. Fortassis accessio tertij virum meum reddet beneuolum, & melius mihi affectum. Ecce enim tres filios ei peperi.* Nec admodum abest Iosephus, qui interpretatur Leui, *βεβαιωτὴν κοινωνίας, firmatorem societatis.* Erit ergo Leui Consociatio, Copulatio, Coniunctio, animorum scilicet, sicut & corporum. Vides à tribus sensibus visu, auditu, & tactu tres primos Liæ filios nomen accepisse, quartum à locutione?

GEORGIVS Syncellus apud Scaligerum, negat Africano credendum, qui dixerit genitum fuisse Leui anno Iacobi octogesimo septimo; neque Eusebio, qui octogesimo sexto, quòd hinc sit consequens Iosephum natum anno patris nonagesimo sexto, vel nonagesimo quinto, quòd diuinæ Scripturæ repugnat. At eam consecutionem nunquam ipse demonstrauerit. Ex his interim habemus chronologiam nostram cum Africano consentire. Chronicum autem Alexandrinũ statuit primum annum Leui concurrere cum octogesimo quarto Iacobi, secundum cum octogesimo quinto, tertiũ cum octogesimo sexto. Hic ergo erit Leui quartus, quem nos primum ponimus; verùm ipsum falli anno Iacobi octogesimo manifestò conuicimus. Epiphanius ait in Anchorato genitum Leui octogesimo nono patris sui. II. *Ratio chronologiæ.*

Censuit Torniellus hoc ipso anno ante natum Iudam, Rachelem dedisse Balam viro suo in coniugem; sed cùm Scriptura id factum narret, post eiusdem Iudæ ortum, nihil anteuertendum existimaui; satiúsque duxi ancillarum conceptus, & partus, inter se ex parte concurrere.

ANNVS MVNDI 2286. DILVVII 630. TERTIÆ ÆTATIS 248. ISAACI 148. IACOBI 88. RVBEN 4. SIMEONIS 3. LEVI 2. IVDÆ, ET DAN 1. PROMISSIONIS 173. BELOCHI 20. IMPERII ASSYR. 355.

ANTE CHRISTVM 1767.

Gen. 29. 35. QVARTO *concepit, Lia, & peperit filium, & ait, Modo confitebor Domino, & ob hoc vocauit eum Iudam, cessauitque parere.* Et sanè maiorem opinor, æstimatione sua, confessionis, & laudis segetem Lia in hoc filio consecuta est; quandoquidem is fuit, de quo Saluator mundi oriturus erat; qui Liam Racheli dilectæ prætulit, fortasse pro eximio suo in humilitatem amore; quòd illa hanc modestia, atque animi demissione antecederet. Iudam Iosephus interpretatur *εὐχαριστίαν*, gratiarum actionem; Septuaginta, *ἐξομολόγησιν*, confessionem. *Veruntamen*, inquit Hieronymus, *hic confessio pro gratiarum actione, aut pro laude accipitur, vt frequenter in Psalmis, & in Euangelio.* Quo etiam modo Chrysostomus eam confessionem exponit. I. *Ortus Iudæ.* (hom. 56.)

CONTINGIT porrò natiuitas Iudæ quarto mense anni huius, vt numerat Demetrius, aut etiam matutius, vt vult Torniellus. Quo etiam tempore mirum in modum afflicta Rachel, se matrem vel vnius filij non posse fieri, quæ æmulam suam quatuor iam filiis lætam aspiceret, apud virum suum vocem effudit doloris sui testem. *Cernens autem Rachel*, inquit Moyses, *quòd infœcunda esset, inuidit sorori suæ:* non quod doleret de fœcunditate eius, aut vellet eam sterilem fieri, aut filios eius interire, sed quod, se miseram in eius comparatione agnoscens, de malo suæ sterilitatis doluit. Ita hanc inuidiam Abulensis, Peter. Del Rio interpretatur. Et II. *Rachel inuidet sorori.* (cap. 30. 1.)

ita hæc inuidia, à grauiore saltem culpa, facilè excusatur. Et hanc eius fuisse mẽtem innuit illa vox eius. *Da mihi liberos, alioquin moriar*, quæ vox frustra ab Hebræis in meliorem sensum trahitur, quasi voluerit Rachel, Iacobum precibus suis ei à Deo fœcunditatem impetrare, sicut olim Isaac Rebeccæ. Sed non vident isti dum Rachelem excusare moliuntur, se Iacobum accusare, qui eam reprehenderit tam iusta postulantem. Chrysostomus vocat *verba insipientia plena, inconsideratam, & muliebrem petitionem, anima ab æmulatione impugnata*. Nec tamen oportet existimare, eam vsque adeò dolore oppressam fuisse, vt manus sibi violentas se illaturam minaretur, sed tantùm vitam sibi grauissimam fore, & mortem optabilem; vt cum illa dicere posset, hom. 56.

Mors erit in votis, & mora mortis atrox.

Iratus est autem Iacob in eam; quòd præ animi sui ægritudine non agnosceret, fœcunditatem esse donum Dei; nec id à marito pendere, vt poterat animaduertere in sorore sua. Itaque respondet, *Num pro Deo*, siue loco Dei *ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui?*

III. *Offert Balam ancillã viro suo vxorem.* NIHILOMINVS desiderio prolis flagrans, constituit ancillam suam, vt Sara olim Agarem, suo loco substituere. *Habeo*, inquit, *famulam Balam, ingredere ad illam, vt pariat super genua mea.* Vt pariat filium, ait Abulensis, quem mihi imputem, & gestem ego, & nutriam super genua mea; & gaudeam de ipso, ac si esset meus, & ego postea eum adoptem in filium. Vtique ratiocinabatur filios Balæ proprios sibi fore; sicut eorum mater ad se pertinebat. Ergo dedit illi Balam in coniugiũ, & suum cum ancilla honorem communicauit, vt fœcunditatis eius quoquo modo particeps fieret. Nec timuit ne illa insolesceret, vt Agar, quia ista ægritudo animi, cæteras omnes curas, cogitationésque absorbebat.

IV. *Consentit Iacob.* IACOB autem, etsi satis habebat vxorum, homo minimè mulierosus, vt qui ipsos octoginta quatuor annos sine muliere exegisset, & vna contentus cùm esset, duabus per fraudem implicatus fuisset; nunc tamen ne Rachelem vehementer afflictam cogeret, si id ei negaret, dolore animi contabescere, in tertias consensit nuptias, & postea etiam in quartas, in quas neque ipsum libido, vt diximus, neque mulieres ipsas impellebat, sed prolis amor; alioqui optabilius ipsis fuisset vnicam esse vxorem; vt diutius, & frequentius cum viro esse possent.

V. *Ortus Dan ex Bala.* ITAQVE nouum initum est coniugium; concipit statim Bala, & intra hunc ipsum annum parit, *Dixítque Rachel, Iudicauit mihi Dominus*, id est in gratiam mei, cap 30. 6. qui antea pro sorore mea tantùm iudicare videbatur, vel ius meum mihi reddidit. Nam *tanquam ius debetur mulieri*, ait Caietanus, *vt habeat prolem, eo quod ad hoc facta est, & propterea Rachel à summo iudice ius sibi ministratum fatetur, & propterea filium nominauit Dan, hoc est iudicium;* quo modo etiam Iosephus, Hieronymus, Vatab. Oleaster quoque, & alij interpretantur.

Nec multò pòst leuata fœtu Bala, rursum ex Iacobo concepit, sed partus ad sequentem annum pertinet. Interea autem agnoscit Lia, post aliquot ab edito Iuda menses, vim generandi in seipsa compressam, aut intermissam, & animo versat imitari sororem suam.

ANNVS MVNDI 2287. DILVVII 631. TERTIÆ ÆTATIS 249. ISAACI 149. IACOBI 89. RVBEN 5. SIMEONIS 4. LEVI 3. IVDÆ ET DAN 2. NEPHTALI ET GAD 1. PROMISS. 174. BELOCHI 21. IMPER. ASSYRIORVM 356.

ANTE CHRISTVM 1766.

I. *Parantur nouæ nuptiæ Zelphæ.* HOc quoque anno in nouas nuptias pertractus est Iacob. Videns enim Lia Gen. 30. 9. Balam ancillam sororis suæ, secundò ferentem vterum, se autem plurimos iam menses præter pristinum morem non concipere, timens ne mutata

forte, ipsa sterilesceret, Rachel autem ope ancillæ suæ filiis abundaret, institit orare coniugem, vt ne se deteriore conditione faceret, quam sororem, & siquid de ipso bene merita esset, cui quatuor iam filios procreasset, ancillam suam Zelpham loco suo substituere ne grauaretur, vt sic via panderetur implendis Dei promissis, de semine eius stellarum, & pulueris instar multiplicando. Non tam habiturum ipsum nouam coniugem, quàm veterem renouatam.

II. *Acquiescit Patriarcha.*

Persvasvs est Iacob, & suscepit preces Liæ, ne, vt putat Abulensis, odij & dissensionis materia inter sorores oriretur; & Lia querelis dies noctésque Iacobum obtunderet; se infœlicem, se despectam, se odio habitam, ingratum illũ in eam, quæ princeps ipsum multa iam prole parentem fecisset. Quid multa? acquiescit vxori Iacob, & quartæ mulieris factus est coniux, nulla id tum lege prohibente, & consuetudine permittente; facta diuinitus, vt creditur, à diluuio dispensatione circa illam legem, *Erunt duo in carne vna.* Itaque D. August. suscepto (l. 22. c. 47.) contra Faustum Manichæum Iacobi Patriarchæ patrocinio ita disserit.

III. *Patrocinium 4. vxorum. Ex D. Augustino.*

Iam verò, inquit, *filio eius Iacob, quòd pro ingenti crimine quatuor obiiciuntur vxores, generali prælocutione purgatur. Quando enim mos erat, crimen non erat. Et nunc propterea crimen est, quia mos non est. Alia enim sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta. Quæ cùm ita sint, quid tandem criminis est, quòd de pluribus simul habitis vxoribus obiicitur sancto viro Iacob? Si naturam consulas, non lasciuiendi, sed gignendi causa illis mulieribus vtebatur. Si morem, illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur. Si præceptum, nulla lege prohibebatur. Nunc verò cur crimen est si quis hoc faciat, nisi quia & moribus, & legibus non licet? Quæ duo quisquis contempserit, etiam si tantummodo causa generandi vti possit fœminis pluribus; peccat tamen, & ipsam violat humanam societatem, cui necessaria est propagatio filiorum. Sed quia homines, aliter se habentibus iam moribus & legibus, non possunt delectari vxorum multitudine, nisi libidinis magnitudine, ideò errant, & putant haberi omninò non potuisse vxores multas, nisi flagrantia concupiscentiæ carnalis, & sordida voluptatis.* Sic sanctus Augustinus; quæ breuius tangit in libro de bono (tom. 6. cap. 15.) coniugali.

IV. *Et D. Hieronymo.*

(l. 1. adu. Iouin.) D. Hieronymus hanc vxorum multitudinem excusat, tam significatione mysterij, quàm licentia loci. *Si duas*, inquit, *bigas vxorum, & concubinarum habuit Iacob, & non vult aduersarius acquiescere, lippientem Liam deformem atque fœtosam, Synagogæ typum prætulisse; Rachel verò pulchram, & diu sterilem Ecclesiæ significasse mysterium, sciat eo tempore hoc fecisse Iacob, quando erat inter Assyrios; & in Mesopotamia Laban durissimo domino seruiebat.* Sed de his satis.

V. *Ortus Nephtali ex Bala.*

Zelpha igitur facta Iacobi vxor quamprimum concipit, & dum vterum fert, extremo anno paritura, Bala alterum filium ex Iacobo dominæ suæ Racheli parit. Quo illa mirè exhilarata, *Comparauit me*, inquit, *Deus cum sorore mea, & inualui*; quia nimirum licet illa quatuor filios peperisset, ipsa autem duos, parem tamen se ei ducebat, atque superiorem apud maritum suum, à quo magis diligebatur, & à propriæ formæ dignitate. Itaque vocauit eum Nephtali, quòd vertitur Æquiparatio. Et Hieronymus, hoc nomen à conuersione, siue comparatione dictum ait, (in trad.) Iosephus autem artificiosum significare putat, quòd arte quadam Rachel cum sorore certatit, ac vicerit. Autbor autem Testam. Patriarch. (cap. 8.) inducit in hunc modum loquentem Nephtalim. *Ego natus sum ex Bala. Et quia astutè fecit Rachel, & dedit pro seipsa Balam Iacob, & super femora Rachel peperit me, propter hoc vocatus sum Nephtalim. Et dilexit me Rachel, quoniam super femora eius natus sum, & ipsa tenerum existentem osculata est me dicens, videam fratrem tuum ex vtero meo, secundum te. Vnde similis mihi erat in omnibus Ioseph, secundum petitiones Rachel.* Hæc ibi Scriptor ille.

VI. *Ortus Gad ex Zelpha.*

Extremo anno parit Zelpha, quarta Iacobi coniux primum filium, quem Lia læta suscipiens, dixit, *fœliciter*, quasi dicat, quod fœlix, faustúmque sit; & vocauit eum Gad. Septuaginta habent, ἐν τύχῃ. Apud Chrysost. (hom. 56.) καὶ εἶπε Λεία τετύχηκα, ἀντὶ τοῦ, ἐπέτυχον τοῦ σκόπου. *Et dixit Lia, fortunata sum, hoc est voti compos facta sum.* Theodoretus habet εὐτύχηκα, *Quæ vox*, inquit, *non Iacobi est, sed Liæ vxoris in impietate educatæ; & nuper pietatem, & Dei cultum edocta. Sic & pater dicere solebat*, οἰωνοῖμω,

auguratus sum, addixit auis. Hæc ipse. Vide & Augustinum; nec multò pòst iterum grauidata est. q. 16. q. 91.

VII. *Rursus concepit Lia. Mandragora.*

IAMQVE sesquiannus fermè à natiuitate Iudæ abierat, cùm Lia rursum cõcepit, eius conceptus occasionem tecitat Moyses, egressum Ruben in agrum tempore messis triticeæ, sub finem videlicet veris, cùm nondum ipse annum quintum esset ingressus, vt vult Abulensis hoc capite trigesimo; & patet ex eo, quòd eius anni incipiunt decimo mense; reperisséque mandragoras; messores fortasse inuentas puerulo desideranti, & coloris pulchritudine capto dederunt. Nam Augustinus eis coloris pulchritudinem, & odoris suauitatem attribuit, coutra Faustum. Vbi inter alia. *Cùm*, inquit, *hæc mala ipse vidissem, & propter situm ipsum sacræ lectionis locum, id mihi obtigisse gratularer, rara enim res est, naturam eorum diligenter, quantum potui perscrutatus sum. Nec id feci aliqua à communi sensu remotiore scientia, quæ docet virtutes radicum, & potestates herbarum, sed quantum mihi, & cuilibet homini renunciabat visus, & olfactus, & gustus. Proinde rem comperi pulchram, & suaueolentem, sapore autem insipido. Quocirca cur eam mulier illa tantoperè concupierit, ignorare me fateor, nisi fortè propter pomi raritatem, & odoris iucunditatem.* Sic Augustinus. l. 22. c. 56.

VIII. *An conciliet fæcunditatem.*

NAM quod vulgò creditur, idoneum hoc pomum ad conciliandam mulieri fœcunditatem; & naturæ eius quam medici tradunt perfrigidam, & soporiferam; & experientiæ repugnat. Neque enim propterea fœcunda reddita est Rachel, vt quæ vix biennio post concepit; quem etiam conceptum Scriptura peculiari Dei erga ipsam benignitati attribuit. Fortasse tamen putauit Rachel vtilem mandragoram ad matricem malè affectam, ritè ad conceptum disponendam; sicque ex accidente remedium sterilitati allaturam; idque fieri posse periti medici concedunt. Sed hac de re satis, plurima suggeret ex diuersis collecta Peretius in hunc locum. n. 8. & seq.

Ruben igitur mandragoras detulit matri, quas cùm vidisset Rachel appetiit, partémque earum à sorore postulauit, quæ iratæ similis, *Parúmne tibi videtur, quòd præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filij mei tuleris?*

IX. *Prudentia Iacobi erga vxores.*

Ex hoc loco, & sequenti responsione Rachelis intelligitur, Iacobum rectè vices ac tempora distribuisse reddendi debitum vxoribus suis, ne ex flagranti prolis appetitu, iurgia inter eas orirentur, & pax domestica turbaretur. Itaque Rachel cupiditate mandragorarum, cessit tempus suum Liæ, quæ propterea maritum suum ad se inuitauit, sed addidit multas ad Deum preces. Nam Moses, *Et exaudiuit*, inquit, *Deus preces eius*, quas scilicet toto eo tempore ad Deum fudit, quòd inter Iudæ natiuitatem, & præsentem conceptionem intercectum est. Vt intelligas eam non ardore libidinis, sed amore prolis maritum adiisse. *Concepitque & peperit filium quintum.* Sed partus ad sequentem annum pertinet.

ANNVS MVNDI 2288. DILVVII 632. TERTIÆ ÆTATIS 250. ISAACI 150. IACOBI 90. RVBEN 6. SIMEONIS 5. LEVI 4. IVDÆ ET DAN 3. NEPHTALI ET GAD 2. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 1. PROMISS. 175. BELOCHI PRISCI 22. IMPERII ASSYRIORVM 357.

ANTE CHRISTVM 1765.

I. *Ortus Issachar ex Lia.*

SEXTO posterioris septennij anno, Iacob duos suscepit liberos, alterum ex Zelpha ancilla Liæ sub extremum annum, quæ eum vocauit Aser, alterum ex ipsamet Lia, cui nomen dedit Issachar sub huius anni princi- Gen. 30.

pium, quod persuadet tempus conceptus eius, quod fuit tempus triticeæ messis, quæ in Iudæa sub mensem Maium cadebat. Itaque natus videtur Issachar sub finem Februarij, aut initio Martij. Visum tamen est Torniello, qui hoc totum septennium in suos menses ferendo vtero necessarios perquam accuratè digessit, Liam mense huius anni quarto circiter incipiente peperisse[1]. Quum autem peperisset quintum filium, ait, *Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo, appellauitque nomen eius Issachar*, id est merces, non conductionis, aut mandragorarum, vt Hieronymus significat, & Tostatus; sed vt ipsamet Lia dixit, quòd dederit ancillam suam viro suo in coniugem, vt plurimi filij ex Iacobo nascerentur, id bonum propriæ voluptati præferendo.

r. χ.

II. Ortus Zabulon ex Lia.

NEC diu otiosa stetit Lia, quamprimum enim iterum concepit, vt ait Abulensis, & consequenter in fine huius anni sextum filium peperit, & ait, *Dotauit me Deus dote bona; etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quòd genuerim ei sex filios, & idcirco appellauit nomen eius Zabulon.* Pro *mecum erit*, alia versio apud Hieronymum in traditionib. habet, *mecum habitabit. Vbi nos posuimus*, inquit, *habitabit mecum, & Septuaginta interpretati sunt, diliget me, in Hebræo habetur* יִזְבְּלֵנִי *Izboleni, & est sensus, quia sex filios genui Iacob, propterea iam secura sum, habitabit enim mecum vir meus; vnde & filius meus vocatur habitaculum.* Sic ipse. זְבוּל apud Pagninum est habitaculum, vt patet ex multis Scripturæ locis, indéque fit verbum זָבַל zabal, quòd est habitare, vt mirum sit Iosephum interpretari Zabulon, *pignus beneuolentiæ*, ἐνεχυρασμένον εὐνοίᾳ τῇ ἑαυτῆς αὐτῷ. quasi dicat, *in manus traditum ex beneuolentia erga ipsam.* Quid hoc ad habitaculum? Vtique Hebræum non vidit, sed allusit ad Septuaginta, qui habent, αἱρετιεῖ με ὁ ἀνήρ μου. *eligit me vir meus.* Porrò dotem vocat Lia multitudinem filiorum, quam tum magnam ducebant fœlicitatem, vt ex nomine Gad, & Aser iam intellectum est. Eóque

Psal. 127. pertinet illud Dauidis, *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ.*

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2288.

N. I. I.

QVOD ad filium ancillæ attinet, ratio denominati Aser illis verbis Liæ continetur. *Dixit enim, hoc pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent mulieres.* Aser enim fœlicitatem significat, scriptum per ש, אָשֵׁר à radice אָשַׁר, id est beatificauit, direxit. Nam per ס samech vinctum אָסִיר vinctus, ab אָסַר vincire, ligare; ille filius Iacob, iste Caath, vt ait Vatablus. Sed illum posteriorem Aser in Scriptura non reperio; sed tantùm Isaar, siue יִצְהָר nec eum agnoscit Hieronymus, in nominibus Hebraicis.

ANNVS MVNDI 2289. DILVVII 633. TERTIÆ ÆTATIS 251. ISAACI 151. IACOBI 91. RVBEN 7. SIMEONIS 6. LEVI 5. IVDÆ, ET DAN 4. NEPHTALI ET GAD 3. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 2. DINÆ ET IOSEPHI 1. PROMISS. 176. BELOCHI 23. IMPERII ASSYR. 358.

ANTE CHRISTVM 1764.

ABSOLVITVR hoc anno alterum septennium seruitutis Iacobi apud Labanum socerum, quo duobus insuper liberis auctus est, Lia postremùm, Rachele primùm pariente; vtraque sub huius anni finem peperit. Nam Lia in fine præcedentis pepererat, & sub hunc ineuntem conceperat; & de Rachele dicitur, eius filio Iosepho nato, simúlque absoluto septennio, Iacobum adiisse socerum suum, vt notauit Abulensis, & alij. Iosephi ortum ponit Eusebius anno sequenti, sicut

I. Ortus Dinæ ex Lia.

Chronicum Alexandrinum & Torniellus, quia licet hoc anno natus sit, totus tamen ferè primus annus illius ad annum sequentem pertinet. Nos tamen, vt cœpimus, in eo anno ponimus natos, quo reuera nati sunt. Prior nata est Dina, in cuius ortu, præter morem tacet mater. *Hæc Dina*, inquit Hieronymus in trad. *transfertur in causam, quam significantius Græci, δίκην vocant. Iurgij enim in Sichimis causa extitit.* Alij, vt Vatablus, vertunt iudicium, sicut & Dan, vtriusque enim radix est דין dun, quòd est iudicare.

II. *Ortus Iosephi ex Rachele.* RECORDATVS *quoque Dominus Rachelis exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius*, sublato scilicet naturali concipiendi impedimento, ex quo meritò existimari potest Rachelem non sine miraculo Iosephum concepisse. *Concepit*, ergò, *& peperit filium, dicens, Abstulit Deus opprobrium meum.* Opprobrium enim ducebatur in matrimonio, eius fine, & maximo bono priuari, integritate corporis animique, sine fructu amissa. & sicut fœcunditas, benedictionis diuinæ fructus est, ita sterilitas indicium maledictionis videri poterat. *Et vocauit nomen eius Ioseph, dicens, Addat mihi Dominus filium alterum*, quod nomen interpretans Hieronymus in tradit. *Rachel interpretatur ouis, cuius filius Ioseph, ab eo quod sibi alium addi mater optauerat, vocatur augmentum.* Iosephus, προσθήκη, *additamentum*. Vatablus mauult vertere, *addet*, vt spiritus propheticus in Rachele indicetur. *Apud Hebræos*, inquit Philo, *Ioseph vocatur apud Græcos Domini appositio*, κυρίου πρόσθεσις. Hic est ille Ioseph parentis vtriusque deliciæ, flos pudoris, & honestatis, Patriarcharum decus, gloriæ & saluti totius populi sui destinatus.

III. *4. Domini claues ex Rabbino.* ERGO impletum est in Rachele à Domino, quòd postea cecinit Dauid, *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.* Et in eius gratiam ita philosophatur paraphrastes Hierosolymitanus, vt referunt Pererius, & Fagius. Quatuor claues traditæ sunt in manum Domini vniuersi mundi, quas non tradidit Dominus nec Angelo, nec Serapho, clauis scilicet pluuiæ, clauis cibationis, clauis sepulchrorum, clauis sterilitatis. De claue pluuiæ ita dicit Scriptura, *Aperiet Dominus tibi thesaurum suum bonum.* De claue cibationis, *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* De claue sepulchrorum, *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris*, &c. De claue sterilitatis, *Recordatus Dominus Rachelis aperuit vuluam eius.* Vt significetur, *etiamsi omne donum optimum, & omne datum perfectum de sursum est*, specialiter tamen pluuiam, alimoniam, mortuorum resurrectionem, & filiorum procreationem in manu Dei esse.

In cap 30. n. 5. — Deut. 28. — Psal 145. — Ezech 37. 12.

IV. *Aliæ eiusdem claues.* AT facilè est reperire & alias claues. Habet enim clauem linguæ, propterèaque Dauid, *Domine*, inquit, *labia mea aperies*, nam *Domini est gubernare linguam.* Habet clauem oculorum, & aurium, ad eos aperiendos, vnde Esaias, *Aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt*, Messia scilicet aperiente. Et, *Deus aperuit mihi aurem.* Et Elisæus petebat à Domino, vt aperiret oculos Giezi, & militum, qui erant in Samaria. Habet clauem cordium, aperit sigilla mystici libri. Denique habet clauem Dauid, *Qui claudit, & nemo aperit, Aperit, & nemo claudit*, regiam scilicet potestatem agendi quod libuerit. Solus quippe *omnia quæcunque voluit, fecit.* Cúmque clauis eius sit potestas eius, tam multas habet claues, quàm magna, & multiplex est eius potestas. Sed redeamus in viam.

Psal. 50. — Prou. 16. 1. — 35. 5. — Esai. 50. 5. — 4 Reg. 6. — Act. 16. 14. — Apoc. 5. — Esai. 22. 22. — Apoc. 3. 7.

ANNVS MVNDI 2290. DILVVII 634. TERTIÆ ÆTAT. 252. ISAACI 152. IACOBI 92. RVBEN 8. SIMEON 7. LEVI 6. IVDÆ ET DAN 5. NEPHTALI ET GAD 4. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 3. DINÆ ET IOSEPHI 2. PROMISS. 177. BELOCHI PRISCI 24. IMPERII ASSYRIORVM 359.

ANTE CHRISTVM 1763.

Gen. 30 25. — I. *Discessum molitur Iacobo.*

PATRIARCHA Iacob euolutis iam quatuordecim annis à ſuo ingreſſu in Meſopotamiam, quatuor vxoribus, & duodecim liberis auctus, patriæ & parentum ſuorum reuiſendorum ſtudio permotus, ſocerum adit, ei vale dicturus, bonáque ipſius cum venia diſceſſurus. Eam tamen non impetrauit, diuina prouidentia rectè omnia diſpenſante, ne cum tot infantulis aliquod in via diſcrimẽ adiret; néue inops rerum, patriam contemptus repeteret. *Dimitte me*, inquit, *vt reuertar in patriam, & ad terram meam. Da mihi vxores, & liberos meos, pro quibus ſeruiui tibi, vt abeam.* Manebat enim adhuc hæc tota Iacobi familia in ſoceri domicilijs, vnde exire non oportebat inſalutato hoſpite. Et ne fortè cauſaretur ſibi parum ſatisfactum eſſe, ſubdit Iacob, *Tu noſti ſeruitutem, qua ſeruiui tibi.* quàm ſcilicet fideliter, quàm mihi laborioſè, quàm vtiliter tibi.

II. *Nec impetrat.*

QVOD ingenuè agnoſcens Laban. *Inueniam*, inquit, *gratiam in conſpectu tuo. Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te, conſtitue mercedem tuam, quam dem tibi.* Vt ſcilicet maneas adhuc apud me, & gregum meorum curam geras. Valde quoque ſe vtilem ſocero fuiſſe affirmat Iacob; ſed inde aliam infert concluſionem, nimirum æquum eſſe, *vt prouideat etiam domui ſuæ*. Etſi enim ſciebat ipſe, non expedire ſibi adhuc in patriã reuerti, nonnihil tamen ſe difficilem in aſſenſu præbet, quod hominis ingeniũ durius, illiberaliúſq; cognoſceret; ſicque facilius mercedem quam petiturus erat, obtineret. Nam quod mercedem, de qua agitur, ad priora tempora trahit Abulenſis, parum probabiliter facit, quippe merces præcedentium annorum erant vxores duæ; quibus additæ fuerant ancillæ totidem. Siquid autem addere vellet Laban, id donum eſſet, non merces. Quo modo intellexit etiam Vatablus, & Del Rio hunc locum.

III. *Quod pactum inter Iacobum & Laban.*

PACTVM autem quale fuerit ſatis obſcurè traditur, eóque magis apparet obſcuritas, quò quis diligentius Græca, Latina, & Hebræa inter ſe contulerit. Sufficiet nobis expoſitio Hieronymi in trad. cui conſentit Abulenſis.

Multum, inquit, *apud Septuaginta interpretes confuſus eſt ſenſus, &, vſque in præſentem diem, nullum potui inuenire noſtrorum, qui ad liquidum quid in hoc loco diceretur exponeret. Vis*, inquit Iacob, *me ſeruire tibi etiam alios ſeptem annos? fac quod poſtulo.* Non fuit tamen vllum tempus præſtitutum paſcendis gregibus, ſed indefinitum, quandiu placeret vtrique parti, alioqui poſtea in iurgio Laban exprobraſſet Iacobo, quod pactum tempus non impleſſet. Et fortè in ſextum quemque menſem̃ conuentum fuit, vt videtur poſſe colligi ex querela de mutata mercede ſua decem vicibus. Quid autem poſtularit, ita refert. *Separa omnes diſcolores, & varias tam oues, quàm capras, & trade in manus filiorum tuorum, rurſúmque ex vtróque grege alba & nigra pecora, id eſt vnius coloris, da mihi* (ſcilicet paſcenda.) *Siquid igitur ex albis & nigris, quæ vnius coloris ſunt varium natum fuerit, meum erit; ſiquid verò vnius coloris, tuum. Rem non difficilem poſtulo, tecum facit natura pecorum, vt alba ex albis, & nigra naſcantur ex nigris; mecum erit iuſtitia mea, dum Deus humilitatem meam reſpicit, & laborem.* id eſt, Deus fauebit mihi, vt varij ex vnicoloribus, præter conſuetudinem, naſcantur, idque in gratiam & mercedem iuſtæ ſeruitutis, qua tibi ſeruio. pergit. *Datam optionem Laban libenter arripuit, & ita vt Iacob poſtulabat faciens, trium dierum iter inter Iacob, & filios ſuos ſeparauit, ne quis ex vicinitate pecoris naſceretur dolus.*

IV. *Iacobi pru-*

ITAQVE *Iacob nouam ſtropham commentus eſt, & contra naturam albi, & nigri pe-*

dentia & industria.

coris, naturali arte pugnauit; tres enim virgas populeas, & amygdalinas, & mali granati, (quanquam Septuaginta styracinas, & nucinas, & plataninas habeant) ex parte decorticans, varium virgarum fecit colorem, vt vbicúnque in virga corticem reliquisset, antiquus permaneret color, vbi verò tulisset corticem, color candidus panderetur. Pergit explicare pluribus quomodo positis huiusmodi virgis in canalibus dum adaquabantur greges, fœminæ in earum contemplatione conciperent, & parerent varios fœtus, qui futuri erant Iacobi. Et quomodo, ne fraus pateficret, & Laban omni fœtura priuaretur, virgas aliquando non obiecerit oculis ouium, quando scilicet fœtura deterior nascitura erat, quæ vocatur serotina, siue posterioris temporis; nam prior, quæ verni temporis est, præstantior esse solet. Ita factum vt plurima, & optima quæque pecora Iacobi essent, cætera Laban acciperet.

V. *Versat Labanum pacta mutantem.* IN cùm ille animaduertisset, nec causam nosset, mutabat pactum, & volebat vt quæ vnius coloris essent Iacobi fierent, varia vero adse pertinerent. Tum vice versa Iacob serotinis virgas decorticatas obiiciebat, prioribus autem non obiiciebat, sicque rursum meliora quæque in mercedem eius transibant. *Et quid plura?* inquit Hieronym. *vsque ad vices decem semper à Laban pecoris sui, siue Iacob mutata conditio est; & quodcúmque sibi proposuerat vt nasceretur, in colorem contrarium vertebatur. Ne cui autem in sex annis decem pariendi vices incredibiles videantur, lege Virgil. in quo dicitur Bis grauidæ pecudes. Natura autem Italicarum ouium & Mesopotamiæ vna esse traditur.* Hactenus Hieronymus, & ex eo Augustinus, quæstione nonagesima quinta in Genesim.

VI. *Decem vicibus, siue decē agnis.* VBI eleganter respondet Hieronymo, tacito tamen nomine, miranti cur Septuaginta pro decem vicibus, dixerint decem agnis; ait enim decem agnos pro decem temporibus posuisse, quibus oues nouos agnos parerent, intra sexennium autem semel primo & semel postremo pepererunt, quatuor autem annis intermediis octies. *Nec mirum,* inquit, *quod hæc decem tempora nomine agnorum appellauit, qui eisdem temporibus nascebantur, velut si quisquam dicat, per tot vindemias, aut per tot messes, quibus numerus intelligatur annorum. Vnde ait quidam, post aliquot aristas, per aristas messes, & per messes annos significans.* Hæc August. Verùm Eugub. pro δέκα ἀμνῶν, legendum putat δέκα μνῶν, & errore librariorum adiectum ἄλφα. μνᾶ, verò ad pondus & numerum pertinet; eadem sentit Del Rio hoc loco, & in Adagiis. *in cap. 31. §. 33.*

VII. *An iniustus Iacobi dolus.* HANC porrò artem didicit Iacob ab Angelo, vt significatur c. trigesimo primo, volente Domino, vt merces Iacobi, non solùm huic sex annorum labori, sed quatuordecim præcedentium, quibus pro vxoribus seruierat, respónderet. Etsi enim pro Rachele septem annos benè positos censuit, pro Lia tamen noluisset tot annis seruire; & conueniebat non indotatas accipere vxores. Ergo Deo prouidente mercedem his annis consecutus est, quæ priora damna suppleret. Adeò vt dicat Scriptura. *Ditatúsque est homo vltra modum, & habuit greges multos, ancillas & seruos, camelos & asinos.* Emit scilicet ex precio venditarum ouium, quæ deinde sub sua, suorúmque manu, multiplicata sunt.

VIII. *Iosephus lapsus.* IOSEPHVS autem hæc omnia transiliuit, & vigesimum annum peregrinationis, & famulatus Iacobi, in Iosephi natiuitate conclusit; quem Scriptura perspicuè tradit natum in fine decimi quarti. Sed hic eius error ex altero natus est; quod putarit, ac scripserit, nonnisi exacto septennio altero Rachelem duxisse, qua de re dictum est suprà, anno Iacobi octogesimo quinto. *n. 7. & 9.* In hac autem vicissitudine fallaciarum, dum Iacob mercedem suam artificiosè multiplicat; & Laban multa gemens super generi quæstu, & iactura sua, pactam mercedem decem vicibus commutat, toti sex anni abierunt: sextum tamen, ad initum cum vxoribus consilium fugæ, seponamus licet.

ANNVS MVNDI 2295. DILVVII 639. TERTIÆ ÆTAT. 257. ISAACI 157. IACOBI 97. RVBEN 13. SIMEONIS 12. LEVI 11. IVDÆ ET DAN 10. NEPHTALI ET GAD 9. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 8. DINÆ ET IOSEPHI 7. PROMISS. 182. BELOCHI PRISCI 29. IMPERII ASSYRIOR. 364.

ANTE CHRISTVM 1758.

Gen. 31. EST hic annus vigesimus commorationis Mesopotamicæ Iacobi Patriarchæ, sub cuius extremum consilium iniit de deserendo Labani famulatu, & reditu in patriam. Hoc enim consilium ipsam profectionem antecessit, quæ impletis sex annis facta, significatur à Iacobo in querela aduersus socerum suum, vbi ait se viginti annis seruisse ipsi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus. Itaque non rectè in testamento Patriarcharum cap. tertio dicitur Leui fuisse octo annorum, quando ingressus est in terram Chanaam: qui reuera agebat vndecimum. I. *Rursum Iacob discessum molitur.*

1. PORRÒ susceptæ profectionis tres causas memorat Moyses, murmur filiorum II. *Causæ susceptæ peregrinationis.*
2. Laban inuidentium Iacobi incrementis. Tristitiam ipsius Laban contra cuius
spem, ac desiderium, conatúmque omnem, mirificè auctus esset Iacob. Postre-
3. mò diuinam iussionem, dicente sibi Domino. *Reuertere in terram patrum tuorum, &
ad generationem tuam, eróque tecum*, vt te in reditu à Labano, & Esaü seruem incolumem, & in patria domesticis in malis insuperabilem.

ET quoniam res suauiter confici non poterat sine mulierum consensu: misit Ruben, vt putat Abulensis, iam decimum tertium inchoantem, aut si malis de famulis aliquem, & vocauit Rachel, & Liam in agrum, vbi pascebat greges; eisque posteriores causas duas susceptæ reuersionis declarauit, latius explicans iniurias sibi à Labano illatas; quarum cognitione mulieres ab affectu paternæ consuetudinis, & commorationis sensim diuellebantur. Vt autem eas quoque ad fiduciam erga diuinam prouidentiam adduceret, in longinquo, ignotóque itinere suscipiendo, significat qua ratione factum fuerit, vt tot greges in pactam mercedem acquireret, diuina scilicet sibi reuelatione facta, de ponendis virgis decorticatis in canalibus. Nisi enim antecessisset ista reuelatio (quæ tamen non integrè recitatur) vel eam artem ignorasset Iacob, vel ea vti, in tantùm Labani detrimentum, ausus non fuisset, vt placet Tostato: sed iustè, & absque vlla iniuria id fieri posse intellexit, cùm subiecit Dominus per Angelum loquens, *Vidi omnia,*
v. 12. *quæ fecit tibi Laban.* Hæc omnia recitat Iacob compendio, quæ sibi initio sex annorum vltimorum reuelata fuerant; sed addit continenter vltimam reuelationem, qua profectio mandabatur; nam geminam agnoscunt Tostatus, & Del Rio. *Ego*
Gen. 31. 13. *sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi. Nunc ergo surge, & egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ.* Quæ est vltima & potissima susceptæ profectionis causa. III. *Consultat cum vxoribus.*

HIS intellectis Rachel & Lia consentientes marito, de patre suo etiam ipsæ conqueruntur, quod ab eo vt ancillæ, non vt filiæ acceptæ sint. Nam filiæ, aut dotem præsentem accipiunt, aut expectant partem hæreditatis paternæ, cùm ipsæ pro seruitute septem annorum venditæ sint, eiúsque seruitutis fructus, non in filiarum, vt oportebat, sed in patris emolumenta cesserit. *Sed Deus tulit*, inquiunt, *opes patris nostri*, non quæ eius essent, sed quas ille alioqui erat lucratutus, *& eas tradidit nobis, ac filiis nostris.* Alludunt autem ad artem variegandi velleris ouium, ab Angelo traditum. Et postremò consensum præbentes ad discessum. *Omnia*, inquiunt, *quæ præcepit tibi Deus, fac.* Hoc ille consensu filiarum Labani habito, strenuè profectionem parat. IV. *Qua migrationi cõsentiunt.*

ANNVS MVNDI 2296. DILVVII 640. TERTIÆ ÆTAT. 258. ISAACI 158. IACOBI 98. RVBEN 14. SIMEONIS 13. LEVI 12. IVDÆ ET DAN 11. NEPHTALI ET GAD 10. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 9. DINÆ ET IOSEPHI 8. PROMISS. 183. BELOCHI PRISCI 30. IMPERII ASSYRIOR. 365.

ANTE CHRISTVM 1757.

I. *Ratio temporis.*

TRANSACTIS iam vigintiannis in Mesopotamia, in soceri famulatu, Iacob nonagesimum octauum ingressus annum demigrat ad suos. Confirmat Chronologiam Seuerus Sulp. ait enim clam profectum Iacobum vigesimo primo ferè anno, quam aduenerat, id est vigesimo primo inchoante. Chronicum Alexandrinum differt hanc migrationem in annum sequentem, sed præsentem amplectitur etiam Torniellus, & est Scripturæ valde consentaneus. Estque omnium fermè Chronologorum communis. Gen. 31. 17. lib. 1. sacr. hist. Gen. 31. 41.

II. *Migrat absente Labā.*

HABITO vxorum consensu Iacob, dum imminent in occasionem idoneam ad discessum, seque suósque, ac sua omnia præparat. Eam commodissimam Dominus obtulit, cùm Laban ad tondendas oues suas, quæ tridui à Iacobo aberant, iuisset. *Surrexit itaque Iacob, & impositis liberis, ac coniugibus suis super camelos*, inscio socero *abiit*. Ne ille per violentiam, aut sua retineret, aut suos, vnde infra tacitam profectionem excusans, *Timui*, inquit, *ne violenter auferres filias tuas.* Sed pergit Moyses. *Tulítque omnem substantiam suam, ac greges, & quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaam.* Viuebat quippe adhuc bonus senex, qui ante 20. annos mortem sibi imminere arbitrabatur; cui etiam non pauciores supererant in multa patientia extrahendi.

III. *Furtū Rachelis, eiúsque causæ.*

AT *Rachel* in discessu, inscio marito *furata est idola patris sui.* Quæ Septuaginta εἴδωλα, Aquila vocat μορφώματα, id est figurationes, Iosephus τύπους τῶν θεῶν, *formas Deorum*, & ἱερώματα, *sacras effigies*, & ἱερὰ πάτρια. Symmachus retinuit Hebræam vocem Teraphim תרפים. qua voce hoc loco simulachra eminentia
1. videntur significari, furata verò, primò ne ab illo vltra colerentur. Nam Basilius Rachelem laudat, quod patrem officiosè deceperit, & ab idololatria omninò liberauerit. Et Theodoretus, sentit propterea patri abstulisse idola, quod sic vellet patrem ab impio Dæmonum cultu liberare. Eadem sensit Gregorius Nazianzenus. *Si Rachel*, inquit, *quædam es, aut Lia, hoc est patriarchica, & magna anima, patris quoque tui idola, quæcumque inueneris surripe. Non vt serues, sed vt deleas.* Vbi videtur Liam facete furti consciam, quod disertè affirmat Nicetas. *Theologus*, inquit, *Liam vt furti consciam cum Rachele collocauit. Verisimile enim est eam furti sororis expertem, atque ignaram non fuisse*, id tamen tectum
2. habuisse; vel propter valorem si aurea erant, vel argentea, vt rectè sentit
3. Pererius, vel ne illa à patre de more consulerentur circa profectionem suorum, sicque eius insecutio retardaretur, vt placet Abulensi, & Del Rio. in princ. Prouerb. q. 59. orat. 42. num 7.

IV. *An adhuc idolis addicta esset.*

NAM quod adhuc idolorum cultui illas addictas putauit Chrysostomus, & cum eo Rupertus, parum probabile ducimus; cum sanctis Basilio, Theodoreto, & Nazianzeno Gregorio. Iosephus certè. *Sigilla*, inquit, *eorum secum ferebat Rachel, non quod Deos coleret, quorum contemptum à marito didicerat; sed vt si fortè pater fugientes*
4. *assequeretur, haberet quò confugeret veniam impetratura.* Huius porrò contemptus quem Iosephus memorat indicium est, quod istos Deos, etiam menstruis laborans insederit. *Quo cognito*, inquit idem aliquantò pòst, *Laban destitit amplius inquirere, credens filiam sic affectam non fuisse sacris propius accessuram.* Alludit, vtique Iose- hom. 57. l. 7. c. 42. lib. 1. c. 18. med. τύπους τῶν θεῶν.

Leuit.15.19 phus, ad Iudaicos ritus, quibus mulier menstruis laborans, immunda erat septem diebus, & à communi conuictu separabatur; adeo vt qui eam tangeret censeretur immũdus. Nec ipsa adire ad ostium tabernaculi, nisi post septimum diem, permitteretur.

Gen.31.21. v.3. v.36. V. *Persequitur Iacobũ Laban.*

Cvm ergo abiisset Iacob abducens *omnia, quæ iuris sui erant, & transmisso,* Eufrate, *pergeret contra montem Galaad, nunciatum est Laban die tertio, quod fugeret Iacob.* Tridui distabant oues, quæ tondebantur, vt colligitur ex cap. trigesimo. Cùm itaque discessit Iacob, aliquis famulus ad herum abiit, expositurus fugam, qua ille accepta, *Assumptis fratribus suis persecutus est eum diebus septem*, vel ex quo resciuit in loco tonsionis ouium, vt ait Del Rio, vel ab Aram, vnde discesserat Iacob, vt vult Abulensis; vbi scilicet collegit fratres, siue propinquos suos ad persequendum. Existimo certè septem dies à Iacobi discessu non esse numerandos, sed à tempore, quo illi nota facta est fuga, alioqui Laban, qui triduo post Iacob se in viam dedit, quatriduo ab Haran, vel etiam à loco tridui remotiore in montem Galaad peruenisset, quod videtur incredibile, & Scriptura eos dies non tribuit Iacobo, sed Laban; ait enim, *Qui assumptis fratribus suis persecutus est eum diebus septem.*

in Io. Heb. S. tamen Hierony. eos dies Iacobo tribuit.

VI. *Assequitur die 7. & cum eo rixatur arguens.*

Die ergo septimo qui erat Iacobi decimus, peruenit Laban in conspectum generi sui, iuxta montem qui postea dictus est Galaad, & dilata in posterum diem querela, *Vidit in somnis dicentem sibi Deum; Caue ne quid asperè loquaris contra Iacob*, id est facias, vt Caietanus quoque exponit, sicut verbum pro facto, Iosephus id significat, cùm ait *prohibitum à Deo Labanum, μηδὲν εἰς αὐτοὺς ἐκ τοῦ θυμοῦ τολμᾶν, quidquam in ipsos pra ira attentare.* Et fortè statuerat, vt ait Abulensis, eum spoliare omnibus bonis, ac gladio percutere, & reuera perspicuum est eum minimè à verborum asperitate abstinuisse, nam furti hominem, aut sacrilegij potius, qui deos suos abstulerit, arguit; stultitiæ & inhumanitatis accusat, qui socero, post viginti annorum commorationem, non vale dixerit; nec filias eius eo fungi officio passus sit; eisque illam consolationem inuiderit. Plagiarium appellat, qui filias clam parente abegerit, & in longinquam terram abduxerit; denique & minas intentat, quas in rem vtique deducturus erat, nisi illum animi furentis impetum, diuinarum minarum timor cohibuisset. Nam ait, *Et nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum*, debitum scilicet hisce culpis tuis, *sed Deus patris vestri heri dixit mihi, Caue ne loquaris contra Iacob quicquam durius.* Vbi vides in rem deduci illud, *Eroque secum.*

Furti, inhumanitatis, Plagij,

c.31.31. VII. *Responsio Iacobi & irrita Labani perscrutatio.*

Respondet *Iacob, quod inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas;* quæ est tacita accusatio tyrannici dominij. *Quod autem furti me arguis, apud quemcunque inueneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris*, non præcipientis est id verbum sed permittentis, ex fiducia bonæ conscientiæ, filios, & cognatos Laban fratres appellat, siue propter antiquam consanguinitatem, à Thare deriuatam, siue propter affinitatem nouam, ex coniugio Rachelis & Liæ.

Ergo ille scrutatur tentoria Iacobi & Liæ, & vtriusque famulæ antequam veniret ad Rachelem, diuina vtique prouidentia, vt expleta ferè curiositate, & amissa penè spe quidquam reperiendi, negligentius deinceps quæreret, & facilius falleretur. In Hebræo tamen significatur prius perlustratum tabernaculum Rachelis, quàm ancillarum. Furtum sub clitellis cameli seruatum est, ei insidente Rachele, & menstrua simulante.

c.31.36. VIII. *Mutua Iacobi querela.*

Cvm autem res ipsa innocentiam Iacobi prodidisset, in iustam iram commotus, exprobrauit Labano iniquam furti calumniam, quam ipsa eius diligentia refellisset; exprobrauit & fidelem, laboriosam, diuturnam industriam suam in maligni, atque austerioris heri famulatu; exprobrauit denique & improbam, atque ingratam nocendi tam bene de se merito genero voluntatem, quem non ipse sponte sua repressisset, sed Deus, quem coluit Abraham, & quem timuit Isaac irritam reddidisset. Tota res in textu planissima est, elegantissiméque descripta.

IX. *Fœdus eius cum Labã.*

Hic Laban sedatior, nulla recriminatione, aut excusatione vtitur, sed ineundo fœderi viam muniens, *Filiæ meæ*, inquit, *& filij, & greges tui, & omnia quæ cernis mea sunt*, id est ex me profecta; si tibi tuísve nocere voluero, mihi ipsi, rebúsque meis nocuero. *Veni ergo, & ineamus fœdus: vt sit in testimonium inter me & te.* Tropica

locutio est. Non enim vult vt fœdus sit in testimonium, sed vt extet aliquid, quod sit in testimonium initi fœderis, de non sibi nocendo mutuo, id autem monimentum fuit congestio magnorum lapidum, non in acumen erectorum, vt solent congeri acerui, sed in longum ac latum, vt etiam mensæ loco esse posset, super quo, in signum redintegratæ beneuolentiæ, comederunt, Deúmque testem, suo vtérque more, inuocauerunt. Postridiéque bene mane ab inuicem digressi, Laban in Haran regressus, Iacob in Chananitidem progressus est.

X. *Mons Galaad.*

Ex hoc autem tumulo, siue aceruo in hoc monte erecto, dictus est deinceps mons Galaad, de quo hæc habet Hieronymus, *Galaad mons ad quem septimo die profectionis è Charan, Iacob profugus venit. Est autem ad tergum Phœnicis, & Arabiæ,* sed illi ab Oriente situs est, huic ab Occidente, *collibus Libani copulatus, extenditúrque, per desertum vsque ad eum locum, vbi trans Iordanem habitauit olim Rex Seon Ammorrhæorum. Cecidit supradictus mons in sortem filiorum Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manassæ. Sed & Ieremias loquitur. Galaad tu mihi initium Libani. A quo monte & ciuitas in eo condita sortita est vocabulum, quam & cæpit de Ammorrhæorum manu Galaad filius Machir, filij Manasse.* Hæc Hieronymus. Plura vide apud Adrichomium in Manasse, vltra Iordanem, & Pererium in hunc locum.

[de lo. Heb. — c. 22. 6. — n. 50. 51. 52. n. 17.]

XI. *Examinatur circa prædictam historiam Iosephus.*

Hoc defunctus periculo Iacob, ad aliud eluctandum aggreditur, cuius initia admodum formidolosa, exitus placidus, ac iucundus fuit. De quo priusquam agamus, de priore aliquid cùm Iosepho disseramus. *Hoc toto tempore*, inquit, *quod fuit annorum viginti, pascuis soceri, & gregibus præfuit, quo ex culto æquum esse aiebat, vt cum vxoribus ad suos reuerteretur. Socero verò non permittente, clam hoc facere cogitabat.* At nusquam dixit Moses Iacobum post vigesimum annum petiisse à socero, sibi fieri discedendi potestatem, aut ab eo negatam esse, sed post decimum quartum; quæ duo tempora eorúmque historias in vnum conflauit Iosephus. 1.

XII. *Iacobum furti reum facit.*

Errat etiam quod Iacobum furti non exigui reum facit. abduxisse enim ait dimidium pecorum, priusquam Laban rescire posset: agítque de pecoribus Laban: (nam paulò antè dixerat Iacobum, *Asportasse totas suas, quantacunque erant facultates*, sicut & Scriptura, *Tulitque omnem substantiam suam, & greges, & quicquid in Mesopotamia acquisierat pergens ad Isaac patrem suum*,) Idque clarum est in Iosephica accusatione Labani aduersus Iacobum, *Rapuisti*, inquit Laban, *mea bona*, quod ille præter veritatem, & Mosis verba, & mentem facit: nec enim Laban aliud furtum, præter quàm Deorum suorum accusat. Sed nec furtum negat ipsemet Iacob apud eundem, sed eleuat, *Cùm enim*, inquit, *gratiam mihi pro facultatibus tuis conseruatis, & auctis debeas: annum iniquum est ægrè ferre, quod partem earum modicam vsurpauimus*? Quæ responsio satis docet, hæc pecora non pertinere ad oues ex pacto acquisitas, non enim dixisset λαβόντες ἔχομεν, sed ἐμισθοφορήσαμεν. At nihil ipse toto illo loco de mercede, contentus furtum vxoris & mariti eadem serie narrationis pertexere. Si ergo Iacob dimidium pecorum Labani abduxit sibi, quidni abactor & abigeus dicatur, iustísque illorum subiaceat suppliciis? Quomodo non fustuarium ferat? Quomodo tam confidenter idem apud Moysem dicit: *Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ?* Quis autem ferat sanctissimum Patriarcham huius criminis ab eo insimulari, qui se in eius posteris esse glorietur? Qui propterea meritò audiat semen Esaü, & non Iacob; non Iudæus, sed Arabs, quem furti non pudet, sed id fatetur vltro, & propemodum gloriæ segetem putat.

[2. — c. 31. v. 18. & 21.]

XIII. *Rachelem superstitionis.*

Rachelem etiam non exigui criminis ream facit, dum affirmat, vt diximus, eam idola patris abstulisse, vt si fortè pater fugientes assequeretur, *Haberet quò confugeret, veniam impetratura.* Ergo & patrem inductura, vt actum superstitionis erga idola exerceret, si in eorum gratiam parceret delinquenti. Ergo & Iacobo, & toti familiæ scandalum allatura, existimanti eam adhuc idolorum cultui mancipatam, ad quæ beneficium impetratura confugeret, *Ad Beelzebub videlicet Deum Accaron*, vt Ochozias, & non *ad Deum Israël.* Vides igitur quomodo Iudæus hic Rachelis furtum non excusat, quod facit Basilius loco ante citato', & Theodoretus, & Gregorius Theologus, sed mala, & superstitiosa intentione aggrauat.

[3. — 4. Reg. 1. — q. 89. — orat. 42.]

4. ILLVD autem nescio an incuriæ consulendi scripturam, an ab ea dissentiendi XIV.
libidini tribuã: quod cùm ea perspicuè dicat, die tertio nunciatum fuisse Laban, *In aliis parum*
c. 30. 36. quod fugeret Iacob, idque consentaneum sit iis, quæ habentur cap. triges. vbi *religiosè scripturã tractat.*
dicitur Labanum posuisse spatium itineris trium dierum inter se & generum. Ipse
è contrariò, *Labanus*, inquit, *post vnam diem cognito Iacobi & filiarum discessu, indigna-*
tus persequebatur cum valida manu, & septima demum die deprehendit eos. Quomodo non
longè prius assecutus est, si vno tantùm die Iacob anteuerterat iter? cùm hic ne-
c. 33. v. 13. cessario, cum tanta familia lentè incederet, ille expeditus in equis, aut camelis ge-
nerum magnis itineribus persequeretur.

5. Asserit præterea iussisse Deum, vt Laban cum Iacobo feriret fœdus, id si quis
negauerit, & à Iosepho diuinatum dixerit, & additum Scripturæ, non video quid
rectè possit respondere, nisi se id ex probabilitate, & proprio iudicio, vt alibi pas-
sim, sacræ historiæ adiecisse. Hanc ergo censuram dissimulemus licet, quamuis
l. 10. c. 11. ipse audacter asseruerit, nihil sese addere vel detrahere iis, quæ in Hebræis fonti-
bus reperisset.

6. ILLVD tamen non dissimulauerim, parum prudenter à Iosepho præteritam XV.
Iacobi querelam, de mutata decem vicibus mercede sua; de nocturno, diurnóque *Et multa omittit.*
que labore; de suppletis, ac repræsentatis omnibus damnis. Hoc enim significat à
Iacobo tantùm significata; proptereáque sub sua ipse persona ea paucis percurrit,
quæ fuerunt in illa accusatione grauissima, maximéque exaggerata, quam fideli-
ter autem illa pauca ex Hebræo aut Græco repræsentet, facile qui contulerit,
animaduertet.

7. Postremo de inito fœdere hæc parum Scripturæ consentanea. *Post hæc offen-*
1. X. *sa veniam pollicetur*[1], *vicissim alter amorem filiarum, idque iureiurando sancivit. Hoc fœdus*
ictum est super monte quodam, vbi columnam erexerunt aræ specie. Sic ipse. Vbi ergo illa
mutua promissio, fore vt neuter in alterius regionem transiret, cum aliqua nocen-
di voluntate? vbi illa Iacobi de non introducendis aliis vxoribus super filias La-
ban? vbi mentio sacrificij, immolatarúmque victimarum? vbi tumuli, & coacer-
uatorum lapidum, super quos cibum sumpserunt? vbi illud, *Osculatus est filios, & fi-*
lias suas, & benedixit eis? Quid opus erat veniam dare illum, qui fecisset iniuriam?
dixisset saltem, mutuo ipsos à se veniam postulasse.

ET hæc cum Iosepho hactenus. Nunc iter Iacobi in Chananitidem assectemus. XVI.
Iacob ergo *abiit itinere quo cœperat; fuerúntque ei obuiam Angeli Dei. Quos cùm vidisset ait,* *Occurrunt*
Castra Dei sunt hæc. Et appellauit nomen loci illius מחנים *Mahanaim, id est castra.* Inter- *Iacobo Angeli.*
nam fuisse putat hanc visionem Caietanus, & in somno contigisse. In cuius rei si-
gnum nulla intercesserit locutio angelica, sed sola apparitio per modum occur-
rentium, cum intelligentia Iacobi, quod essent tanquam castra summi iudicis.
in trad. Heb. *Pulchrè*, inquit Hieronymus, *ad fratrem iturus inimicum, angelorum se comitantium ex-*
cipitur choris. vt scilicet ei præsidio essent aduersus eum. Sed elegantem aliam tra-
l. 8. c. 2. dit huius occursus causam Rupertus, *Non dictum est*, inquit, *quia apparuit Angelus,*
vel apparuerunt angeli ei, quod & multis accidit, sed dictum est, quia fuerunt ei obuiam An-
geli Dei, quod insigne sonat victoris, & emeriti; cui pro gloria triumphi, pompa cælestis obuiam
procedens, festiua exceptione lætum obsequium præbuerit. Et infra. *Et rectè talem habuit oc-*
cursum, qui sub obedientia peregrè militauerat, in fide certauerat, in spe victoriam perfecerat,
in charitate dilatata eius anima profundissimas beneficiis diuinis gratias agebat, dicens, Mi-
nor sum cunctis miserationibus tuis. Iosephus non meminit Angelorum, ait tantùm ei
visiones contigisse, quæ bonam spem in posterum facerent. Alij Hebræi dicunt
hos Angelos fuisse custodes prouinciæ Chanaan, & Iacobo de eius aduentu con-
gratulatos fuisse, quod eum sperarent animabus fructuosum fore. XVII.

21. 17. IN huius rei memoriam excitata est hoc loco postea vrbs, eius regionis muni- *Oppidum*
c. 2. v. 8. tissima, & pulcherrima, separata Leuitis in tribu Gad, vt patet ex libro Iosue, vbi *Mahanaim*
inter ciuitates confugij memoratur[2]. Ibi regnauit Izboseth filius Saül, vt habes *eius rei monumentum.*
2. X. 2. Reg. 17. 26. secundo Reg. nam vbi legimus, *Circunduxit eum per castra*, in Hebræo legitur, *&*
transtulit eum in Mahanaim, regémque constituit super Galaad, &c. Ibi substitit Dauid, XVIII.
antequam exercitus eius pugnaret contra Absalon. *Legatio Iacobi ad fratrem.*

HAC visione bene animatus Iacob, sperauit fore, vt Dominus immitteret An-
gelos suos, aut, vt est in Hebræo, *Castrametaretur in circuitu timentium eum*, nec ta-

men deſerendam duxit humanam prudentiam, quæ exigebat ne temerè ſeſe fratri committeret, quem ſciebat violentum, & ſibi nõ ſine cauſa infenſum: ſed eum demiſſione animi, & muneribus placaret. Ergo primùm ex eodem caſtrorũ loco *miſit nuncios* in Idumæam honoris cauſa, qui eum ſuo nomine ſalutarent, & de ſtatu rerum ſuarum docerent, ne eum, vt inopem, ſibi oneri fore crederet, aut dedecori. *Volens autem ſcire*, inquit Ioſephus, *animum fratris erga ſe, præmiſit diligenter cuncta exploraturos, timens eum propter veterem ſuſpicionem.* tectius dixiſſet offenſionem. [illegible]
num enim ſuſpiciones tantùm anteceſſere? nónne certiſſimè didicit, vel referente patre, ab ipſo præreptam ſibi fraudulenter benedictionem? Sed pergit. *Quos ita fratrem iuſſit alloqui, vltrò ſe patriam reliquiſſe, ne cum irato fratre degeret, nunc credere tantum temporis ſpatium ſatis valere ad reconciliationem: Ideóque redire cum vxoribus, & liberis, & facultatibus induſtria quæſitis, vt ſe & quidquid earũ haberet, illi dedat; quandoquidem nihil fœlicius exiſtimet, quàm ea quæ Deus largitus eſt, cum fratre habere communia.* Hæc ipſe ex aulica vrbanitate; fortaſſe Iacobi ſimplicitati parum conſentanea.

XIX. *Aduentus Eſau.*

ESAV quoque vice verſa, vt retulerunt legati, venit fratri obuiam cum quadringentis viris, & quidem armatis, vt ait Ioſephus, ſiue ad ſumendam de eo vltionem, quod timebat Iacob, nec diſſimulat Moſes in ſequentibus, & maximè in eius oratione ad Deum: ſiue ad oſtentandam potentiam ſuam, ampliúſque honorandum fratrem, vt vult Abulenſis, & Del Rio. Ioſephus certè vehementer exhilaratum aduentu fratris, obuiam prodiiſſe affirmat.

XX. *Iacobi timor & prouidentia.*

ERGO Iacob *perterritus diuiſit populum, qui ſecum erat, greges quoque, & oues, & boues, & camelos in duas turmas, dicens, Si venerit Eſaü ad vnam turmam, & percuſſerit eam, alia turma, quæ reliqua eſt*, in qua ſcilicet cariora ac precioſiora quæque, *ſaluabitur*, id eſt, ſaluari poterit fugiẽdo; aut ei parcet Eſaü, priori cæde ſatiatus. Abulenſis, Del Rio. Ioſephus autem, *Vt ſi quis primos aggrederetur, ad ſequens agmen haberent refugium.* Non id dicit Scriptura, & ad quod refugium? num vt iuncti pugnarent? pauci videlilicet paſtores, contra quadringentos armatos.

XXI. *Et preces ad Deum.*

INDE ad preces conuertitur, in quibus diuinum implorat auxilium, quod promereri conatur, eximia in Deum fide. *Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Iſaac;* deinde ſpe, quæ nixa ſit promiſſioni eius, & obedientiæ ſuæ cuius æquiſſimum ſit illum rationem habere, ne ab eo inductus videatur in laqueum; *Domine, qui dixiſti mihi reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi.*
Habetur id cap. præcedenti. Accedit grati animi ſignificatio, quæ nouorum beneficiorum maximè pellax eſt. *Minor ſum, & indignus cunctis miſerationibus tuis, &* 31.3.
veritate tua, quam expleuiſti ſeruo tuo. Alludit ad promiſſiones factas in Bethel, quas Gen 28. 13.
implere cœperit, eum valde locupletando, vt qui inops *cum baculo tranſierat* ante viginti annos *Iordanem*, nunc cum tot famulis, equis, camelis, filiis, vxoribus, in duas quaſi acies diuiſis, regrediatur; quæ propterea ad eius qui dederit bonitatem pertineat etiam conſeruare. Vnde ſequitur, *Erue me de manu fratris mei Eſaü, ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis*, id eſt, nihil reliquum faciat; ſed omnia internecione deleat. habet enim prouerbij vicem hæc phraſis, de qua Del Rio, & Toſta- Adag. 36.
tus hoc loco.

XXII. *Et munera ad fratrem.*

PATRIARCHA propitiato ſibi precibus Deo, muneribus placare Eſaü ſatagit; 200
20
ſeponit quinque greges, caprarum, ouiũ, camelorum, vaccarũ, & aſinorũ, quin- 200
gentis & ſexaginta numero capitibus, *placituros*, ait Ioſephus, *propter raritatem;* rari 20
ſcilicet erant aſini in Idumæa, vel terra Chanaan, raræ vaccæ aut cameli, oues, 30
aut capræ, dixiſſet potius propter ἀξίαν, bonúmque habitum ſingulorum. Eos 40
greges Iacob maturè eadem die præmitrit, cum mandatis, animi ſubmiſſione, & 20
ſuauitate pleniſſimis, quæ erat tertia turma, qua Iacob reliquarum turmarum ſa- 20
10
560
lutem redimere conabatur, vt ait Abulenſ. qui etiam putat illa verba, *Dixit enim, Placabo eum muneribus, quæ præcedunt*, &c. eſſe verba Iacobi, ſed probabilius D. Auguſtinus, dicit eſſe Moyſis referentis, quæ ſecum ille cogitaret, cui conſentit Emmanuel Sà. *Præceſſerunt itaque munera ante eum; Ipſe verò manſit nocte illa in caſtris*, eo ſcilicet loco, in quo Angelorum occurſu honoratus fuerat, vnde intempeſta nocte ſurgens, traduxit totam familiam ſuam in duas turmas diſtributam in vado torrentis Iaboc, vt ſenſim progrederentur, eo ordine, qui initio capitis ſequentis deſcribitur. *Dimiſit*, inquit, *filios Liæ, & Rachel, ambarúmque famularum. Et poſuit*

vtrámque ancillam, & liberos earum in principio: Lian verò, & filios eius in secundo loco, Rachel autem, & Ioseph nouissimos.

TRADVCTISQVE *omnibus quæ ad se pertinebant, mansit solus, & ecce vir luctabatur cum eo vsque mane*, id est vsque ad exortam, imò adultam, & penè finientem auroram; nam citò exortus est Sol, vt mox subditur. Ex quo intelligitur verum, XXIII. Quando & vbi lucta contigerit.
v. 31. quod dixi, valde intempesta nocte surrexisse, & Iosephus *nocte agmen mouisse* ait, multum enim temporis necessarium fuit in tot gregibus, & tanta familia traducendis per vadum, pridie in traducendis muneribus exploratum: & in nocturnis tenebris; nisi fortè tum Luna fauebat inceptis. Nec necesse est existimare bonam diei partem in hac traductione consumptam, & postea à Iacobo in Mahanaim solo subsistente, sequentem noctem in oratione & lucta positam, vt putauit Procopius, & aliqui recentiores. Nam ea lucta & oratio contigit Iacobo torrentem transgresso, vbi est locus, dictus postea Phanuel, non citra, vbi Mahanaim, quod ex textu minimè obscurum est, & à Hieronymo apertè con-
in loc. Hebr. firmatur. *Iaboc*, inquit, *fluuius, quo transmisso luctatus est Iacob, aduersus eum, qui sibi apparuerat, vocatúsque est Israel; fluit autem inter Amman, id est Philadelphiam, & Gerasan, in quarto miliario eius, & vltra procedens Iordani fluuio commiscetur.* quod facilè in tabulis Adrichomij agnoscitur. Nec par est credere Iacobum à tota familia tanto loco, & tempore, hoc tam periculoso, ac difficili rerum statu separari voluisse; nec possunt dicere, qui ita sentiunt, vbinam hæc tota familia noctem traduxerit. Satis ergo fuerit huic orationi, ac luctæ vnam circiter horam tribuete, qua durante tota familia aliquantulum antecessit, quam ipse mox facilè con-
3. ℞. secutus est.

CVNCTIS ergo transgressis, circumlustrat Iacob locum, ne quid fortè per XXIV.
negligentiam retro substiterit; & Deo perquam feruidas fundit preces, vt occur- Iacobi lucta cum Angelo.
sum hunc bene prosperare dignetur. Et ecce Angelus Domini, ipsiusmet Patriarchæ custos, viri formam indutus, & habitu inuentus vt homo, Iacobum ad luctam paratus inuadit, ille, tametsi octo & nonaginta annos natus, validè relu-
c. 32. 25. ctatur, nec se ab antagonista deiici patitur. *Qui cùm videret quod* Patriarcham *superare non posset, tetigit neruum femoris eius, qui statim emarcuit.* Non est mirum Angelum Domini, qui potuit exercitum Assyriorum centum octoginta quinque millium armatorum, vnus disperdere, quique nihilominore virtute posset quàm dæ-
Iob. 41. 24. mon, cui nulla vis in terra comparari potest, vni tamen viro, eique seni præualere non potuisse; nimirum sicut ex diuina dispensatione corpus efformauit humano simile, ita & vires assumpsit hominis vnius viribus suppares, ex quo factum, vt Iacobum superare non posset. vt notauit Caietanus. Vt non necesse sit cum Tostato, & Thoma Anglico, simulatam impotentiam Angeli introducere; qua
n. 27. de re vide Pererium. Hæc porrò colluctatio indicium eidem Patriarchæ fuit, se à fratre suo minimè superatum iri. Vnde paulò pòst Angelus, *Si contra Deum fortis fuisti*, id est Angelum, qui Dei locum tenebat, *quantò magis contra homines præua-*
q. 72. *lebis? Voluit*, inquit Theodoretus, *illum fiducia roborare, qui fratrem timebat; quam etiam ob causam victoriam illi concessit.*

VERVM, vt idem mox ait, *ne superbiret, quod sibi Deum superasse videretur, attactu* XXV.
femoris, se volentem esse victum indicauit, solo enim *tactu et torporem induxit*. In superio- Eiusdémque claudicatio.
ti parte femotis, vbi crus terminatur, vt ait Abulensis, duo sunt ossa magna se connectentia, quorum vnum est concauum, & alterum conuexum, caputque vnius rotundum intra cauitatem alterius recipitur, & ei connectitur, in quibus tota corporis moles innititur. Et quia non potest os ossi alligari cùm dura sint, nisi mediante retinaculo, innascitur interea de substantia cartilaginea vtriúsque, quidam neruus (tendinem alij vocant) vtrúmque os connectens, & continens. Et quia in illa concauitate ossis, est ille neruus, inuisibilis est, donec animal laniatim
in hûc loc. laceretur vel discerpatur. Eadem habet Vatab. Per. Caiet. Del Rio. qui consentiunt os inferius loco motum cum graui dolore, & consequenter tendinem ipsum nimia luxatione, & extensione obstupuisse, & quasi marcidum, & inualidum ad tempus aliquod factum esse. Non enim verisimile est eum tota deinceps vita claudicasse. Imò putat Abulensis eum mox, post ortum solis, fuisse sanatum, co-

deinque die rectè ambulasse, ne hinc Esaü haberet occasionem contemnendi fratrem suum; vel certè inquirendi, vnde illi claudicatio contigisset: & sic luctam hanc mysteriis plenam euulgare homini profano contingeret. Tradunt tamen Hebræi, vt refert Hieronymus in trad. femur Iacobi claudicantis in Salem, siue Sichem sanatum fuisse, propteráque eam ciuitatem curati atque perfecti vocabulum consecutam. Sic enim Salem ibi Hieronymus interpretatur. Pagninus Salem vertit, *incolumem*. Verùm Hebræi vndique captant occasiones fabularum. c. 33. 18.

XXVI. *Efflagitat Angeli benedictionē.* IACOB autem cùm ne eo quidem dolore victus cederet, sed colluctatorem comprehensum teneret, *Dimitte me*, inquit Angelus, *iam enim ascendit Aurora*, id est valde inclaruit dies, propinquus enim erat ortus solis. Et tempus huic luctæ diuinitus destinatum erat elapsum, nec eam à viatoribus iam clara luce videri volebat. Et Iacob, *Non dimittam te*, inquit, *nisi benedixeris mihi*. Senserat vtique in hoc luctatore diuinum aliquid, & vel interno lumine illustratus, vel ex percussione femoris, qua & corpore, & animo mirabiliter affectus fuit, sibi cum Angelo Dei pugnam fuisse; quem parum fortasse reuerenter habitum à se, & offensum timens, ab eo benedici voluit, in signum, vt arbitror, integræ, atque illibatæ beneuolentiæ, & vt ea sibi præsidio esset in proximo Esaü fratris occursu. In qua impetranda, & quasi extorquenda, magna vsum animi, corporisque contentione, ex Propheta Osea constat. *In fortitudine sua*, inquit, *directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit, & rogauit eum.* Vbi vide Hieronymum, & Riberam nostrum, cum Christophoro Castrio. Perer. n. 41. c. 12. 4.

XXVII. *Et impetrat mutato nomine.* PERSVASVS ergo Angelus, cum benedicturus de nomine suo interrogat, eique nouum Israëlis nomen attribuit; Addita ratione, *Quoniam*, inquit, *si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis.* in Hebræo est שָׂרִיתָ *princeps fuisti*, siue *superior fuisti*, à verbo שָׂרָה quod apud Pagninum est dominari, principatum habere, superiorem fieri, quæ etiam origo est nominis Saræ, quod significat principem. Eius verbi futurum ישרה isra, cui additur אל el in fine, quod est vnum de nominibus Dei, quoniam dicitur præualuisse aduersus Deum. Eandem probat notationem Iosephus, cùm Israëlem interpretatur, τὸν ἀντιςάντα ἀγγέλῳ θείῳ, *reluctantem* siue *resistentem Angelo diuino*. Cùm ergo Angelus nominis etymon præbeat, meritò Hieronymus reiicit opinionem eorum, qui hoc nomen à videndo Deo deriuant, cùm maximè ea origo octo literas in nomine Israël ponat, cum quinque tantùm scribatur [4]. in trad. 4. 8.

XXVIII. *Angeli nomen.* CVM autem Iacob vicissim nomen Angeli exquireret, vt postea, opinor, celebraret illum, à quo beneficium accepisset, illúmque in periculis inuocaret, vt Del Rio quoque visum est, responsum accepit; *Cur quæris nomen meum*, Theodoretus addit, καὶ τοῦτο ἐςι θαυμαςόν. *Et hoc est admirabile*; quæ verba etiam in aliquibus codicibus Græcis, Latinisque repetiuntur; habet etiam Seuerus Sulpitius. Scholiastes tamen Græcus ait, παρ' οὐδενὶ κεῖται ἐν τῷ ἑξαπλῷ. *nusquam in hexaplo reperies.* Qua de re vide pluribus hoc loco Del Rio. Noluit autem aperire nomen suum, vt Lyrano placet, & Abulensi, quod Angelis non sint indita nomina, ex ratione indiuiduæ ipsorum substantiæ, sed ex officiis diuersis, quæ ipsis diuinitus committuntur, quæ cùm varia, & mutabilia sint, incerta, & inconstantia nomina efficiunt. Sed possent tamen ex vno aliquo officio, quod aliquando exercuissent, deinceps à nobis constanter nominari, alioqui neque Michaëlem nunc, neq; Gabrielem, neque Raphaëlem appellare possemus. Nec sanè video cur dicamus eis non fuisse diuinitus tradita nomina, quando creati sunt, sicut omnibus animantibus ab Adamo; quæ ipsi & norint, & vsurpent inter sese, & si autem ignota sunt nobis, ei tamen explorata sunt, *Qui nouit multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*, nobisque tunc innotescent, quando erimus, *sicut Angeli Dei*. q. 91. l. 1. sacræ historiæ. n. 25. Psal. 146.

XXIX. *Qualis Angeli benedictio.* ANGELVS porrò, qui Iacobo nominis sui cognitionem negat, benedictionem non negat. Nam teste Moyse, *Benedixit ei in eodem loco*, vel nomen mutando, vel bona precando, vel prædicendo, vt ait Sà. Qualis fuerit hæc benedictio scriptum non est: dubium tamen non est sub hac benedictione comprehendi confortationem Iacob, & excussionem timoris à fratre suo. Abulensis post Au- l. 16. de ciu. c. 39.

gustinum, ait benedictionem fuisse mutationem nominis, per quam certior fiebat priores benedictiones in eo impletum iri, & à fratris potentia saluum, & incolumem fore. Quin etiam, ex prædictis verbis intelligitur, eum, qui tanta gratia à Deo donatus fuerat, vt Aogelo præualere potuerit, omnibus etiam inimicis superiorem fore. quo etiam referri potest illud, quod subdit, *Et salua facta est anima mea*, propter certam videlicet fiduciam, nihil sibi mali ab Esaü imminere.

Euanescente demum Angelo, vocauit Iacob eum locum Phanuel, id est facies Dei, quod ibi Aogelum, qui Deum repræsentabat, sub humana specie vidisset, indéque exoriente sole progressus, nonnihil claudicans, ad suos, quos dudum præmiserat, peruenit.

XXX. Iosephus hîc à Hieronymo reprehensus.

1. *in trad.* NVNC breuiter videamus an Iosephus quoque ex hac lucta incolumis euaserit, ao fortasse claudicarit. Diuus certè Hieronymus eius in eoodando Israëlis vocabulo iodustriam, peritiámque desiderat. *Iosephus*, inquit, *in primo antiquitatum libro Israël ideo appellatum putat, quod aduersum Angelum steterit, qaa ego diligenter excutiens, in Hebræo penitus inuenire non potai.* Sic ipse. Inuenerunt tamen alij Hebraicè benè periti, Ribera, & Pererius. *in c. 32. Os. n. 7. in hoc cap. 32. num. 46.* *Equidem nescio*, inquit, *cur interpretatio Iosephi displicuerit Hieronymo, cùm eadem ipsa sit ei, quam tradidit Angelus. Quid enim aliud est validè relactatam esse Angelo, quod ait Iosephus, nisi quod dixit Angelus, fortem fuisse cum Deo, siue cum Angelo?* Sic ipse. At dici posset pro Hieronymo, verbum ἀντιςῆναι significare resisteotiam, oon autem victoriam, quam vox Hebræa comprehendit.

XXXI. Et à Pererio.

2. *n. 31.* PERERIVS qooque. *Illud autem*, inquit, *Iosephi videtur sacra historiæ minimè consonum, quod significat Iacobum sibi ipsi inter luctandam lesisse neruum femoris, quod tamen factum esse ab Angelo perspicuè tradit Scriptura.* Sic ipse. Iosephus ambiguè scripsit, ἐκ γενομένου διὰ τὴν μάχην ἀλγήματος αὐτῷ, περὶ τὸ νεῦρον τὸ πλατύ. *Sed quia latum neruum inter luctandam læsit*, vertit Gelen. siue, *cùm ei dolor aut læsio ex certamine circa latum neruum contigisset.*

XXXII. Et ab auctore.

3. LATVM potius neruum quis meritò arguerit, quem ille ex Septuaginta malè desumpsit, qui latitudinem noo ad neruum, de cuius crassitudine aut latitudine nihil hoc loco Scriptura, sed ad latitudinem supremi ossis coxæ, siue femoris referunt, indicantes supremam partem femoris, quæ exteris crassior est, & latior.

4. Arguerit & illud; *Cùm sensisset*, inquit, *Angelum esse Dei, precatas est vt ex eo fatum suum cognoscere liceret.* τίνα μοῖραν ἕξει. Ἐθνίζει vtique Iosephus, dum profanis se auribus accommodat, & affingit Patriarchæ falsam precatiooem. Neque enim fatum vnquam postulauit Iacob, sed benedictionem, qua scilicet bene sibi precaretur, quod longissimè à fato, & futurorum cognitione distare, quis non videt? Neque ille quidquam de posteritate sua sciscitatus est, sed sibi taotùm in *Ep. n. 6. q. 86. in Gen.* præsenti periculo incolumitatem optauit, atque obtinuit. Vide annum Iacobi 89. & Theodoretum.

XXXIII. Falsum Iosephi oraculum.

5. ADIECTITIVM etiam illud est, ac reiectitiom, *Genúsque eius nanquam defore, nec vllis vnquam humanis viribus posse opprimi*, in Græco est, μηδ' ὑπέρτερόν τινα τῶν ἀνθρώπων τῆς ἰσχύος ἔσεσθαι τῆς ἐκείνου, *neque quemquam mortalium viribas eius superiorem fore.* Nam istiusmodi oraculum falsum, ac commentitium esse omnibus penè sæculis Israëlitæ senserunt, & proximè quidem in Ægypto, deinde Iudicum suorum tempore à vicinis regulis, & populis, deinde ab Assyriis, Babyloniis, Persis, Macedonibus, Asianis, Græcis, Romaois, & nunc ab omnibus vbique populis. Sed beoe Gelenius eius verba in commodum sensum traxit, cùm negat *humanis viribus* oppressum iri. Non eoim homines, sed Deus iocos bellum gerit, & adduxit seruos suos Nabuchodooosores in eorum interitum, quia *Deus* *Deut. 32. 30* *suus vendidit illos, & Dominus conclusit illos.* Sed redeamus ad Iacobum.

XXXIV. Occursus fratrum.

c. 33. 1. ELEVANS *autem Iacob oculos suos*, vt prospiceret quàm longissimè posset, *vidit venientem Esaü, & cum eo quadringentos viros, diuisitque filios Lia, & Rachel.* Non tum primùm diuisit, iam pridie id constitutum fuerat, nunc autem conseruatum, iussis videlicet omnibus, datum sibi ordinem, ac locum accuratè seruare. Duæ turmæ fuerunt, vt interpretatur Del Rio, vna gregum cum seruitiis in suos ordines aptè distributa; & hæc dudum antecesserat; altera

verò quæ hîc deſcribitur tribus ordinibus conſtabat. Primus Zelphæ, & Balæ, cum quatuor liberis ſuis. Secundus Liæ cum ſuis ſeptem. Tertios Rachelis cum Ioſepho, liberos autem ſuis matribus adiunxerat, ardentius pro ſuis affectibus deprecaturas. Sed ipſe hanc totam poſteriorem turmam anteceſſit. Nam ſequitur, *Et ipſe progrediens, adorauit pronus in terram ſepties*, per certa videlicet interualla ſemper appropinquans, ſiue re vera ſepties, ſiue indefinitè, aliquoties.

XXXV. *Et mutuus amplexus, cum veneratione familiæ, & acceptatione munerum.*

QVAM animi demiſſionem admirans Eſaü, & iam muneribus, & verborum, quibus vſi erant famuli Iacobi, lenitate placatus, *Cucurrit ipſemet Eſaü obuiam fratri ſuo, amplexatus eſt eum, ſtringénſque collum eius, & oſculans fleuit. Leuatíſque oculis*, ad ſequentem familiam, *vidit mulieres & paruulos earum & ait, Quid ſibi volunt iſti, & ſi ad* c.33.5.
te pertinent? Reſpondit, paruuli ſunt quos donauit mihi Deus ſeruo tuo, & appropinquantes ancillæ, & filij earum incuruati ſunt. Acceſſit quoque Lia cum pueris ſuis, & cùm ſimiliter adoraſſent, extremi Ioſeph & Rachel adorauerunt. Quibus omnibus aderat præſens Iacob, ad quem rurſus Eſaü, *Quænam ſunt iſta turma, quas obuiam habui.* In Hebræo ſingularis eſt numerus, agit autem de heſterna turma quinque gregum muneribus deſtinatorum, idque ex Iacobi reſponſione intelligitur; etſi enim à paſtoribus tem ipſam intellexerat, inquirit nihilominus à Iacobo, vt occaſionem ſumat vrbanè recuſandi: ſed inſtanti fratri, atque vrgenti vt acciperet, denique ceſſit. *Habeo,* inquiebat ille, *plurima, frater mi, ſint tua tibi. Dixítque Iacob. Noli ita obſecro, ſed ſi inueni gratiam in oculis tuis* (& eam gratiam, & beneuolentiam amplexu, oſculo, lachrymis teſtatus erat) *accipe munuſculum de manibus meis; ſic enim vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei;* quaſi dicat interprete Caiet. *Suſcipe quæſo munus meum, quamuis opulentia abundes, quia non offero tibi ad ſubueniendum indigentiæ, ſed tanquam Deo, ſeu Angelo, cui offertur in ſignum venerationis. Ego enim in ſignum venerationis tibi hæc offero.* Eadem ſenſit Del Rio, & alij. c.33.10.

XXXVI. *Digreſſus fratrum.*

ADMISSIS muneribus offert Eſaü fratri ſuo, ſe ſuóſque itineris comites, quos ille humaniſſimè recuſat, intelligens eos oneri ſibi potius, quàm honori, aut vſui futuros; cauſatus infirmitatem familiæ ſuæ, ac gregum, quos in graue periculum conie̜cturus eſſet, ſi acceleraret iter, vel moleſtiam exhibiturus militaribus hiſce viris, ſi ad greſſus ouium, & mulierum, & paruulorum greſſus ſuos componere cogerentur. Sicque fratrem, omnéſque eius comites, cum bona venia, multáque verborum ſummiſſione à ſe dimiſit.

XXXVII. *An præter mentem locutus fuerit Iacob.*

ILLVD porrò dubitationem ingerit quod Iacob ait, ſe paulatim ſecuturum c.33.14.
Eſaü in Seir, cùm tamen eò non iuerit, nec fortè habuerit tum voluntatem adeundi, ſed id officioſè dixerit, vt ait Caietanus. Clarius Abulenſis, *De Iacobo*, inquit, *fortè melius dicetur, quod ipſe nunquam intendit ire in Seir, nec etiam quando iſtud promiſit, & ſic mentitus eſt; fuit tamen iſtud mendacium officioſum, quod non eſt negandum fuiſſe in Patriarchis, quia non fuerunt viri valde perfecti, quia aliqui eorum mortalia peccata, & ſatis grauia commiſerunt.* Ita Abulenſis, ſatis audacter. Quod Sectarij libenter arripuerunt: Caluinus præſertim, qui ſanctum Patriarcham paſſim hic vellicat, modò mendacij, modò diffidentiæ accuſans. Sapientius vtique, & verius Diuus
Auguſtinus ait *eum mutaſſe ſententiam, & illud quidem veraci animo promiſiſſe, ſed aliud* q.106.
poſtea cogitando delegiſſe, itáque ſentit etiam Del Rio. Verebatur, videlicet Iacob ne illic diutius retineretur à fratre, & reintegrata beneuolentia ſenſim diſiungeretur, antiquo odio leui quapiam occaſione exſuſcitato; ex quo etiam fortaſſe fieret, vt eum apud ſe, cum ſuis omnibus, retineret inuitum.

XXXVIII. *Iacob venit in Socoth.*

ERGO Iacob officioſè à ſe dimiſſo fratre, *venit in Socoth:* Eſaü verò eodem ipſo die profectus eſt verſus Idumæam, expectans vt ſe poſt aliquot dies frater conſequeretur. Verùm Ioſephus ne hunc quidem locum ſine offenſa præterit. Parum quippe fidelem agit Scripturæ interpretem, quæ apertè ait Eſaü voluiſſe fratrem ad ſe in Seir deducere, ipſe autem ἠξίου καὶ αὐτὸς συμβαδίζειν αὐτοῖς πρὸς τὸν πατέρα, volebat eos deducere ad patrem. At neque pater Iſaac erat in Seir, ſed in Hebron, vbi ſenio confectus decumbebat, & de patre nulla hic planè mentio, nec ad eum, niſi poſt multos annos, cum ſua familia profectus eſt.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2296.

N. XV. 1. Μηδὲν αὐτὸν μνησικακήσειν τῶν γεγονότων, se maleuolo animo non fore ob veterem iniuriam.

N. XVII. 2. Aut potiùs in extremo tribus Gad, à Septentrione propè torrentem Iaboc, vt ex hoc capite colligitur, & Iosuë decimo tertio, versu vigesimo sexto. vbi vide Andream Masium.

N. XXIII. 3. Etsi D. Hieronymus in duodecimum Oseæ obiter dicat Iacobum aduersus Angelum tota nocte pugnasse. Eam porrò luctam præter communem aliorum Patrum interpretationem Theodoretus, (in cuius vestigia Caietanus nec opinanter videtur incurrisse, vt suprà notauimus) quæst. 91. in Genes. putat hanc totam luctam fuisse: imaginariam, & in somnis contigisse. nam in eius expositione subdit. *Cùm verò expergefactus esset, femur remansit stupidum, claudicabat, ne putares id quod videret esse imaginationem nudam, sed exactius nosset mysterij veritatem.*

N. XXVII. 4. איש-ראה-אל vir videns Deum ישראל Israël. Confirmatur ex Aquila qui saritha vertit ἦρξας, & Symmachus, ἦρξω.

ANNVS MVNDI 2297. DILVVII 641. TERTIÆ ÆTAT. 259. ISAACI 159. IACOBI 99. RVBEN 15. SIMEON 14. LEVI 13. IVDÆ ET DAN 12. NEPHTALI ET GAD 11. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 10. DINÆ ET IOSEPH 9. PROMISS. 184. BELOCHI PRISCI 31. IMPERII ASSYRIORVM 366.

ANTE CHRISTVM 1756.

Gen. 33. 17. DIGRESSVS à fratre Iacob venit in Socoth, vt proximo anno I. *Mora Iacobi in Socoth.*
dictum est, vbi & residuum illius anni, & præsentem totum
1. 1. Chron. commoratus est. Hebræi enim in Seder Olam cap. secundo aiunt eum illic hæsisse mensibus octodecim, quod sequitur Genebrardus, &, vt videtur, Lyranus, Functius, & alij; qui diu-
qu. 108. in Gen. tiùs eum in Salem commoratum esse volunt, in quibus D. Augustinus, & Polyhistor, quos anno sequenti referemus, quibus omninò Scriptura fauet. Ergo ab eorum sententia discedimus qui octo, aut decem annos attribuunt commorationi Iacobi in Socoth, in quibus Abulensis, Del Rio, Tornicllus, Sethus Caluisius, quoniam cùm plures annos oporteat Iacobum substitisse alterutro in loco, Socoth videlicet, aut Salem, Scriptura huic loco magis fauet, quàm illi, cui etiam antiquorum patrocinatur auctoritas, quorum testimoniis illa caret.

PLVRES autem annos alterutri commorationi esse tribuendos ex eo patet, II. *Et in Salem.*
quod Iudæi, qui Iacobum octodecim tantum menses in Socoth detinent, indéque deducunt in Bethel, quod contigit post Sichimorum cladem, Dinam circa
In cap. 33. Gen. nonum annum nubilem faciunt, & à Sichem Heuæo oppressam, quod perab- *Adit patrem.*
surdum est. Scribit porrò Procopius Gazæus, Iacobum habitantem in Socoth, misisse parentibus suis munera, quæ elegerat de omnibus bonis suis. Non satis intelligo quos parentes dicat. Nam Rebecca defuncta erat, quod non cogitauit Procopius, verùm Iacobus ipse ad eum profectus cum muneribus suis meritò creditur, neque enim Isaac placandus erat præuiis muneribus, sicut Esaü.

ANNVS MVNDI 2298. DILVVII 642. TERTIÆ ÆTAT. 260. ISAACI 160. IACOBI 100. RVBEN 16. SIMEONIS 15. LEVI 14. IVDÆ ET DAN 13. NEPHTALI ET GAD 12. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 11. DINÆ ET IOSEPHI 10. PROMISS. 185. BELOCHI PRISCI 32. IMPERII ASSYRIOR. 367.

ANTE CHRISTVM 1755.

I. *Iacob migrat in Salem.*

CVM Iacob octodecim circiter menses mansisset in Socoth, inde mouens, *Transiuit in Salem, vrbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan*, vt ait Scriptura, non autem in Bethel, vt Rabbini Sederolamitæ putant, quos secutus est Genebrardus, vt solet, qui aiunt è Socoth migrasse in Bethel, & ibi mansisse sex menses, sed eos, & Scriptura cumulatè refellit, quæ interserit transitum in Salem; & ipsa ratio. Nam nisi post stragem Sichimorum, quæ contigit ob Dinam vi oppressam, itum non est in Bethel, [c. 33. 18. c. 35. init.] vt ex eadem Scriptura constat, erat ergo nubilis quando id scelus perpetratum est, non autem nouem annorum duntaxat, vt isti putant.

II. *Quandiu ibi commoratus sit.*

DICENDVM igitur Iacobum octo annis mansisse in Salem, in quorum vltimo, qui fuit mundi bis millesimus trecentesimus quintus, Dinæ vitium oblatum est, cùm annum ageret decimum sextum; & Sichimitis clades illata, vt postea ex Alexandro Polyhistore docebimus. Certè pluribus annis hic habitasse Patriarcham illa Mosis narratio satis docet; quæ habet *eum postquam reuersus est de Mesopotamia Syriæ, habitasse iuxta oppidum Salem, atque adeò ibi emisse partem agri, in qua fixerat tabernacula.* Quem locum explicans D. August. simúlque respondens dubitationi, [q. 105. in Gen.] quomodo filij Iacob, qui paulò antè teneri à patre dicebantur vrbem Sichimorum deleuerint, ait, *Sed intelligendum est diu illic habitasse Iacob, donec & filia eius virgo*, id est nubilis, *fieret, & filij iuuenes*, & recitatis Scripturæ verbis subdit. *Apparet ergo his verbis, non transeunter, sicut viator solet, illic mansisse Iacob, sed agrum emisse, & tabernaculum constituisse, aram instruxisse, ac per hoc diutiùs habitasse*, &c. Alexander quoque Polyhistor apud Eusebium. ait Iacob habitasse apud Hemor annis decem, [l. 9. de prep. cap. 4.] sed isto decennij tempore, etiam habitatio in Socoth continetur, quam Tostatus putauit decem annorum fuisse, quare autem reliquerit Socoth, *in qua ædificauerat domum*, an propter sterilitatem loci, aut malignitatem incolarum, an verò vt transmisso Iordane vicinior esset parenti, non liquet.

III. *Quæ esset Salem.*

RECTE' autem ait Moses Iacobum transmisisse in Salem. Nam Iordanis interiectus est inter vtrúmque locum: & vt Socoth pertinuit ad tribum Gad, ita Salem ad tribum Manasse; quæ habitauit cis Iordanem, vt vult Adrichomius in [n. 52.] eodem tribu. Porrò hanc Salem eandem esse cum Sichem auctor est Iosephus, & [l. 1. ant. c. 15. sub fin.] Hieronymus in locis Hebraicis, & in Epistola ad Euagrium, & rursus in tradit. [Epist. 126.] quibus assentiuntur Abulensis hoc loco, Adrichom. in tribu Ephraim, Del Rio [q. 91.] hic, & Pererius. Iosephus autem sicut geminam Salem, ita & geminam Sichem [q. 11. n. 10.] constituit, neque hanc Salem ponit ad Iordanem vt Adrichom. quamuis eius situs apud Hieronym. sit satis incertus. *Num vox appellat.* Qui autem vocem Salem hoc loco, nomen appellatiuum putant, quo significetur saluus, siue incolumis, vt dicatur Iacob venisse incolumis in Sichem, non autem venisse in Salem vrbem Sichimorum, aduersarios habent Septuaginta interpretes, quibus de more consentiunt omnes Græci patres, & D. August. & quos paulò antè referebamus. Est autem eadem [qu. 108. in Gen.] phrasis, ac si diceremus; venit Lutetiam, ciuitatem Parisiorum.

IV. *Emit ibi agrū Iacob.*

HABITAVIT autem non in vrbe, sed *iuxta oppidum*, tum quia capax non erat [v. 18.] tantæ multitudinis, vt par est credere ex subsecuto euentu, tum quia nolebat subiici principi ciuitatis, vt ait Caietanus, aut ne cum idololatris habitaret, Abulensis. [c. 34.] *Emítque partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor patris Sichem.* Filios

vocat subditos, nimirum sicut & Reges vocantur patres populorum, & patres patriæ: sic serui Nahaman, dominum vocabant patrem, & Senatores dicti sunt patres. Videtur autem celebrata emptio cum Sichimitis, qui communem aliquem locum vendiderint. Vide Abul. & Del Rio. [4 Reg. 5. 13.]

V. *Et quo pretio.*

Sed precium agri valde exiguum videtur: quid enim sunt centum agni, ad agrum vnum, iuxta ciuitatem positum? præsertim cùm multum ei loci necessarium fuisse videatur, ad tentoria tam magnæ familiæ exeitanda, & totum eum locum, non partem eius emisse dicatur; emit enim partem agri, quam tentoria occuparant. Respondet Abulensis terram tum vili precio emi potuisse, vt quę nondum multum habitabatur; & rectè quidem. nam infra Sichem ait ciuibus suis *terram spatiosam, & latam cultoribus indigere*. Quanquam aliqui legunt *partem agri, in quo*, vt scilicet totum locum, quem tentoria occupabant non emerit, sed partem, puta quantum esset opus ad altare & sepulturam, vt colligitur ex libro Iosuë extremo. Alij ambiguè habent, vbi, pro in qua.

VI. *An centum minis?*

Non esset autem exiguum precium, si pro ἀμνῶν in Græco legeretur μνῶν, vt vult Eugubinus, eámque vocem non denarium ipsemet, aut obolum verteret cum Lyrano; aut nummum vt Pagninus, Masius, Caietan. Tigurina quoque, Fagius, & plerique sectarij; quibus non fauet D. Stephanus, vt explicatum est suprà, [Act. 7. ann. 137. Abrahæ.] sed minam. Quæ continet centum drachmas, quarum singulę sunt tres solidi cum dimidio, & consequenter mina septendecim libræ cum dimidia, & centum minæ mille septingentas quinquaginta libras capiũt. Verùm neque Hebræa vox istis hebraizantibus fauet, est enim קְשִׂיטָה Kesitah [1], non Maneh. & vulgatæ nostræ fauet [1. X.] Onkelos, Montanus, Vatablus, Oleaster; Perer. autem, Del Rio, & Abulensis editionem vulgatam meritò tuentur, quæ confirmatur ex capite vigesimo quarto [vers. 32.] Iosuë.

VII. *Pietas Iacob.*

Sed vide statim Patriarchæ pietatis argumentum, vt enim emit agrum, statim *erecto ibi altari, innocauit super illud fortissimum Deum Israel*, sacrificauit ibi scilicet, & Deo suo altare consecrauit, & inscripsit sub titulo *Ara Dei fortis Israel*. Vide Caiet. & Del Rio.

Refert in hunc annum Torniellus coniugium Iudæ, qui iam ingressus esset annum decimum tertium. Verùm hæc acceleratio nuptiarum tam Iudæ, quàm filiorum eius, parum mihi fit probabilis; nec puto incommodum hoc minùs esse; eo quod ipse formidat, ne scilicet filij Pharez nati non sint ante ingressum Iacobi in Ægyptum. qua de re suo loco pluribus agemus.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2298.

קְשִׂיטָה valet, vt volunt antiqui Hebræi apud Masium in caput vltimum Iosuë, ferè quatuor vnciis Gallicis. ergo centum Kessich, valebunt mille & centum libris Turon.

ANNVS MVNDI 2300. DILVVII 644. TERTIÆ ÆTAT. 261. ISAACI 161. IACOBI 102. RVBEN 18. SIMEON 17. LEVI 16. IVDÆ ET DAN 15. NEPHTALI ET GAD 14. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 13. DINÆ ET IOSEPH 11. PROMISSI. 187. BELOCHI PRISCI 54. IMPERII ASSYRIORVM 369.

ANTE CHRISTVM 1753.

QVINQVAGENARIA periodus annorum ab orbe condito quadragies & sexies circumuoluta hoc anno concluditur. Quod autem Torniellus etiam tertium Iudæ filium natum hoc anno putat, paulò antè improbatum est.

ANNVS MVNDI 2301. DILVVII 645. TERTIÆ ÆTATIS 163. ISAACI 163. IACOBI 103. RVBEN 19. SIMEONIS 18. LEVI 17. IVDÆ ET DAN 16. NEPHTALI ET GAD 15. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 14. DINÆ ET IOSEPH 13. PROMISSI. 188. BELOCHI PRISCI 35. ET VLT. IMPERII ASSYRIORVM 370.

ANTE CHRISTVM 1752.

Obitus Belochi Prisci. INCREDIMVR hoc anno in Iubilæum quadrageſimum ſeptimum, quo ipſo anno Belochos Priſcus & regno & vita egreditur, iuxta Euſebij Chronicum: cui cur non conſentiat noſtra Iubilæorum ſupputatio, non vno in loco diximus.

ANNVS MVNDI 2302. DILVVII 646. TERTIÆ ÆTAT. 164 ISAACI 164. IACOBI 104. RVBEN 20. SIMEON. 19. LEVI 18. IVDÆ ET DAN 17. NEPHTALI ET GAD 16. ASER, ISSACH. ET ZABVLON 15. DINÆ ET IOSEPH 14. PROMISS. 189. BALÆI 1. IMPERII ASSYR. 371.

ANTE CHRISTVM 1751.

I. *Balæus decimus Rex Aſſyriorũ.* BALÆVS Imperio Aſſyriorum ſuccedit, quod tenuit annis duobus & quinquaginta, quem Euſebius in Chronico nonum, nos cum Auguſtino decimum appellamus. (l. 18. de ciu. c. 4.) Quidam hunc Balæum ſecundum ſiue iuniorem appellarunt, propter Xerxem, qui & Balæus dictus eſt, vt diximus initio regni eius. (ann. mundi 2199.) Quæ autem obiter de eius geſtis, aliqui referunt, ex commentitio Beroſo depromſerunt.

II. *Ioſephi pueritia.* AD HVNC circiter annum, quo ad finem vergente Ioſeph decimum quartum ingreſſurus erat, exiſtimamus pertinere quæ Moſes de Ioſephi pueritia narrat; (cap. 37. 2.) non enim omnia illo eodem anno, quo venditus eſt, contigerunt, licet eodem loco narrata ſint, ſed Moſes inuidiæ cauſas ex alto repetiit. Idque ex multis intelligi poteſt, nam mors Rachel, quæ narratur cap. 35. nondum contigerat tempore ſomniorum Ioſeph: cùm Iacob dicat; *Num ego, & mater tua, adorabimus te ſuper terram.* (v. 19.) Rurſus cùm dicitur cauſa eximiæ dilectionis Ioſeph, *quod in ſenectute ipſum pater genuiſſet*, indicatur Beniaminum nondum natum fuiſſe, alioqui hæc cauſa in in iſtum potiùs, quàm in illum congrueret. Quin & ipſe Moyſes ſignificat accuſationem fratrum factam à Ioſepho puero; venditionem autem anno decimo ſeptimo, ſic enim vertit Pagninus. *Ioſeph cùm eſſet natus ſeptendecim annos, paſcebat cum fratribus ſuis pecudes; & erat puer cum filiis Bilhah, & cum filiis Zilpah vxorum patris ſui, retulitque Ioſeph infamiam*, &c. Vbi vides puerum interiecta interpunctione referri ad ſequentia, non ad præcedentia, quæ diſtinctio habetur in Hebræis, Græcis, & Chaldaicis codicibus; quod mirum eſt neque à Toſtato, neque à Lyrano, ac ne à Caietano quidem, aut recentioribus animaduerſum, aut notatum.

III. *Cum filiis ancillarũ.* HOC ergo circiter anno cũ Ioſeph adhuc puer eſſet verſabatur cum filiis Balæ & Zelphæ, Dan ſcilicet & Nephthali, Gad & Aſer, qui à reliquis contemnebantur, tanquam filij ancillarum, vt aiunt Lyran. & Toſt. ad quorum conſolationem Ioſeph filius vnicus vxoris dilectæ, ſeſe humaniſſimè adiungebat. Placet coniectura Del Rio. *Fortè*, inquit, *Iacob gregum curam diuiſerat, ita vt partem curarent ſex filij Liæ, alteram quatuor filij ancillarum, cum quibus Ioſephum iunxit, quia non tam ægrè*

ferebant isti minorem natu sibi præferri; priores illi tumebant uxore primaria, & superstite adhuc, & seniore, & ingenua nati. Sic ipse. Sed viuebat adhuc & Rachel, vt paulò antè diximus.

IV. *Accusatio Iosephi.*

CÆTERVM quod accusati dicuntur à Iosepho fratres sui, *apud patrem crimine pessimo*, dubitationem habet ex Septuaginta, qui viceuersa habent Iosephum accusatum à fratribus; sed facilem affert, ac probabilem conciliationem Del Rio, Iosephum priorem accusasse fratres, tum illos viceuersa recriminatos Iosephum, sicut Iudæi Christum accusarunt apud Pilatum, multis eum calumniis onerantes; sed prior ipse verissimorum criminum eos accusarat, quòd hypocritæ, quòd superbi, quòd filij diaboli, &c.

V. *Et cuius criminis.*

QVOD autem hoc crimen pessimum? in Hebræo dicitur infamia mala. *Retulitque*, inquit Vatablus, *sermonem ipsorum malum patri suo*, id est, conquestus est apud patrem suum de probris, quibus afficiebant eum fratres eius. Sic nimirum solent pueri deferre querelas suas ad patrem. Eum autem illi vexabant, ex inuidia eximij in eum amoris paterni, vt mox sequitur. Nec necesse est hîc infamia peccata comminisci, inuidia enim crimen satis magnum est, & verò meritò pessimum dicitur, vtpote charitati virtutum omnium maximæ, ac præstantissimæ directò oppositum. Scribit auctor testamenti Patriarcharum Iosephum fuisse cum fratribus in pascendis gregibus ad dies triginta, verùm quod delicatior esset, atque tenerior, ex æstu in morbum incidisse. Ideóque ad patrem in Hebron rediisse, eique retulisse quod filij Balæ, & Zelphæ dilapidarent bona, & deuorarent ipsa, insciis Iuda & Ruben: indéque Gad fatetur feodium concepisse, vsque in diem venditionis eius; sæpéque eum occidere voluisse.

VI. *Specialis amor Iacobi in Iosephum.*

ISRAEL *autem diligebat Ioseph super omnes filios suos, eò quod in senectute genuisset eum.* Certè cùm omnes filios suos intra septennium genuerit, & cùm genuit Ruben primogenitum suum, octoginta quinque annorum fuerit, videtur omnes in senectute genuisse; id tamen magis conuenit Iosepho, quia is omnium vltimus [num 2.] patri tunc natus erat. Beniamin enim nondũ viuere cœperat, iuxta ea, quæ suprà [1.2.ant.c.2.] diximus, quæ est etiam Tornielli sententia. Hanc amoris singularis causam omisit Iosephus, alias protulit non improbabiles. *Iosephum*, inquit, *è Rachele sibi natum pater tum ob corporis præstantiam, tum ob animi virtutem, erat enim prudentissimus, præ cæteris liberis amabat. Is parentis affectus, odium & inuidiam fratrum in eum prouocauit.* Onkelos videtur secutus Iosephum, cùm ait puerum hunc à patre præ cæteris dilectum. *Quoniam*, inquit, *filius sapiens erat ei*, nimirum intellexit Iosephum dici in Hebræo, *filium senectutis*, quasi filium senilis prudentiæ. Sed verissimus sensus est, quem Hieronymus in vulgata expressit, magisque bonis interpretibus probatus.

VII. *Quem prodit vestis polymita.*

SIGNVM huius amoris est, simúlque ætatis puerilis argumentum, quòd Iacob *fecit ei tunicam polymitam*, id est multis liciis textam, & quidem diuersorum colorum, propterea enim Septuaginta, *variam tunicam* vertêre. Id autem duobus modis contingere potuit, vel vt licia per certa interualla, aut figuras variorum colorum intexerentur artificiosè inter stamen & subtegmen, & sic tota vestis à capite ad calcem diuersicolor erat, quæ videtur communis sententia; aut vt placet Oleastro, tunica fuerit, non ex diuersis filis diuersorum colorum, sed ex diuersis particulis diuersicoloribus; quare vertendum arbitratur, fecit ei *tunicam partium*, siue *particularum*, scilicet propter vocem Hebræam, פס pas, quæ frustum, siue particulam sonat. Quæ expositio si placet, posset intelligi, vestem adiectis in limbo, aliisque locis idoneis, diuersorum colorum fasciolis, fuisse variegatam. Fuisse autem [Gen.37.23.] huiusmodi *vestem talarem.* Aquila intellexit, qui vertit χιτῶνα ἀστραγάλειον. Fuisse & *manicatam* docuit Symmachi versio apud Hieronymum in tradit. habent enim tu- [Virg. 9. Æneid.] nicæ manicas quibus carebant colobia. Cùm ergo hac tunica insignis Ioseph fulgeret inter fratres, eorum perstrinxit oculos, quibus in eum magis ac magis doluerunt. Accesserunt & somnia, quæ possumus in sequentem annum differre.

VIII. *Sacerdotium Leui.*

HOC anno, qui est Leui decimus octauus, si quid credimus libro qui testamentum Patriarcharum inscribitur, idem Leui diuinitus factus est sacerdos, vt tertio capite ibidem legitur. *Venimus*, inquit, *in Bethel, & ibi rursus videbam rem quemadmodum prius, postquam sacrificaui dies septuaginta. Et vidi septem homines in*

veste alba, dicentes mihi: Exurge, indue stolam sacerdotij, & coronam iustitiæ, & rationale intellectus, & poderem veritatis, & petalum Leui, & mitram signi, & Ephot Prophetiæ, & vnusquisque ipsorum vnumquodque portantes, imposuerunt mihi, & dixerunt: A modo esto Sacerdos Domini, tu, & semen tuum vsque in seculum. Et primus vnxit me oleo sancto, &c. quæ sunt fabularum simillima. Certè Chronologia vacillat. Nam Leui agebat vigesimum primum annum cùm ventum est in Bethel. Nec si Aaron in eius nepotibus summum obtinuit sacerdotium, ideò etiam Leui sacerdos fuit: cui nec primogenitura, nec vlla prærogatiua fauet.

ANNVS MVNDI 2303. DILVVII 647. TERTIÆ ÆTATIS 165. ISAACI 165. IACOBI 105. RVBEN 21. SIMEON 20. LEVI 19. IVDÆ, ET DAN 18. NEPHTALI ET GAD 17. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 16. DINÆ ET IOSEPHI 15. PROMISS. 190. BALÆI 2. IMPERII ASSYRIORVM 372.

ANTE CHRISTVM 1750.

I. *Somnium manipulare Iosephi.* Hoc initio adolescentiæ Iosephi, nam decimus quartus annus erat in cursu, & decimus quintus imminebat, Patriarcha Iacob, vt duris assuefaceret filium, quamuis vtrique parenti longè charissimum, eum labori ligandorum manipulorum in sole feruido applicabat, quando eidem Iosepho somnium manipulare contigit. Nam vt ait Nazianzenus,

φροντίσιν ἡμεριναῖς ἐναλίγκια φάσματα νυκτός.
Visa etenim curas referunt nocturna diurnas.

Et Claudianus libro tertio,

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.

Sic & Iosephus putabat *se ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum suum, & stare; fratrum autem manipulos circumstantes adorare manipulum suum.* Apparet autem hæc somnia ad diuersum tempus pertinere à prædicta accusatione, quæ ad quatuor tantùm pertinebat, quibuscum eo tempore morabatur. Hæc autem somnia ad omnes pertinent, & innuunt communem commorationem, & opus in agris. Quo somnio audito *fratres*, qui iam *oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui*, cum stomacho responderunt. *Nunquid Rex noster eris? aut subijciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum, inuidiæ, & odij fomitem ministrauit.*

II. *Iosephus prius Iosephi somnium narrat.* Hoc prius Iosephi somnium parum fideliter retulit Iosephus. sic enim habet. *Missus cum fratribus à patre ad colligendas fruges, messis tempore visionem vidit, quæ non poterat existimari vna ex istis vulgaribus, quales in somnis obuersari solent: eam experrectus fratribus interpretandam narrauit, dicens visum sibi præterita nocte suum tritici manipulum stare loco, illorum verò manipulos accurrentes adorare eum: quòd videbatur & amplam fortunam ipsi prænunciare, & fratres quoque in eius potestate futuros. At illi nihil tale Iosepho sunt interpretati, dissimulantes se intelligere, sed taciti precabantur irritum fieri præsagium, ipsúmque maiore etiam odio prosequebantur.* Hactenus Iosephus. lib. 2. c. 3.

III. *Non satis fideliter.* In quibus tria meritò quis possit arguere, duo præter Scripturam, tertium 1.
etiam contra ipsam; adiectitium enim, ac reiectitium est experrectum fratribus somnium interpretandum narrasse. Nulla est enim apud Mosem mentio oblatæ istius interpretationis. Adiectitium etiam quod fratrum manipulos, ad augendum miraculum, currentes inducat. nimirum περιστραφέντα Septuaginta interpretum, ipse mutauit in προστρέχοντα. Nisi fortè in vitiosum ipse codicem Septuaginta interpretum inciderit; aut certè corruptus fuerit eius liber. 2.

Illa autem fratrum dissimulatio, & racitæ preces, contra Sctiptutam sunt, quæ
3. perspicuè narrat illos cum stomacho, atque indignatione respondisse; *Nunquid rex noster eris, aut subiiciemur ditioni tuæ?* Vel vt ad verbum est in Hebræo, & Græco; *Nunquid regnando regnabis super nos? num dominando dominaberis nobis?*

ANNVS MVNDI 2304. DILVVII 648. TERTIÆ ÆTATIS 266. ISAACI 166. IACOBI 106. RVBEN 22. SIMEON 21. LEVI 20. IVDÆ ET DAN 19. NEPHTALI ET GAD 18. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 17. DINÆ ET IOSEPHI 16. PROMISS. 191. BALÆI 3. IMPER. ASSYRIORVM 373.

ANTE CHRISTVM 1749.

Gen. 34. AGVNT hoc tempore Dina & Iosephus vitæ annum decimum quintum, & inchoant decimum sextum: quo anno existimar Pererius vim oblatam Dinæ, cui consentit Torniellus. Alexander autem Polyhistor. apud Euseb. de præparat. Euangelica, rectius opinor in sequentem annum differt, quem & nos sequemur. I. *Alterum Iosephi somniũ de Sole & Luna, stellisq; vndecim.* (Anno 3. ætat. 192. l. 9. c. 4.)

Ad ptæsentem autem quod attinet, hûc referimus alterum & posttemum Iosephi somnium. Etsi enim nihil super ea re certo affirmare possumus, non inani tamen coniectura ducimur, id hoc circitet tempore contigisse. Nam somniorum memoriam tecentem fuisse conuenit tempore venditionis, quæ con[illegible]it anno sequenti, quando dicebant, *Ecce somniator venit, venite occidamus eum.* Aliud ergo *somnium vidit*, quod dum fratribus exposuit, ignem camino addidit; (c. 37. 9.) *Vidi*, inquit, *per somnium quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me. Quòd cùm patri suo, ac fratribus retulisset, increpauit eum pater suus, & dixit. Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? Num ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Hoc somnium adolescentulus patri candidè, fratribúsque retulit, vnde contigit, vt à sene arguetetur, reprehendente puerilem, vt apparebat, vanitatem; & à fratribus maiorem in modum odio haberetur, quòd pater dilectum filium increpando, lenire cupiebat. Ea tamen relatio somnij, eximij candoris, ac puerilis simplicitatis argumentum fuit, quæ nihil mali de fratribus suspicaretur, tametsi ab ipsis, propter telationem prioris somnij, obiurgatus fuisset.

TAM perspicua, ac diserta mentio matris Iosephi, valde confirmat nostram chronologiam, quæ Rachelem hoc quoque anno tetinet in viuis, eius autem mortem, & Beniamini natiuitatem, in sequentem annum differt. Nodus autem de stellis vndecim quem nectit Caiet. vnde inferri videtur, natũ iam huius somnij tempore Beniaminum, facilè Dina dissoluit. Cur enim illi minus stellæ nomẽ, quàm fratribus eius conueniat? Nam hæc quoque cum patte in Ægypto fuit, & fratrem suum, cum cætetis venerata est. Neque verò minus veridicum est somnium, quamuis mater eius eum in Ægypto non adorauerit, diu scilicet ante defuncta. Sensus enim est, Iosephum ad tantam dignitatem euectum iri, vt proprer illam, etiam à patre & matre, illi ciuilis adoratio deberetur; & si ad ignotum venissent, vt eius fratres etiam adoraturos. Hæc ferè sensit Chrysostomus. (hom. 66.) *Sed fortè dixerit aliquis, & quomodo impletum est somnium in matre, quæ iam ante defuncta erat, & filium non adorauit?* Respondet autem primo, censeri illam adorasse, quia vir eius, qui caput eius est, adorauit. Deinde, *Si pater*, inquit, *hoc fecit, multò magis illa, nisi ex hac vita prærepta fuisset, hoc fecisset.* II. *Explicatur.*

(l. ant. c. 2.) CÆTERVM ne hoc quidem somnium satis vigilanter retulit Flauius noster, *Vidit*, inquit, *Solem cum Luna, & vndecim stellis descendere in terram*, hoc apertè additum Scripturæ, *& adorare ipsum. Hoc somnium in præsentia fratrum, nihil mali de illis suspicatus, patri indicauit, rogans vt interpretari dignaretur.* Additum & hoc quoque, III. *Et à Iosepho parum vigilanter.*

quod ei non mediocri fuit voluptati. Fortasse quidem, propter eximium in ipsum amorem; sed contrarium potius Scriptura demonstrat, cùm ex ea constet à patre increpitum adolescentulum, sibi per simplicitatem inuidiam fratrum conflantem, & rem ipsam, quasi absurdam, reiectam.

ANNVS MVNDI 2305. DILVVII 649. TERTIÆ ÆTATIS 267. ISAACI 167. IACOBI 107. RVBEN 23. SIMEON 22. LEVI 21. IVDÆ ET DAN 20. NEPHTALI ET GAD 19. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 18. DINÆ ET IOSEPHI 17. PROMISS. 192. BALÆI 4. IMPERII ASSYRIORVM 374.

ANTE CHRISTVM 1748.

I. *Gemina Iacobi afflictio.* FINITVR hoc anno decimus sextus Dinæ & Iosephi annus, & inchoatur decimus septimus vtriusque, quo grauissima calamitas Patriarcham afflixit, & eius insignem patientiam vehementer exercuit, eóque vehementius, quòd ipsius calamitatis remedium, ipsa calamitate tristius, ac luctuosius fuit. Violatio videlicet Dinæ, & vrbis vastitas inde consecuta.

II. *Ratio temporis.* TEMPVS accuratè confirmatur à Demetrio apud Eusebium, si pro decem annis commorationis in Sichem substituas octo, quòd duo priores anni, tam reditui ex H[illegible]on, quàm commorationis in Socoth debeantur. *Habitasse autem*, refert Demetrius, *Israelem apud Emmor decem annis, & corruptam fuisse eius filiam Dinam à Sichem filio Emmor, annos agentem sexdecim, & quatuor menses, prouectis autem filiis Israel*, omittitur Ruben, sed eius ætas supplenda est, ex iis, quæ ibi paulò antè præcedunt, de singulorum ætate in digressu ex Mesopotamia, *Ruben ad annum vigesimum secundum & menses duos; Simeone ad vigesimum primum & menses quatuor: Leui ad vigesimum & menses sex.* Et paulò pòst. *Iacob autem tunc erat annorum centum & septem.* Hæc ibi. Vnde corrigas Latinos codices in quibus legitur Dina rapta, cùm annum sextum ageret, & quatuor menses, Pererius habet natam annos decem, sed vterque numerus coniungendus est, iuxta veritatem textus Demetrij (quam in Latino frustra requiras, interprete passim multa non optima fide prætermittente) & iuxta ætatum conuenientissimam probabilitatē. In testamento Patriarcharum, Leui ait se fuisse quasi annorum viginti, quando cum fratre Simeone fecit vindictam de Sichimitis. *l. 9. de præparatione cap. 4.* *in cap. 34. num. 1.* *cap. 3.*

III. *Occasio violatæ Dinæ.* OCCASIONEM facinoris huius Moyses paucis explicat. *Egressa est*, inquit, *Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius.* Iosephus ait, *venisse in vrbem, cùm esset celebritas apud Sichimitas, vt videret cultum mulierum regionis illius.* Theodoretus apud Euseb. de præparatione in Græco eius codice (nam in Latino tres totas paginas prætermisit interpres) ait Iacobum ab Euphrate, venisse in Sichima ad Emmor, illum autem suscepisse hunc, & partem regionis dedisse. Et ipsum quidem Iacobum terram coluisse, filios verò eius vndecim pastores fuisse. Filiam autem Dinam, & mulieres lanificium tractasse. Et Dinam virginem existentem in Sichima venisse cùm mercatus esset, volentem videre vrbem. Quam Iosephus vocat ἑορτὴν, Theodoretus appellat πανήγυριν, tempus quo venit Dina in Sichem. Augustinus ait Iacobum in Salem diutius habitasse. Interea verò filiam eius, cùm ad eam venisset ætatem, vt amicas iam habere posset, condiscere voluisse filias loci illius. Septuaginta habent καταμαθεῖν, significantes non simplicem hanc visionem fuisse, sed familiarem consuetudinem, qua personarum studia, & mores addiscantur. *l. 9. c. 4. de præpar.* *q. 108. in Gen.*

IV. *Opprimitur à Sichē.* QVAM *cùm vidisset Sichem filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit eam;* nempè, vt ait idem Theodoretus, *cap. 34. a.*

Κούρη

Κούρη Δίνα περικαλλὲς ἔχουσα
Εἶδος, ἐπίθρεπτον δὲ δέμας, καὶ ἀμώμητα θυμόν.

Puella Dina perpulchram habens formam, bene nutritum corpus, & laudabilem animum. Et rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. Et conglutinata eſt anima eius cum ea, triſtémque deliniuit blanditiis. In textu Hebræo habetur. *Et locutus eſt ad cor puellæ*, id eſt blanda, & dulci, & beneuola oratione puellam eſt allocutus: ſed cùm dubium relinqueretur, taliſne oratio crimen anteceſſiſſet, an ſecutum fuiſſet, explicans Hieronymus ait, *triſtémque deliniuit blanditiis*, & licet id dubium facilè, ex narrato iam flagitio, tolli poſſet. Procopius tamen hæc verba ad anteriora etiam transferri poſſe exiſtimauit. *Solatia*, inquit, *& blanditias adhibuit, animum eius conſolando. Vel ea dixit, quæ ſciuit puellæ fore gratiſſima, vnde liquet quod non inuitam, nec per vim, ſed quaſi conſentientem*
q. 107. *oppreſſerat*. Sic ipſe. Et eadem penè ſenſiſſe videtur Auguſt. etſi nihil ea de re aſſerat.

MALIM eas blanditias, & conſolationem referre ad futuras nuptias, quibus culpæ ac dedecori remedium, quod poterat, afferretur. In quas etiam conſenſiſſe, ex eo fortaſſe colligi poteſt, quòd Sichem quamprimum tam patrem ſuum adiit, vt eam ſibi coniugem acciperet, quàm, ipſius interuentu, puellæ parentem Iacobum, vt id coniugium gratum haberet ac ratum, etſi præproperè, atque intemperanter conſummatum. Interea verò Iacob rumore nuncio rem didicit, ac diſſimulauit, donec filij è paſcuis reuerterentur. Qui *audito quod acciderat, irati ſunt valde*.
V. *Delinitur ſpe coniugij.*
cap. 34. 7.

NIHILOMINVS petit Hemor à patre, ac fratribus puellæ eam in vxorem filio ſuo, & vniuersè connubiorum, & regionis ipſius communicationem inter Iſraëlitas, ac Sichimitas. Vtriſque inſtat etiam Sichem, & ſe ad omnia dotis onera, numeráque paratum exhibet, qua de re, etſi ſuprà dictum eſt aliquid, libet hoc loco addere, quæ notat Del Rio. *Licet ſponſa ſit ſponſo dotem dare, non tamen id rapta eſt. Ideò ait ſe dotaturum illam de ſuo. Cedebat hoc in magnum puellæ commodum, quia dotis proprietas ei acquirebatur, manſura ſoluto matrimonio. Cedebat etiam in Iacobi bonum, cuius erat filiam dotare. Cedebat in fratrum lucrum, quibus ſic plenior hæreditas paterna manebat.* Sic ipſe, quæ ex parte habet Abulenſis, & conſentanea ſunt iis quæ poſtea diuinitus conſtituta ſunt. *Si ſeduxerit quis virginem*, ait Dominus, *necdum deſponſatam, dormierítque cum ea, dotabit eam, & habebit eam vxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quàm virgines accipere conſueuerunt.* Nec tantùm offert dotem puellæ, ſed munera fratribus, & cognatis; cuiuſmodi fuerunt, quæ Eliezer dedit matri, ac fratribus Rebeccæ.
VI. *Petitur coniugium Dinæ.*
Exod. 22. 16.
c. 24. 53.

RESPONDERVNT filij Iacob Sichem, & patri eius, conſenſuros ſe in nuptias, & habitaturos deinceps cum eis, & vtróſque in vnum populum coalituros, ſi ritum circunciſionis admitterent; alioqui affinitatem coaleſcere non poſſe, ſed cum ſorore ſua diſceſſuros; diſſimulantes interim meditatam ſæuitiam. Acquieſcunt Hemor & Sichem, & circunciſionem toti populo perſuadent. *Et ecce die tertio quando grauiſſimus vulnerum dolor eſt, Simeon & Leui arreptis gladiis ingreſſi ſunt vrbem confidenter; interfectiſque omnibus maſculis, Hemor & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem ſororem ſuam.* Non eſt exiſtimandum à duobus iuuenibus totam deletam fuiſſe ciuitatem, ſed duos illos plurimæ familiæ famulorum ductores fuiſſe, & ſimul cum illis, miſeros Sichimitas, ex vulnere circunciſionis inualidos, facile confodiſſe.
VII. *Promittitur ſub cõditione circunciſionis. Eáque acceptata trucidãtur Sichimitæ.*
c. 34. 25.

CÆTERI fratres, qui cædis participes eſſe noluerunt, prædæ tamen fuerunt, in quam vnam prius fortaſſe conſenſerant. Verùm quia vox (cæteri) non habetur in Hebræo, neque in Græco, neque apud Paraphraſtem Chaldæum, exiſtimat Caietanus tam duos illos, quàm reliquos omnes filios Iacob veniſſe ad deprædandam ciuitatem; quòd aliis quoque viſum eſt, vt Del Rio. Verùm Theodotus apud Euſebium ait reliquos fratres re cognita veniſſe auxilio duobus primis. πυθομένους δὲ καὶ τοὺς ἑτέρους ἀδελφοὺς τὴν πρᾶξιν αὐτῶν ἐπιβοηθῆσαι, καὶ τὴν πόλιν ἐκπορθῆσαι. *Illis ergo egreſſis irruerunt ſuper occiſos filij Iacob, &*
VIII. *Vrbſque cũ finibus ſuis diripitur.*
l. 9. c. 4. de præpar.

depopulati sunt vrbem in vltionem stupri. Oues eorum, & armenta, & asinos, cunctáque vastantes, quæ in domibus & in agris erant, paruulos quoque eorum, & vxores duxerunt captiuas.

IX. *Damnatur à Iacobo facinus.*

Verum cùm cædes, & deprædatio iniustæ fuerint, credendum est Iacobum, vt ait Del Rio, vt rescinit, & potuit, captiuos omnes liberos dimisisse; & quæ supererant bona illis restituisse; quæ est quoque sententia Tostati in hoc caput. Improbasse autem vehementer sanctum virum hunc filiorum suorum furorem, apertè intellectum est, non tam hoc loco, efferaris adhuc animis illorum, quàm in fine vitæ, dum singulos abiturus benediceret. Certè Pererius in hoc capite, vt eorum zelum non improbat propter Iudirham, num. 18. cap. 9.
quæ cum diuinitus inditum dicit, octo tamen, aut nouem grauissimorum scelerum reos facit; trium ante cædem, totidem in ea, & rursum aliorum trium post ipsam.

X. *Et merito vtpote multis sceleribus cumulatum.*

Primum, quod inconsulto parente propria autoritate id aggressi sunt, Gen. 49. v. 5.
vt ipse significauit. Alterum fuit mendacium perniciosissimum, & cum pessi- 1.
mo dolo coniunctum. Tertium fuit sacrilegium, quando ad dirum facinus 2.
sacramento circumcisionis abusi sunt, quo nihil erat apud eos religiosius. 3.
Quartum fuit barbara & ferina crudelitas, in iis occidendis, qui circumuen- 4.
ti, & ad sese defendendum inualidi erant. Quintum iniustitia maxima, pœna 5.
culpam multum excedente, pro qua illi idoneam satisfactionem obtulerant.
Sextum innocentium innumerabilium cædes, cùm pauci tantùm in culpa essent. 6.
Septimum rapina bonorum, quando non contenti cæde tam multiplici, etiam 7.
vrbem totam, & agros diripuerunt. Octauum quod si qui cædem euaserunt, 8.
in seruitutem abstracti sunt. Nonum quod patrem, totámque eius familiam in 9.
summum discrimen internecionis adduxerunt. Vnde eos mitius quàm pro tanto
scelere increpans, *Turbastis me*, inquit, *& odiosum fecistis me Chananæis, & Phere-* cap. 34. 30.
zæis habitatoribus terræ huius. Nos pauci sumus, illi congregati percutient me, & dele-
bor ego, & domus mea. Et vtique fecissent, nisi affuisset singularis Dei erga
Iacobum prouidentia, & protectio? Vnde paulò pòst legimus, *Cúmque pro-* cap. 35. v. 5.
fecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitatis, & non ausi sunt persequi re-
cedentes.
Addi potest & decimum crimen impœnitentiæ. Nam à patre obiurgati, cul- 10.
pam non agnoscunt, nec patrem reueriti, neque ipsum Deum; quem tot sceleribus violauerant, sed audacter respondent. *Nunquid vt scorto abuti debuerunt sorore nostra?* quam pertinaciam grauiter accusat moriturus pater. *Maledictus furor eorum,* Gen. 49. 7. *quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura.*

XI. *An zelus eorum bonus.*

Iam verò quod ad zelum Simeonis, & fratrum eius attinet, non desunt viri graues, & admodum eruditi, qui censeant Iuditham, quæ erat de tribu Simeonis, putasse eum diuino zelo motum fuisse. Nec est necesse mulieres, quamuis sanctissimas, omnes sacras historias accuratè tenuisse. Author autem libri fideliter recitauit eius verba, & de fide tantum est, ipsam ista sensisse; & dixisse. Nam quod in libro testamenti Patriarcharum dicitur, missus Angelus ad Leui, & datus ei gladius, & præceptum de facienda vindicta pro Dina, ipsúmque ei adiutorem fore, declamatorium videtur. Additur etiam ibi Deum vlcisci voluisse iniurias, quas illi peregrinis facere solebant. *Persecuti sunt*, inquit, *Abraham patrem nostrum, peregrinum existentem, & conculcauerunt armenta eius; præterea quoque Ieblaë in domo ipsius genitum valde verberauerunt. Ita faciebant in omnes peregrinos, vt rapientes vxores eorum, & in exilium impellentes eos. Venit ergo ira Dei super ipsos in finem.* Hæc ibi auctor, qui videtur fuisse Christianus aliquis è Iudæis conuersus ad fidem. Cæterùm tanta est turpitudo horum scelerum, vt Iudæos, in primísque Iosephum, vehementer eorum pudeat, ob eámque causam historiæ veritatem admodum peruertant, vt mox ostendemus, si prius quæ de hac historia Theodotus apud Eusebium tradat, retulerimus; eóque libentius, quòd à Trapezuntio, paulò licentius prætermissa sunt, & habentur in Græca editione, quæ seorsim compendio referemus [1]. l. 9. de præparatione cap. 4. Rob. Stephani 1. χ.

XII. *Iosephi narratio Sichimitanæ cladis.*

FORTASSE autem aliquid iu Tbeodoto minus placeat, sed nonnihil homini Ethnico, & Poëtæ condonandum est. At viro Hebræo, & sacerdoti infideliter sacras Scripturas tractanti, & lectoribus de industria imponenti, minimè indulgendum videtut. Rem ipse narrat his verbis. *Cùm esset celebritas apud Sichimitas, Dina vnica Iacobi filia venit in vrbem, ad visendum cultum mulierum eius regionis: qua visa Sichemis Emmoris regis filius, rapta stuprum obtulit: & correptus amore, patrem suum rogauit, vt puellam vxorem habere liceret. Ille morem ei gerens, venit ad Iacobum, rogans vt filio suo Dinam in matrimonium collocaret. Iacobus verò, qui neque negare poterat, propter maiestatem rogantis, neque fas putabat alienigenæ filiam nuptum tradere, deliberandi spatium poposcit. Rex sperans Iacobum assensurum, abiit. Ille verò indicata filiis iniuria sororis, & Emmoris petitione, iussit eos consultare quid facto opus esset. Maior pars hærebat incerta quid esset agendum. Simeon vero & Leuis vterini puellæ fratres tale consilium inter se capiunt. Obseruato festo die, quo Sichimita voluptati & conuiuiis operam dabant, inuasis noctu custodibus, sopitos contrucidant: atque ita facilè vrbe potiti, mares vniuersos interimunt, vnà cum rege, ac filio, solis parcentes fœminis: quo facinore citra consensum patris perpetrato, sororem reducunt.* Hactenus ipse.

XIII. *Expenditur.*

1. QVÆ si cum Scriptura contuleris, falsum repeties delibetandi spatium à Iaco-
2. bo postulatum; falsum quoque Regem re nondum impetrata discessisse; falsum
3. item Iacobi filios, Emmoris petitionem à patre didicisse, nam eos allocutus est
4. Emmor, & Sichem, nisi Scriptura nos fallit. Falsum item, & indecorum, at-
que improbabile, iussisse Patriarcham adolescentes inter se consultare, su-
per nuptias filiæ suæ, aut super vindictam sceleris perpetrari. Cùm ea delibe-
ratio ad patrem, & ad senem vel maximè pertineat, non ad feruidam, & im-
prudentem adolescentiam. Sed hæc omnia ab illo ficta sunt ad dissimulandam
perfidiam, post datam promissionem nuptiarum, & sacrilegium vsurpatæ cir-
cuncisionis ad immanissimam tot innocentium cædem impunè perpetran-
5. dam. Falsa item illa de obseruato die festo, cùm conuiuiis operam darent
6. Sichimitæ, cùm potius darent operam curando vulneri circuncisionis. Fal-
sum item, quòd ait de inuasis custodibus, cùm illi nihil sibi ab eis time-
rent, ac propterea nec custodes vrbi adhiberent; vt notauit etiam Abulen-
sis. Omittit autem deprædationem totius vrbis, ac circumpositæ regionis;
omittit paruulos ac mulieres in captiuitatem adductas; omittit denique ob-
latam à Sichem satisfactionem, in admissi facinoris expiationem. Nempè
Iosephum puduit immanissimi sceleris patrum suorum; nec immeritò. At
non propterea oportuit temerare mendaciis Scripturæ maiestatem, aut eam
mutilando dissimulare veritatem, cum præsertim, qui tam seriò spopon-
derit, bonam in ea tractanda fidem. Nunc redeamus ad sacram histo-
riam.

Quæ ab eo hic omissa.

XIV. *Iacob migrat ex Sichem Dei iussu.*

DVM hæc strages tota latè regione rumore nuncio circunfertur, Deus, partim Iacobi incolumitati prospiciens, partim nolens illum diuturniorem moram in eodem loco trahere, quem volebat aduenam & peregrinum versari in terra Chanaan, sicut & patres eius, iubet ascendere in Bethel, & ibi habitare, atque excitare altare Deo, qui apparuerat ei, dum fugeret in Mesopotamiam, fratris furori declinando. Iacob nihil cunctatus, *conuocata omni domo sua, iubet abiicere idola,* quæ ex recenti præda collegerant, siue quæ adhuc retinuerat Rachel, vt ait Iosephus, Procop. Del Rio, Abul. Lyran. Torniellus. Non fit tamen verisimile Pererio hoc tempore apud Rachelem fuisse idola Labani, post decimum fermè annum, ex quo ille redierat in patriam; neque tanto tempore aut Iacobo ignota esse potuisse, aut certè tolerata.

cap. 35. 2.

num. 6.

XV. *Et idola disperdit.*

DANERVNT *ergo ei omnes Deos alienos*, quos scilicet alienigenæ pro Diis colebant, & omnia simulachrorum ornamenta, quæ inaurium nomine appellat. At ille infodit ea subter terebinthum, quæ est post vrbem Sichem. *Facta*, inquit Abulensis, *magna fossa, & liquefacta tota illa materia metallina infusa fuit in fossam, & penetrauit in profundum per viscera terræ, vt nullus eam inde acciperet. Et noluit illud aurum vel argentum in aliam formam conuersum accipere, vt quod semel dicatum fuerat cultui Dæmonum, nunquam applicaretur ad vsus*

hominum. Sic ipse. Hoc tamen videtur ex abundanria feruoris potius, quàm ex necessitate factum. Nam tulit Dauid coronam Melchon, Idoli Ammonitarum de capite eius, & inuenit in ea auri talentum, & preciosissimas gemmas, fecitque sibi inde Diadema. Idémque sanctificauit omnem prædam, regibus Syriæ debellatis, acquisitam, in templi fabricam, & vsum. In qua vix credibile est nihil templis idolorum ademptum, aut illis parcitum, quos in primis exterminari oportebat. 1. Paralip. 20. 2. 2. Reg. 8. 11.

XVI. *Diuina in eum prouidentia.*

SANCTIFICATA familia, vasisque conclamatis, è Sichem versus Bethel profecti sunt, quòd est iter vndecim horarum apud Adricho. *Cúmque profecti essent terror Dei* (& maximus, & à Deo immissus in tutelam Iacobi) *inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non ausi sunt persequi recedentes. Venit igitur Iacob Luzan, quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel, ipse & omnis populus cum eo. Aedificauítque ibi altare*, & si non prius, tunc certè vota in discessu promissa persoluit; *& appellauit nomen loci illius, Domus Dei*, siue Bethel, vt pridem promiserat, cùm solus adiret Mesoporamiam: nunc id nomen euulgauit, vt à suis vsurparetur in posterum.

XVII. *Deboræ nutricis obitus.*

EODEM *tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ.* Non est quidem mentio temporis hoc loco in Hebræo, sed id explicandi causa ex reipsa à Hieronymo additum est. Interiecta enim hoc loco mortis eius narratio, satis indicat eam hoc tempore contigisse. Quàm communiter sentiunt interpretes, in quibus Caietanus, mortua Rebecca adiisse Iacobum, siue pertæsam vxorum Esaü, siue studio videndi filias Laban, neptes Rebeccæ, & filios earum exosculandi; cui desiderio cùm satisfecisset, grandis natu diem obiit extremum. Grandis, inquam, nam. Nam cùm Rebeccæ nutrix fuerit, quæ hoc tempore egisset annum centesimum quadragesimum (nam decimo quarto anno nupsit, vt ex Hebræis suprà diximus, cùm Isaac annum ageret quadragesimum, qui nunc ad centesimum sexagesimum sextum peruenerat, & vxore maior erat viginti sex annis) oportet eam non multò iuniorem Isaaco fuisse. *Sepulta est autem ad radices Bethel, subter quercum; vocatúmque est nomen illius Quercus fletus*, ob solennem videlicet complorationem in honorem Deboræ factam. c. 35. 8.

XVIII. *Confirmatur Iacobo nomẽ Israelis, & antiqua benedictio.*

SEPVLTA Debora *apparuit iterum Deus Iacobo*, eique nomen Israëlis confirmauit, vt deinceps non vocetur duntaxat Iacob, sed etiam Israël, ita enim interpretantur illud (vltra) Caietanus, & Vatablus. Abulensis autem, non vocaberis vltra Iacob, quasi primario nomine, sed præcipuum erit Israël, quòd contemplantium vitam designat. At Pererius, non vocaberis vltra Iacob, id est non erit æquum, nec conueniens ac decens, si spectetur fortitudo animi tui, vt posthac voceris Iacob, sed vt appelleris Israël. Quomodo Petrus dicebat Christo Domino, *Absit à te Domine, non erit tibi hoc;* id est, inconueniens & indecens est, & iniquum, vt tu innocens ista patiaris. Sicut autem cum primo impositum est illi nomen, valuit ad confirmandum eum à metu fratris Esaü, ita nunc valet ad ei eximendum metum à Chananæis, & Pherezæis, qui cædem Sichimitarum videbantur vlturi. vt notauit idem. n. 30 & 31. n. 24.

XIX. *Septima apparitio Iacobo facta.*

IN hac ipsa apparitione, quæ ordine septima fuit, Dominus renouauit pristinas benedictiones, tam ei quàm patribus eius impertitas, dicens. *Ego Deus omnipotens, Cresce & multiplicare, gentes, & populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur, terrámque quam dedi* (id est promisi, & in qua peregrinati sunt) *Abraham & Isaac; dabo tibi, & semini tuo post te.* D. Chrysostomus, *Quanquam iampridem hoc nomen ei dederat, cùm transiret in Iaboch, verùm maioribus indiciis certiorem volebat ipsum reddere, & nunc eandem benedictionem ei dat.* Ea data *recessit ab eo* Dominus, visus in altum ascendere, vt liquet ex Hebræo textu, & Augustino. Qui motus, argumento est hanc visionem sensibilem fuisse, & non imaginariam duntaxat. hom. 60. q. 116. in Gen.

XX. *Iterata Bethelis dedicatio.*

ILLE *verò erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerat ei Deus, libans super eum libamina, & effundens oleum; vocánsque nomen loci illius Bethel. Iterum factum est hoc loco*, ait Augustinus, *quòd factum fuerat, an iterum commemoratum est?* nec profert sententiam suam, sed in re dubia iudicium lectori permittit. Et Ibid.

uidetur sanè credibile lapidem ante annos triginta à Iacobo erectum in titulum, disiectum fuisse, ab hominibus religionem loci ignorantibus. Nunc autem à Iacobo iterum consimili ceremonia restitutum, veteri etiam loci denominatione renouata.

REFERT in hunc annum Torniellus natiuitatem Caath, filij Leui secundo geniti, vt eius 133. anni (tot enim illi Scriptura tribuit) in Ægypto terminentur, *XXI. An genitus hoc anno Caath.*
Exod. 6. 18. ante initium seruitutis Hebræorum, & illius noui regis exortum, qui Israëlitas affligere cœpit. Cæterùm nemo omnium aut antiquorum aut recentium tam maturè natum Caath scriptum reliquit; ideóque eius ortum ad annum quem illi diuus Epiphanius assignauit, differemus, præsertim cùm ad hanc Tornielli sententiam nos Scriptura non cogat, vt suo loco docebimus, quamuis ei aliter visum.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2305.

N. XI. 1. ET primum de vrbe Sichimorum ait, eam conditam fuisse ab Sichimio Mercurij filio, eique ab eo nomen inditum esse. Deinde eius situm ita describit,

Ipsa verò erat bona, & capras alens & sylvosa.
Neque erat via longa ad vrbem eunti
Ex agris, neque sylua comantes laborantibus.
Ex ipsa autem valde prope duo montes videntur
soli
Herbis pleni, & syluis, Inter hos media
Via secta est, tenuis, acuta. Ex altera parte
Sacellum Sichimorum apparet, sacra vrbs.
Inferius sub radice extructa: circum autem murus
Arduus, subtus autem circuit vrbis septum.

Hic videtur ille murus, cuius meminit Iacob, c. quadragesimo nono, versu sexto. *In furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum.*

Paulò pòst de moribus Hemmor & Sichem, ait idem Theodotus, imperante Emmor, qui filium Sichem genuerat, eam vrbem ab Hebræis habitatam fuisse.

Huc à hostes à pascuis venit Iacob ad vrbem
Latam Sichimorum, viris autem sociis princeps erat
Emor, cum filio Sichem viri valde noxij,
μαλ' ἀτηρὼ φῶτε.

Cùm autem cætera de petitis nuptiis, & concessis sub conditione circumcisionis consentanea, iis quæ à Moyse scripta sunt narrasset, addit quæ in Moyse non habentur. *Euntem, inquit, in vrbem Emmor, & subditos adhortante vt circumciderentur, vnum ex filiis Iacobi, nomine Simeonem, constituisse Emmor & Sichem occidere, quod iniuriam sororis illatam ferre non posset: & id cum fratre Leui communicasse, & vt consentientem habuit, ad facinus prosiluisse, oraculum prætendentem, quo Deus promisisset posteris Abraham decem gentes, si hi occisi essent.* Verba Simeonis ad Leui hæc fuerunt.

Bene autem audiui ego Dei sermonem
Daturum nempe se dixit decem gentes liberis Abraham.

Deum autem ipsis hoc in mentem misisse, quia Sichimitæ impij essent.

Ait autem,

Perde Deus Sichimorum habitatores, neque enim illæsus
Ad illos venit, quisquis honestus & bonus est.
Neque iudicia iudicant in vrbe, neque æquitatem.
Venenata autem illis cernuntur curæ esse opera.

Addit Leui & Simeonem armatos vrbem ingressos, obuios quosque primùm obtruncasse. Deinde Emmor & Sichem occidisse, de quorum cæde ita infit.

Sic tum quidem Simeon in ipsum Emmor irruit.
Percussitque eius caput, ceruicemque apprehendit manu sinistra.
Liquit autem adhuc palpitantem, nam labor alius oriebatur.
Tunc & Leui robore præstans, acceptis crinibus,
Tangentem genua Sichem valde precantem,
Transfodit ceruice media, ingressus est autem gladius acutus
Viscera per pectus; reliquit autem anima corpus illicò.

Postquam autem hæc reliqui fratres audissent auxilio venisse, & vrbem vastasse, & sororem liberatam cum captiuis in paternam domum duxisse. Hactenus ex Theodoto poëta apud Eusebium loco citato.

ANNUS MUNDI 2306. DILUVII 650. TERTIÆ ÆTAT. 268. ISAACI 168. IACOBI 108. RUBEN 24. SIMEON 23. LEVI 22. IUDÆ ET DAN 21. NEPHTALI ET GAD 20. ASER, ISSACH. ET ZABULON 19. DINÆ ET IOSEPH 18. BENIAMINI 1. PROMISS. 193. BALÆI 5. IMPERII ASSYRIORUM 375.

ANTE CHRISTUM 1747.

I. *Res hoc anno gestæ, & ratio temporis.*

Luctuosis præcedentis anni rebus, hoc anno Patriarchæ nostro luctuosiora succedunt, dilectissimam quippe Rachelem coniugem, in dolore partus amittit, & Iosephum ex ea susceptum filium, delicias & gaudium cordis sui. Sed illam iacturam nouus filij ortus attemperat, vt ait Chrysostomus; hoe vulnus nullam curam, nullam consolationem admittit. Accessit & Rubeni cum Bala flagitium. Ad quæ priusquam aggrediamur ratio temporis reddenda est; & festinè occurrendum accusationi, quòd Iosephi venditionem anno eius decimo octauo constituere videamur, cùm Scriptura dicat id decimo sexto anno eius contigisse. At faciliùs erit huic malo remedium afferre, quàm Iacobo consolationem. hom. 60. c. 37. Gen. v. 2.

II. *Annus venditi Iosephi.*

Dicimus ergo, nos, vt suprà sæpiùs significatum est, annos horum patriarcharum sumere inchoatos. Itaque iuxta supputationem Demetrij, Iosephus & Dina inchoant hoc anno decimum octauum per quatuor menses, octo priores pertinent ad decimum septimum, quo anno currente venditionem contigisse, exacto iam decimo sexto, cuius meminit vulgata editio, facilè omnes consentiũt. Viden' euolasse hoc telum sine ictu & vulnere, imò cum vtilitate. confirmat enim Scriptura nostram Chronologiam, nam Latina lectio habet sex decim annos, quos Torniellus quoque exactos prudenter interpretatur, & de decimo septimo Hebræi, Græci, Chaldæi codices mirificè consentiunt, & Augustinus. *Ad decimum septimum*, inquit, *peruenit annum, quo anno, Scriptura testante, in Aegyptum est à fratribus venditus.* Et paulò pòst confirmat nostram Chronologiam de anno Iacobi & Isaaci. *Ac per hoc*, inquit, *si decem & septem annorum Ioseph in Aegyptum est venditus, ante duodecim annos quàm moreretur auus eius, venditus inuenitur.* (ergo centesimo sexagesimo octauo. Nam si iis adiicias duodecim efficies centum & octoginta, quæ est integra periodus vitæ Isaac.) Pergit, *Decem enim & septem annorum esse non potuit nisi ante duodecim annos mortis Isaac; centesimo octauo anno vitæ patris sui Iacob.* Quem annum vides expressum in nostro anni huius indice. Eandem Augustini supputationem refert, ac sequitur Marianus Scotus in Chronico. Chronicum quoque Alexandrinum Iosephi venditionem ad annum Iacobi centesimum octauum refert, vt rectè emendauit Raderus noster. legit enim P H, non P N, vt ante legebatur. His autem præiuit Eusebius, qui tam Iacobi centesimum octauum [1], quàm Balæi regis quintum confirmat: & repromissionis centesimum nonagesimum tertium. Etsi in Eusebio Scaligeri, hæ annorum sedes nonnihil luxatæ emẽdationem requirant. Eandem Chronologiam disertè confirmat Iosephus, & Demetrius loco cit. ait enim Iosephum fuisse annorum septendecim cùm venditus ductus est in Ægyptum, ibique in vinculis tredecim annis vixisse. Eandem sequuntur recentiores Gordonus, Temporar. Samerius, nec repugnat Torniellus, & Tostatus. q. 122. Gen. 108. non 150. 1. χ. l. 2. c. 2. in 37. cap.

III. *Tẽpus obitus Rachelis, & Deboræ, & ortus Beniamini.*

Porrò ad Rachelis obitum hoc anno constituendum, & consequenter primum Beniamini annum, series ipsa nos Mosaicæ narrationis adduxit. Cùm enim relicta Sichem, Iacob ad Bethel Dei iussu demigrasset, ibique habitare iussus fuisset, haud dubiè illic in Hybernis fuisse, in domo scilicet Dei, ac protectione existimandum est: quo tempore Debora mortua, ibidémque sepulta est. Et cer- cap. 2.

tè Hebræi in Seder Olam, aiunt Iacobum commoratum in Bethel sex mensibus. Quod & Genebrardus asseruit, & temporum dispositioni plurimum quadrat. Inde autem aperiente se tempore versus Bethleem profectum esse, paulatim videlicet ad patrem in Hebron proficiscendo, textus versionis nostræ confirmat. Confirmat & Demetrius, qui cùm narrasset ortum Beniamini, & mortem Rachelis, & redditum Iacobi ad patrem in Hebron; subdit fuisse tum Iosephum annorum 17. & venditum in Ægyptum. Hæc igitur omnia eodem anno contigisse tradit, eique nos libenter assentimus.

IV. *An verno tempore contigerit.*

2. χ.

SED de verno tempore nobis facessunt negotium, qui Hebræo textui plus æquo fauent, qui vocem כברה Chibrath in alias significationes trahunt; sed bene habet, quod non parum ipsi inter se dissentiunt. interim ergo dum conueniant, sequamur editionem vulgatam Hieronymi [2]. Nam versionem nostram Hieronymi esse, vel hic locus apertè docet; is enim in tradit. de hoc loco agens, post relatas aliorum sententias. *Sed melius est*, inquit, *si transferatur, in electo terræ tempore, cùm introiret Ephrata. Porrò vernum tempus significat, cùm in florem cuncta rumpuntur, & anni tempus electum est; vel cùm transeuntes per viam carpunt, & eligunt è vicinis agris, quodcumque ad manus venerit, diuersis floribus inuitati.* Alludit vtique ad aliam significationem verbi ברה quod est comedere, vtriúsque exempla Pagnini Thesaurus suppeditabit. Vide hoc loco Pererium.

n. 14. 15. 6. & 7.

V. *Partus & obitus Rachelis ac denominatio Beniamini.*

Gen. 30. 24

IACOB ergo egressus de Luza siue Bethel, *Venit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephratem, in qua cùm parturiret Rachel, ob difficultatem partus, periclitari cœpit: dixitque ei obstetrix, Noli timere, quia & hunc habebis filium* Idonea consolatio, & consentanea illi voto. *Addat mihi Dominus filium alterum.* Voti rea fit; sed eo diutius gaudere non potuit, *Egrediente*, siquidem, *anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui Benoni, id est filius doloris mei. Pater verò eum vocauit Beniamin, id est filius dexteræ.* Additæ sunt ab Hieronymo vocum interpretationes, de quibus in tradit. *In Hebræo*, inquit, *similitudo nominis resonat, filius enim doloris mei, quod nomen moriens mater imposuit dicitur* בן־אוני, *filius verò dexteræ, hoc est virtutis, quod Iacob mutauit, appellatur Beniamin. Vnde errant qui putant, Beniamin filium dierum interpretari. Cùm enim dextera appellatur* ימין *Iamin, & finiatur in n. literam; dies quidem appellantur & ipsi Iamim, sed in mem literam terminatur.* Habes hîc à Hieronymo notatum errorem auctoris testamenti Patriarcharum, qui interpretatur Beniamin filium dierum, vel luctus.

c. 12.

VI. *Error Iosephi lapsus.*

in fi. c. 18. l. 1.

EX quo loco validè probatur eorum opinio, qui Iosephum Hebraicæ linguæ ignarum fuisse putant. Nam sic habet: πενθήσας δὲ μεγάλως, τὸ ἐξ αὐτῆς παιδίον Βενιαμὶν ἐκάλεσε, διὰ τὴν ἐπ' αὐτῷ γενομένην ὀδύνην τῇ μητρί. *Quam cùm mirum in modum lugeret, infantulum nominauit Beniamin, eo quod doloris causa matri fuerit.* Sic vertit Gelenius. & olim ita legit, ac vertit Ruffinus; vt Del Rio quoque notauit, qui Iosephum hoc nomine arguit. Putauit ergo Beniamin significare filium doloris, non leui sanè errore, in homine, qui de se ipse ausus fuerit scribere. *Ego enim tribulium meorum confessione, disciplinas patrias egregiè calleo. Græcanicæ quoque literaturæ non sine profectu dedi operam,* &c. Sed eum hîc Græcanica literatura pueriliter induxit in fraudem, cùm enim Septuag. vocem Beniamin retinuissent, & pro voce Benoni eius interpretationem posuissent, putauit Beniamin significare filium doloris. Ἐκάλεσε (aiunt Septuaginta) τὸ ὄνομα αὐτοῦ, υἱὸς ὀδύνης μου. ὁ δὲ πατὴρ ἐκάλεσεν τὸ ὄνομα αὐτοῦ Βενιαμίν. *Vocauit* (Rachel) *nomen eius, filius doloris mei. Pater autem vocauit nomen eius Beniamin.* Vide quæ sit eorum prudentia, ne quid grauius dicam, qui de Scriptura ipsa dubitant, ne autho●tatem Iosephi, qui eam ægrè fortasse intellexit, in discrimen vocent. Sed redeamus ad Scripturam.

l. 20. c. 9.

VII. *Sepultura Rachelis.*

v. 19. Vide infra anno Iacobi vlt. n. 11.

MORTVA *est ergo Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethleem. Erexitque Iacob titulum super sepulchrum eius: Hic est titulus monumenti Rachel vsque in præsentem diem.* Ita Moses, de loco sepulturæ. *Progressus*, inquit Iosephus, *in agrum Ephratanum, Rachelem, ibi ex partu mortuam, sepelit, solam monumento cognatorum, in Hebrone non illatam.* Errat sanè, nam Ioseph filius eius, vtique cognatus fuit, nec tamen est sepultus in Hebron, sed in Sichem, vt constat ex l. Iosue extremo. Et sanè nimirum est eò non delatam à Iacobo dilectissimam coniugem, præsertim

συγγενῶν.

cùm hoc ipso anno illùc profectus fuerit. Causam refert Abulensis in tempus vernum, in quo citò fœterent corpora; at non poterat includi loculo plumbeo? non condiri? non properè deferri in curru, aut cameli dorso? præsertim cùm à Bethleē vsque ad Hebron Adrichomius septem tātùm horarum iter interiiciat. *A Bethleem autem vsque ad sepulchrum Rachelis, tantum est spatium*, vt ait Burchardus, *quantum arcus vnus iacere solet*. An existimandum est honoris causa id à Iacobo factum, vt singulari monimento decoraretur? Ego sanè malim id à Iacobo, Dei mandato, factum fuisse, qui aliquando dicturus erat per Prophetam. *Rachel plorat filios suos, & noluit consolari, quia non sunt*. Verùm hac de re iterum anno vltimo Iacobi numero vndecimo. Ier. 31.15.

VIII. *Eiusdē monimentum.* DE Rachelis porrò monimento scribit Abulensis, corpus quidem humi defossum fuisse, sed factum illi à Iacobo sepulchrum ex duodecim saxis magnis lapidibus, in memoriam duodecim filiorum suorum; & in extremitate, lapidem, qui hic dicitur erectus in titulum: in pyramidem acuminatum. *Quod transeuntibus terram illam*, inquit, *de peregrinis nostris adhuc videtur*. Idem ferè habet Breidembachius apud Adrichomium, vbi ait, inueniri iuxta sepulchrum lapillos quosdam omninò nigros, quos peregrini colligunt, quod dicantur conducere mulieribus ad faciliorem partum. Nihil ergo mirum si id sepulchrum temporibus Mosis extabat, certè fit eius mentio à Samuele, annis abhinc sexcentis quinquaginta. in tribu Beniam. n. 101. 1. Reg. c. 10. 2.

IX. *Rachelis ætas.* DE ætate Rachelis scribunt Hebræi in Seder Holam, Rachelem & Liam geminas fuisse, eodémque ætatis anno vigesimo secundo in matrimonium acceptas. Vtique probabiliter. Cùm enim Iacob Rachelem petierit vxorem statim in aduentu suo, quoniam ea maximè causa venerat, & erat iam grandis natu, oportet Rachelem fuisse nubilem, puta quindecim annorum, quibus adde septem famulatus, fiunt viginti duo. At quod aiunt egressam ex hac vita Rachelem anno ætatis trigesimo sexto, non rectè aiunt. Nam si anno octogesimo quinto, quo eam duxit Iacob, agebat viginti duos certè centesimo octauo Iacobi, oportet eam egisse quadragesimum quintum. Et sanè Demetrius ait Rachelem vixisse cum Iacobo annis viginti tribus. συμβιῶσαι δ' αὐτὴν τῷ Ἰακὼβ ἔτη εἴκοσι τρία. Itáque sentit Pererius, qui refutat eosdem Hebræos, quod dicant Rachelem & Liam fuisse gemellas, idque falsum esse contendit, ex eo, quod apertis verbis Moyses dicat Rachelem fuisse minorem natu, Liam verò maiorem. Verùm, etsi puto id à Rabinis, cuiusdam cōcinnitatis causa excogitatum, vt duæ filiæ Laban duobus filiis Isaac responderent in hoc originis modo, tamen refutatio videtur infirmior, nam Esau maior dicitur & Iacob minor, sicut interpretatur D. Paulus, qui tamen gemini erant, & eadem hora nati. n. 44. Gen. 29.16 Gen. 25. 25. Rom. 9. 25.

X. *Parallelismus beatiss. Virg. & Rachelis.* SED par est nos quoque in ornando Rachelis funere, aut sepulchro, nostro muneri non deesse; quandoquidem neque paucis, neque leuibus in rebus beatissimam Virginem à Rachele repræsentatam nemini dubium esse potest.

Similitudo in nomine. Ipsum Rachelis nomen isti comparationi congruit. *Rachel*, inquit Hieronym. *ouis, vel videns principium, aut visio sceleris, siue videns Deum. Hoc autem secundum accentuum, & literarum euenit diuersitatem, vt tam in contrarias significationes nomina commutentur*. Sic ipse. Rectè autem conueniunt omnia beatissimæ Virgini, cui propter singularem morum mansuetudinem, conuenit esse matrem Agni Dei, qui tollit peccata mundi. Ipsa præ cunctis videns, & maxima fide cognoscens principium, per quod facta sunt omnia, factum hominem, & simul principium salutis nostræ; auctorem redemptionis humanæ. Ei conuenit visio sceleris, quæ cruci assistens, præ omnibus vidit, ac sensit scelus, quo nullum vnquam maius perpetratum est. Ipsa denique videns Deum, quo modo, & qua claritate, & quo gaudio nullus vnquam electorum, si à Christi humanitate discesseris, aut vidit, aut visura est. 1. in nom. Hebr.

XI. *Et præstantia formæ.* RACHEL decora facie, & venusto aspectu. Virgini beatissimæ in primis illud conuenit, *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora*. Qualis aspectus eius, quæ deuotionem, quæ sanctitatem, quæ diuinitatem quandam toto vultu, toto corpore, animóque spirabat, & contemplantes afflabat. quò pertinet illud de Dionysio vulgò iactatum: Tam augustam illam specie venerabilem fuisse, vt nisi Dei naturam cognosceret, illi diuin- 2. Gen 29 17 Cant. 2.14

tatem aliquam attributurus esset. Rachel pulcherrima simul, & dilectissima in
3. Eccl.24.24 typum eius, quæ ait, *Ego mater pulchra dilectionis*, id est pulchra & dilecta. Et vt illa dilecta à Patriarcha Iacob, super omnes vxores, ita hæc à Patriarcha nostro Christo Iesu super omnes mulieres, vt quæ spiritualibus diuitiis, & propinquitate diuinitatis *supergressa est vniuersas*.

4. Rachel in visione Iosephi comparatur Lunæ, vnde Pater, *Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* B. Virgo *pulchra vt Luna*. Licet enim tota pulchra sit amica sponsi, & macula non fuerit in ea: habuit tamen, vt Luna maculas non veras, sed apparentes; vnde & ad purificationem venit ad templum, sicut vna de cæteris.

5. Rachel nubit, & integra manet cum sponso & coniuge totum septennium: XII. Sterilitate cum fœcunditate.
Nubit Ioseph Maria sanctissima, & integra, atque immaculata cum eo viuit, toto illius vitæ tempore.

6. Rachel sterilis fuit & fœcunda, sicut & præcedentium Patriarcharum vxores, Sara, inquam, & Rebecca: In typum virginitatis & maternitatis matris Dei, vt
hom.49 in Gen. notauit Chrysostomus, quæ, vt virgo, sterilis fuit, & nihilominus mater fuit.

7. Rachel emitur à sponso septem, imo quatuordecim annorum famulatu, *& videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine*, quod eam longè diuturniore labore dignam duceret. Maria Virgo viginti, vt aiunt annorum precibus à parentibus empta est; & licet verè dicatur *carè emi, quod precibus emptum est:* tanta tamen consolatione in eius natiuitate perfusi sunt, vt huic præmio, impares omnes preces suas, & vota, & desideria, & afflictiones arbitrarentur [3].

3. χ. 8. Rachel duorum filiorum mater effecta est, Iosephi & Beniamini, ille filius XIII. Et duobus filiis.
lætitiæ, iste doloris fuit; ille saluator mundi dictus est, iste filius dexteræ; ille domi natus est, iste in via Bethleem. Rachel nostra duorum quoque filiorum reperitur mater, veri Iosephi, Christi Iesu Saluatoris mundi, & Ioannis Euangelistæ. Nam mentiri veritas non potest, quæ dicit matri, *Ecce filius tuus*. Illum cum summa lætitia peperit; istum cum summo dolore adoptauit; quando facta est illa mutatio dexteræ excelsi, vt in locum Dei, Domini, & magistri; Creatura, famulus, discipulúsque succederet; idque factum in publico, in caluariæ via, vbi dicebat.
Thre. 1.12. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

9. Rachel studiosa exterminandæ infidelitatis, furatur paternos Deos. Beatæ Mariæ canitur, *Gaude Maria Virgo, quæ cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo*. Illius quippe opem maximè senserunt, & prædicarunt, qui à Deo electi sunt ad idola gentium, & hæreticorum errores conuincendos, atque exterminandos.

10. Qvid Rachelis zelus immensus habendi liberos? num obscurè repræsentat XIV. In zelo filiorum.
Psal.112.9. hanc dudum *sterilem in domo* Hebræorum, nunc in terra Gentilium *matrem filiorum lætantem*, quæ immenso zelo animarum æstuans, à filio suo perpetuo postulat, *da mihi liberos*, vt fiat mater viuentium, peccatoribus scilicet ad vitam, & gratiam redeuntibus.

11. In Rachele deceptus est Laban, Iosephus in Maria vterum gerente: illa occultabat fictitios Deos, ista verum Deum factum hominem.

12. Rachel in dilectissimi coniugis manibus, in cœtu duodecim filiorum mo- XV. Et funere.
vide supra n.8. ritur, eorúmque lachrymis, & laudibus, & glorioso sepulchro honoratur, in quo etiam parturientibus prodesse narratur. Beata Virgo in dilectissimi filij ipsi apparentis complexu, & manibus; in duodecim Apostolorum præsentia, & conuentu vita fungitur; eorúmque lachrymis & Psalmodia, imò cœlestibus Angelorum canticis honoratur: sepulchrum verò sanctissimi corporis contactu, gloria miraculorum coruscat. Ex his aliisque, si videbitur amice Lector colliges ipse Epitaphium, quod in Pyramide sepulchri Rachelis, vel in duodecim eius lapidum mole inscribas, nobis satis esse potest iste duodecim capitum parallelus. Ne fortè tamen ingratus tibi sit iste labor, hoc percurras licet.

EPITAPHIUM RACHELIS.

HIC SITA EST PULCHRA ILLA RACHEL, LABANI FILIA, NEPTIS REBECCÆ, ILLA DILECTA, ILLA PRO QUA POTIUNDA LABORIOSI MULTI ANNI MERITO REPUTENTUR PAUCI DIES. ILLA UNICA DILECTO SUO, AMABILIS CONTEMPLANTIUM MATER, CUIUS LONGA STERILITAS PARTU SALVATORIS MUNDI COMPENSATUR. ET QUÆ VIVENS FACTA EST PARENS PROPHETÆ MAGNI, EADEM MORIENS MATER DOLORIS EFFECTA, FILIUM DEXTERÆ MUNDO DEDIT. NOLUIT CONSOLARI RACHEL UNO FILIO NATO. QUÆ PLURIMOS PLORAT FILIOS SUOS, INNOCENTES, MORTI DESTINATOS, ET IDUMÆO GLADIO ALIQUANDO PERITUROS. VIXIT IN PATERNA DOMO ANNOS XXXV. IN CONIUGIO XXIII. OMNINO XLV. ANTE ORTUM MAGNÆ ILLIUS VIRGINIS, CUIUS FIGURA FUIT, ANNIS CIↃ DCCXLII.

XVII. *Iacob ad Turrim gregis.*

IACOB perfunctus officio funeris, & sepulturæ dilectissimæ coniugis iuxta Bethleem, *Egressus inde fixit tabernaculum trans Turrem gregis* versus Austrum, progrediendo ad Hebron. Nam Chrysostomus, *ulterius iterum procedit iustus, anhelans paulatim venire ad locum ubi habitabat Isaac.* (hom. 60.) Eam turrim mille passibus à Bethleem distantem nobis explicat Hierony. in trad. his verbis. *Hunc locum Hebræi esse volunt, ubi postea templum ædificatum est, & Turrim Ader Turrim gregis significare, hoc est congregationis, & cœtus. Quod & Michæas Propheta testatur dicens. Et tu turris gregis nebulosa, filia Sion, &c. Illóque tempore Iacob trans locum, ubi postea templum ædificatum est, habuisse tentoria. Sed si sequamur ordinem viæ* (quæ scilicet ducit à Bethleem in Hebron, quò tum proficiscebatur Iacob) *pastorum iuxta Bethleem locus est, ubi vel Angelorum grex in ortu Domini cecinit, vel Iacob pecora sua pavit, loco nomen imponens, vel quod verius est, quodam vaticinio futurum iam tum mysterium monstrabatur.* Hæc ibi; meminit & in Epitaphio Paulæ. (4. x.)

XVIII. *Rubens flagitium cum Bala.*

CÆTERUM trans Turrim hanc Ader, aliquandiu substitisse docent quæ sequuntur. *Cúmque habitaret,* inquit Moses, *in illa regione, abiit Ruben, & dormivit cum Bala concubina patris sui,* matris Dan & Nephthali, *quod Iacobum minimè latuit,* & simul ingenti cum mœrore afflixisse necesse est, tam propter illius peccatum grauissimum, quàm propter dedecus suum, & probrum concubinæ, ac filiorum eius, principum duarum tribuum in Israël; peccatum quod natura auersatur, & mox lex diuina seuerè prohibuit, *Qui dormierit cum nouerca sua, & reuelauerit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo, sanguis eorum sit super eos.* Et Apostolus etiam ethnicis abominatum scribit. (Leuit. 18. 8 & 20. 11. 1. Cor. 5. 1.)

XIX. *Et Iacobi proco dolor.*

ATQUE haud scio an hoc Rubeni facinus, cum insigni iniuria diuini numinis coniunctum, grauius Iacobum, quàm mors Rachelis afflixerit, quæ nudam iacturam habuit, eámque unius filij accessione compensatam. Dolorem eius Scriptura coniectandum reliquit: At septuag. interpretes Paraphrasi attigerunt, habent enim, *Et audiuit Israel, & malum visum est coram eo.* Adeo ut moriturus eum graui maledictione percelleret, quæ in eum effusa, in posteros etiam redundaret. Et ex utróque loco satis apparet quàm inepta sint Hebræorum commenta apud Abulensem & Lyranum dum hoc facinus dissimulare conantur; Cautius Iosephus, dum eum criminis puderet, intactum præteriit, memor illius,

& quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit. (Horat. in ar.)

XX. *Bala nutrix Beniamini.*

AUCTOR Testamenti Patriarcharum scribit Beniamin, defuncta matre fuxisse Balam, quæ tamen ante viginti annos ultimum filium pepererat. An fortè concepit ex Ruben, & fœtu mortuo, inuenta est idonea, quæ Beniamino lac da-

ret? An hoc verbis illis innuitur. *Quod patrem minimè latuit*, nam facinus mulieris facilè latere potuit, partus non item. In eodem libro [5] fatetur ipse Ruben annorum triginta se fuisse, cùm peccauit cum Bala concubina patris sui, vbi inter alia. *Percussit me Dominus*, inquit, *plaga magna in ilijs meis, per menses septem; & nisi Iacob pater meus orasset pro me ad Dominum, qui voluit me occidere, perijssem. Eram enim annorum triginta, quando feci hoc malum coram Domino. Et septem mensibus infirmatus sum vsque ad mortem; & electione animæ meæ septem annis pœnitui coram Domino, vinum & siceram non bibi, & caro non intrauit os meum, & omnem panem desiderij non gustaui, lugens pro peccato meo*, &c. Infrà etiam refert occasionem peccati fuisse, quod Balam in balneo se lauantem vidisset; admissum autem in Gadera prope Ephratam, crimenque reuelatum Iacobo ab Angelo. Quæ licet magnam fidem non faciant, cùm tamen nihil absurdi habeant, præter ætatem Rubeni, (nam pro anno trigesimo ponendus est vigesimus quartus) propter antiquitatem non censui omittenda.

5. *Ꝝ*.

XXI. *Abdicatur à Iacobo.*

SCRIBIT nihilominus Abulensis, quod habet etiam auctor Testamenti Patriarcharum, Iacobum Balam ab se abdicasse, nec amplius attingere voluisse à filio suo vitiatam. Sicut postea Dauid concubinas decem, quas improbissimus Absalon publicè violauerat; regno restitutus inclusit, nec vnquam postea cognouit. Idem confirmant ex Hebræis Aben Ezra, & Kimhi, vt notauit Del Rio.

2. Reg. 20. 3. c. 35. 27.

XXII. *Qui ad parentem venit cum tota familia.*

POSTREMÒ venit Iacob cum tota familia sua *ad Isaac patrem suum in Mambre, ciuitatem Arbee*, quæ & Hebron dicta est, *in qua peregrinatus est Abrham & Isaac*, vt ait Moses. Dixi cum tota familia sua, nam iampridem, ex quo sese expedierat ab Esaù inuiserat patrem suum, qua de re Iacobi pietas in parentem optimum dubitare non sinit. Etsi autem statim subdat Moyses, *completos fuisse dies Isaac*, duodecim tamen adhuc superuixit annos, vt initio huius anni perspicuè docuimus. Etsi Iosephus affirmet, non diuturnam fuisse Iacobi & Isaaci conuictum. Et par quidem est credere gubernatam à Iacobo familiam, patris, in senio, & oculorum caligine decumbentis, & Rebecca ante aliquot annos mortua; non per se quidem, qui copiosissimam haberet, quæ eius præsentiam requirebat, sed per fidum aliquem procuratorem, vt olim Abraham exemplo docuerat; tandem tamen hoc anno ex duabus familiis vnam factam esse apparet. Sed ita tamen vt greges & armenta diuersis locis pascerentur; quod eos præ multitudine terra capere non posset; quæ etiam causa fuit, vt Esaù à Iacobo secederet, vt habetur cap. triges. sexto & olim Loth ab Abrahamo.

c. 35. v. 27.

l. 1. ant. c. 18. in fine.

c. 36. 6. 7. c. 13. 9.

XXIII. *Mittit filios Sichimam.*

ERGO breui, diuina nixus prouidentia, pastores cum gregibus dimisit in Sichimorum agrum, in quo prædium ante aliquot annos emerat, simul etiam prudenter existimans, ira incolarum metu cõpressa, eos magna ex parte rediisse. Nec diu distulit etiam filios Liæ, & ancillarum eo mittere; qui præsidio illis essent, si res postularet, & parentem apud ipsos repræsentarent. Nec minus interea ipse de eorum incolumitate sollicitus, Iosephum ad eos inuisendos dimittere statuit. *Hæc erat causa*, inquit Rupertus, *paternæ sollicitudinis, quia pascebant filij eius oues in Sichimis, videlicet vbi dudum populo terræ illius odiosos fecerat illos furor ipsorum pertinax, & indignatio dura*. Ita Rupertus.

l. 8. c. 23.

XXIV. *Et ad eos visendos Iosephum.*

CVM ergo *fratres Iosephi in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israël, Fratres tui pascunt oues in Sichimis; veni mittam te ad eos. Quo respondente, Præsto sum, ait ei, vade & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora. Et renuncia mihi quid agatur.* Nolebat etiam eum diutius apud illos morari, quos ipsi parum æquos non ignorabat.

c. 37. 12.

Missus de valle Hebron venit in Sichem, vbi cùm non reperisset fratres, circumquaque oberrabat quæreos eos, quo cognito vir aliquis, *Recesserunt*, inquit, *de loco isto: audiui autem eos dicentes eamus in Dothaim. Dothaim* inquit Hieron. in locis, *vbi inuenit Ioseph fratres suos, pecora pascentes, qui & vsque hodie in duodecimo à Sebaste milliario, contra Aquilonis plagam ostenditur* [6].

v. 14.

6. *Ꝝ*.

XXV. *Is peruenit ad fratres, qui de eius cæde deliberant.*

PERREXIT ergo *Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothain. Qui cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere, & mutuò loquebantur, Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, dicemúsque, fera pessima deuorauit eum; & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua.* Non omnium hoc consilium fuit, nam Ruben & Iudam in alia fuisse sententia, docent quæ sequun-

c. 37. v. 17.

tur; videtur autem fuisse Simeonis, & Leui, qui in Sichem non ita pridem sicarios egerant, & à patre *vasa iniquitatis bellantia* dici meruerunt. Certè non sine causa postea in Ægypto Simeon, dimissis cæteris, detinetur in vinculis. Vt notatum etiam est in Testamento Patriarcharum; vbi etiam nominatur Gad, eiusdem consilij architectus. c. 2. & c. 6. v. 12.

XXVI. *Quam dissuadet Ruben.* Avdiens *autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem: sed proiicite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manúsque vestras seruate innoxias: hos autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo.* Existimans fortasse hanc fore viam commodissimam ipsum sibi reconciliandi, vt Del Rio quoque notauit: idque admodum probabile est, graue est enim filio non perfrictæ frontis sentire parentem iure infensum sibi, aut quacunque etiam de causa iratum.

XXVII. *Ioseph exuitur tunica.* Confestim *igitur vt peruenit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari, & polymita; cùm oportuisset,* inquit Chrysost. *illos occurrere fratri, & amplexari, & quomodo se pater haberet inquirere; illi verò quasi bestia quadam, vbi agnum conspicata fuerint, assiliunt.* v. 23. hom. 61. in Gen. Non habetur ex hoc loco Iosephum duplici veste exutam fuisse, & planè nudum demissum in cisternam, vt vult Del Rio, & Lytanus; vna enim & eadem erat talaris, & polymita, vnde Tigurina ex Hebræo, *Nudauerunt eum tunica sua, tunica illa varia, quæ erat indutus.* Itáque sentiunt Vatablus, Pererius, Abulensis, alij. n. 64.

Nec videtur credibile demissum nudum in cisternam; in qua, vt putat Rab. Salomon, erant serpentes & scorpiones, idque probabile putat Pererius. n. 64. Iosephus etiam vnicam ei detractam affirmat tunicam; dum demitteretur in puteum.

XXVIII. *Mittitur in cisternam.* Demiservnt ergo *eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.* Vt scilicet ibi fame extingueretur, quasi minus in culpa futuri, quàm si gladium in fraternum iugulum immersissent; cùm tamen eum longè crudeliori morte, ac diuturniori cruciatu essent necaturi. Omittuntur porrò hoc loco Iosephi preces & lachrymæ, quarum ipsimet parricidæ meminerunt postea in Ægypto, dicentes inter se, *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus. Idcirco venit super nos ista tribulatio.* Gen. 42. 21. In libro Testam. Patriarcharum hæc habentur; Ioseph videns Simeonem & Gad venientes contra se vt eum occiderent, procidens super faciem suam dixit. c. 6. *Miseremini mei fratres mei, miseremini viscerum Iacob patris nostri. Non iniiciatis in me manus vestras, vt effundatis sanguinem innocentem, quoniam non peccaui in vos. Si verò peccaui, in disciplina erudite me; manum autem vestram ne inferatis, propter Iacob patrem nostrum.*

XXIX. *Irritas fundens preces.* Irritæ igitur fuerunt Iosephi lachrymæ, irritæ fratris preces, modò singulos, modò vniuersos deprecantis, & ad eorum genua lamentabiliter accidentis: nihil ferrea pectora mouit mixtus sudore pauor decori, & quod caput est, innocentis adolescentuli, & anxietas animi quasi in mortis agone constituti, *Miseruntq; eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.* Eum lacũ fuisse effossum à patribus suis ait Ruben in Testam. Patriarcharum, & desertum non inuenta ibi aqua. Eam profundam fuisse oportet, ne inde posset euadere: ideóque fune religatus eo sensim dimissus est, non ab vno Ruben, vt ait Iosephus, sed à pluribus, vt Scriptura testatur. Et quia Ruben venditioni non interfuit, vt eius mox secuta lamentatio docet, Iosephus ait eum aliò profectum ad quærenda pascua.

XXX. *Interea offert se venditionis occasio.* Reliqvi sederunt ad sumendum cibum. In eodem libro dicitur Zabulon fratribus comedentibus non gustasse cibum per duos dies, totidémque noctes, nec Iudam comedisse cum eis, quod intenderet in lacum, veritus ne Simeon & Gad, mutata sẽtentia, Iosephum interficerent. Parum autem probabile est quod addit, Iosephum fuisse in lacu tres dies & tres noctes, & ita incibatum venditum fuisse. quoniam Scriptura significat citò illac transisse mercatores quibus venditus est, & Philo in Iosepho eadem die id factum scribit. Cùm ergo sedissent, *vt comederent panem,* illicò conspicati sunt Ismaëlitas mercatores *venientes de Galaad;* c. 37. 25. illac videlicet ex Arabia transeuntes, nam Ismaëlitæ non habitabant in Galaaditide, sed ibi emebant, quæ ferrent in Ægyptum [7], *& camelos eorum portantes aromata, & resinã, & stactem in Aegyptum;* 7. ✱. Vatab. opobalsamum, ceram, & lachrymã myrrhæ. Cùm autẽ dicuntur hi mercatores venire de Galaad, perspicuum est, ex ipsamet Adrichomij tabula generali, Dothaim rectius poni in valle illustri, circa Salem,

vel Bethsan, quam vltra Bethuliam, sumendum enim esset iter in Septentrionem, vt veniretur in Meridiem, & magno viæ dispendio longo circuitu totum mare Galilææ circumobeundum, ad veniendum in Philistæam, & Gazam.

XXXI. *Consulit venditionem Iudas, & persuadet.*

Abulen. Del Rio.

H A c oblata occasione *dixit Iudas fratribus suis. Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum*, fame videlicet, & rerum omnium penuria, *& celauerimus sanguinem ipsius*, nec valuerimus iactare nos eius somnia, & spes dominationis irritasse. *Melius est vt venundetur Ismaelitis, & manus nostræ non polluantur; frater enim, & caro nostra est.* Consilium venditionis à Iuda proficiscitur, bona, vt apparet, intentione, voluit enim minore malo seruitutis, maius cædis malum impedire, aut commutare.
v. 28. *Acquieuerunt fratres sermonibus illius, & prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis; qui duxerunt eum in Aegyptum.*

XXXII. *Quod fuerit venditionis precium ex Hebræo.*

D E precio venditionis Iosephi multa hoc loco Pererius, Del Rio, aliique interpretes, apud quos varias huius loci lectiones de numero argenteorum reperies. Nunc Latina editione suæ integritati restituta, & cùm Hebræa, Græca, & Chaldaica consentiente, viginti argenteos siclos habemus, quorum pondus cùm semiunciæ fuerit, vt supra satis disputatum est, & vncia valeat quinquaginta quinque solidis Turonensibus: totum precium, redactum ad monetæ Gallicæ æstimationem, fuerit viginti septem Francorum cum dimidio. *Ex Sept.* Si rationem habuerimus Septuaginta interpretum, qui pro argenteis, aureos substituunt, vt habemus apud Chrysostomum & Hieronymũ, precium erit multò maius, nam vncia auri valet octo coronatis aureis cum triente (libra enim est centum circiter aureorum) ergo viginti sicli aurei, siue decem vnciæ auri, respondent octoginta tribus coronatis, cum triente. *Ex Iosepho.* Longiùs etiam abiit à vero Iosephus, cùm siclos in minas conuertit, quas, si atticas sumas, æstimat Cenalis septemdecim libras cum dimidia singulas, quia continent centum drachmas, quarum singulæ valent tribus solidis cum dimidio, apud eundem: ergo viginti minæ valerent trecentis quadraginta & vna libris Turonensibus. Sanè Iosephus, si benè eum noui, quo iam multos iam annos familiariter vtor, in honorem tanti Patriarchæ, precium venditionis eius vehementer exaggerauit, eóque minus, vel Pererio persuasit, vel mihi[1].

XXXIII. *Quæritur à Ruben.*

8. x.
v. 29. I N T E R E A verò dum ducitur in Ægyptum Iosephus, reuertitur *Ruben ad cisternam*, vbi non inuento Iosepho, *scissis vestibus pergit ad fratres, & ait, puer non comparet, & ego quo ibo*, vt scilicet eum inuenire possim? In Testam. Patriar. dicitur Ruben cognita venditione accepisse argentum, & cucurrisse post mercatores, & neminem inuenisse, quod dimissa via regia, per deuia velociter iter fecissent. Reuersum, ait Iosephus, Ruben à quærendis pascuis, & noctu ad puteum insciis fratribus venisse, vt eum eriperet, sed cùm is sæpius inclamatus nihil responderet, suspicatum esse illum per suam absentiam interemptum esse, fratrésque incusasse; cognitóque quid accidisset lugere desiisse.

XXXIV. *Eius tunica ad patrẽ mittitur.*

Test. Patr. C O N S I L I V M autem simul inierunt, quomodo ita Iosephi casum patri notum facerent, vt à se criminis suspicionem omnem amolirentur. Prædictus liber ait, hoc consilium à Dan fuisse suggestum. Factum exponit Moses, *Tulerunt*, inquit,
v. 31. 32. *tunicam eius*, (illam scilicet polymitam, antiquum inuidiæ irritamentum) *& in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt, mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent: hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui sit, an non.* Dederunt perferendam alicui, rei gestæ ignaro, nec testes calamitatis, quæ ad primum hoc nuncium parentem oppressura erat, esse voluerunt, vt ipsi mox, dissimulata re tota, eum conso-
l. 8. c. 25. larentur. Rupertus, *Hoc deliberauerunt*, inquit, *& non ipsi dicere voluerunt, hanc inuenimus, sed summiserunt qui ferrent, séque inuenisse dicerent, videlicet sic tutiùs innoxij apparerent, sic dissimulandi sibi laborem minuerent, sic animum patris à suspicione sui sceleris longius repellerent.*
c. 6. Addit liber Testam. Patriarcharum, omnes simul edixisse & conuenisse inter se, ne quis hoc mysterium reuelaret patri, qui secus faceret, gladio interficeretur; iisque minis prohibitum Zabulonem rem patri aperire ausum non fuisse.

XXXV. *Luctus Iacobi pro filio.*

v. 33. 34. C V M autem pater tunicam agnouisset, exclamans ait, *Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph. Scissisque vestibus, indutus est cilicio,*

lugens filium suum multo tempore. Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait, Descendam ad filium meum lugens, in infernum: Erit mihi luctus iste perpetuus, nec me ad mortem vsque deseret; qua superueniente *descendam ad filium meum*, in locum in quo Abel & Adam, Noë, & Abraham, & Isaac, & omnes iusti congregantur in subterraneis locis, dum veniat qui venturus est, & eductos de domo carceris, deducat secum in lucem sanctam, & beatam immortalitatem.

XXXVI. *Asseritur limbus Patrum contra hæreticos.*

HOSTES ignis peccata purgantis & expiantis, infernum hîc sepulchrum interpretantur; quasi Iacob putaret filium in spelunca duplici, & non in ventre ferarũ sepultum esse, vt ad illum ire posset? Sed hac de re plurima disputat Pererius, & Del Rio, Bellar. & qui dogmata fidei contra hæreticorum tuentur errores. Nobis sufficit illud Hier. in epist. ad Dardanum, *Hæc est*, inquit, *terra viuentium, in qua sanctis viris, atque mansuetis bona Domini præparantur; quam ante aduentum in carne Domini Saluatoris, nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob, nec Propheta, & alij iusti viri consequi potuerunt. Denique & Abraham, licet diuersis locis, cum Lazaro videtur apud inferos, & Iacob vir iustus dicit, Lugens & gemens descendam in infernum*, ad diuersum scilicet ac discretum ab aliis, Abrahæ reliquorúmque iustorum locum. Augustinus quoque ait, *antiquos sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, apud inferos fuisse, locis tamen à tormentis impiorum remotissimis; donec eos inde sanguis Christi, & ad ea loca descensus erueret.* Sic ipse, obstruens ora hæreticorum, qui Christi ad ea loca descensum negare ausi sunt.

8. disput. in hoc c. 37. Ep. 129. | l. 20. de ciu. c. 15.

XXXVII. *Venditur Ioseph in Aegypto.*

INTEREA verò Iacobo *perseuerante in fletu Madianitæ vendiderunt Ioseph in Aegypto Putiphari Eunucho Pharaonis magistro militum.* Hoc eius officium satis indicat Eunuchi nomen non significare, quod primùm ea voce audita mentibus nostris occurrit, sed cubicularium, vt Tigurina vertit, & interpretatur Sà, & notatio nominis indicat, virum nobilem, Regi familiarem, cuius etiam vxor & filia Asenetha postea memorantur. Nam diuinant de more Iudæi, qui diuinitus eunuchũ redditum arefactis virilibus asseuerant, quod Iosephum in turpe ministerium emisset, ideóque postea in pontificatum Heliopoleos electum fuisse, vt refert Hieronymus in hunc locum, & Rupertus. In Testam. Patriar. habetur Iosephum mansisse in Ægypto apud depositarium mercatorum mensibus tribus, & diebus quinque, donec venderetur vxori Putipharis centum aureis nummis.

c. 37. 36. | c. 41. 45. | in trad. in Ge. | l. 8. c. 17. & 18. | c. 11.

XXXVIII. *Flauij circa Iosephi venditionem lapsus.*

SED antequam ad alia gradum faciamus, nonnulla, in hac venditione Iosephi, notanda sunt in Ioseph. Primùm quòd consilium de occidendo Ioseph alieno loco ac tempore initum referat. Ait enim illos in paterna domo, post audita eius somnia, decreuisse adolescentem tollere; cùm Scriptura dicat eos, cùm essent in pascuis, eo viso de ipso interficiendo cogitauisse, & collocutos esse; quæ verba ostendunt tum primum id consilium initum fuisse, quod Philo quoque in Iosepho confirmat. Iosephus autem hic noster etiam scelestiores facit, quando vult pridem meditatum facinus, & allatum domo. Nec credibile est, si id vetus esset consilium, de decem filiis ne vnum quidem inuentum iri, qui vel paterna pietate, vel innocentissimi fratris charitate victus, rem alterutri subindicaret.

1. In consilio necis. | c. 37. 18.

in profectione in Sichem.

Notandus iterum quod dicat istos non præmonito patre in Sichima ad pascua esse profectos; fratris videlicet iam decreta nece. At nec id habet Scriptura, nec Philo, cuius illa sunt τοὺς μὲν ἐκπέμπει ποιμανοῦντας, *illos ablegat ad pascua.* Nec probabile est. Aliquid enim meritò suspicatus esset senex in tacita ista profectione, neque ad explorandum hoc vadum, sibi dilectissimum filium, hominibus illi parum æquis, quod ipse probè norat, commisisset, id enim foret *aureo hamo piscari.* 2.

XXXIX. *In sollicitudine patris.*

NOTANDVS tertiò, quod non verã sollicitudinis Iacobi Patriarchæ causam agnouerit, ex qua motus miserit Iosephum ad eos inuisendos, quam ex Ruperto attulimus; iustissimum scilicet metum, ex vicinorum populorum in filios suos odio, propter Sichimorum cladem. 3.

& defuncta matris.

Quartò quod viuam adhuc Rach. faciat. Nam Ruben apud ipsum ait, *Longè sceleratius esse necis fraternæ reos deprehendi, quo sublato, etiam in patrem eam iniuriam redundaturã, & matrẽ quoque in luctum, ac diram orbitatem coniecturos;* & mox eũ natu minimum appellat. At iã superius Mosis, & tẽporis ordinẽ secutus, Rachelẽ dixerat ex partu mortuã, & infantulũ superstitem nominatũ Beniamin. Ergo neque vltra minimus 4.

l. 2. c. 3. l. 1. c. 38.

natu Ioseph, neque ipsius matri defunctæ vltra luctus, aut orbitas meruenda.

XL. In Rubenis mendacio.

5. Notandus quoque, quod cùm de pluribus Scriptura dicat, misisse eos Iosephũ in cisternam veterem, id ipse vni Ruben attribuat, cui minimè omnium attribuendum erat. Nam quem accuratè philosophantem in fratris nece dissuadenda induxit, nunc illum eius carnificem agere vult, cùm oportuisset id malum ab eo permitti duntaxat, non etiam executioni mandari. Itaque Philo ait Ruben venientem fratrem esse complexum, cæteros autem hostiliter comprehensum spoliasse, & per funem in foueam demisisse.

In pretio venditionis.

6. Notandus sextò, quod venditum asserat viginti minis argenteis; dixisset siclis, si legisset Hebræa, in quibus id perspicuè habetur; sed quia in Septuag. legit viginti aureos, nũmos aureos vertit in minas: & liberali mendacio pretiosæ mercis precium auxit.

in hœdi sãguine.

7. Notandus septimò quod cum Septuaginta sequeretur, qui Hebræam vocem שעיר segbir, in hœdi sanguine interpretati sunt ἔριφον, id est hœdum, quomodo etiam habet Chald. Paraph. & Philo, ipse τράγον, id est hircum maluerit. Et tamen conuenientior est hœdus, vt sanguine in vestem effuso, carnem ipsi comederent.

XLI. In offerenda patri tunica.

8. NOTANDVS octauò, quod licet probabiliter asserat vestem prius laceratam, sanguine intinxisse, quod Philo quoque scripsit (& id valuit ad certiorem fidem faciendam patri, de adolescente à feris discerpto, & ad exaturandam fratrum inuidiam, quæ huic quoque tunicæ adhæserat;) falsò tamen, quippe contra Scripturam, asseruit, ab ipsis allatam, & ostensam patri. Et sanè inepta foret filiorum peritio, num ea tunica esset Iosephi, non minus enim illis cognita erat, quàm patri; & prudentius occultabatur facinus, dum tunica à seruulo aliquo deferebatur ad senem; sic enim, vt diximus, tantò alieniores fiebant à suspicione cædis, si omnia illius vestigia ab ipsis ignota fuisse viderentur.

XLII. In affingenda Iacobo prophetia.

9. NOTANDVS nonò, quod dicat fratres venisse ad senem, non ignarum de infortunio filij; si veritatem quæris, rectè ille quidem. Nam nuncius qui vestem laceram & cruentam detulerat, satis eum, de filij cæde docuerat; si Iosephi mentẽ, non rectè; nam prima illi cognitio huius calamitatis, ex tunicæ aspectu accidit, vt docet Mosis aperta narratio, cui & Philo consentit, nec vllus vnquam præter Iosephum dubitauit; quam si fratres obtulerunt, totius rei adhuc ignarum repererunt. Sed nimirum Iosephus, zelator imprudens gloriæ Patriarchæ, timuit ne Iacobum non putaremus Prophetam, si quid ei nouum, atque incognitum accidisse videretur; cùm tamen certò constet, Prophetas non continenter prophetico lumine illustratos fuisse, vt exemplo suo docuit Elizeus, magnus vtique Propheta.

4. Reg 4. 27. *Anima*, inquit, *eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.*

XLIII. Et inconstanter retinenda.

10. NOTANDVS decimò in hac antegressa cognitione prophetica. *Iacobus*, inquit, *qui hactenus leuius malum sperauerat, captiuum aliquò abductum puerum, opinionem hanc sũ abiecit, euidens argumentum necis tunicam ratus. Agnoscebat enim eam esse, qua indutum miserat.* Sic ipse. Si ergo illa captiuitas filij Iacob ante innotuit, non potuit nisi, vt Prophetæ, diuinitus innotuisse. Cur ergo adhæsit illi sciẽtiæ, & reuelationi? cur mutauit sententiã, & magis humanæ probabilitati credidit, quàm diuinæ luci, ac veritati? Vides quanto malo in Scriptura ludat, & eius verissimã, sapientissimámque narrationem suo iudicio ac prudentiæ, irreligiosè, atque imprudenter attẽperet.

XLIV. In omittendo Iudæ matrimonio, & aliis probrosis.

11. NOTANDVS vndecimò, quod regiæ tribus Iudæorum originem & seriem toto capite trigesimo octauo Genes. comprehensam, penitus omiserit, vt tãto magis intelligas, qua fide Iosephus dixerit, nihil se sacris voluminibus addere, nihil detrahere. Eum nimirum puduit matrimonij Iudæ cum filia Sue; id est, regij generis Hebræorum, non ab Abrahamitide, sed à Chananitide maledicto videlicet genere, propagati; puduit nequitiæ Her & Onan, filiorum Iuda, quam Dominus præmatura morte vindicauit; puduit & incestus Thamaris & Iudæ, ex quo Iudæorum reges, & Messias ipse originem duxerunt. Alius nimirum Iosephi, alius Moysis & Euangelistarum spiritus, ac sensus fuit, qui voluerunt à nobis intelligi etiam Messiam secundum carnem ad Chananæos, id est Gentiles

Hier. pertinere, quos Hebræi elato supercilio contemnebant. *Nec dedignatum de peccatoribus nasci, qui veniebat in mundum, vt omnium peccata deleret.* Quin etiam voluit fastum Iudæorum, quo & Iosephus noster tumebat deprimere, in probrosa eorũ ac

pudenda origine recenſenda, qui dicere audetent, *Nos ex fornicatione non ſumus nati.* Non ſanè, ſed ex inceſtu ſoceri & nurus. Rectius tamen fecit hæc omnia ſilentio obuoluendo, quàm ſi conatus eſſet, eadem mendaciis honeſtare. Sic enim & ſe pluribus reprehenſionibus, & nos reprehendi moleſtia liberauit. Ioan. 8. 41.

XLV. *Tempus matrimonij.* PERTINET porrò ad hoc ipſum tempus matrimonium Iudæ cum filia hominis Chananæi, qui dictus eſt Sue, id enim affirmat Moyſes initio cap. trigeſimi octaui, nam explicata venditione Ioſephi, ſtatim ſubdit Iudam eodem tempore veniſſe Odollam, ibique vxorem duxiſſe. Idque habetur cum temporis eiuſdem teſtificatione in omnibus Hebræis, Græcis, Latinis, Chaldæis codicibus, & in omnibus antiquis, recentioribúſque interpretibus. Scio D. Auguſtinum admirantem quomodo intra viginti duos annos, qui ſuperſunt vſque ad deſcenſum Iacobi, cum filiis ſuis, in Ægyptum, potuerit Iudas habere tres filios eius ætatis, vt omnes poſſent ducere vxores, dixiſſe, fortaſſe Moyſem hic recapitulatione vſum, poſterius narraſſe, quæ ante aliquot annos facta eſſent. Verùm excluditur planè hæc ἀνακεφαλαίωσις Scripturæ verbis, & minimè neceſſaria eſt. Excluditur quidem, quia non ſolùm Latina verſio dixit eodem tempore id factum, ſed etiam in Hebræo fonte habetur, in tempore ipſo בָּעֵת הַהִוא; ſi illo ipſo tempore, certe non alio; & rectè Abulenſis ait tales connotationes temporum tollere anticipationem, & recapitulationem. Nam quod D. Auguſt. locum dari poſſe recapitulationi credidit, eſt quia in Septuaginta tempus laxius notatum eſt, ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, quod ſi hoc coniugium venditionem anteceſſiſſet, nihil erat cauſæ, cur non etiam ante venditionem narraretur, ne præcipua Ioſephi hiſtoria inutiliter interrumperetur, vt fuſius idem Abulenſis contra Aben-Ezra diſputat. Sed neque neceſſaria eſt. Nam Phares & Zaram nati eſſe potuerunt vigeſimo tertio abhinc anno. Vt exactè ſupputat Abulenſis, & poſt eum Perer. & Del Rio. Idque ex ſingulis deinceps annis apparebit. Tornellus quidem vult duos quoque filios Phares natos eſſe, antequam Iacob ingrederetur in Ægyptũ; ſed id minimè neceſſarium eſt, vt ſuo loco dicemus: nam filij & nepotes Beniamin, qui hoc anno abſque vlla controuerſia natus eſt, non minorem dubitandi materiam præbent. Sed *ſufficit diei malitia ſua.*

q. 128. in Gen. — bagheth hahu. — in c. 38. — Matt. 6. 34.

XLVI. *Iudas ducit vxorem.* HOC ergo anno cùm vigeſimus Iudæ in curſu eſſet, & poſt aliquot menſes, vigeſ. primus accepturus eſſet initium, Iudas duxit vxorẽ, ex qua ſub initia ſequentis anni filium ſuſcepit, vt dicemus. De coniugio hæc habet Moyſes, *Eodem tempore deſcendens Iudas à fratribus ſuis, diuertit ad virum Odollamitem nomine Hiram.* Hiras fuit hoſpes Iudæ in ciuitate Odolla, quæ fuit in tribu Iuda, cuius regẽ nomine Dair interfecit Ioſue. *Eſt autẽ nunc villa pergrandis in duodecimo ab Eleutheropoli lapide, contra orientem.* vt ait Hierony. vbi ait etiam vocatam Eglon. Quod autem dicitur deſcendiſſe à fratribus; intelligo iuxta finem cap. trigeſimi ſeptimi, cunctos fuiſſe congregatos in Hebron, ad conſolandum parentem, inde autem digreſſum Iudam deſcendiſſe Odollam, quia Hebron eſt in Montanis. Nec aſſentior Abulenſi eum nunc educenti ex Sichem, aut Dothaim. Adrichom. eam vix trium horarum itinere diſiungit ab Hebron, deſcendendo verſus occaſum. vide eundem in tribu Iuda.

In loc. Heb. — n. 199.

XLVII. *Sue nomen ſoceri, non vxoris.* VIDIT ergo Iudas in ea vrbe *filiam hominis Chananai, vocabulo Sue*, non eſt hoc nomen filiæ ſed patris, nam affixum maſculinum eſt, & patet ex ſequ. verſu duodecimo, & primo Paralip. & conſentit Lyran. Chaldæus, Tigurina, & alij. Diſſentit Abulenſis deceptus mendoſis codicibus, aut ſecutus Septuaginta, qui Sue ſiue Sua volunt eſſe nomen filiæ non patris, apud quos etiam verſu duodecimo abeſt nomen (filia) eoſdem Septuag. ſecutus eſt Auctor Teſtam. Patriarcharum, vbi Iudas, *Erant mihi,* inquit, *pecora multa, & habebam principem paſtorũ Iram Odolamitem, ad quem cùm veni, vidi Barſan regem Odolam, & fecit nobis conuiuium, & precans dedit mihi filiam ſuam Bethſue in vxorem.* Sic loquitur Iudas, & mox addit ſe tranſgreſſum mandatum Domini, & mandatum patrum ſuorum, in huiuſmodi nuptiis contrahendis, ideóque Deo vendicante non lætatum fuiſſe in filiis eius.

c. 2. — c. 4.

Quod autem quidam Hebræi vocant Chananæum mercatorem, parum refert, ſatis enim eſt fuiſſe alienigenam, & non Abrahamitidem, quos non leges fuiſſe tum mercatores. Verùm vbi matrimoniũ Iudæ cum Chananitide pugatint,

eadem eis cura enaſceetur in Simeone. Genebrardus putat has mulieres fuiſſe ex genere Melchiſedech. Hanc ergo puellam adamatam Iudas accepit vxorem. Et quidem, vt apparet, inconſulto parente, qui Iſmaëlitas potius, aut Idumæos elegiſſet, memor ſe miſſum à parentibus in Meſopotamiam, ne vxorem Chananitidem acciperet. Ex ea verò hoc ipſo anno ſuſcepit filium, quem vocauit Her, id eſt, interprete Hieronymo, *Vigiliæ ſiue pollicens, aut reſurrectio, vel effuſio.*

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2306.

N. II. I. NEc mirabitur quiſpiam aut Iacobum anno centeſimo octauo vitæ ſuæ genuiſſe Beniaminum, aut Abrahamum etiam multo tardius plures ex Cethora liberos ſuſcepiſſe, qui crediderit Maſaniſſam regem, tot ſæculis interiectis, filium poſt octoginta ſex annos generaſſe, vt ait Plut. l. 7. c. 14.

N. IV. 2. Quæ hanc vocem ſomit quaſi compoſitam ex בָּ, quod eſt circa, & בָּרָה quod eſt eligere, vnde בַּר ſignificat filium, ſcilicet dilectum, ſiue electum, vt ait Pagninus, & planè ſentit Hieronymus.

N. XII. 3. Quid mirum cùm Helenam Troianorum proceres dignam duxerint, pro qua tot annis ad Troiam tantis cum cladibus decertaretur. Iliad. 2. ver. centeſ. quinquageſ. quinto, *ὠπέμενε πρῶτ* &c. ſic ferè & milites Holofernis. Iudith decimo, verſo decimo octauo.

N. XVII. 4. Vide eundem in caput quartum Micheæ verſu octauo, & ibidem Riberam num. quinquageſ. octauo. Adrichomium in tribu Iuda num. centeſ. quadrageſ. quarto. Pererium num. quadrageſ. ſexto, Abulenſem & Del Rio in hunc locum.

N. XX. 5. Liber hic quem ſæpe citamus ſub titulo teſtamenti Patriarcharum habetur tomo quinto Bibliothecæ patrum, & citatur ab Origene homil. decima quinta in Ioſoe. Citat eundem lib. Procop. in c. 38. Geneſ. & Siſtus Senenſ. l. 2. Bibliothecæ in tit. Patriarcharum teſt. quo deinceps aliquoties vtemur. Sitne tamen vnus idémque, alij viderint.

N. XXIV. 6. Quo fit vt minus aſſentiendum videatur Adrichomio, & iis quos ipſe ſequitur in tabula Zabulon, cùm Dothaim conſtituat in extremis finibus Zabulon iuxta Betuliam, qui locus diſtat à Sebaſte ſiue Samaria plus quadraginta milliaribus. Nec veriſimile eſt eos à Sichem, quæ inſuper diſtat à Samaria, ex eiuſdem dimenſione, ad quatuor vel quinque milliaria, vſque adeo receſſiſſe, loca præſertim ipſis ignota: Itaque ſi coniecturæ eſt locus, Dothaim conſtituerem duodecim milliaribus à Sebaſte, ſed inter Septentrionem & Orientem, per quæ loca ipſi non ita pridem tranſiuerant. Nec puto Ioſephum tam longe inconſulto patre abiturum fuiſſe. Et certè Abul. putat fuiſſe agrum quendam paſtorum apud Sichem, quod etiam repetit cap. trigeſimo octauo: atque fuiſſe in tribu Ephraim. Denique iter ex Galaad in Ægyptum Adrichomio non fauet, imo nocet, vt poſtea dicemus.

Nam reſina Galaad celebratur in libro Ieremiæ, c. 8. 22. & c. 46. 11. N. XXX 7.

Nihilominus non videtur ignorandum quod legimus in teſtam. Patriarch. Ibi enim Gad fatetur ſe cum *Iuda vendidiſſe fratrem, triginta aureis, de quibus*, inquit, *decem furtim ſubtraximus, viginti autem oſtendimus fratribus noſtris. Et ita auaritia adductus ſum vt interfectum vellem.* Hæc ille: qui mox addit in vltionem ſui in Ioſephum odij, Deum in ipſum immiſiſſe dolorem hepatis, quo afflictus ſit per vndecim menſes vſque ad mortem, ſed precibus patris ſui Iacob liberatum fuiſſe. N. XXXII. 8. c. 9.

ANNVS MVNDI 2307. DILVVII 651. TERTIÆ ÆTAT. 269. ISAACI 169. IACOBI 109. RVBEN 25. SIMEONIS 24.

LEVI 23. IVDÆ ET DAN 22. NEPHTALI ET GAD 21. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 20. DINÆ ET IOSEPHI 19. BENIAMINI 2. PROMISS. 194. BALÆI 6. IMPERII ASSVRIOR. 376.

ANTE CHRISTVM 1746.

c. 38. Gen. CONCIPIT hoc anno iterum vxor Iudæ, & parit filium, quem pater vocauit Onan, id eſt, *mæror eorum*; quid autem huic denominationi cauſam dederit, vel occaſionem, incompertum eſt, mœrorem certè non vulgarem dediſſe patri in morte ſua, dum domeſticum funus funere cumulat; nemini dubium eſſe poteſt. Ratio Chronologiæ ſub finem præcedentis anni ſtabilita eſt. I. *Ortus Onan.*

Num. 44.

II. *An Ioseph carcer 12. vel 13. annorum.* IOSEPH autem erat in Ægypto, sed an in vinculis per annos tredecim, vt putauit Demetrius, & D. Chrysostomus hom. octaua in epist. ad Ephes. qua in sententia videtur etiam fuisse in homil. sexag. tertia in Gen. vbi eum passim νεανίσκος appellat, eo tempore, quo ab Ægyptia vrgebatur ad flagitium, quod videtur etiam Philo sensisse, nimirum supponunt inox à quo in Ægypto fuit, ab illa Medæa requisitum. Vocatur etiam adolescens in vulgata. In Chronico Hebræorum cap. secundo dicitur Ioseph mansisse apud dominum mensibus duodecim in carcere autem totidem annis, quod Genebrardo illi persuaserunt; non mihi, neque enim fidem illi ex nuda assertione merentur. Hieronymus in psal. centesimũ quartum, si tamen Hieronymus, in ea verba. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius. Sedecim*, inquit, *annorum cùm esset adamatus est à domina, & in tali ætate constitutus, quæ magis voluptati dedita est, noluit consentire iniquitati, sed magis timuit periculum animæ.* (apud Eusebium l. 9. c. 4. in fin. — in lib. de Ioseph. c. 39. 10.)

III. *Præsens Iosephi status.* VERVM certior nunc, & communior est sententia Iosephum triennio tantùm in carcere fuisse detentum, vt suo loco dicetur, & aliquot annis priùs in Ægypto vixisse in eo statu, quem describit Moses. *Igitur Ioseph*, inquit, *ductus est in Aegyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Aegyptius, de manu Ismaelitarum, à quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens. Habitauitque in domo domini sui; qui optimè nouerat Dominum esse cum eo, & omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius.* Hæc vtique aliquot annorum experientiam requirunt. Nec fuit sapientiæ Putipharis homini ignoto, & adolescentulo totam familiam statim committere. Sed primùm, vt ingenuis moribus adolescentem (tametsi conditione seruum) honestè, ac liberaliter habuit, eiúsque expertus est fidem, obedientiam, & maiorem quàm pro ætate prudentiam. Agnouit etiam in rebus gerendis fœlicitatem, testem diuini in eum fauoris, atque præsentiæ. *Iosephum autem de negotiatoribus emptum*, inquit Flauius noster, *Petephres vir Aegyptius, qui Pharaothes coquis præerat, habuit liberaliter, quem & disciplinis ingenuorum erudiendum curauit, & victu commodiore, quàm pro seruili conditione, vti præcepit. Denique totius domus curæ præposuit.* Sed hoc posterius factum est [1]. (cap. 39. — l. 2.)

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2307.

IN huius porrò viri nomine atque officio, audi Hieronymum in trad. *Madianæi vendiderunt Iosephum Aegypto Putiphar Eunucho, Pharaonis archimagiro. In plerisque locis archimagiros, id est coquorum principes, pro magistris exercitus Scriptura commemorat, μαγειρεῖν quippe Græcè interpretatur occidere. Venditus est igitur Ioseph principi exercitus, & bellatorum, non Petephræ, vt in Latino scriptum est*, (id est in antiqua versione Italica ex græco expressa) *sed Putiphar Eunucho.* Hæc ipse. Paguinus & Vatablus vertunt *principem laniorum*, Tigurina, *capitalium rerum præfectum.* Chaldæos *magistrum interfectorum.* Qua de re vide pluribus Del Rio in fine cap. trigesimi septimi & Pererium. (Num. 114. & 115. & sequen.)

ANNVS MVNDI 2308. DILVVII 652. TERTIÆ ÆTAT. 270. ISAACI 170. IACOBI 110. RVBEN 26. SIMEON 25. LEVI 24. IVDÆ ET DAN 23. NEPHTALI ET GAD 22. ASER, ISSACH. ET ZABVLON 21. DINÆ ET IOSEPHI 20. BENIAMINI 3. PROMISS. 195. BALÆI 7. IMPERII ASSYRIORVM 377.

ANTE CHRISTVM 1745.

I. *Ortus Sela.* TERTIVS Iudæ filius hoc anno nascitur. *Tertium quoque peperit*, inquit Moses, de vxore Iudæ, *quem appellauit Sela, quo nato parere vltra cessauit.* Nomen à matre inditum fuisse ex verbo fœminino intelligitur, vt notauit Vatablus. Ea vox ab interlineari *dimissio eius*, ab Hieronymo redditur *vmbra eius.* Qui aliter hoc loco Hebraicum textum intellexit, atque interpretatus est quàm Septuaginta, aut quidam recentiores [1]. (c. 38. — l. 9.)

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2308.

NAM illi, *ipsa verò erat in Chasbi, quando peperit ipsos.* Isti vero, *Et erat in Chezib, quando peperit ipsa eum.* Volunt ergo Chesib (tradit. in Genes. 10.) siue Chasbi esse nomen loci. At D. Hieronymus, Oleaster, Lipomanus, Del Rio, Caiet. Abulens. malunt esse appellatiuum, quo significatur mendacium: vt sensus sit, deinceps partum defecisse, siue mentitum esse, quo modo, vt notat idem Hieronym. *in alio loco scriptum est* (Habac. tertio, versu decimo sept.) *mentietur opus oliuæ, id est fructum oliua non faciet*, aut fructum non feret, quem promittebat. (ibid.) Vertit quoque eandem vocem appellatiuè Aquila, vt ait Hieronymus. Et eodem modo in Isaia, *Sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ*, (58. 11.) in Hebræo est, *cuius non mentientur aquæ.* Et psal. centes. decimo quinto, *omnis homo mendax*, vertitur etiam, deficiens, chozeb. vide Oleast. Et tamen idem Hieron. ait Chasbi *locum esse desertum* (ipsius videlicet tempore) *iuxta Odollam*; nempe in tribu Iuda. (in loc. heb.) Adrichomius, *In finibus Eleutheropoleos, vbique Thamarem geminos Iudæ filios edidisse.* (Num. 85.) Iapsu profectò memoriæ tribuit Thamari, quod fuit vxoris Iudæ.

ANNVS MVNDI 2312. DILVVII 656. TERTIÆ ÆTAT. 274. ISAACI 174. IACOBI 114. RVBEN 30. SIMEONIS 29. LEVI 28. IVDÆ ET DAN 27. NEPHTALI ET GAD 26. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 25. DINÆ ET IOSEPHI 24. BENIAMINI 7. PROMISS. 199. BALÆI 11. IMPERII ASSYR. 381.

ANTE CHRISTVM 1741.

c. 37. 34. LVGEBAT hoc quoque tempore Iacob filium suum Ioseph; eum quippe *luxit multo tempore*, nec consolationem à reliquis filiis admittebat; Beniamin tamen, qui diuinitus illi in locum demortui, & à bestiis dilacerati, sub idem tempus datus videbatur, non parum eius leniebat dolorem, iam factus septennis, & idoneus vt grandæuum exhilararet parentem. I. *Iacob perseuerat in luctu.*

c. 39. 4. QVO ipso tempore videtur Iosephus cùm iam euasisset in virum, & domino suo fidem, industriam, probitatem, continentiam satis probasset, ab eodem domus suæ negotiis fuisse præpositus. *Inuenítque Ioseph gratiam*, ait Moses, *coram domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, & vniuersa, quæ ei tradita fuerant. Benedixítque Dominus domus Aegypty propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus, quàm in agris cunctam eius substantiam. Nec quicquam aliud nouerat, nisi panem, quo vescebatur.* Opulentior videlicet factus est Putiphar, crescente domi familia, & supellectile & pecuniis, foris autem pecoribus, villis, frugibus. Cúmque huius fœlicitatis conciliatorem agnosceret Iosephum; ei quasi sibi ipsi fidem habuit, adeò vt nullam ab eo dati & accepti rationem, magis, quàm à seipso exigeret. Sed cura vacuus totus à Iosephi sui administratione penderet; edere tantùm ac bibere contentus, quo modo hunc locum interpretatur Abulensis, Perer. Del Rio. II. *Iosephus præficitur domui Putipharis.*

ca. 3. AGEBAT hoc tempore annum vigesimum octauum Leui, quo anno auctor libri Patriarcharum, scribit ipsum vxorem duxisse, nomine Melcham, ex eáque tres suscepisse liberos, Gerson, Caath, & Merari. Quæ cùm nihil habeant, aut Scripturæ, aut rationi repugnans, non video cur repudientur, præsertim cùm certiora non suppetant. Duxerit ergo vxorem hoc anno Leui, ex qua Gersonem primogenitum sequenti anno si placet, susceperit. Nam Caath non nisi patris trigesimo quarto, vt suo loco dicemus. III. *Leui ducit vxorem.*

ANNVS MVNDI 2316. DILVVII 660. TERTIÆ ÆTAT. 278. ISAACI 178. IACOBI 118. RVBEN 34. SIMEONIS 33. LEVI 32. IVDÆ ET DAN 31. NEPHTALI ET GAD 30. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 29. DINÆ ET IOSEPHI 28. BENIAMINI 11. PROMISS. 203. BALÆ 15. IMPERII ASSYR. 385.

ANTE CHRISTVM 1737.

I. AD hunc circiter annum, quo Iosephus vigesimum septimum agebat, & vigesimum octauum erat inchoaturus, passim referunt Iosephi carcerem Scripturæ interpretes Abul. in cap. trigesimum nonum, & ibidem Peretius, Del Rio, Procopius, quibus Chronologi consentiunt Chronicum Alexandrinum, quod mox referam, Torniellus, Gordonus, & è Nouatoribus, Caluisius, Capellus, Vignerius, & quicumque tempora Scripturæ diligentius expenderunt, ac digesserunt. Nec vox adolescentis, aut *νεανίσκος*, valde fauet contrariæ sententiæ, cùm etiam pueri nomen in Scriptura viris grandioribus tribuatur. Nec credibile est Putipharem puero, aut adolescenti septemdecim annorum totam familiam, copiosam in primis, atque opulentam commisisse, vt suprà dicebamus. Vice autem versa hoc vinculorum tempus apprimè congruit cum Scriptura, quæ fermè triennium carceris exigit, vnum scilicet, quo custos carceris agnitos Iosephi mores dilexit, & ei tantam habuit fidem, vt ei omnes, qui in vinculis erant, committeret; tum duo subsecuti sunt anni, vsque ad somnium Pharaonis, & Iosephi trigesimum annum, de quo Geneseos c. 41. n. 8. n. 18. in cap. 30. Gen. ann. 2307 n. 3. 41. 1. 46.

II. NOTISSIMA est horum causa vinculorum, quippe quæ quotidie, cùm eximia laude continentiæ Iosephi, & probro mulieris Ægyptiæ iteratur. Ea fusè explicatur in testam. Patriarch. & in Chronico Alexandrino in anno Leui trigesimo secũdo, in quem relatas puto ab authore decem illas, quas memorat, Iosephi afflictiones, quod postrema, quę est carceris, ad hunc annum pertineat, quod nostram confirmat Chronologiam, vt vides in indice anni huius. Ergo mulieris nefariæ cupiditati, flamma parata erat iuuenis famulus *pulchra facie, & decorus aspectu*. Ipsa mulier paleis ignem admouit; *post multos* enim *dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph*, oculos scilicet impudicos, sceleris nuncios, & curatores. Sed quare *post multos dies*, annos scilicet decem, vt diximus? an quia diu de illo nihil cogitauit, sed contempsit, vt Hebræum seruulum? an verò prius amabat vt filium, vt est in testam. Patriarch. sed is amor postmodum deprauatus est, cùm eum ætate iam, industria, atque virtute florentem, ex mariti ore magni facere cœpit, & prępositum toti familię agnouit; & insuper ex facie ingenua atque liberali, quę Ægyptiam deformitatem accusaret, amore dignum sensit. In Hebræo non fit mentio temporis breuioris, aut lõgioris, sed habetur tantùm, *mulierem post hæc*, id est post illam Iosephi exaltationẽ, & eximiam apud herum gratiam, & fidem, iniectis in eum procacibus oculis, insanire cœpisse; nec contentam aspectu prodere furorem suum, etiam verbis propalasse. cap. 11.

III. QVÆ cùm innocentissimus iuuenis, non eum iusta indignatione, ac conuitio, sed modestè, pro sua in dominam veneratione, repulisset; exaggerata etiam sua in herum humanissimum, si secus faceret, ingratitudine, atque perfidia, proposito denique vltore, ac vindice flagitiorum Deo. Illa nihilominus furere; iste adulterium constanter auersari pergebat, &, vt in Hebræo est, nõ solùm flagitium respuebat, sed omninò esse cum ea (fabulando scilicet) studiosè deuitabat; siue vt tam crimen, quàm criminis occasionem illi adimeret, siue considerando semetipsum; ne & ipse tentaretur. Liber Testamenti Patriarcharum, quem paulò antè retulimus, cap. 2. ait multa machinatam esse hanc mulierem aduersum Ioseph, magos aduocasse, cap. 2. & pharmaca ei amatoria obtulisse, alia etiam ab eodem referuntur. Additæ scilicet minæ mortis, spes occultandi flagitij & conuersionis ab idolis promissio, &c.

Ego verò, inquit, *recordatus sum sermonum patris mei Iacob, & ingrediens in thalamum adoraui Dominum, & ieiunaui septem annis. Apparui autem Aegyptia, ea corporis habitudine, quasi qui in delitiis vixisset; quoniam propter Deum ieiunantes faciei gratiam accipiunt. Cúmque dabatur mihi vinum, non bibebam. Et in triduano ieiunio accipiebam meam diætam, & tribui eam egentibus, & infirmis. Et mane euigilaui ad Dominum, & fleui pro Memphitica Aegyptia, quoniam multum, & indesinenter molesta erat mihi.* Addit deinceps se iacuisse in terra sacco indutum, & pridie vltimæ tentationis ab hora sexta, vsque ad sequentem diem, continenter precibus vacasse, & lachrymis, vt liberaretur ab Ægyptia. Hæc ibi, nimium aucta fortasse: nam quod de septem annis ieiunij dicit, libenter verterim in septem dies, quis enim credat mulierem hunc ignem tandiu clausum in sinu gestare potuisse? Sed audiamus Scripturam.

c. 39. 11. ACCIDIT *autem quodam die vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam absque arbitris faceret.* In Hebræo est, *Venisse domum ad faciendum opus suum, nec fuisse tum quemquam domi ex domesticis.* Id opus explicat Onkelos, *vt inuestigaret scripta rationis suæ*, librum scilicet dati & accepti, diem autem illum Iosephus explicat publicum festum. Ratus id facere ad probabilitatem, & ad grauitatem facinoris. *Non cessante*, inquit, *morbo, secundas illi machinas admouere cogitat*; imò vltimas, quomodo enim secundas, cùm istam iuueni quotidie molestam fuisse Scriptura testetur? Sed pergit, *Ergo publico festo instante, cuius celebritatem fæminas quoque frequentare mos erat, fingit morbum apud maritum, captans solitudinem, & ad Iosephum sollicitandum opportunitatem. quam nacta supplex blandiciis talibus eum adoritur.* Imò non adhibet vltra verborum blandicias, sed impudentia meretricia eum veste apprehensum, suis etiam depositis, vt ait Chronicum Alexandrinum ad facinus compellere conabatur, & firmiter apprehendisse apparet, quando sanctus ac modestus iuuenis satius duxerit vestem deserere; quàm vi aliqua aduersus heram, quòd Del Rio etiã notauit, adhibita, eam ex eius manibus euellere. Non cogitans, vt apparet, pallium fore vsui mulieri nequam, in calumniæ argumentum. Quanquam non improbabiliter historiæ huius scriptor Iosephus tradat, eam iuueni tam odium suum, quàm vindictam, cum falsa apud maritum accusatione, intentasse, verbis lachrymas verborum testes addidisse, eáque omnia comminatam, quæ postea fecisse legimus. IV. *Vltimus mulieris furor.*

l. 2. c. 3.

v. 12. hom. 62. RELICTO ergo *in manu eius pallio fugit, & egressus est foras*, è cubiculo scilicet, vt habet Iosephus, & fugientem victoria secuta est, quam tanti facit Chrysostomus, vt eam miraculo Babylonicæ fornacis anteferat; cuius verba non pigebit ascribere. *Non erat*, inquit, *tam admirabile, vt mihi videtur, in fornace Babylonis versari tres pueros, & illæsos permanere, & nihil ab igne pati, vt admirabile hoc, & rarum, quòd admirabilis ille iuuenis retinetur vestimentis à scelesta illa, & lascina, nec tamen illi cedit, sed & vestibus relictis in manibus illius resilit. Sicut autem tres pueri illi, propter suam virtutem, superno freti auxilio, igne præstantiores visi sunt. Ita & ille, quia quod in se erat, afferebat, & continentia certamina cum magna exhibebat constantia, magno supernóque præsidio muniebatur. Neque enim potuisset, dextera Dei non cooperante ei, tantùm certamen certare, & à retibus illius libidinosæ mulieris aufugere. Et licebat postea videre admirabilem illum, nudum quidem vestibus exire, indutum autem continentiæ vestimentis, & quasi ab incendio, & fornace illæsum effugere, & non solùm non adustum, sed & multo frigidiorem, & clariorem factum.* Hæc Chrysostomus. V. *Et Iosephi victoria.*

VERVM in hac periculosissima lucta victorem, Deus tentare pergit, eúmque in graue famæ ac vitæ discrimen adducere; quando famæ, ac vitæ, Dei timorem, VI. *Altera Iosephi tentatio, ex mortis & infamia metu.*
v. 13. & amorem pudicitiæ, & in herum reuerentiam, ac fidem antetulisset. *Cùm enim vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam*, non ferens opprobrium, & confusionem suam, amorem insanum: in odium implacabile conuertit; & hostem suum, primò apud domesticos infamat. Deinde apud maritum attentati adulterij accusat, & in argumentum fidei, retentum pallium ei ostendit. Hæc sic explicat Iosephus. *Illa partim repulsa dolore, partim metu, ne suam petulantiam maritus cognosceret, decreuit prior Iosephum falsò deferre, & hoc pacto vindictam de eo sumere, dignum muliebri astutia rata, si accusationem præoccuparet. Itaque sedebat mærens, & perturbata, qui erat dolor ob frustratam libidinem, esse indignationem tentata pudicitiæ simulans.*

VII. *Muliebris accuſatio.*

MARITO *autem reuerſo* (omittit conuocatos prius ab illa domeſticos, & querelam ad eos, quaſi in flagranti facinore delatam, idque ad probabilitatem neceſſarium fuit. Etſi enim paulò antè dictum eſt, rem abſentibus omnibus domeſticis eſſe attentatam, quam ſolitudinem ipſamet curauerat, in magna tamen atque opulenta familia, facilè intelligitur, citò aliquem aduenisse, & per eum reliquos conuocatos, vt primi eſſent inſtructæ calumniæ auditores. Sed pergit.) *Marito autem reuerſo, & ad hunc aſpectum turbato, cauſámque ſcitante. Ne viuas*, inquit, *marite, ni ſceleſtum ſeruum, cubile tuum violare conatum, digna pœna mulctaueris; oblitum & quales in ædes noſtras venerit, & quanta beneuolentia ſit à te complexus*, &c. *His auditis*, inquit Moſes, *dominus nimium credulus verbis coniugis, iratus eſt valde; tradidítque Ioſeph in carcerem, vbi vincti regis cuſtodiebantur, & erat ibi clauſus.*

VIII. *Fucus mulieris, & credulitas viri.*

AD credulitatem excuſandam addit Ioſephus mulieris lachrymas, & amorem erga maritum, accedebat relicta veſtis, & anticipata de mulierum pudore ac verecundia, præ viris, opinione vulgari, atque probabili. Sed eum nihilominus vehementius hæc accuſant iniuſtitiæ, ac temeritatis inconſultæ, quòd diligentius, in re tanti momenti, veritatem non inquiſierit; quòd reo locum defenſionis non dederit, quòd decem ipſis annis probata ſerui modeſtia, fide, innocentia, dubiam ipſi accuſationem non reddiderit, quòd non pulchritudo viri, non flos ætatis iuuenilis, non Ægyptiæ mulieris deformitas, non cupiditas liberorum mulierem Eunuchi vxorem ſuſpectam fecerit.

IX. *Quid paſſus in carcere Ioſephus.*

PORRO Ioſephus ipſe in libro teſtamenti Patriarch. ait, ſe non tantùm coniectum in carcerem, ſed verberibus etiam cæſum, & ſubſannatum, idémque mox repetens. *Illa verò*, inquit, *calumniata eſt me apud virum ſuum, qui miſit me in carcerem, qui erat in domo regis. Sequenti die vbi flagris probè caſus fueram, rurſus coniectus ſum in carcerem. Et cùm vinctus iacerem in compedibus, Aegyptia infirmata eſt nimio dolore, & auſcultabat laudantem Deum in domo tenebrarum. Nec tamen deſtitit orare vt ei conſentirem, ſe ex vinculis, & tenebris me liberaturam.* Hæc & alia ibidem; quæ ſi dubia videntur, videamus quæ referat Scriptura. Quòd enim dicitur à Moſe, clauſus Ioſephus in carcere, plenius explicat Dauid, *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſiit animam eius, donec veniret verbum eius.* Non ergo ſolùm in carcerem, ſed etiã in vincula coniectus eſt, & pedes compedibus, & corpus ferreis catenis conſtrictũ fuit, animam enim pro corpore ibi Pſalmiſta poſuit; vt ſuprà, *Da mihi animas.* Et iterum: *Animas quas fecerant.*

cap. 11. *Pſal. 104. 18.* *14. Gen. & 12.*

X. *Dei erga ipſum prouidentia.*

QVINETIAM D. Chryſoſtomus, ad peculiarem Dei in Ioſephum prouidentiam refert, quòd à domino non ſit iuſſus occidi. *Superna*, inquit, *manus erat, quæ barbarum detinuit, & non permiſit ad cædem iuſti feſtinare. Quid enim prohibuiſſet eum hoc facere, cùm intelligeret illum attentaſſe violare ſuum lectum?* Et infrà: *Nam ſi quidem non credebat, non oportebat eum in carcerem conicere. Sin credebat verum eſſe, quòd Aegyptia dixerat, tunc neque carcere dignus erat, ſed plecti capite, & extremam pœnam pati debebat. Verùm quando ſuum auxilium dextra ſuperna oſtendit, omnia leuia, & facilia fiunt, & feroces manſueſcunt.*

hom. 63.

XI. *Et Ioſephi patientia.*

ET rurſum paulò pòſt de Ioſephi patientia dum coniicitur in carcerem. *Poſt tantam fortitudinem*, inquit, *abducitur in carcerem, & ſilenter fert omnia. Sciis enim ij, qui non ſibi ſunt conſcij malitia, quando ſicut Rei condemnantur, quanta vtantur ſæpè fiducia, & dicendi libertate, ſuperbientes, & inflati, & inſurgentes contra eos, qui inſontibus crimen intentant. Verùm ille non ſic, ſed ſilet, & omnia manſuetè fert, & magna cum patientia Dei expectat ſubſidium.* Hæc Chryſoſt.

Ibid.

XII. *Gratiã inuenit apud carceris cuſtodem.*

NEC fruſtra expectauit. Nam dum veniret tempus libertatis & exaltationis eius, *fuit Dominus cum Ioſeph*, vt ait Moſes, *& miſertus illius, dedit ei gratiam in conſpectu principis carceris. Qui tradidit in manu illius vniuerſos vinctos, qui in cuſtodia tenebantur; & quicquid fiebat, ſub ipſo erat. Nec nouerat aliquid, cunctis ei creditis. Dominus enim erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat. Quò non penetrat*, inquit Ambroſius, *diuina miſericordia? Inuenit Ioſeph huiuſmodi gratiam, vt qui fuerat clauſus in carcere, ipſe potius carceris clauſtra ſeruaret, cederet munere clauicularius, & incluſos omnes in poteſtatem eius committeret. Itaque Ioſeph non ſolùm carcerem non ſentiebat, ſed alios quoque carceris leuabat ærumnis.* Quæ ferè habet etiam Chryſoſtomus. Philo autem ait Ioſephum tanta in carcere virtutum exempla edidiſſe, vt etiam facinoroſis illis miraculo

c. 39. 21. *in lib. de Ioſeph. c. 3.* *in fin. hom. 63. & initio 64.*

esset, credentibus, ad suæ calamitatis solatium, eum sibi virum datum fuisse.

DENIQVE Iosephus. *Innocentiam,* inquit, *suam Deo committens, neque se defendere curauit, neque rem, ita vt gesta erat, indicare. Sed vinculorum necessitatem tacitus ferens, vna spe consolabatur, nimirum potentiorem esse Deum iis, qui se vinxerant, cuius prouidentiam confestim est expertus. Custos enim carceris tum fidem eius, ac diligentiam in absoluendis operum pensis considerans, tum formæ dignitatem, soluit eum à vinculis; eámque miseriam aliquantò leuiorem reddidit. Victu etiam commodiore quàm reliquos vinctos vti permisit.* Sic Iosephus, qui videtur sontes & seruos pro iisdem accipere. Nec vsquam fortasse repetias incarceratis id laboris impositum; quòd etiam mox regis aulicis attribuit. XIII. *Opus impositũ vinctis Iosephus putat.*

ANNVS MVNDI 2317. DILVVII 661. TERTIÆ ÆTATIS 279. ISAACI 179. IACOBI 119. RVBEN 35. SIMEONIS 34. LEVI 33. IVDÆ ET DAN 32. NEPHTALI ET GAD 31. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 30. DINÆ ET IOSEPHI 29. BENIAMINI 12. PROMISS. 204. BALÆI 36. IMP. ASSYRIORVM 386.

ANTE CHRISTVM 1736.

Gen. 40. CVM Ioseph vnum circiter annum in carcere transegisset, contigit vt duo Eunuchi Pharaonis in carcerem compingerentur. Annum, inquam vnum: non enim multo minus temporis videtur exigere, adepta, non solùm familiaritas principis carceris, sed etiam fiducia; vt scilicet ille non dubitaret fidem Iosepho, & propria libertate, & vinctorum omnium beneuolentia antiquiorem fore. Nec opus fuit pluribus, tametsi Chronicum Alexandrinum differt vinctorum somnia in annum sequentem. In hunc etiam annum centesimum decimum nonum Iacobi refert Gordonus interpretationem somnij prædictorũ, sicut & Torniellus, & è sectariis Caluisius, vno scilicet anno ante Isaaci mortem. Quem annum mihi videtur significare Demetrius apud Euseb. cùm meminit anni, qui mortem Isaaci antecedit. Consentiunt omnes, qui triennium in carcere detentum Iosephum volunt, in quibus Abulensis, Pererius, & alij. I. *Secundus annus carceris Iosephi.* l. 9. c. 4.

DOMINVS autem paulatim præparans, ac præstruens Iosephi libertatem, & exaltationem, non contentus eum in carcere, sicut antea in ædibus Putipharis morum probitate clarescere, & gratia apud dominos plurimùm valere; voluit eundem prophetica futurorum cognitione illustrem reddere. Cui rei occasionẽ dedit lapsus duorum aulicorum, & culpa quæpiam in regem admissa, ob quam in carcerem, in quo erat Ioseph, coniecti sunt. Eam culpam, quam Moyses reticuit, inepti quidam Hebræi diuinarunt, vt retulit Abulensis, damnatum scilicet à rege principem pistorum, & pincernarum, quòd in pane lapillum, in vino muscam reperisset; sed satius est ignorantiam nostram agnoscere, quàm istos prophetas audire. Putat Abulensis illos in suis rationibus dati & accepti in culpa esse inuentos. Iosephus ait, per iram à Rege in compedes damnatum pincernam. II. *Dominus præparat Iosephi libertatẽ, & gloriam.*

AT *custos carceris tradidit eos Ioseph, qui & ministrabat eis,* ex quo intelligitur eos non vulgaris fuisse dignitatis; & Iosephum parum tutæ in scribendo fidei esse. Affectus enim zelo pro dignitate cognominis Patriarchæ hoc ministerium dissimulat. Sic enim habet. *Cæterum his, qui in eodem erant ergastulo, quoties labor intermitteretur, confabulantibus, ita vt solent miseriarum socij, & inter se causam damnationis percunctantibus, pincerna quidam Regi charus per iram ab illo ad compedes damnatus, familiaritatem cum Iosepho contraxit, & quia prudentem existimauit, visum somnium ei exposuit, orans indicaret, si quod subesset præsagium; deplorans suum infortunium, cui non satis* III. *Ministrat vinctis, quamuis dissimulãte Flauio.*

erat regis indignatio, nisi per quietem etiam somniis diuinitus turbaretur. Sic ipse. Verùm vt omittam perfrigidam istam deplorationem, cuius nullum in Scriptura vestigium; certè Hebræi codices, Græci, & Latini, & Chaldæa paraphrasis, & omnes interpretes, huic Iosephi ministerio testimonium perhibent; & non simpliciter pincernam, aut pistorem, sed eorum principes vocant, nec vllum exposuit pincerna somnium, sed à Iosepho requisitus. Nec habetur ex Scriptura, aut alio teste idoneo incarceratis impositũ seruile opus, nisi fortè illi iam serui essent. Ipsam ergo potius Scripturam audiamus.

IV. *Quandiu illi cum Ioseph in carcere fuerint.* ALIQVANTVLVM *autem temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur, viderúntque ambo somnium nocte vna.* Latina versio habet, post breue tempus, ex quo isti in vinculis erant, somnia illis contigisse. Pagninus autem habet eos per annum fuisse prius in custodia; idque Vatablo rectum visum est, & interpreti Chaldæi Onkelos, Del Rio quoque. Sed idem Pagninus Hebræum iamim, id est *dies*, vertit etiã *aliquandiu*, Septuag. simpliciter vertunt ἡμέρας. Chaldæus retinuit iamim. Verùm rectissimè Hieronymus *aliquantulum*: si enim dixerimus istos vnum annum in carcere fuisse, oportebit Iosephum in eo quatuor annos moras traxisse; annum scilicet antequam illi truderentur in carcerem, vt docuimus, alterum cum illis, vt istis placet; & mox biennium post eos eductos è vinculis, vt patet ex capite sequenti, quòd aduersatur iis, quæ initio præcedentis anni stabilita sunt, de triennali carcere. Et constat sæpè iamim malè per annos explicari, vt suprà cum Caietano diximus. c. 24 55.

V. *Somnia eorum; Pincerna primùm.* ERGO eadem nocte viderunt ambo somnia, tam suis officiis, quàm rerum euentui congruentia, quæ cùm eos tristes ac rerum expectatione suspensos tenerent, nec exire ad consulendos somniorum coniectores liceret, obtulit operam suam Ioseph, confisus Deum, cuius est cognitio futurorum, & prædictio, sibi reuelaturum, quæ per somnia illis obscurius innuisset. c. 40. 5.

Præpositus pincernarum narrauit prior somnium suum de visa vite cum tribus palmitibus, ex quibus, iuxta naturam vitis, gemmæ primùm erumpebant, quæ paulatim dilatatæ frondescebant, & fructus emittebant minutos, qui & ipsi florebant, & grandescebant, & ad maturitatem perducti, à pincerna in calicem Pharaonis exprimebantur, & Regi ab eodem porrigebantur ad potum.

VI. *Quod parũ fideliter narrat Flauius.* DISCEDIT autem à Moyse Iosephus cùm ait. *Aiebat se in somnis vidisse trium palmitum vitis, vuas è singulis enatas pendere grandes iam, & vindemiæ tempestiuas, easque se exprimere subdente rege phialam, colatum deinde mustum se obtulisse Regi, illúmque libenter bibisse.* Corrigere voluit Scripturam & somnium, in quibus racemi enascuntur, & florent, & grandescunt, quos ipse statim grandes procreat, & vindemiæ tempestiuos, nec rex tenet calicem, sed pincerna, si Moysi credimus, nec percolationis vlla est mentio. Iant. c 5.

VII. *Patriarcha diuinitus exponit, & pro se orat.* RESPONDET Ioseph compendio, nec singula reddit singulis, *Tres*, inquit, *propagines, tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum, dabisque ei calicem, iuxta officium tuum, sicut ante facere consueueras.* Pro tam fœlici autem certóque nuncio, cuius veritas intra triduum comprobaretur, eam gratiam postulat, vt ille memor sit apud Pharaonem interpretis sui, benè de se meriti, & innocentis. *Tantùm*, inquit, *memento mei cùm bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere, quia furto sublatus sum de terra Hebræorum* (non quæ Hebræorum esset, sed in qua illi habitarent, & quæ aliquando eorum futura esset. Ibi eum plagiarij fratres patri surreptum vendiderunt, vnde mox in Ægyptum abductus est) *& hic innocens*, inquit, *in lacum missus sum.* v. 12. & 13.

VIII. *Iosephi eximia patientia.* ATTENDE *obsecro*, ait Chrysostomus, *quomodo nihil dicat contra scelestam illam adulteram, neque arguat Dominum, neque narret fratrum in se inhumanitatem, sed tectis omnibus dicit, Recordare mei*, &c. Fusius enim rem in exemplum admirabilis patientiæ ac mansuetudinis trahit. Nam quod è contrario Caiet. probabile putat Iosephum totam causam suam exposuisse isti pincernarum principi, non rectè putat. non enim fuit sapientiæ, ac modestiæ Iosephi, ignota fratrum crimina propalare, & cum certa aliorum infamia, incertam salutem suam quærere. hom. 63.

c. 40.16. VIDENS *autem pistorum magister, quòd prudenter somnium socij dissoluisset*, pro- IX. *Somnium magistri pistorum.*
ponit somniũ suum, sperans & ipse lætam interpretationem, ac prædictionem, quoniam cætera omnia paria videbantur, Dominus idem, Rex Ægypti Pharao: præfecturæ similes, alter panis, vini alter gerebat curam; vterque, vt apparet, non dissimili culpa regem offenderat; vterque enim in eundem coniectus est carcerem; vterque mox diuinitus futura obscurè præuidet, vterque post triduum educitur è carcere, sed vnus ad regium ministerium, alter ad suspendium. In figuram electorum, ac reproborum, quorum aliquando in non dissimili vita, dissimillimus est exitus, vt in latronibus, qui cum Christo morte affecti sunt, luce clarius cernitur.

Ibid. 2. χ. E T *ego vidi somnium*, inquit, *quod tria canistra farinæ haberem super caput meum*, ca- X. *Et eius Canistra.*
nistra farinæ vocat, in quibus farina deferri solebat [a]. Apparet autem visa fuisse tria canistra viminea, in quorum imo, ac medio essent panes candidi, ex polline confecti; in supremo autem varij cibi, qui fiunt arte pistoria, ad quos aduolabant aues, vt cibum inde sumerent. Itáque intellexit Iosephus. *Tria canistra*, inquit, *supra caput meum baiulare mihi videbar, ex his duo panibus erant plena, tertium carnibus & variis edulijs, qualia regibus apparari solent. Deuolantes autem alites absumpsisse omnia, ipso licet arcente nihil deterritas.* Hoc postremum perspicuum est sacræ historiæ assutum, ad captandam concinnitatem, quæ in applicatione apparet, quòd cruci suffixus alites à se arcere non posset, sed redeo ad Moysem.

v. 18. QVIBVS *auditis Iosephus*, *Tria canistra*, inquit, *tres adhuc dies sunt, post quos* XI. *Expositio somnij.*
Pharao auferet caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas. Dura planè, ac molesta prædictio, sed quæ interpreti odium conciliare non debeat, qui ante professus fuerit, à Deo, non à se esse interpretationem; cuius veritatem, sicut & præcedentis, exitus comprobauit. Audi & Flauium, *Dum Iosephus coniectura somnij facta, præfatúsque, quòd mallet ei lætiora pronunciare, quàm quæ somnium portenderet, dicit duos omnino dies vitæ ipsi superesse, hoc enim significare canistra, tertia verò cruci suffixum ab alitibus deuorandum, quas à se arcere non posset.* Id docet sequens Mosis narratio.

v. 20. EXINDE enim *dies tertius natalitius Pharaonis erat, qui faciens grande conuiuium* XII. *In rem deducitur.*
pueris suis, aulicis videlicet, *recordatus est inter epulas magistri pincernarum, & pistorum principis; restituítque alterum in locum suum, vt porrigeret ei poculum; alterum suspendit in patibulo; vt coniectoris veritas probaretur*; id est, ex quo factum est, vt Iosephus veridicus, ac verus vates inueniretur. In Hebræo clarius habetur; *Sicut interpretatus fuerat ei Ioseph. Et tamen succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* Quem rursus hoc nouo certamine Dominus, quasi in palæstra luctatorem, exercuit, vt Chrysostomus explicat: voluítque ipsum intelligere non hu- hom. 63.
mana se industria, sed diuina prouidentia libertati redditum, & magnificentius exaltatum fuisse.

In libro Testamenti Patriarcharum cap. quinto hoc anno trigesimo vitæ Issachar, dicitur is accepisse vxorem.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2317.

n. 1. 1. SED id ex versione Latina Trapezũtij agnosci non potest. In Græco sic legitur. Ἦν δὲ τότε Ἰωσὴφ ἐτῶν δεκαεπτὰ, καὶ πεπρᾶσθαι αὐτὸν εἰς Αἴγυπτον, καὶ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ μεῖναι ἔτη δεκατρία, ὅτ' εἶναι αὐτὸν ἐτῶν τριάκοντα, Ἰακὼβ δὲ ἐτῶν ἑκατὸν δέκα (corrigendum εἴκοσι, scilicet pro ι scribendum κ, ex Scriptura certò constat, nam Isaac sexagenarius genuit Iacobum Genes. vigesimo quinto, v. decimo sexto) ἐν ᾧ καὶ τελευτῆσαι τὸν Ἰσαὰκ, ἔτει ἑνὶ ἔμπροσθεν, ἐτῶν ὄντα ἑκατὸν ὀγδοήκοντα. Id est, *fuisse autem Iosephum, annorum septemdecim, ipsúmque venditum in Aegyptum, & in carcere mansisse annos tredecim* (seruitutem & carcerem coniungit, qua de re supra dictum est.) *Itaque fuisse ipsum annorum triginta, Iacobum verò annorum centum viginti*, cùm scilicet ille eductus est è carcere, *cùm vno anno ante mortuus est Isaac, annos natus centum octoginta.* an. 2307. n. 2. & 3.

Aut materiam pro reipsa posuit, videtur id sumptum ex Septuaginta qui habent, τρία κανᾶ χονδριτῶν, id est, *tria canistra panum è chondro, siue alica confectorum.* Id frumenti genus est ab alendo dictum, vt Festo placet, quòd maximè alat. Aquila, τρία κανᾶ γύρεως, id est pollinis, siue floris farinæ triticeæ. Symmachus, τρία κανᾶ βαϊνά. Id est, *ex virgultis facta.* Hieronymus tres cophinos farinæ in Hebræo haberi dicit, habetur autem n. x. 2.

חרי chori, cuius radix est חור, id est album ideóque volunt significari canistra ex viminibus decorticatis, proptereáque albis. Verùm quia חרי etiam nobile, præcipuum, ac insigne significat, ideo etiam pro pane nobiliore, qui reliquo ferè candidior est, accipitur, vt notauit Fagius.

ANNVS MVNDI 2318. DILVVII 662. TERTIÆ ÆTATIS 280. ISAACI 180. ET VLT. IACOBI 120. RVBEN 36. SIMEON. 35. LEVI 34. IVDÆ ET DAN 33. NEPHTALI ET GAD 32. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 31. DINÆ ET IOSEPHI 30. BENIAMINI 13. CAATHI 1. PROMISS. 205. BALÆI 27. IMP. ASSYRIORVM 387.

ANTE CHRISTVM 1735.

I. *Obitus Isaaci. Et ratio temporis.*

VLTIMVM hunc Patriarchæ Isaaco annum assignat Moses. *Completi sunt*, inquit, *dies Isaac centum octoginta annorum, consumptúsque ætate mortuus est, & appositus est populo suo senex, & plenus dierum, & sepelierunt eum Esau, & Iacob filij sui.* (Gen 35. extremo.) Consentiunt autem tertiæ ætatis anni, qui sunt reipsa anni ab ortu Abrahæ, cùm annis Isaaci, quoniam centenario patre natus est Isaac. (Gen. 21.5.) Consentit & Iacobi ætas quem sexagenario patre ortum tradit Moses. (Gen. 25.26.) Nec repugnat Iosephi ætas, nam is oblatus est Pharaoni, non ineunte anno trigesimo, sed exeunte, id est anno sequenti. Anni quoque promissionis congruunt, quæ facta est anno Abrahæ septuagesimo quinto, quos si detrahas à ducentis octoginta, reperies ducentos quinque quos Eusebius quoque suggerit[1].

II. *Quo fallitur Iosephus.*

IOSEPHVS autem, in ratione temporis non parum fallitur, cùm ait Isaacum, *non multò post reditum filij, è viuis excessisse*, (1. & 2. l. 1. antiq. c. vlt.) toti enim viginti duo anni intercesserunt, Redijt enim nonagesimo octauo anno ætatis suæ, vt suo loco demonstratum est; sed Iosephum fefellit Mosaicæ narrationis series, quæ mox post appulsum Iacobi in Mambre, mortem Isaaci subiecit, quòd de ipso nihil deinceps erat acturus. Sed fallitur etiam turpiùs, cùm ait eum mortuum annis octoginta quinque supra centum exactis, nisi numeros in Græcis Latinisque codicibus corruptos dicamus, qui tamen non sunt scripti per compendiosas notas. Cùm periodus vitæ Isaaci tam distinctè in Scriptura sine vlla varietate legatur. Ex quo etiam absurdiùs erit eum non multò pòst reditum filij obiisse, aberit enim à vero, annis viginti septem.

III. *Isaacis patientia, & consolatio.*

PORRO valde credibile est virum sanctissimum, & visu, & viribus destitutum, filiis suis rerum administratione relicta, cæteris negotiis liberum, vni Deo, cùm multa patientia, quàm plurimos annos vacasse. Nam cùm iam in benedicendo Iacobo anno ætatis suæ centesimo trigesimo octauo, tam parum videret, vt ipsum à fratre, nisi tactu discernere non posset, certè in densis tenebris vixisse 42. annos, qui secuti sunt meritò existimari potest. Sed tātò magis illuminabat animū eius pater luminum, de cuius virtutibus, atque operibus iam à iuuentute sua meditari didicerat, iuxta ea quæ Gen. 24. significantur. (v. 63.) Cúmque non ignoraret futurum aduentum Messiæ; & se nominatim electum, inter omnes filios patris sui, vt in semine suo omnes nationes benedicerentur, vtique exultabat animo, & roborabatur in infirmitate sua, & futura cum præsentibus, typica sua cum Christi Domini veritate componens mirum in modum consolabatur, cuius vt nos quoque participes simus, quomodo Isaac Christi Domini typus fuerit, quòd omnis Sanctorum ac Doctorum chorus agnoscit, consideremus.

IV. *Parallelismus Isaaci cū Christo.*

DIV multúmque desideratus est Isaac à parentibus, promissus à Deo, expectatus ab omnibus, (1. in expectatione.) in manifestam figuram Christi Domini, quem diuinitus pro-

missum Patriarchæ omnes præuiderunt, atque adamarunt: quem Prophetæ totis voluminibus prænunciarunt, quem iusti omnes, quem cunctæ gentes desiderarunt; vt in quo benedictionem erant consecuturæ.

Impositio nominis.

2\. Gen. 17.19. Luc. 1. Nondum genito Isaaco diuinitus imponitur nomen, *Sara vxor tua*, ait Dominus Abrahæ, *pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac, & constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum.* Nunciat Angelus Domini Iosepho coniugem suam pariturum filium, *Et vocabis*, inquit, *nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et matri antequam conciperet, *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur*, &c.

V. Et tarda natiuitate.

3\. l. 5. c. 37. Gal. 4. Centenario Abrahæ nascitur Isaac. *Hic annus*, ait Rupertus, *ætatis Abrahæ centesimus, ad illam, secundum diuinitatis consilium, respicit plenitudinem temporis, de qua dicit Apostolus, At vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum.* Quòd ergo centesimo denique anno vitæ patris natus est Isaac, figura vtique fuit tardi aduentus Saluatoris mundi in terras, in fine seculorum, in hora nouissima, in ætate postrema.

4\. *Cùm Isaac non iam solùm vt ante promittitur, sed etiam datur, Trinitatis mysterium in forma trium Angelorum se homini manifestare dignatur; quia videlicet vbi Christus nascitur ex semine Abrahæ, eiusdem Christi filij Dei incarnationem, præsentia sua maiestatis tota Trinitas, in hospitio virginei ventris operatur. Et exinde nomen eiusdem Trinitatis, nomen Patris & Filij, & Spiritus sancti toto mundo publica prædicatione declaratur.* l. 5. c. 37. Rupertus.

VI. Sed plena lætitia.

5\. Isaac *Risus interpretatur; quo nomine rectè seminis Abrahæ, quod est Christus, fœlix natiuitas significatur, qui vniuersitati Sanctorum, quorum ex carne vera caro, & verus homo ipse est, sempiterni risus, & interminabilis gaudij causa est. De quo idem ait. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Quod gaudium, vel quem risum omnium, pulchrè vnus illorum prægustauit, clausus adhuc in vtero, dicente matre eius ad Mariam. Ecce enim, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* l. 5 c. 35. Luc. 2. 10. Rupertus. Adde & illud Angelicum nuntium, *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*, & cætera.

6\. Visitauit Dominus Saram quæ concepit & peperit filium, fidei precium, gaudium parentum, domus splendorem, generis decus, posteritatis spem. Visitauit Dominus Mariam generosam principem illam, quando verus Isaac, verum gaudium nostrum, scilicet Christus filius Dei, de illa secundum carnem natus est. l. 6. c. 17. Rupertus.

VII. Vtraque sub principibus alienigenis.

7\. Isaac non est natus in terra promissionis, sed in Geraris metropoli Palæstinorum, vbi & Bethsabee oppidum habebatur. Quod & ipsum à mysterio non vacat; Christus enim sub Imperio Romano natus est, & erat populus Dei sub principibus alienigenis, & tributis seruiens. Natus est ergo in Geraris, quæ est metropolis Palæstinorum, id est ruentium, & Romam significat, quæ mater futura erat, & regina pereuntium. l. 6. c. 24. Rupertus.

VIII. Vterque amabilis & eximiè dilectus.

8\. hom. 47. in Gen. Cant. 1. 15. Prædicat Chrysost. Isaaci pueri externam elegantiam, internámque pulchritudinem, amabilem gratiam, ætatis florem. Vtique in figuram eius, qui *speciosus forma præ filiis hominum*, in cuius labiis diffusa gratia, cui sponsa meritò dicit, *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.*

9\. l. 1. ant. c. 13. Abraham Isaacum singulari amore prosecutus est, vnde Iosephus. *Isaacum autem Abrahamus supra modum amabat, vt vnigenitum, & quem in senectute Dei dono susceperat. Hunc affectum, & beneuolentiam parentum, puer ipse magis ac magis accendebat, omni virtuti deditus, & tam parentes, quàm Deum colens; quo successore omnium fortunarum relicto, Abrahamus haud grauatim vita excessurus videbatur.* Sed habemus maius etiam testimonium, dicente Domino; *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac.* Matth. 17. 5. At pater excelsus omnium credentium Deus. *Hic est*, inquit, *filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.*

IX. Vterque persecutionem passus.

10\. Ismael filius Abrahæ secundum carnem persequebatur Isaacum, vnde & eiectus est foras, cum matre sua, ex domo Abrahæ. Carnales Iudæi persecuti sunt Christum Dominum, sed ipsi cum matre sua Synagoga eiecti sunt in Gen. c. 17 l. 6. c. 70.

de domo Dei, in qua remanent spirituales filij Abrahæ. Isidorus. Rupertus. 11.

X. *Verus que mirabilis obedientia.*

VERVM in Isaaco nihil est admirabilius, nihil Dei ipsius commendatione præstantius, nihil omnium patrum monumentis celebratius illa obedientia vsque ad mortem, mortem autem per manum patris. omnia mirificè consonant. Accipit mandatum Abraham de immolando vnigenito filio. Ille nihil cunctatus, ducit filium in locum holocausto destinatum, eundem onerat lignis, supra quæ erat immolandus, ipse verò portabat in manibus ignem & gladium. Vbi ventum est in montem, filium nihil repugnantem alligat, & super altare ac ligna imponit: gladium ad eundem iugulandum arripit, sed à Deo prohibitus pro filio arietem in vepribus hærentem sacrificat. Ducitur verus Isaac patris imperio in montem Caluarium, sacrificio crucis destinatum; ducit pater igne charitatis in genus humanum flagrans, & zelo diuinæ iustitiæ armatus, *sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret:* suam ipse crucem, in qua erat immolandus, baiulat. In monte super altare crucis componitur, manus pedésque ferreis clauis cruci alligatur. Nec tamen occiditur filius Dei, vt Deus est, sed secundum humanitatem, qua agnus est, *qui tollit peccata mundi*, quæ spinis quibus hærebat repræsentantur; in figuram etiam coronæ spineæ, cum qua immolatus est Deo. Hæc & alia pluribus Isidorus, & Rupertus, Chrysosto. Augustinus, & alij plerique apud Lipoman. in cat. cap. vigesi. secundo.

(in Gen. ca 17. l. 6. ca. 20. — in Ge. c. 18. l. 6. ca. 28. & seqq. vsque ad 34. homil. 47. l. 16. de ciu. cap. 32.)

XI. *Vterque sponsam à longinquo petit.*

NON accipitur Isaaco vxor de filiabus Chananæorum, aut de loco in quo habitat. sed iis repudiatis, ex longinquo à Mesopotamia vsque repetitur. Christus sponsam eligit Ecclesiam, non de improbis Hebræis, quibus cum habitabat, semen Chanaan, & non Iuda: sed iis reprobatis eam à remotis vsque gentibus petit. Et vt Isaac non eligit sponsam, sed à patre accipit. *Tui erant*, inquit Christus dominus ad patrem, *& mihi eos dedisti.* 12.

(Ioan. 17. 6.)

Egressus fuerat Isaac ad meditandum in agro, inclinata iam die. Christus ad orandum secedebat ad deserta loca, & ad montes in quibus pernoctabat in oratione Dei. Vide & Rupertum, & Isidorum. 13.

(Gen. 24. 63. Luc. 6. 12. l. 6. ca. 44.)

XII. *Et per eam super [illegible] matris consolatur.*

ISAAC introduxit Rebeccam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam vxorem, *& in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* *Quid magni erat secundum corticem litera*, ait Rupertus, *quod iuuenis in tantum dilexerit adolescentulam coniugem, vt dolorem, qui ex morte matris acciderat, temperaret? Ergo medulla sensus spiritualis carere non debet. Quia reuera Christus Dominus secundum humanum affectum doluit super matre sua Synagoga, quippe qui & ciuitatem videns, fleuit super eam: sed adeptus nouam reginam, de qua sibi noua gens nascitura erat, rectè dolorem temperauit, & delectabiliter consolatus est.* 14.

(in Ge. c. 19. l. 6. c. 45.)

XIII. *Isaaci continentia in Christo expressa.*

SINGVLARIS fuit Isaaci continentia. Etsi enim omnes Abrahami benedictiones in eum transfusæ erant, nihilominus ad quadragesimum vsque annum vxore caruit, viginti insuper annos cum vxore sterili egit, & vnicam tota vita retinuit, imò Eusebius, *Dicitur & Isaac*, inquit, *postquam ex vna vxore gemina prolis pater factus est, desiisse cum illa consuescere.* Christus flos virginitatis, & gloria continentium, etsi is erat, in quo benedicendæ erant omnes tribus terræ, ipsos tamen triginta annos priuatus latuit, inde pauculos collegit discipulos, semen Ecclesiæ suæ, quæ apud Hebræos plurimis annis penè sterilis fuit, donec etiam in nationes effusa est, vna tamen eadémque semper sancta, catholica, atque apostolica Ecclesia. Vide Rupertum. 15.

(li. 1. de demonst. c. 9. — l. 7. ca. 8.)

XIV. *Sicut & benedictio in morte.*

ISAACI benedictio destinata Esaü, & data Iacob, Christum valde repræsentat. Senuit namque verus Isaac, vt ait Rupertus, scilicet Dei filius & caligauerunt oculi eius, quando vetustate, & senio nostræ naturæ indutus, morte quoque corporea fuit obscuratus. In ipsa caligine senectutis iussit primo genito suo Esaü, *Sume*, inquiens, *arma tua, pharetram, & arcum, cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum.* Etenim tota vita, & in ipsa morte sua priorem populum ad pœnitentiam per semetipsum inuitabat; & per Apostolos suos post gloriam suæ resurrectionis, vt credendo, illum sibi cibum offerret, de quo dicit, *Meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei.* At ille tardauit, & nunc vsque vagatur foris. Interim Rebecca, id est mater gratiæ, cuius affectus, ab 16.

(l. 7. ca. 15.)

humano affectu patris huius, ad alium filium declinauerat, iuniorem filium, id eſt, populum gentium ſubintrare ſuaſit, ad præoccupandum hæreditatem benedictionis. Hæc ipſe.

SEPVLTVS eſt autem cum Rebecca coniuge ſua in ſpelunca duplici, quam emerat Abraham, in qua & ipſe cum Sara ſepulti ſunt, vt conſtat ex 49. Geneſ. Addamus etiam ſanctiſſimo Patriarchæ Epitaphium quod ſacræ huic ſpeluncæ appendamus. XV. *Epitaphium Iſaaci.*

49. v. 31.

EPITAPHIVM ISAACI.

ALTER HVC INGREDITVR PATRIARCHA, NOBILIS HVIVS SPELVNCÆ HOSPES, MAGNI PARENTIS MAGNA PROGENIES; ILLE DIV DESIDERATVS, ILLE PARENTVM RISVS, ET DELICIÆ, ILLE OBEDIENS VSQVE AD MORTEM, MORTEM AVTEM PER MANVM PATRIS. QVIESCIT HIC HÆRES VNICVS ABRAMITICÆ BENEDICTIONIS, EXEMPLAR CONTINENTIÆ, PATIENTIÆ, DEVOTIONIS, OMNIVMQVE VIRTVTVM. CENTESIMO PATRIS ANNO GENITVS, QVADRAGESIMO SVO MARITVS, SEXAGESIMO PATER FVIT. VARIIS ET IPSE ÆRVMNIS EXERCITVS, TEMPORE PEREGRINATIONIS SVÆ, VLTRA QVADRAGINTA ANNOS IN TENEBRIS VIXIT, COELESTI INTEREA LVMINE TANTO SPLENDIDIVS IN ANIMO CORVSCANTE. HINC AD SINVM PATERNVM, ANNO AB EIVS MORTE CV. A PRINCIPIO VITÆ SVÆ CLXXX. PROFECTVS QVIEVIT. ANTE CHRISTI ORTVM CIↃ. DCC. XXXV.

MORTEM ſancti Senis excipit noui Patriarchæ natiuitas, vt illius quaſi vacuum locum impleat, Caathum dico filium Leui ſecundo genitum, Amrami patrem, auum Moſis & Aaronis. De anno porrò natiuitatis eius multæ ſunt, admodúmque diſcrepantes ſententiæ; extremæ quædam, aliæ intermediæ. Extremæ ſunt quæ volunt eum natum patre Leui admodum iuuene, aut valde ſene: aliæ mediam ætatem elegerunt. XVI. *Ortus Caath. Et ratio temporis.*

1. TORNIELLVS omnium maturrimè natum aſſeruit; anno ſcilicet patris vigeſ. primo, idque ea cauſa fecit, vt periodus vitæ Caath ante initium ſeruitutis Iudæorum terminetur, & regis illius exortum, qui Iſraëlitas vexare cœpit. quod id narratio Moſis initio Exodi exigere videatur: verùm nihil officere Moyſem eis, qui tardius natum volunt, infra annomundi bismilleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo, quo eum mortuum ponit Torniellus, oſtendemus. Demetrius apud Euſebium, ad alterum vergit extremum, vult enim Caath, natum anno patris ſexageſimo, quæ ſententia Amrami & Moſis annos nimium coarctat.

2. l.9. de præp. c. vlt.

3. MENTÆ ſunt Nicephori Conſtantinop. qui eius ortum ponit anno Leui quadrageſimoquinto. Ad quem accedunt Samerius, & Lauretius in ſuis chronol. Cui ſententiæ affinis eſt auctor chronici Alexandrini, qui maluit annum quadrageſ. ſeptimum. Nos Epiphanij ſententiam elegimus, qui in Anchorato ait, Caath natum anno patris trigeſimo quarto; ad quem accedit auctor teſtamenti Patriarcharum qui cap. tertio ponit annum trigeſ. quintum, quæ ſententia cùm nihil habeat incommodi, & auctorem habeat idoneum, aliíſque etiam probata ſit, hunc Caathi annum primum ſtatuimus, tredecim annis Tornielli anno poſteriorem.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2318.

n. 1. 2. VBI Scaliger appellat hunc annum mundi bis milleſimum ducenteſimum vigeſimum nonum. Quem debuiſſet vocare bis milleſimum ducenteſimum vigeſimum octauum, ſicque additis nonaginta (qui deſunt ſupputationi eorum, qui omittunt poſteriorem Cainam, & natum volunt Abrahamum anno patris ſeptuageſimo, & non centeſimo

trigesimo) existeret numerus, quem notauimus, & habet Tornellus, & alij. Quod si Eusebius quoque omittit Cainam, & natum vult anno patris septuagesimo Abrahamum, non distat à vero quindecim annis, vt vult Scaliger, sed nonaginta. Nec video cur istos quindecim annos, qui ab Eusebio in Regibus Iuda aduciuntur, Scaliger velit ab ipso initio redundare, & subtrahendos in omnibus, quæ post Abrahamum natum contigerunt. pag. 14. in animad.

ANNVS MVNDI 2319. DILVVII 663. TERTIÆ ÆTATIS 281. IACOBI 121. RVBEN 37. SIMEONIS 36. LEVI 35. IVDÆ ET DAN 34. NAPHTALI ET GAD 33. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 32. DINÆ ET IOSEPHI 31. BENIAMINI 14. CAATH 2. PROM. 206. BALÆI 18. IMP. ASSYRIORVM 388.

ANTE CHRISTVM 1734.

I. *Familia Esau.* SVB huius anni finem explet Iosephus trigesimum vitæ quando iussu Pharaonis eductus è carcere, somnia illius explicauit. Ad hunc quoque annum pertinet separatio Esaü à Iacob, quæ à Moyse post Isaaci mortem facta narratur capite trigesimo sexto Geneseos, eiúsque occasione genus ipsius Esaü, & incrementa ibidem explicantur; ad retundendum fastum Iudæorum, qui omnes gentes præ se contemnebant, quæ ita digessimus.

Esaü quatuor vxores habuisse reperitur Gen. 26. 28. 36.

- 1. Iuditham filiam Beeri Hethæi, ex qua nullos suscepit liberos, vt diximus anno Iacobi & Esaü quadragesimo. Genes. 26. 34.
- 2. Basemath filiam Elon Gen. 26. 34. quæ dicitur Ada cap. 36. vers. 2. & 16. Ex qua suscepit
  - Eliphaz primogenitum (aliû ab amico Iobi) cuius filij sunt
    - Theman dux vocatur versu decimo quinto, sicut deinceps omnes eius fratres. Ex hoc ciuitas Theman, vnde Eliphaz Themanites, Abul.
    - Omar.
    - Sepho, qui & Sephi primo Paralip. 1. 36.
    - Gatham.
    - Cenez & Core.
    - Amalech ex Thamna sorore Lotan Horræi, Gen. 36. 22. eam habuit Eliphaz concubinam Gen. 36. 12. sed 1. Paral. 1. 36. Thamna numeratur in filiis Eliphaz, fortè legendum esset, ex Thamna, addito ex, pro &, quod Hebraicè, Græcéque legitur. s. χ.
- 3. Oolibamam filiam Anæ, filiæ Sebeon, ex qua orti Genes. 36. v. 5.
  - Iehus dux vocatur sicut & fratres ipsi° v. 18
  - Iohelon.
  - Core, qui ponitur etiam in filiis Eliphaz Gen. 36. 16. si tamē idem est, quod negat Abulēsis.
- 4. Maheleth siue Basemath filiam Ismaëlis, sororem Nabaioth, Gen. 28. 9. & 36. 3. ex qua suscepit filium
  - Rahoel, cuius filij sunt ex Gen. 36. 13. & 1. Paral. 1. 37.
    - Nahath, & hic dux vocatur v. 17. sicut & fratres ipsius.
    - Zara, ex quo natus Iobab 36. 33. qui & Iob, apud Septuag. in fine libri Iob.
    - Samnia.
    - Meza.

c. 36. v. 3. Gen. 32. 3 & 33. 14. 16.

II. *Separatio Esaü à fratre.*

Esav quinque filios ex tribus vxoribus suscepit in terra Chanaan, vt habetur 36. Genes. Sed videtur eodem tempore etiam habitasse in Seir, illic enim erat, cùm venit obuiam fratri redeunti ex Mesopotamia. Idémque sentit Procopius in caput trigesimum sextum. Mortuo autem patre penitus deseruit terram Chanaan diuino instinctu, vt tota reseruaretur posteritati Iacob, ne fortè etiam iurgia, & bella inter eos nascerentur, idque factum hoc anno existimatur, vt series Mosaicæ narrationis indicat, & ratio videtur postulare, vt viuo patre locum non planè desereret, ne parum officiosus erga moribundum senem fuisse videretur, eo penitus derelicto. (*c. 36. 6.*) *Tulit*, inquit Moses, *Esau vxores suas, & filios, & filias* (quas tamen præteriit Moyses) *& omnem animam domus suæ, & substantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan, & abiit in alteram regionem, recessitque à fratre suo Iacob*; diuisis scilicet inter duos fratres paternis bonis, vt habet hoc loco Abulensis. (*v. 7.*) *Diuites* autem *erant valde* ipsi per se, vt de Iacobo constat in suo reditu, & de Esaü pariter, qui recusabat munera fratris, dicens se habere plurima, additis autem Isaaci bonis, vtriúsque opes vehementer auctæ erant; proptereáque (*c. 13.*) *simul habitare non poterant, nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum, præ multitudine gregum.* Vt suprà de Abrahamo, & Loto dicebatur.

III. *Duces Horræorum, & inuentio aquarum calidarum.*

Non contentus autem Moses exponere filios Esaü, etiam aliquot duces Horræorum recensuit, quod aliqui iuncti essent affinitate cum Esaü. Nam Thamna soror Lotan fuit concubina Eliphas, Ana fuit pater Oolibama vxoris Esaü, Sebeon eiusdem Oolibamæ auus. Obiter autem dicitur hic Ana, qui fuit socer Esaü, inuenisse aquas calidas in solitudine. Quam ob rem Hebraici textus amici multam litem intendunt editioni vulgatæ, vt videre est apud Eugubin. (*in Gen.*) & Oleastrum. Volunt enim non aquas, sed mulos inuenisse, ex coniunctione equarum cum asinis. Verùm hæc inuentio, vt alibi diximus, longè videtur antiquior, quidquid Rabini dicant, nec Adamum latuisse. (*Mulorum inuentio.*) Vnde nec hoc loco dicitur inuentam ab Ana generationem mulorum, vt notauit Oleaster, sed mulos; quamuis daremus vocem iamin signare mulos; verùm ea vox significat maria siue aquarum copiam, vt scribit Hieronymus (*in qq Heb. 2. a.*), & consentit Pagninus, Oleaster, & alij [a].

IV. *Inquiritur Iobi genus.*

Gravior est, & maioris momenti disceptatio, quæ ex hoc ipso capite suggeritur, vt non mulorum ortum, sed Iobi viri sanctissimi, & ipsius Dei testimonio, incomparabilis perscrutemur. In quo argumento plerique antiqui, recentiorésque desudarunt, præsertim Abulensis, Pererius, & Pineda (*in c. 22. Gen. & in c. 7. epist. D. Hieron ad Paulinum. disput. 2. & 3. in hoc c. to. 1. c. 1. v. 1 n. 31. ad 46.*), vbi de genere Iobi quatuor opiniones recenset, quorum vna Iobum Chananæum facit, altera Israëlitam, tertia Nachoritam, quarta Idumæum, sed priores duæ obscuros habent auctores, propugnatorem neminem, probabilitem ferè nullam.

V. *Opinio D. Hieronym.*

At tertia inuentores habet Hebræos, propugnatorem Hieronymum (*In tradit. Hebr. in cap. 22. Gen.*). *Primogenitus*, inquit, *Nachor fratris Abraham de Melcha vxore eius, filia Aram, natus est Huz, de cuius stirpe Iob descendit, sicut scriptum est in exordio voluminis eius. Vir fuit in terra Huz nomine Iob. Malè igitur quidam existimant Iob de genere esse Esaü. Siquidem illud quod in fine libri ipsius habetur, eo quod de Syro sermone translatus est, & quartus sit ab Esaü, & reliqua, quæ ibi continentur, in Hebræis voluminibus non habentur.* Quæ totidem verbis habet Rupertus (*l. 6. c. 34.*), nec Hieronymum nominat, aliqui etiam alij, Hieronymi auctoritate permoti, idem tradiderunt, vt videbis apud Pined.

VI. *Improbatur.*

1. Verum hoc argumentum, quo nititur hæc opinio, parum efficax est. Primò, quia supponit terram Huz, in qua regnauit Iob, dictam à primogenito Nachor, cùm Septuaginta interpretes illam dictam velint ab Huz, nepote Sem; vt fatetur Hieronym. ipse in Genes. (*in trad. in c. 10. Gen.*) vbi etiam ait illum Huz Traconitidis, & Damasci conditorem, inter Palæstinam & Cœle-Syriam tenuisse principatum; nimirum in terra, quam incoluit Iob. Idémque habet Iosephus (*l. 1. ant. c. 6.*), & Caietanus (*in 1. c. Iob.*). Potuit etiam non minùs probabiliter dici ab Hus filio Disan, quod sentit Oleaster (*in cap. 36. Gen.*), qui fuit vnus de ducibus Horræorum, qui imperauerauerunt in terra Seir, vt dicitur in Genesi (*38. 28. 30.*); ad quam terra Hus omninò pertinet, vt patet Threnorum quarto (*v. 21.*).

2. Secundò, supponit filium Nachoris relicta Mesopotamia venisse in Chanani-

tidem, ibique dominantem de suo nomine appellasse regionem, ibidemque filios procreasse, & nepotes, in quibus denique Iob. Quæ omnia sine probatione dicuntur, nec demonstrari potest filios Nachor vnquam reliquisse Mesopotamiam, certè eam incoluit Camuel vnus de filiis Nachoris, qui propterea pater Syrorum siue Aramæorum dictus est: incoluit & Bathuel, ciúsque filius Laban, & reliqui deinceps, vt significat idem Laban. *Gen. 31.*

3\. Tertiò daremus licet à filio Nachoris denominatam terram Hus, ibique illum obtinuisse principatum, non propterea consequens esset Iobum, qui in eadem terra regnauit, ex eius genere fuisse. Nam ibi patres filiis non succedebant in imperio, vt patet Geneseos trigesimo sexto, *v. 32.* & potuit Iob, aut pater eius, aliunde in terram Hus commigrasse.

VII. *Communis sententia fuisse Idumæum. ex Septuag.*

Qvarta ergo sententia communissima est, & eorum in primis, qui hæc non obiter attigerunt, sed perquam studiosè perscrutati sunt. Et primùm, ecce tibi Septuaginta testes, qui hunc locum Genes. trigesimo sexto vnanimes de Iobo interpretantur. Aiunt enim eum in terra Ausitide habitasse, (sic appellabant terram Hus) in finibus Idumææ, & Arabiæ; *Et prius erat*, inquiunt, *et nomen Iobab; cùm autem accepisset vxorem Arabissam generat filium, cui nomen Emmon. Erat autem ipse ex patre quidem Zare, de filiis Esau, filius, matris Bosorra, ita vt ipse sit quintus ab Abraham.* (excluso scilicet, Abraham, Isaac enim primus est, secundus Esau, tertius Rahuel, quartus Zara, quintus Iobab.) Pergit autem numerare reges Edom; vt in vulgata habentur; & Iobab interpretantur Iob. *Euseb.* Qua 70. interpretum sententia posita, non mirum est eam opinionem fuisse olim quoque communissimam. *S. Epiphan. S. Athan. Aristea.* Certè hinc Eusebius ait Iobum ætate superiorem Moyse, hunc enim septimum esse ab Abraham, Iobum autem quintum. quæ habet etiam S. Athanas. in Synopsi. *l. 1. de demonst. c. 6* Et Epiphanius sub initium Panarij. *in lib. 27. sacro.* Aristeas quoque apud Euseb. ait Iobum fuisse de filiis Esaü, habitasse in regione Ausitide in confinibus Idumææ & Arabiæ, priusque vocatum fuisse Iobab. &c. *l. 9. de præp. c. 4.* Vides hunc Aristeam pleraque totidem verbis habere à Septuaginta? quæ tamen in versione Trapezuntij non reperies. *in lib. de Iudæis.* *Origene.* Eam amplectitur etiam Origenes in primum lib. in Iob, sub initia, & fusè confirmat Augustinus. *August.* *l. 18. de ciu. c. 47.* *Iob*, inquit, *nec indigena, nec proselytus, id est aduena populi Israel fuit, sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est.* Chrysostomus vocat Iobum nepotem Abrahæ. *hom. 2. de Lazaro q. 91. in Gen.* *S. Chrysost. Theodoret. S. Gregor. Isidorus.* Theodoretus, & D. Gregorius initio præfat. in Iob, ad Esaü deduxisse genus, ex hoc ipso loco probant. Isidorus, *Iob*, inquit, *filius Zare de Bozra, Rex Idumæorum, quartus post Esau, successor Bala filij Beor, homo Gentilis, fide stabilis, humilitate summus, &c.* *36. Gen in l. de vita & morte sanct. c. 24.* quæ eo libentius retuli, quod quidam eum pro contraria sententia laudant, quam duntaxat aliquantò pòst recitat, non sequitur. *S. Ambros.* Idem habet D. Ambrosius, *Quod de Esau*, inquit, *sint boni & fideles, probat Iob, qui est ex filiis Esau quintus ab Abraham, hoc est nepos Esau.* *super ca. 9. ad Rom.* Eadem tradit *Greg. Tur. & recent.* Gregorius Turonensis. *l. 1. histor. Franc. c. 8.* Plures alios refert Pineda huius sententiæ sectatores, quibus adde Cedrenum, Abulensem, Pererium, & ipsum Pinedam locis ante citatis, Oleastrum, Fonsecam in Comment. Caietani in Genesim, Del Rio, Cornelium, Heningen in Genealogiis, Torniellum in hunc annum, Vignerium. *Num 12. anno Iacob 134.* Hæc ergo prima probatio sit ab auctoritate petita, præsertim Septuag. interpretum, qui licet rem de fide non faciant, quod ea verba, quæ sunt in extremo libro, non sint scriptura canonica, magnum tamen pondus auctoritatis habent; præsertim à tot patribus, grauissimisque scriptoribus approbata, nam quod nomina Iob & Iobab diuersa sunt, nihil ad rem facit, neque enim dicimus esse eadem, sed eidem viro conuenire, & prius quidem Iobab, deinde Iob fuisse appellatum, vt perspicuè habetur in Septuaginta, & Aristea, siue mutato, siue contracto nomine, mutata, contractáve fortuna.

VIII. *Quæ hunc sententiæ fidem concilient.*

Hvic etiam sententiæ fidem conciliant cognomina trium amicorum Iobi, quæ petita sunt ex vrbibus Idumææ. Nam Themam, ex qua Eliphas Themanites, quæ dicta est à Themam nepote Esaü, in Idumæa est, vt testatur Ieremias, *c. 49. 7.* & Sue siue Sueta, ex qua Baldad Suites, quæ distat à ciuitate Coroxaim 4. miliaribus, vt habes apud Adrichom. in Tribu Manasse trans Iordané ad terram Hus pertinet, *Num. 92.* vt referunt Brochardus, & Guillelmus Tyrius in bello sacro, sicut Naamath & vicina Bozra, de quibus idem Adrichomius. Quæ oppida transfe-

renda essent cum terra Hus in Mesopotamiam, vt ait Abulens. quandoquidem ille filius Nachor, nunquam inde cognoscitur emigrasse. *Num. 69. & 27 & Amos. 1. 12. in cap. 32. Genes.*

IX. *Iobi regia dignitas.*

Conuenit etiam dignitas & opulentia Iobi, *viri magni inter omnes orientales*, cuius regia dignitas ex multis agnoscitur. Nam ipsemet de antiqua sua gloria loquens ait, *quando procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi. Videbant me iuuenes, & abscondebantur, & senes assurgentes stabant, Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo; vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat.* (Iob. 1. 3. 29. 7.) Hæc vtique videntur Regi conuenire, præsertim cùm in fine capitis subdat, *Si voluissem ire ad eos sedebam primus, cúmque sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* Vbi illud, *quasi*, non diminuit significationem; vt nec ibi, *Gloriam, quasi vnigeniti à patre.* (Ioan. 1.) Et cùm amici eius reges apud Tobiam appellentur, (ca. 6. 15.) idque clarè tradant Septuaginta in fine libri Iob, satis patet eam quoque dignitatem Iobo, qui ipsis etiam maior fuit, sine dubio conuenire.

X. *An omiss. sit à Mose.*

Cvm ergo iam satis constet Iobum esse de posteris Esaü, & potentissimum, atque adeo Regem fuisse in terra Hus, quo tandem modo factum dicemus vt Moses, recusens antiquos omnes Duces, ac Reges Idumæorum, omnium optimum atque clarissimum omiserit? Non omisit vtique, sed Iobab appellauit, quod erat ipsius nomen ante calamitates eius, vt iam ex Septuag. & Aristea diximus. (Num. 7.) Nam illi, προϋπῆρχε δὲ αὐτῷ ὄνομα Ἰωβάβ. Prius fuit ei nomen Iobab. Hic autem, τοῦτον δὲ τὸν Ἰὼβ πρότερον Ἰωβὰβ ὀνομάζεσθαι. Hunc verò Iob, prius Iobab appellatum esse, quæ in versione Latina non reperies. Epiphanius sub initium libri, (Panarij.) vbi eum quintum ab Isaaco numerat. *Isaac*, inquit, *genuit Esaü, Esaü Raguel, Raguel Zara.* Ζαρὲ τὸν Ἰὼβ, πρὶν μὲν καλούμενον Ἰωβάβ, ὕστερον δὲ κληθέντα Ἰώβ, ὀλίγῳ πρόσθεν πρὸ τοῦ γενομένου αὐτῷ πειρασμοῦ. *Zara Iob, qui prius quidem appellabatur Iobab, postea verò appellatus est Iob, paulo ante, quam ei contingeret tentatio.*

XI. *Ad hæc ferè tempora pertinet.*

	79
	8
	25
	25
	130
	88
	42
	130

Ex his deducitur Iobum ad hæc circiter tempora pertinere, aut potius paulò inferiora; idque ex his dignosci potest. Esaü anno vitæ 79. duxit Maheleth, ex qua sequenti anno potuit suscepisse Rahuel, qui vigesimo quinto genuerit Zara; isque post totidem annos Iobab. Itaque nasci potuit Iobab, anno Esaü 130. Iacob autem anno vitæ suæ octogesimo octauo genuit Iudam, qui quadragesimo secundo genuit Phares, vt postea dicemus, ex quo sequitur Phares genitum anno Iacobi, siue Esaü 130. sicque Phares & Iob sub eundem annum nati fuerint. Vide Torniellum, & Cornelium à Lapide. Et certè Vignerius Iobi ortum ponit anno centesimo trigesimo primo Iacobi. *an. mun. 2199. n. 22. 6. in c. 36. Gen. si.*

XII. *Non habuisse Dinã vxorem.*

Qvæ si probauerimus, probare non possumus quæ nonnulli, ex Philone nescio quo, & Chaldæa Paraphrasi retulerunt, Iobum habuisse Dinam Iacobi filiã vxorem, (3. x.) ex qua liberos quatuordecim susceperit, & filias sex, partim antequam affligeretur, & partim post. Nam si Iob natus est circa annum 130. vitæ Iacobi, eo anno Dina, sicut & Ioseph agebant annum trigesimum nonum. Si ergo Iob duxit vxorem annos triginta natus, vxor eius Dina annum agebat 69. & erat triginta nouem annis natu grandior marito suo; quod sanè videtur absurdum. Vt omittam parum probabile Iobum, virum magnum inter omnes Orientales, accipere voluisse vxorem infamem, & constupratam, & causam vastitatis vrbis Sichimorũ. *vide & Pined. in c. 8. v. 9. n. 1. v. 46.*

XIII. *Triennium carceris Ioseph.*

Sed tempus est vt ad Iosephum redeamus, qui expletis triginta annis, oblatus est Pharaoni, tum enim propriè quis triginta annorum dicitur, cùm eos expleuit, nisi quid fortasse phrasis adiunctum habeat, quod aliter tempus accipi cogat, vt si dicatur incipiens triginta annorum, vt apud D. Lucam, (cap. 3. 23.) patet enim tum incipientes accipiendos esse. Certè Iosephus eosdem annos expletos affirmat. τριακοστὸν ἔτος διεληλύθει. (l. 2. c. 3.) Simul etiam expleti erant anni duo, à liberatione præpositi pincernarum; cùm ea recitata Moyses immediatè subdit, post annos duos vidisse Pharaonem somnium, ideóque reprobandus Iosephus cùm biennium hoc, carceris Iosephi esse vult, cùm iam supra probatum sit, eum minimùm triennium carcere detentum fuisse. Iosephi expositionem improbat quoq; Pererius in hunc locum, Del Rio, Torniellus, & antè eos Abulensis & Lyranus, & Hebræi, qui apud eundem Lyranum, aiunt liberationem Iosephi ad duos annos dilatam, quod

nimium fiduciæ in humano auxilio collocasset. Etsi enim insipienter homines vanissimi Iosephum accusant, nun tamen volunt biennio tantùm fuisse in carcere, sed tempus carceris factum longiùs biennio, quàm alioqui futurum esset. Si quis tamen mitius agere cum Iosepho velit, cúmque trahere in veram sententiam, illud biennium eius inchoabit à liberato pincerna; non ab accusatione mulieris impuræ. Hoc interim triennio Deus probauit Patriarchæ patientiam, & auxit victricem coronam: ex cuius etiam prouidentia factum est, vt nihil de eo penitus Patri nunciaretur. Sed ad somnium.

XIV. *Geminum Pharaonis somnium.*

Dormiens Pharao putabat se iuxta Nilum stare, ex quo emergebant septem Gen. 41.
vaccæ pingues, quæ pascebantur in locis humentibus atque herbidis, remotius à fluminis alueo, totidem aliæ ex eo ascendebant, sed macie confectæ, quæ in ipsa amnis ripa & arena tenuem carpebant cibum: quod alludebat iam ad sterilitatem, & fertilitatem Ægypti. Nam in tenui incremento Nili, sterilis erat Ægyptus, tenue autem incrementum significatur cùm animalia in ipsa ripa pasci videbantur; & contra cùm in locis remotioribus, & Nili humore abundantibus. Denique macilentæ, septem illas priores deuorare visæ sunt. Expergefactus Pharao rursum dormiuit, & vidit alterum somnium materia diuersum, significatione idem, de septem spicis plenis, totidémque tenuibus, & vredine percussis.

XV. *Frustra consulti coniectores.*

Mane facto Pharao sollicitus conuocat coniectores somniorum, eis narrat c. 41. 8.
somnia sua, nec inuenit qui interpretetur. Non fuit, Domino mirabiliter prouidente, qui posset aliquid probabiliter fingere, etsi est hoc genus hominum ad garriendum promptissimum, & ad mentiendum expeditissimum. Sed Deus stupidos omnes reddidit, & elingues, donec magister pincernarum confessus ingratitudinem suam, erga Iosephum interpretem suum, Regi narrauit quæ ille verè, ac fideliter exposuerat, euentu ipso interpretationis veritatem confirmante.

XVI. *Euocatur ad Pharaonem Ioseph.*

Protinus *ad Regis imperium eductum de carcere Iosephum totonderunt, ac veste mutata obtulerunt ei.* Neque enim fas erat lugubri cultu, atque vestitu Regi sistere sese, vt perspicuum est ex libro Esther. Ergo in Ægypto promissus, ac neglectus ca- c. 4. 2. Iob. 1. 20.
pillus signum erat luctus: in Idumæa verò è contrario Iobi exemplum docet tonsionem capillorum ingentis luctus argumentum præbuisse. Adducto Iosepho v. 15.
Rex, *Vidi*, inquit, *somnia, nec est qui edisserat; quæ audiui te sapientissimè coniicere.* At Iosephus & pro modestia, & pro veritate Deo laudem attribuens, ab eo interpretationem esse profitetur, qui scilicet *locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt, prophe- Luc. 1.
tarum eius.* Sicut & in carcere *nunquid non Dei est interpretatio?* Sed hic addit prospe- Gen. 40. 8.
ram fore interpretationem. Ex quo infert Abulensis, Iosepho antequam Pharaoni sisteretur, tam somnium, quàm eius expositionem fuisse reuelatam. Quanquam potest ea vox bene ominantis esse, & non asseuerantis. Somnium nihilominus accuratè recenset Pharao.

XVII. *Audit, exponitque somnium.*

Cui respondet Ioseph Regis somnium re geminum, significatione vnum atque idem esse. Portendi vtroque videlicet, quæ Deus mox in Ægypto facturus esset: missurum scilicet septem annos vbertatis, atque fertilitatis magnæ, in vniuersa terra Ægypti, eósque exceptum iri à totidem annis tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia. Et quamuis geminum somnium ratione diuersæ materiæ indicet magnam fore tam copiam, quàm inopiam in pecoribus & frumento, quibus vita maximè sustentatur: addit tamen alias causas iterati somnij sanctus interpres, ex parte Dei, in cuius manu est abundantia, & sterilitas.

XVIII. *Cur geminum Regi oblatum à Deo.*

Quod *autem*, inquit, *secundo vidisti ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei, & velocius impleatur.* Significatur scilicet hoc à Deo firmiter, atque immobiliter decretum esse; festinaturúmq; Deum vt id perficiat.
Vnum est somnium, inquit Philo, *geminationémque habet minimè superfluam, sed ad indi- L. de Ioseph in hunc lo Gen.
cium fidei firmioris.* Quamuis enim, vt rectè docet Abulensis, perinde firma sit diuina promissio, siue simpliciter aliquid, siue iterato; cum iuramento, vel sine illo promittat, respectu tamen nostri, ad quorum se captum Dominus, modúmque accommodat, firmitatis indicium est. Quod enim iterato, aut cùm iuramento promittimus, firmius certiúsque promittimus, aut promissum confidimus. Ideóque toties Dominus suas promissiones Patriarchis inculcauit, & iuramento etiam

confirmauit. Ergo quod Dominus semel iterúmque monstrauit se facturum, omnino facturus est, tanquam rem absque vlla conditione promissam; & à sua vnius voluntate pendentem. Deinde verò iteratio somnij euentus promissi celeritatem designat. Nam & nos, ait Abulensis, cùm identidem aliquem vocamus, celeriter eum venire volumus. Immediatè autem post, primus cœpit fertilitatis annus; vt mox affirmat idem Ioseph.

XIX. *Iosephi consilium.*

QVI vt sapientiam eximiam prodidit in denunciatione futurorum, ita & prudentiam egregiam in prospiciendo, ac prouidendo futuris. *Nunc ergo prouideat Rex,* inquit, *virum sapientem & industrium, & præficiat eum terræ Aegypti, qui constituat Præpositos per cunctas regiones, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis, qui iam nunc futuri sunt, congreget in horrea; & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur seruetúrque in vrbibus, & præparetur futura septem annorum fami, quæ oppressura est Aegyptum, & non consumetur terra inopia.* Hæc Patriarcha.

XX. *Et multiplex prudentia.*

1. IN qua oratione eximia omnino prudentia agnosci potest. Primùm quia vult
vnum aliquam frumentationi cum summa potestate præfici, ne inter plures pares
2. potestate, zelus & discordia nascatur, résque turbetur. Secundò, quia author est
vt sit vir aliquis ad intelligendum sapiens, & industrius ac solers ad agendum.
3. Tertiò, quia per plures præpositos illi subordinatos, ab eóque dependentes rem
confici vult, quoniam vnus, quantumuis sapiens atque industrius, pluribus locis
ac negotiis, quæ eodem pene tempore conficienda sunt, par esse non potest, nec
4. plures satis conuenienter, atque vniformiter, nisi ab vno dirigantur. Quartò, quia
collectionem fructuum quàm suauissimam suggerit. Vt scilicet Rex iubeat quintam partem frugum à Dominis pretio accipi, & reseruari: cùm fortasse in magna
abundantia illis dimidia pars suffectura esset. Nimirum vt possent etiam ipsi, non
solùm de reliquo viuere ac seminare, sed etiam reseruare frumenta in futuram fa-
5. mem, si vellent. Quintò, quia vult omne frumentum, quod quis distrahere vellet
ad comparanda sibi alia necessaria, sub Pharaonis potestate recondi, & seruari in
vrbibus Ægypti. Quo significatur prohiberi exportationem extra regionem. Nec
concedi venditionem alienigenis, vt notarunt Lyranus, & Abulensis: sed regiis
tantùm præfectis, pro pretio tum vulgari, ac communi. Iniustum enim foret, aut
tum sine pretio accipere: aut ad conseruandum accepta, populis non reddere,
6. sed precio magno distrahere tempore famis. Sextò, quia quamprimum vult in-
choari istam diligentiam, sub primam scilicet messem, quæ præsentis anni sementem secutura erat.

XXI. *Qui potuerunt diu frumenta seruari.*

NEQVE verò putandum est Iosephum parum prudenter seruare velle frumenta in annos quatuordecim, intra quos corrumperentur. Meritò enim credi potest ita congesta fuisse frumenta, vt per suos annos digesta ac distincta essent. Vt scilicet primo anno famis venderentur frumenta primi anni abundantiæ, & secundo, secundi, & ita deinceps, sicque per septem tantum annos seruarentur. *infrà v. 47. v. 57.* Accedebat ad conseruationem, quòd non condebatur excussum triticum, sed manipularim collectum, vt in suis spicis, ac naturalibus loculis melius conseruarentur. Vtque iumentis pabulum eadem opera conderetur, quibus profutura essent in fame omnia frugum purgamenta.

XXII. *Præficitur Ioseph rei frumentariæ.*

Dan 5.11.14 c.4.5. Hæc ergo cùm tam sapienter Ioseph regi suggessisset, merito *placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius. Locutúsque est ad eos. Num inuenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit,* quo videlicet futura prouidentur; vt de Daniele quoque dicitur. Cúmque id optimates quoque negarent, *dixit ad Ioseph. Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es,* tam declarando futura, quàm consilium dande, vt prudenter ijsdem prospiciatur, nec tibi parem, nedum superiorem inuenturi sumus, cui Deus ita assistat, & quæ facienda sunt suggerat: hoc ergo erit negotium tuum, hæc cura, vt rei frumentariæ præpositus, abundantiæ annos, & sterilitatis rectè dispenses, ne abundantibus bonis, res per negligentiam pereant, aut deficientibus, pereamus ipsi.

XXIII. *Imò palatio regio, ac toti Aegypto cum summa potestate.*

c.41. v. 40. NEC eam potestatem dedisse contentus, *Tu eris,* inquit, *super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet, vno tantùm regni solio te præcedam. Dixitque rursus Pharao ad Ioseph. Ecce constitui te super vniuersam terram Aegypti. Tulítque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuítque eum stola byssina, & collo torquem auream*

circumposuit, fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent; & præpositum esse scirent vniuersa terra Aegypti. Dixit quoque Rex ad Ioseph, Ego sum Pharao, absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Aegypti. Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Aegyptiaca, Saluatorem mundi. Deditque illi vxorem Aseneth filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos. Hæc Moses de exaltatione Iosephi.

XXIV. *Quã multiplex Iosephi exaltatio.*

Qvam exaltationem si examinare voluerimus, octo eam priuilegiis constare
reperiemus. Primò agnoscitur à Rege Pharaone, & cunctis Ægypti optimatibus, 1.
ac publicè pronunciatur spiritu Dei plenus, ac sapientia incomparabili, supráque
humanum fastigium. Secundò fit secundus à Rege, simúlque regio palatio, & om- 2.
nibus regni negotiis secundum Regem præficitur, vt eius mandata populus cum
osculo, iuxta textum Hebraicum, puta manu ad os admota, in signũ venerationis
excipiat. 3. in signum datæ potestatis, dat ei Rex annulum signatoriũ, vt regio no- 3.
mine edicta, diplomata, & literas quascúnque pro arbitratu suo conficiat, signet,
mittat, euulget. Cuiusmodi annulum habebat Aman, quem illi sublatum iussit Esther 8. 2.
Assuerus dari Mardochæo. 4. vt potestati primariæ cultus externus responderet, 4.
vestiuit eum stola byssina, id est pretiosissimis ac delicatissimis vestimentis, & col-
lo torquem auream circumposuit, sicut Balthazar Danieli. Quintò cùm Rex c. 5. 29.
duos haberet regios currus, in quorum altero ipse veheretur, in altero qui secun- 5.
dus erat ab ipso; in hunc iussit Pharao conscendere Iosephum, vt omnes intelli-
gerent eum esse à Rege secundum. Quod vt esset manifestius. 6. iussit clamare 6.
præconem vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuer-
sæ terræ Ægypti.

XXV. *Magnifica Iosephi denominatio.*

Divvs Hieronymus vocem אברך Abrech Paraphrasi interpretatus est in edi-
tione vulgata, quæ dubium est Hebræa ne sit, & significet patrem tenerum, vt
idem existimat in Tradit. ad significandum eum, licet ætate tenerum, sapientia ta-
men & consilio honorandum vt patrem; an potius sit vox Ægyptia, & significet 4. Ꝟ.
flecte genua, vt intellexit Hieronymus idem in versione nostra, non ignarus opinor
linguæ Ægyptiæ, in Ægypto & ipse versatus, & Aquila ante eum transtulit, *&*
clamauit in conspectu eius adgeniculationem. Symmachus vocem Hebræam retinuit,
Septuaginta penitus omiserunt. 7. indidit Iosepho Rex honorificentissimum no- 7.
men, de quo sic Hierony. in tradit. *Licet Hebraicè hoc nomen absconditorum repertorem*
sonet, tamen quia ab Aegyptio ponitur, ipsius linguæ debet habere rationem. Interpretatur ergo
sermone Aegyptio Zaphanath Phaanecha Saluator mundi, eo quod orbem terræ ab imminentis
famis excidio liberarit. Sic ipse. quod & in versione vulgata secutus est. Quam sen- 5. Ꝟ.
tentiam non improbat Augustinus q. 135. in Gen. & amplectitur Rupertus, Abu-
lensis, Eugubinus, Lipomanus & alij Catholici interpretes, quo etiam videtur l. 2. c. 3.
Iosephus respexisse. ait enim, γεγονὼς σωτὴρ ὁμολογουμένως τοῦ πλήθους. Et reue-
ra est id vocabulum, si tantùm significat, quod alij volunt, parum magnificum ad
honorandum virum tantæ potestatis: cui enim coniectorum non conueniat, ab-
sconditorum repertorem appellari?

XXVI. *Coniugium Iosephi an cum filia heri.*

Octavo denique honorauit eum nobilissimo coniugio filiæ Putipharis sa- 8. in trad.
cerdotis Heliopoleos. Quem D. Hierony. putat eundem esse cum Emptore Io-
sephi, adhærétque suspicioni Hebræorum, sic enim merito appellauit; potuisset
etiam commentum, existimantium Putipharem redditum diuinitus frigidum, si-
ue Eunuchum, quod Iosepho abuti voluisset, proptereáque factum fuisse sacer-
dotem Heliopoleos, vbi soli Eunuchi poterant esse antistites. Quam opinionem
sequitur etiam Abulensis, citatur & Rupertus, qui priorem quidem illam tradi- l. 8. c. 32.
tionem non reiicit, de coniugio tamen cum eius filia nihil apud eum reperio. De-
nique author Testamenti Patriarcharum inducit Iosephum dicentem se propter c. 11. fin.
longanimitatem filiam dominorum suorum accepisse in vxorem, & centum ta-
lenta auri cum ea.

XXVII. *An potius cum altera.*

Contrariam sententiam magis probat August. probat omnino Chrysost. q. 136. in Gen.
homil. 63. Pererius disput. quinta, quæ est de hoc argumento, & Del Rio, Olea- n. 16. in hũc annum.
ster, Lipomanus, Emanuel Sà, Tornicllus, & Cornelius à Lapide. Et è sectariis
Musculus, qui præter nonnullam nominis differentiam, quam notarũt pridem Ly-
ranus, Abulensis, & Oleaster, addit Iosephum ægerrimè ducturum fuisse filiam

mulieris perfidæ & adulteræ in vxorem, cuius maliriam & nequitiam magno suo
malo expertus fuerat. Verùm fortasse res adhuc latebat, & filia nō debuit portare
iniquitatem matris. Et Iosephi S. Patriarchæ fuit, bonū pro malo reddere. Nihilo-
minus diuersos crediderim Putiphares nominibus, locis, officiisq; differētes, quod *Duo Putiphares.*
nouissimè notauit etiam Cornel. Porrò longam de Asenerh vxore Iosephi fabu-
lam leges apud Abulensem in hoc loco, ex Vincentij speculo historiali, quam ille
ex Apocrypho libro iusti Enoch mutuatus est. In qua merito illud probat DelRio,
quod dicitur à Iosepho in veri Dei cognitionem cultúmque traducta.

EXALTAVIT ergo Pharao Iosephum vehementer, diuinæ circa illū prouidentię XXVIII.
ignarus deseruiēs, & mirabili antithesi posterioribus lucris & incremētis, anterio- *Commutata fortuna Iosephi.*
l. 8. c. 40. ra dāna resarciens atque compensans. *Pro compedibus,* inquit Rup. *in quibus humilia-
uerunt pedes eius, torquē auream suscepit: pro pallio, quo in manu adulteræ relicto, nudus effugit,
stola byssina, Deo iudice indutus est: pro seruili nomine, regiū gestat annulū, & pro carceris humi-
litate, super altum sedet imperij currū.* Sic ipse. Quibus adde, factum etiā diuinitus, vt
qui accusatus fuerat à muliere, tanquam spiritu nequitiæ, & adulterij plenus; nūc
à Rege ipso, summísque regni proceribus spiritu Dei plenus, & incomparabili sa-
pientia præditus prædicetur; qui vinctis in carcere famulabatur, nunc in regio pa-
latio, atque adeo in omni Ægypto, præsit etiam dynastis ipsis. Cuius verba con-
temptim, & cum increpatione accipiebantur, nunc eiusdem iussa populus cum
osculo venerabundus excipiat. Qui supplex ad fratrum procubuerat pedes, ha-
beat iam populum vniuersum, & mox fratres suos coram se in genua procumben-
tes. Pro repudiato flagitioso adulterio, coniugio nobilissimo fruatur: denique pro
tredecim annis angusti carceris, & seruitutis, sextuplicata mercede 80. ipsos an-
nos obtineat in amplissimo regnu principatus.

HANC porrò præclarissimam Iosephi Patriarchæ historiam, aliquot locis de- XXIX.
prauasse videtur Iosephus, de quibus ex instituto Lectorem monere necesse est. *Quæ peccet Fla. Ioseph. in hac historia.*
1. Primùm quod ad tempus attinet, ait enim exaltationem hanc contigisse post
biennij tempus in miseria carceris exactum, cùm id fuerit triennij, vt antè sæpius
dictum, ac probatum est, & biennium sumendum sit à liberatione præfecti pin-
cernarum, vt non obscurè docet Moyses ipse, & alij omnes cum Philone intel-
2. lexerunt. Deinde quod audacter Scripturæ addidit, Pharaonem non solùm vi-
siones duas in somnis vidisse, sed pariter earum interpretationem accepisse, &
eius oblitum sola somnia retinuisse; quod dicere ne per somnium quidem Mosi
3. vnquam in mentem venit. Tertiò quod addit Iosephum dixisse; se apud He-
bræos genere ac parentibus cum primis claris natum; quod neque textui con-
sentaneum est, neque modestiæ sancti iuuenis, vt qui iam euectus à Rege ad emi-
nentissimam dignitatem, non dubitauit apud ipsum profiteri, suos omnes ouium
pastores esse, & ad eius conspectum extremos quoque fratrum suorum, & præ
cæteris contemptibiles adducere. Sed hic spiritus Iosephi fuit, Flauij non fuit.

4. QVARTÒ historiam deprauat, quod cùm Moses dixerit visas septem boues XXX.
obesas de amne conscendere: & rursus alias macilentas ex eodem flumine emer- *Deprauat historiam.*
gere, & priores illas sequi, ac deuorare. Ipse contra macilentas è paludibus edu-
6. & 5. cit, & ad quandam concinnitatem, obuias illis factas esse scribit. [a] 5. Sed longè
maior est historiæ sacræ vel ignoratio, vel deprauatio, in eo quod cùm Iosephus
author fuerit Pharaoni, vt quinta pars frugum congregaretur in horrea Pharao-
nis, inque eius potestate esset, ad futuros sterilitatis annos, quod Philo quoque
eleganter exposuit: Ipse contra suasisse ait Pharaoni, vt frumentum omne ab a-
gricolis sumeret ac seponeret, relicto tantùm quod ad vitam, & sementem neces-
sarium erat: quod futurum erat durissimum, atque inuidiosissimum; & vero pro-
pter infinitam pene abundantiam, minimè necessarium.

6. SEXTÒ cùm omnes pene prudentiæ Patriarchæ notas omiserit, qua- XXXI.
rum nonnullas Philo, nos sex, suggerente Scriptura, collegimus, scripse- *Imprudenter laudat Iosephi prudentiam.*
ritque dixisse duntaxat vtendum parcimonia, & quod præsenti vsui super-
esset, ad futuram necessitatem reseruandum, quod quiuis Paterfamilias, quem
ex aliquo circulo arripuisset, percunctanti facilè respondisset; imprudenter ta-
men inducit Regem admirantem hominis prudentiam, ac sapientiam. ἢ θαυμά-
7. ζοντῆς συνέσεως. Septimò deprauat quod byssum vertit in purpuram; & vt quidam

notauit, regium currum in ſellam curulem magiſtratuum Romanorũ; verùm hæc ſi culpa eſt, interpretis culpa eſt, habet enim Ioſephus ἐλαύνοντα ἐφ' ἅρματος, in curru procedens.

XXXII. *Euulgatam fuiſſe cauſam colligendi frumenti.* OCTAVO frumentum, inquit, comportabat, tantùm inde aratoribus demetiens, quantum in alimenta, & ſementem ſufficeret [7], nemine ſciente cauſam cur hoc faceret. Philo quoque vult frumenta magna dexteritate collecta fuiſſe, nihil vt populo de fame futura ſuboleret. Verùm hoc nec fieri potuiſſe arbitror, nec debuiſſe. Cùm enim ſupra dictum fuerit à Moſe, conuocatos à Pharaone omnes cõiectores Ægypti, omnéſque ſapientes; & publicè in conſpectu optimatum ſomnia expoſita fuerint, quomodo à tam multis res celari potuit? præſertim cùm ſuper ea re nuſquam legatur imperatum ſilentium. Imò venturam famem, quam maximè vulgo ſciri oportebat; nam ea cognitio nemini conflabat inuidiam, cũ nulla mortalium culpa ventura eſſet. Itaque inanis eſt illa Philonis ratio, durum eſſe iã ante ægris animis, ſpem in futurum adimere. Imò rei frumentariæ præpoſitis beneuolentiam, ob neceſſariam cunctis prouidentiam conciliabat; & cunctos ad huiuſmodi ſollicitudinem ſuauiter acuebat, & populorũ ſuſpiciones, ac murmura opprimebat; quæ multò etiam maiora futura erant, ſi quod Flauius putauit, ſolùm eis frumentum ad victum, & ſementem relinquebatur. Denique apparet hoc etiam ex loco Ioſephum codices Hebræos vix aliquando conſuluiſſe, ſed paſſim omnia ex Septuaginta ſeniorum canalibus hauſiſſe, corruptam ſcilicet illam vocem ψονθομφανήχ, & Petephre, & Heliopolim, pro iis quæ in Hebræo fonte reperiuntur. 7. x. v. 8. v. 37. & 38.

XXXIII. *An huius temporis Beniamini coniugium.* REFERT ad hunc annum Torniel. coniugiũ Beniam. vt in ingreſſu Ægypti decem liberos habere poſſit. Verùm vtrũ illos decẽ qui in Geneſi memorantur ipſe immediatè genuerit, poſtea dicendum erit. Mihi certè cui tam præcocia coniugia non ſunt probabilia, ſicut nec D. Aug. quem ſupra retulimus: dicendum potius videretur eum ex pluribus vxoribus illos decem liberos ſuſcepiſſe, ideóque facilè ad decimum octauum annum eius coniugium differri poſſe. Verùm hac de re iterum dicendum erit, cùm de Iacobi filiis Ægyptum ingredientibus diſſerimus. c. 46. 21.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2319.

N. I. 1. DICITVR etiam Ana filia Sebeon v. 14. ſed mox v. 24. in virũ videtur transformari. An Sebeon habuerit filium, & filiã cognomines? In Hebræo eodẽ planè modo ſcribitur v. 2. 14. 24. Eodémq; modo habet Chaldæus Paraphraſtes Onkelos. At Septuaginta omnibus his locis faciunt Ana virum, ſic v. 2. 5. 14. 18. 25. Oolibama vxor eſt Eſaü: v. autem 41. eſt Dux. Ita Thamna verſu 12. & 22. mulier eſt, Dux autem v. 40. ſicut & 1. Paralipom. 1. v. 52. Nempe nomina pleráque viris & mulieribus apud Hebræos communia ſunt. Cæterum de Oolibama Toſtatus in c. 36. refert varias opiniones in quibus Oolibama dicitur filia naturalis Anę, ſed adoptiua Sebeon, & ſic ſemper Ana vir eſt, filius Sebeonis.

N. III. 2. Nec mutatio punctorum debuit variare ſignificationem, præſertim cum ים iam, ex quo iamin, & iemin mare ſignificet, non mulum. Nec Pagninus ipſe in Theſauro ſuo, aut Rabini vllum proferant locum, in quo *iam* ſignificet mulum. Vide hîc etiam Del Rio, & maximè Perer. diſput. 1. in hoc caput, & ibidẽ Abulenſem. Placet etiam coniectura Cornelij à Lapide, qui vocem *calidas*, quam habet editio vulgata, quámque nonnulli volunt additam ab interprete, (in his Sà, & Del Rio) ipſe ex Hebræo textu deducit, pro haiamimin per *n*, legendo chalammim per *n*, quæ vox compoſita ſit ex Cham, id eſt calidus, & iammim id eſt aquæ. Sic ipſe pluribus in hunc locum.

N. XII. 3. Philonem iſtum referunt in qq. ſuper Geneſim, is fortè eſt quem Geneb. cognominat Biblium, fabulis Rabinorum refertum, & aliũ opinor ab eo, cuius carmina refert Euſeb. l. 9. de præparat. c. 4. ex libro 14. de Hieroſ. hoc autem matrimonium Iobi cum Dina ſiue probant, ſiue referunt duntaxat Rupertus l. 8. in Gen. c. 31. Abulenſ. in c. 1. l. 1. Paral. q. 23. Genebrard. l. 1. Chron. Perer. in c. 36. Gen. q. 10. Et ex Nouatoribus Fũctius, qui & verba refert anno ducenteſimo peregrinationis Abrahæ, haud dubiè in Philone Viterbienſi. Vignerius in Chron. & ſi qui alij.

N. XXV. 4. Chaldæus Paraphraſtes Onkelos patrem regis Abrec interpretatur; quod ab, ſit pater, & Rec Ægyptiis regem ſonet, quaſi vox ſit ex Ægyptio & Hebræo vocabulo compoſita: non ſatis probabiliter; alter tamen Paraphraſtes eandem probat notationem, *Clamabant*, inquit, *viuat pater regis, princeps in ſapientia, & tener in annis*. Vt autem dicamus hoc non fuiſſe nomen Ioſepho à Rege datum, illud etiam ſuadet, quod non videtur gemina ipſum appellatione, aut titulo affeciſſe.

N. XXV. 5. Hodie Hebræi legũt צפנת פענח Saphnath, Phaghneach: Septuaginta vocem Hebræam retinuerunt, ſed valde corruptam. legunt

enim ψομθομφανήχ. Quam vocem Ioſephus l. 2. c. 3. retinuit, & interpretatur κρυπτῶν εὑρετήν. ſicut & Procopius in hunc locum, Chryſoſt. hom. 63. Theodoretus, q. 101. Philo vitauit, habet enim μετονομάζει αὐτὸν ἀπὸ τῆς ὀνειροκριτικῆς. à ſcientia coniectrice ſomniorum. At legendum in Philone ὀνειροκριτικῆς. Nam Procopius ita legit, citat enim Philonem dicentem appellatum Ioſephum lingua Ægyptiorum ὀνειροκρίτην, id eſt ſomniorum interpretem. Nec ea vox ὀνειρομαντὶ, vſquam extat quod ſciam. Ipſe autem Procopius malè interpretatur vocem Pſonthomphanech *fertilitatem, aeriſque commodam temperiem.*

Adde quod 7. ſpicas non vento aut vredine percuſſas tradit, ſed λεπτὰς καὶ ἀσθενεῖς, ἀπὸ ἀδυναμίας, id eſt languidas, & infirmas præ roris inopia, vbi vides [illegible] lõgè alia ſignificatione poſitum, quàm reperiatur in Lexicis. n. xxx. 6.

In Græco eſt [illegible] n. xxxii. 7. Acceptum frumentum ab agricolis ſuaſit recondere, & ſufficientia tantam ad victum ſuppeditare (addit paulò pòſt ad ſementem etiam) Geleuius habet *indicta perfectione* frumenti, aut potius *profeſſione*, vt nuper correctum eſt.

ANNVS MVNDI 2320. DILVVII 664. TERTIÆ ÆTATIS. 282. IACOB 122. RVBEN 38. SIMEONIS 37. LEVI 36. IVDÆ ET DAN 35. NEPHTALI ET GAD 34. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 33. DINÆ ET IOSEPHI 32. PRINCIPATVS IN ÆGYPTO 1. MANASSE 1. BENIAMINI 15. CAATH 3. PROMISS. 207. BALÆI REGIS 19. IMP. ASSY. 389.

ANTE CHRISTVM 1733.

Gen. 41. 46. ADEST primus annus principatus Ioſephi Patriarchæ, primus item fertilitatis Ægyptiacæ, quæ cum 31. anno Ioſephi inchoatur. Nam, vt non ſemel diximus, anni Ioſephi, & Ruben, & aliquot aliorum Patriarcharum, in fine annorum currentium mundi & diluuij inchoãtur, & cum magna parte ſequẽtis concurrunt; quo factum eſt vt eos Torniellus ad illum referre maluerit annũ, cum quo concurrebant, quàm ad illum in quo præciſè nati fuerant; in quo tamen nos maluimus gradum figere. Chronol. noſtram confirmat Euſeb. apud quem in Chronico centeſimus trigeſimus ſecundus Iacobi eſt primus principatus Ioſephi & Balæi 19. conſentit Euſebio Chronicum Alexandrinum. Porrò hunc annum Iudæ 35. volunt Hebræi eſſe natalem Phares; ſed eius ortus ad annum ingreſſus in Ægyptum pertinet, vt poſtea dicemus. I. *Ratio temporis.* | in min. Chron.

Hoc ergo tempore impletum eſt illud Moſis, *Egreſſus eſt Ioſeph ad terram Aegypti, & circuiuit omnes regiones eius,* vt cognoſceret eum, inquit Abulenſis, omnis Ægyptus, cui præpoſitus fuerat, Ægyptios ipſe vice verſa aliquo modo cognoſceret; vel vt conſtitueret præfectos in ſingulis ciuitatibus, ad colligendas fruges, & vt cõſideraret quæ loca commodiora eſſent, vt in iis horrea conſtrui, & frumenta cõmodius poſſent, diutiúſque conſeruari; ad quod cõducebat quod in manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt, vt hîc ſignificat Moſes, & præcedenti anno notatum eſt. Vt autẽ integri manipuli, & non excuſſa grana duntaxat in vſum hominũ atq; iumentorum in ſeptennium toti Ægypto, & plurimis circunquaq; regionibus cõſeruarentur, ingentia planè, ac valde crebra horrea, & villæ regiæ eſſe debuerunt, in ſingulis videlicet vrbibus, vt ait Moſes, quas agri circumpoſiti ambiebant. Idq; commodiſſimũ fuit, nam vnaquæque ciuitas ſuum quaſi cõmeatum, & annonam conſeruabat; & magnis itinerum ſumptibus, ac moleſtiis parcebatur, quod vitari non poterat, ſi in fame longè petendum eſſet frumentum. Eorum etiam horreorum veſtigia quædam extare dicuntur, vt ait Abulenſis. II. *Ioſeph luſtrat Ægyptum.* | c 41. 46. | n. 21.

DENIQVE *tanta fuit abundantia tritici, vt arenæ maris coæquaretur, & copia menſuram excederet.* Siue numerum, vt eſt in Hebræo; nam manipuli numerantur. Quamquã Moyſes ſignificat pene non dignatos eſſe numerare manipulos, ſed rudi & liberali æſtimatione diſtribuiſſe, ſiue quintam partem præfectis regiis, ſiue aliis quibuſcum commutationes facerent. D. Auguſtin. ait dictum fuiſſe, non erat numerus, III. *Quanta fuerit abundantia.* | q in Gen. 137.

quod nomen numeri omnis vsitati excederet illa copia, & quomodo appellaretur non potest inueniri. *Quamquam hoc potuerit*, inquit, *& secundum hyperbolem dici*. Hanc hyperbolem auxit etiam Paulus Orosius, cùm hanc vbertatem non solùm insolitam, sed etiam fastidiendam, siue fastiditam vocat, qualem aliquando audiuimus ipsi à vinitoribus, qui in alicuius anni abundantissimo vini optimi prouentu, & quæ consequebatur, precij vilitate, dicere non dubitabant, si talis annus succederet, vites succidendas esse, quod negarent vtilitatem labori respondere posse: vtrique ergo non vini, aut frumenti abundantiam, sed pretij vilitatem fastidiebant. Auxerunt & Rabini, dicentes tantam fuisse copiam manipulorum, vt plurimos passim Ioseph postea proijceret in Nilum, vt secundo flumine varias in prouincias delati, populos de immensa frumenti apud Ægyptios copia edocerent. Sed id stultum planè commentum est, tum quia Nilus ex quo semel ingressus est Ægyptum nullos alios lustrat populos: sed intra terminos Ægypti, septem ostiis in mare euoluitur: tum quia huiusmodi iactura & culpabilis esset, vt patet, & inutilis, cùm per cursores facilius omnes, & citius, & certius edoceri possent.

L. 1. c. 8. — *Lyrann. testem Gen.*

IV. *Ortus Manasse.*

Hoc circiter anno primo principatus Iosephi, ad incrementum fœlicitatis eius, natus creditur ei filius primogenitus, quod sentit etiam Torn. Certè ex serie narrationis Mosaicæ, atque illius aperta assertione omnino constat, vtrúmque filium Iosephi, tempore fertilitatis natum fuisse. Quod affirmat etiam Iosephus alter. Alioqui nihil causæ apparebat cùm Moses narrationem de susceptis filiis, narrationi abundantium annorum insereret; nec alium in locum, aut tempus differret. *Vocauit*, inquit, *nomen primogeniti Manasses: dicens, obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei*. *Manassem vocat*, inquit Hierony. *ab eo quod sit oblitus laborum suorum, ita enim Hebraicè vocatur obliuio*. At quomodo tam citò, tam diuturnorum laborum, atque ærumnarum obliuisci potuit? Auxesis quædam hæc est, ad significandum præsentem fœlicitatem priores calamitates non compensare solùm, sed etiam obruere, vt ne tantillum quidem appareant, quæ autem non apparent facilè obliuioni traduntur, vt sæpe in mortuis experimur. Vel si placet Abulensem audi, cui videtur hoc à Patriarcha dici, quia deductus erat ad magnã prosperitatem, in qua nihil molestum sentiebat secundum experientiam, etiamsi recordaretur secundum memoriam; quomodo superius à Mose, aut ipsomet Iosepho dictum est, tantam fore sterilitatem post septennium, *Vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia*.

Ætat an. 207 n. 15. & Capell. Iosephi an. 32. — *in tradit.* — *in c. 41. Gen.* — *c. 41. 30.*

V. *Accusant sectarij S. patriarchã.*

SED ei hoc loco litem intendunt Sectarij. *Negant enim excusari posse obliuionem paternæ domus, quam sibi inductam esse dicit; nec vllum honorem tanti esse debuisse, vt desiderium, & memoriam paternæ domus deponeret. Sit licet secundus à Rege Aegypti, infœlix tamen est eius conditio, quandiu ab Ecclesia exulat*. Ita Cal. qui etiam mox addit, *eum honoris dulcedine captum, obnubilatam habuisse mentẽ, vt paternæ domus immemor, sibi in Aegypto placeret*.

VI. *Defenditur.*

VERVM perquam labili ac ruinoso nititur fundamento isthæc accusatio, à libidine maledicendi sanctis viris, & cœlitibus insultandi profecta. Non enim ait obliuisci se reuera, aut contemnere domum patris sui, sed ea nunc copia rerum abundare, vt facilè paternis bonis carere possit: itáque hunc locum interpretatur Abulensis. Quæ mens erat Priami, dum Sinoni diceret, 1.

Quisquis es amissos nunc tam obliuiscere Graios. *Æn. 2.*

Quid quod non ait Iosephus se deposuisse memoriam, aut desiderium domus patris sui; sed memoriam *laborum domus patris sui*: id est inuidiam & obtrectationem, quam in ea pertulerat à fratribus: & mox spoliationem, deiectionem in cisternam, & venditionem: quomodo hunc locum Septuaginta interpretantur. Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum; καὶ πάντων τῶν τοῦ πατρός μου. *Segregationem significat*, ait Chrys. *quam sustinuit abreptus ab vlnis paternis, quando in ætate immatura tam liberaliter educatus, libertatem seruitute commutauit*. Sed vide quàm improbè, atque imperitè cum dicat ab Ecclesia exulare: quasi locorum disiunctio ab Ecclesia excludat eum, qui eandem fidem profitetur ac seruat, quàm qui in ea sunt optimo iure; nec ab illa per legitimam exclusi sunt potestatem; prout ipsi, cæterísque sectariis contigit. quos valde obnubilatam habuisse mentem necesse est, dum eam calumniam sancto Patriarchæ inurere conati sunt, nec se ipsi miseri respexerunt.

hom. 64.

ANNVS MVNDI 2321. DILVVII 665. TERTIÆ ÆTAT. 283. IACOBI 113. RVBEN 39. SIMEONIS 38. LEVI 37. IVDÆ ET DAN 36. NEPHTALI ET GAD 35. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 34. DINÆ ET IOSEPHI 33. PRINCIPATVS ET MANASSE 2. EPHRAIM 1. CAATH 4. BENIAMINI 26. PROMISS. 208. BALÆI 20. IMPERII ASSYRIORVM 390.

ANTE CHRISTVM 1732.

I. *Ortus Ephraim.*

Gen. 41.52. Gen. 48.5. SECVNDVS annus Iosephi principatus, fertilitatis item secundus, nihil habet peculiare, præter ortum Ephraim, alterius filij Ioseph, iuxta ea quæ proximo anno diximus: qui postea, sicut & Manasses, nomen & dignitatem Patriarchæ à Iacobo auo accepit; fuit ergo omnium Patriarcharum natu minimus Ephraim, quandoquidem Beniamin postremus filiorum Iacob, qui vulgo habetur minimus, eo quindecim ipsos annos senior fuit. Constat autem ex eadem matre duos Iosephi filios natos fuisse, cùm nusquã alia Iosephi vxor præter Aseneth reperiatur, & vterinos Moyses ipse fateatur. (c. 41.50. c. 9.) Quod confirmat Eusebius in primo de Demonstr. Euang. *Et Ioseph*, inquit, *cùm apud Aegyptios versatus sit, nonplus quàm duorum filiorum pater extitisse inuenitur, quorum matrem vnam duntaxat in matrimonio habuerit.*

II. *Ratio nominis eius.*

NOMEN *quoque secundi*, inquit Moyses, *appellauit Ephraim, dicens, Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* Septuaginta *ταπεινώσεώς μου*, *humilitatis meæ*, quomodo habet & Chaldæus. nimirum cognata paupertati humilitas, vt diuitiis superbia: alij *afflictionis* eadem sententia reddiderunt. (in tradit. Hebr.) *Ephraim vocauit*, ait Hieronym. *eò quod auxerit eum Deus. Ex hoc enim vocabulo in linguam nostram transfertur augmentum.* Vatablus, *fructificationes, siue incrementa*, est enim vox multitudinis. Flauius autem Iosephus dum à Septuaginta discedit, suam Hebraicæ linguæ ignorantiam prodidit, cùm ait Ephraim, *redditum significare, proptereáq; id illi datum nomen, quod maiorum suorum libertati restitutus esset.* Sed eum tã Hebræa ipsa vox, quã Chaldæa, & Græca, ([illegible]) omnésque Hebraicè periti condemnant; sed hæc fortasse leuiora. Illud potiùs considerandum, hanc Iosephi vocem instar esse Prophetiæ, quæ toti Hebræorum genti conueniat, quam Deus fecit vehementissimè crescere in terra afflictionis suæ, vt patet ex initio Exodi.

III. *Gratus & pius Iosephi animus.*

SED & illud non negligendum, quod pius Ioseph, tametsi ad summum penè humani fastigij gradum ex abiectissimo carcere momentò euectus fuerit; gratum tamen & pium in Deum animum, in vtriúsque filij nominis impositione testatur, cùm filij huius seculi, cum secundis gaudent fortunæ flatibus, benefactorum obliuiscantur. (Gen. 40.23. c. 41.9. hom. 64. προσηγορίας εὐχαριστία [illegible]) Id princeps pincernarum docuit exemplo suo. *Attende*, inquit Chrysost. de priore loquens, *viri religionem & pietatem, quoniam vocabulo filij memoriam omnium indidit, vt perpetuo gratias ageret, & qui ex se natus erat, propter suam appellationem scire posset certamina, & patientiam, qua iustus perferens in tantam peruenerit gloriam.* De posteriore autem, *Vide*, inquit, *& huius nomen, gratiarum actione plenum.* Agnoscit ergo Iosephus suam magnitudinem non à sua, aut humana cuiusquam industria, sed à diuina benignitate, à qua donatus fuerat spiritu Prophetiæ, fuisse profectam; idque vult, in filij sui nomine, à posteritate prædicari.

ANNVS MVNDI 2323. DILVVII 667. TERTIÆ ÆTATIS 285. IACOBI 125. RVBEN 41. SIMEONIS 40. LEVI 39. IVDÆ ET DAN 38. NEPHTALI ET GAD 37. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 36. DINÆ ET IOSEPHI 35. BENIAMINI 18. PRINCIPATVS ET MANASSES 4. EPHRAIM 3. CAATH 6. PROM. 110. BALÆI 22. IMP. ASSYR. 392.

ANTE CHRISTVM 1730.

I. *Ratio temporis Iudæ & filiorum eius.*

RELINQVENDA nobis est aliquantisper Ægyptus, tametsi quartum iam annum omnibus terrę bonis ad satietatem circumfluens, vt Chananitidem inuisamus. In qua reperiemus Her primogenitum Iudæ decimum octauum annum inchoantem, nimirum 21. patris natum, vt suo loco dictum est. Quo anno ponimus factum id quod scribit Moses, *Dedit Iudas vxorem primogenito suo Her, nomine Thamar*. Autbor testamēti Patriarcharum hoc coniugium videtur ponere post quadragesimum annum Iudę: sed tēporis angustiis vrgetur ea Chronologia; non enim satis esset temporis, vt antè ingressum in Ægyptum, tertius filius Iudæ creuerit; & adultus non sit datus Thamari, & illa propterea furtim susceperit filios ex Iuda. At nostra Chronologia nihil habet præproperum, aut coactum. Nam cùm eodem tempore, quo venditus est Ioseph, duxerit vxorem Iudas, vt habetur 38. Gen. & præcipites istas filiorum generationes, illis præsertim temporibus, vt parum probabiles, siue, vt aliis placet, incredibiles, & impossibiles, improbauerimus, (Gen. 38. 6.; c. 38. 6.; initio. Cornel. à Lapide in c. 38. 1.)

II. *Quô digerenda videatur.*

EXISTIMAVIMVS totum hoc tempus filiorum Iudæ ita digerendum, vt nec nimium citò patres fiant, & tamen Phares & Zaram ante descēsum in Ægyptum nascantur in terra Chanaan, vt exigit narratio c. 38. Genes. Hoc autem rectè fiet, si hoc anno Iudæ 38. Her ducat vxorem Thamar; eóque mortuo, sequenti, qui erit quintus fertilitatis, eam ducat Onan; quo pariter extincto mansit Thamar vidua in domo patris sui multo tempore, puta biennium, aut aliquanto amplius, vsque ad primum annum famis, quo Thamar filios per fraudem ex socero sustulit, quos secundo anno famis genuit, sub cuius finem, aut sequentis initium Iacob cum suis omnibus in Ægyptum descendit. In hac supputatione comitem etiam habemus Abulens. in hoc 38. c. quē sequitur etiam Peret. & Del Rio in idem caput. Et quicunque volunt Iudam eodem tempore accepisse vxorem, quo venditus est Iosephus; vt plana, & aperta Mosis narratio exigit, initio cap. eiusdem, quod Cornelius etiam sequitur. Vide quæ suprà diximus sub finem anni 108. Iacob. (in c. 38 n. 4.)

III. *Primum Thamaris coniugium.*

HOC ergo anno quo Iudas initurus erat 38. vitæ suæ, & Her primogenitus eius 18. dedit ei pater suus vxorem Thamar, quam Philo Iudæus in l. de Nobilitate, natam ait in Palęstina Syriæ, mulierem educatam in patria cultrice multorum numinum, sed splendore veritatis aspecto, capitis periculo ad pietatem trāsfugisse. Author tamen Testamenti Patriarcharum ait Thamarem hanc oriundam ex Mesopotamia, filiam Aran, non autem Chananitidem. Verùm Philonis sentētiam probabiliorem puto. Sed vndecúnque fuerit misera, tam infœliciter ei mariti, quam Iudæ filij cōtigerunt. Fuit enim Her *malus in oculis Domini*, vt habetur etiā in 1. Par. & in Hebræo, Græcóq; textu, & Chaldæo paraphraste. At Hier. in hoc loco vertit *nequam in cōspectu Domini*, ad innuēdam speciem peccati, cuius hic erat reus. Nequā enim de homine impuro ac libidinoso, sicut nequitia de flagitiosa libidine dicitur. (c. 4.; c. 2. 3.)

IV. *Cito abripitur mariti nequitia.*

ETSI autem crimen eius Scriptura non prodit, id tamen ex fratris scelere, & similitudine pœnæ dignosci potest. Author Testamenti Patriarch. ait occisum ab Angelo Domini tertia die nuptiarum in nocte; & noluisse illum ex ea suscipere filios, propter astutiam matris suæ. A qua scilicet id consilium profectum esset, odio Thamaris alienigenæ. Verùm alia est interpretum communis sententia, Lyrani, Abulensis, Lipomani, Peretij, Del Rio, Caiet. Oleastri, cum antiquioribus He-

bræis, istũ, vt diutiùs frueretur insigni vxoris pulchritudine, quæ parturitionibus deteritur, ac deflorescit, impedisse generationem, semen extra vas naturale fundendo; flagitio vel hoc nomine grauissimo, quod nullos adhuc liberos susceperat, & propter ætatem adhuc adolescentem, diu quod quærebat obtinere poterat, nisi vitam, quam impediebat in prole, ab authore vitæ properè perdere cogeretur.

V. *Plerósque primogenitos malè audisse.*

OBSERVAT hic Lipomanus malè audire primogenituræ conditionem, *In mysterio quidem*, inquit, *abiectionis Iudæorum, & insertionis Ecclesiæ ex gentibus. Sed fortassis primi filij non tam prolis amore generantur, quàm libidinis causa, à principio vehementius ardentis: tẽporis autem progressu multis molestiis matrimonialibus tepescente feruore, religiosiores generãtur; vnde & illegitimi filij hodie quoque peiores sunt, quia non intẽduntur filij, sed libido. vel proferatur si oportet alia ratio quare primogenitura suapte natura tam nobilis, tam male proficiat in filiis; pro quo etiam primogenitos sibi Deus consecrari præceperit, non tam quod boni essent præ aliis, sed vt boni fierent, & offerentium deuotione mundarentur*. Sic ipse.

VI. *Ex Scriptura intelligi potest.*

CERTE si exemplis agitur, plura in sacris literis exempla improborum primogenitorum, quàm laudabilium reperientur. Caim primogenitus Adę, omnium reprobotum caput, qualis fuerit nemini ignotũ est. Aran primogenitus Thare, quod ante patrem propera morte è medio tollitur, anteactam vitam suspectam facit Hebræis. Primogenitus Abrahæ Ismaël persequens Isaac, à paterna domo cum matre expellitur. Esaü primogenitus Isaac dilectus patri, odio habetur à Deo. Ruben primogenitus Iacob incestat parẽtis thorum, & à patre maledicitur. Manasses Ioseph primogenitus posthabetur fratri suo Ephraim. Her primogenitus Iudæ nequam in conspectu Domini, & ab eo interficitur. Omnes primogeniti Ægyptiorum ab Angelo exterminatore vna nocte sternuntur. Primogeniti Aaronis incendio diuinitus periere. Amnon Dauidis primogenitus sororem oppressit, & in medüs epulis à fratre perimitur. Ioram primogenitus Iosaphat regis, (2. Paral. 21.) occidit omnes fratres suos. Denique perpauci sunt primogeniti, per quos venitur ad Christum; quod ex tardo eorum ortu, qui in recta linea generationum ponuntur D. Augustinus collegit. Sed hæc obiter dicta sunto.

VII. *Beniamini proles.*

MORTENTE porrò Iudæ primogenito existimamus Beniaminum illi ætate parem, (Gen. 46. 21. 1. Paral. 8. Num. 26.) Bela primogenitum suum genuisse, & deinceps cæteros, qui in Scriptura memorantur, quos in suos annos distribuere non possumus. Nec omnes ex vna muliere natos tempus patitur, quod quinque duntaxat annorum est, vsque ad descensum in Ægyptum, quando decem eius filij numerantur; quo in loco aliquid amplius de perobscura quæstione dicemus.

ANNVS MVNDI 2324. DILVVII 668. TERTIÆ ÆTAT. 286. IACOBI 116. RVBEN 41. SIMEONIS 41. LEVI 40. IVDÆ ET DAN 39. NEPHTALI ET GAD 38. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 37. DINÆ ET IOSEPHI 36. PRINCIPATVS 5. BENIAMINI 19. MANASSE 5. EPHRAIM 4. CAATH 7. PROMISS. 217. BALÆI 23. IMPERII ASSYRIORVM 393.

ANTE CHRISTVM 1729.

I. *Alterum Thamaris coniugium.*

(1. ✠. Gen. 38. Gen 42. 36.) MORTVO Her[1], atque adeo in probroso, ac pudendo scelere diuinitus occiso, post luctum parentis & aui, in quem hæc quoque mala recidebant (neque enim hæc aut ignorare poterat, aut iis cognitis non acerbissimo dolore cruciari; & apud Deum vehementer ingemiscere, quod etiam in benedicto semine, non omnes benedicti) *Dixit Iudas ad Onan filium suum* secundò genitum: (v. 8.) *Ingredere ad vxorem fratris tui, & sociare illi, vt suscites semen fratri tuo.* Apparet perantiquum fuisse hunc morem, ab eo vtique traditum Hebræis, à quo postea in lege sanxitus est, vt familiarum perpetuitati, & legitimæ (Deut. 25.) hæreditatum successioni consuleretur. *Nisi enim id fuisset in more positum, vt defuncto fratre sine liberis, leuir acciperet fratriam in vxorem, non dixisset Iudas*

hac filio suo, vt ait Caiet. *Sed arbitrati sunt antiqui modicam læsionem honoris mortui fratris, quæ interuenit in eo, quod vxor eius, effecta vna caro cum ipso, cognoscitur à fratre, vinci à maiori bono, imò à beneficio in ipsum. Magnum siquidem censuerunt beneficium conferri mortuo sine liberis, si frater mortui, vices mortui ageret, cognoscendo relictam, ad suscitandum semen mortuo.* Hæc Caiet.

II. *Causa nequitiæ Onā.*
VOLEBAT ergo Iudas vt Onan ex more acciperet vxorem viduam fratris sui, & susceptos ex ea liberos defuncto fratri attribueret; sicque futurum erat, vt qui primus ex Onan & Thamar nasceretur, filius Her censeretur, & patrem repræsentaret cum iure primogeniti. Quoniam verò Her carente liberis, Onan fiebat primogenitus in domo Iudæ patris sui; nolebat Onan gignere filios in locum fratris, malens eius nomen extingui, liberorum defectu: & se suósque deinceps, quos ex propria duxisset vxore, in primogeniti iura succedere. Hoc voluit Moses cùm diceret. *Ille sciens non sibi nasci filios*: id est, filios quos suscepisset ex Thamar, non fore, aut non dictum iri filios Onan, sed filios Her[a]. Itaque si quando ingressurus esset *ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur.* a. χ.
Autor Testamenti Patriarch. Habet Onan, quem vocat Annan, vixisse cum Thamare annum vnum semen fundendo in terram, iuxta mandatum matris suæ, vt ait, quæ oderat Thamar, eò quòd non esset de terra Chanaan, nec volebat ex ea nasci filios; tandémque ipsam suasisse Iudæ, ne ipsi daret Selam, sed præcedens ratio probabilior est, & Scripturæ conuenientior, cùm non constet Thamarem fuisse Arameam, quippe quam Philo, vt dixi, Chananitidem vocet.

III. *Eius grauitas.*
AFFVIT autem vltor Dominus, *Idcirco* enim *percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret. Ad verbum in Hebræo, & Græco. Et malum fuit in oculis Domini quod fecit, & mori fecit etiam eum.* Rectè vulgata significauit, id crimen non semel, sed c. 38. 10.
sæpius perpetratum, eiúsque malitiam facinoris atrociore vocabulo expressit,
quod multa in se peccata comprehenderet. Peccabat enim contra naturam, &
naturæ conditorem Deum, quando ab eo constitutum ordinem, & naturæ iura 1.
turpiter peruertebat: & malis artibus ius primogenituræ ambiebat, quod sibi 2.
natura negauerat. Peccabat in legem, aut legis instar habentem consuetudinem, 3.
quam contemnebat: peccabat in parentem, cuius in re admodum graui præce- 4.
ptum violabat; peccabat in fratrem cui posteritatem inuidebat, eiúsque filios an- 5.
tequam gignerentur, occidebat: peccabat in terram, quàm flagitiosa seminis ef- 6.
fusione polluebat.

IV. *Et pœna iustissima.*
VERVM meritas nefarius adolescens pependit pœnas. Non enim distulit Dominus aliquem immittere Asmodæum, qui eum in flagranti aliquando scelere deprehensum suffocaret, & flagitiosam animam in barathrum pertraheret. Atque ita factum est, vt qui fratri filios inuidebat, ipse sine filiis moreretur; & careret omni semine, qui fœdè semine abutebatur; & fratri sociaretur in funere, qui sociabatur in culpa. Quamquam hoc grauius iste peccabat, quod peiori ex causa nō dispar admittebat scelus. Nam Her ex inordinato desiderio delectationis venereæ peccabat, vt dictum est, iste autem ex inuidia fraterni boni, quæ directè opponitur charitati. Accedebat, quod iste debuit fraterno exemplo perterrefieri, atque edoceri. Tantáque erat malitia eius, vt passim aiunt interpretes Lyranus, Abulensis, Pererius, Del Rio, Cornel. in hunc locum, vt ne fratri attribueret n 17. primogenitum suum, ipse se omnino priuaret liberis, & ne ex parte prodesset inc. 38. v. 9. fratri, ex toto nocebat sibi.

V. *An frater vnum tantum filium mortuo suscitare deberet.*
EXCEPTO namque primogenito, cæteri quos generasset filij sui erant, nec eos quoque assignari fratri, aut in more tunc erat, aut postea lege sancitum est. Quæ sanè velim ab ipsis accuratius probata. Probari tamen potest ex Deuteron. c. 25. 6. vbi fit mentio primogeniti duntaxat. Et Iosephus dum eius legis mentionem facit, filium in singulari ponit. Sed nobis ea de re alibi dicendum erit. Interea. l. 4. ant c. 8. c 4. Ruth.

An plures.
CREDIDERIM sanè potiùs omnes filios, quos ex Thamare suscepisset Onan, defuncto fratri, cuius illa vxor fuerat attributum iri. Siquidem Scriptura in editione vulgata apertè vtitur plurali, *non sibi nasci filios*, & mox *ne liberi fratris nomine nasceretur*: deinde in vnico filio non satis tuto suscitaretur semen fratri, vnicus enim filius valde dubiam, & incertam successionem facit. Denique pro vnico filio suscipiendo durum, minúsque necessarium videatur nouæ vxo-

ris onus imponere fratri superstiti. Quòd tamen lex in eodem Deuteronomio
exigit, quia hic erat deinceps eius coniux loco defuncti, & omnia eius munera
obiturus, non in vnius, sed omnium filiorum, quæ illa conciperet, susceptione:
cap. 4. suos enim ipsi liberos ex sua vxore suscipiebant. Idque ex historia Ruth intelligi
potest, vbi propinquus Ruthæ cedit iuri suo Booz, ne posteritatem familiæ suæ
deleat, id est ne priuet se posteris ex propria vxore, dum ex ea liberos suscipit,
quæ aliena fuisset, & defuncto suscitat hæredes. Et Booz opulentus pater fami-
c. 2. 2. lias iam grandis natu, vt qui Ruth viduam non sororem appellet, sed filiam,
profecto non carebat vxore & liberis, cùm accepit Ruth, & ex ea Obed. Deni-
que semen quod in Hebræo, Græco, & Chaldæo est, non repugnat huic senten-
tiæ, cùm constet tam de vno, quàm de pluribus liberis dici posse, & id hoc loco
plerique de pluribus liberis interpretentur, vt Vatablus, Caietanus, Emanuel
Sà, & è Sectatiorum grege Fagius.

FORTASSIS vtraque opinio conciliari possit, si dicamus legem mandasse, VI. *Propria opinio.*
vt saltem filium vnum ex defuncti vxore frater superstes susciperet, qui esset de-
mortui heres; idque non semel tantùm, sed sæpiùs si opus foret; cæteri autem
ipsius essent, si nullam aliam haberet vxorem; quòd si haberet & ex ea liberos,
filij omnes viduæ ad defunctum pertinerent. Alterius autem vxoris filij, ad vi-
uum maritum. Hæc de re dubia quasi inquirendo dicta sunt. De qua rursum ali-
an. m 2810. n. 46. quid in historia Ruthæ dicemus. Vide Caietanum in eum locum Deuter.

MORTVO Onan, *Dixit Iudas Thamari nurui suæ, Esto vidua in domo patris tui,* VII. *Iudas differt tertium Thamaris coniugium.*
donec crescat Sela filius meus. timebat enim ne & ipse moreretur, sicut fratres eius. Ex quo
videtur colligi posse Iudam ignorasse nequitiam filiorum suorum; proptereàque
dicti fuerint nequam *in conspectu Domini*, id est Deo tantùm conscio, vt explicat
Abulens. Et sanè huiusmodi flagitia tenebras quærunt, vtpote opera tenebra-
rum. Sed Deus voluit rem manifestari omnibus, ad reprimendam terrore suppli-
cij præsentis hominum petulantiam. Putauerit ergo Iudas causam mortis filio-
rum fuisse ætatis infirmitatem: Ideóque voluerit tertium filium fieri robustiorem
in c. 38. n. 34 ante coniugium: quòd sentit etiam hoc loco Abulens. Et sanè Sela decimum sex-
tum tantùm agebat annum, iuxta chronologiam supra constitutam, anno Iu-
dæ 38. n. 1.

QVARE fictitium arbitramur quod quidam dixere Iudam finxisse cum non- VIII. *Sine fictione.*
dum satis esse maturum ad coniugium; nam id verum erat, & fictioni non erat
locus, cùm ætas vultu facilè prodatur in adolescentibus; & ex multis facilè sciri
potuerit, quo ille anno natus esset. Nam eum filia Sue in eodem loco susceperat.
hom. 62. q. 128. in Gen. Nec fictionem in promittendo agnoscit Chrysostomus, neque Augustinus, sed
mutatam potius successu temporis voluntatem, propter metum, ne hic tertius
eandem cum fratribus calamitatem incurreret. Eodem modo interpretor Lipo-
manum in Catena, etsi paulò durius loquentem. *Spondet*, inquit, *Selam Iudas fi-*
lium suum, sed proposuit (postea) *non dare Thamari, arbitratus eam malè ominatam fœ-*
cap. 3. 9. *minam, sicut de Sara vxore iunioris Tobiæ legimus.* Denique pium est in meliorem par-
tem dubia magnorum virorum facta, & voluntates interpretari.

EO igitur fictionis fundamento euerso ruit improba Caluini in Iudam accu- IX. *Malè accusatur.*
satio. *Nimis*, inquit, *iniquè agit Iudas, sibi deuinctam tenens, quam fraudare decreuit.*
Nec verò causa fuit, cur è domo sua liberam migrare nollet, nisi quod veritus est inconstantiæ
notam. Sed tanti non debuit esse ambitiosus ille pudor, vt erga nurum suam perfidus esset, ac
crudelis. Quid intemperantiùs dici posset in scurram aliquem, aut nebulonem?
Sed audi reliqua. *Adde quod hæc iniuria ex prauo iudicio orta est; quia causas mortis filio-*
rum non reputans, falsò ac iniustè culpam transfert in mulierem innoxiam.

QVOT hic contumeliæ atque calumniæ in Patriarcham ex tot fratribus di- X. *Defenditur; & vicissim accusator arguitur.*
uinitus electum in Christi Domini, & tot Sanctorum principum, regúmque pro-
1. genitorem? Falsum est quod Thamarem Iudas fraudare decreuisset, quòd nec
2. iste probat, nec probare potest. Falsum est non permissam à Iuda coniugio in a-
lienam transire familiam, alioqui domui suæ retinuisset mulierem, non ad do-
mum patris ipsius amandasset. Itaque vel id Thamari liberum fuit, aut si non
3. fuit, id consuetudini, quæ esset instar legis, non Iudæ ascribendum fuit. Fal-
sum est, & sine vlla probatione, aut fundamento dictum formidatam inconstan-

tiæ notam. Nam cùm inconstantia sit desertio suscepti boni, non erat bonum neque æquum omnes filios Patriarchæ exponi morti, seruandæ consuetudinis vnius gratia. Itaque neque inconstantia in mutando proposito timenda fuit, nec vllus fuit in Iuda ambitiosus pudor. Falsum est illum perfidum fuisse in nurum, ac crudelem, cùm non possit temerarius hic Iudex ostendere, Iudam non habuisse vo- 4.
luntatem dandi Selam Thamari; licet enim nō dederit tam cito ac volebat Thamar: non est id idoneum argumentum, ad asserendum voluntatem dandi defuisse Iudæ, quando iussit eam expectare dum Sela cresceret, proptereàque nec 5.
perfidus fuit. Quòd si à perfidia innocens fuit, qua tandem re nititur ista crudelitas? cùm non neget Caluinus illam se arbitrio soceri summisisse, cùm liceret negare. Verùm nihil mirum vxorios istos, ac mulierosos quinti Euangelij mini- 6.
stros, crudelem putare continentiam. Falsum denique est Iudam exitij filiorum culpam in mulierem innoxiam transcripsisse. Id enim si credidisset, amandasset vtique illam in malam crucem: sed credidit id malum occasione quidem mulieris, sed ex ætatis filiorum infirmitate profectum, vt verba illius sonant; quæ iste ex malitiosa mente sua ficta criminatur, vt perfidiæ, ac crudelitatis insimulet Patriarcham.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2324.

N. Y. 1. sub med. Hoc anno Leui quadragesimo putat author testamenti Patriarch. cap. 3. ipsum cum parente in Ægyptum descendisse, sed id fieri omninò non potest, cùm anni fertilitatis nondum essent elapsi hoc tempore, sed quintus tantùm eorum esset in cursu. Peius etiam Chronicum Alexandrinum id refert ad annum Leui 47.

N. II. 2. Vt clarius habetur in Hebræo, Græco, & Chaldæa paraphrasi, vbi præsens, nasci, per futurum effertur; eadem omninò manente sententia. Talem autem filium, qui eum genuerat, non pro filio, sed pro nepote reputabat, ad quem non ipsius, sed defuncti hæreditas pertineret.

ANNVS MVNDI 2325. DILVVII 669. TERTIÆ ÆTATIS 287. IACOBI 127. RVBEN 43. SIMEONIS 42. Levi 41. Ivdæ et Dan 40. Nephtali et Gad 39. Aser, Issachar, et Zabvlon 38. Dinæ et Iosephi 37. Princip. 6. Beniamini 20. Manasses 6. Ephraim 5. Caathi 8. Promiss. 212. Balæi 24. Imp. Assyr. 394.

ANTE CHRISTVM 1728.

Mors Esaü. IN hunc annum referre licet mortem Esaü, fratris Iacob, patrui omnium Patriarcharum. Nam author Testamenti Patriarcharum: *In anno vitæ meæ*, inquit Iudas, *superuenit nobis Esaü frater patris nostri, in prælio graui & forti, & cecidit in arcu Iacob, & delatus est mortuus in montem Seir. Nos autem persecuti sumus filios Esau*, &c. Describit enim obsessos in ciuitate, & coactos ad pendendum tributum frumenti choros ducentos, & olei batos quingentos, vini mensuras mille & quingentas, quorum fides sit apud authorem. Est autem hic sextus fertilitatis annus. cap. 4.

ANNVS MVNDI 2327. DILVVII 671. TERTIÆ ÆTATIS 289. IACOBI 129. RVBEN 45. SIMEONIS 44. LEVI 43. IVDÆ, ET DAN 42. NEPHTALI ET GAD 41. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 40. DINÆ ET IOSEPHI 39. PRINCIP. 8. BENIAMINI 22. MANASSE 8. EPHRAIM 7. CAATH 10. PROMISS. 214. BALÆI 26. IMPERII ASSYRIORVM 396.

ANTE CHRISTVM 1726.

v. 53. 12. 2. 3. Gen. 41. 58. 42. HIC est [1] primus annus Ægyptiacæ sterilitatis ac famis, in quo Iosephus sub finem anni inchoaturus erat ætatis 39. De quo famis initio Moses, *Transactis*, inquit, *septem vbertatis annis, qui fuerant in Aegypto, cæperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Ioseph, & in vniuerso orbe fames præualuit, in cuncta autem terra Aegypti panis erat.* Quam dicit Moses famem vniuersi orbis, Philo sine vlla figura de toto orbe intellexit: ait enim in libro de Ioseph, *Elapso autem vbertatis septennio fames incepit, quæ vsque crescens, & procedens non continuit se Aegypti terminis, sed diffusa per omnes deinceps ciuitates, regionésque, quàm longè, latéque patet orbis habitabilis, peruenit ad extremos Orientis, Occidentísque populos.* Breuius Iosephus l. 2. c. 3. med. πάσης γὰρ ἥψατο τῆς ἠπείρου τὸ δεινόν. *Omnem enim continentem attigerat malum.* I. *Prima annus famis.*

v. 30. c. 3. v. 2 & 12. AT rectius sentiunt Abulensis, Caietanus, Del Rio, Cornelius, alij, vniuersum orbem hic strictius accipi, pro multis circumquáque regionibus, sicut & suprà. (Sic Ioël 3. dicit Dominus se congregaturum omnes gentes, & deducturum eas in vallẽ Iosaphat, mox tamẽ illas omnes gentes explicat, eas quæ erãt in circuitu,) Puta Arabia, Palæstina, Chananitide, Syria, Æthiopia, Cyrænaica, & si quibus aliis. Nam alioqui maximam mundi partem, quæ propter infinitam terrarum, mariúmque distantiam ab Ægypto iuuari non poterat, fames absumpsisset; neque septem annis collecta in Ægypto annona, toti orbi ad vnum annum suffecisset. Etsi autem primo anno maligne admodum terra in Ægypto fruges protulit, non tamen statim clamauit populus ad Pharaonem, aut ad fores regiæ grauiter laborans confluxit. Quia multæ erant apud quamplurimos præcedentium annorum reliquiæ, quibus vtcunque sustentati sunt Ægyptij. Sed apparente iam secundi anni sterilitate, per quam modicè abundante Nilo, clamare cœperunt, vt significat Abulensis: licet Iosephus ad primum statim annum id referre videatur. Quòd probabiliter quoque dici potest. Nam Ægyptij præsertim Alexandrini, admodum insolentes semper, ac seditiosi fuisse leguntur. II. *An vniuersi orbis.*

cap 4. HOC ipso anno quo Iudas quadragesimum secundum, Sela 19. annum agere incipiebant, contigit tam mors vxoris Iudæ, quàm Thamaris ex eodem conceptus. De priore author testamenti Patriarcharum ait vxorem Iudæ, quam vocat Bethsue, accepisse viro inscio Selæ vxorem Chananitidem, ideóque Iudam illi maledixisse, & eam mortuam in malitia filiorum suorum. At Moses id tantùm, Gen. 38. 12. *Euolutis*, inquit, *multis diebus mortua est filia Sue, vxor Iudæ.* Et quidem sub anni initia, vt ex sequentibus apparet; nam post aliquot dierum, aut mensium spatium profectus est ad tonsores ouium suarum. Hos multos dies si referas ad mortem Onan, fuit id tempus circiter biennij; nam post annos duos, vidua existente Thamare ascendit Iudas ad tondendas oues, vt ait idem in eodem Testamento Patriarch. sin ad initum cum Iuda connubium, annorũ fermè 22. id tempus fuit. Non est autem dicta Suæ, siue Sua vxor Iudæ, sed pater eius, qui & socer Iudæ, vt diximus, cùm de Iudæ coniugio ageremus. Huius porrò mors refertur, vt pleriq; notarunt, in gratiam Iudæ, ne mox adulterium commisisse putetur. III. *Vxor Iudæ moritur.*

IV. *Iudas ascēdit ad tonsores.*

ERGO Iudas post defletam vxorem, ex qua tres susceperat liberos, *consolatione suscepta*; resumptáque negotiorum suorum tractatione, quam tempore luctus mos erat intermittere, nec multùm in publico versari, vt hoc loco significatur. *Ascendebat ad tonsores ouium suarum, ipse & Hiras opilio gregis Odollamites*, cuius est mētio initio cap. 38. [2] *Nunciatúmque est Thamari socerum eius ascendere in Thamnas, ad tondendas oues.* Meminit huius loci Hieronymus, aitque suo quoque tempore ostensum fuisse prægrandem vicum in finibus Diospoleos, euntibus Æliam in tribu Dan, siue Iudæ. Adrichomius in tribu Dan ponit, aitque fuisse ciuitatem Palæstinorum, in via iuxta Ptolemaidem & Gazam; & iuxta illam Samsonem discerpsisse leonem, vbi vocatur Thamnata, licet diuersum hunc locum Del Rio putet. 2. X. in locis Hebr. n. 38. Iudic. 14.

V. *Thamar fraudem parat.*

ERGO Thamar *depositis viduitatis vestibus assumpsit theristrum.* Eandem dictionem Hebræam supra vertit D. Hieronymus pallium, sicut & D. Cyprianus. Vtrobique Septuaginta habent theristrum, quæ vox ab aliis velum aut velamen, peplum ab aliis redditur. Est autem tenue quodpiam operimentum, & leue, æstati aptum, ducitur enim à θέρος, quod æstatem significet [3]. Satis autem constat ex hoc loco ad ornatum, cultioremque habitum pertinere: sed assumpsit id Thamar in primis, vt eo obducta minus agnosci posset. Itaque *mutato habitu sedit in biuio itineris, quòd ducit Thamnam.* Septuaginta non habent in biuio, sed ad portas Ænam, quasi proprio loci nomine, vt putauit & Vatabl. & author Testamenti Patriarch. [4] improbante Hieronymo. *Sermo Hebraicus*, inquit, עינים *ghenaim trāsfertur in oculos. Non est igitur nomen loci, sed est sensus, sedit in biuio, siue in compito, vbi diligentius debet viator aspicere, quod iter gradiendi capiat.* Sic ipse. Alij vertunt in capite duorum fontium, siue in diuisione fontium, vt Chaldæus paraphr. quia eadem vox & fontem significat & oculum, ex quo scilicet, vt fonte lachrymæ profluunt. c. 24. 65. 1. 1. ad Quirin. n 38. 3. X. 4. X. cap. 4.

VI. *Et callidè exequitur.*

CAVSA porro sedendi fuit, vt à socero decepto susciperet liberos, *eo quod creuisset Sela, & eum non accepisset maritum*, & compos voti facta est, accepta promissione hœdi; & interea arrhabone annuli, armillæ & baculi. Oportuit hœdos esse valdè charos, aut annulos, & armillas materiæ vilioris; aut certè, quòd putat Del Rio, hominem œstro cupiditatis improuidum, qui pro vno hœdulo talia pignori opponat, nec cogitet quæ sit istiusmodi muliercularum fides. Quid plura? *Concepit, abiit, depositóque habitu quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus. Misit hædum Iudas vt reciperet pignora*, nec inuenta est quæ redderet. Quæ Iudas noluit diligentius perquirere; maluitque eam iacturam ferre, ne res euulgata eum contemptibilem redderet, aut deridendum propinaret, vt qui talia peccaret, taliáque pignora imprudenter opponeret.

VII. *Agnoscitur grauida, & dānatur.*

ECCE *autem post tres menses nunciauerunt Iudæ dicentes, fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere*; & meritò, vt quæ gemellos vtero gestaret. *Dixitque Iudas, producite eam vt comburatur.* Non ferebat ille sententiam, vt quibusdam placet, sed volebat deduci in carcerem, & ibi ad partum vsque seruari. Postea verò legitimi Iudicis sententia, vsitata illis locis, & propria adulterorum pœna damnari. Nam cùm ex promissione Iudæ, & consuetudine, Sela eius sponsus esset, videbatur adulterium commisisse, vt pluribus hoc loco disputat Pererius. in cap. 38 disp. 5.

VIII. *A Iuda vt Hebræorū prætore.*

AT Cornelius à lapide putat latam à Iuda quasi prætore familiæ Iacobeæ sententiam, quæ statim executioni mandanda esset, vt verba Mosis videntur exigere, sicque adulterinus fœtus crudeliter cum adultera periret. Iniqua admodum sententia, & contra iura naturæ: accedente etiam damnatione mulieris inauditæ, vt notauit Caietanus. Et hæc sententia licet alioqui probabilior, ac textui propinquior videatur, refugit tamen animus nescio quomodo credere, Iudam ad tam immanem, támque inusitatam crudelitatem contra adulterinum fœtum prorupisse, sed incogitanter de matre pronunciasse filiorum oblitum. Cæterum Perer. loco citato refellit somnia Hebræorum existimantium hanc fuisse filiam Melchisedech, quem putant fuisse Semum, qui mortuus est anno quingentesimo secundo à diluuio, id est ante 169. annos; quòd illi finxerunt vt pœna ignis à Iuda decreta, iusta, & legi Mosis consentanea videatur, quæ statuit filiam sacer-

dotis in stupro deprehensam flaminis exurendam. At quomodo probant eam legem, quæ non nisi post ducentos, & sedecim ab hinc annos lata est, in vsu apud Leuit. 21. 9 Chananæos, aut in Iacobi familia tum fuisse? Denique hæc est eorum argumentatio perquam inepta. Filia sacerdotis condemnatur ad ignem. Thamar damnatur concl. aiēs in sec. fig. ad ignem, Ergo Thamar est filia sacerdotis.

IX. *Defensio Thamaris.*

Ergo *cum duceretur ad pœnam*, vel suo tempore, & post partum subeundam; vel statim, vt contingit in manifesto crimine, & nullius probationis egente, misit ad socerum suum dicens, *De viro cuius hæc sunt concepi; cognosce cuius sit annulus, & armilla, & baculus. Qui agnitis muneribus ait. Iustior me est, quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamen vltra non cognouit eam.* Auersatus scilicet incestam copulam. Sed nec eam filio dedit, vtpote à se cognitam; sed illi alteram prouidit vxorem, ex qua Num 26. 20. multos suscepit liberos. Familia enim Selaitarum memoratur in Scriptura. Quòd autem Iudas iustiorem se appellat Thamarem, non propterea vtrumque iustum Luc. 18 14. appellat, sed vtrumque in culpa esse fatetur, se autem in maiore. Sic in Euange- Ezech. 16. 51. 52. lio Publicanus iustificatur à Pharisæo; & apud Prophetam Sodoma & Samaria à in trad. Hebr. Hierusalem. *In Hebræo habetur*, inquit Hieronymus, *iustificata est ex me, non quod iusta fuerit, sed quod comparatione illius minus mali fecerit, nequaquam vaga ad turpitudinem, sed liberos requirendo.* Sic ipse. At nónne illa prudens & sciens commisit incestum, Iudas autem fornicationem duntaxat? Respondeo, ex illa parte maiorem Thamaris culpam fuisse, sed si solus spectetur finis, minore in culpa est Thamar, quam solus amor prolis ad eam fraudem impulit, Iudam sola libido; & forte putauit Thamar defectum leuiri, à socero suppleri posse. Deinde Iudas si non causa peccandi illi fuit, certè occasio fuit, non dando illi promis- 5. X. sum filium[1].

X. *Et absolutio, Iudæque pœnitentia.*

Sic autem absoluta est Thamar ex compensatione criminis, vel Iuda absoluente, si id eius muneris fuit, vel actionem deserente; quoniam ita vterque peccarat, vt Iudas per ignorantiam, Thamar per acceptam iniuriam excusabilis videretur, vt ait Abulensis. Etsi autem credibile omninò sit Iudam pro hac culpa sua pœnitentiam egisse, vix tamen adducor vt credam, quòd scri- cap. 4. bit author libri Testamenti Patriarcharum: Ait enim Iudam per ebrietatem in fornicationem incidisse, móxque vtriusque peccati pœnitentem, vinum & carnes non assumpsisse vsque in senectutem, & omnem lætitiam nesciuisse. Porrò mulieris partus ad initia sequentis anni videtur pertinere, cùm conceptus ad Maium, quo fere primùm tondentur oues, referendus videatur.

XI. *Prima Iacobitarum in Ægyptum profectio.*

Ad hunc autem ipsum annum, & quidem exeuntem pertinet prima profectio filiorum Iacob in Ægyptum. Dico exeuntem, quia non antè sentiri potuit fames, aliquid enim in messe collectum fuerat in Chananitide; quòd dum consumitur, maturè, & antè frigus de annona cogitandum fuit. Altera verò ad sequentem, quoniam inter vtramque sat magna intercessit dilatio, qua consumpta sunt quæ ex Ægypto delata fuerant, post quam pater ipse cum tota familia sua in Ægyptum descendit.

in fin. c. 41. Cùm ergo *cresceret quotidie fames*, vt ait Moses, *aperuit Ioseph vniuersa horrea*; id est initium venditionis fecit in omnibus vrbibus in, quibus frumenta congregarat, *& vendebat Aegyptiis: nam & illos oppresserat fames.* Et quidem pretio conueniente tempori sterilitatis, quòd ille pretium præfectis sibi subiectis assignabat. *Omnésque prouinciæ veniebant in Aegyptum, vt emerent triticum*, in quibus, vt cæteros omittamus, cap. 42. fuerunt Chananæi.

XII. *Mittit Iacob decem filios.*

Nam Iacob audiens frumenta in Ægypto esse venalia, nec domesticis tantùm, & indigenis; sed alienigenis quoque gentibus, *dixit filiis suis, Quare negligitis*, quid cunctamini alter alterum intuendo, nec maturè prouidendo imminenti necessitati? *Audiui quod triticum venundetur in Aegypto, descendite & emite nobis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur inopia. Descenderunt igitur fratres Ioseph decem, vt emerent frumenta in Aegypto.* Retinuit quippe pater Beniaminum natu minimum, ne quid illi mali, sicut pridem vterino eius fratri contingeret. & ne solus ipse, sine cuiusquam filiorum suorum solatio, remaneret. Philo filium vnum domi retentum dicit, propter ætatem

nondum peregrinationi maturam, immemor illum iam aliquot filiorum parentem.

XIII. *Quare tam multi.* Sed quare, inquies, mittuntur decē, cùm viderentur duo, tréſve cum famu- 1.
lis aliquot ſufficere? An vt poſſent conſilio ſibi adeſſe inter barbaras gentes, &, ſi
vſus foret, vim vi repellere, latronibus vias in fame percurſantibus; Agarenis e-
tiam, & Arabibus, per quos erat tranſitus, ex rapto viuentibus? Itaque plures e-
tiam amici, aut vicini confluebant, & ſimul conficiebant iter. Nam mox dicun-
tur Iacobitæ ingreſſi in Ægyptum cum aliis, qui pergebant ad emendum. Et
nunc quoque ſolemne eſt in pleriſque Aſiæ locis, præſertim incultioribus, &
longinqui itineris, vt plures mercatores conueniant, cum camelis ſuis & mer-
cibus, vt ſimul iter conficiant, & ſeſe à feris, & ferinis hominibus tueantur, eas
turmas vulgò *carouannes* appellitant. An vt eò maiorem ipſis copiam frumenti ex- 2.
purtare liceret, quo plures eſſe probarentur? An quia ſinguli ſuas ſibi familias 3.
habebant, quibus ſeorſim conſulerent; & per ſeipſos malebant, quàm per fra-
tres ſua tractare negotia? In cuius rei ſignum, infrà redditur cuique pecunia ſua;
nec quaſi communis, in vnius tantùm ſacco deponitur. Sed vrgebat in primis di- 4.
uina prouidentia, quæ manipulum iam erexerat, quem circunſtantes cæteri om-
nes adoraturi erant. A qua etiam profectum eſt vt Beniamin retineretur domi,
vt fabula, quæ exhibebatur, maioribus turbis implicaretur, in pœnam fratrum
plagiariorum.

XIV. *Adeunt Ioſephum, nec agnoſcunt.* Ingressi ſunt itaque in Ægyptum. Et quia ad nutum Ioſephi frumenta
populis vendebantur, eum fratres adeunt, &, quaſi Ægypti proregem magna
corporis ſummiſſione venerantur. Agnoſcit eos Ioſeph, ſed agnitio mutua non
fuit. Nam multùm erat mutatus ab illo, quem vendiderant Iſmaelitis ante vi-
ginti annos; mutata facies tam diuturno tempore, inducta barba, mutata vox,
lingua, cultus corporis. Accedebat diſſimulandi ſtudium; & fratrum alieniſſi-
ma ab hac re cogitatio, propter ſummam, vt apparebat, rerum diuerſitatem.
Fortè etiam Deus aliquid ad impediendam huiuſmodi agnitionem in omnium
fratrum imaginationem influebat, quam putant aliqui fuiſſe cauſam, cur non
eſt agnitus Dominus à diſcipulis euntibus in Emaus; quem tamen ante triduum
viderant. Certè Philo, *Deus*, inquit, *aut vultum eius mutauit in auguſtiorem* Luc. 24.
*ſpeciem magiſtratu ſummo dignam, aut mentis obtuentium hebetauit, quo minus cer-
nerent.* aut quæ cernebant agnoſcerent.

XV. *A quo durè accipiuntur.* Ergo *quaſi ad alienos*, & ignotos *loquebatur*: neque id ſolùm, ſed quos ſciebat
grauiſſimi in ſe criminis reos, verborum primùm aſperitate perturbat. frons, ocu-
li, geſtus, motúſque corporis ad ſeueritatem compoſiti, inſtitutæ caſtigationi de-
ſeruiunt. Quam etiam ſeueritatem acuebat ille metus, vt plerique tradiderunt[a]; 6. x.
ne fortè Beniaminum, quem in fratrum turba non videbat, perſimili paterni a-
moris inuidia vendidiſſent, aut etiam occidiſſent. Itaque eo paulatim interroga-
tionibus adducit, vt genus ſuum omne, familiámque declarent, indéque occa-
ſionem accipit imperandi, vt ille adduceretur ad ſe.

XVI. *Et pro exploratoribus habentur.* Interrogat ergo qui ſint, vnde veniant, quid quærant; ad quæ cùm illi timi-
dè, vt fit, humilitérq. reſpondiſſent quod res erat; ille cauſam aduentus de indu-
ſtria in deteriorem partem interpretans, *Exploratores*, inquit, *eſtis*, *vt videatis infir-
miora terræ veniſtis*, id eſt immunita, & nuda præſidiis, & ad hoſtem accipiendum
magis opportuna: quæ Septuaginta vocant aditus, ſiue veſtigia regionis. Et putat
Abulenſis, eos anſam præbuiſſe Ioſepho ipſos reputandi, aut vocandi potius ex-
ploratores; quòd varia in loca ciuitatis diſcurrebant, ſi forte Ioſephum vendi-
tum reperirent, vt ad patrem reducerent, quòd prius ex Hebræis Lyranus nota-
rat. Et ſciebat ſanè Ioſeph eos non eſſe exploratores, ſed ita loquebatur vel ironi-
ca, & iocoſa ſimulatione, quam tamen illi non agnoſcerēt, ſed rem quàm maximè
ſerio agi putarent; quales deinceps locutiones idem Ioſephus non ſemel vſurpat,
vt notat D. Auguſt. in Geneſim: vel tentando, & explorando vt ſolent Iudices,
mutata tamen interrogatione in aſſertionem, vt exponit D. Thomas, & Thomas
Anglicus apud Perer. Alij vt Lyranus, Abulenſis, Pererius, Del Rio, malunt
ſimpliciter fateri mendacium, ſed non pernicioſum, aut iniuſtum; quia neque

hinc fratribus damnum, neq; infamiam creabat, vt postea re ab ipso patefacta in-
tellectum est; & ipsi longè maiorem pœnam, suo in fratrem, ac parentem scelere
merebantur, quorum alteri dilectissimum filium, alteri libertatem iniustissimè
rapuerant.

XVII. *Illi crimen diluunt.*
SED quid facit ad diluendum crimen insidiarum illa oratio? *Duodecim*, inquiũt,
serui tui, fratres sumus, id est geniti fuimus, nam vnum pro mortuo habebant, *filij
viri vnius in terra Chanaan, minimus cum patre nostro est, alius non est super.* Facit vti-
1. que, primò quia simplex veritas narrata cum circunstantiis suis, ex quibus con-
firmari possit, multùm valet ad asserendam innocentiam. Nam rei tergiuersan-
tur, & dissimulant, vbique laqueum paratum putant; nec plura fatentur, quàm de
2. ipsis quæratur. Secundò, quia non est credibile, patrem vnum tanto discrimini
3. decem filios obiicere voluisse. Tertiò, quia se filios priuati cuiuspiam viri prædi-
cant, nō Principis alicuius, aut Regis potentis famulos, qui cum exercitu velit, aut
4. possit Ægyptum inuadere. Quartò, quia in vicina regione se habitare fatentur,
ex qua citò ac facilè sciri possit, vnde mendax oratio refellatur. Illam porrò fratrũ
l. 2. c. 3. orationem non ineptè Iosephus dilatat in hunc modum. *Pater nobis est Iacobus vir
Hebræus, qui nos duodecim è quatuor mulieribus suscepit, qui donec omnes essent incolumes,
res nostra satis prospera fuerunt. Cæterùm vno cui Iosepho fuit nomen absumpto, domestica
fortuna in peius labi cœperunt. Pater in perpetuo luctu est, cuius lamentatio non minus nos
afficit, quàm olim suauissimi fratris immaturus interitus. Nunc frumentatum venimus, pa-
tris cura & domus prouidentia Beniamino natu minimo commissa.* Quasi effœtæ iam seni
corporis animique vires. Veriùs puto vt antè diximus, vnumquemque filiorũ Ia-
cob, vxoribus liberisque ornatos, suas rexisse familias, grandæuum autem patrem
omnes generali prudentia, consilióque rexisse, & paternam perpetuò autoritatẽ
conseruasse. Ideóque pro arbitrio misisse decem, retinuisse vnum, nec eum nisi ex
eius consensu, in Ægyptum descendisse; & quæ in Ægypto daturi, facturique
essent omnibus ordinasse.

XVIII *Iosepho recriminatio.*
AT Ioseph qui flagrabat desiderio videndi vterini fratris, & suspectam habe-
bat fratrum in illum inuidiam, simulat se eos conuicturum mendacij, in numero
fratrum: proindéque ostensurum indignos fide in accusatione repellenda, & con-
sequenter exploratores esse: aut pro exploratoribus haberi merito posse, quæ est
q. 139. in Gen. doctrina D. August. *Hoc est*, ait Prorex, *quòd locutus sum, Exploratores estis, Iam nunc
experimentum vestri capiam; Per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat fra-
ter vester minimus.* Dimissurus quidem erat eos, sed non omnes, & ita intellexit iu-
rando, proptereàque nec periurus fuit. Est autem iusiurandum, quòd vocant pre-
catorium. quasi dicat, ita viuat Pharao, ita saluus sit atque incolumis, vt ego factu-
rus sum quod assero; quòd si non fecero, reus sim desideratæ mortis Pharaonis,
aut contemptæ salutis.

XIX. *Traduntur in custodiã triduo, sine minis.*
NON dixit ergo, nullus egredietur. Dicturus quippe mox erat, *Mittite ex vobis
vnum, & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixistis, vtrum ve-
ra, an falsa sint.* Et nihilominus vt res quàm maximè serio agi videretur, *tradidit
l. 2. c. 3. omnes custodiæ tribus diebus.* Iubet eos includi in carcerem, quasi per otium quæ-
Exod. 22. 61 stioni admoturus, inquit Iosephus. Nec in eo quidquam admisit iniustitiæ: me-
riti quippe erant pœnam longè maiorem, vt ex lege Mosis intelligitur. Et ipse ius
quoddam autoritatis in fratres suos diuinitus accepisse videbatur, vt ex eius som-
niis intelligi potest, ad eorum culpas, præsertim in patrem, digna animaduersione
puniendas: vt admodum mitis potius, quàm seuerus censeri possit; quòd nota-
runt Lyranus & Abulensis hoc loco.

XX. *Imo cum laude clementia.*
AD lenitatem etiam pertinet, quòd omnes in vnum, eundémque coniicit
carcerem, vt mutuo se consolarentur: Solatium enim est miseris socios habere
in Genes. c. 42. miseriarum. Id autem colligitur ex Hebræo, in quo habetur, *Et congregauit eos
ad custodiam*, Chaldæus, *collegit.* Vbique autem habetur carcer, aut custodia in sin-
gulari. Idque disertè notauit Lipomanus in Catena. *Simul omnes*, inquit, *includit
vni carceri, vt pariter agenda tractarent, mutuum affligerent se, sicut se se ad fratris vendi-
tionem fuerant exhortati; vt vel gustum illis rependeret anxietatum suarum, in quas se suo
coniecerant odio. Idque tribus tantùm diebus, ne patris sollicitudinem augeret, & angorem. An
forte quia ter in ipsum deliquerant fratres; tractantes videlicet primùm de ipsius morte, deinde*

in cisternam proicientes, demum Ismaëlitis vendentes. Hæc Lipoman. quæ ante obseruauerant Lyranus & Abulensis, & alij deinceps.

XXI. *Ductos dimittit, vno retento.* DIE *autem tertio eductis de carcere ait, Facite quæ dixi, & viuetis.* Et tamen valdè mollit, mitigátque latam ante sententiam; pro vno enim quem patiebatur abire, nouem dimittit, & pro nouem quos retinebat, retinet vnum duntaxat, ne & plures macerarentur vinculis, & tantò maiore tristitia affligeretur communis parens: & pluribus familiis noxia esset tam diuturna patrum absentia. Quæ Ioseph apud se coram Domino perpendens, ait, *Deum enim timeo. Si pacifici estis, frater vester vnus ligetur in carcere, vos autem abite; & ferte frumenta, quæ emistis, in domos vestras, & fratrem vestrum minimum ad me adducite, vt possim vestros probare sermones, & non moriamini*; prout scilicet exigit exploratorum crimen. c. 42. 18. 7. x.

XXII. *Acquiescũt sententiæ, & culpam agnoscunt suã.* FECERVNT *vt dixerat*, consenserunt scilicet conditioni, & sententiæ mitiori expectatione sua, promiserúntque se fratrem in Ægyptum deducturum. quòd aliquantò pòst executioni mandarunt. Interea consecutus est Ioseph, quòd in primis optauerat, vt ad culpæ suæ agnitionem venirent. Nam *locuti sunt ad inuicem. Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius dum deprecaretur nos, & non audiuimus; idcirco venit super nos ista tribulatio.* Vexatio ergo dedit intellectum, vt aliquando peccati sui grauitatem sentirent. Et quoniam horum omnium putabant istum principem ignarum; quæ ab illo ferebant, referebant ad criminum vindicem, atque vltorem Deum. v. 20. & 21.

Hic Ruben, qui dissuaserat cædem, & venditionis ignarus fuerat, vt cæteris innocentior, *Nunquid non dixi vobis*, inquit, *nolite peccare in puerum, & non audistis me? en sanguis eius exquiritur*; putabant quippe mortuum, & se mortis innocentis reos. quæ illi non contenti in carcere deplorasse, etiam coram Iosepho inter sese lamentabãtur; quia *nesciebant quod intelligeret Ioseph, eò quod per interpretem loqueretur ad eos*; vt ait Scriptura.

XXIII. *Iosephi humanitas.* AVERTITQVE *se parumper, ac fleuit*, naturali humanitatis affectu simulationis artificium vincente. Quantò humanior Ioseph fratribus suis. Illi ad lacrymas innocentis adolescentuli immites obduruerunt: hic ad parricidarum gemitus frangitur, & pœnitentiam agentibus illacrymatur, in expressam vtique ac viuẽtem figuram eximiæ Dei in peccatorem pœnitentem suauitatis, atque dulcedinis. Sed & alia mox dabit Iosephus suæ in fratres misericordiæ argumenta, non verbis, sed factis ipsis. v. 24. 25.

XXIV. *Retinet Simeonem in vinculis.* ET *reuersus locutus est ad eos, tollénsque Simeonem ligauit illis præsentibus*, vt fraterna charitate commoti, *accelerarent reditum, & quamprimum Beniaminum adducerent*, vt ait Chrysostomus: vinculis tamen solutum post discessum fratrum, & liberali, atque honesta custodia detentum scribunt Theodoretus, & Abulensis in hunc locum. Qui etiam obseruat non reliquisse Iosephum in electione fratrum, quis remansurus esset in vinculis. tum quia contra fraternam charitatem fuisset, vt quisquam eorum alterum ad eam pœnam offerret, sed seipsum potius ad vincula pro communi causa paratum exhiberet: tum quia cùm hæc esset quædam punitio, debuit ad iudicis arbitrium infligi: Et quidem in illum in primis, qui magis esset in culpa. hom. 64. q. 102. in Gen.

XXV. *Et cur illũ præ cæteris.* Is erat Simeon, vt Hebræi dicunt, cuius illa verba fuisse volunt. *Ecce somniator venit, venite occidamus eum*, &c. Quibus consentit author Testam. Patriarch. in quo ipse Simeon ait se nõ contristatum ob hæc vincula, quòd ea se iustè pati agnosceret. A qua sententia non abhorret Philo. *Iubet*, inquit, *vinciri fratrem à grandissimo proximum; idque inspectantibus cæteris omnibus, quasi sibi ex aduerso oppositum. Nam inter complures, secundo penultimus opponitur, sicut primus vltimo. Et fortasse maxima pars culpæ in eo fuerat, quasi authore conspirationis nefariæ, qui cohortem fratrum animauerit, & ad odiũ incitauerit. Nam si fratri* (Ruben) *bene, clementérque consulenti, quo vno minor, cæteris erat grandior, suum adiunxisset suffragium, vix admissum fuisset facinus: præualente per consensum honore ætatis & ordine, præsertim in tanti momenti negotio* (& Iuda in mitiorem partem inclinante) *nunc maluit à meliore parte ad deteriorem deficere; & in immitem durámque sententiam discedere, tanta contentione, vt eius ductu, hortatúque sine mora perpetratum sit impium facinus. Hoc est cur soli ex omnibus iniecta puto vincula.* Sic Philo. quæ est Theodoreti quoque sententia, & Gennadij apud Lipom. in Catena. cap. 2. in lib. de Ioseph. q. 102. in Gen.

LIGATO, & abducto in carcetem Simeone *iuſſit miniſtris vt implerent eorum ſacco tritico*, ſine numero videlicet, aut menſura, ſed quantum ſacci capetent, & ad XXVI. *Ioſephi in fratres liberalitas.*
v. 25. maioris liberalitatis argumentum, *Reponerent pecunias ſingulorum in ſacculis ſuis; datis ſuprà cibariis in viam.* Ne ſcilicet ſaccos aperire cogerentur, antequam peruenisſent domum, dati ſunt eis panes, & alimenta, tam hominibus, quàm iumentis. Quæ iuſſa miniſtri accuratè implerunt. Sed hæc ſeorſim iuſſa, factáque; ſiue vt triſtibus læta miſcerentur, & eſſet quædam pro afflictione conſolatio; ſiue vt eos metu, & inopinatæ rei euentu ſuſpenſos teneret, ne qua illis in Ægypto calumnia ſtrueretur, quod poſtea ipſimet non obſcurè in reditu ſignificarunt, ſicque noua afflictione, culpæ veteris pœnas luere pergerent.

DISCEDITVR, & in diuerſorio vnus eorum dat*u*rus hordeum, vel auenam XXVII. *Agnoſcitur.*
aſino, reperit in ore ſacculi ligatam pecuniam, qua re fratribus nunciata, obſtupefacti, turbatíque ſunt; præſertim cùm ſinguli ſuam pecuniam eodem modo,
verſ. 25. locóque reperiſſent. Nam infra cap. 43. *Cùm veniſſemus*, inquiunt, *ad diuerſorium, aperuimus ſaccos noſtros, & inuenimus pecuniam in ore ſaccorum*; & reponentes iiſdem in ſaccis pecuniam (vt patet ex eo quod paulò pôſt corã Iacobo patre factum eſt) *mutuò dixerunt, quidnam eſt hoc quod fecit nobis Deus.* Iam agnouerant caſtigari ſe à Deo, ſanguinem fratris exquirente ad vltionem. Nunc demulceri ſe ab eodem putabant, & tamen calumniam aliquam ab Ægyptiis & criminationem timebant.

DENIQVE peruenerunt ad Iacob patrem ſuum in terram Chanaan, quem XXVIII. *Perueniũt ad patrem.*
non diu filiorum exhilarauit aduentus, cùm vnum eorum abſentem animaduer-
v. 29. tiſſet, & cauſam didiciſſet. *Narrauerunt enim ei omnia, quæ ſibi accidiſſent*, tam in Ægypto, quàm in via. Ad cuius rei probationem cùm frumenta ſinguli in conſpectu patris effunderent, ſinguli repererunt in ore ſaccorum ligatas pecunias, quas ſcilicet repoſuerant, non auſi quidquam attingere, donec in patris conſpectum veniſſent, vt ab eo diſcerent quid facto eſſet opus. Quod ſectarij interpretes non intellexere, volentes vnum tantùm in via reperiſſe pecuniam ſuam,
v. 35. cùm illi de omnibus fateantur. *Exterritíſque ſimul omnibus*, nam nondum quiſquam eorum admirari ac timere deſierat, potiùs quàm admirationem, ac timorem ſimulabat.

AT Iacob de Beniamino dimittendo magis, quàm de pecunia reſtituenda ſol- XXIX. *Qui Beniaminum negat.*
licitus. *Abſque liberis*, inquit, *me eſſe feciſtis.* Phraſis eſt dolentium more amplificantis miſerias ſuas. *Ioſeph non eſt ſuper, Simeon tenetur in vinculis, & Beniamin auferetis. In me hæc omnia mala reciderunt.* Quaſi dicat, hæc vos modicè tangunt, quia fratrum gratia rara eſt, nec paterno affectui vlla ex parte reſpondet. Itaque ſublatis mihi iam duobus filiis, ad tertium, quem ſcitis mihi eſſe chariſſimum, perden-
v. 37. dum feſtinatis. *Cui reſpondet Ruben, duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi.* Hæc quoque hyperbolica eſt auxeſis, vt ſuprà diximus, cùm de oblatis à Loto filiabus ageremus. Et hinc ſanè apparet duos tum filios duntaxat natos Rubeni. Non enim ait duos de filiis meis, quamuis aliter ſentiat Abulenſis. Verùm partitionem neque Hebræi, neque Græci codices, neque Chaldæa paraphraſis agnoſcit. nec vlla Latina verſio, quam videre potuerim. Imò Philo in lib. de Ioſeph duos tantùm agnoſcit, vt infra dicemus, quod obſeruandum eſt pro numero eorum, qui cum Iacobo deſcenderunt in Ægyptum, qui non leues habet difficultates. At Iacob, *Non deſcendet, inquit, filius meus*, qui vnus mihi de dilecta Rachele ſupereſt, *vobiſcum: frater eius*, vterinus, *mortuus eſt; & ipſe ſolus remanſit. Siquid ei aduerſi acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.*

l. 2. c. 3. HÆC geſta hoc anno; quæ Flauius noſter non inoffenſo pede percurrit. Ne- XXX. *Aliqua hic errata Flauij.*
1. que enim rectè, vt arbitror, vocauit famem Ægyptiis improuiſum malum; cùm id ſeptennio ante à Ioſepho eis denunciatum eſſet, & multorum qui aderant, ſermone vulgatum; idque ſingulis annis annonæ ſtudioſa collectio apertè clamarer, nec tacendi cauſa vlla probabilis appareat, vt ſuprà diſputabamus. Quid tum
2. autem ſi fortaſſe plerique eorum non crediderunt? num eorum inſignis ſtupor efficit hoc malum Ægyptiis improuiſum? Sed impegit etiam grauius cùm ait, negatam eis frumenti emendi pore ſtatem: & tum demum datam, cum Simeone re-

cento, eos abire permisit. Quod Scriptura nusquam dicit. Imò ex Mose constat empta ab ipsis frumenta, priusquam ad triduum omnes in carcerem compingerentur. Nam eductis ait, *Vnus ligetur in carcere, vos autem abite, & ferte frumenta, quæ emistis in domos vestras.* Quomodo habent etiam Septuaginta. Denique vt alia omittam, pecunias in via repertas narrare omisit, contentus id in extrema narratione attingere, fortè desperans se posse loca, ad speciem non conuenientia conciliare. 3.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2327.

N. I. 8. CONFIRMAT hanc Chronologiam Alexandrinum Chronicon, malè tamen sed constanter vocat hunc annum Leui 46. qui est 43. triennioquippe seniorem semper facit, vt alibi notatum est.

N. IV. 2. Septuaginta pastorem vocant, Chaldæus amicum, Pagninus socium; Hieronymus vocem Hebræam fatetur ambiguam, quod pastor & amicus iisdem literis scribatur רעה.

N. V. 3. Latinus scholiastes Septuag. interpretum refert scholiastem Græcum interpretantem [illegible], quod vertit flabellum è palmulis factũ. rectiùs fortè verteris delitiolum ornamentum, ἀπὸ τῆς [illegible], id est lautitiis, atque deliciis.

Ibid. 4. Eiusdem libri author ait Thamarèm ornatam sponsalibus ornamentis ad portam ciuitatis sedisse: eo quod lex Amorrhæorum esset nuptam præsidere in fornicatione per septem dies, iuxta portam ciuitatis; & Iudam ebrium ad eam accessisse. Hæc videntur fabulam Rabbini suo more commenti super homonymiam vocis.

N. IX. 5. Plerique interpretes in hunc locum, paulò acerbiores videntur in causa Iudæ. Quam potius quantum per Scripturam licet subleuare velim. Nec sanè id videtur difficile, si vera sunt, certè probabilia sunt, quæ in fine anni 2324. disputauimus. Vide Peter. in hoc cap. n. 20. & 21. & Del Rio, &c.

N. XV. 6. Ita sensit Abulensis in hunc locum, & post eum Peter. in hoc cap. n. 5. & ante vtrúmque Iosephus l. 2. antiq. c. 5. quem secutus est D. Chrysost. hom. 64. & Theod. q. 102. in Gen.

N. XXI. 7. Si pacifici estis, Septuaginta εἰρηνικοί, Aquila ὀρθοί, sicut & Chaldæus; Symmachos ἀπλοῖ, Paguinus כנים vertit veraces, res eodem quidem sedit. Sed vox pacifici rectiùs alludit ad exploratores, à quibus bellum videtur inchoari.

ANNVS MVNDI 2328. DILVVII 672. TERTIÆ ÆTAT. 290. IACOBI 130. RVBEN 46. SIMEONIS 45. LEVI 44. IVDÆ ET DAN 43. NEPHTALI ET GAD 42. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 41. IOSEPHI 40. PRINCIP. 9. MANASSIS 9. EPHRAIM 8. CAATH 12. BENIAMINI 23. IOBI PRIMVS. PROMISS. 215. BALÆI 27. IMPERII ASSYRIOR. 397.

ANTE CHRISTVM 1725.

I. *Summa gestorum præsentis anni, & ratio temporis.* SECVNDVS Ægyptiacæ sterilitatis annus habet natiuitatem Phares & Zaram, filiorum Iudæ & Thamaris, & Iobi celeberrimi patientiæ miraculi ortum. Habet & alteram Patriarcharum profectionem in Ægyptum, & ibi turbas eorũ maiore cum tristitia, & anxietate redintegratas; sed agnitione subsecuta, in admirationem & lætitiam commutatas; accessit Regiæ familiæ congratulatio, & Iacobi in Ægyptum euocatio, nam migratio ad sequentis potius anni principia pertinet[1]. Demetrius enim apud Euseb. ait tertio anno famis id contigisse, ineunte scilicet, & secundo, qui nunc agitur absoluto, in quo ipsemet Ioseph. *Adhuc,* inquit, *quinque anni residui sunt famis.* Porrò ortum Phares & fratris eius, refert Abulensis in annum ab orbe condito bis millesimum trecentesimum, & ferè trigesimum, quod perparum abest, vt vides, à nostra Chronologia, multùm autem ab ea quam cap. 12. statuerat, Abrahamum natum anno septuagesimo Tharæ patris sui: alioquĩ non distaret hoc loco à nostra Chronologia ferè biennio, sed sexaginta totis annis, etiã non numerato iuniore Cainan. Gen. 38. 6. c. 43. c. 44. c. 45. [1] c. X. l. 9. c. 4. c. 45. 11. in c. 38.

II. *Thamaris partus.* PORRÒ sub anni huius initia partum Thamaris contigisse, tempus conceptionis, de quo superiore anno actum est, satis docet. *Instante autem partu,* vt ait Moses, *gemini in vtero apparuerunt,* ab obstetrice videlicet deprehensi, quamquam id citius

io cap. 38. n. 37. à matre ex diuersis simul motibus deprædhendi potuit, altero se in hanc, altero in illam partem commouente. Putat Abulens. & eum secuti Perer. Del Rio, Cornel. luctam quandam duorum paruulorum in vtero extitisse, de primogenitura contendentium, & se mutuò ad prius exeundum protrudentium; sicut Esaü & Iacob in vtero Rebeccæ collidebantur, vt habetur Genes. 25. Verùm hanc collisionem, & pugnam textus non exigit; præsertim cùm Hebræus nudè dicat gemellos fuisse in vtero. Eam tamen mox Chaldæus paraphrastes agnouit [a]. Hinc autem Iudas iamdudum intelligere potuit, non Thamaris, sed filiorum suorum culpam fuisse, quod illa non concepisset.

(margin: a. χ.)

IN *ipsa* porrò *effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum*, filum scilicet, aut vittam coccinei coloris, *dicens, iste egredietur prior. Illo verò retrahente manum egressus est alter*, cui Dominus primogenituram destinarat, & quem vnum de progenitoribus filij sui esse volebat, qui filo rubeo significabatur. Itaque obstetrix quæ spe sua, & prædictione se frustratam videbat, quasi commotior; *Quare*, inquit, *diuisa est propter te maceria?* Maceriam vocat, non murum agrestem, sine calce aut cæmento excitatum, sed secundinas; pelles scilicet, aut membranes, quibus in vtero obuoluuntur infantes. Huiusmodi sepem aperuit Zara, cùm brachium protulit, quasi prior exiturus, sed apertum aditum frater occupauit, & euasit in lucem prior. Itaque obstetrix, *quare diuisa est propter te maceria?* quasi dicat, non propter te, sed propter fratrem tuum diruptio facta fuerat, tu eius beneficium vsurpasti. *Et ob hanc causam vocauit*, siue vocatum est *nomen eius Phares*, quod diuisionem significat, aut rupturam, vt explicatum est à Daniele Propheta. III. *Phares in ferato prior egreditur.*

c. 5. 28.

POSTEA *egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zara*, id est Oriens, quod scilicet prior orire cœpisset, vt notant Hieronymus, Abulensis, Cornelius, & tamen postero die ortus tantùm esset, vt ait Seuerus Sulp. lib. 1. Historiæ sacræ. At Del Rio, cum aliis minus interuallum intercessisse putant. IV. *Posterior Zara.*

Cæterùm quoniam hoc capite continetur regiæ familiæ Iudæorum initium, quam præ cæteris Moses exponendam putauit, operæ pretium me facturum duxi eius principia lectoris oculis in schemate proponere. quod deinceps lucem variis afferat locis, & liberet ex parte aliqua nostræ promissionis fidem.

V. *Familia Iuda.*

Iudas genuit ex
- Filia Sue Chananæi,
  - Her primogenitum, qui dicitur Charmi, 1. Paral. 4. 1. authore Hieronymo in tradit.
  - Onan secundum qui dicitur Hue 1. Paral. 4. 1. Hieronym. ibid. ambo ob nequitiam diuinitus præmaturè interfecti. Gen. 38.
  - Sela tertium à quo familia Selaitarũ, Num 26. 20 & 1. Par. 4. 21. genuit
    - Her patrem Lecha.
    - Laada patrẽ Maresa.
  - dicitur & Subal, siue Sobal 1 Par. 4. interprete Hier l. c genuitq; Raia, qui Her quoque dictus est teste Hier. in trad. Par. ex quo ort⁹ est Iahad, qui genuit
    - Ahumai.
    - Laad, qui genuit Ethan patrẽ
      - Iesema
      - Iezraël.
      - Iedebos.
      - Aselelphuni puell.
- Nuru Thamare, Gen. 38
  - Phares qui genuit
    - Hesron cuius filij, 1 Par. 2
      - Ierameel primogenitus, ex quo orti 1. Par. 2. 25.
        - Ram cuius filij fuerunt v. 27.
          - Mooe
          - Iamin
          - Achar
        - Buna.
        - Aram.
        - Asom.
        - Achia.
      - Ram siue Aram.˚ Matth. 1. ex quo Aminadab pater
        - Naasson - Salmon, &c.
        - Elizabeth vxoris Aaronis. Exod 6. 23.
      - Chalubi, siue Chaleb, ex quo multa familia, alibi recensenda.
      - Ex filia Machir Segub ex quo Iair. 1 Paral. 2. 22.
      - Ex Abia Assur patrem Thecuæ ibid. vers. 24.
    - Hamul à quo famil.a Hamulitarum. Num 26. 21.
  - Zara, qui & Sara ex quo orti sunt
    - Zamri qui & Zabdi, ex quo Charmi pater Achã siue Achor 1. Par. 2 7. Ios. 7. 1 18.
    - Ethan, ex quo genitus est Azarias. 1. Par. 2. 7.
    - Eman, quem ait Genebr. nobilem archimusicum, cui filij Core, Psal. 88 dicarent, vt ei modos faceret.
    - Chalchal horum trium posteritas non reperitur in Scriptura, nisi forte 3. Reg 4. 31. vbi Machol fuerit nomen vxoris Zara. nihil assero.
    - Dara.

VI. *Ill stres viri in eadem tribu, quorum series generationis ferè interrupta.* Ex stirpe Iuda præter familiam regiam, quæ alibi repræsentanda est, plerique alij nominati reperiuntur in Scriptura, præsertim 1. Paralipom. 2. 3. & 4. quorum generationis series interrupta est. Et rursum 2. Paralipom. 17. tempore regis Iosaphat ponuntur 4. principes, qui sub se haberent virorum 1160000. vndecies centena & 60. millia.

Caleb filius Iephone socius Iosuë in exploranda terra Chanaan. Num. 13. 7. fidelis Domino, & ab eo benedictus. Iosuë c. 14. & 15. Idem constitutus diuisor terræ Num. 34. 19.

Beseleel filius Vri filij Hur, quem impleuit Dominus spiritu sapientiæ ad fabricandum tabernaculum fœderis. Exod. 31.

Othoniel secundus Israëlitarum dux, filius Cenez, frater Caleb minor, qui plenus spiritu Domini liberauit Israël de manu regis Mesopotamiæ Rasathaim, & gubernauit populum Dei 40. annis. Iudicum 3. 9.

Abesan 11. Iudex de Bethleem ortus, iudicauit 7. annis Israël, habuit 30. filios, & totidem filias. Iudic. 12. 8.

Esaias Prophetarum nobilissimus filius Amos, regis Amaziæ fratris, & patruus Oziæ. Genebr. l. 1. Chron. Hier. l. 5. in Isaiam c. 20. ait ex tradit. Hebr. eum fuisse socerum Manasse filij Ezechiæ. Epiphan. l. de ortu & obitu Patriarch. in Hierusalem de tribu Iuda ortum ait. Vide Sanctium nostrum Procemio in Esaiam n. 4.

Daniel & Ananias, Misaël & Azarias fuerunt de filiis Iuda. Dan. 1. 6.

Amos item Propheta, Thecuites, licet eum Epiphan. Zabulonitem vocet.

Ioachim, & Susanna vxor eius contribules de more erant. Num. 36. 7. De Susanna autem nominatim dicitur filia Iuda. Dan. 13. 57.

Iesus filius Sirach author libri Ecclesiastici Hierosolymita fuit. Eccli. 50. 29.

Michæas Morasthites huc quoque pertinet. Vide infra n. 53. ann. 2329.

Achias Silonites, qui prędixit Hieroboamo decem partes regni Israëlit. 3. Reg. 11. 29. Epiphan. l. de ort. Proph. ait de hac tribu fuisse.

Sed instar omnium est IESVS-CHRISTVS Dominus noster, & sanctissima eius mater, ac sponsus Iosephus, quorum tamen generationis series à duobus Euangelistis perscripta est. Sed iam redeamus ad institutum.

VII. *Iobi ortus.* QVOD ad Iobi ortum attinet, iuxta ea, quæ probabiliter anno Iacobi 121. disseruimus: eum hoc anno natum apparet, quo idem Iacob 130. agebat, quæ est sen- n. 4. & seq.
tentia Hebræorum in Seder Olam, & Genebr. in Chron. Nec repugnant, qui di- c. 3.
cunt natum anno quo Iacob descendit in Ægyptum, in quibus Pererius, Torniel- c. 36. n. 23.
lus, & alij, quoniam intra illius anni circulum natus esse potuit. Vide diligentissimum Iobi interpretem Pinedam. Notari autem potest diuina prouidentia erga prouinciam Chananæorum, quam tot iam seculis per ordinem illustrari voluit clarissimorum virorum sibi succedentium præsentia, & patrocinio. Antecessit Melchisedech, inde Abraham, Isaac, Iacob; & isto mox in Ægyptum transituro cum suis, suscitat Iobum meritò sanctissimis viris annumerandum, qui eius suppleat vices; donec veniat Moyses cum populo suo, ad id enim ferè tempus ipsius Iobi vita protenditur. Sic & in aliis regionibus, de quibus scriptum non est, diuinam prouidentiam variis modis affuisse ad hominum salutem credendum est.

VIII. *Fames & Iudas alteram vrgent migrationē.* INTERIM autem *fames omnem terram* Chananitidem *vehementer premebat, con-* cap. 43.
sumptisque cibis, quos ex Aegypto detulerant; dixit Iacob ad filios suos, vt reuerterentur in Ægyptum ad emendum iterum triticum. Eam occasionem accepit Iudas ad persuadendum patrem, vt Beniaminum cum fratribus in Ægyptum dimitteret. Fuit autem Iudas in primis idoneus ad id negotium. Nam præ cæteris gratia apud patrem; & autoritate valebat, vt ait Philo, rectiùs quàm Iosephus, vt postea dicemus. Ruben quippe primogenitus violauerat eius thorum, & iam, etiam oppignoratis duobus liberis suis, nihil profecerat. Simeon & Leui vasa iniquitatis bellantia à patre reputabantur, & Simeon aberat. Sequebatur ergo Iudas, in quem paternus se affectus in benedictione filiorum prodidit. Faciliùs er-
go Patri dimissionem Beniamini persuadere potuit adiutus necessitate famis, Gen. 49. 8.
& alterius fratris captiuitate. Respondet ergo Iudas omnium nomine, paratos quidem se ad suscipiendum iter, sed id non solùm irritum, sed etiam

perniciosum fore, nisi Beniaminum secum deducerent: quoniam sic & mandatum proregis Ægypti contempsisse, & se mendaces, atque exploratores fateri viderentur: ex quo etiam sequebatur, sese vt omnes supplicio mactandos offerrent, nedum fratrem vinculis eximerent, aut frumenti coëmendi acciperent potestatem. Dixerat enim Ioseph; *Fratrem vestrum minimum ad me adducite, vt possim vestros probare sermones, & non moriamini.*

DIXIT *eis Israël; In meam hoc fecistis miseriam, vt indicaretis ei, & alium habere vos* IX. *Reluctatur etiamnum senex.*
v. 6. *fratrem.* In Hebræo habetur ad verbum. *Quare hoc malo affecistis me?* non accusat eos, quasi dedita opera affligere voluerint parentem suum, sed imprudentiam reprehendit, ex qua factum sit vt pater dilectissimo filio priuati cogeretur. quem sensum editio vulgata eleganter expressit. At illi etiam imprudentiam purgare moliuntur.
c. 43. 7. *Interrogauit*, inquiunt, *nos homo per ordinem nostram progeniem, si pater viueret, si haberemus fratrem, & nos respondimus ei consequenter, iuxta id quod fuerat sciscitatus. Nunquid scire poteramus quod dicturus esset, adducite fratrem vestrum vobiscum?*

c. 42. NON planè consentanea est hæc oratio illi, quæ in Ægypto apud Iosephum X. *An sibi cõsentiant narrationes fratrum.*
habita refertur. Vera tamen agnoscitur ex iis, quæ postea apud eundem capite quadragesimo quarto recitantur; à quo mendacij argui facilè potuissent, & seuerè castigati. An dicendum est Moysem in prima illa narratione non studuisse exactius puncta singula interrogationum notare? aut si illa accuratè notata, & scripta sunt, an videtur Abulensi assentiendum minimè reformidãti arguere fratres istos mendacij, ad culpam omnem à se apud parentem amoliendam? Certè apud Iosephum mendacium timere non poterant, quod hic interrogationum ordo ac modus, ad rem ipsam parum faceret, & parum fortasse notatus fuisset; & compendio res narraretur. Apud parentem autem valebat, ad imprudentiæ notam ab se auertendam.

DENIQVE ad eripiendum patri timorem alterius filij amittendi, fideiussorem se Iudas offert, pro eo patri restituendo, sub imprecatione reatus perpetui in parentem criminis, siue pœnæ, & exprobrationis. *Mitte*, inquit, *puerum mecum*, nouissimum scilicet filiorum tuorum, nobisque omnibus iuniorẽ, reuera enim puer non erat, qui tertium iam & vigesimum agebat annum, *Vt proficiscamur, & possimus viuere, ne moriamur nos, & paruuli nostri. Ego suscipio*, siue in meam fidem recipio, *puerum, de manu mea require illum; nisi reduxero & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore. Si non intercessisset delatio*, aut vt est in Hebræo, Græco & Chaldæo, *nisi traxissemus moras, iam vice altera venissemus*, & secundam expeditionem peregissemus. Ex quo intelligi potest filiorum modestia, & in patrem reuerentia, qui culpam tarditatis & cunctationis, à parente sene, in quo vna illa residere videbatur, ad se ipsos transferunt. Intelligitur etiam menses aliquot intercurrisse inter vtrámque peregrinationem, & hanc ad adultum iam secundum annum famis pertinere. XI. *Iuda pro dimissione Beniamini ad patrem contentio.*

HIS non tam persuasus, quàm famis necessitate coactus Iacob. *Si sic necesse est*, inquit, *facite quod vultis: sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera, modicum resinæ, & mellis, storacis*, siue aromatum, *stactes*, id est succi tenuissimi arboris myrrhæ, *& terebinthi*, succo scilicet, qui vulgò dicitur tormentina, aut fructu eiusdem arboris, *& amygdalarum*. Hæc munera beneuolentiæ erant ad placandum proregem, qui durius cum ipsis egerat; vt laxaret Simeonem, quem habebat in vinculis, & remitteret Beniaminum, vt sequentia declarant. Illud autem XII. *Expugnatur Iacob, dimittit filium cum muneribus, & pecunia.*
v. 12. & 13. iustitiæ: *Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum*, quæ scilicet necessaria erat præsenti emptioni, & quæ inuenta fuerat in ore saccorum; ne fortè id per imprudentiam famulorum potius, quàm ex Domini liberalitate contigisset. Illud denique necessitatis, *Sed & fratrem vestrum tollite, & ite ad virum. Deus autem meus omnipotens faciat eum vobis placabilem, & remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet; & hunc Beniamin. Ego autem quasi orbatus absque liberis ero.* Nimirum omnibus in præsentia destitutus, & omnibus apud barbarum hominem in magnum vitæ discrimen adductis. Quæ gementis vox, & parentis, & senis valet ad inserendam sollicitudinem filiorum animis pro Beniamino.

v. 15. & 16. TVLERVNT *ergo viri munera, & pecuniam duplicem, & Beniamin, & descenderunt in Ægyptum, & steterunt coram Ioseph. Quos cùm ille vidisset, & Beniamin simul*, non est eos allocutus tunc, variis negotiis, vt par est credere, impeditus; id enim voluit XIII. *Eius filij descendunt secundò in Ægyptũ.*

maiori otio perficere, vt placet Abulensi. Nihilominus ad se vocato dispensatore domus suæ, ei in aurem insusurrat, vt eos domum introducat, instruátque conuiuium. *Quoniam mecum*, inquit, *sunt comesturi meridie.* Fecit ille quod sibi fuerat imperatum, & peregrinos introduxit domum.

XIV. *Vbi perterrefiunt.* AT illi, vt domi se clausos viderunt, & in austeri hominis potestate, exterriti, vt timor est suspicax, existimarunt se propter pecuniam cum tritico secum ablatam, calumniam passuros admissi furti; & pro ficto crimine, vero seruitutis supplicio affectum iri. Nec fuit iudicium temerarium; cùm enim experti essent illum iam satis causæ in ignotis, & innocentibus reperisse, vt omnes pro exploratoribus haberet; omnes triduo, vnum pluribus mensibus haberet in vinculis; potuerunt meritò suspicari excogitatam illam fraudem adstruendam peregrinis calumniam, & se suáque omnia fisco addicenda; *Introducti sumus*, inquiunt, *vt deuoluat in nos calumniam, & violenter subiiciat seruituti & nos & asinos nostros.* v. 18.

XV. *Et purgant se apud œconomum.* ITAQVE quàmprimum rem prout gesta fuerat, dispensatori domus aperiunt. Qui eos consolans ait, *Nolite timere, Deus vester, & Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris.* Ita videlicet à Iosepho didicerat respondendum esse, si quid huiusmodi ab eis referretur ad ipsum. Nisi enim iam totius rei conscius, non esset ausus in re subita inconsulto domino, huiusmodi responsum dare, aut dicere se pecuniam ipsorum recepisse, atque habere apud se. Fideliter ergo subseruit fabulæ, quam dominum suum agere videbat, ex cuius etiam præscripto, non petitum adhuc à fratribus Simeonem ad eos eduxit, qui futurus erat conuiuij particeps, monet de voluntate Domini sui, vt cum eo sub meridiem omnes cibum sumant.

XVI. *Iosephum cum muneribus adorant.* VT tempus aduenit, amico ac domestico accipit hospitio, curat eorum pedes ablui, & simul iumenta curari. 26. & 27. Ipsi autem præparant munera, quæ decenter principi offerant, à quo insperata beneuolentia acciperantur, quæ alioqui ei fuerant nihilominus oblaturi. Ingreditur domum Ioseph. at illi *munera tenentes in manibus suis*, fratrem prono in terram corpore adorauerunt; somniorum veritatem factis ipsis abundè comprobantes. Ille autē clementer resalutatos interrogauit de Patris sospitate, & vterino fratre; super quo amoris teneritudine cōmotus ad lacrymas, [illegible] Philo. in cubiculum interius recepit se, vt fleret semotis arbitris. Ex quo patet, quæ sit vis amoris, ac naturalis affectus in suos, qui duriorem ex proposito animum quamuis repugnantem molliat, & compellat ad lacrymas. *Deus*, inquit, *misereatur tui fili mi: festinauitque, quia commota fuerant viscera eius super fratre suo, & erumpebant lacrymis.*

XVII. *Accipiuntur conuiuio.* ERGO venitur ad epulas: Ioseph seorsim & solus in mensa vna sedet; in altera è regione fratres eius, in tertia Ægyptij alij vocati ad conuiuium. Separatus fuit v. 32. Ioseph honoris causa: Hebræi autem consuetudinis Ægyptiæ, quæ illicitam reddebat mensæ cum Hebræis consuetudinem, quod pastores essent, vt postmodum refertur; & scilicet vesci solerent cibis, qui ipsorum essent numina. Philo in Iosepho scribit, cibos non valde lautos fuisse appositos, quod conuiuatori non liberet vti delicijs in publica penuria.

XVIII. *In quo mirus sedendi ordo.* DVO autem contigerunt hoc loco fratribus quæ admirarentur, alterum quod cum eis Ioseph loca ad considendum assignasset, vnicuique eum locum, casu vt putabant, attribuit, quem ætatis singulorum ordo requirebat. Cùm enim modica esset inter eos ætatis differentia, excepto Beniamino; mirum eis visum est ab homine ignoto ita ordinari potuisse. Addunt Iudæi finxisse Iosephum, se id ex arte augurandi agnouisse. Nam coram se habuisse scyphum, eúmque in singulis ordine euocandis percussisse, & ad primum ictum dixisse, Ruben tu es primogenitus, sede primus. Et ad alterum ictum euocasse Simeonem, vt eum sequeretur, & ita de cæteris. Quod si verum non est, satis saltem concinnè excogitatum est à Rabinis, vt vsum aliquem proferendi mox in scenam scyphi præmitterent, ne is vsque ad extremum fabulæ otiosus fuisse videretur. Sed non vident se superstitiosum facere sanctum Patriarcham; quasi dæmonibus, artium diuinatoriarum interuentu, vel famuletur reipsa, vel famulatum cum scandalo simulet. Nam quod ipse de se mox vltro augurandi praxim fateatur, suo loco declarabitur.

XIX. *Et distributio partium.* ALTERA admirationis causa fuit, quod cùm singula fercula à ministris Iosepho afferrentur, quæ ille ad hospites suos deferri nominatim iuberet. (id enim

ex Hebræo, Græcóque textu clarius elicitur: & honorificentius fuit singula fercula, à magistro conuiuij, ad hospites mitti de mensa sua, quàm à coquo temere, vel pro suo arbitratu distribui,) Animaduersum denique est, quæ ad Beniaminum essent delata, quinque partibus superare ea, quæ vnicuique aliorum data fuissent. Quod illi admirati sunt, nescientes quare huic natu minimo, tantam, præ cæteris beneuolentiæ significationem exhibuisset. Qua in re non prætermittam, quæ habet Demetrius apud Eusebium. *Quæstionem autem mouet*, inquit Eusebius, *cur Ioseph in prandio quincuplas Beniamino partes dederit, cùm tot ille carnes consumere nequiret. Hoc igitur illum fecisse ait, quod pater suus septem liberos ex Lia susceperat, ex Rachele autem matre sua duos. Propterea ergo Beniamino quinque partes dedisse, & ipsum duas accepisse* (malè in Græco μίαν) *vt septem etiam ipsi partes, quot & Liæ filij, haberent. Sic etiam & vestes singulis binas dedisse, Beniamino autem quinque, & trecentos aureos, & tantundem Patri misisse, vt domus ipsius materna par esset.* Hæc ibi, quæ Trapezuntius suo more vertit, sicut Scripturam Iosephus interpretatur.

l. 9 de prep. c. 4. [illegible] Gen. c. 45. 22. Allegoriam vide infra in obitu Beniamini n. 5.

l. 2. ant. c. 3.

XX. *Iosephus male repræsentat orationem.*

NAM fidei eius in Scriptura tractanda, testis satis locuples est illa oratio, quam tribuit ipse Iudæ patrem exorare satagenti, vbi errata cum sententiis penè ex æquo certant. *Cùm in dies*, inquit, *maior necessitas incumberet, & filij rogare non desinerent, adhuc tamen hæsitabat. Tandem Iudas vir natura vehemens, cœpit liberius arguere patrem, quod nimis de fratre sollicitus esset, cui nihil præter voluntatem Dei posset accidere, siue foris, siue domi: se verò in certam perniciem tradi, dum ob inanem de puero curam, vnicum à Pharaothe præsidium adimitur. Habendam etiam rationem Simeonis incolumitatis, ne dum Beniaminum peregrinationi committere cunctantur, interim ille ab Aegyptiis occidatur. Crederet Deo salutem filij; se certè aut illum saluum reducturum, aut illic vnà periturum.*

XXI. *Et quæ in ea peccet.*

HÆC Iudæ tribuit Iosephus, tam præter Scripturæ sententiam, quàm præter
1. debitam patri à bene morato filio reuerentiam. Calumniæ Iosephi sunt, quod Iu-
2. das parentem nimiæ in Beniaminum sollicitudinis accusarit, quod modicæ in
3. Deum fiduciæ reprehenderit; quod neglectus salutis familiæ totius arguerit, ob
4. inanem de puero curam: quod desertionis Simeonis in mortis discrimine versantis insimulauerit. Nihil enim horum Iudas, aut quisquam reliquorum fratrum parenti obiecit, quod ex Scriptura probari possit. Ex qua è contrariò constat tanta eos aduersum Patriarcham vsos modestia, vt ne culpam quidem cunctationis in eum conferrent, nec dicerent, nisi tandiu cunctatus esses, sed, *Nisi intercessisset di-*
5. *latio*, aut, vt est in Hebræo, *nisi tardauissemus*. Denique longè aliud est, nisi reduxero eum, ero peccati reus, &c, aut eum reducam, aut cum illo moriar.

XXII. *Alia eiusdem peccata ante cōuiuium.*

1. IAM quod munera auarius repræsentarit, quod Iacobi ad Deum preces in
2. mutuas vtrinque lacrymas, & integri diei dolorem, quamuis non improbabilem,
3. commutarit, quod domi repertam pecuniam dixerit, quam fratres in diuersorio
repertam professi sunt; quasi minutiora dissimulentur si lubet. Certè illud probari
4. non potest, quod cùm œconomus dixerit, se pecuniam recepisse, & acceptam
habere; Flauius noster, omissa præclara veri Dei confessione, quam homo Ægyptius ab hero suo institutus, faciebat; illum tantùm dixisse referat μηδὲν τοιοῦτον εἰδέναι, *nihil quidquam scire se*, quid scilicet illi pecuniæ factum esset, quod nec respondet
5. textui, nec sollicitos metu liberare poterat. Nec item illud, quod cùm Patriarcha
Beniamino fratri vterino bene precatus dixerit, *Deus misereatur tui, fili mi*, aut, *propitius tibi sit*, vt in omnibus linguis, codicibúsque reperitur. Ipse hoc tantùm effatum dixerit, *Deum* ὅτι πᾶσιν εἴη τοῖς ἀγαθοῖς προεστάτην, *omnibus rebus esse præpositum*; quo nihil frigidius ad lacrymas, quæ tum erumpebant. Quanto elegantius Philo, quantóque vetius. *Apud dispensatorem*, inquit, *excusabant factum, quod nemo accusabat, vt conscientia satisfacerent, simúlque proferebant pecuniam, parati reddere. Ille comiter hortabatur essent bono animo, si quid inuenissent Deo propitio, id eis fraudi non fore, neminem eis inuidere dona Dei; nam hunc impluisse in saccos pecuniam, prouidentem non solùm fami, sed etiam inopiæ.*

XXIII. *Et in conuiuio.*

6. NEQVE rursum illud laudo quod ait, iussos omnes in cōuiuio discūbere, eo quo
solebant apud patrem ordine. Id enim Scriptura non habet, & tollit occasionem admirationis quam illa habet, quámque supra exposuimus, à Iosepho, vt arbitror, non intellectam, alioqui rem visu pulchram, atque auditu elegantem non videtur fuisse omissurus. Ac ne à Philone quidē satis intellectum videtur, in quo sita esset isthæc admiratio. *Iussi enim*, inquit, *sedere iuxta ætatis ordinem, nondum enim discum-*

bendi mos receptus erat, mirabantur quod Aegyptij, non aliter quàm Hebræi, rationem ætatis haberent, in hominibus honorandis. Vides vt aliò retulerit admirationem. Nec illud denique in Iosepho nostro probari potest, quod cùm Scriptura dicat, quinque partes Beniamino contigisse; ipse duplicibus tantùm partibus honoratum dicat. Non enim respexit quid veritas Mosaicæ narrationis ferret, sed quid proprio iudicio conuenientius videretur; cui satius visum est duplum, quam quintuplum tribuere iuniori. Cautius Philo rem subobscuram missam fecit.

XXIV. *Paratur fratribus magnus luctus.* SED redeamus ad Patriarcham parantem fratribus tristitiæ molem ingentem, quæ omnem vini ac conuiuij hilaritatem non multa aqua, sed multo etiam felle, atque absinthio diluat. Nam dum illi ab epulis ad quietem se recipiunt, *Præcepit Ioseph dispensatori domus suæ implere saccos* hospitum suorum frumento, quantum capere possent, & apponi pecuniam singulorum in summitate sacci: scyphum autem suum argenteum, & pretium tritici, quod dederat Beniaminus, in ore sacci eius. Volebat Ioseph experiri, vt passim fatentur interpretes, quo essent animo fratres sui in Beniaminum, in mortis, aut seruitutis periculo deprehensum; & simul hac, pro ipsius capite fortunisque, tristitia luctúque antiquam eorum in Iosephum inuidiam, improbámque tristitiam expiare. c. 44.

XXV. *Et quomodo ipsis insciis.* NEC mirum videri debet aut improbabile nullum fratrum interfuisse, dum mensuratur triticum, dum implentur sacci, dum immittitur pecunia & scyphus. præsertim cùm iam præter expectationem pecuniam cum frumento priori vice reperissent. Nam & proxima hilaritas qua excepti fuerant, nihil mali suspicari patiebatur: experta quoque liberalitas ac fides, qua illis prius admensum fuerat frumentum, suspiciosius agere non sinebat; vel scrutari quid illi facerent. Postremò sentiebant se in manu potentis, atque austeri in speciem hominis esse, cuius nutu omnia fieri non dubitabant: nec audebant tantillam præ se ferre diffidentiam, ne forte illi stomachum magno aliquo malo suo mouerent; scitum enim est, non esse irritandos crabrones.

XXVI. *Læti abeũt.* EXECVTVS est omnia magna cum fide ac prudentia dispensator, intentioni Domini sui diligenter subseruiens; tametsi videbat innocentibus ingentem strui calumniam: sed fortassis etiam ab eodem didicerat, rem vltra metum ac periculum non processuram. Ergo orto mane dimissi sunt cum asinis, atque oneribus suis. Vtique admodum læti quod fratrem accepissent, quod Beniaminum reducerent, quod hilariter, ac peramanter accepti essent: quod gratis prius frumentum accepissent; quod fidem parenti datam liberaturi, quod incredibili eum gaudio cumulaturi essent. Iámque vrbem exierant, & processerant paululum, cùm Ioseph accersito dispensatore domus; *Surge*, inquit, *& persequere viros, & apprehensis dicito, Quare reddidistis malum pro bono? Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet: pessimam rem fecistis.* Sacrilegium quippe, & non nudum furtum admissum erat, modo res veritate niteretur.

XXVII. *Retrahuntur domum cum calũnia, quam repellunt.* ACCELERAT Oeconomus cum armata manu, ad hoc ipsum comparata, ne illi possent, aut auderent vim vi repellere. *Et ecce agmen equitum,* ait Flauius, *repente illos circumuenit, inter quos erat famulus, qui scyphum in sarcinam indiderat. Eos ergo dispensator facile assecutus properè circumfundit armatis, & atrocibus dictis inuadit. Illi tam atroci atque inopinato perculsi nuncio, accusationem tamen vt valde improbabilem humili oratione repellunt. Quare sic loquitur,* inquiunt, *dominus noster, vt serui tui tantum flagitij commiserint? Pecuniam quam inuenimus in summitate saccorum reportauimus ad te de terra Chanaan, & quomodo consequens est vt furati simus de domo domini tui aurum vel argentum?* Quasi dicat. Iniustè nomen, atque improbabiliter crimen auaritiæ intenditur. Nam si maiorem pecuniam quam impunè retinere potuimus, è longinquo reportauimus, vltróque obtulimus; quomodo cum certo mortis, aut infamiæ, aut seruitutis discrimine vas vnum argenteum attingere ausi simus?

XXVIII. *Ex fiducia innocentiæ, reum morti adiudicãt.* SED addunt etiam ex ingenti fiducia innocentiæ; *Apud quemcúnque fuerit inuentum seruorum tuorum quod quæris, moriatur: & nos erimus serui domini nostri.* Multum omnino cedunt de iure suo. Primùm quod ad criminis inuestigationem. Non enim aiunt, quicunque huius criminis conuictus fuerit; sed apud quemcunque inuentus fuerit scyphus: cùm tamen inueniri posset apud innocentem, vt reuera contigit. Deinde quod cùm eum vnum, qui reus esset inuentus, pœnam ferre par c. 44. 9.

esset, non dubitant vniuersos, quamuis innocentes offerre supplicio. Tertio quod reo longè maiorẽ, quàm pro facinore pœnam assignant; non enim solet furtũ passim capite plecti, aut diuino, aut humano iure. Hic Procurator ita sententiã reorum approbat, vt multum mitiget: tum quia vult eum vnũ, qui in crimine deprehensus fuerit pœnas dare, nec in caput innocentium redundare facinus alienum: tum quia non mortis, sed seruitutis tantùm pœna plecti vult furem.

v.11. ITAQVE *festinatò deponentes in terrã saccos, aperuerũt singuli; quos scrutatus, incipiẽs à maiore vsq; ad minimũ, inuenit scyphũ in sacco Beniamin.* Palã videlicet, atq; ordine in oculis dispensatoris saccos aperiebant singuli, ne putarentur interim subduxisse furtũ. Ordinẽ autẽ ætatis notat ex ordine sedẽdi, quẽ pridiè in mensa seruauerãt; eũque ordinẽ seruare voluit, quia, vt notat Abul. maior in maiorib. malitia præsumitur, quã in minorib.; & sic melius latẽr insidiæ structæ Beniamino. Addit Flauius, *Itaq; cæteri iã securi de se, de vno Beniamino adhuc nonnihil erant solliciti, sperabãt tamẽ ne ipsũ quidẽ in maleficio deprehendendũ: adeo vt iam liberius indignarẽtur persecutoribus, per quorũ importunitatẽ, stetisset, ne bonã partem itineris iam confectã haberent.* Nulla porrò mentio fit pecuniæ, quæ iterum posita fuerat in ore saccorum. Putauerunt fortasse verum esse, quod eis pridie à dispẽsatore dictũ fuerat. *Deus vester, & Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris.* Sed maior animi motus hunc minorem oppressit. | XXIX. *Deprehenditur in furto Beniamin.*

c.44.13. SCISSIS *vestibus* præ animi dolore, ac cõfessione probrosi criminis, in quo deprẽhensi videbãtur, *oneratis rursũ asinis reuersi sunt in oppidũ; non tã fratris cupiditatẽ suspectã habentes, quã externas insidias,* vt ait Philo. Rabbi porro Salomon, vt refert Abulẽsis, existimat fratres Beniamini malè eum verbis, verberibúsq; mulctasse, furem, & filiũ furis, Rachelis scilicet, quæ furata fuerat Deos patris sui, appellãdo, cædendo colaphis, vellendo cæsariẽ: aliísq; id genus contumeliis affecisse. quod non caret probab[illegible], si crediderunt cum huic culpæ affinẽ. Non credidisse tamen Philo significa[illegible]cet propter probationis euidentiã, eam nunquã negarint. Ergo ad ciuitatem reuersi sunt omnes. In eóque experientia didicit Ioseph, quod quærebat. Vtrum scilicet fratres cæteri relicturi essent Beniaminum in potestate Procuratoris, & sine eo discessuri ad patrem, an verò omni studio pro eius liberatione
l.2.ant.c.3. pugnaturi, vti factum est. quod notauit etiam Iosephus. | XXX. *Reditur in oppidum.*

PRIMVS *Iudas,* qui Beniaminũ in suam receperat fidẽ, & constantior erat, atque animosior cæteris, *cũ fratribus ingressus est ad Ioseph, necdũ enim de loco*, ex quo dispensatorẽ dimiserat, ad comprehendendos fratres *abierat*, de more in palatium ad regem, expectans reditum eorum, nec vltra differre volens agnitionem sui, *omnésque ante eum pariter in terram corruerunt*, siue postulantes veniam, siue se eius arbitrio ad pœnam offerentes, & ingentem animi consternationem ipso silentio demonstran-
l.de Ioseph. tes. *Tum ad regionis [illegible]fectum adducti*, inquit Philo, *verè fraternam pietatem proferunt. accidentes enim vni[illegible]si ad illius genua, quasi omnes furti conuicti, miserabile dictu, diffluebant lacrymis, supplicabant, seipsos offerebant,* &c. | XXXI. *Iudas cum fratribus Iosephum adit.*

NIHILOMINVS Ioseph vultu ac voce ad seueritatem cõpositis, *Cur sic,* inquit, *agere voluistis? an ignoratis quod nõ sit similis mei in augurandi scientia?* Ex qua scilicet facilè mihi fuit deprehẽdere furtũ, quod vos occultũ fore suspicabamini. Loquitur autem ex Ægyptiorum opinione, quibus persuasum erat eum non diuino afflatu, sed arte magica, ac diuinatoria exposuisse somnia, ac prospexisse futura, eodémque modo agnouisse cuiúsque ipsorum ætatẽ, cis in conuiuio disponendis, & nũc
q.145. furti authores cognouisse. D. August. in quæst. in Genesim, negat hoc loco dictũ fuisse à Iosepho mendacium, vt qui non serio, sed ioco, id est ironicè loqueretur; & tamen eum mendacij arguit Abulensis, ex intentione sancti Augustini. | XXXII. *Quos ille increpat.*

c.44.16. CVI *Iudas, Quid respondebimus,* inquit, *domino meo, vel quid loquemur, aut iustè poterimus obtendere? Deus inuenit iniquitatẽ seruorum tuorũ. En omnes serui sumus domini mei, & nos, & apud quẽ deprehensus est scyphus.* Significat Deũ vltorẽ esse peccati in fratrẽ suũ admissi, proptereaq; nunc in hasce angustias esse redactos. Itaque non sua peccata in genere accusant, sed certum quoddam, ac singulare peccatum. Efficax autem omnino fuit hæc oratio ad veniam, etiam in vero crimine, obtinendam, quæ nihil negat, nihil excusat, sed agnoscit crimen, & se suósque vltro addicit seruituti. | XXXIII. *Oratio Iudæ pro Beniamino.* | XXXIV. *Quæ eius probarent innocentiã.*

r. CVM tamen non deessent coniecturæ, quibus innocentia rei probaretur. Nã impleti fuerãt sacci frumento, & ligati ipsis absentib., imo & dormientib., vt ait Iose-

phus, ex magna in omnes domesticos fiducia, ex qua neq; abeũtes quidquã explorare voluerãt. Deinde quia incredibile videatur, sicut paulò antè apud dispẽsatorẽ disputarant, eos qui pecuniã, quã tuto retinere potuerant, fideliter restituendã putarant, scyphũ, qui specie ipsa, & forma sua fures sẽper coarguere posset, abstulisse: præsertim cũ stimulante fame, ad eũ ipsũ in quẽ tã probrosum, tamq; ingratũ facinus admisissẽt, necessario redeũdũ esset, & serius ocyus criminis pœna subeũda. 2.

Dici etiam potuisset ab iis videri ingestũ scyphum in saccũ, à quibus pecunia, quã pridie emendo frumento dederant, fuerat restituta, quæ insciis ipsis iterum reperta fuerat in ore saccorum. Denique à pari vtilissimè argumentari potuissent, si quid fortè de Iosephi carcere inaudierant, fieri posse vt aliquis in manifestissimo crimine deprehẽsus videatur, à quo tamẽ planè sit immunis. Posse enim cõtingere, vt castus aliquis iuuenis à procaci aliqua, sed in speciẽ honesta matrona intentati flagitij accusetur, & scelus minimè dubiis indiciis probari videatur, cuius tamẽ ille sit innocẽs; ista ambiti sceleris culpa teneatur. Verũ his, aliisq; omnibus omissis, ad diuinã prouidentiam culparum vindicem confugiunt, quæ antiquum aliquod ipsorũ peccatũ, ignoti sceleris infamia, ac pœna castigare velit; cuius decreto submittentes sese, vltro se omnes addicunt seruituti, libertate, patria, parente, fortunis omnibus, in expiationem prætensi criminis, euertendi, atque expoliandi. 3. 4.

XXXV. *Dissimulãtem adhuc Iosephum Iudas vrget vehementissimè ad misericordiam.*

AT *Ioseph, absit à me,* inquit, *vt sic agã, qui furatus est scyphũ ipse sit seruus meus, vos autem abite liberi ad patrẽ vestrũ.* Sicque iterũ probat fratrũ pro Beniam. sollicitudinẽ; ideò enim hoc retento faciebat omnib. abeundi potestatẽ, ad patrẽmq; redeũdi. Quod Iudas arripuit ad vehementẽ motũ ex persona patris optimi, ætateq; confecti concitandũ, quẽ opinione sua multo vehementiorẽ inferebat. Et in summa eò fertur tota hæc eius oratio, quæ repetita superiorũ narratione cõstat, vt ostẽdat Beniam. retentionẽ, propter tenerũ Patris in eũ amorem, seni, qui nullo mod[illegible] affinis est culpæ, perniciẽ allaturã. Ideóq; orat vt eius loco ipsemet addicatu[illegible]eruituti, qui eũ in suã receperit fidem. Plena est suauissimis motibus oratio, & ad cõmiserationem magis, quã ad exactissimã veritatis rationem cõpositis. Nam oratores nõ tã ad veritatem rei, quàm ad causæ suæ vtilitatem narrare solent. Quin & singulæ pene voces, emphasim habent, & animi demissionẽ spirant; quæ virtus potentissima est ad quantumuis exulceratos dolore animos, ad mollitudinem traducẽdos. Quid illa, *cuius vterinus frater mortuus est,* &c, *Ipsum solùm habet mater sua;* id est haberet, si viueret. Nam & ille præter opinionem viuebat, & hæc mortua erat in partu eiusdem. Et rursus valde vrget ille motus, *Pater verò tenerè diligit eum.* Et, *non potest puer relinquere patrem suum, si enim illum dimiserit morietur,* quanto magis si audierit retentum in posterum, & perpetuæ addictum seruituti. Vide D. August. q. 147. in Gen. v. 20. 21. 22.

XXXVI. *Inopinata culpæ confessio.*

QVIN illa confessio, & ante duos & viginti annos vsurpata[illegible]excusationis euulgatio, apud illum ipsum, quem vnũ maximè celare voluissent, [illegible]uali & quanto eũ sensu in Iosephi animum illapsa est? *Vos scitis quod duos mihi genuerit vxor mea,* (hæc quippe primaria Iacobi vxor fuit, & sola ab ipso quæsita,) *Egressus est vnus, & dixistis, Bestia deuorauit eum, & hucúsque non comparet; si tuleritis & istum, & aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos.* Non dixerant fratres Iosephi, feram pessimam deuorasse Ioseph; sed pater ipse, ideóque in Hebræo hoc loco est, *de quo dixi.* Verùm illi tunicam eius dilaceratam & tinctam sanguine ostendentes, id prius non verbo, sed facto dixerunt. v. 27. 28. 29. vt patet c. 37. 33.

XXXVII. *Ambit seruitutem Iudas in gratiam patris.*

VALDE quoq. mota est illa vox, & ad intentionem Iosephi mirum in modũ, licet ab ignorante composita: *Ego propriè seruus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens, nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore.* Vbi videtur hoc argumentũ latere. Si reus est peccati, qui inuitus, & sine culpa non stat promissis, quanto magis is, qui volũtate sua causa est violatæ fidei, & pietatis in parentem? latet etiam alterũ ab vtilitate petitũ, quod ipse Iudas ætate matura sit futurus vtilior seruitati, ideóq; nõ otiose pueri nomẽ hic sępius iteratur. *Manebo itaq. seruus tuus pro puero in ministerio domini mei: & puer ascendat cũ fratribus suis,* quem Philo quoq. vocat ἢ νήπιον, ἢ πραγμάτων ἄπειρον, vt scilicet & facilius reputaretur innocẽs & quasi parũ vtilis, libentius dimitteretur, etsi is annum iam secundum ac vigesimum exegerat[1]. Sed eminet etiam hoc loco exemplum egregium pietatis filij in parentem, qui eius dolorem ac lacrymas, exilio proprio antetulerit, ac seruituti. v. 32. l. 1. de Ioseph. 3. x.

POSTREMÒ infigit iterum validius telum illud gratiosissimum, à filij in parē- XXXVIII. *Conclusio violenta.*
tem pietate peritum. *Non enim possum redire ad patrem meum, ne calamitatis, quæ oppres-*
sura est patrem meum testis assistam. Quæ sine dubio, vt Flauius quoque significat, sup-
plicum more, cum lacrymis, & singultibus, & communi fratrum omnium, præ-
sertim Beniamini, comploratione dicebantur; accedebant discissæ vestes, & ge-
stus maximè miserabilis, iuxta illud, *Omnes ante eum pariter in terram corruerunt.* Io-
sephi genua prostrati complectebantur, terram capitibus, manibus pectora ferie-
bant, agebant denique quæcúnque suggerit desperationi proximus dolor. Vt mi-
nimè mirum sit quod sequitur; *Non potuisse vltra Iosephum cohibere sese,* quando lecto-
res, ad quos res non pertinet, ex philanthropia lacrymas tenero vix possunt, sed
saxeis etiam pectoribus, vt ait Rupertus, *lacrymas, gemitúmque eliciunt.*

1. ET hæc quidē mutuā agnitionem antecesserunt. In quibus Flauius noster omni XXXIX *Alia errata Flauij.*
σῖτον ἀυτοῖς δοῦναι μεμετρημένον. culpa non vacat [1], quod frumentū admensum fuisse dicat, vtiq; præter Scripturæ
mentem, in qua perspicuè habetur iussum dispensatorem implere saccos quantū
capere possent, quod habet etiā Philo, κελεύει τὰ ἀγγεῖα γεμίσαι σίτου. Deinde quod
2. dispensatorē hunc virum honestū, prudentem ac fidelem, & cui Iosephus maximè
fidat, in ministrū mensæ famolum conuertat, ab eo absconditum scyphum, ab eo
3. facinus contumeliosè improperatū dicat. Quod Israëlitas illi conuitiatos fingat,
& hominis intemperiē demiratos. Num hæc conuitiantis, aut deridentis verba
sunt? *Quare sic loquitur dominus noster, vt serui tui tantum flagitij admiserint,* num hæc
vilem mensæ famulum compellat oratio? Quod si tacuisset Moses, qui crederet
in isto inopinato metu, tantóque mortis periculo, vel seruitutis, ausos χλευασθῆ-
ludificari scurrilitas. ναι, aut κουφολογίας accusare quempiam domesticorū offensi, ac violenti principis?
4. ADDIT Beniam. contrusum in carcerē, neque Scripturæ veritate, neq; probabi- XL. *Male conijcit Beniaminum in carcerem, &c.*
litate rationis innixus. Fratrē scilicet longè dilectissimū, & planè innoxium detru-
sisset in carcerē, quem haud dubiè dolebat etiam cōmunis tristitiæ fieri participē.
Non enim par erat causa Simeonis, & cæterorū. Itaque eum quem in vincula ma-
5. lè coniecerat, etiā liberare postmodū oblitus est. Denique tota penè Iudæ oratio
in re tam seria, quāq; Scriptura tam seruidam repræsentat, pérquam frigida est, vt
non sine causa Del Rio aliquid circa decorū in eius declamatione desideret. tota
ab Scripturæ stylo, atque argumentis aliena. Aliqua si collibitam fuerat Iosepho di-
scedere, aliqua pars longioris orationis in probanda obiter, & quasi præter institu-
c.45. tum reorum innocentia non ineptè collocari potuisset.

NON *se poterat vltra cohibere Ioseph, multis coram astantibus,* qui scilicet ad noui cri- XLI. *Mutua fratrum agnitio.*
minis accusationem confluxerant: *Vnde præcepit vt egrederentur cuncti foras, & nullus*
interesset alienus agnitioni mutuæ. Adhuc enim fuerat non mutua, ex parte scilicet so-
lius Ioseph. Exclusit autem ab eo loco domesticos, non quod nollet ab iis sciri eos
esse fratres suos, id enim mox publicè professus est: sed quod eos nollet habere
spectatores lacrymarū suarū; neque testes secreti criminis de plagiara venditione
sui. Digressis omnibus Ægyptiis, & ad fores, vt fit auscultantibus, *Eleuauit vocem*
cum fletu, quam audierunt Ægyptij, & peruolante mox fama, *domus omnis Pharaonis.*
Et dixit fratribus suis, Ego sum Ioseph, adhuc pater meus viuit? Hæc ille Hebræa voce, &
sine interprete ad maiorem fidem.

QVÆ vox etsi omnes perturbationem fluctus sedare, omnes tenebras sua luce XLII. *Et multa ex perturbatio.*
dispellere poterat, attonitos tamen, & quasi stupore defixos ex insperato reddidit,
v.3. vt ne hiscere quidem in conspectu eius potuerint. *Nec poterant,* inquit Moses, *res-*
pondere fratres nimio terrore perterriti. Elingues reddebant varij animorum motus in-
ter se concursantes, ac quasi ventorum flabra confligentes. Abibat timor, confu-
sio, tristitia, desperatio. Irruebat admiratio, pudor nouus, spes, gaudium: præpō-
derabat tamen timor, cuius propterea nominatim fit mentio, ex conscientia vide-
licet facinoris in venditione perpetrati; quod cùm non dubitarent graui supplicio
dignum: & sese in eius potestate cernerent, in quem tam grauiter deliquissent, ti-
morem ex calumnia falsi criminis, in metum supplicij pro veriore, grauioréque
flagitio commutabant: idque mox actum iri formidabant, vt furtum poculi, in
crimen plagij verteretur.

ET timori, qui vehementius, quā cæteræ perturbationes, animos fratrū succus- XLIII. *Quam mitigat Ioseph.*
v.4.&5. sabant, sapienter medicinā facit Patriarcha, nā *clementer, accedite quæso, inquit, ad me,*

Nec ſufficiebat lenitas verborum, interiori vlceri quam primùm proſpiciendum fuit. *Et cùm acceſſiſſent prope*, neque enim volebat exaudiri neceſſariam admiſſi quõdam aduerſum ſe criminis manifeſtationem. *Ego ſum, ait, Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Aegyptum*, abducendum ſcilicet, longè à patris, ac familiarium cõſpectu, atque auribus. *Nolite pauere, neq; vobis durum eſſe videatur quod vendidiſtis me in his regionibus*, vt ſcilicet in iis quoquo modo perirem: *pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Aegyptum*. Idonea vtique conſolatio, ex eo quod diuinæ prouidentiæ ſubſeruierint, eorum peccatum in magnum bonum conuertenti. Sicut enim peccatorem valde contriſtat graue aliquod damnum ex peccato emergens; ita & cõſolatur bonum inde ex diuina ſapientia & bonitate elicitum, vt quantum de peccato ſuo dolent, tantùm admirabile Dei conſilium admirentur, & prædicent. 70. χλαι[...] *Vide infrà n. 61.*

XLIV. *Declaratque eis diuinum conſilium.*

Id cõſilium declarat vberius, *Biennium eſt enim*, inquit, *quod cœpit fames eſſe in terra*, quo ſcilicet vtrúque frumentum à me accepiſtis in remedium famis; ſub finẽ ſcilicet primi anni, & ſub finem ſecundi, quo hæc apparet contigiſſe, cùm iã duæ arationes irritæ, duæ meſſes inanes abiiſſent: nam ſubdit, *Et adhuc quinque anni reſtant in quibus nec arari poterit nec meti*; propter ſoli ſiccitatem exceptum ſemen non fouẽtis, ſed conſumentis potius, quàm multiplicantis. *Præmiſitque me Deus vt reſeruemini ſuper terram, & eſcas ad viuendum habere poſſitis*. Nec his contentus Ioſeph, idẽ Dei conſilium tertio inculcat. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum, qui fecit me quaſi patrem Pharaonis*, quem nutrirem vt filium pater, à quo honorarer quaſi à filio pater, *& dominum vniuerſæ domus eius, ac principem in omni terra Aegypti*, vt mihi quaſi alteri Pharaoni obtemperent. v. 7 & 8. *Vide ſupra an mund. 2319 n. 25. & 24.*

XLV. *Quàm peſſimè Caluinus interpretatur.*

IN hoc porro Dei cõſilio explicãdo, ſolutis modeſtiæ ac pietatis habenis Caluin. excurrit, quæ patiere mi lector breuiſſimè attingi ac refelli, ne diſſimulatio, bonæ cauſæ confeſſio videatur. *Pudet*, inquit, *bonos viros fateri, non niſi volente Deo fieri, quidquid ſuſcipiunt homines*. Et rectè, inquam, pudet, ſi boni viri ſunt, à quibus cũ tu lõgè diſſentias, iure te ipſe à bonorũ albo impudẽs ſegregas, atq; excludis. Quare autem pudet? *Ne ſtatim*, inquit, *obſtrepant effrenes linguæ, vel Deum eſſe peccati authorẽ, vel non eſſe vertendum impiis hominibus vitio, quod Dei conſilium exequuntur*. Et ſanè merito, inquam, ac conſequenter obſtrepunt; ſed tu eis ad blaſphemiã prior ora ſoluiſti. *in comm. in Geneſ. quæ habet etiam Marlor.*

XLVI. *Qui & refellitur.*

NAM cũ voluntate peccetur, nec poſſit volũtas peccati eſſe niſi mala & peccatrix, ſi Dei vt ais voluntate fit quidquid homines ſuſcipiunt, certè cũ facinus aliquod ſuſcipiunt, Dei voluntate ſuſcipiunt, & conſequenter Dei voluntas mala eſt, atq. peccatrix, & ipſe peccator ac reus. Cũ autem homines Deo obtẽperare teneãtur, eiúſq; voluntatẽ exequi ſi poſſint, ſi non poſſint, optare certè, atq; ex Domini præſcripto dicere, fiat voluntas tua: malè eis vitio vertitur feciſſe, quod ipſos facere oportebat. Noſtrum eſt ergo dicere non tuum, *Etiam ſi refelli non poſſet ſacrilegus ille furor, nobis ſufficiat eum deteſtari*. Quid enim cauſæ afferre poſſis, quo minus furioſum te fatearis, atque ſacrilegum, modíſque omnibus deteſtabilem, qui aſſeras Deum velle, & non ſolùm permittere, quidquid homines machinentur.

XLVII. *Malè impugnat diuinam peccati permiſſionem.*

NAM *boni viri*, inquit, (catholici videlicet, à quorũ caſtris perfidè transfugiſti,) *qui Dei iuſtitiam exponere verentur impiorum calũniis, ad diſtinctionem illã confugiunt, quod Deus alia fieri velit, alia permittat*. At tu, inquam, qui neque es in bonis viris, quibus id nomen ſine ironia conuenit, neque Dei iuſtitiam impiorum calumniis vereris exponere, ſanam eorum doctrinam refellere conaris. *Quaſi verò*, inquis, *ipſo ceſſante quiduis agendi libertas ſit penes homines*. Reſpondebunt tibi boni illi viri, quorũ tu ne pilum quidem retinuiſti. Ceſſante prima cauſa ceſſare ſecundas omnes, ſiue liberè agant, ſiue neceſſariò, quod ad ſubſtantiã operis, vt loquuntur: ad quã prima cauſa iuxta ordinem rebus præfixũ omnino concurrit. Extra quã operis ſubſtantiam in cauſis liberis contingit defectus finis, loci, tẽporis, circunſtantiarũ deniq; quo fit vt quod naturaliter bonũ eſt, aut indifferens, moraliter malum fiat & peccatum. Nempe à facultate motrice animalis eſt progreſſio, à nerui defectu claudicatio.

XLVIII. *Nec eum iuuat hiſtoria Ioſephi.*

NEC te iuuat noſtra Ioſephi hiſtoria. *Si tantũ*, inquit, *paſſus eſſet Ioſephũ in Aegyptum deduci, non eum ordinaſſet ſalutis miniſtrum patri Iacob & filiis eius, quod nũc ei diſertè tribuitur*. At quis non videt deductionẽ illã, ſiue profectionẽ nudè ſpectari poſſe, vt iter eſt adoleſcentis ingenui; aut prout cum plagiaria fraude cõiuncta eſt. Deus illi itineri cooperatus eſt, nõ iſti furto. Vtróq; autẽ poſito, ſiue prouiſo, ſuperuenit

diuina sapientia, quæ rem malam ordinat in bonum finem, puta venditionem plagiariam, in vendentium non perniciem meritam, sed improuisam salutem. Sicut Iudæorum scelus in Christum, in redemptionem generis humani, à diuina sapientia, ac bonitate ordinatum est. Facessat ergo non solùm inane commentum, sed impura etiam blasphemia tua, quasi Dei non tantùm permissu, sed consiliu etiam, & voluntate mala fiant; quæ ipse postea in bonum finem conuertit. Venditus fuit Ioseph à fratribus, quia perditum quouis modo, extinctúmque volebant; id Dominus fieri passus est, nec impediuit cum facilè posset, sed prouisum id scelus ita tractauit, vt ex eo conseruationem totius domus Iacob eliceret.

XLIX. *Deus non vult opus malum, ad bonū finem.*

Rom. 3. 8. — hom. 64.

ET falsum est quod iste putat, ac multis deblaterat, tam Deum quàm homines malos idem opus malum velle, sed diuerso fine, bono Deum, homines malo. Falsum inquam est, quia iuxta doctrinam Apostoli, non sunt facienda mala, sed neque volenda, vt eueniant bona. quæ enim natura sua mala sunt, aut peccata, ex fine bono emendari non possunt, nisi velis naturam rei alicuius mutari, reipsa permanente, quod fieri non potest. Denique effectus boni peccator est causa per accidens, vt fossio inuentionis thesauri, Deus autem causa per se, quod videtur significare Chrysost. *Ita*, inquit, *non tam vestræ erga me ascribenda sunt iniquitati* (quorum ex accidente, & aliud agendo causa fuistis) *quam diuinæ sapientiæ & ineffabili misericordiæ, vt huc adueniens, nunc tempestiuè & vobis, & toti huic regioni possim suppeditare alimenta.* Sed de his hactenus; nam festinandum est; id iubet is, quem Deus fecit principem in omni terra Ægypti.

L. *Ioseph euocat in Ægyptum patrem suum cum suis.*

Gen. 45. 9. — 4. X. — ἐν γῇ Γεσὲμ Ἀραβίας. — c. 45. 10.

FESTINATE, inquit, *& ascendite ad patrem meum, & dicetis. Hæc mandat*, id est nunciat, & rogat *filius tuus Ioseph. Deus fecit me Dominum vniuersæ terræ Aegypti; descende ad me, ne moreris, & habitabis in terra Gessen*; id est in terra ad pecorum pastum cōmodissima. Ea in extrema Ægypto est, & habet ab Occidēte septem ostia Nili, ab ortu rubrum mare, siue sinum Arabicum, à Septentrione Arabiam, vnde nata videtur illa lectio, quæ extat in Septuaginta interpretibus, & apud Hieronymum in trad. vbi legitur *Gosen Arabiæ*; quæ vox, vt idem ait, adiectitia est, vt quæ in Hebræis voluminibus non reperiatur. Addit & aliam causam Ioseph efficaciorem, ad pelliciendum Iacobum in Ægyptum. *Erisque iuxta me tu, & filij tui, & filij filiorum tuorum, oues tuæ, & armenta tua, & vniuersa quæ possides*: vtpote non remigraturus in terram Chanaan. Et ne cunctetur, quasi fames in exitu sit, nunciari etiam vult quinque annos famis adhuc superesse, qua vrgente fieri possit, vt & ipse pereat, & omnia quæ possidet; si videlicet visum esset Pharaoni, non vltra frumenta alienigenis, sed solis incolis Ægypti vendere.

LI. *Confirmat veritatem personæ suæ, & reconciliationem.*

v. 12.

QVONIAM verò oportebat quam maximè persuasos esse fratres suos de veritate personæ suæ, vt idem patri non solùm nunciarent, sed etiam persuaderent; ad idem confirmandum redit. *En oculi vestri*, inquit, *& oculi fratris mei Beniamin vident, quòd os meum loquatur ad vos*, patria scilicet lingua, & absque vllo interprete, vt nuper. Quod argumentum vt satis firmum sit, ponendum est Ægyptios Hebræorum linguam minimè calluisse. Nec mirum cum illa paucorum esset duntaxat, & aduenarum in Chananitide. Addit & alterum argumentum, ex demonstratione naturalis affectus in consanguineos. Omnes enim amplexatur, initio ducto ab eo, qui erat omnium charissimus, omnes osculatur & plorat super singulos; simúlque isto quasi pignore iniuriarū obliuionem, & verā reconciliationem cōfirmat. Post quæ ausi sunt loqui ad eū, deposito timore, quem fraterna charitas pepulit foras.

LII. *Euocatur Iacob ab ipso Pharaone.*

v. 16. — in 1. de Ioseph. — v. 18. 19.

HÆC dum Iosephum inter & fratres in cubiculo geruntur, *Auditum est, & celebri sermone vulgatum in aula regis, venerunt fratres Ioseph. Et gauisus est Pharao, atque omnis familia eius.* Secutáq. sunt conuiuia, optimatibus Ægypti eos conuiuiis, & publica gratulatione excipientibus, vt ait Flauius, & Philo. Iosephi quippe virtus eximia illos reddiderat amore dignos. Itaque non dissimili amore incitatus, quæ iam mādauerat, ac promiserat fratrib. suis Ioseph, inculcat Pharao, & suo nomine nūciari præcipit, ac promitti. Et quidem cumulatius. *Nam venite*, inquit, *ad me, & ego dabo vobis omnia bona Aegypti, vt comedatis medullam terræ*, siue, vt est in Hebræo, *dabo vobis bonum terræ Aegypti*, id est optimam ac fertilissimam terræ partem. Præcipit etiam Rex vt tollant plaustra de terra Ægypti, ad subuectionem paruulorum suorum, ac coniugum, totiúsque supellectilis.

LIII. *Ioséphi liberalitas in suos.*

Ex cuius imperio dedit Ioseph fratribus suis plaustra, & cibaria in itinere, præter frumentum, quo iam onerata erant iumenta, vt illic aliquãdiu, dum profectionem adornant, viuere possent, & amicos iuuare, & superflua pretio distrahere, singulis quoque iussit proferri binas stolas, vnam viliorem, quam domi ferrent, alterom pretiosiorem, qua in publicum prodirent amicti, vt ait Abulensis, & Del Rio. *Beniamin verò*, quem singulariter amabat, & ad modicum immerentem contristarat, *dedit trecentos argenteos, cum quinque stolis optimis*[5]; cuius pecuniæ valorem seorsim referemus[6]. Verùm non hic liberalitatis Iosephi finis: neque enim oportebat boni senis obliuisci; *Tantumdem enim pecuniæ, & vestium misit patri suo*, quantum scilicet dederat Beniamino, addens & *asinos decem, qui subueherent ex omnibus diuitiis Aegypti, & totidem asinas triticum in itinere, panésque portantes*[7]. 5. x. 6. x. 7. x.

LVI. *Et dimissio fratrum.*

Dimisit *ergo fratres suos, & proficiscentibus ait, Ne irascamini in via.* Irã prohibet, ne inde rixæ inter ipsos, contentionésque nascantur; altero nimirum alterum de venditione Iosephi fratris accusante; nec sanè insolens est, vt inter longinqui itineris socios, nonnulli emicent irarum motus. *Vide mentem optimis moribus præditam*, ait Chrysost. *non solùm ipse dimisit iram, & à criminibus liberauit, sed & ipsos admonet ne irascantur in via, neque inter se de factis contendant.* hom. 64. *Qui ascendentes ex Aegypto venerunt in terram Chanaan, ad patrem suum Iacob. Et nunciauerunt ei dicentes, Ioseph filius tuus viuit, & ipse dominatur in omni terra Aegypti.* v. 25. & 26.

LV. *Iacobi status ad inopinatum nuncium.*

Qvo *audito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis.* Et meritò. Cùm enim de eo prius mentiti fuissent, hoc tempore vera dicentes non merebantur fidem, vt significat D. Chrysost. *Obstupuit animo Iacob*, vt habent Septuag. vel vt Hebræi, *debilitatum est cor eius*; significando tantùm non passum esse deliquium, in tam inexpectato nuncio. hom. 65. Luctabantur in animo eius gaudium nouum, cum inueterata tristitia, seséque mutuo protrudebant: & fides cum diffidentia & admiratione pugnabant; quia ipsi omnes vna ex parte, cùm idem vno ore affirmarent fidem mereri videbantur, & tamen non credebat eis, veritus ne ex composito ad eum consolandum id afferrent ex Ægypto. In medio igitur hoc agone senex animo propemodum linquebatur, nec habebat quid diceret, aut responderet. Itaque illi ad fidem faciendam versi, *referebant omnem ordinem rei*. Habetur in Hebræo & Græco. *Narrauerunt ei omnia verba Ioseph, quæ locutus fuerat ad eos.* id est quidquid in eos fecerat Ioseph, & quæcunque eos nunciare iusserat. Quæ quia cum antecedentibus cohærebant, illa quoque narrata oportuit. Itaque rectè S. Hieron. ait eos retulisse omnẽ ordinem rei, ab ipsa scilicet venditione, vsque ad postremum ex Ægypto digressum. In qua narratione multa erant, quæ Iacob ignorabat, venditio scilicet, & tredecim annorum seruitus, & carcer, & expositio somniorũ, &c.

LVI. *Denique credit, eumque adire statuit.*

Dvm autem hæc narrantur, & per vniuersam Iacobi familiam latè funditur lætissima illa vox. *Ioseph viuit, & ipse dominatur in omni terra Aegypti*, appulerunt currus, & plaustra, & asini cum muneribus, quæ famuli ductabant. v. 26. Nam fratres aliquantulum antecesserant. Quæ cùm vidisset Iacob, fidem denique adhibuit filiis suis, & omni dubitatione summota *reuixit spiritus eius*, qui elanguerat in tam inopinato nuncio. Nisi placet hoc referre ad totum tempus, quo mortuum luxit Iosephum, quo propior mortuo videbatur, quàm viuo: quo modo videtur intellexisse Chrysost. *Senex*, inquit, *præ tristitia, vt lucerna deficiente oleo, iam extingui videbatur, noluit enim consolationem accipere, dicens, descendam lugens in infernum; vbi autem cognouit quod viueret filius, & quod dominaretur in tota Aegypto, & vidit plaustra redaccensus est: & iuuenis ex sene factus, deposuit mœroris nebulam, dispulit cogitationum tempestatem, tranquillus postea fuit. Et ait, Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus viuit, vadam & videbo illum antequam moriar.* hom. 65. Non sperat se diu victurum cum eo: sed huius laboris, nouæ, inquam, in Ægyptum peregrinationis, fructum satis amplum putat, videre filium suum, paratus deinde quamprimum mori.

LVII. *Indecora Flauij declamatio.*

Circa hoc quadragesimum quintum cap. Genes. quo agnitio Iosephi continetur, de nonnullis in historia Flauij monendus est lector. Primò, quod eo tempore frigidè declamantem Patriarcham induxit, quo ille ex magno animi æstu *non poterat vltra se continere*; sed, medias inter lacrymas, eam tantùm vocem cum clamore profudit. *Ego sum Ioseph: adhuc pater meus viuit?* Quod decorum multò sapientius vidit, & obseruauit Philo in hoc loco, vt conferenti patet. in l. de Ioseph.

LVIII. *Patriarchā videtur Caluinistā facere, aut Manichæū.*

SECVNDÒ, quod eundem videtur facere Caluinistā, malitiam fratrum in Dei voluntatem deriuando, si quidem interpretem audire placet, non sine causa suspectū furfuris Caluiniani. *Ne illud quidē*, inquit, *in me cōmissum vestræ naturæ imputare libet, sed Dei potius voluntati totum ascribo.* Atqui quod cōmissum est à fratribus, graue peccatum fuisse negari nō potest. Iosephus ad verbum sic habet[a]. *Natura verò neque malos circa me fuisse existimo; Dei verò operantis voluntati tam præsentium bonorum fruitionem, quā futurorum tribuo, si Deus nobis beneuolus permanserit.* Quæ priora verba Manichæis potius faueant, quibus aliquæ naturæ malæ. Certè veritati Catholicæ non consentiunt, quæ ne dæmones quidem natura sua malos arbitratur, vt qui ab eo conditi sunt, qui malum facere non potest; sed peruersitate propriæ voluntatis. Nihil ergo dicit, cùm fratres negat natura malos, cùm id commune sit rebus omnibus. Quod si naturam pro voluntate sumit, nonne malè philosophatur, qui non putet fratres, in vendendo fratre, id est grauiter peccando, fuisse peccatores?

a. x.

LIX. *Et inducere gratias agentem de peccato.*

ὡς συναρτίως χαίρειν ἔχων ὁμολογῶ.

TERTIÒ quod inducit Patriarcham gratias agentem fratribus, & ministris diuinæ prouidentię: quod pari ratione Iob, tot acceptis à Sathana plagis, erga eundem dæmonē facere potuisset. At quis, nisi sceleratus, alicui de scelere gratias agit? Neque verò isti quicquā diuinæ prouidentiæ, de qua ne cogitarant quidē, præter suū scelus administrarūt; ex quo sola diuina bonitas elicuit hominū salutē. Nisi fortè etiā proditori Iudæ gratiæ, & nō anathema, debeatur. Certè ne Caluinus quidem hoc dixerit, quantumuis ad audendum proiectus; qui alioqui non immeritò isti in inferis, si quis ibi gratiæ locus, gratias agat, qui eius nefandæ hæresi pręcucurrerit.

LX. *Et prohibētem de eo cōtristari.*

FORTE nec malè prælusit Luthero, cùm negat oportere, pudore præteriti errati, quidquam contristari, quod videant mali consilij talem euentum. *Quid est enim*, inquit, *cur vos malè habeat iniqua quondam vestræ sententiæ pœnitentia, quam frustratam esse iam videtis.* Nam illa fuit aliquando Lutheri sententia, *detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, facere hypocritam, imò magis peccatorem.* Nec euentus bonus, qui à Deo totus est, facit vt peccatum antecedens non sit detestandum. Alioqui nullum omnino peccatum causam tristitiæ suppeditaret, quoniam nullum omnino fit malum, permittente Deo, quin ex eo bonum aliquod ipse eliciat, in quod actio humana vitiosa non influit. Neque fas esset mulierē dolere de adulterio, si quando inde nascitur homo in mundū. Porrò hic error priori consectaneus est. Si cui enim gratiæ de peccato debentur, quis non videt etiam peccatum esse bonum opus atque de eo dolendum esse, sed potiùs gloriandum.

In serm. de pœnitentia vide Bellar. l. 1. de pœn. c. 4.

LXI. *Nihil ei Scriptura patrocinatur.*

Gen. 45.

AT enimuero, inquies, Iosephus scripturā sequitur, quæ ait, *Nolite pauere, neq; vobis durū esse videatur, quod vendidistis me.* In Heb. habetur, *ne afficiamini dolore, & ne sit ira in oculis vestris.* Respondeo primo, non esse nobis elaborādum vt verba Iosephi in bonum sensum trahamus, sicut Sancti cuiuspiam doctoris. Deinde etiam dico, eum multum à Scriptura distare. Cuius verba tripliciter exponi possunt, primò vt ad ipsum Patriarcham respiciant. quasi dicat, nolite pauere, neque contristari, quasi ego vindictam de vobis, quam possum sumpturus sim; id enim minimè contingeret. Secūdò, in ordine ad fratres, in hanc sententiā, ne indignemini mutuò, qui plus minúsue huius sceleris participes fuistis; neq; propterea inter vos rixemini. Nā audierat Ruben fratribus improperantē; nunquid nō dixi vobis, nolite peccare in puerū, & non audistis me. Tertiò, relata ad singulos sententia, quos nō vult abundantiori tristitia absorberi, in cogitatione malitiæ suæ; sed tātisper inde oculos auertere, cogitanda Dei bonitate & sapientia, quę magnum hoc malū, in maius bonum conuertit. Et hæc in primis videtur Patriarchæ mens; qui fratres tum vehementer attonitos, & confusos atrocissimi sceleris conscientia, cōsolari volebat. Neque propterea vult fratres, *Nihil quicquam de peccato præterito contristari, neque iniquæ sententiæ pœnitere*, quod ait Flauius. Norat enim vir sanctus, sine huiusmodi pœnitentia, eos istius peccati veniam à Deo obtinere non posse, cuius est diuina illa vox. *Nisi pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis.*

c. 42. 22.

Luc. 13. 3. 5.

LXII. *Alia eiusdē errata.*

SED illa leuiora, & penè dissimulanda, nisi essemus in critico cursu. Regem donasse fratribus currus frumento onustos. At ô bone, asini frumento erant onusti, iussu regis: currus autem vacui ad subuectionem mulierum, & paruulorum, variæque supellectilis. Nec egebant plaustris frumento onustis mox redituri. Illud autem quale est Iacobum facilè credidisse, quæ de filio

5.
c. 45. 17.
6.

suo in Ægypto dominante nunciabantur: cùm Scriptura dicat, *Senem non credidisse ipsis, donec vidit plaustra*, &c. vt suprà explicauimus. Verùm huius culpæ magna pars est in interprete. Nam Iosephus habet, ἄπιστον μὲν οὐδὲν ἐδόκει τῶν ἐπηγγελμένων, *Nihil eorum quæ nunciata erant incredibile videbatur*. Philo autem ait, *non facilè conuersum esse ad assensum, propter rei magnitudinem: etsi nuncij essent fide dignissimi*; quæ postrema vox beneuolentiæ potius, quàm veritatis testimonium est. 0.15. & 56. l.2.c.3 fi.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2328.

N. I. 1. CHRONICVM quidem Alexandrinum vocat secundum annum famis nonum principatus, sed eodem etiam ponit Iacobi descensum in Ægyptum, quem nos rectiùs, vt arbitror, differemus in sequentem annum, vt ponamus de more 130. annos absolutos. Et satis intelligitur ea omnia intra vnius periodum contingere potuisse.

N. II. 2. Chaldæus paraphrastes. *Quam multa*, inquit, *fortiendo tibi est vt prævalueris*; quod supponit antegressam contentionem.

N. XXXVII. 3. *Quid hoc ordine iustitiæ pulchrius*, ait Rupertus l. 9. c. 9. in Gen. *nempe qui hic seruitio se addicit, ipse est cuius consilio in seruum venundatus est Ioseph.*

N. L. 4. Sic iubemus saluere aliquem, & bene valere, in Hebræo est. *Sic dicit filius tuus*, nam dicere hoc, mandare est, vt, *Dic vt sedeant hi duo filij mei*, &, *Quæcunque dixerint vobis facite*, in eodem sensu Septuag. & Chald. hoc loco, dicendi verbum ex Hebræo retinuerunt.

N. LIII. 5. Abulensis in rimando etymo stolæ prodit se Græcæ linguæ non peritissimum. *Dicitur*, inquit, *à Telon quod est longum, quia istæ vestes lõgæ sunt, coperientes totam hominis staturam*, cùm constet dici, ἀπὸ τοῦ στέλλειν, quod est ornare, instruere, apparare.

Ibid. 6. Argenteos intelligo, vt habetur in Hebræo, Chaldæo, & vulgata; quos licet Ægyptios accipere, sed crediderim potius Chananæis dedisse pecuniam, quæ in Chananitide esset in vsu: nam alij Chananæi quoque emebant in Ægypto frumenta. Sunt autem trecenti sicli argentei, 137. aurei cum dimidio, id est quadringenti & duodecim franci cum dimidio. Septuaginta interpretes, & Chrysostom. ho. 64. & D. Ambros. lib. de Patriarcha Ioseph c. 13. & Demetr. apud Euseb. l. 9. de Præpar. c. vlt. aiunt Iosephum dedisse Beniamino τριακοσίους χρυσοῦς, maiore multo summa si aurei sicli argenteis pondere respondebant, essent enim 150. vnciæ auri, quibus singulis nouem circiter aurei nostrates respondẽt. Syrus apud Scholiastem Græcum, habet διακοσίους χρυσοῦς, summa tertia parte diminuta.

Ibid. 7. Eodem modo textum Hebræum intellexerunt, & interpretati sunt Sept. Pagninus, Vatabl. alij, in Hebræo tamen legitur כזאת Cezorh, *sicut hoc*, Hieronymus vertit, *eodem modo*, Chaldæus, *hoc modo*, siue, *in hunc qui sequitur modum*, & refertur non ad præcedentia, sed ad sequentia tãtùm. ideóque non apponitur copulatiua particula, vt sit sensus, Misisse ad patrem sigillatim decem asinos, quibus cum alia multa, & diuersa munera, tum etiam stolæ & pecuniæ deferebantur. Itáque hunc locum interpretatur Lipomanus in Catena, eique fauet Chaldæa paraphrasis, quod plerique interpretes, qui admodũ festinant, omiserunt.

N. LVIII. 8. In Græco textu ita legitur. [illegible] καὶ στολὰς πολυτελεῖς χρυσίνας. [illegible] τῶν ἀγαθῶν ἀπέσταλκεν, [illegible] quæ habes in textu conuersa.

ANNVS MVNDI 2329. DILVVII 673. TERTIÆ ÆTAT. 191. IACOBI 131. RVBEN 47. SIMEONIS 46. LEVI 45. IVDÆ ET DAN 44. NEPHTALI ET GAD 43. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 42. IOSEPHI 41. PRINCIP. 10. BENIAMINI 24. PROMISS. 216. HABITATIONIS IN ÆGYPTO 1. CAATH 12. MANASSIS 10. EPHRAIM 9. BALÆI 28. IMP. ASSYR. 398.

ANTE CHRISTVM 1724.

I. Ratio temporis. QVADRAGESIMVS Iosephi annus maiori ex parte cum annis mundi & diluuij currentibus nunc recensitis concurrit. Vocamus tamen quadragesimum primum, quia is aliquot mensibus ante huius finem inceptus est, vt patet ex iis quæ primo, & decimo octauo Iosephi anno diximus. Iacobi autem ætas ex ipsius ad Pharaonem verbis confirmatur. Proximè enim post eius in Ægyptum appulsum, ad regem introductus ait se esse 130. annorum, quos sumimus absolutos cum Torniello, & multis recentioribus. Imò & Euseb. in Chron. qui etiam hunc annum vocat decimum principatus[1]. Cũ autem Gen 46. 2. Functio, Mercatore, Capello, &c. 1. 9C.

apud Scaliger. in Euseb. l. 9 de præpar. c. vlt.

eundem vocat secundum famis, sicut & Georgius Syncellus, & Marianus Scotus, de eodem exactò accipiendi sunt. Nam disertè Demetrius eundem Eusebiũ, καὶ τὸ τρίτῳ ἔτει λιμοῦ ὄντος ἐν Αἰγύπτῳ, ἐλθεῖν εἰς Αἴγυπτον τὸν Ἰακώβ, ὄντα ἐτῶν ἑκατὸν τριάκοντα. Tertio anno famis in Ægypto, Iacobum in Ægyptum venisse annos natũ centum & triginta. Subdit deinceps & annos Patriarcharum, quos neglexit vertere Trapezuntius [2].

2. ※.

II. *Descensus in Ægyptum, & quã dissimilis reditui.*

Hic est ergo celebris ille annus descensus Israëlis, & Israëlitarum omnium in Ægyptum in diuturnam plurimorum annorum peregrinationem; cuius vt initia lætissima, ita extrema molestissima fuerunt: & tamen ingressus paucorum fuit, exitus innumerabilis multitudinis. Initium sub mitissimo, ac liberalissimo rege, plenum tranquillitatis ac beneuolentiæ, finis sub tyranno crudelissimo, atque ingratissimo: plenus odij, cædium, atque turbarum. Hic paruuli & vxores Hebræorum deducuntur in curribus & plaustris; illic paruuli abiiciuntur in fluctus, & matres fœtibus orbantur suis. Hic euocantur vltrò Israëlitæ, ne fame in Chananitide moriantur. Illic emittuntur ab inuitis, & exire compelluntur, ab Ægyptiis metuentibus mortem ab Angelo exterminatore.

Cùm autem duæ præcipuè difficultates hoc loco se offerant, & à quibusdam tractari soleant, altera de numero personarum in Ægyptum descendentium; altera de Ægyptiacæ commorationis diuturnitate, prior ad hunc maximè locum, posterior ad exitum, & finem peregrinationis huius videtur pertinere. Præit

Exod. 12. 40.

exemplo Moses, qui posteriorem sub egressum filiorum Israël, priorem hoc loco, vbi de ingressu agitur, sigillatim exponit. Eum itaque vt par est, sequemur.

Gen. 46. 3. ※.

III. *Parat Iacob profectionem, & migrat.*

EVOLVTIS itaque diebus aliquot à secundo reditu Patriarcharum ex Ægypto [3], quibus & illi aliquantulum quieuerunt; & profectio non exigui temporis, sed transmigratio omnium personarum; omniúmque rerum ad ipsos pertinentiũ transportatio præparata est, Iacob sub huius circiter anni principia, se in viam dedit, *cum omnibus quæ habebat*. Intelligebat enim hanc peregrinationẽ valde diuturnam fore; vt qui non nesciret antiquam illam Dei ad Abrahamum auum suum

Gen. 15. 13.

denunciationem. *Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua.* Ad eam autem nunc suscipiendam compellebat fames, persuadebat Ioseph videndi desiderium; inuitabat commoditas profectionis; & Dominus interius incitabat. Non enim dubitandum est consultum à sancto Patriarcha Dominum, super tam magno negotio; sed Deum contentum interius edocere in præsentia, apertam responsionem distulisse ad locum Bersabee, siue puteum iuramenti, cùm iam esset in itinere, & bidui ferè confecisset iter. Occurrit enim Bersabee descẽdentibus ab Hebron, vbi habitabat Iacob, in Ægyptum, per viam Palæstinorum; quæ multò breuior est, quàm per desertum, & mare rubrum. Ibi ergo *mactauit*

Gen. 26. 23. c. 21. fin.

victimas Deo patris sui Isaac; qui scilicet illi apparuerat in eodem loco; vbi & altare ædificauerat; quem que iam olim Abraham religiosum fecerat, inuocato ibi nomine Domini Dei æterni, erecto altari, & plantato circum nemore.

c. 46. 1. 2.

IV. *In itinere diuina visione roboratur.*

PERACTO sacrificio, *Audiuit Deum per visionem noctis vocantem se, & dicentem sibi Iacob, Iacob, cui respondit, Ecce adsum. Ait illi Deus, Ego sum fortissimus Deus patris tui.* Sic loquitur Angelus in persona Dei, vt iam aliquoties in superioribus. Rectè

v. 4.

autem fortissimi nomen assumit; nam sequitur, *Noli timere, descende in Aegyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi.* Intellexit ergo se ibi ac suos diuturnas tracturum moras. *Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te*, id est populum ex te ortum, *reuertentem*. Quanquam & de reportatione reliquiarum Iacob intelligi potest; licet mortuus reportetur verius, quàm reuertatur. Cæterùm triplicem illi fauorem pollicetur, tam ipsi, quàm toti familiæ communem, in profectione, commoratione, & reuersione; sed addit peculiarem, quòd ei morienti dilectissimus Ioseph affuturus sit, & omnia pietatis officia erga illum cumulatissimè expleturus. *Ioseph quoque*, inquit, *ponet manus suas super oculos tuos*, & quem videre cupis ante mortem, videbis ad extremam vsque periodum, cùm ille abeunte anima, claudet tibi oculos, nihil vltra mortale videre cupientes.

v. 5.

V. *Et progreditur cum tota familia.*

SVRREXIT *autem Iacob à puteo iuramenti, tuleruntque eum filij, cum paruulis, & vxoribus suis in plaustris, quæ miserat Pharao ad portandum senem, & omnia quæ possederat in terra Chanaan.* Ad eum vsque locum venit fortasse Iacob camelo vectus,

aut aſino. Deinceps autem in plauſtro commodius compoſitus eſt, & delatus in
Ægyptum, cùm omni ſemine ſuo. Cuius numerus non paucas, neque leues ingerit difficultates, quas progrediendo cum ipſo textu diſſoluere conabimur. Cæterùm in tranſlatione omnium quæ poſſederat, excipienda eſt terra quam emerat
à filiis Hemor in Sichem. Et quam auus Abraham à filiis Heth in Hebron. Neque enim ea loca vendidit cuiquam; ſed eorum dominium ſibi, ſuíſque retinuit. Gen. 33. 19. Gen. 23. Gen. 49.
Vnde poſtea ex Ægypto in ſpeluncam Hebroniticam ad ſepulturam deportatus eſt.

VI. *Numerus Iſraëlitarũ deſcendentium. Primus Iacob.*

HÆC *ſunt*, inquit Moſes, *nomina filiorum Iſraël, qui ingreſſi ſunt in Aegyptum. Ipſe cum liberis ſuis.* In Hebræo & Septuaginta diſertè nominatur Iacob, vt intelligatur eum in hac ſumma comprehendi, vt vult etiam D. Auguſtinus. Alioqui in prima ſumma filiorum Liæ, quæ habetur infrà, non inuenientur triginta tres, ſed tantùm duo & triginta, ſeclusis Her & Onan, qui diu ante mortui in terra Chanaan, nunquam viderunt Ægyptum, quorum in locum ſuffecti ſunt Phares & Zaram, paulò antè in lucem editi. v. 8. lib. de ciu. c. 40.

VII. *Tum Rubẽ cũ 4. filiis.*

PATREM ductantem chorum ſequitur primogenitus Ruben, cum quatuor filiis ſuis, Henoch & Phallu, & Heſron, & Charmi. Etſi nõ deeſt ſuſpicio, duos tantùm eorum tum natos fuiſſe, reliquos autem poſtea ortos in Ægypto. Nam antè vnum fermè annum dicebat Ruben patri ſuo; *Duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi.* Quem locũ tractans Philo in libro de Ioſeph, *Do tibi*, inquit, *duos filios obſides, quos ſolos genui, hos interfice, niſi*, &c. Εἰς ὁμηρείαν, ἔφη, σοὶ δύο υἱοὺς δίδωμι, οὓς ἤ μόνους ἐγέννησα, τούτους ἀπόκτεινον, &c. vt minus mirum ſit id de filiis Phares affirmari, vt mox dicemus. Abulenſis tamen contendit quatuor illos iam tum fuiſſe genitos, nec potuiſſe ex illo die tam breui tempore generari, & duos dixiſſe filios, vt eos vni opponeret. Et fortè ſatiùs eſt ita dici, ne difficultates hoc loco ſine neceſſitate augeamus. Memorantur porrò ab his ortæ quatuor familiæ Rubenitarum, cùm principibus ſuis, in diuerſis Scripturæ locis, ſine variatione. Gen. 42. 37. Num 26. 5. 1. Paral 5. 3. Exod 6 14. Gen. 46 9.

VIII. *Simeon cũ ſex.*

PROXIMVS à primogenito fuit Simeon cum ſex filiis, quorum primogenitus hoc loco dicitur Iamuel, ſicut & in Exodo, vbi iidem, eodémque ordine, ac numero recenſentur filij Simeonis. In 1. autem Paral. & c. 26. Num. dicitur Namuel; quæ varietas eadem reperitur in Græcis, Hebraicíſque codicibus. Alter eſt Iamin, in quo nulla eſt difficultas. Tertius eſt Ahod, qui hoc loco, & Exodi 6. 15. tantùm reperitur inter filios Simeonis. An quia prǽmaturè mortuus caruit liberis & familia? Ita Hieronymus & Toſtatus, quæ ratio valere poteſt in libro Numer. vbi eæ recenſentur, non ſic in Paralip. Quartus vocatur Iachin hoc loco, & 26. Numerorum, cum familia Iachinitarum: at in 1. Paralip. appellatur Iarib. Quintus hic, & Exodi 6. dicitur Sobar, at in aliis duobus locis Zare, ſiue Zara. Sextus Saul vbique retinet nomen ſuum, & filius dicitur Chananitidis, quòd alij nati fuerint ex mulieribus de progenie Abraham, vt placet Abulenſi. Inuenitur & alius filius Simeonis in lib. Iudith, nomine Salathiel. Sed aliter etiam Græcè legitur, & aliis quoque difficultatibus vrgetur is locus, quas ſuo loco tangemus. Vide interea ibi noſtrum Serarium. c. 4. 24. v. 12. in trad. in Paral. c. 4. 24. c. 8. v. 1.

IX. *Leui cum tribus.*

TERTIVS in filiis Iacob eſt Leui, cuius tres filij conſtanter memorantur Gerſon, Caath & Merari. Nec mirum eſt nullum à quoquam iſtorum prodi adhuc genitum; cùm iuxta ea, quæ diximus anno Leui 30. & 34. eius filius ſecundo genitus Caath hoc tempore duodecimum tantùm annum ageret, & primogenitus ad ſummum decimum quintum. Iuſtior eſt admiratio Pererij in hoc loco n. 20. nullum de nepotibus Ruben aut Simeonis hic recenſeri, cùm aliqui etiam nondũ nati, in filiis Iuda & Beniamin recenſeantur à Moyſe inter eos, qui cum Iacobo in Ægyptum ſunt ingreſſi, vt paulò pòſt dicemus. Gen 46. 11. Exod 6 16. Num. 3. 17. c. 26. 57. 1. Paral. 6. 1.

X. *Iudas cum quinque, in quibus duo nepotes nõdum nati.*

QVARTVS eſt Iudas, cuius filij recenſentur quinque, nepotes duo; ſed ſtatim è filiorum numero eximuntur duo, Her & Onan, qui ante quinque aut ſex annos mortui fuerant in terra Chanaan: Sed eorum locum ſupplent Heſron & Hamul, duo filij Phares; qui cum hoc tempore vix primum annum exegiſſet ætatis, non poſſunt filij eius geniti eſſe, niſi poſt viginti circiter annos, nedum ingreſſi eſſe Ægyptum cum auo & proauo.

Qui contra sentiant.

in Chron. maior c. 2

Vt hac difficultate expediant se Hebræi in Seder Olam, aiunt tam Her, quàm Onan & Phares initio anni octaui vitæ suæ vxores accepisse, & hunc anno octauo & nono genuisse Hesron & Hamul. Quæ commenta natura humana abhorret, & respuunt, atque auersantur aures. Ea tamen vt probabilia faciant, aliud his aggregant non minùs absurdum: anno scilicet octauo ab Aran genitũ Loth, & Saram nono. Quod illi finxerunt, vt probarent Abrahamum esse primogenitum Thare; quod alio loco refutatum est. Torniellus autem, vt hos duos filios Phares educat in lucem, ante Iacobi ingressum in Ægyptum, vult Iudam initio decimi tertij anni genuisse, & post decem menses Onan; tametsi Scriptura initio capitis 38. apertè doceat Iudam accepisse vxorem eodem tempore, quo Ioseph abductus est in Ægyptum, vt ibi declaratum est, anno Iacobi 108. Idem etiam Torniellus anno 3. Ætatis 215. existimat Phares anno decimo tertio accepisse vxorem, & ex ea illo ipso anno genuisse Hesron, & mox sequenti anno alterum filium suscepisse. A qua sententia non videtur alienus Genebrardus.

an 3 ætat. 186.

n 44. & 45.

XI. *Verior sententia Augustini, & communis.*

l. de ciu c 40. & q 151. & 173. in Gen.

Qvæ parum credibilia visa sunt antiquis Patribus, & recentioribus Doctoribus, & nominatim D. Augustino non vno in loco, qui respondet tam isti quàm similibus deinceps difficultatibus, de filiis Liæ, Beniamini, & Iosephi; ingressum Iacobi in Ægyptum, non illo vno definiri die, quo is ingressus est reuera, sed toto tempore quo ipse & filius eius Ioseph, per quem factum est vt ingrederentur, in viuis fuit. Atqui Hesron & Hamul viuo adhuc Iacobo nasci in Ægypto potuerunt. Itaque sentit Perer. in cap. 38. Genes. & in cap. 46. Lorinus in cap. 7. Actor. vbi & alios refert. Adde etiam Del Rio in cap. 46. v. 12. & 27. Cornelium à Lapide in cap. 38. & 46. & ante eos fusè & subtiliter Abulensis in c. 46. Geneseos.

n. 6. 7. 8. n. 12. v. 14.

XII. *Probatur ex Tostato.*

Vbi inter alia probat si Phares habuit filios, qui reuera & per se ipsi ingressi fuerint Ægyptum, fore vt hoc tempore Iudas ageret quinquagesimum secundum annum. Nam si Iudas anno vigesimo genuit Her, vt ex dictis c. 38. constat; si hic Her genuisset decimo sexto Phares de Thamar, Iudas tunc ageret 36. & rursus Phares 16. gigneret Hesron in anno ingressus, Iudas eodem anno ageret quinquagesimum secundum, qui agebat tantùm quadragesimum tertium. Et vice versa si Phares agebat decimum sextum quando genuit Hesron, & Iudas 43. ergo retrocedendo quãdo Phares genitus est, Iudas agebat 27. quo tempore Sela, qui Thamarem accipere debebat, iamdudum creuerat, & minimum agebat annum 18. vt posset esse iusta excusatio ipsius Thamaris apud Iudam, quos annos si auferas Iudæ, sequetur ipsum genuisse Selam anno nono ætatis suæ, octauo autem Onan, & septimo Her primogenitum, de vna eadémque vxore filia Suæ; quæ sunt absurda, & impossibilia. Concludamus ergo cum Abulensi, & Augustino, cõmunique sententia, quæ statuit hos filios Phares nondum natos, per anticipationem cum intrantibus computari.

Gen. 38. 26.

XIII. *Cõfirmatur ex Scriptura.*

Et sanè id videntur indicare voluisse Septuaginta interpretes, & vulgata nostra, cùm in filiis Phares modum loquendi mutarunt. Non enim catalogum texuerunt simpliciter, sicut & cæterorum; sed addiderunt, *natíque sunt*. Quasi dicerent, postea in Ægypto, & non in Chananitide. Sicut etiam de filiis Ioseph, qui in Ægypto nati, & non in terra Chanaan, additur etiam, *Natíque sunt*, &c. Quanquam non nego illud, *natíque sunt*, accipi posse per antithesim, vt respondeat illis verbis præcedentibus, *Mortui sunt autem Her & Onan*, quasi diceret, natíque sunt in eorum locum, duo nepotes, qui & numerum eundem suppleuerunt, vt reputarentur quinque filij Iuda, quasi duo illi non fuissent extincti, aut etiam nati; & mysterium aliquod in illo quinario numero lateret.

XIV. *Cur præ cæteris nominati hi duo.*

At, inquies, cur isti filij Phares, præ multis filiis ac nepotibus Patriarcharum, qui nondum quoque geniti erant, recensentur. Respondet Abulensis in eodem loco, de iis fieri mentionem propter dignitatem primogenituræ tribus regalis. Filij autem Sela, quos per ætatem videtur habere potuisse, vtpote qui adultus admodum erat, quando Phares & Zaram geniti sunt, vt iusta esset Thamaris excusatio; à Moyse prætermittuntur, sicut & filij Zaram fratris Phares, quoniam ad primogenituram regiæ tribus non pertinent. Et sicut Zara nominatus est propter Phares, quia simul conceptus & natus. Ita etiam Hamul propter Hesron fratrem suum, eandem fortassis ob causam.

Gen. 38. 14.

XV. *Issachar cũ quatuor filiis.*

QVINTVS ſequitur Iſſachar, habetur enim ratio non temporis quo à Iacobo geniti ſunt, ſic enim Dan, Nephtali, Gad & Azer anteecedere debuiſſent, ſed temporis quo à Lia geniti ſunt. Quintus autem Liæ filius fuit Iſſachar, quatuor autem illi, vt filij ancillarum, ſeorſim poſtea recenſentur. Quinta itaque familia deſcendentium in Ægyptum eſt Iſſacharis cũ quatuor liberis Thola, Phua, Iob, & Semron, quorum familiæ recenſentur Numerorum 26. Vbi tamen Iob vocatur Iaſub, ſicut & 1. Paralip. c.7. Quòd autem Semron, Semran quoque & Simeron dicitur, id ex punctorum variatione ortum eſt, nec multum refert. Potuit & hic habere nepotes, vt qui ad annum accederet 42. ſed ſi habuit prætermittuntur.

vt patet ex 30. Gen.
v. 13. & 24.

XVI. *Zabulon cũ tribus.*

SEXTVS Liæ filius Zabulon ſubtexitur cum tribus filiis Sared, Elon & Iahelel, qui etiam cum totidem familiis ab iis denominatis leguntur Numerorum 26. 26. *Hi filij Liæ*, inquit Moſes, hi videlicet patres, ſiue principes enumeratarum adhuc familiarum fuerunt filij Liæ, *quos genuit in Meſopotamia Syriæ, apud Labã patrem ſuum, cum Dina filia ſua.* Quos omnes tam filios propriè dictos, quàm nepotes, ſi in vnam ſummam conieceris, addita Dina, fient triginta tres. Ex hac porrò loquendi forma, qua dicuntur filij Liæ tres & triginta geniti in Meſopotamia, etſi eorum 26. in Chananitide nati eſſent, quia eorũ parentes in ea regione geniti fuerant, colligit D. Auguſt. q.173. in Gen. etiam non natos adhuc numerari inter eos, qui ingreſſi ſunt in Ægyptum. Sicut enim triginta tres dicuntur nati in Meſopotamia, quia illic parentes eorum nati fuerant; ita etiam 70. aut ſeptuaginta quinque dicũtur ingreſſi in Ægyptum, quia parentes eorum ingreſſi ſunt, eo tempore, quo ingreſſus durare videbatur, id eſt viuo Ioſepho, per quem factum eſt vt ingrederentur.

1 Iacob.
5 familia Ruben.
7 fam. Simeonis.
4 fam. Leui
6 fam. Iuda
5 fam. Iſſachar.
4 fam. Zabulon.
1 Dina.
33
8 fam Gad.
8 fam Aſer.
16
Pater, 4 filij, 1 filia, 2 nepotes.
8

XVII. *Gad cum 7. filiis.*

SVBDIT deinceps Moſes filios Liæ ex Zelpha, etſi filij Balæ ancillæ Rachelis prius geniti fuerint, vt patet ex 30. Gen. ne filios Liæ naturales ab adoptiuis ſepararet. Prior autem filiorum Zelphæ fuit Gad, cui ſeptem filij aſſignantur hoc loco, & totidem familiarum principes ponuntur Numer. 26. ſed quartus, qui in Geneſi dicitur Eſebon, in Numeris dicitur Ozni, etiam in Hebræo textu; in cæteris permodica eſt punctorum differentia. Nec eos in libro primo Paralipom. reperias, multo enim poſteriores ſunt illi filij Gad, qui illic enumerantur.

Gen 30. 10. v. 13.
c. 5. v. 11.

XVIII. *Aſer cum totidem.*

POSTERIOR filius Zelphæ nomine Aſer, ſequitur fratrem cum quatuor filiis, vna filia, & duobus nepotibus, quos idem Moſes numerat Numerorum 26. ſed Iamne dicitur Iemna, & Ieſua ſecundo genitus omittitur, quòd alicuius familiæ princeps non fuerit, aut ea perierit in deſerto, vt volunt Abulenſis, & Del Rio. Is tamen cum cæteris omnibus habetur in 1. Paralip. Quartus autem Beria, in Numer. dicitur Brie, cuius duo filij nepotes Aſer, duarum & ipſi familiarum principes ibidem ponuntur. *Hi filij Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ ſuæ. Et hos genuit Iacob ſedecim animas*, duas ſcilicet immediatè, Gad, & Aſer reliquos mediatè, qui propriè nepotes dicuntur.

v. 44.
1. 3. c. 7. v. 30. Num. 26. Gen. 29. 24.

XIX. *Duo filij Ioſeph an, & quomodo ingreſſi in Ægyptum.*

SEQVVNTVR filij Rachelis, tam naturales, Ioſeph & Beniamin, quàm aſſumpti ex Bala, Dan & Nephthalim. Itaque quod ad Ioſephum attinet, non ſimpliciter eum cum filiis ſuis recenſet Moyſes, vti fecerat cæteros, quòd propriè non fuerint ingreſſi in Ægyptum, ſed ibi nati. Ait enim, *Natique ſunt Ioſeph filij in terra Aegypti, quos genuit ei Aſceneth filia Putiphare ſacerdotis Heliopoleos, Manaſſes & Ephraim.* Verùm & hi dici poſſunt ingreſſi cum Iacob in Ægyptum, cùm ſcilicet eodem cum patre vecti curru, obuiam proceſſerunt auo ſuo. Nec neceſſe eſt vt vocabulum ingreſſus omnibus exactè conueniat, ſufficit enim vt penè omnibus, vt verè dicantur omnes ingreſſi. Sic Paulus ad Hebræos, ait omnes quos enumerauerat defunctos, non acceptis repromiſſionibus, cùm tamen memoraſſet Henoch nondum mortuum; quòd filiis etiam Phares, ac Ioſephi nepotibus accommodari poteſt.

Gen. 46. 19. c. 11. 13.

XX. *Filij Manaſſe, & Ephraim.*

NEC plures hoc loco filios Ioſephi Moſes recenſuit. At Septuaginta interpretes vtrique filios addunt, Manaſſi quidem Machir ſuſceptum ex Syra concubina, & filium Machir Galaad, eundem Manaſſis nepotem, & pronepotem Ioſephi. Ephraim autem fratri Manaſſis aſſignant filios duos, Sutalaam, & Taam, &

Edom

Edom filium Suralaam. Quos omnes quinque numero nepotes Iosephi constat omnino natos nondum fuisse, cùm Iacob ingressus est in Ægyptum. Nam tum Manasses ad summum decem annorum erat. Ephraim autem nouem, vt in indice anni huius notatum est.

NVMERATOS tamen dicit D. August. quia nati sunt viuo adhuc Iosepho, vt patet ex fine Geneseos, per quem factum est vt Israëlitæ in Ægyptum ingrederentur. D. Hieronymus in trad. ait eos additos per anticipationem, sed eius causam non affert. Noster Del Rio hanc putat, quòd sicut à Moyse computati fuere nepotes Iudæ nondum nati, eo quod in illis mansit regnum duarum tribuum: Sic etiam à Septuaginta & B. Luca, siue Stephano numeratos nepotes Ioseph, quia ex illis oriturum regnum decem tribuum in Ieroboā, qui fuit ex tribu Ephraim [4]. Et quia primogenituræ priuilegium Rubeno ademptum, in Iudam, & Ioseph diuisum fuit. Eleganter vtique, si ratio esset adæquata. Illi etenim officit, quod non solùm nepotes recensentur ex Manasse & Ephraim, sed etiam ex Aser & Beniamin [5]. XXI.

Cur numerentur nōdum nati.

q. vlt. in Gen. — c.50. 22. — c.46. n. 27. — Act 7.14. — 3.Reg.11. 26. — 4. ✠. — 5. ✠.

QVID si dicamus hos quinque, à Septuaginta senioribus diuinitus excitatis, adiectos, quòd fuerint principes perillustrium familiarum, quæ recensentur in libro Numerorum; quia id viderint à Moyse in præcedenti enumeratione obseruatum, præterquam in duobus, Abod filio Simeonis, & Iesua filio Azer, qui etiam ipsi videntur habuisse filios, sed qui cum peccatoribus reliquis in deserto perierint, vt putat Abulensis. Ita vt ratio nominandi hos 70. siue 75. non fuerit præcisè, quòd ingressi fuerint in Ægyptum cum Iacobo. Sed quod exorti ex Iacobo principes fuerint tribuum, aut familiarum, quæ Iacobo & Iosepho viuo exortæ sunt. Etsi enim plures aliæ familiæ recensentur Numer. 26. dici non incommodè potest, eas viuo Iosepho nondum emicuisse. Hæc mihi probabiliter videntur dici posse, dum melius aliquid afferatur. Video enim hic obiici posse, hinc non præcisè sciri posse, quot animæ descenderint in Ægyptum cum Iacob; quas tamen Moyses dicit fuisse septuaginta. Sed responderi etiam posset hunc ingressum, siue descensum rigide accipiendum non esse, cùm constet filios Iosephi in Ægypto natos, aliter ingressos esse, quàm cæteros, qui extra Ægyptū nati erant. Sic etiam dicemus septuaginta ingressos principes tribuum aut familiarum, cæteros autem sicut & vxores horum omnium, & filias, exceptis duabus, in obscuro, ignoto mysterio permansisse. XXII.

Ratio generalis.

c.26. 29. — c.46. 27.

REDEAMVS ergo ad filios Manasse, vt hunc catalogum absoluamus. Eius filium Septuaginta proferunt Machir ex Syra concubina, id est inferioris notæ coniuge, idémque repetitur in primo Paralipom. an quod mater familias sterilis esset? at legitur ibidem Esriel filius eius. Fuit ergo Machir primogenitus Manasse, Iosue 17. 1. à quo familia Machiritarum, sed de eo & cæteris, plura mox in schemate cuiusque tribus. Sequitur Machir filius ipsius Galaad, admodum in Scriptura celebris, ex quo familia Galaaditarum, eodem Numer. loco. Videtur autem significare Moses in fine Geneseos, non solùm Galaad natum viuo Iosepho, sed alios etiam eius fratres. Ait enim in numero multitudinis, filij quoque Machir, filij Manasse nati sunt in genitus Ioseph. Sed cùm Septuaginta vnicum nominent, ibi enallage numeri accipienda est. Sicut cùm de Dina loquitur numero multitudinis, & mox filios Dan vocat Husim, qui vnus fuit. Sic Septuaginta vnicum Edom vocant filios Sutalaam. XXIII.

Manasse cū duobus.

c.7. 14. — Num. 26. 29. — Gen. 50. 22. — Gen. 46. 15. 23.

ALTER filius Ioseph Ephraim, dignitate prior, ætate posterior, princeps & ipse tribus vnius, in hoc catalogo ponitur cum duobus filiis, & vno nepote. Primus dicitur à Septuaginta Sutalaam hoc loco, at in 1. Paralipom. 7. Sothalath. ab Augustino, fortasse mendosè, Vtalaam. A Moyse, Numer. 26. 35. Suthala, à quo familia Suthalaitarum, ita & in libro primo Paralipomenon. Alter ab illis vocatur Taam, à Moyse Thehen, à quo familia Thehenitarum, Numer. 26. à Hieronymo in tradit. in Genesim dicitur Ethaam. Nepos denique vocatur à Septuaginta in Genesi Edom, in libro Numer. Eden, qui videtur à Moyse dici Heran, Numer. 26. 36. mutato ד in ר, à quo familia Hetanitarum. XXIV.

Ephraim cū tribus.

Σουταλαάμ. — Σωθαλάθ. — l.16. de ciu. c.4. — c.7. 20. — v.35. — loc. cit.

XXV. *Filij Beniam in quot.*

SEQVITVR alter Rachelis filius Beniamin, qui nos ad vulgatam editionem reducat, & magnam cum Græca moueat litem. Nam in vulgata, quæ exactè ſequitur Hebræam, decem filij dantur Beniamino, in Græca autem nouem. Et quòd maius eſt, in hac iſti ipſi diſtinguuntur in filios & nepotes; in illa omnes filij dicuntur, voce non preſsè ſumpta, ſed latius, vt nepotes etiam, & pronepotes comprehendat. Exiſtimauit Torniellus hos omnes immediatè genitos à Beniamino, idque videntur ſupponere Lyranus & Abulenſis, dum nullam mentionem faciunt Græci textus, imò & Ioſephus, deſertis præter morem Septuaginta ſenioribus. Aliqui putant, vt antè diximus, eum omnes ex pluribus vxoribus ſuſcepiſſe, quòd eius ætati parum ſanè videtur conuenire. Verùm alij, rectius vt arbitror, exiſtimant Septuaginta explicaſſe diſtinctius, quos Moyſes in Hebræo, laxius ſumpta filij ſignificatione coniunxerat. In his Pererius & Del Rio, quam oportet eſſe ſententiam omnium antiquorum, qui codices Græcos ſunt ſecuti. In quibus D. Auguſt. in quæſtionibus in Geneſ. vbi mentionem facit nepotum Beniamin.

[L. 2. ant. c. 4. — in c. 46. n. 15. in v. 21. — q. 153. 173. in Gen.]

XXVI. *Statuuntur nes cũ Septuaginta.*

ET vt omittam dicere durum admodum videri adoleſcenti trium ac viginti annorum decem filios, ſiue ex vna, ſiue ex pluribus vxoribus tribuere: certè genealogia, quàm Septuaginta viri exhibent, non parum conſentanea eſt iis, quæ de familia Beniamin in Hebræis & Latinis codicibus variis in locis reperiuntur. Et nominatim ſicut Septuaginta hoc loco tres tantùm filios Beniamino tribuunt, ita in 1. Paralipomenon tres ei tantùm in Hebræo, & vulgata aſſignantur. Primogenitus eius eſt Bela; nam & vbique primo loco nominatur, licet cum aliqua mutatione, aut tranſpoſitione vocalium, cùm tamen in Hebræo conſtanter dicatur Bela, & primo Paralipomenon vocatur primogenitus, ex quo familia Belaitarum celebratur Numer. 26. Secundus eſt BecHor, qui & Becher in Hebræo, & Bochor in Septuaginta. Mentio eius fit tam hoc loco Geneſeos, quàm in primo Paralipomenon, vbi nouem ei filij aſſignantur. Omittitur tamen Numeror. 26. & primi Paralipomeni 8. 1. Tertius eſt Aſbel; eóque nomine conſtanter vbique appellatur, præterquam 1. Paralipom. 7. 6. vbi vocatur Iadiel. 1. Paralipom. 8. 1. vocatur ſecundo genitus, & ab eo familia Aſbelitarum celebratur 26. Numer. vbi aliæ quoque familiæ Beniamini memorantur; & primo Paralipomenon 8. alij eius filij, ſed non conſtat an ab eo immediatè geniti fuerint. Id certè valde probabile eſt eos nondum fuiſſe genitos, cùm Beniamin ingreſſus eſt in Ægyptum.

[c. 7. v. 6. — cap. 8. 1. — c. 26. 38. c. 46. 21. c. 7. v. 6. & 8. — Num. 26. 38.]

XXVII. *Filij Bela primogeniti Beniamin.*

DEINCEPS autem in Geneſi recenſentur filij Bela primogeniti Beniamin, iuxta diſtinctionem Septuaginta interpretum, eiúſque primus filius vocatur Gera, ſicut & in 1. Paralipom. ſed ibi Addar illi præponitur. Alij filij eidem alibi dantur, quos arbitror non eſſe immediatos. Abulenſis in hunc locum Geneſ. putat Gera eundem eſſe cum Ahiram, à quo familia Achiramitarum Num. 26. v. 38. eundémque etiam dici Ahora, vel potius Achara 1. Paral. 8. 1. Alter filius Bela dicitur hic, & in 1. Paral. Naaman; à Septuag. Noëman, ſicut & Numer. 26. 40. vbi memoratur familia Noëmitarum. Tertius eſt Echi, qui à Septuag. Ἀσχες, à Ioſepho Iſes appellatur, neque alibi hunc memoratum reperio; ſicut neque quartum nomine Ros. Niſi fortè Echi eſt idem cum Ahir, ſiue Ahira, vt quidam putant. Quintus hic dicitur Mophim à D. Hieron. à Septuag. Mamphim, ab Hebræo Muppim. Idémque creditur cum eo, qui Numer. 26. 39. dicitur Supham, à quo familia Suphamitarum, qui fortè idem eſt cum Sephuphan. Sextus Ophim, à Septuaginta prætermiſſus eſt in editione Romana, habetur tamen in Baſilienſi, vocatúrque Ophimin. Idem videtur cum eo, qui Numer. 26. 39. dicitur Hupham, à quo familia Huphamitarum. Reliquus eſt Ared, ſiue Arad, decimus Beniamini filius, aut potius pronepos apud Septuag. qui cum à Gera filio Bela genitum tradunt. Hic Numerorum 26. 40. dicitur Hered (vtrobique in Hebræo legitur Arde, ſiue Ared, pro ratione punctorum) ex quo familia Hereditarum, ſiue Arditatum celebratur.

[c. 8. v. 3. 1. Par. 7. 7. Numer. 26. 40. in 46 Gen. Gen. 46 & 1. Par. 8. 3. — 1. Par. 8. 5. — ארד ſi prius ſcrib. fit mobile & non ſecundum, legitur Ared, ſin vice verſa Arde.]

XXVIII. *Summa filiorũ Rachelis.*

HI *filij Rachel*, inquit Moſes, *quos genuit Iacob, omnes animæ quatuordecim.* Nimirum familia Beniamin habet vndecim, Ioſephi autem tres. At Septuaginta, qui quinque addiderunt familiæ Ioſephi, non numerant niſi octodecim; quia omit-

[1 Ioſeph. 2 filij. 3 nepotes. 2 pronep. 8]

1 Bēiamin. 3 Filij. 6 Nepotes 2 Pronepos 11 — 16 8 — Græc 19 Heb 11 — 3 — 14

tunt Ophim, sextum filium Bela, quo restituto in locum suum, sicut in quibusdam codicibus repetitur, sunt omnino decem & nouem. Viderem clarè in margine digestam.

SEQVVNTVR duo filij Balæ ancillæ Rachelis, Dan & Nephthali, quorum prior vnicum habet filium nomine Husim. Septuaginta vocant Asom; qui Numerorum 26. 42. vocatur Suham, à quo familia Suhamitarum, quòd ait etiam Abulensis. Sed ea vna familia tam copiosa fuit, vt Numerorum 1.38. in ea 62. millia septingenti, à vigesimo anno & suprà reperiantur. In secunda verò numeratione 64. millia quadringenti. XXIX. *Familia Dan & Nephthali.*

Num. 26. 41. 1 fam. Dā. 5 fam. Nephtali.

Postremus omnium ponitur Nephthali, cum quatuor filiis suis Iasiel, Guni, Ieser, & Sallem; qui omnes eodem modo recensentur, 1. Paral. 7. 13. & Numer. 26. 48. aucti singuli familiis suis. Hi ergo filij Balæ omnes numero septem. Enumeratis denique omnibus filiis Iacob, iuxta distinctionem vxorem eius, subditur à Mose ista conclusio.

32 filij Liæ. 16 filij Zelphæ 11 filij Rachelis. 7 filij Balæ — 66 4 — 70

Exod. 1. 5. Deut. 10. 22 l. 1 pan. sub init. l. 9 de præparat. c. 4. l 1. Strom. 6. x.

CVNCTÆ *animæ, quæ ingressæ sunt cum Iacob in Aegyptum, & egressæ sunt de femore illius, absque vxoribus filiorum eius, sexaginta sex.* In hoc numero non comprehenditur ipse Iacob; quippe qui non sit egressus de femore suo, neque Ioseph, & filij eius, qui iam erant in Ægypto. Ideóque subditur, *Filij autem Ioseph, qui nati sunt ei in terra Aegypti animæ duæ.* Constatur autem hic numerus ex 32. filiis Liæ, 16. filiis Zelphæ, vndecim filiis Rachelis, & septem filiis Balæ. Vt autem tam Iacob ipse, quàm Ioseph cum filiis comprehendantur, subdit Moses. *Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Aegyptum fuere septuaginta:* additis videlicet quatuor ad prædictam summam; quæ summa, in Exodo & Deuteronomio repetitur. In quam etiam Græci aliqui conueniunt, vt Epiphanius, si tamen is Græcus, & non Hebræus ex Hebræis. Imò etiam Ethnici, vt Ezechielus Poëta, apud Eusebium, & Clementem Alexand.[6] & Iosephus lib. 2. antiq. c. 4. & 5. XXX. *Summa generalis ex Hebr. & Vulg.*

v. 22.

Iacob cum filiis Liæ 31 filij Zelphæ. 16 filij Rachel 19 filij Balæ 7 — 71

AT Septuaginta seniores, qui addunt familiæ Ioseph quinque filios, conficiunt numerum 75. personarum vniuersæ domus Iacob, quem suggerunt tam hoc loco Genes. quàm Exodi primo. Deuteron. autem 10. in fine. Romani codices habent septuaginta, quomodo etiam legit olim D. Hieronymus in tradit. in Genes. Verùm plerique alij libri habent septuaginta quinque. Sicut etiam D. Stephanus legit, vt habetur in Actis, vbi pleráque Lorinus noster hac de re. Apparet autem duo menda irrepsisse in codices aliquos Græcos, prius quòd in filiis Beniamin derelictus est vnus, ordine nonus, vt antè monui, qui tamen in Vulgata, Hebræa, & Chald. reperitur. Posterius quod in familia Ioseph ponuntur animæ nouem, cùm sint tantùm octo, tres scilicet, quos habet Moses, & quinque quos ipsi addiderunt. XXXI. *Ex Septuaginta.*

c. 7. 14.

IN hoc porrò numero non ponuntur vxores Iacob, si quæ erant superstites, neque vxores filiorum, aut nepotum eius; nec plurimi famuli, cum filiis, & vxoribus eorum, imò neque filiæ ac neptes Patriarcharum præter duas; quorum omnium numerus haud dubiè maior fuit, quàm eorum, qui distinctè numerati sunt: quòd facilè concedet qui meminerit 318. famulos Abrahæ, cùm iam separatus esset à Loto, & careret adhuc liberis: & attenderit plures ferè in quaque familia fœminas oriri, quàm masculos; & valde credibile est Israëlitas in Ægypto, conuictu, habitatione, & affinitatibus ab Ægyptiis fuisse discretos, ideóque habuisse ex genere suo fœminas, quibus connubio iungerentur. Vide hoc loco Abulensem. XXXII. *Alij extra hunc numerum.*

c. 46.

QVONIAM verò hoc loco Geneseos omnium tribuum initia continentur, quæ sunt totidem quasi regiæ familiæ Scripturæ veteris, quas initio nos exhibituros promisimus, quarum iam aliquot dedimus, & proximè Iudam; eámque rem persuasum habemus sacris libris non parum lucis afferre: Age ab ipso Iacobo rem ordiamur, ne fratri eius homini reprobo plus honoris, quàm sanctissimo Patriarchæ detulisse videamur. XXXIII. *Familia Iacobi.*

Patriarcha Iacob, Isaaci filius, Abrahami nepos, Esaü germanus, in Mesopotamia genuit ex 4. coniugibus tredecim liberos, ex

- Lia filia Laban Gen. 29. & 30.
  - 1 Ruben primogenitum. Genes. 29. 32.
  - 2 Simeonem. Gen. 29. 33.
  - 3 Leui patrem Leuitarum, & Sacerdotum. ibid.
  - 4 Iudam stirpis regiæ caput. Genes. 29. fi.
  - 5 Issachar. Gen. 30. 18.
  - 6 Zabulon. Gen. 30. 20.
  - Dinam filiam. ibidem.
- Ex Zelpha ancilla eiusdem Liæ.
  - 7 Gad. Gen. 30. 11.
  - 8 Aser. ibid. v. 13.
- Ex Rachel filia Laban dilecta.
  - 9 Iosephum principem Ægypti. Gen. 30. 24.
  - 10 Beniamin Patriarch. natu minimum. Gen. 35. 18.
- Ex Bala ancilla Rachelis.
  - 11 Dan. Gen. 30. 5.
  - 12 Nephthalim. ibid.

Natus in Chananitide, vixit 20. annos in Mesopotamia, 17. in Ægypto, vbi & mortuus est, 147. annos natus. Sepultus in Hebron. Gen. 49. extremo.

XXXIV. *Familiæ Ruben.*

Ruben Iacobi & Liæ filius primogenitus, qui tamen non est reputatus in primogenitum, quòd violasset thorum patris sui, sed primogenita reputata sunt Ioseph, & principatus Iudæ; vt habetur l. 1. Paral. c. 5. v. 1. & 2.

Natus in Mesopotamia, vixit annos 124. quatuor eius filij in Scriptura memorantur.

- Henoch, à quo familia Henochitarum. Numer. 26. 5.
- Phallu, ex quo ortus est Eliab. Numeror. 26. 8. Cuius filij sunt. Deuter. 11. 6.
  - Namuel.
  - Dathan. } seditiosi. Num. 16. & 26. 9.
  - Abiron. } seditiosi. Num. 16. & 26. 9.
- Hesron, à quo familia Hesronitarum. Numer. 26. 6. tertius vbique memoratur in filiis Ruben. Gen. 46. Exod. 6. 1. Paralipom. cap. 5. vers. 3. & Numer. 26. alius est autem ab Hesron filio Phares, de quo in tribu Iuda.
- Charmi à quo familia Charmitarum. Num. 26. 6. alius est etiam in tribu Iuda, pater Achan, qui turbauit Israël. Iosuë 7.

XXXV. *Rubenitæ quorum series.*

Fvervnt porrò tam in Tribu Ruben, quàm in cæteris omnibus illustres viri in Scriptura celebrati, quorum tamen generationum series interrupta, vel dubia est, quos visum est singulis tribubus subiicere. In quibus Elisur primus ponetur filius Sedeur princeps Rubenitarum in numerando populo. Numer. 1. 5. 7. 30.

Sammua filius Zeehur electus de hac tribu ad explorandam terram. Num. 13. 5. mortuus in conspectu Domini. 14. 37.

Hon filius Phaleg, fuit particeps coniurationis Chore, vnus de proceribus Israël. Numer. 16. 1.

Beera filius Baal, filij Reia, filij Micha, filij Semei, filij Gog, filij Samia, filij Ioël; quem Beera captiuum duxit Telgathphalnasar Rex Assyriorum, & fuit princeps in tribu Ruben. 1. Paral. 5. 6.

Iahiel & Zacharias eius fratres principes fuerunt Rubenitarum, quando numerabantur per familias suas. ibid.

Osee Propheta, filius fuit prædicti Beera, siue Beeri. Hieron. in trad. in Paral. At Epiphan. libro de vita & obitu Prophetarum, ait eum fuisse de tribu Issachar.

Iohel Propheta, ex agro Bethor de terra Ruben oriundus, Epiphan. de vita Prophetarum.

Helizæus Propheta, diſcipulus Eliæ, ex Abelmuth de terra Ruben. Epiphan. lib. de vita Prophetarum.

Eliezer filius Zechri dux Rubenitarum ſub regno Dauidis, 1. Paral. 27. 16.

XXXVI. *Familia Simeonis.*

Simeon Iacobi & Liæ ſecundò genitus, natus in Meſopotamia, vixit in terra Chanaan, mortuus eſt in Ægypto, ætatis anno 120. genuit filios ſex, quorum

Homo ferocior, cuius præcipua culpa creditur in clade Sichimorũ, & in venditione Ioſephi.

- Iamuel, qui & Namuel primogenitus, à quo familia Namuelitarum. Num. 26. 12. memoratur quoque Geneſ. 46. Exod. 6. 1. Paral. c. 4. 24. alius eſt à Namuele de tribu Ruben, Num. 26. 9.
- Iamin, celebratur iiſdem locis, pater fuit Iaminitarum, Num. 26. 12. alius eſt à Iamin filio Ram de tribu Iuda, 1. Paral. 2. 27.
- Ahod, Gen. 46. Exod. 6. nec alibi. Vide quę dixi n. 8. Aliũ reperies Ahod in tribu Beniamin, 1. Paral. 8. 6. Ruſúſque alium filium Gera de eadem tribu, qui fuit Iudex in Iſraël, Iud. 3. 15.
- Iachin, qui & Iarib, 1. Paral. 4. ex quo familia Iachinitarum, Num. 26. huic cognominis eſt illa templi columna, 3. Reg. 7. 21.
- Sohar, Geneſ. 46. Exod. 6. qui & Zara ſiue Zare, ex quo familia Zareitarum, Num. 26. 13. Eſt & Zara, frater Phares, in tribu Iuda.
- Saül ex Chananitide, ibid. genuit Sellũ ex quo Mapſas, pater Maſma, qui genuit Hamuel, patrem Zacbur, & auum Semei, cuius filij ſedecim, & filiæ ſex, 1. Par. 4. 25.

SALAMIEL filius Suriſſadai, princeps huius tribus, in numerando populo cum Moyſe & Aaron in deſerto. Num. 1. 6. memoratur, & cap. 7. 36. in donariis conſecrationis tabernaculi, & 10. 19. XXXVII. *Simeonitæ quorum ſeries interrupta.*

Saphat filius Huri explorator terræ Chanaan, Numer. 13. 6. Mortuus in deſerto. 14. 37.

Zambri filius Salu dux, occiſus cum Madianitide, Numer. 25. 14. ſuo ſcelere nobilitatus.

Samuël filius Ammiud vnus de diuiſoribus terræ Chanaan, Num. 34. 20.

Ieſi cuius filij { Phalthias, Naarias, Raphaias, Oziel, } cum quingentis de eadem tribu percuſſerunt reliquias Amalecitarum in monte Seir, ibíque habitarunt, circa tempora Ezechiæ regis, 1. Par. 4. 41. &c.

Moſabab quoque, & Iemleeb, & Ioſa filius Amaſiæ, & Ioël, & Iehu filius Ioſabiæ, filij Saraciæ, filij Aſcel, aliíque principes de hac tribu memorantur 1. Paral. 4. 34.

Iudith vxor Manaſſes, filia Merari, cuius tota ſeries progenitorum vſque ad Simeonem habetur, octauo cap. libri Iudith. vbi tamen non peruenitur ad vllum de iis Simeonis prædictis. Mulier in paucis clariſſima.

Ozias filius Micha princeps in tempore Iudith. c. 6. 11.

Saphatias filius Maacha dux Simeonitarum tempore Dauidis, 1. Paral. 27. 16.

Naum Propheta ab Elcheſi ortus trans Iordanem verſus Begabar de tribu Simeon, vbi & ſepultus. Epiphan. l. de vita & morte Prophet. Extat breuis eius prophetia, contra Niniuem, tempore Oziæ regis Iuda. Hieronymus. Hunc Prophetam ad Nephthalim refert Adrichom. vt infra dicemus.

Sophonias à monte Sarabatha in tribu Simeonis ortus. Epiphan. l. c. Prophetauit in diebus Ioſiæ, vt ipſemet ſcribit.

Abacuc quoque Propheta è tribu Simeonis oriundus dicitur ab Epiph. dicto libro de vita Prophet. Prophetauit circa tempora Ezechiæ & Manaſſis filij eius. Vide Riberam in prælud. 2. in min. Proph. & A Caſtro initio prophetiæ eius. num. 2.

XXXVIII. *Familia Leui.*

Tertius Patriarcha Leui: tras filius habuit in Scriptura nominatissimos, & filiam Iocabeth, sed non immediatã, vt quæ fuerit mater Mosis. Exod. 6. 20. & Num. 26. 59. vixit annos 137 Exo. 6 16 mortuus in Ægypto. Erut ergo filij sunt

- ***Familia Gerson.*** Gersno cuius filij duo tantùm ponuntur, 1. Paral 6. 17. Exod 6. 17. Nu 3. 18. 21. Ergo si quis alius reperitur eius fili⁹, aut non est immediatus, aut est vnus eorũ sub alio nomine, vt Ieth, 1. Par 6. 43. quod fatetur etiam Abulensis. ibid.
  - Lobni primogenitus ex quo Iahath pater Zamme, qui genuit Ioab patrem Addo, cuius filius Zara, ex quo ortus est Ierbrai, 1. Paral. 6. 20. cap autem 23. 7. Lobni dicitur Leedan, quod agnoscit ibi Abulensis.
  - Semei, cuius immediatam posteritatem ægrè in Scriptura reperies, præterquam, 1. Paral. 6 42. vbi tamen inter Semai & Gerson interiicitur Ieth. & deducitur series a Gerson vsque ad Asaph cantorem celebrem tempore Dauidis per quatuordecim generationes Ioт. tamen Paral. 23. 10. quatuor eius filij ponuntur probante Abulensi, ibid. & q. 19. quorum duo posteriores in vnam domum, siue familiam coaluerunt. ibid.
    - Lebesh, primogen.
    - Ziza, secund.
    - Iaus,
    - Baria.
- **XXXIX. *Familia Caath.*** Caath alter Leui filius, posteritate sua omnium clarissimus, in ea quippe fuerunt omnes sacerdotes etq. Pontifices, natus anno patris 34. vixit 133. Exod. 6. 18 Quatuor eius filij vbi quæ memorãtur, Exod. 6. 18 Num 3. 19. & 27. 1. Par. 6. 2. 18. & c. 23. 12. ergo si qui alij reperiũtur, vel immediati non sunt, vel nomen tantũ ab aliquo istorum habẽt diuersũ; vt dicamus de Aminadab, qui ponitur filius Caath 1. 1. Par. 6. 22 ve ibid. Abulẽs.
  - Amrã primogenitus Caath natus & mortu⁹ in Ægypto, vixit ann. 137 Exod 6. 20. ex Iochabetha vxore genuit tres liberos. Num. c 26 59. 1. Paral. 6. 3. Micheæ 6. 4.
    - Mariam prophetidem Exod 15. 20. vxorem Hur Iosephus l. 3. antiq. c. 2 Serar. l. 1. in Iosue c. 3 q. 10. ex quo genuit Vri, patrem Beseleel, de tribu Iuda, Exo. 31. 2. nata in Ægypto annis 7. ante Moysem, mortua est in deserto Sin, ibique sepulta Num. 20. 1. annos nata 127.
    - Aaronem primũ Pontificem, qui ex Elisabetha filia Aminadab de tribu Iuda, Exod. 6 23. genuit 4. liberos, ibid. & c. 28 1. Num 3. 2 c. 26. 60 1 Par 6. 3. Mortuus est in deserto. Nu. 20. 25.
      - Nadab, Abiu, mortui in deserto, Leuit. 10 1 & alibi.
      - Eleazar secundus Pontifex, ex quo Phinees, & alij ordine Pontifices, 1. Paral 6.
      - Ithamar sacerdos, ex quo postea Heli Pontifex, & aliquot deinceps, 1 & 2. Regum
    - Moysem legislatorẽ & ducem populi Dei qui natus ano. patris 79 mortuus est in monte Nebo, annos natus 120. Deuter. 34. duos tãtũ genuit filios Exo 2. 21 ex Saphora 1. 1. Paral. 23. 16.
      - Gersã, qui & Gersom, siue Gersno, ex quo plures filij, sed vnus tantùm nominatur. 1. Par. 23. 16.
        - Subuel, præpositus Thesauris templi, 1. Paral. 23. 16. cap. 26. 24. in aliquo posterorum. Abulens. in c. 26 q 31.
      - Eliezar qui vnicum habuit filiũ, qui nihilominus dicitur primus, sicut Christus primogenitus. Mat. 1 24. Luc. 2. 7. fuit Eliezer hic
        - Pater Robobiæ, ex quo alij multi. 1 Par. 23 17. c 26. 25. vbi recensentur 5 generationes vsque ad Selemith qui fuit quæstor in domo Domini tempore Dauidis.
  - Isaar siue Iesaar, qui & Aminadab, 1. Par. 6. 22. dicitur enim pater Core, ibid. eũ tamẽ Core dicatur filius Isaar, Exo. 6 21. & Nu 16. 21. tres eius filij memorãtur, Exo 6 21 Nã Salomith qui profertur, 1. Paral. 23. 18. pertinet ad tẽpora Dauidis, nisi malis cum Abulẽs. esse eũdem cum Core
    - Core qui princeps seditiosorum malè periit, cum sociis, Num 16 1. eius filij tres numerantur, Exod. 6. 24. qui patre pereunte miraculo conseruati. Num. 26 10 vide Abul. in c. 6. 1. Paral.
      - Asir siue Asir, 1. Paralip. 6 22. vbi deinceps 7. eius generationes recensentur, & inde rursus aliæ, vsque ad Samuelem, de quo alibi dicendum erit.
      - Elcana, cuius posteros non reperio. Nam qui referuntur 1 Par. 6. 23 & 26 sunt posteri Aser.
      - Abiasaph. Ex quo deducitur Heman cantor, per 16. generationes. 1 Paral. 6. 33.
    - Nepheg, & eius frater.
    - Zechri, quos cum posteris suis Moses ignotos reliquit.
  - Hebrõ tertius filius Caath cõstantes ita dicitur vbique, cuius filij quatuor reperiuntur, 1 Par. 23. 19. qui videntur esse immediati filij, ibid. filij Moysi, & alij.
    - Ieriau primus, Septuag. ὁ ἄρχων, Hebr. caput, siue præcipuus.
    - Amarias.
    - Iahaziel, Sept. Ἰεζιήλ.
    - Iesmaam. Sept. Ἰεκμάαμ.
  - Oziel quartus, cuius filij tres Exo. 6. 22. Nam duo qui memorãtur, 1. Par 23 20. non sunt immediati, & pertinent ad tempora Dauidis, vt arbitror.
    - Misaël cum fratre Elisaphan, exportant corpora filiorum Aaron consobrinorum suorum extra castra. Leuit. 10. 4. quod nomen postea frequentatum in aliis.
    - Elisaphan princeps Leuitarum, qui castra metabantur in deserto ad meridianum plagam sanctuarij. Nu. 3. 30. in eius filiis numeratur Semeias cum ducentis cognatis tempore Dauidis, 1. Par. 15. 8.
    - Sethri, Exod. 6. 22. Septuag. Segri. de quo alibi nihil.
- **XL. *Familia Merari.*** Merari tertius Leui filius, iuxta ordinẽ in Gen. 46. quã alibi semper seruatum, natus est in Chananæa, & ingressus cum auo in Ægyptum, vbi & mortuus est. Duo eius filij tantũ nominantur Exo. 6. 19 Num 3. 20. 33. c. 26. 58. vbi conditi familiæ eorũ, 1. Paral 6. 19 c 23. 21.
  - Moholi primogenitus, cuius progenies recensetur, 1. 1 Paralip. cap. 6 29. per seriem 6. generationum Lobni-Semei-Oza-Sammaa-Haggia, Asaia, quorum vltimus videtur peruenisse ad tempora Dauidis.
  - Musi secundus, qui filium habuit alterum Moholi, & recensentur duodecim generationes Musi, vsque ad Ethan cantorem filium Chusi, qui vixit tempore Dauidis. 1. Paral. 6. 44.

XLI.

Leuitæ quorum series interrupta.

MVLTI præterea Leuitæ in Scriptura celebres, quorum generationum series interrupta est. Nam 1. Paral. 15. recensentur qui adfuerunt Dauidi in translatione arcæ in locum ei præparatum in ciuitate Dauid.

Vriel princeps filiorum Caath cum fratribus 120.

Ioël princeps filiorum Gerson cum fratribus 130.

Asaia princeps filiorum Merari, cum cognatis 220.

Semeia princeps filiorum Elisaphan, & fratres eius 200.

Eliel princeps filiorum Hebron, & fratres eius 80.

Aminadab princeps filiorum Oziel eum fratribus 112.

Obededon Leuita, & vt apparet ex 1. Paralip. 26. de filiis Core, & Ianitoribus tabernaculi, quod sentit ibidem Abulens. & quæstione 14. Clarus effectus est ex hospitio arcæ ad tres menses, ex quo benedictus à Domino est, 2. Regum 6. & 1. Paralip. 26. vbi octo eius filij numerantur, quorum primogenitus Semeias ponitur cum sex filiis, & omnino ex eadem familia sexaginta duo.

Esdras de stirpe Aaron, 1. Esdr. 7. 1. quamuis serie non interrupta, meretur inter illustres seorsim recenseri, vt qui doctrinæ & pietatis laude excelluit, cuius extat canonicus liber.

Offert se vltro Matthatias, cùm gloriosissimis quinque filiis Macchabæis, populi ducibus, & de genere sacerdotali, ex filiis Ioarib, 1. Machab. 2. 1. 2. Esdræ 11. 10. quorum laus non dispar, neque inferior antiquis Iudicibus Israëlis, quorum egregia pietas, cum bellica fortitudine, ex æquo certauit, vt ex vtróque Machabæorum libro manifestum est.

Helias Propheta cognomento Thesbites ad Leuiticam Aaronis tribum pertinet, authore Epiphanio in libro de vita Prophet. Hic est ille zelator pro cultu Dei, & mirabilium patrator. lib. 3. & 4. Regum. Eccli. 48. Dorotheus in Synopsi.

Ieremias quoque Propheta sanctissimus filius Helciæ de sacerdotibus fuit in Anathoth in terra Beniamin, vt ipse testatur initio prophetiæ. Eius post mortem miracula celebrat Epiphan. libro prædicto.

Ezechiel Propheta è terra Sarera, de filiis Pontificum genus duxisse asseritur. Ita Epiphan. l. c. sed ipsemet se filium Buzi sacerdotem appellat, c. 1. 3. in Chaldæam à Nabuchodonosore abductus, ibi prophetauit.

Zacharias pater sanctissimi præcursoris, & Propheta, & Sacerdos fuit, teste non solùm Epiphan. in eius vita, qui eum Iodaë, Dorotheus in Synopsi Ioadæ, sacerdote prognatum dicit, sed etiam Luca Euangelista. Epiphanius eum ab Herode occisum tradit, iuxta aram, domúmque Dei, effusúmque sanguinem eius in vestibulo templi Domini.

Ergo huc quoque pertinet is, quo inter natos mulierum non surrexit maior Ioannes Baptista, Christi Domini prodromus, quem & habere meruit laudum suarum præconem. Mater quoque eius sanctissima Elizabeth, teste Luca de filiabus Aaronis fuit, quæ Spiritu sancto repleta, prophetauit in occursu matris Domini Saluatoris, Lucæ 1.

Simeon homo iustus, & timoratus, expectans consolationem Israël, qui puerum Iesum in vlnas suas accepit, & benedixit ei, & matri suæ, non vocatur à Luca Sacerdos, vocatur autem ab Epiphan. in eius vita.

Verùm vt antiquiora repetamus in hac tribu sunt Heli, & Samuel, qui multis annis Hebræorum Remp. gubernarunt; vt narratur in primo Regum, de quibus, eorúmque familiis plura suis dicentur locis.

Banaias filius Ioiadæ Sacerdos, præerat turmæ 24. millium in mense tertio regnante Dauide. Is fuit fortissimus inter triginta, 1. Paral. 27. 5. 6. vide 2. Reg. 23. 20. & alibi sæpè.

Extremum licet occupent locum, illi sacerdotes, quos malitia sua nobilitauit ac perdidit Annas, princeps sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, qui dicuntur de genere sacerdotali, Act. 4. 6.

Ioseph cognomento Bernabas Leuites Cyprius genere. Act. 3. 36. Pauli socius & quasi coapostolus. Act. 13. 1. 2.

Quartus Iacobi filius fuit Iudas, cuius familiam suprà descripsimus, anno mundi 2328. n. 5. & 6.

XLII. *Familiæ Issachar.*

Quintus filius Iacobi & Liæ, Issachar, cuius filij 4. nominãtur, Genes. 46. 13. Numer. 26. 23. & 1. Paral. 7. 1. Natus in Mesopot. moritur in Ægypto, annos nat. 122.

- Thola primogenitus vbique ponitur, ex quo familia nomẽ accepit. Num. 26. 23. sex habuit filios principes cognationum suarum, 1. Paral. 7. 2.
  - Ozi ex quo ortus Iztaia de quo nati sunt
    - Michaël.
    - Obadia.
    - Iobel.
    - Iesia.
  - Rapbaia, Ieriel, Iemai, Iebsem, Samuël, quorum ignota vita, atque posteritas.
- Phua, à quo familia Phuaitarum, Num. 26. 23.
- Iob, Gen. 46. 13. Nam reliquis locis dicitur Iasub, à quo familia Iasubitarum, Numer. 26. quæ varietas etiam in Hebræo, & Chaldæo reperitur. Septuaginta in Genes. eum vocãt Ἀσοὺμ. cuius posteri distinctè traditi non sunt.
- Semron, Septuag. Σαμερὰμ in Gen. Semran in Num. Simeron in Paralip. in Hebræo semper legitur Simron, ex quo familia Semranitarum, Num. 26. 24.

XLIII. *Issacharitæ, quorum series interrupta.*

Nathanael filius Suar numerat populum cum Moyse & Aarone, Num. 1. 8. vide & 7. 18. c. 10. 15.

Igal filius Ioseph explorator terræ, Num. 13. 8. Malè periit c. 14. 36.

Phaltiel filius Ozan diuisor terræ Chanaan, Num. 34. fine.

Thola filius Phua octauus Iudex Israëlis, per annos viginti tres. Iudic. 10. 1. 2.

Amri filius Michaël princeps huius tribus tempore Dauidis, 1. Paral. 27. 18.

Baasa filius Ahiæ rex Israël tertius, improbissimus, qui deleuit domum Ieroboam primi Regis, 3. Reg. 15. 27. & seqq. & regnauit 24. annis. v. 33. prophetia Iehu aduersus eum habetur 3. Reg. 16. 1.

Ela filius Baasa quartus Rex Israëlis, occidit Prophetam Iehu, regnauit triennium, eius domum Zambri deleuit, 3. Reg. 16.

Osee Prophetam ad hanc tribum pertinere vult Epiphan. in vita & m. Ptoph. cui consentit Dororbeus in Synopsi. D. Hieronym. vult ortum ex tribu Iuda, vt suprà dictum est. Vide à Castro in init. in Hoseam.

Iosaphat filius Pharuë vnus de ducibus Salomonis, 3. Reg. 4. 17.

XLIV. *Familia Zabulon.*

Zabulon filius Iacob, vltimus filiorum Liæ, Gen. 30. 20. ideóque vltimo loco recensetur Gen. 35. 23. & 46. 14. vbi ei tres filij tribuuntur. Natus in Mesop. vixit an. 122. mortuus est in Ægypt.

- Sared eius primogenitus, cuius familia recensetur Nu. 26. 26. in I. 1. Par. omissus est, sicut & fratres eius.
- Elon princeps fuit familię Elonitarum, Num. 26. 26. sed posteri eius non distinguuntur, sicut nec fratrum eius. Septuag. vocant Ἀλλών.
- Iahelel, à quo familia Ialelitarum, Num. 26. vbi dicitur Ialel. In Hebræo vtrobique est Iachleel. Septuag. in Genesi Ἀχιὴλ. in Numer. Ἀλλὴλ.

XLV. *Zabulonitæ quorum series interrupta.*

Eliab filius Helon numerat populum cum Moyse & Aarone in deserto, Num. 1. 9. memoratur & c. 7. 24. c. 10. 16.

Geddiel filius Sodi explorator terræ Chanaan, Num. 13. 11. Malè periit, c. 14. 36.

Elisaphan filius Pharnach constitutus ad diuidendum terram, Numer. 34. fine.

Ahialon dux Israëlitarum 12. Iudicauit Israël annis decem, Iudicum 12. 11.

Iesmaias filius Abdiæ princeps in hac tribu tempore Dauidis, 1. Paral. 27. 19.

Ionas Propheta oriundus ex Geth, vico ciuitatis Opher in Zabulon. vide Adtichom. in hac tribu, n. 56. & Hier. prologo in Ionam, Epiphan. & Dorotheum in eius vita. Ribera in c. 1. n. 3. A castro ibid. n. 2.

Malachias Propheta natus perhibetur in Sopha terrę Zabulon, teste Epiphan. nec repugnat Dorotheus in Synopsi, affirmat Adrichom. in Zabulon, n. 92.

Amos Thecuites è terra Zabulon oriundus apud Epiphan. manifesto errore. Nam Thecue est in tribu Iuda, vt est apud Adrichom. Numer. 236. & Hieronym. in locis Hebr. & rursum in eo quod ibi dicitur pater Esaiæ; esset enim ex tribu Iuda, sicut eius filius. Sed pastor potius fuit, vt ex eius prophetia constat, nec

Epiph. consentit Dorotheus, vt alias solet. Vide Sanctium, proœ. in Esa. n. 4. Sed huius locum tres Apostoli supplebunt, Petrus, Andreas, & Philipphus è Betsaida, Zabulonicæ tribus oriundi. Ioan. 1. 44. Adrich. in tribu Zab. n. 18.

XLVI. *Familia Gad.*

Sequitur Gad iuxta ordinem Mosis, Gen. 46. filius Iacobi & Zelphæ, Gen. 30. 9. 10. habuit filios septẽ, Gen. 46. 16. Qui habentur etiam Num. 26. 15. vixit annos fermè 130. vt dicemus suo loco.

- Sephion, siue Sephon.
- Haggi vel Aggi.
- Suni, à quo familia Sunitarum.
- Eseboo, qui Numer. 26. 16. dicitur Ozni.
- Heri vel Her.
- Arodi seu Arod.
- Areli siue Ariel. Ex singulis singulæ familiæ ortæ, vt pater Numer. 26. sed singulorum filij prætermittuntur, etiam in lib. Paralip.

XLVII. *Gaditæ celebres.*

In eadem tribu Gad celebrantur Ioël, Saphan, aliique principes, qui floruerunt tempore Ioathan regis Iuda, 1. Paralip. 5. 11. 17. vbi vide Abulensem q. 21.

Eliasaph filius Duel dux in deserto, numerat populum cum Moyse, Numer. 1. 13. memoratur etiam Num. 7. 42.

Guel filius Machi explorator terræ, Numer. 13. 16. Malè periit, Ibid. c. 14. 36.

Diuisor terræ de tribu Gad & de tribu Ruben desideratur, Numer. 34. fi. eodémque modo in Septuag. quia habebant sedes trans Iordanem ad Orientem.

Eliam Thesbitem aliqui ad tribum Gad referunt, quod Thesba siue Thesbe, vnde ortus ac nominatus est, sit in Galaatide; quæ pertinuit ad tribum Gad. Itáque videtur sentire Iosephus l. 8. c. 7. vel 13. Hierony. in locis Hebraicis, Adrichom. in tribu Gad n. 47. Verùm cùm Leuitæ sparsi essent per omnes tribus potuit esse de tribu Leui, vt supra ex Epiphanio, & Dorotheo diximus, licet ortus in tribu Gad. Itaque, vt rem incertam, vtróque loco Eliam posuimus, dignũ, de quo non solùm duæ tribus decertent, sed,

Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chios, Argos, Athenæ.

Iehu etiam putatur huius tribus, eo quod habitaret in Ramoth Galaad, quæ pertinuit ad Gad. Fuit autem decimus Rex Israëlis, suscitatus à Deo, ad perdeodam domum Achab, 4. Reg. 9. Eius autem quatuor filij ordine Israëliticum regnum, iuxta promissionem Domini, tenuere.

XLVIII. *Familia Aser.*

Aser octauus ex eadem Zelpha Genes. 30. 12. 13 repetitur vixisse annos 126. habuit autem filios quatuor, & filiã, quæ in Num. quoque & Paral. memoratur.

- Iamne, Gen. 46. 17. siue Iemna Num. 26. 44. ex quo familia Iãnaitarum.
- Iesua, omittitur in lib. Num. non in 1. Paral. 7. 30.
- Iessui, à quo familia Iessuitarum, Num. 26. 44. ponitur etiam in Genes. & Paral.
- Beria Gen. Brie Num. Baria, Paralip. ex quo orti duo filij principes familiarum, Numer. 26. 45. — Heber. / Melchiel. — quorũ multa progenies habetur 1. Paral. 7. 31. &c.
- Sara soror eorum.

XLIX. *Aseritæ quorum series interrupta.*

Phegiel filius Ochran, dux in deserto ad numerandum populum, cũ Moyse & Aarone, Num. 1. 12.

Sthar filius Michael explorator terræ, Numer. 13. 14. male & ipse periit. Numer. 14. 36.

Ahiud filius Salomi electus ad diuisionem terræ Num. 34. fi.

His aggregat Amos Prophetam Henninges, sed fallitur, est enim Thecua, vnde oriundus, in tribu Iuda. vide Hierony. in locis. & Adrichom. in tribu Iuda n. 236. fallitur quoque in Propheta Nahum, qui pertinet ad Nephthalim, in qua vide Adrichom. n. 44.

Huc autem certo pertinet Anna prophetissa filia Phanuel, Lucæ 2. 36.

L. *Familia Manassis.*

Seqvvntvr deinceps, iuxta ordinem Mosis in Genesi, filij Rachelis, Io-

seph & Beniamin, qoorum progenies in Scriptura satis videtur impedita, hoc autem modo digeri potest, initio ducto à Manasse.

- Manasses primogenitus Iosephi, natus in Ægypro initio fertilitatis, ibidémqoe mortuos sub annū vitę 108 habuit antem filios ac filias, (etsi vnus tantùm Machir illi attribuatur, Num. 26. 29. & Septuag. in c. 46. Gen.) Nā Machir vocatur primogeoitus eius, Iosue 17. 1. & l. 1. Paral alij ponuotur. Iair quoque filius Maoasse à Muse memotatur Deuterun. c. 3. 14.
  - Esriel 1. Paral. 7. 14. quod sentit Tostat. ibid.
  - Maacha soror Maebit. 1. Par. 7. 15.
  - Machir ex Syra concubina genitus, plures habuit filios, in quibus passim celebrator Galaad. Verùm alij quoque memurantur 1. Paral. 7. sed & filiā habuit quam Hesron de tribo Iuda duxit vxorem, vt habetur 1. Paralipom. 2. 21. eius tamen filij in filiis Manasse censentur ibid & Numer. 32. 41.
    - Sapphim. Saphan. } quibus pater accepit vxores 1. Paral. 7. 15.
    - Phares.
    - Sates, cuius filij
      - Vlam ex quo Badan 1. Paral. 7. 17.
      - Recen.
    - Galaad vir valde numinatus, babuit filios Numer. 26. 30. singulos principes familiarum.
      - Iezer siue Abiezer Iusue 17. 2.
      - Helec.
      - Asriel siue Esriel Ios. 17. 2.
      - Sechem
      - Semida ex quo } Achim, Sechē, Leri, Anian. } 1. Par. 7. 19
      - Hepher qui genuit Salphaad, ex quo filiæ quinque, Num. 26. 33. c. 27. 1. c. 36. 10. Ios. 17. 3.
        - Maala.
        - Noa.
        - Hegla.
        - Melcha.
        - Tersa.
    - Regina siue Molecheth ex qua orti 1. Paralipom. 7.
      - Ischud, id est, vir decorus.
      - Abiezer.
      - Muhola.
      - Segub ex quo Iair 1. Paral. 2. 52.

LI. *Manassi.* IN his viris illustribus huius tribus quorum series interrupta est, primus occurrit Gamaliel filius Phadassur destioatus numerando populo cum Moyse & Aarone io deserto, Numer. 1. 10. memoratur & c. 7. 54.

Gaddi filius Susi explorator terræ Chanaan, Numer. 13. 12.

Haoniel filius Ephod, diuisor terræ, Numer. 34. 23.

Gedeon ex Ephra tribus Manasse, Hieronym. in lo. Hebt. in Drys. Adrichom. in Manasse 1. n. 31. fuit sextus Iudex Israëlis. Habuit septuaginta filios Iud. 8. 30. quorum primogenitus Iether, minimus Ioathan, Iudicum 8. 20. c. 9. 5. quos Abimelech interfecit, frater eorum ex concubina Sichem c. 8. 31. qui & præfuit Israëli tribus annis Iud. 9. 22.

Iepthe qooque Galaadites Manassæus est, extra Iordanem, decimus Iudex Israëlis, 6. anois, Iud. 12. 7. vide Adrichom. oum. 52. & Perer. in c. 49. Genes. n. 141.

Iair Iudex 9. & ipse Galaadites, Iud. 10. 3. alius autem est à filio Segub 1. Paralipom. 2. 52. neque enim tempus patitur illum tamdiu vixisse; habuit Iair Iudex triginta filios, principes 30. ciuitatum, & rexit Israëlem 22. annis.

LII. *Familia Ephraim.*

- Ephraim secundus Iosephi filius, eodem circiter cum fratre tempore natus, & mortuus, multorum filiorum parens ponitur 1. Par. 7. 20. etsi videantur plures generationes, vt bene docet Abul. Ibid. q. 7. vide etiam Serarium nostrum in lib. Iosue sub initium.
  - Suthala, à qoo familia, Numer. 26. 35. vide supra an. m. 2329. n. 24. Ex hoc Heran natus dicitur, Num. 26. 36.
  - Bared quid & Becher, Num. 26. 35.
  - Thahad, qui & Theben. Num. 26. 35. quos omnes cum sequentibus fratribus Gethæi descendentes in Aegyptum interfecere, vt suo loco dicetur, an. mundi 2401.
  - Thahad.
  - Zabad.
  - Suthala.
  - Ezer & Elad.
  - Beria, ex quo
    - Sara, quæ tres vrbes ædificauit, aut potios reparauit. Idē Abulensis in c. 7. Paral. quam aliqoi volūt filiam Ephraim alij Beriæ, vt alibi dicemus.
    - Rapha.
    - Reseph.
    - Thale, de quo natos est Thaan, qui genuit Laadan, ex quo Ammiud pater Elizama. de quo ortus est Nun, qui habuit filium Iusue, 1. Par. 7. 23. & seqq.

LIII. *Ephraimitæ.*

Tribvs Ephraim secundum Iudam perillustris fuit; nam & ipsa plurimis annis regnum tenuit decem tribuum. Quin ab ipso quoque initio florere cœpit, ad benedictionem Patriarchæ Iacob comprobandam. Statim enim mortuo Moyse, Iosue diuinitus electus est, qui introduceret populum Dei in promissam terram, eámque clarissimis prœliis, victoriisque subiugaret. Sed de eo superfluum est hoc loco plura dicere.

Elisama filius Ammiud viuo Moyse electus, ad numerandum cum eo & Aarone populum in deserto, Num.1.10. c.7.48.

Camuel filius Sephtan diuisor terræ, Num.34.fi.

Debbora Prophetis de monte Ephraim, Iud.4.5.

Abdō Pharathonites in Ephraim, Iudex 13. ad annos octo, cuius filij quadraginta, & nepotes 30. Iudic.12.13.

Michæas Marathites Propheta de tribu Ephraim, prophetauit contra Achab, & mox ab eius filio, cui nomen erat Ioam, præcipitatus occubuit. Idem habet Dorotheus in Sinopsi. qui tamen apertè commiscet duos Michæas: alterum qui dicitur filius Iembla, & vixit tempore Iosaphat regis Iuda, & Achab regis Israel, 3. Regum 22. alterum cuius extat prophetia, & prophetauit longè post, nimirum in diebus Ezechiæ regis, vt habetur Ieremiæ, 26.18. cuius patria est Morasthi vicus iuxta Eleutheropolim in tribu Iuda. Adrichom. cum Hierony. in eadem tribu, n.192.193. Ergo vt prior pertineat ad Ephraim, Iudas sibi posteriorem vendicabit.

Ioam siue Ioath, vt eum appellat Dorotheus in Synopsi, qui 3. Regum 13. venit de Iuda in Bethel, vt prophetaret contra Ieroboam; cuius dextra obriguit, cùm eum vellet verberare; è Samaria oriundus fuit, vt vtérque affirmat. Eum leo interfecit in via, quod apud Schismaticos, etiam deceptus, cibum sumpsisset, Ibid.

Ahias Silonites (Silo mons & ciuitas pertinet ad tribum Ephraim) Propheta prædicit Ieroboamo ipsum regnaturum super decem tribus, 3.Reg.11.29.

3.Reg.11.26 Ieroboam filius Nabath Ephratæus primus Rex Israelis, quem ad idololatriam traduxit, & regnauit 22. annis, 3.Reg.14. 20. Eius filij Abia, qui puer mortuus est, 3.Reg.14.17. & Nadab, qui regnauit post patrem biennio, 3.Reg.15.25. & regnum transiuit ad Baasa de domo Isachar. Subsecuti deinde sunt plures reges Samaritæ, de quibus suis dicetur locis.

LIV. *Familia Beniamin.*

Beniamin Iacobi & Rachelis filius, natus cum morte matris, & venditione Iosephi; centum & 11. annis vixisse perhibetur, series filiorum eius obscurè & variè variis in locis scripturæ traditur, vt patet ex iis quæ supra n. 25 & seqq. diximus. Eius primogenitus sine controuersia est
Ex 1. Paral. c. 8, 1 & c. 7. 6. Quinque eius filij habentur c. 26. Num 38. & ibi 1 Par. 8. 1. sed diuersis nominibus.

Bale qui & Bela ex quo orti sunt, vt est in 1. c. Paral. 8.3. numero 9. Asbel, qui & Iadiel, 1. Par. 7. 6 & v. 10. eius filij.
Addar, Gera à quo genitus Ared aut Hered, siue Arde. Abiud, Abisue, Nahaman, Ahuë, Gera, Sephupham, Huran,
ut l. 1. c. 7. v 7. tantùm quinque, Esbon, Ozi, Oziel, Ierimoth, Vrai.
Deinque in 26. Nu. v. 40. duo tantùm, Hered, Noeman.

Athara, Nohaa, Rapha, sed prædicti quinq; filij Beniamin in 26. Num. 38. dicuntur quorum singuli fuerunt principes familiarum.
Bela, Asbel, Ahiră, Suphă, ttuphă,
ut in Gen. 46. 21. recitantur decem,
Bela, Bechor, Asbel, Gera, Naaman, Echi, Ros, Mophim, Ophim, Ared,
de quibus supra n. 25. & seqq.

Bechor in filiis Beniamin ponitur, Gen 46. & 1. Par. 7. 8. vbi 9. eius filij nominentur.
Zamira, Ioas, Eliezer, Elioenai,
Amri, Ierimoth, Abia, Anathoth, Almath,
qui fortè non fuerunt omnes immediati.

LV. *Beniaminitæ clari.*

In hac tribu clari fuerunt, quorum series à capite interrupta.

Abidan filius Gedeonis in deserto numerator populi, Num. 1. 11.

Phalti filius Raphu explorator, Num.13.10.

Elidad filius Chaselon diuisor terræ, Num.34.fi.

Ahod filius Gera filij Gemini, Iudex post Othonielem annis 80. Iudicum 3. 30. Occidit Eglon regem Moab. Ibid.

Saül filius Cis filij Ner primus rex Israëlis, quem cum Samuële rexit 40. annis 1.Reg. Act.13.20.21. eius stemma, & tota familiæ series habetur I.1. Paral.8.33.c.9.39. seorsim alio loco ponetur.

Semei filius Gera, filij Gemini, de cognatione domus Saül maledicebat Dauidi profugo, 2.Reg. 16. 5. pœnas luit postea interfectus à Salomone, 3. Reg. 2. iuxta patris morientis mandatum, 3. Reg. 2. 8.

Hester & Mardocheus cognati, de stirpe Cis, & Gemini, notissimi sunt. Ex lib. Hester, genus baberur c.2.5.

Impius Simon delator thesautorum sacrorum, 2. Machab.3.& 4.

Paulus, & qui Saulus, huius trib. vltima ac summa gloria, Rom. 11.1. Philipp.3.5.

LVI. *Familia Dan.*

Dan filius Iacobi & Balæ, de cuius posteritare supra n.29 vixit annos circiter 127. siue 125. vt suo loco dicetur. Eius filius Gen. 46. dicitur	Husim in lib. Numer. 26. 42. Suham.	cuius filij nusquam distinctè in Scriptura nominantur.

LVII. *Danitæ aliquot celebres.*

In hac tribu Samson clatissimus fuit, Iudex Israëlis 14. ad an. viginti, Iud. 16. fi.

Ahiezer filius Amissadai Dux in deserto, Num.1.

Ammiel filius Gemalli explorator, Num.13.13.

Boeci filius Iogli diuisor rerræ, Num.34.

Ooliab filius Achisamech fabricatot Tabernaculi & Otnamentorum cum Beseleel, Exod.31.6.

Hiram egregius artifex filius mulieris Danitæ, 2. Par.2.13. At 3.Reg.7.14. dicitut filius viduæ de Nephthali.

Ezriel filius Ietoham princeps huius tribus tempote Dauidis, 1. Paral.27. 22.

LVIII. *Familia Nephthali.*

Nephthali filius Iacobi & Balæ, vltimus à Moyse numeratur in Genes. 46 cum 4. filiis. Traditur vixisse ad 130. annos.	Iasiel, siue Iesiel. Guni. Ieser. Sallem, siue Sellem.	Singuli princeps familiarũ suarum memotantur Num. 26. 48.49. sed immediati posteri ignorantur.

LIX. *Nephthalitæ insignes.*

Ahira filius Enan dux in deserto, ad numerãdũ populũ cũ Moyse, Num.1.14.

Nahabi filius Vapsi, Num. 13. 15. Explorator terræ Chanaan.

Phadaël filius Ammiud eiusdem diuisor, Numer.34.

Barac filius Abinoëm de Cedes Nephtali, Iudex Israëlis tempore Debboræ, deuicit Sisaram in monte Thabor, Iud. 4. vide Adrichom. in hac tribu n.32. Sunt qui ex eadem rribu purent fuisse Debboram, sed Scriptura significat eam fuisse de tribu Ephraim, idque affirmat Genebr. & Pontacus; imo & Euseb. in Chron.

Nahum Prophetam ad hanc tribũ pertinere indicat patria: fuit enim ipsomet teste Elcesæus. Fuit autem Elcese vicus in Galilæa quem huc tefert Adrichom. n. 44. in tribu Nephthalim.

Tobias vtérque, & Raguel, & Sata, totáque illa sancta familia ad hanc quoque tribum pertinet, Tob.1. cum quo aliquando hisce Catalogis, ac laboriosis Genealogiis imposito fine, ad Iacobum Patriarcbam, Ægypto interea appropinquantem, quasi honorarij comites adeamus.

LX. *Præmittitur ad Iosephũ Iudas.*

Cvm Iacob vicinus esset Ægypto cum tota familia sua, & vniuersis quæ ad eũ c.46.
pertinebant, ne importunè vel in aulam se daret, vel in regnũ iniussus irruisse videretur, præmisit ad Iosephum Iudã, qui nunciaret ei adesse parrem, vt sibi mutuo, sub ingressum Ægypti occurrerent. Elegir autem Iudam, vt virum præ cæteris industrium, atque honestum, & vtrique charũ, vel propter exhibitam nuper erga Beniaminum de capite periclitantem eximiam charitatem. Foturus autẽ erat occursus in terra Gessen; illic enim habitaturi erant, vt dudum Ioseph fratribus
suis, cum tacito Regis consensu promiserat, expressum postea babiturus. Gen. 45. 10. c. 47. 6.

LXI. *Cur electa terra Gessen habitationi Israelitarum.*

Eam quippe prouinciam multis de causis elegerat, & Israëlitis suis destinarat. Ptimùm quia ager ille pinguis erat in primis ac fertilis, vel Regis ipsius testimonio, qui Ioseph dixerat; *Terra Aegypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac eos habitare,* c. 47. 6.

&

& trade eis terram Gessen. Et rursum, *Ego dabo vobis omnia bona Aegypti*, siue vt est in
vt ait Vatabl. Hebræo, *dabo vobis bonum terræ Aegypti*, id est optimam partem terræ Ægypti, ac
longè fertilissimam, & vt apparet etiam cœli temperie saluberrimam; erat enim
eminentior reliqua Ægypti regione, statim enim à Nili ostiis ascendebatur, in
2. Gessen inter mare rubrum ac mediterraneum sitam [7]. Secundò vt quamuis in Æ-
7. ※. gypto habitarent, ab Ægyptiis tamen, quam maximè fieri posset, habitatione se-
moti essent; vt ab eorum pariter moribus segregarentur, & constanter in veri Dei
cultu perseuerarent, quod ambiebat in primis Iacob descensurus in Ægyptum.
l. de Ioseph. *Metu enim sollicitabatur*, inquit Philo, *ne desererentur mores patrij. Norat enim iuuentutis*
c.46 34. *lubricum, & apud exteros peccandi licentiam, præsertim Aegyptiis, circa verum Deum cæcu-*
1. *tientibus.* Tertiò ne molesti essent Aegyptiis, si in eorum medio versarentur pa-
Exod. 11.2. stores ouium, quos illi detestabantur, vt scripsit ipse Moyses. Nec tamen propter-
ea existimandum est omnes Aegyptios exclusos fuisse à terra Gessen. Nam He-
bræi abituri petierunt vasa aurea & argentea, non solùm ab amicis, sed etiam à vi-
4. cinis. Quartò vt quando ex Aegypto in Chananitidem remigrandum foret, faci-
lius sese, ac citius ab Aegyptiis expedire possent, quàm si in media aut extrema
Aegypto versus occasum aut meridiem habitassent. Periculum enim erat, ne in
media Aegypto intercepti, à furentibus Aegyptiis circunfusi delerentur, quod
postea ad mare rubrum tentarunt, cùm pœnituisset eos, quod vel inuiti, atque at-
triti plagis dimisissent Hebræos, vt notauit Abulensis in hunc locum.

1. Porro euocatio Iosephi in occursum patris conueniens fuit, primùm ad ho- LXII. *Cur euocatus Ioseph, ad occursum.*
norandum senem, qui honor in Iosephum etiam ipsum redundabat. Nam vt glo-
riosum erat Iacobo filium Aegypti proregem habere, qui ipsi honoris causa pro-
cederet obuiam. Ita ad Iosephi honorem pertinebat habere patrem, qui ab Aegy-
hom. 65. in pti prorege honorari mereretur. Itaque paulò pòst, vbi in Hebræo, & vulgata edi-
Gen. tione legitur Iosephum iunxisse currũ suum, Septuaginta & eos secutus S. Chrys.
2. habent ἔζευξε τὰ ἅρματα αὐτοῦ, iunctis curribus suis. Deinde oportebat plerósque
ex antiquis colonis terræ Gessen Hebræis loco cedere, agris, inquam, ac pascuis,
vbi tentoria figerent, ac pecora sua nutrirent; quod vt pacificè, ac sine tumultu,
populi alioqui turbulenti, fieret, supremi secundùm Regem magistratus auctori-
3. tas necessaria videbatur. Prætera ibi maturius ac commodius mutua, filium in-
4. ter ac parentem, agnitio fieret, quàm in mediis aulæ regiæ turbis. Postremò vt
tam Iacob, quàm filij eius præmonerentur, ac docerentur à Iosepho, qui sese cum
Rege, aulicisque gerere oporteret; quid petituri, quidve responsuri essent.

Ioseph accepto de patris aduentu nuntio, siue à Iuda primùm, siue à spe- LXIII. *Occursus Iacobi, & Iosephi.*
culatoribus, & nunciis, quos in itinere disposuerat, vt ait Philo. Iunxit currum
suum, ascenditque obuiam patri suo in Gessen. Septuaginta locum ipsum distin-
in l. Ioseph. ctius explicant, καθ' ἡρώων πόλιν, ad heroum ciuitatem; quos secuti de more sunt
l.2.ant.c 4. Philo, ac Iosephus, Augustinus, & Hieronymus in locis Hebr. Quam ita dictam
lib. locut. putat Abulensis, quod heroës Aegypti, id est viri nobiles, ac bello clari, ibi habi-
tarent, in regni scilicet finibus, ad custodiam eius. Idem putat eam fuisse dictam
Hieron. in On. Theben; sed id potius nomen Heliopoleos, quæ etiam On dicta est. Vide Hiero-
nym. in locis, Adrichom. in Pharan n.48. Et Perer. in c.46. Gen n.34.

c.46. 29. Venit ergo Ioseph ad patrem, quem cùm primùm vidit *irruit super collum eius, &*
inter amplexus fleuit, addunt Septuag. *fletu magno*; quo respiciens Philo, *Effuderunt*
se, inquit, *in complexus mutuos, vbertim vestes rigando lacrymis, atque ita hærentes aliquan-*
tisper, explebant diutinum desiderium. Sic ipse; rectius opinor ac congruentius textui,
quàm Flauius, qui, *Profectus*, inquit, *obuiam ad heroum oppidum illi occurrit, qui nimia*
lætitia minimum abfuit quin expiraret. Sed Iosephus eum refouit, quamuis & ipse præ gaudio
8. ※. *periclitaretur, non tamen æquè ac pater* [8]. Siue quia senior & infirmior, siue quia paren-
hom. 65. tum in filios amor multò maior esse solet, quàm è conuerso. Rectè Chrysostom.
Cogitans, inquit, *tam prolixum intercessisse tempus*, trium ac viginti annorum, *& quod,*
præter omnem expectationem, & ipse patrem, & pater filium videret, fontes emisit lacryma- LXIV. *Digressus Iosephi, & monita ad suos.*
rum; simul & magnam declarans lætitiam, & gratias Domino agens pro benefactis, iis sci-
30. licet verbis, quæ subdit Moses. *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem*
te relinquo.

A complexu ventum est ad colloquia, à colloquiis ad conuiuium: cúmque te-

deundum esset ad Pharaonem, eique nuncium de aduentu suorum maturè afferendum, *Locutus est ad fratres suos, & ad omnem domum patris sui: Ascendam & nunciabo Pharaoni, dicámque ei, fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me,* vt eos scilicet ad maiestatem tuam introducam. *Et sunt viri pastores ouiũ, curámque habent alendorum gregum; pecora sua & armenta, & omnia quæ habere potuerunt adduxerunt secum. Cúmque vocauerit vos & dixerit, Quod est opus vestrum? Respondebitis, viri pastores sumus serui tui, ab infantia nostra vsque in præsens, & nos patres nostri. Hæc autem dicetis, vt habitare possitis in terra Gessen; quia detestantur Aegyptij omnes pastores ouiũ,* tanquam impios, ac sacrilegos, quod ab eis ea mactarentur animalia, quæ ipsi haberent pro diis. 9. ✠. Vide infra an. m. 2451. n. 12.

L XV. *Apis Aegyptiorum.*

Et in primis Apim bouem, de quo legendus est August. l. 18. de ciuit. Dei, qui secutus Eusebij Chronicon, ait his temporibus venisse in Ægyptum Apim Argiuorum regem, & ibi mortuum, factum esse Serapim omnium maximum Aegyptiorum Deum. Verùm cùm Ioseph Patriarcha significet, minimè nouam esse hanc detestationem pastorum Ægyptiis, oportet in antiquiore aliquo Api ortam esse hanc Ægyptiorum superstitionem. Idque sentit idem Eusebius, sub annum Isaaci 80. rursus sub 126. vbi Apim non Argiuum, sed Sicyonum facit. Nihilominus fuisse apud Ægyptios pastores pecorum, ex verbis ipsius Pharaonis perspicuũ est, *Si nosti*, inquit, *in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum.* Et Herodotus in Euterpe autor est inter Ægyptios subulcos etiam, ac pastores boum reperiri[10]. c. 5. & ibi Viues, qui multa de Api congerit. c. 47. 6. 10. ✠.

LXVI. *Cur voluerit Ioseph suos haberi pastores.*

Observant autem Abulens. ac Perer. post Iosephum, voluisse Patriarcham fratres suos haberi pastores, vt indigni bellica gloria aut etiã inepti ad arma censerentur. (Nam in Aegypto bellatores, primùm à Sacerdotibus dignitatis gradum obtinebant, vt ex Herodoto diximus) sicque non mitterentur in militiam, nec à se inuicem distraherentur: sed vnà degentes, curam patris gererent. néve ingruẽte postea persecutione separati facilius opprimentur, & Aegyptiacis plagis participarent. Deinde, vt arbitror, ne facilè ab ipsis timeretur, quasi res nouas in regni finibus molituris. Denique ne qua æmulatio cum Aegyptiis interueniret, si circa eadem studia versarentur. in hoc cap 46. l. 2. c. 4. in schol. 10.

LXVII. *Fratres ducit ad regẽ.*

Digressus à patre Iòseph, eo paulatim progredi iusso, assumptis quinque fratribus properauit ad regem, vt ait Flauius. Non assumpsit autẽ eos, qui ipso oris, ac corporis habitu dignitatem quandam præ se ferrent, sed *extremos*, id est contẽptibiliores, vt vox ipsa significat; nam honorariores, non extremi, sed supremi dicuntur. Eáque est expositio Hebræorum, apud Lyranum & Abulensem, & plerísque probata est, quib. & ratio fauet. Verebatur enim Ioseph, si præstantiores quosque visendos præbuisset, ne eos Rex vel aulicis officiis, vel militiæ ascriberet, & alios ab aliis distraheret. Adde quod probabilior fiebat Iosephi oratio, fratres ipsius nihil aliud, præter pastoritiam, callere, de hominibus ad speciem abiectis, quàm specie ipsa externa præstantibus, ac decoris. In quo etiam apparet Iosephi non solùm prudentia, sed etiam charitas, insignísque modestia. Maluit enim ostẽtare Pharaoni, ac curiæ eius, infimos fratrum licet redundaret in contemptum sui, quàm præstantissimos, ne à se inuicem separarentur; ac damna, quæ supra tetigimus, incurrerent. c. 47. Vatabl. Sà, Perer. Del Rio Oleast. Hamer.

LXVIII. *Introducti petunt terram Gessen.*

Ingreditur ergo Iosephus ad Regem, eique aduentũ totius paternæ familiæ nunciat, cum omnibus ipsorum bonis, ne fortè quasi mendici, oneri fore putarẽtur Aegypriis; aitque in terra Gessen substitisse, quasi præstolantes quid fieri placeret. Simul etiam significat conuenire, vt illic permittantur habitare: præsertim cùm & pascuus esset locus, & ipsi pecoribus abundarẽt. Ergo cùm Rex sciscitaretur ab eis quid haberent operis, ipsi vt à Iosepho didicerant, pastores sese professi sunt. Idque negotium patrium sibi esse, atque auitum: quærere pecoribus pascua, quod ea in Chananitide exaruissent, proptereáque orare vt bona cum eius venia, illic habitare liceret, vbi ex itinere substitissent.

LXIX. *Acquiescit Pharao.*

Acquiescit Rex, & ad Iosephum conuersus perquam liberaliter optionem illi dat cuiusuis prouinciæ Aegypti, & nominatim consentit de terra Gessen. *Quod si nosti*, inquit, *in eis esse viros industrios, cõstitue illos magistros pecorũ meorũ.* Pecora ergo habebant Ægyptij, &, qui eis præfecti essent, pastores. Sed vt placet Abulẽsi,

& aliis, nomine pecorum intelligit camelos, equos, asinos, mulos, quos non cu-
lebant Ægyptij, sed eorum seruili opera, sicut & reliquæ gentes, vtebantur.
Oues tamen nihilominus, bouésque nutriebant, vt ex hoc ipso capite constat,
siue ad honorem, & delectationem conuersandi cum diis suis; siue ad, lanarum, c. 47. 17.
lactis, & casei vsum; & fortasse terræ culturam: de cibo autem vix ausim assentiri in Euterpe.
Herodoto, qui inter cibos sacros, qui sacerdotibus Ægypti præstabantur, ponit
χηνέων καὶ βοέων κρεῶν πλῆθος. anserinas scilicet, & bubulas seu vitulinas carnes; de pi-
scibus autem gustare nefas illis fuisse.

LXX. *Iacob introducitur ad Pharaonem.*

POST *hæc introduxit Ioseph patrem suum ad Regem, & statuit eum coram eo.* At bonus c. 47. 7.
senex non ignorans Reges, quamuis infideles, atque improbos Dei vicarios esse in
terris, Deum in Pharaone, quasi viua imagine, veneratus est, eique plurimam im-
precatus fœlicitatem, Deo, vt par est credere, tam benigni erga se principis salu-
tem commendauit. Pharao verò grandæuum ac venerabilem senem contempla-
tus, *Quot sunt dies*, inquit, *annorum vitæ tuæ?* id est anni, siue dies annales, vt lignum
vitæ aut vitarum, pro arbore vitali. Septuaginta vertunt locutionem, eadem re-
manente sententia, *Quot sunt anni dierum vitæ tuæ*? Nisi fortè placet annos dierum u. χ.
intelligere annos integros ac perfectos, omnibus suis diebus constantes. Ex quo
etiam intelligeretur, annos, de quibus Iacob respondet, integros atque exactos
esse, & consequenter eum hoc tempore ingressum esse annum vitæ primum su-
pra centesimum atque trigesimum, quem nos illi annum, in huius anni indice at-
tribuimus.

LXXI. *Chronologia ex Iacobi annis.*

Ex qua nota Chronologica, tum alia multa de temporibus, & ætate Patriarcha- l. 9 in Gen.
rum colliguntur à Ruperto, aliisque interpretibus, vt suis locis declaratum est; c. 19 Perer. Del Rio, &c.
tum illud de mansione Israëlitarum in Ægypto, qua de re postea accuratius dicen-
dum erit. Illud tantùm hoc loco argumentum attigisse sufficiat, quod ex Aposto- ad Gal 3. 17
lo deducitur. Cùm enim is scriptum reliquerit datam fuisse legem post quadrin-
gentos & triginta annos à promissionibus Abrahæ factis, quas primùm factas con-
stat, tam sub egressum ex Charan, quàm in ingressu in Chananitidem, cùm ageret
annum ætatis quintum & septuagesimum, audiuitque sibi dicentem Deum, *Semi-
ni tuo dabo terram hanc*, &c, *In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ.* Ab illo autem
tempore vsque ad hunc Iacobi annum, cùm ducenti & quindecim anni transacti
sint, necesse est totidem superesse, quibus Iacobæi in Ægypto commorati sunt.
Illi autem anni conflantur ex 25. annis quos vixit Abraham à promissione vsque
ad natiuitatem Isaac, quæ centenario patre contigit; & ex 60. quos vixit Isaac, vs-
que ad ortum Iacob; & ex 130. annis ipsius Iacob. Reliqui autem confici debent
ex 70. & vno Iosephi annis, quos superuixit ab hoc in Ægyptum ingressu, & 80.
Mosis, & sexaginta quatuor interiectis, vt deinceps sigillatim ostendemus. Nunc
redeamus ad Patriarcham.

25	71
60	64
130	80
215	215

LXXII. *Ærumnosa Iacobi vita eiúsque labores duodecim.*

IS Pharaoni respondens, paucis se annis vixisse ait, collatis videlicet cum lon-
gissima præcedentium Patriarcharum ætate, atque adeo proximorum. Nam cùm
putaret se iam ad lethi fores peruenisse, meminerat patrem 180. annis vixisse, auũ
175. & sciebat proauum ad ducentesimum quintum peruenisse. Eósque ipsos an-
nos suos malos, id est ærumnosos fatetur; & meritò. Tota quippe eius vita labo-
rum, atque ærumnarum plena fuit, vt notauit Chrysostomus. Abulensis, Perer. hom. 65. &
Cornel. à Lapide in hunc locum, pleráque numerarunt. Nos insigniores duode- 1 s de Prouiden.
cim, quasi totidem Herculeos labores ex Scriptura collegimus. Gen. 47.
Primus fuit cùm metu fratris sibi mortem intentantis coactus est patrem gran- 1.
dæuum, matrem dilectissimam, patriámque relinquere, & solus baculo innixus Gen. 28.
Iordanem transire, pedésque vsque in Mesopotamiam exul proficisci. Secundus 2.
in Mesopotamia, vbi cùm per septem annos duro in famulatu pro vxore seruis- Gen. 29.
set, ea frustratus, totidem rursus annos pro eadem seruire coactus est: additis in-
super sex annis famulatus pro gregibus. Quorum annorum miseriam, auxit Gen 31.
Labani soceri, decies mercedem ipsius commutantis iniquitas. Tertius fuit 3.
ingens metus à fratre in occursum eius, cum quadringentis viris veniente; Gen 32.
cuius iram vix multa munerum impensa effugit; & humilitate in beneuo- 4.
lentiam conuertit. Quartus fuit violatio Dinæ, Sichimorum horribilis cla- Gen 34.
des, & periculum sibi imminentis ruinæ à circumpositis gentibus. Quintus 5.
Gen 35.

mors dilectissimæ Rachelis in puerperio, ac partu Beniamin. Sextus, nefarius in- 6. Gen 35. 49.
cestus Ruben primogeniti sui, cum Bala concubina sua, qui dolor etiam in mo-
rientis pectore infixus hærebat. Septimus, amissio Iosephi adolescentuli, om- 7. Gen. 37.
nium filiorum amantissimi, quem vt à bestiis laceratum, inconsolabili luctu, per
viginti tres annos prosecutus est. Octauus, præmatura mors duorum filiorum Iu- 8.
da, ex quo oriturum sciebat illum Desideratum cunctis gentibus, cui mœrori qua- Gen. 38.
si auctarium accessit, Thamaris, ac Iudæ nequitia.

Nonus publica, priuatáque necessitas, totius regionis, domúsque propriæ, diu- 9.
turna fame afflictæ; ob quam decem filios semel iterúmque in regionem longin- Gen 42.
quam amandare coactus est. Decimus, calumnia inrorta omnibus filiis, & con- 10.
iectus vnius eorum in carcerem, diuturnáque detentio. Vndecimus, agonia lu- Ibid.
ctantis animi hinc à fame domestica, & vinculis Simeonis, inde à metu amitten- 11.
di, mœroréque dimittendi Beniamini. Duodecimus, demigratio in Ægyptum Gen 43. 12.
cum tota familia, vbi non ignorabat semen suum grauibus ac diuturnis calamita- Gen. 46.
tibus oppressum iri. Rectè igitur Patriarcha dies peregrinationis suæ paruos &
malos affirmauit.

LXXII. *Familia Iacob locatur in terra Gessen.*

Porrò Iacob cùm Regem iterum honorificè consalutasset, cum suis *egressus est foras. Iosephus autem patri ac fratribus suis dedit possessionem in Aegypto, in optimo terræ loco Ramesses, vt præceperat Pharao.* Ita Moses. Ex quo apparet Ramesse fuisse in terra Gessen, de qua locutus fuerat Rex. Sed nondum fortasse ea denominatio loco data, neque vrbs ædificata, vt patet ex initio Exodi. Hieronymus autem. *Ramesse,* inquit, *vrbs quam ædificauerunt filij Israel in Aegypto. Olim autem & vniuersa prouincia sic vocabatur, in qua habitauit Iacob, cum liberis suis.* Pro Ramesse maluit Iosephus Heliopolim dicere, improbante Del Rio. Philo satis habuit dicere datum Israëlitis agrum vbertatis præcipuæ. Certò tamen constat Gessen nomen esse prouinciæ, maiorísue loci, non autem vrbis vnius. Ideóque emendandus videtur Artapanus apud Eusebium, ait enim Iudæos, *κατοικισθῆναι ἐν τῇ πόλει Καισάν.* Nisi fortè aliud est *Καισὰν* à *Γέσεμ*, quam habent Septuag. quod non puto.

c. t. tt. in lo. Heb.

l. 9. de præpar. c. vlt.

LXXIV. *Hebræorũ opinio de ortu Iochabed.*

Cæterum Hebræi apud Lyranum, & Abulensem aiunt Iocabetham filiam Leui, hoc primo anno commorationis in Ægypto, natam, esse & in Ægyptum in vtero matris ingressam. Et Scriptura quidem ait eam in Ægypto natam, sed annum natiuitatis non attingit. Ea porrò assertio inuentionem Rabinorum sapit, quorum ingenium audacius in excogitando, quàm fœlicius. Sic enim complere voluerunt septuaginta personas, quæ ingressæ sunt Ægyptum, excluso Iacob. At irrito se illi labore vexarunt. Nam Moses licet Iacobum à numero 66. excludat; in numero tamen sequenti septuaginta personarum eum includit, mutata de industria forma loquendi. Quid quod hæc Iocabeth, quæ Mosis & Aaronis dicitur mater, tam in Exodo, quam in libro Numer. cùm natus est Moses annum egisse oportuit centesimum trigesimum quintum? Verùm hac de re iterum alio loco dicendum erit.

in c. 46. Gen. Num. 26 59

c. 6. 20. c. 26. 59. 215 80 —— 215

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2329.

N. L. 1. Vocat tamen nonum principatus in textu Græco, *καὶ ἐνάτῳ με ἡγεμονίας*, sed ordinat eum in decimo, significans annum sumendum esse completum. Fallitur autem author testamenti Patriarcharum, qui vocat hunc annum Iudæ 46. Chronolog. Alexandr. ponit hoc anno primũ annum Caath filij Leui secundi, qui sit promissionis 216. & eiusdem Caathi quintus sit 220. promissionis, sed nos Epiphanium in annis eius secuti sumus, ex cuius Chronologia hic est 12. eiusdem.

Ibid. 2. Est autem in iis vbique vno anno tardior, præterquam in Beniamino, quem ait hoc tempore fuisse annorum 28. manifesto errore, cùm constet eum natum intra eiusdem anni circulum quo venditus est Ioseph, quem oporteret consequenter esse nunc annorum 45. Facit & Iosepho Dinam vno anno iuniorem, cùm contrarium potius ex Mosis narratione liqueat, Genes. 30. 21. & seqq. & plerique omnes, & nominatim Torniellus, eodem anno natam consentiant. Imò ipse idem Demetrius cùm de ortu Patriarcharum agit, eodem vtrósque anno decimoquarto famulatus Iacobi, atque adeò eodem mense octauo natos asseruit, vt supra Rubenis anno primo declaratum est. Confirmat autem idem Demetrius Promissionis æram. Ait enim, *Ex quo electus est Abraham ex gentibus, & eductus ex Charan in Chanaan, vsque ad ingressum Iacobi cum suis in Aegyptum annos intercessisse* ΣΙΒ.

id est ducentos quindecim, nimirum absolutos. Sed oe hoc quoque in Trapezuntij versiooe reperies.

N. III. 3. Aut fortasse mensibus, si expectatum est duio cœlum mitesceret, dum aliquæ puerperæ, aut ægri conualescerent, & quæ propinquæ erant partui fœtibus leuarentur suis, aut res aliæ, quales in numerosa familia plurimæ, in suscipiendis peregrinationibus occurrunt, moram postulabant longiorem: aut separatio ab affinibus Chananæis: cùm iis enim erant iuncta connubia, aliáque non pauca negotia interceſſerant.

N. XXI. 4. Fuit autem tribus Ephraim præcipua in regno decem tribuum, adeo vt nomine Ephraim non raro decem tribus intelligãtur, sicut reliquæ duæ nomine Iuda. Isaiæ 7. 17. cap. 11. 13. Osee 5. 5. 9. 10. 12. 14. c. 6. 4. 10. 11. & alibi apud eundem, & alios Prophetas.

Ibid. 5. Ait idem Septuaginta numerare 75. Moysem autem 70. quia illi etiam numerent eos, qui in lumbis patris fuere: hic autem eos tantùm, qui die ingressus nati erant, & actu intererant. Verùm id de Hesron & Hamul dici non potest, vt ipsemet paulò antè vers. 12. fassus est.

N. XXX. 6. Verba illius sunt, *Ἀφ' οὗ Ἰακὼβ γῆν λιπὼν Χαναναίαν, κατῆλθ' εἰς Αἴγυπτον ἔχων ἑβδομήκοντα δύο ψυχὰς σὺν αὐτῷ, ἢ ἐπιγενομένων πλεῖον λαόν*, &c.

N. LXI. 7. Caue autem putes id probari ex eo quod Ioseph dicatur ascendisse obuiam patri suo ad eundem locum. Nam hic ascensus ad currum referendus est, non ad terræ situm. idque patet v. 31. vbi rediturus ad Pharaonem dicitur ascendere; at dicendum fuisset, *descendam*, &c.

N. LXIII. 8. Videtur voluisse Flauius alludere ad historias aliquorum, qui magno quodam atque improuiso gaudio oppressi, extinctique sunt. Verùm hoc de quo agimus subitum noo fuit, neque improuisum, sed ab aliquot iam mensibus expectatum, atque prælibatum.

N. LXIV. 9. Trapezuntius cùm hæc Iosephi verba ex Demetrio apud Euseb. de præpar. l. 9. vlt. verteret, oegationem adiecit de suo; quæ in texto Græco non habetur, sicut nec in Scriptura sacra. Et ideo inquit, vocatos docuisse, ne si à Rege interrogarentur de artificio suo, pastores se dicerent; quod ea res Ægyptiis turpissima videbatur.

N. LXV. 10. Nam inter cibos sacros, qui sacerdotibus Ægyptiis præstabantur, ponit carnem bubulam, siue vitulinam, & anserinam. Et rursus versus finem eiusdem libri. Inter septem hominum genera, qoæ in Ægypro versentur, primò sacerdotes numerantur, tum pugnatores, tertio loco pastores boum, quartò subulci, quintò institores, sexto interpretes, postremo gubernatores oauales. Nimirum apud Ægyptios præposterè plurima gerebantur, & contra omnium gentiom mores, vt idem Herodotus pluribus docet.

N. LXX. 11. Quasi dicat, dies vitæ tuæ quot annos conficiunt? cùm aotem respondeat se agere 130. annos, facilè est, si quis velit, scire quot diebus illi omnes consteor, nimirum 47. millibus, 482. additis quarto quoque anno diebus singulis. Addendi etiam essent dies præsentis anni, qui incerti sunt.

ANNVS MVNDI 2330. DILVVII 674. TERTIÆ ÆTAT. 292. IACOBI 132. RVBEN 48. SIMEONIS 47. LEVI 46. IVDÆ, ET DAN 45. NEPHTHALI ET GAD 44. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 43. IOSEPHI 42. PRINCIP. 11. BENIAMIN 25. CAATH 15. MANASSES 11. EPHRAIM 10. PROM. 217. MORÆ IN ÆGYPTO 2. BALÆI REGIS 29. IMPER. ASSYRIORVM 399.

ANTE CHRISTVM 1723.

Gen. 47. 12. SEQVITVR quartus annus famis, ad quem, trésque reliquos, quod attinet ad Israëlitas, illa Mosis verba pertinent. *Et alebat eos, omnémque domum patris sui, præbens cibaria singulis*; & quidem, vt arbitror, gratis. Non enim pareior factus erat, aut tenuior, quàm duobus annis proximè præcedentibus, quibus pecuniam remisit in patriam in ore saccorum. Præsertim cùm ipsa phrasis Hebræa liberalitatem quandam significet. Habetur enim *dedisse cibaria secundum os paruulorum*, id est, vt interpretatur Del Rio, quantum volebat minimus quisque de familia, sumpto ore pro voluntate, vt suprà, de Rebecca. *Quæramus os eius*, id est voluntatem, quæ ore profertur. sic Iosuë 9. *Et os Domini non interrogauerunt*. Alij tamen, in quibus & Chaldæus paraphrastes, explicant os paruulorum, consentaneè editioni vulgatæ, pro ratione & numero paruulorum; vt scilicet plus illi familiæ daretur, in qua plura erant ora manducantium. Ex quo etiam intelligitur gratis eum dedisse frumenta, vt Caiet. quoque sentit. Alioqui enim dicendum fuisset dedisse pro quantitate pecuniæ, non autem pro | I. *Ioseph gratis suos nutrit.*

Gen. 24. 57. Ios. 9. 14. Et ibi Fagius Vatab. & Rabbi Kimhi.

numero manducantium. Et confirmatur, quia cùm de reliquis agitur, quasi per antithesin fit nominatim mentio pecuniæ. Idque, vt arbitror, non sine regis consensu factum; cuius voluntate in Ægyptum descenderant. alioqui, ecquid vtilitatis ex tam laboriosa migratione consecuti essent, si æquè ibi suis sumptibus victuri erant?

II. *Omnem pecuniã Ægyptiorum acquirit Regi.*

QVOD ergo attinet ad Ægyptios, reliquósque populos. *In toto*, inquit, *orbe panis deerat, & oppresserat fames, terram maximè Aegypti, & Chanaan; è quibus omnem pecuniam congregauit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium Regis.* Quod de hoc & tribus annis præcedentibus intelligendum est. Quatuor scilicet annis, cùm frumentum carissimè, vt in fame, venderetur, omnem pecuniam corrasit, vt nulla penè ad reliquos vsus in populi manibus reperiretur. Verùm non sibi corrasit, sed Regi. *Tanta fide*, inquit Philo, *vsus est in administrandis negotiis publicis, vt cùm ratio temporum plurimas occasiones ei præbuisset ad congerendam pecuniam, potuissétque facilè ditissimus sui seculi euadere, totum argentum, aurúmque è frumenti pretio collectum retulit in thesauros regios, ni drachma quidem subtracta, contentus donis, quibus eum Rex remunerabatur.* l. de Ioseph. Eandem fidem commendat S. August. in quæst. in Genesim. q. 159.

ANNVS MVNDI 2331. DILVVII 675. TERTIÆ ÆTAT. 293. IACOBI 133. RVBEN 49. SIMEONIS 48. LEVI 47. IVDÆ, ET DAN 46. NEPHTHALI ET GAD 45. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 44. IOSEPHI 43. PRINCIP. 12. BENIAMIN 26. CAATH 14. MANASSIS 12. EPHRAIM 11. PROM. 218. MORÆ IN ÆGYPTO 5. BALÆI REGIS 30. IMPER. ASSYRIORVM 400.

ANTE CHRISTVM 1722.

I. *Ægyptij etiam pecoribus redimunt.*

QVINTVS annus famis pecoribus spoliauit Ægyptum, & vicinas circumquáque prouincias. Gen. 47. 15. Nam in Hebræo, Chaldæo & Græco habetur defecisse argentum, tam in Ægypto, quàm in Chananitide, idémque habet D. Chrysost. hom. 65. vulgata breuius. *Cùm enim defecisset emptoribus precium, venit cuncta Aegyptus*, missis videlicet omni ex parte procuratoribus, *dicens*, v. 16. *Da nobis panes, quare morimur coram te deficiente pecunia? Quibus ille respondit, Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis. Quæ cùm adduxissent, dedit eis alimenta pro equis & ouibus & bobus, & asinis; sustentauítque illos eo anno pro commutatione pecorum.* Quomodo haberent Ægyptij quoque oues & boues suprà dictum est. n. 69. Dici etiam non ineptè potest, oues & boues pertinuisse ad Chananæos, equos autem & asinos ad Ægyptios; nam vtrósque proximè nominarat. Ioseph autem pecora nutriebat paleis, quas, vna cum frumento, manipulatim collegerat: quas etiam vendidisse præcedentibus annis apparet; sed nec planè deerant pascua in Ægypto circa loca palustria, vt notat D. Augustinus q. 160.

II. *Quid factum tot pecoribus.*

Neque verò probabile arbitror, quod quidam putant, vendita quædam Syris à Rege pecora; Arabibus item, & Libyæ populis, nam apud eos quoque grassabatur inopia. Crediderim potius longius in Asiam, Græciam, Italiam classe transportasse, distraxisséque, quæ sibi superflua putabat; vel Ægyptiis ipsis nutrienda, conseruandáque tradidisse, dato pabulo, vt essent eorum non vt antè domini, sed custodes. Hoc ergo anno nutriti sunt populi pro pecoribus suis, quæ fortasse non adeo numerosa fuerunt, vt aliquibus visum est; quod vrgente quintum iam annum fame magnam partem ipsi domini consumpsissent, fames quippe omnia vertit in cibum; partem etiam extinxisset fames.

ANNVS MVNDI 2332. DILVVII 676. TERTIÆ ÆTAT. 294. IACOBI 134. RVBEN 50. SIMEONIS 49. LEVI 48. IVDÆ ET DAN 47. NEPHTHALI ET GAD 46. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 45. IOSEPHI 44. PRINCIP. 13. BENIAMINI 27. CAATH 15. MANASSIS 13. EPHRAIM 12. PROH. 219. MORÆ IN ÆGYPTO 4. BALÆI 31. IMP. AISYR. 402.

ANTE CHRISTVM 1721.

Gen. 47. 18. VENERVNT *quoque anno fecundo*, id eft vertente anno à datis pecori- I. *Sextus annus famis.*
bus in commutationem frumenti, qui fuit fextus famis, vt Abulenfi
quoque, Lipomano, quamquam is dubius eft, Del Rio, & Torniel-
lo vifum eft. Venerunt, inquam, Ægyptij fame oppreffi; nam de his
hoc loco vel folis, vel maximè agi, fequentia, quæ funt de acquifitio-
ne terræ Ægypti, fatis docent. Et dixerunt Iofepho, *Non celabimus dominum no-
ftrum, quod deficiente pecunia, pecora quoque defecerunt, nec clam te eft quod abfque corporibus
& terra nihil habeamus. Cur ergo moriemur te vidente? Et nos, & terra noftra tui erimus.*
Hoc vltimum & maximum pretium eft, quo miferi Ægyptij à dira fefe neceffita-
te famis expediunt, propriis terris, propriáque libertate diftractis: vt deinceps Æ-
gyptus ita Regis Ægyptij fiat, vt ipfius vnius fit, in eámque non fupremum ius
modò, fed omne planè confequatur, & homines pro fubditis, ferui & mancipia
fiant. Quod ipfi vltro profitentur; fubdunt enim, *Eme nos in feruitutem regiam, &
prabe femina, ne pereunte cultore, redigatur terra in folitudinem.*

ACQVIEVIT Iofeph, & acquifiuit tam ipfos, quàm terras eorum; debuítque II. *Vendunt Aegyptij terras fuas, & libertatem.*
deinceps omnes, tanquam famulos domefticos alere; omni eorum labore in Pha-
raonis vtilitatem cedente. *Emit igitur Iofeph*, ait Moyfes, *omnem terram Aegypti; ven-
dentibus fingulis poffeffiones fuas, pra magnitudine famis.* Nec mirum videri debet pre-
tium poffeffionum non in hunc, & fequentem annum fuffeciffe, vt pro iis aleren-
tur. Nam deficientibus emptoribus, permodicum erat earum pretium; frumenti
autem maximum, quale omnino venditori placuiffet. Itaque venditis poffeffio-
nibus, feipfi vendiderunt. *Subiecítque Iofeph terram Pharaoni, & cunctos populos eius, à no-
uiffimis terminis Aegypti, vfque ad extremos fines eius.*

NON ignorandum eft, in Hebræo, & Paraphrafi Chaldæa (nam Septuaginta III. *Seruitus, & transmigratio Aegyptiorum.*
τὸν λαὸν κατεδουλώσατο αὐτῷ. vulgatæ confentiunt) fic haberi. *Populum verò tranfire fecit ad vrbes, ab extremitate
termini Aegypti, vfque ad extremitatem eius.* Id Flauius quoque Iofephus confirmat.
Ait enim, *Cùm omnes poffeffiones in ius Regis deueniffent, alium aliò migraffe, quò certius
μετῴκισεν ἄλλον εἰς ἀλλαχόν. effet regium dominium.* Sonat litera, vt inquit Caiet. *Iofephum in fignum tam feruitutis
Aegyptiorum, quàm proprietatis terra acquifita Pharaoni, tranftuliffe populos, de agro vnius
ciuitatis ad agrum alterius, vt fic agnofceretur Pharao, proprius dominus fingulorum agrorum,
mutando colonos. Et ipfi Aegyptij huiufmodi facto profiterentur fe effe non folùm fubditos, fed
etiam feruos Pharaonis.* Hæc ipfe. Hinc autem etiam factum eft vt omnes Ægyptij
exules effent, atque extorres à propriis fedibus: ne deinceps Ifraëlitis, quafi exuli- I. X.
bus & peregrinis, infultarent. Pulchrè Rupertus. *Hos habuit effectus illud, quod vo-
l. 9. in Gen. c. 20. cauit Dominus famem fuper terram; & ad hoc vocatio eius profecit, vt & Ifraël intraret in
Aegyptum, & in feruitutem redigeretur fuperbia Aegyptiorum.* Et mox. *Bene ergo tanquam
ftrenuus lictor aftitit vocanti, & voluntatem fecit imperantis, cùm duos reos vno veluti carce-
re arctauit, vt alter, fcilicet Ifraël, qui fratrem fuum vendidit, flagellatus, generatione quarta
folueretur ad gloriam; alter, id eft Aegyptius populus, fuperbiens in curribus & equis, educere-
tur ad pœnam.* Ita Rupertus.

PORRÒ cùm dixiffet Mofes totam terram Ægypti, induftria Iofephi fuiffe IV. *Præterquã facerdotũ,*
acquifitam Pharaoni, excepit illico terram facerdotum, *qua à Rege tradita fuerat eis;*

Priuilegium sacerdotum quos Rex sustentauit. — *In Aegypto, eiusque causæ.*

vt habet nostra editio, cùm tamen in Hebræo, Græco, aut Chaldæo nulla fiat mentio terræ à Rege datę sacerdotibus: sed tantùm causæ, cur coacti non fuerint sacerdotes vendere terram suam Regi, sicuti cæteri [2]. Quam etiam perspicuè expressit Hieronym. Subdit enim. *Quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas.* Egregia vtique, vehementérque laudabili liberalitate, atque in Deum pietate, si verum ei colere contigisset: cuius ministros à communi calamitate eximios esse volebat; suúmque existimabat illis præbere temporalia, à quibus spiritualia recipiebat, & publicè alere, publico Dei famulatui destinatos. Dignus est enim operarius mercede sua. (2. ✠.)

V. *Ob diuinū cultum, in Christianorum Principū exemplum.*

Cvm autem isti sacrificuli, nequissimi essent omnis superstitionis incentores, & stupidissimæ omniū idololatriæ mancipia; quid facturum putemus istum Regem, si illi & veri Dei cognitio contigisset, & in sanctos sacerdotes, qui eum religiosè colerent, incidisset. *Tantopere*, inquit Theodoretus, *venerabantur homines impij eos, qui non erant Dij. At verò sacerdotes Dei viuentis non gaudent hac immunitate.* (qu. 106.) Chrysost. autem, *Audiant, qui nunc viuunt*, inquit, *quantam olim sacerdotum idolorum curam habuerint, & discant vt vel saltem parem habeant honorem iis, quibus omnium Dei ministerium creditum, & sacerdotio insigniti sunt. Si enim errantes illi, & tantam idolorum curam habentes, qui ex hoc putabant idola magis coli, si ita eorum ministros colerent, quanta non condemnatione digni, qui nunc imminuunt quod ad illorum spectat cultum? An nescitis quod honor ad Deum ipsum transit?* (hom. 65.) Et mox, *Ita & illorum contemptus multam è supernis pœnam nobis deferet.* Et infra concludens. *Ne igitur simus deteriores infidelibus, qui propter idolorum errorem adhuc tantum cultum exhibent illorum famulis. Sed quantum distat error & veritas, & illorum sacerdotes à Dei sacerdotibus, tantùm distet honor & obseruantia, qua istos prosequamur.* Vide decretum Alexandri 3. in Concilio Lateranensi c. 19. [3] (3. ✠.)

VI. *Eorúmque liberalem eruditionē.*

Alteram etiam causam subdit Abulensis huius priuilegij erga Ægyptios sacerdotes; quod scilicet studiis mathematicarum disciplinarum essent dediti; quibus vt vacare possent, Regum munificentia liberi fiebant à cura temporaliū. Itaque merito prædicat hoc loco Caietanus Ægyptij regis integritatē, ac fidem; qui ne in tanta quidem penuria subtraxerit solita sacerdotum alimenta, qui & diuino cultui, & speculatiuis scientiis intenti erant. Isti assertioni patrocinatur Aristoteles, initio Metaphys. cùm ait, circa Ægyptū Mathematicas disciplinas institutas (l. 1. c. 1.) fuisse, quod illic gens sacerdotum vacare permitteretur. Cheræmon Stoicus apud D. Hieron. contra Iouinianum, de vita antiquorum Ægypti sacerdotū scribit eos (l. 2. contra Iouin.) omnibus mundi negotiis, curísque postpositis, semper in templo diuersatos, & rerum naturas causásque, ac rationes syderum fuisse contemplatos. Verùm de hisce Ægyptiorum doctoribus sermo recurret, cùm de Mosis institutione dicendum erit. (Exod. Act. 7. 22.)

VII. *Eorundem autoritas, & immunitas.*

Hvic scientiæ, ac religiosæ functioni, respondebat eorum apud omnes authoritas, reuerentia, immunitas. *Totius regionis Aegypti*, ait Diodorus Siculus, (l. 1.) *quæ tripertita est, primam Sacerdotum ordo sibi portionem vendicat, in magna apud indigenas autoritate & reuerentia constitutus, tum ob pietatem in Deos, tum quod summam ex eruditione prudentiam ad Rempub. afferunt. Ex vectigalibus autem suis cuncta per Aegyptum sacrificia procurant, ministrósque alunt, & suis inde vsibus necessaria depromunt.* Et mox. *Hi namque vt Senatus principes, Regi perpetuo præsto sunt quà opera, quà consilio & doctrina ipsum adiuuantes. Ex Astrologia quidem & sacrorum inspectione futura diuinant, & prædicunt. E sacrorum verò librorum annotatis, res gestas cum vtilitate coniunctas prælegunt.* Et infra. *Hi à cunctis oneribus sunt immunes; & primas à Rege honoris, & potestatis obtinent.* Subdit autem secundam terræ portionem Regibus ac vectigalia cessisse, vnde in vsus bellorum impenderent, & suum ipsi splendorem conseruarent. Tertiam autem militibus attributam. Herodotus autem l. 2. extremo, immunitatem primo sacerdotum omnimodam; tum virorum bellatorum certis definitam terminis memorat. (in Euterpe.) Et rursum, sub eiusdem libri initia, negat eos è re domestica aliquid consumere, aut erogare, sed eorum singulis quotidie cibos sacros coctos præsto esse. Denique quod suprà ex Mose retulimus de filia sacerdotis Heliopoleos, à Rege ipso in vxorem Iosepho tradita, postquam ad summam dignitatem euectus est, haud obscurum argumentum est tam eximiæ dignitatis sacerdotalis apud Ægyptios, quàm peculiaris Regum erga ipsos prouidentiæ.

Ex his etiam intelligitur minimè neglectos à Iosepho fuisse istos sacerdotes, vt quos Regi charos esse intelligeret; & in eo Regis voluntati obsequeretur. Et quidem in re communi, & vulgari, & quæ natura sua nihil ad fouendum horum sacrificulorum idololatriam spectaret. Non satis ergo cordatè Caluinus hoc loco. *Neque tamen negamus*, inquit, *quin vel hoc ipso deliquerit Ioseph, quia non satis cordatè superstitionibus restiterit*. Qui ergo volebas vt resisteret? num flammis in tecta iniectis, contra supremi principis autoritatem? Hoc discipulis reseruabatur tuis, qui id auderent in templa, vero Deo, quem ipsi se colere dicerent, consecrata, quòd ille frigidus in speluncis idolorum non esset ausus. An spectabas vt neganda annona fame istos ad suspendium adigeret? At tute mox fateris, nihilo magis liberum fuisse Iosepho illis, quàm aulicis proceribus negare frumentum. Quæ te ergo mala prurigo vexat sanctum Patriarcham ore maledico diuexandi? [4] — *VIII. Iosephus in hos sacerdotes benignitas à Caluino malè reprehensa.*

4. x. INCHOAT hoc anno Eusebius decimam octauam Ægyptiorum Dynastiam; in eáque tradit primùm regnasse Amasim per annos 25. Verùm huic tam personæ, quàm familiæ regiæ mutationi, quæ sine motibus non contingit, non fauet sacra historia: quæ satis indicat vnum eundémque regem hoc toto tempore ad Ægyptij regni clauum sedisse, omnia in pace fuisse, sola fame regionem vexante. Hallucinantur autem, & ab Eusebio discedunt, qui Iosephi anno quadragesimo ponunt mortem Amosis, siue Amos, vt eum vocat Africanus, qui ne regnare quidem tum ceperat, & consequenter Chebronem præproperè introducūt. Cæterùm pro Amasi rectiùs Amosim doctiores scribunt, vt docet Pontacus, & legitur in Græco Eusebij. Idémque Pontacus putat hunc Amosim vocari Thamum in Phædro Platonis. — IX. *An Rex nouus in Ægypto.* — Capellus.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2332.

N. III. 1. IDAM notauit Emanuel Sà in Genesim. Cæterùm eam interpretationem, & loci varietatem iamdudum viderant Lyranus & Abulensis. Et post eos Lipomanus, Oleaster, Vatablus, Del Rio, & interpres Chaldæi Onkelos, qui & agnoscunt ortam diuersitatem ex mutatione vnius elementi in alterū, ר in ד הֶעֱבִיר transtulit per ר, הֶקְבִּיר subiecit.

N. IV. 2. Traditam dixit fortasse explicandi causa; id est permissam, siue relictam. Et allusum videtur ad principum morem; quorum liberalitate fundatæ sunt Ecclesiæ, amplissimáque sacerdotia, quos imitati sunt etiā priuati viri.

N. V. 3. *In quo*, ait Abulensis in hunc locum, *valde Reges, & Domini nostri temporis exprobrabiles redduntur, qui non solùm Ecclesiis, existente vero sacróque Deitatis cultu, qui apud Gentiles non viguit, bona non conferunt, sed etiam ab antiquorum deuotione collata, auferunt ministris Ecclesiasticis: exactiones, extorsionésque partim publicas, partim priuatas imponentes: vt iam idem Rex, & Papa, & Episcopus videatur. Sed abominandum valdè est, vt filij patres suos subiiciant seruituti.* Hęc ipse.

Hęretici quæ hîc à Scripturæ & sanctis Patribus in gratiam sacerdotum, & legitimorū Ecclesiæ ministrorum dicuntur, ad suos ipsi ministellos, per quos à vero Dei cultu, veráque Ecclesia distracti sunt, & in eodem schismate detinentur, iniustissimè accommodāt; quos nemo misit, nemo consecrauit, sed iniussi venerunt, intruserûntque se. probantes Christi Domini veritatem. *Qui non intrat per ostium ille fur est & latro.* Ioan. 10. 1. 8. N. VIII. 4.

ANNVS MVNDI 2333. DILVVII 677. TERTIÆ ÆTAT. 295. IACOBI 135. RVBEN 51. SIMEONIS 50. LEVI 49.

IVDÆ ET DAN 48. NEPHTALI ET GAD 47. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 46. IOSEPHI 45. PRINCIP. 14. BENIAMINI 28.
CAATH 16. MANASSIS 14. EPHRAIM 13. PROM. 620.
MORÆ IN ÆGYPTO 5. BALÆI 30.
IMP. ASSYR. 402.

ANTE CHRISTVM 1720.

Gen. 47. 23. in lib. de Ioseph. EST hic annus septimus ac postremus famis Ægyptiacæ. De quo Philo, *Ineunte*, inquit, *anno egestatis septimo, accitis agricolis, iam enim vbertatis spes affulgebat, dedit hordeum & triticum ad sementem; diligenter cauens, ne quis hæc in aliū* — I. *Agricultura an cessarit ad septennium.*

vsum verteret, Appositis custodiis ex optimatibus, qui sationem obseruarent. Sic ipse. Verùm credibilius est etiam singulis annis seminatum fuisse, quamuis pertenuis redderetur messis, Nilo tenuitèr arua rigante, vt passim consentiunt interpretes; tametsi Flauius id negare videatur. Nec repugnāt ea Patriarchæ verba. *Et adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti,* solito scilicet more, cum spe minimè dubia copiosæ messis. Gen 45. 6. Cum his septem annis tam malignè terra votis agricolarum responderet, vt parum pro nihilo reputaretur. Adde quod alioqui terra in solitudinem redacta fuisset, quòd vitandum esse, iam præterito anno Ægyptij Iosepho dicebant. Itaque existimandum est nunquam planè desertam fuisse agriculturam; sed prioribus quinque annis Ægyptios agros suos empto tritico seuisse; duobus autem sequentibus, cùm & agri, & personæ in dominium Pharaonis transissent, traditum Ægyptiis frumentum, quod tam ipsorum victui, nam seruo herus victum debet, quàm sationi necessarium erat. Eccl. 33. 25.

II. *Liberalis contractus Iosephi cũ Ægyptiis.*

ITAQVE ad vtrumque hunc annum, sextum inquam & septimum egestatis pertinere arbitror illa verba Iosephi. *En, vt cernitis, & vos, & terram vestram Pharao possidet, accipite semina, & serite agros vt fruges habere possitis.* v. 23. Sed vide liberalitatem. *Quintam,* inquit, *partem Regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familiis, & liberis vestris.* v. 24. Regia planè Iosephine, an Pharaonis, an vtriusque beneficentia? Suggessit Regi Iosephus, consensit Iosepho Rex, populus beneficium accepit. Cùm enim tota planè messis ad eum pertineret cuius erat ager, & sementis & agricolæ, neque isti quidquam ex ea, præter tenuem victum sibi vendicare possent, quatuor eis partes concessit, quintam Regi quotannis pendi iussit, vt deinceps non tam coactos seruos, quàm beneuolos haberet subditos.

III. *Eorum lamilis gratúsque animus, in recipienda libertate.*

AT tam inopinatum, támque munificum nuncium mirè exhilarari Ægyptij, *Salus nostra,* inquiunt, *in manu tua est, respiciat tantùm nos dominus noster, & læti seruiemus Regi.* v. 25. Vel vt explicat Vatablus ex Hebræo. *Viuificasti nos,* author vitæ nostræ es, restituisti nos in vitam, reputabimus hoc pro maximo beneficio, si receperit nos Pharao in seruitutem suam. At recepti iam erant, aut redacti potius in seruitutem. Sed hac pactione agnoscebant se asseri quodammodo in libertatem, & manumitti. Itaque rectius noster Del Rio. *Par est vt voluntati tuæ nos permittamus, si videatur beneficij loco nobis erit seruire Regi.* in Gen. 47. *Ex eo tempore vsque in præsentem diem,* ait Moses, *in vniuersa terra Aegypti Regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit;* vtpote quæ diuendita non fuerat, nec in regium dominium, Rege ipsis de victu solito more gratificante, transierat.

IV. *Iosephi sapientia, liberalitas, industria.*

VIDES hic singularem Iosephi sapientiam, qui cum maxima populi gratia, tantùm illi tributum imposuerit; liberalitatem, qui de mancipiis emptitiis, pensionarios fecerit, vel censuales. vt ait Abulensis, & Perer. in hunc locum, n. 13. Industriam, in augendis mirum in modum reditibus regiis, vt meritò Rex, populúsque eius vniuersus, Israëlitas fouere, omnibúsque beneficiis prosequi, in gratiam Iosephi debuerit in omnes annos consequentes. Hæc rectè confirmat Flauius, licet circa tempus aberret; velitque factum postquam cessauit fames, quòd biennio ante factum à Iosepho docuimus. *Flauij lapsus.* 1. L. 2. ant. c. 4. [illegible] *Postquam,* inquit, *cessauit fames, & rigante flumine, terra ad pristinam fertilitatem rediit, Iosephus regionis vrbes obeundo, conuocata per singulas multitudine, agrorum, quos Regi cesserant, vsum fructum illis restituit, & adhortatus vt non secus quam proprios colerent, iussit quintam partem fructuum Regi pendere, quæ illi iure dominij deberetur; qui læti insperata restitutione agrorum, culturam strennuè aggrediebantur,* &c. 2. Si restituit agros cum illo onere, non restituit tantùm vsum fructum, vendere quippe illos poterant cum ea seruitute, quòd non licet ei, qui tantùm habeat vsum fructum. Quòd si restituti sunt sui cuique agri, nouam iterum remigrationem fieri oportuit. 3. c. 47. 15. 18. Cæterùm ne illa quidem obambulatio Iosephi per Ægypti vrbes, satis est Scripturæ consentanea; quæ refert cunctam Ægyptum ad Iosephum venisse, per procuratores videlicet suos, tam cùm pecora sua frumento commutarunt, quàm rursus anno sequente, quando seipsos, terrámque suam vendiderūt; quibus cum Iosephus eam legem imposuit, quàm Abulensis ait ad sua tempora perdurasse.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2333.

N. 1. 1. QVI in fertilitate quintam partem frugum Regi vendere, autore Ioſepho iuſſi fuerant, eodem nunc authore in ſterilitate quatuor gratis accipiunt, cum terris ipſis. Eadem ferè miſericordia, qua quis ludo perditas opes, ab eo ipſo qui lucratus erat gratis accipit. Et qua Deus peccatori reſipiſcenti, opera bona per peccatum ſuperueniens mortificata, reſtituit.

ANNVS MVNDI 2338. DILVVII 682. TERTIÆ ÆTAT. 300. IACOBI 140. RVBEN 56. SIMEONIS 55. LEVI 54. IVDÆ, ET DAN 53. NEPHTALI ET GAD 52. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 51. IOSEPHI 50. PRINCIP. 19. BENIAMIN 33. PROM. 225. CAATH 21. MANASSES 19. EPHRAIM 18. MORÆ IN ÆGYPTO 10. BALÆI REGIS 37. IMPER. ASSYRIORVM 407.

ANTE CHRISTVM 1715.

HOC trecenteſimo ab ortu Abrahami anno, nam tertia ætas in Abrahami natiuitate inchoatur, vt in primo eius anno diximus, Sparta celeberrima poſterioribus ſæculis ciuitas in Peloponneſo conditur à Sparto filio Phoronæi, à quo & accipit nomen. Author Euſeb. in chron. Vbi habes confirmatam noſtram chronologiam, de anno promiſſionis, & principatus Ioſephi, & ætatis Iacobi, & Abrahami, & regni Balæi regis Aſſyriorum. Nam quòd ad ætatem Ioſephi, Euſebius idem, ſequentem annum vult eſſe ipſius quinquageſimum, qui tamen inchoatur hoc anno, maxima autem pars eius pertinet ad ſequentem. Notauit Pontacus ad diuerſos Amoſis annos variis in libris Spartæ conditionem referri, à tribus autem mnss. ad hunc annum; quomodo habetur in Græco & Latino editionis Scaligeri, quam & ipſe ſequitur. quem etiam de huius vrbis conditoribus conſule. *Conditus Spartæ, & ratio temporis.*

ANNVS MVNDI 2339. DILVVII. 683. TERTIÆ ÆTAT. 301. IACOBI 141. RVBEN 57. SIMEONIS 56. LEVI 55. IVDÆ ET DAN 54. NEPHTALI ET GAD 53. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 52. IOSEPHI 51. PRINCIP. 20. BENIAMIN 34. PROMISS. 226. CAATH 22. MANASSES 20. EPHRAIM 19. MORÆ IN ÆGYPTO 11. BALÆI REGIS 38. IMP. ASSYR. 408.

ANTE CHRISTVM 1714.

cap. 3. quòd eſt teſtam. Leui. AVTHOR libri Teſtamenti Patriarch. ſcribit natum fuiſſe Merari anno quinto & quinquageſimo vitæ patris ſui Leui, qui eſt præſens annus; additque matrem eius in eo pariendo mortuam, ideóque filiũ ab amaritudine appellatum eſſe Merari. Verùm ſi is eum patre ingreſſus eſt in Ægyptum, vt fert catalogus Moſis, Gen. 44. 11. oportet in numeros irrepſiſſe mendum, & fortè pro 55. legendum 45. qui eſt annus deſcẽſus in Ægyptum. Niſi placet etiam hunc numerari ante quàm natus eſſet. Quòd verò Euſebius hunc annum dicat principio Iubilæi 46. conſtanter facit, quippe qui 45. inchoarat in ortu Ioſephi. At ſecundum rei veritatem, non ſemel alibi declaratam, hic annus eſt 39. Iubilæi 46. *Ortus Merari.*

ANNVS MVNDI 2345. DILVVII 689. TERTIÆ ÆTAT. 307. IACOBI 147. ET VLT. RVBEN 63. SIMEON 62. LEVI 61. IVDÆ ET DAN 60. NEPHTHALI ET GAD 59. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 58. IOSEPHI 57. PRINCIP. 26. BENIAMINI 40. PROH. 232. CAATH 28. MANASSIS 26. EPHRAIM 25. MORÆ IN ÆGYPTO 17. BALÆI 44. IMP. ASSYR. 414.

ANTE CHRISTVM 1708.

I. *Annus mortis Iacob, & quid in Aegypto possederit.*

Gen. 47. 27

PERQVAM celebris est hic annus morte Iacobi Patriarchæ, quàm huc retulit Moses, Gen. 47. vbi hunc ipsum annum decimum septimum habitationis in Ægypto constituit. *Habitauit*, inquit, *Israel in Aegypto, id est in terra Gessen, & possedit eam, auctúsque est & multiplicatus nimis. Et vixit in ea decem & septem annis; factique sunt omnes dies vitæ illius 147. annorum.* Reliqua tota chronologia, ex præcedentibus confirmatur [a]. Quòd porrò dicitur Iacob possedisse terram Gessen, totum pro parte accipiendum est. Nam in Hebræo & Græco est, *hæreditarunt*, siue *possessiones habuerunt in ea*. Paraphrastes tamen Chaldæus habet sicut Latina vulgata. Emerunt scilicet agros à vendentibus fame compulsis, cùm ipsi non carerent pecuniis, & gratis frumentum acciperent, vt suprà declaratum est. Etsi ergo precario illuc à Pharaone introducti; emptione tamen in iura vendentium successere, & optimo iure facti sunt possessores. Atque ita sentit Abulensis, & verba textus requirũt; quamuis Caluinus eos precarios tantùm possessores appellet; quem vt Scriptura refelleret, vsa est voce hæreditandi; significans pari iure quo hæredes solent, factos esse dominos domorũ, & agrorum, quos emerant.

[a] a. X.

II. *Constituit de sua sepultura.*

CVMQVE *appropinquare cerneret diem mortis suæ Iacob, vocauit filium suum Ioseph*, orauitque vt post mortem suam transferret corpus suum in terram Chanaan, sepeliendum in sepulchro patrum suorum Abraham, & Isaac, Saræ & Rebeccæ. Nec orauit solùm, sed promissionem datam, iureiurando firmari voluit. *Pone*, inquit, *manum tuam sub femore meo*: qua ceremonia significari iusiurandum edi per eum, qui aliquando de semine Iacobi descensurus erat, in simili iureiurando, quòd exegit Abraham à procuratore suo Eliezer superius dictum, atque explicatum est. Nec propterea ostendit Iacob, se parum fidere nudæ promissioni Iosephi, dum iusiurandum exigit, sed vt hac obligatione incitetur, ad tantò diligentius rem exequendam, vt ait Abulensis, vel vt facilius impetret à Pharaone profectionem suam, ad explendum officium paternæ sepulturæ, vt notauit Rupertus. *Ergóne*, inquit, *de obedientia filij pater diffusus est, nec aliter securus esse potuit? non vtique sic, sed rationem in ore ponere voluit, quàm in transferendo patrem haberet coram Pharaone, & seruis eius, suspicionémque fugeret, ne alienum ab amore terræ Aegyptiæ videretur animum gerere.*

Sub iureiurando. — cap. 24. — l. 9. c. 21.

III. *Cur in Hebron sepeliri voluerit.*

CAVSA verò cur vsque adeò hanc sui corporis translationem desideret Iacob, vt eam magni beneficij loco numeret, & *misericordiam ac veritatem* appellet, assignat D. Chrysost. Quòd vellet filiis suis spem bonam subostendere, ipsos vel sero, aliquando tamen redituros esse in terram sibi, patribúsque promissam suis. *Et quòd ob hanc causam*, inquit, *hoc præceperit, manifestius nos docet illius filius, dicens. Visitando visitabit vos Deus, & simul feretis ossa mea hinc, quòd scilicet oculis fidei futura prouiderent.* Eadem habet Theodoretus in Genes. Alteram causam affert Rupertus, vt eam terram, quasi Dei donum, se magnifacere demonstraret, vt saltem mortuo corpore illam tenere cuperet. *Quid autem*, inquit, *Patriarcha tantus, cuius cæli, cui viuenti totus mundus exilium fuit, tantopere de corpore suo curauit, & serio scire vo-*

v. 29. — hom. 66. — z. — a. q. 107. — l. 9. c. 21.

luis quo loco puluis in puluerem, & cinis reuertetur in cinerem? Videlicet, quia terra repromissionis Domini Dei erat dicentis, Terram in qua dormis dabo tibi, & semini tuo, & his similia, quæ tam illi quàm etiam patribus suis de terra illa locutus est Deus & repromisit. Donum autem Dei, qualecunque sit, siue magnum, siue paruum, cæleste, siue terrenum, pro honore, vel charitate dantis, preciosum est, & esse debet in oculis sapientis. Idem sentit Caietanus, sed addit naturalem affectum ad societatem suorum maiorum. Tertia est quam innuit D. Aug. & apertè traditur in hist. Schol. & à Lyrano & Abul. Cuius hæc est oratio. *Volebat*, inquit, *Iacob in illo sepulchro sepeliri, quia in spiritu videbat fore vt Messias in terra illa conuersaretur, moreretur, ac resurgeret. Credidit ergo quod sicut multa corpora Sanctorum cum ipso Christo resurrectura erant, vt ex Matthæo constat, ita ipse posset cum eis resurgere. Et sic tenetur ab omnibus Catholicis factum fuisse, scilicet quod Iacob cum Christo surrexit.* Sic ipse. Quòd tamen plurimis Catholicis probabile tantùm est, in quibus Lyranus.

[Margin: 3. q. 161. in Gen. — cap. 27. — c. 47. 31.]

IV. *Iacob voti compos adorat.*

Accepto à filio iureiurando Iacob, *Adorauit Deum, conuersus ad lectuli caput.* Aquila, ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τῆς κλίνης. Symm. ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς κλίνης. *Sic enim habebat lectulum positum*, ait Hieronymus, *vt ipse iacentis habitus, absque difficultate vlla ad orationem esset paratus*[a]; quæ ipsa ferè habet D. August. in quæst. in Genesim. Adorauit autem siue propter iurisiurandi religionem, quam proximè Iosephus vsurpatat, siue gratias agens Deo, qui Iosepho inspiratat, vt sibi de transferendo in Chanaan corpore suo assentiretur, & iureiurando confirmaret. Hinc autem Rabini videntur hausisse opinionem suam, de præsentia, & assistentia diuinitatis ad caput ægroti. Illam porrò geminam adorationis causam agnoscit etiam Rupertus, & recentiores.

[Margin: 2. χ. q 161. — l. 9. c. 21. Oleaster.]

V. *Ad lectuli caput, vel ad summitatem virga.*

Longe porrò aliam ac diuersam Septuaginta extulere sententiam, qui aiunt Iacobum adorasse ad summitatem virgæ eius: pronum scilicet corpus inflexisse, vsque ad summum virgæ, quam manu gestabat Ioseph, ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, quomodo etiam habet Apostolus ad Hebr. 11. 21. quæ differentia ex eo orta est, vt plerique notarũt, quòd eadem vox Hebræa diuersis subnotata motionibus diuersa significet. Nam מטה mittah lectum significat, מטה matteh vero scipionem, siue baculum, origine ducta à נטה quod est extendere. Nam lectus, & lectisternia, & baculus, in longum extenduntur, vt notauit Oleaster, & Del Rio. Cùm igitur ea dictio sine punctis legeretur, non est mirum Septuaginta vertisse ῥάβδον, siue virgam, alios autem lectum. Quòd ne ignorantia factum pures, illi ipsi qui hoc loco virgam, mox initio capitis seq. lectum transtulere. quòd notauit Marianus Reatinus, & alij post Hieron.

[Margin: Lipoman. Eugubin. Perer. Del Rio. Fagius, in hunc locũ — c. 48 in schol. in trad Hebr.]

VI. *Vtrumque factum.*

Divina porrò sapientia voluit Mosem ambigua vti voce, quæ diuersimodè ad significanda diuersa mysteria, diuersásque Patriarchæ actiones verteretur. Nam vtrumque à Iacobo factum est, vt vult Perer. & Del Rio. Accepit enim virgam de manu Iosephi, & simul conuersa facie ad lectuli caput, inclinauit se vsque ad summitatem virgæ quam tenebat, & adorauit Deum, in quo sperabat se breui, interueniente morte requieturum, eique gratias egit; simul etiam honorauit filium suum, supremi magistratus dignitate fungentem, & principes ex eius semine in vtraque tribu orituros. Nec dissimilis est Dauidis adoratio in lectulo suo, cùm vidit filium suum Salomonem sedentem super solium regni sui. Sic autem & Iacob impleuit somnium filij sui, quòd notauit Chrysost. Denique vtramque expositionem, lecti, inquam, & virgæ, amplexa est Ecclesia, priorem hoc loco; posteriorem in epistola ad Hebræos.

[Margin: n 51. — 3 Reg 1 47 48. — hom 66. — c. 11. 21.]

VII. *Ioseph cum filiis adit moribundũ patrem.*

His *ita transactis*, rediit Ioseph ad Pharaonem in regiam, Iacob remansit domi: vbi non ita multò pòst, vt apparet, in supremam ægritudinem incidit. *Nunciatúmque est Iosepho quod ægrotaret pater suus; qui assumptis duobus filiis Manasse & Ephraim ire perrexit;* quorum ille sextum iam & vigesimum agebat annum, iste 25. Nam primogenitus primo anno principatus natus creditur, alter autem secundo, vt dictum est suis locis. Neutrum tamen adhuc liberos genuisse putat D. Hieronymus[l], quod alioqui deducti fuissent etiã ipsi ad senem, vt morĩetis benedictionem assequerentur; verùm ne aliorum quidem filiorum paruuli ad eum deducti sunt, quorum constat magnam fuisse multitudinem. Nam, vt paulò antè dictum est; *In Aegypto auctus est Iacob, & multiplicatus nimis*, vidit scilicet ingentem

[Margin: in tradit. Hebr. 3. χ. — Gen 47. 27]

nepotum syluam omnibus ex filiis suis succrescentem ad consolationem suam, & oraculi diuini comprobationem. Et hanc ipsam multitudinem arbitror causam fuisse cur excluderentur, & in suis patribus benedicerentur. Nominatim autem optauit Ioseph, vt hi duo filij sui adoptarentur à Patriarcha, quòd & consecutus est. Gen 47 27

VIII. *Qui confortatus.*

DICTVMQVE *est Sem: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus*, ex aduentu filij, quem amore & honore prosequebatur: & ex nouo prophetici spiritus vigore, *sedit in lectulo*, in quo æger, & defectis iam viribus prius iacebat. *Vide*, ait Chrysost. *quomodo amor erga filium senem firmabat, & alacritas vincebat infirmitatem.* Et Rupertus, *Quamuis intelligi rectè valeat, quòd ob aduentum filij, quem diligebat, confortatus sit gaudio; sicut dudum dixerat, Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo; tamen & hoc sciendum, quia sancto prophetiæ spiritu super eum irruente confortatus est.* Gen. 48. 2. hom. 66. l. 9. c. 21.

IX. *Excipit Iosephum, & duos eius filios adoptat.*

ET *ingressó ad se ait. Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan, Benedixitque mihi, & ait, Ego te augebo, & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum, daboque tibi terram hanc, & semini tuo post te in possessionem sempiternam.* Iacob ex diuina promissione reputat totam terram Chanaan hæreditatem suam. Vsque adeò enim viuida fidei firmitate, cum propria tot annorũ experientia certabat, vt in qua ægrè vixerat peregrinus, eam quasi à multis iam seculis possessam, hæredibus suis distribuat: quòd priusquam faciat, de iure in eam suo differit, atque edocet suos. Antiquum autem memorat nomen loci, postea enim à Iacobo ipso dictus est Bethel. Cæterùm hæc prima fuit Domini apparitio Iacobo facta, cùm surrepta benedictione iret in Mesopotamiam. Huius ergo diuinæ promissionis meminit, vt doceat se inde ius adeptum esse, regionis illius diuidendæ in filios suos; in quorũ propterea numerum recens adlegit duos. vt eorum in primaria diuisione ratio, æquè ac cæterorum haberetur. Id illa verba significant, *Duo ergo filij tui, qui nati sunt tibi in terra Aegypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt, Ephraim & Manasses, sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* In Hebræo & Græco dicitur in præsenti *mei sunt*, quasi dicat, iam nunc eos habeo non nepotum, sed filiorum loco: hæredes eos habere volo, quamuis in Ægypto genitos, sicut & reliquos filios: imò & inter præcipuos, vtpote quos æquo duobus primis meis. Lyran. *Reliquos autem, quos genueris post eos, tui erunt; & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.* Id est, ad alterutrã tribum pertinebunt. Hæc ergo causa fuit cur nõ vna deinceps esset tribus Ioseph, sed duæ; quarum capita essent duo eius filij Ephraim & Manasses; vt explicant Hieron. & Chrysost. Gen. 48. 2. Gen 48 5. in qq Heb. hom. 66.

X. *Hunc locũ Flauius deprauat.*

QVÆ cùm sint perspicua ipsa per sese, mirum est deprauari à Flauio in hunc modum. *Præterea*, inquit, *collaudato Iosepho, quòd oblitus iniuriarum plura fratribus bona contulerit, quàm vel benefactoribus deberentur, mandauit filiis suis, vt Iosephi filios Ephraim & Manassem in suum numerum admitterent diuisuri sorte Chananaam.* Quæ parum cum Scriptura consentiunt. Nam de obliuione iniuriarum nullum planè verbum fecit Iacob cum Iosepho, sed id excogitauerunt eius fratres post sepultum patrem; ex timore tunc exorto, vt Scriptura docet. Et interpretes, nominatim Lyran. & Abulensis, Del Rio, & Cornel. à Lapide, Fonseca, & si qui alij, aiunt eos ista finxisse, negántque à Iacobo dicta, vt qui minimè de Iosephi bonitate, clementia, ac placabilitate diffideret. Hoc ergo reliquis Iosephi erratis annumeretur. Si enim Iacob viuens collaudauit filium, de fratrum iniuria obliuioni tradita, ficta sunt quæ postea de timore fratrum narrauit Moses; aut inanis atque iniurius ille fratrũ timor, in Iosephi iampridem probatam mansuetudinem; quem viderant, in prima ipsa agnitione, præteritæ culpæ memoriam, vt potuerat, excusasse, atque oblitteratam voluisse. Affingit quoque Scripturæ, Iacobum mandasse filiis, vt Manassem & Ephraim in suum numerum admitterent: cùm tam clarè Scriptura testetur adoptionem duorum nepotum in filios, à Iacobo ipso esse factam; gratísque excogitatum sit nuncium, cuius nullum est in Scriptura fundamentum, nulla, vtpote apud præsentes, necessitas. Quomodo enim hoc tempore, in tam memorabili negorio, fratres Iosephi abfuisse probauerit? 1. c. 50. 15. 2.

XI. *Cur hic mẽtio mortis Rachelis.*

AT importuna videtur hoc loco mentio mortis Rachelis, & sepulturæ; præsertim cum præcedentibus pro ratione annectatur. *Mihi enim*, ait, *quando veniebam de*

Lyran. Abulens. Caietan. Oleaster. Del Rio.

Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan, in ipso itinere, erátque vernum tempus, & ingrediebar Ephratam, & sepelivi eam iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem. Nec satisfaciunt qui putant hoc afferri ad excusationem, cur ipse non sepelierit Rachelem in Hebron, qui nihilominus se illuc ex tam longinqua regione transferri mandet. Nam tam frigida excusatio, accusationis instar habet. Nam & verni temporis commoditas, & vicinitas loci, reddebant facilem corporis translationem. Quid enim prohibebat, vt suprà quoque dicebamus, capsæ inclusam plumbeæ in curru transferri, tota familia eodem loco subsistente, aut progrediente paulatim; præsertim cùm iam essent in via; & in Hebron ad patrem se conferrent. Alij aliam etiam rationem frigidius comminiscuntur.

an. Iacob 108 n. 7.

in hunc locum. l. 9. c. 23.

PLACET ergo hoc loco probari consentaneum esse duos filios Iosephi Rachelis nepotes, quæ præmatura morte obierit, ac sepulta sit, in filios Iacobi assumi, loco eorum, quos illa gignere potuisset, si diuturnior ipsi vita contigisset. Quod video etiam Cornelio à Lapide placuisse: quæ fuit omnino Ruperti sententia. *Idcirco*, inquit, *hi duo filij tui mei erunt, vt mortuæ coniugi semen suscitem, & suppleam adoptione, quod minus habui naturali generatione.* Ita Rupertus. XII. *Vera ratio.*

v. 8. & 9.

VIDENS *autem filios eius, dixit ad eum. Qui sunt isti? Oculi enim Israël caligabant præ nimia senectute, & clarè videre non poterat. Respondit Ioseph, Filij mei sunt, quos donauit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, vt benedicam illis. Applicitósque ad se, deosculatus & circumplexus eos dixit ad filium suum. Non sum fraudatus aspectu tuo, insuper ostendit mihi Deus semen tuum.* Viderat eos quidem ante annos septendecim, sed puerulos. Neque enim credibile est tanto tempore nunquam oblatos patri; cui id spectaculum erat longè iucundissimum; sed perquamdiu visos non fuisse, vt qui non cum auo in Gessen, sed cum patre in aula versarentur. Magna interim facta in se, & in illis mutatione. Nam admodum iam caligabat oculis senex, & illi in viros euaserant. XIII. *Agnoscit Iacob filios Iosephi.*

Gen. 48. 11. 12. Chrysost. hom. 66.

CVMQVE *tulisset eos Ioseph de gremio patris sui*; nam iubente patre ambo vicissim ad aui genua sedentis acciderant, quos recepit ad se pater, vt eos congruè ad accipiendam benedictionem componeret; prius autem *adorauit pronus in terram*, siue honorans patrem, siue adorans Deum, quoniam ab vtroque futura erat benedictio, quam filiis suis ambiebat. *Et posuit Ephraim ad dexteram suam, id est ad sinistram Israël; Manassem verò in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, applicuitque ambos ad eum. Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris; sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus.* Scienter videlicet ac de industria decussauit, seu cancellauit manus, noscens spiritu prophetiæ eum, qui naturali ordine minor erat, maiorem fore. XIV. *Sed [illegible] decussatis manibus benedicit.*

vide Tertul. lib. de Baptismo, c. 8 & ibi Pamel. n. v. 17.

QVOD *videns*, necdum tamen intelligens *Ioseph, grauiter accepit*, voluitque commutare manus, ita vt dextera patris capiti Manassis primogeniti imponeretur; quin & mœrorem verbo præ se tulit, existimans maiorem benedictionis efficaciam huic circunstantiæ coniunctam esse, tam ex diuina dispositione, quàm ex intentione parentis. Nec tamen euicit, Respondente Patriarcha, *Scio fili mi, scio. Et iste quidem erit in populos, & multiplicabitur.* (Idque docuit euentus. Nam filij Manasse non vnicam, vt cœteræ tribus regionem in sortem suam, sed geminam obtinuerunt, alteram trans Iordanem à Mose distributam, alteram cis flumen à Iosue.) *Sed frater eius minor, maior erit illo.* Nam tribus Ephraim facta est caput decem tribuum, & regni quòd postea Israëlis appellatum est. Et Iosue de tribu Ephraim gloriosissimus imperator introduxit populum Dei in terram Chanaan, eámque diuinitus subiugauit, ac diuisit. XV. *Repugnante [illegible] patre.*

4. x. Apud Tertul. lib. de Trin. c. 15. & 17. hom. 66. in Gen.

BENE precatur autem Iacob pueris [4], inuocato super eos non solùm Deo, aui & patris sui, & suo, sed Angeli custodis sui, qui eruit eum de cunctis malis; vt oculi, aurésque Caluino doleant, cæterisque sectariis, quibus inuocatio Sanctorum fœtet; qui propterea hîc Angeli nomine Christum intelligunt, sicut olim Nouatianus, sicut & quidam alij ex antiquis Patribus, in quibus videtur Chrysostomus, & Cyrillus hoc loco. Sed longè XVI. *Inuocatio Angelorum contra Sectarios.*

alia mente. Hi enim probare volebant Christi diuinitatem, aut etiam persona-
rum in diuinitate Trinitatem. Nam verbum, benedicat, æquè respondet tribus,
scilicet Deo bis vsurpato, & Angelo, vt notauit Lipomanus. *in Caten. Gen.*

Stabilitur. At illi amicos Dei debito honore fraudare moliuntur; quos Deus ipse ingenti-
bus miraculis quotidie honorat in terris, quæ nihil mirum est, lumine fidei de- 1.
stitutos, videre non posse. Et satis constat supremam causam non in naturali-
bus modò, sed in supernaturalibus quoque secundarum ministerio vti, & An- 2.
gelorum in primis, iuxta illud, *Qui facit Angelos tuos spiritus, & ministros tuos*
tuos ignem vrentem; quem locum de ministerio Angelorum interpretatur Aposto- Psal.103 4. Hebr.1 7.
lus ipse. Adeò vt quæ lex à Mose dicitur à Deo data, à D. Stephano Actor. 7. data Exod. 19. & 20.
dicatur ab Angelo.

Nec Iacob parem Deo Angelum facit, vt ait Caluinus, & quod doleo Andreas 3.
Masius, vir alioqui catholicus, sed Dei beneficium agnoscit, quòd sibi per Ange- in c.5. Iosue, n.14.
lum diuinitus tributum est, vt monebat Tobiam Raphaël. Denique neque bene- 4.
dictio superat Angeli dignitatē, cùm & Iacob benedixerit Pharaoni, & Melchi- c.12. & 20.
sedech Abrahamo, & ipse colluctator Angelus Iacobo ipsi; quò videtur hoc loco Gen.47.10. Gen.14.25.
idem Patriarcha allusisse. Vide hic pluribus Abulensem.

XVII. *Et Sanctorum defunctorum cōtra Caluinum.*

INVOCAT ergo Angelum suum Patriarcha, nec quemcunque, sed eum, qui
eruit eum de cunctis malis, vt benedicat pueris istis, & per eius protectionem,
& patrocinium bene sit nepotibus suis. Vt autem deterius etiam sit Caluinianis
sectariis, prædicit fore vt inuocetur nomen suum super eos, quemadmodum A-
braham & Isaac. quod in praxim deduxit, Moses qui ad placendum Deum po-
pulo suo, *Recordare*, inquiebat, *Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum*, vocans Exod. 32.13
scilicet in auxilium & patrociniū causæ suæ, merita trium Patriarcharū, qui Deo
placuerant; sicut nos sanctos Apostolos, & Martyres Christi Domini. Nam quòd
isti hoc loco interpretantur hæc verba, *inuocetur super eos nomen meum*, vocentur
deinceps filij Iacob, perquam frigidum, atque inane est. Inanem quippe facit
Iacobi precationem in gratiam nepotum suorum. Nam etiam ipso nihil benedi-
cente pueris, neque precante dicendi erant necessario filij Iacob, sicut & cæteri:
quandoquidem erant filij Ioseph. At, inquies, erant dicendi filij propter adoptio-
nem hanc, cùm essent tantùm nepotes. Respondeo, propter adoptionem hanc
non esse dictos filios Iacobi, sed habitos quasi filios in diuisione tribuum, & terræ
Chanaan. Quòd autem attinet ad denominationem propriam, non filij Iacobi,
sed Iosephi, vt reuera erant, appellati sunt. Quòd inde etiam confirmatur, quia
pari modo dicit eos vocatum iri filios Abraham, & Isaac, quorum erant duntaxat
nepotes. Denique D. August. l. 1. locutionum hic agnoscit inuocationem, quæ n 200.
respondeat exauditioni, eāmque non solùm Dei, sed hominum etiam esse. Verùm
hac de re plura seorsim, contra brutum Caluini stuporem dicemus [5]. 5. x.

XVIII. *Ephraim & Manasse in exemplum.*

POSTREMO Iacob nepotibus suis imprecatur amplissimam posteritatem, vt
fiant in gentes & populos, adeò vt in exemplum assumantur. Hæc est enim vis il-
lorum verborum. *In te benedicetur Israel, atque dicetur, faciat tibi Deus sicut Ephraim,*
& sicut Manasse. Id est si quis aliquando volet bene precari alicui de populo Israë-
litico, dicet ei, Multipliceris, vt multiplicati sunt Ephraim & Manasse. Sic fratres
Rebeccæ, *Soror nostra es*, inquiunt, *crescas in mille millia.* Quæ consentanea sunt
promissioni Domini de multiplicando semine Abrahæ, *sicut stellas cæli, & arenam*
quæ est in littore maris.

XIX. *Donum Iacobi armis acquisitū.*

QVONIAM verò Iacob, omnésque eius filij, ac nepotes multa magnáque
beneficia à Iosepho acceperant in Ægypto; eóque Deus fuerat vsus in salutem
ipsorum, voluit etiam moriens testificari animi gratitudinem, peculiari aliquo
dono ipsi Iosepho collato; sicut honorem ab ipso acceptum, honore duarum tri-
buum iam rependerat. *Do tibi*, inquit, *partem vnam extra fratres tuos, quàm tuli de* v. 22.
manu Amorrhæi in gladio & arcu meo. Dubium sanè est quem gladium suum Iacob,
quem arcum dicat, vir quietus & simplex, qui habitabat in tabernaculis, nec vn- Gen.25 27.
quam arma tractasse legitur. Et meritò Chaldæus paraph. quem Abulensis & Pe- sub fin cap.
rerius sequuntur, arma hoc loco memorata metaphoricè intellexit, atque inter-
pretatus est orationem, & obsecrationem, qua maximè valebat Iacob apud Deū,
quáque effecit, vt acquisitum pretio agrum in terra Sichem retineret, iniecto diui-

Gen. 35. 5. nitus terrore in omnes per circuitum ciuitates, ne auderent perſequi recedentes. Nec aliud intellexiſſe videtur Hieron. cùm ait. *Arcum hic & gladium iuſtitiam vocat, per quam meruit peregrinus & aduena interfecto Sichem & Hemor de periculo liberari*, &c.

XX. *Proprius Iacobi ager.*

RETINVISSE autem etiam poſtea agrum illum ex eo conſtat, quod diu poſt illic morati ſunt filij Iacob paſcentes oues, quando ad eos miſſus eſt Ioſeph adoleſcentulus. Gen. 37. 12. Retentum ergo agrum, qui iam pro perdito haberi poterat, vocat acquiſitum de manu Amorrhæi: à quibus, vt bellicoſis hominibus, ereptus ſibi fuiſſet, niſi Iacobi armis, id eſt precibus, repulſi ac fracti fuiſſent: ſicut Amalecitæ precibus, Exo. 17. 11. & extenſione manuum Moyſi. Quam expoſitionem germanam maximéque literalem arbitror. Neque enim metaphora literalem ſenſum vllo modo tollit aut mutat; ne quem fortè ea fallat ignoratio. Nam qui arma propriè ſumunt, & expulſos ab illo agro Amorrhæos putant, aut repulſos longius à vicino agro, non diffitentur ſe id ex Scriptura probare non poſſe, vt Oleaſter, Caiet. Peret. n. 20. Cornel. Maſius in Ioſuë [6], c. vlt. n. 32. qui etiam addit ex Rabino Kimhi, Iacobum ſepulturæ cauſa dediſſe Ioſepho eum locum, cùm eius animum, quem quaſi parentem, & monitorem virtutúmque omnium magiſtrum, pro ſe moriens relinquebat aliis filiis, vellet modis omnibus ab Ægyptiacis rebus abalienatum, in promiſſæ terræ cogitationẽ conuertere. Quæ probabilitatem etiam accipiunt ab illis verbis, quæ proximè antecedunt. *Et ait ad Ioſeph filium ſuum. En ego morior, & erit Deus vobiſcum, reducétque vos ad terram patrum veſtrorum.* v. 21. c. 49. Chananitidem ſcilicet patribus veſtris promiſſam, & quaſi à peregrinis ad 215. annos habitatam.

XXI. *Benedictiones Patriarcharũ, ſeu prophetiæ.*

QVONIAM verò cœperat Patriarcha filiis benedicere, eiſque denunciare futura, reliquos ad ſe Patriarcha aduocauit, *vt eis annunciaret, quæ ipſis euentura eſſent in nouiſſimis diebus*, Ioel 2. Act. 2. ſiue in futurum, quæ breuiter decurrẽda ſunt nobis, qui hiſtoriam potius ſacram, quàm prophetias conamur euoluere, niſi quatenus hiſtorica narratione oriuntur.

Et primùm Ruben.

Obiurgatur in primis Ruben, qui naturæ ordine *primogenitus*, ea excellentia ſua culpa priuatur. Nam cùm ei deberetur, vt *prior* eſſet *in donis*, & *maior in imperio*, duplex portio in Ioſephum transfertur, Regia dignitas in Iudam, ſacerdotium in Leui tranſlatum eſt, eo quod effuſè in peccata ruens, etiam nouercam polluere non dubitauerit [7]. Ideóque prædicit futurum vt *non creſcat*, id eſt, vt interpretatur ipſemet Moſes, *ſit paruus numero*. Deut. 33. 6. Id tamen quando impletum fuerit non ſatis apparet. Num. 1. Nam in priore populi enumeratione in deſerto, populoſior eſt tribus Ruben, quã tribus Ephraim, Beniamin, Manaſſe, Aſer, Leui & Gad. In poſteriore, quæ refertur Num. 26. longè ſuperauit Simeonem, Gad, Ephraim & Leui. Itaque id videtur ad poſteriora tempora referendum [8].

XXII. *Simeonis, & Leui.*

SEQVVNTVR eodem naturæ ordine Simeon & Leui; qui quod eiuſdem ſceleris ſocietate coniuncti fuiſſent, nunc à moribundo patre ſimul arguuntur, & bellatores iniqui appellantur, propter furorem & crudelitatem, contra Principem Sichimorum, & Sichimitas exercitum, de quo ſuperius dictum eſt fuſius, quod factum, faciendique conſilium à ſe alienum eſſe, ac fuiſſe profitetur. ann. Iacob 107. Pœnam autem hanc eis inflictum iri pronunciat, vt qui malè coniuncti fuerant diſſiparentur. Nam Leuitæ in omnes tribus diſperſi ſunt, & Simeonitæ in extremum angulum meridianum totius terræ Chanaan, quodammodo relegati ſunt, & in ea terræ portione, quæ prius tribui Iudæ aſſignata, ab ea quaſi precario accepta eſt. Vide c. 19. Ioſuë, & ibi And. Maſium. Addunt Rabbini filios Simeonis magna ex parte fuiſſe Scribas, pœdagogos, legiſque doctores, & ideo per omnes tribus fuiſſe diſperſos. Et hæ quidem minùs lætæ prædictiones.

XXIII. *De Iuda.*

Gen. 49. 8. SEQVITVR omnium lætiſſima, atque grauiſſima. *Iuda*, inquit, à laude & confeſſione nomen accepiſti; iurè meritóque. Nam *te laudabunt*, tibique confitebuntur *fratres tui*, vt omnium maximo, atque fortiſſimo, & inimicorum tuorum victori. Atque adeo in te regiam dignitatem venerabuntur. Quod autem de manu eius in ceruice inimicorum ſuorum dixerat, auget comparatione cum leone, qui rapta præda; ſuper eam quietè accubat, minimè formidans ne quis eum ſuſcitare audeat ad propugnandum pro præda ſua, quippe qui impunè id non ſit aggreſſurus, quæ in Dauide maximè impleta ſunt. Quoniam ergo dixerat Iudam, vt leonem, conſtanter præda potiturum, ſubdit.

Oraculum de Christo venturo exponitur.

NON *auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Quod oraculum cum nostris Pererio, Suare, Baradio, Cornelio à Lapide, Del Rio, & plerique antiquorum, quos referunt; Iustino præsertim dial. cum Tryph. Euseb. l. 1. histor. Eccl. c. 6. & l. 3. de demonstr. cap. 2. Theodoret. quæst. vltim. in Genesim, Chrysostom. Origene, Epiphanio, Athanasio, Ruperto. Quod, inquam, oraculum sic explico. Non ablatum iri penitus, & sine spe restitutionis regnum de tribu Iuda, ex quo semel ei collatum fuerit, & in qua penè mansit à Dauide vsque ad Cyrum; aut omnino de gente Iudæa: nam qui Babylone redierunt ad regnum Iuda, non ad decem tribus pertinuere; & Iudæi ab eodem Iuda appellati sunt; qui quoniam Reges non fuerunt, hoc loco Ducum nomine censentur; & hi rerum in Iudæa quoquo modo potiti sunt, ipsius regiæ tribus voluntate, electione, atque consensu; vt propterea ipsa tribus Iuda regnare censeretur, etiam cùm Assamonæi Leuitici generis rerum potiebantur. Donec Herodes à Iudæorum gente planè alienus, non Iudaici populi consensu, sed tyrannica Romanorum potentia, dominationem occupauit in Iudæos: quando & Christus Messias, qui mittendus erat, erátque omnium gentium expectatio, natus est. Tunc enim planè, atque irreuocabiliter sceptrum tam de Iuda, quàm de Iudæis ablatum est, nec quisquam eorum arbitrio, aut voluntate Iudæis imperauit, vsque in præsentem diem.

in hoc c. n. 92. & seqq. to. 1. in 3 p. disp. 2. s. 1. to. 1. l. 3. c. 1. in hunc locum. hom. 67.

XXIV. *Quæ contra dictam expositionem facere videantur.*

SCIO Torniellum existimasse Herodem non fuisse alienigenam, contra communissimam antiquorum omnium, excepto quodam Herodis adulatore, Nicolao Damasceno, qualem Iosephus quoque agnoscit; & recentiorum sententiam. Ideóque aliter hunc locum interpretatum esse, à quo meritò, vt arbitror, dissensimus, annò ante Christum 36. qui est primus à possessione regni Herodiani apud Iudæos. Nec officiunt huic oraculo 36. anni, quos ante Christi ortum regnauit profanus Herodes: quid enim sunt 36. anni ad mille septingentos & octo, quibus prophetia hæc aduentum Messiæ antecessit? Satis enim exacta est determinatio temporis, cùm designatur ille ipse Rex alienigena, qui abstulit sceptrum à Iudæis, quo viuo adhuc, & regnante natus est Christus. Grauius videtur officere huic expositioni, quod in ea nomen Iuda, præcisè non accipitur de tribu Iuda; de qua tamen perspicuum est Patriarcham, hoc loco esse locutum, prout à cæteris tribubus distinguitur, sicut antecedentia & consequentia declarant.

anni mundi 4018. n. 7. & seqq.

XXV. *Qui intelligendum regnũ Iuda stetisse vsque ad Christum.*

RESPONDEO autem cum Pererio, & Cornelio, dici posse præcisè Iudam regnasse, & sceptrum in ea præcisè tribu stetisse, quandiu illius consensu ac voluntate, Iudæus aliquis, id est ad regnum Iuda pertinens regnauit, in quo erant Leuitæ, & Beniamitæ, & si qui ad illud se aggregarant relicto regno Israël, sicut regnum Polonicum permanere dicitur, quandiu regni proceres Regẽ sibi suo iure deligunt, qua potestate si eos Turca priuaret, sibique eam occuparet, regnum illud concidisse diceretur. Respondeo secundò cum Del Rio, solenne esse Prophetis ab vna re, ad alteram cognatam, & affinem sermonem transferre. Sic Christus Dominus à sermone de clade Hierosolymitana, & iudicio de populo Iudaico, transit ad cladem totius orbis, extremúmque iudicium. Quid ergo mirum si Iacob, qui mentis aciem intendebat, non solùm in tempus, quod captiuitatem Babylonicam antecessit, sed etiam quod consecutum est, vsque ad Christum Dominum, à Iuda, ad Iudaicum populum transit, qui maxima ex parte oriundus erat ex Iuda, & ex eo nomen acceperat, ac retinebat; cæterarum tribuum nominibus, ac personis penè obliteratis, & aliarum quoque tribuum regione ad alienigenas magna ex parte deuoluta; Iudæis constanter in sua sorte remanentibus.

in hunc locum n. 45. & seqq. Matth. 24. Luc. 21.

XXVI. *Qui est is qui mittendus erat.*

EVM porrò qui mittendus erat esse verum Messiam Saluatorem mundi, ne Iudæi quidem negant, sed cùm sibi eum aliter animo depinxissent, quam fuerat à Prophetis prædictus, venientem neque agnouere, neque recipere voluerunt, dicente Euãgelista, *In propria venit, & sui eum non receperunt:* & Christo ipso, *quia non cognouisti tempus visitationis tuæ*, ergo alium expectant, quem recipiant pseudomessiã, Antichristum. Dum redeat ille idem verus Messias iudicaturus viuos & mortuos. Interim isti vt sibi in sua cæcitate blandiantur sceptrũ Iuda, quod nusquam est, in Babylone comminiscuntur, vt impleatur in eis etiam nunc illa maledictio.

Ioan. 1. Luc. 19. 44.

Deut. 28. 29. *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis: & palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.* Eorum etiam nonnulli noluut hoc loco promitti Messiam, vt telum hoc, quo à Christianis confodiuntur, deuitent. Sed pro nobis contra ipsos stant etiam vterque paraphrastes, Chaldæus, & Hierosolymitanus, qui vocem sciloh שילה quæ habetur in Hebræo, Messiam interpretantur. Sed & Ioannes Euangelista, Hebraicè, opinor, beneperitus, Siloë interpretatur missum. Vide longiorem hac de re apud interpretes suprà laudatos disputationem; nominatim Del Rio n. 45. & seqq. & interpretem Onkelos in Io. 9. 7. expositione Chaldeæ paraphrasis.

XXVII. *Idémque expectatio gentium.*

c. 2. 8. DICITVR porrò Messias Christus Dominus, *Expectatio gentium*, & ab Aggæo Iacobum imitante, aut ex eodem potius diuino spiritu prophetante, *Desideratus cunctis gentibus*, in Hebræo habetur *Aggregatio gentium*, eadem sententia. aggregantur enim omnes ad eum, quem desiderant. Nimirum quoniam non solis Iudæis mittebatur, vt ipsi opinabantur; ex qua opinione illud quasi perabsurdum iactabant. Ioan. 7. 35. *Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes?* Quamuis enim antiqui Prophetæ ipsis solis missi essent, Messias tamen vel maximè gentibus mittebatur, quarum vocatio prædicta fuerat penè ab omnibus Prophetis, Dauide maximè, & Esaia, quæ denique cùm impleretur extitit qui proclamaret. Luc. 2. *Salutare Domini paratum ante faciem omnium populorum, & lumen ad reuelationem* Matth. 2. *gentium*, quarum primitiæ fuerunt magi, qui eo nato adoraturi cum muneribus ab oriente venerunt. Quamuis autem nationes istæ ante Christi Domini aduentum nullam de eo cognitionem haberent, Esa. 9. & *ambulantibus in tenebris, ac regione vmbræ mortis lux orta non esset*; expectabant tamen, ac desiderabant, appetitu non elicito sed innato; quo modo terra desiderare dicitur, aut expectare plu- Deut. 11. 11. uiam de cœlo.

XXVIII. *Licet ipse per se eas non adierit.*

NAM quod Christus ipse negat se missum, *nisi ad oues quæ perierunt de domo Israël.* Id de ipso in persona sua accipiendum est, qui solis Iudæis per se ipse prædicauit: per suos autem omnibus gentibus, ipsomet dimittente, & *cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Quæ autem in hac ipsa Iudæ benedictione sequuntur, metaphorica sunt, & ad eundem Christum, de quo proximè agebatur, eiúsque actiones, & pulchritudinem in historico sensu pertinent; vt præter alios docet Abulensis hoc loco, contra Lyranum, idque clarè docet illa Vide Del Rio n. 53. & Peter. apostrophe, *O fili mi*, quæ est in editione vulgata, quorum copiosam expositionem dabunt interpretes.

XXIX. *Benedictio Zabulonis.*

SVBNITVR Iudæ Zabulon, non vtique ordine natiuitatis, aut dignitatis; sic enim Dan', aut Ioseph hoc loco memoratos oportuisset, sed fortasse ordine, quo stabant in conspectu patris, aut quo memoriæ caligantis senis occurrebant. Mutati ordinis rationem vult Del Rio: quod cùm proximè de Messia disseruisset, voluerit de Zabulon dicere, in cuius regione illius annunciatio, & conceptio, & frequentior habitatio, prædicatio, commoratio futura esset. Nec de hac Zabulonis tribu aliud, præter habitationis terminos prædicit Iacob; quod scilicet habitaturus esset in littore maris, siue marium, vt est in Hebræo. Ab ortu enim habuit mare Galilææ, ab occasu verò mare Mediterraneum; quod portubus ad nauium stationem abundaturus esset, & terminos suos vsque ad Sidonem extensurus. Sed hoc tribui Aser videtur potius conuenire, si fines istis tribubus assignac. 19. 10. 28. Ibid. tos, ex libro Iosuë repetamus. Respondet Masius voluisse Iacobum non dimetiri, aut designare terminos cuiúsque tribus, sed docere, Zabulonis posteros habitaturos ad mare, versaturósque frequenter in portubus, & naualibus: & mercaturam facturos apud Sidonios, & cum Sidoniis, qui quondam mercatores fuerunt toto orbe celeberrimi; & in eadem illa maris ora habitarunt.

XXX. *Et Issacharis.*

ET vicinitas habitationis Issacharis & Zabulonis, & studiorum dissimilitudo, memoriam senis, & voluntatem excitare potuerunt, vt vnius post alterum recordaretur, eúmque illi in benedicendo, aut prædicendo subiiceret. Nam tribus Issachar coniuncta fuit Zabuloniæ ad meridiem. Prædixit autem Iacobus, vt idem Masius interpretatur, Issacharianos habituros solùm fœlix, atque

amœnum, ideóque non facilè passuros se inde pelli: sed potiùs vectigales futuros superioribus hostibus; similiter atque clitellarij muli, quantumuis onusti, si læta gramina, quæ carpant, per iter nacti sint, neque onere, neque facilè fustibus propelluntur. Tum Moses Deut. 33. gaudere iusserat Issacharianos in suis tabernaculis, significans videlicet læta eos regione babitaturos, domique libenter mansuros, contra morem Zabuloniorum. Hæc Masius aptè ad historicum verborum sensum; qui & agri Issachariani vbertatem ex campi Esdrelonij bonitate declarat, vt & Perer. n. 114. (v. 18.) (9. x.)

XXXI. *Et Dan.* SEQVITVR Dan, quem celebrat Iacob, ob egregiam Samsonis fortitudinem, qui ex hac tribu ortus, Israëliticum populum iudicauit annos viginti. Quem etiam respexisse videtur Moses Deuteron. 33. cùm Dan vocat *catulum leonis*, & hoc loco *cerastem & colubrum*, vt qui tum aperta vi, tum calliditate multis damnis Philistæos afflixerit: quæ est interpretatio D. Hieronymi. (in tradit. Hebr.) Quoniam autem Antichristus ex hac tribu creditur nasciturus, ex eius intuitu conturbatus Patriarcha, à Christo Domino salutem contra ipsius hostem acerbissimum implorat. Vide hoc loco Pererium, vbi permultos antiquorum refert, quibus visum sit hoc vaticinium de Antichristo exponere, eundémque è tribu Dan educere. (c. 131. & 132.) Vide & Del Rio, & Cornel. in hunc locum. (n. 24.)

XXXII. *Vaticiniũ Gad.* VATICINIVM Gad sic interpretatur Hieronymus. (in tradit. Heb.) Tribum Gad expeditam ante Ruben; & dimidiam tribum Manasse transisse Iordanem, ad debellandos Chananæos duce Iosuë; (Iosue 1. 13.) sicut promiserant ipsi Mosi, Numeror. 32. vbi alacritas Gaditarum præ cæteris innuitur, quod ibi Gaditæ sæpè Rubenitis anteferuntur. Post quatuordecim autem annos trans Iordanem ante socios reuersos, multos hostes de vicinis reperisse gentibus; aduersum quas præliari necesse fuerit; quos & fortiter dimicando deuicerit. Hæc ferè diuus Hieronymus, vbi & alludit ad ea quæ lib. 1. Paralip. cap. 5. habentur. (v. 18. & 19) Idem sentit & Lyran.

XXXIII. *Aser.* TRIBVS Aser quæ maximè adiacebat mari Mediterraneo, & Phœniciæ, læto admodum ac fertili solo gaudebat, eáque agri vbertate, quæ vel regibus delicias præbere posset, vt hoc loco à Iacobo celebratur; sicut & à Moyse in benedictione sua; (Deut. 24. 33) vbi addit ferri & æris abundantiam, quæ calcaturi sint Aseritæ. (c. 19. Iosue v. 30.) Masius autem ferrea, & ærea claustra dicere Mosen existimat, hoc est pertinaces Barbarorum vires, quas Aseritæ non sint domituri.

XXXIV. *Nephthalim.* VERBA Iacobi de Nephthali, in hunc sententiam interpretatur Masius. (v. 39) Nephthalios in tuta, atque vbere collocatos regione, exultaturos suaui libertate, similiter atque ceruæ nullis indaginibus conclusæ, sed in herbosis, amœnísque saltibus liberè versantes, pascentésque exsultim ludunt. Præterea blandis appellationibus, & humanitatis artibus gratiam sibi conciliaturos apud omnes: ac proinde in summa pace diuinis illis donis fruituros. Hæc ille polito vir ingenio, linguáque. Durius & coactius Hebræi velocitatem ceruæ ad promptitudinem terræ, eiúsque præcoces fructus referunt, ob quos in templum delatos Deo laudes canerentur. Non ineptè author Testamenti Patriarcharum, vbi hęc Nephthalim ipse de se. (c. 8.) *Et quia pedibus leuis eram vt ceruus, ordinauit me pater meus Iacob in omnes missionem & annunciationem, & vt ceruum me benedixit.* Vide hic Hieronym. (in tradit. Hebr.) Abul. & Lyranum.

XXXV. *Laudatio Iosephi.* VENITVR ad Iosephum, ad cuius nomen Patriarcha statim alludit, quod eum Dominus vehementer auxerit, & in altum super omnes fratres euexerit, tam proregis dignitate in Ægypto; quàm duplici tribu in filiis suis, cùm reliqui fratres eius singularum quisque tribuum principes fuerint. Laudat & formæ ipsius dignitatem, quæ filio pulcherrimæ Rachelis consentanea erat, & huiusmodi vt Ægyptiæ mulieres varia in loca excurrerent, vt eius aspectu fruerentur. Nihilominus, tametsi amabilis est pulchritudo, eius fratres inuidia perciti *exasperauerunt eum, & iurgati sunt, nec poterant illi quidquam pacificè loqui*; (Gen. 37. 4.) sed verborum iaculis eum petierunt, Somniatorem appellarunt, & occidere voluerunt. Calumniæ quoque iaculis eum hera petiit, & compegit in carcerem. Sed in eius protectionem insurrexit fortis Deus, quasi arcus ad repellendos fortiter aduersarios. *Et dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum*

eius, per manum potentis Dei Iacob; qui eum eduxit è carcere, & pastorem, principem ac nutritorem Ægypti constituit. Sed & lapidem ac firmamentum domus & familiæ Iacob, quam in fame nutriuit, & optimo collocauit loco; eique munimentum contra omnes aduersarios fuit. Idque Sapiens in eius commendatione ponit, quod fuerit princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi.

Eccl. 49. 17.

XXXVI. *Et multiplex benedictio.*

Vide Rupert. l. 9. in Gen c. 36. & 37. Ps. 70. 20.

Denique cumulat pius senex Iosephum suum benedictionibus omnigenis. Imprecatur ei cœli benignum influxum, rorem, pluuiam, niuem, solem, calorem, frigus, temporibus suis, terram item profundè pinguem, fertilem, irriguam. terra enim, sicut & aqua, abyssum habet. Nam Dauid, *Et de abyssis terræ iterum reduxisti me:* præterea copiosam generationem tam hominum, quàm pecorum, & omnium animantium, in quibus prima pastorum vota, præcipuæ Israelitarum diuitiæ. Denique effundit in eum omnes benedictiones, quas ipse à patribus suis acceperat, quibúsque insuper diuinitus ditatus fuerat, vt consequenter fœlicior fiat patre suo. *Benedictiones*, inquit Onchelos, *patris tui, addantur super benedictiones quibus me benedixerunt patres mei, quas optauerunt principes, aut quæ desiderabiles fuerunt principibus qui à seculo fuerunt. Omnia hæc veniant super caput Ioseph, & super virum, qui segregatus fuit à fratribus suis*, moribus scilicet, atque regione. Porrò benedictio maxima, quæ Iacobo & patribus eius destinata fuit, est promissio venturi Messiæ, qui fuit desiderium Sanctorum omnium ab orbe condito, qui tanquam colles, præ cæteris mortalibus virtutibus eminent. Ad illud igitur vsque tempus vult Iacob Iosephi sui fœlicitatem perdurare.

XXXVII. *Prophetia de Beniamino.*

Reliqvvs est Beniamin cuius bellica virtus, & ferocia in similitudine lupi prædam rapientis ostenditur. Fuit enim admodum bellicosa tribus Beniamin, vt cùm ex aliis Scripturæ locis, tum maximè ex Iudicum decimo nono declaratur, vbi ea sola aduersus congregatas contra se decem tribus stetit in acie, congressa est, & magna eas clade semel, iterúmque affecit. Verùm Onchelos eam similitudinem ad templum referre maluit, quod aliquando in tribu Beniamin futurum erat. In cuius altari multæ victimæ mactabantur, & sacro igne deuorabantur: præter ea quæ cedebant in vsum populi & sacerdotum. *Beniamin*, inquit, *in terra eius quiescet præsentia diuinitatis* (arcam intelligit fœderis, in qua Deus præsentem se exhibebat, & reddebat oracula) *& in possessione eius ædificabitur sanctuarium. Manè & vespere offerent Sacerdotes oblationes, & in tempore vespertino diuident residuum portionum suarum, de reliquis, quæ sanctificata sunt.* Hæc ille, quæ refert etiam D. Hieronym. in tradit. neque improbat. Et sanè si in literali sensu non satis arrident, in mystico non videntur repudianda. D. Augustinus, aliique patres, hæc quæ de Beniamino dicuntur, constanter ad D. Paulum referunt, & nominatim D. Hieronym. ait *manifestissimam esse de Paulo Apostolo prophetiam*. Idem visum S. Ambrosio, Eucherio, Bedæ, Procopio Gazæo.

Ser. 14. de sanctis S Rupert. l. 9. c. 37 in trad. Hebr.

XXXVIII. *An data præterea benedictiones aliæ.*

Et hactenus Patriarcha Iacob benedixit filios suos benedictionibus propriis, & quidem prophetico more, perobscuris. Videtur enim voluisse ipsos in ænigmatum horum obscuritatibus exerceri in gloriam Dei, & memoriam sui, vt ait Lipomanus; qui etiam putat præter prædictas prophetias singulis forsitan alias benedictiones impendisse. Quem secutus Perer. non obscurè hic significari ait, postquam superiora locutus fuerat Iacob, benedixisse eum filiis suis; vt si quid fortè in superioribus animos aliquorum pupugerat, id subiunctis ad extremum singulorum benedictionibus valde mitigaretur. Idem probauit etiam Del Rio. In alia tamen est sententia D. Chrysost. Caietan. Cornelius, & sanè eas existimo ægrè admodum ex textu elici, cùm hæc verba ad præcedentia, quasi eorum conclusio referantur; dicique benedictiones, quia maxima ex parte tales fuerunt. Quod si alias concedimus, eas non tam verbis, quàm amplexibus, aliisque signis, & gestibus factas esse crediderim, tanquam ab eo qui supremum vale diceret familiæ suæ vniuersæ.

in Caten. Genes. n. 186.

hom. 67.

XXXIX. *Repetit petitionem sepulturæ Iacob.*

Postremò autem quam sepulturam corporis sui à Iosepho impetrarat; vtpote ab eo, à quo res tota pendebat, nunc publicè, & vniuersè ab omnibus filiis petit: vt & ipsi hoc supremum officiũ quanuis laboriosum parenti non denegent. Et præcepit eis dicens, *Ego congregor ad populum meum:* Populum scilicet Sanctorum,

vita functi expectant sub terris Saluatorem Mundi. Hæc enim Phrasis cùm æquè in Hebræo, Græco, Chaldæóque, ac Latino reperiatur, non solùm animorum immortalitatem; sed locum etiam quo animæ iustorum ante Christi aduentum detinebantur, valde confirmat. Sicut & postrema verba capitis huius, quidquid hoc loco hæretici garriant, qui odio purgatorij, etiam patrum limbum, somnia & humana figmenta audacissimè mentiuntur. contra quos habes nobilem illam Bellarmini panopliam, aliorúmque Catholicæ Ecclesiæ procerum egregia monimenta. Sed pergit, *Sepelite me cum patribus meis, in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi contra Mambre, in terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri. Ibi sepelierunt eum, & Saram vxorem eius: Ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua; ibi & Lia condita iacet.* Hæc plurium verborũ repetitionem habet in Hebræo, iuxta eius linguæ phrasim, quæ S. Hieronymus prudenter circuncidit. Porrò quod de Lia hîc dicitur, in Hebræo habetur eam ab ipso Iacobo sepultam; sed ea narratio à Moyse prætermissa est. Alibi diximus eam ex Rabbinorum sententia 44. ætatis anno extinctam fuisse. c. 48. 30.

XL. *Et obdormiit in Domino, ac fletur domus.*

FINITISQVE *mandatis, quibus filios instruebat*, de migratione sua ad populum suum, & electo à se loco sepulturæ placidè se ad mortem composuit, *collectis super lectulum pedibus*. Nam sederat in lectulo prius demissis è lecto pedibus, vt commodius Iosephum venientem exciperet, eiúsque filios amplecteretur, ac benediceret. Secuta est inde reliquorum fratrum benedictio, & de sepultura mandatum: quibus expletis, pedes in lectulum rursum intulit, & obdormiuit in Domino, *& appositus est ad populum suum*, vtique quod ad animum attinet, secundum quam adiit cæterorum Sanctorum cœtum. Nam de corpore mox subsequitur accurata narratio, sed antecedit fletus. Nam mortuum cernens patrem Ioseph, *ruit super faciem eius flens & deosculans eum*, atque adeo eius oculos claudens, vt Dominus Iacobo promiserat, quod notauit Abulensis; simúlque paterno amori, quem paulò antè ille copiosè testatus fuerat, vicem reddens. In quo cùm nemini fratrum cederet, primus eum effudit foras: inde certatim cæteri, Iudas præsertim, ac Beniamin, qui quamuis in amando suppares, primum tamen locum Iosephi dignitati concesserunt. c. 48. 2. c. 50. c. 46. v. 4.

XLI. *Conditur ac publicè fletur.*

HAC expleta naturalis affectus exhibitione, *Præcepit* Ioseph *seruis suis medicis*; medicos vocat pollinctores, & funeratores, & omnino condiendorum cadauerum peritos, quæ peritia in Ægypto quondam maximè viguit; præcepit, inquam, seruis suis, *vt aromatibus condirent patrem, quibus iussa explentibus transierunt quadraginta dies. iste quippe mos erat cadauerum conditorum.* Quid autem in particulari ab iis fieret Herodotus in Euterpe, & Diodorus libro primo bibliothecæ recensent, quos retulit Peret. in hunc locum. Vide quæ habet Baron. in funere S. Stephani. *Fleuitque eum Ægyptus 70. diebus.* Et quamuis 40. sufficeret, vt ait Abulensis, iuxta morem Hebræorum, tamen vt compleretur tam Ægyptiorum quam Hebræorũ ritus, qui dies 30. requirebat, luctus ad septuagesimum vsque diem protractus est, id libenter Ægyptiis pro suo in Iosephum amore deferentibus Iacobo Patriarchæ. Disp. 1. in c. 50. tom. 1. an. Christi 34.

XLII. *Ritus funerum Ægyptiorũ.*

ÆGRE autem adducor vt credam à Iosepho permissum ea omnia fieri in patris defuncti funere, quæ narrat Herodotus in Ægypto fieri solita in clarorum virorum sepultura, & cadaueribus condiendis. *Quibuscúnque*, inquit, *aliquis ex domesticis decessit, homo alicuius momenti, ibi omnes fœminæ illius familiæ caput sibi, & vultum oblinunt luto. Deinde relicto domi inter cognatos cadauere, ipsæ per vrbem vagantes se verberant succinctæ, nudatis mammillis, & cum eis cognatæ omnes. Altera ex parte viri, & ipsi succincti se verberant. His actis ita demum demortui corpus ad condituram portant.* Si quid horum in hoc funere factum est, vt probabile est, id non in Gessen, vbi mortuus est Iacob, sed in loco sepulturæ factum crediderim; Scriptura minimè repugnante, imò & fauente, vt quæ tantùm memorat Ægyptiorum planctum, vt is satis fuerit ad imponendum loco nomen, quod in posteros propagaretur; Iosepho item facile patiente coram Ægyptiorum optimatibus, qui aderant, ea fieri, à conducititiis hominibus, quæ natura sua mala non essent; præsertim cùm nullum ipsi ritum funerum lege præscriptum haberent; nec causa esset cur Ægyptios sine causa offenderet, eorum ritibus negligendis. L. 2. p. 135. Græco Lat.

XLIII. *Et conditura clarorum virorum.*

ADDIT deinceps triplex conduturæ genus, primùm illustrium personarum,

alterum mediocris fortunæ hominum, tertium plebeiorum, nec dubium videtur Ægypti Proregem, primum illud genus, pro ſuo in parentem amore, ac veneratione delegiſſe; de quo ita Herodotus. *Ante omnia incuruo ferro cerebrum per nares educunt, & in eius locum medicamenta infundunt. Deinc acutiſſimo lapide Aethiopico circa ilia conſcindunt, atque illac omnem aluum protrahunt, quam vbi repurgarunt, & vino palmeo eluerunt, rurſus odoribus contuſis proluunt, tum aluum complentes, contuſa myrrha pura, & caſia, & aliis odoribus, excepto thure, iterum conſuunt. Vbi hæc fecere, ſaliunt nitro abditum 70. dies, nam diutius ſalire non licet*, rectè; at paucioribus licuiſſe, puta diebus 40. ex Scriptura conſtat, pergit. *Exactis 70. diebus, cadauer vbi abluerunt, ſyndone byſſina totum, inciſis loris, inuoluunt: gummi illinentes, quo Aegyptij glutinis loco plerúnque vtuntur. Eo deinde recepto propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inſerunt mortuum, incluſúmque ita reponunt in loculo, & rectum ſtatuunt ad parietem.* Sic Herodotus. Gen 50. 3.

XLIV. *An obſeruata circa patriarchã.*

QVÆ ſi in vſu iam tum erant apud Ægyptios, vereor vt paſſus ſit prorex illam in venerabili ſancti parentis cadauere quaſi carnificinam, cerebrum per nares educentium. Neque enim facile inde grauis odor timeri poterat, obturatis, quod facillimum erat, meatibus; interim dum totum corpus in deſtinatam ſpeluncam ferretur. Neque enim domi, quaſi ligneum ſimulachrum exſiccata penitus carne, intra alterum vero ex ligno ſimulachrum, Ægyptiaco ritu, retinendum erat. Excèterationi autem non facilè reſtiterim, promptam inteſtinorum putredinem veritus; & poterant, vt aſſolet in plumbeo reponi loculo, & cum reliquo deinde corpore, in ſpeluncam deferri. In quam ipſam plumbeam pixidem, ſi quis animoſius pugnet cerebrum quoque immiſſum fuiſſe, non repugnauerim contentioſius, cùm res vtramuis in partem pari pene probabilitate nitatur. Sed de his ſatis, reliqua perſequamur.

XLV. *Criminatio Caluini in Ioſephum.*

INFIGIT hic caninos in Ioſephum dentes ἀγνωμόνως, criminatúrque Ioſephum quod Ægyptiis ſe ritibus conformarit, *Quorum*, inquit, *ſuperflua curioſitas ludibrio non caruit.* Idque metu potius, quàm iudicio, vel approbatione feciſſe credit; forrè etiam perperam Aegyptios æmulatum, ne deterior eſſet patris ſui, quàm aliorum conditio: poſtremò præſtitiſſe ad frugalem ſe patrum vſum reſtringere. Ita ſanè Cenſor Patriarcharum Caluinus, in patrocinium vtique inaniſſimæ Caluiniſtarum ſepulturæ, quæ iuſtiſſimo ludibrio non caret.

c. 41. 44. EVM iſte virum in re tantula timiditatis accuſat, ad cuius ſe nutum ac poteſtatem tota Aegyptus fingebat, qui eam potuerat à libertate in ſeruitutem, rurſúſque à ſeruitute in libertatem aſſerere; quique in ea ſextum iam & vigeſimum annum, vno rege minor, rerum potiebatur. Nec videt, dum tanto viro metum affingit, ſe illi ſibi cognatam; atque inſitam hæreticis hypocriſim, & ſimulationem affricare, qui foris agunt, quæ intus irrident, aut execrantur. Nam hæc Aegyptiorum æmulatio, quid tandem criminis habet? quod ſceleris genus eſt cadauerum ſtudioſa conditura, in figuram immortalitatis inſtituta: in teſtimonium pietatis ac beneuolentiæ in parentes, & amicos tuos, quos integros tecum quoad poſſis conſerues: in honorem corporum, quibus vt in templis ſibi conſecratis, habitauit Spiritus ſanctus. Si hæc natura ſua culpa vacant, imò in laude ſunt, cur in eo loco in quo viuas à te non obſeruentur? cur ſine cauſa ſcandalum hominibus, & offendiculum afferatur. At frugaliter hæc agi præſtiterat. Vnde habes hic luxum ſuperfluum? num oportuit Ægypti Proregem aut parcitatis, aut modicæ in patrem beneuolentiæ accuſari? Nam cæteri Patriarchæ non habuerunt proreges Aegypti funerum curatores. quos tamen ipſos, pro facultatum copia, magnificè fuiſſe ſepultos, ſpelunca illa duplex, & fletus, & planctus Abrahami, & omne officium in funere Saræ ſatis innuunt. Idem de Abrahami, idem de Iſaaci funere dixerim, quæ eorum amantiſſimi, copioſiſſimique liberi pro dignitate celebrarunt. Nec dubium eſt Iacobum, qui voluit corpus ſuum in Hebron, tot dierum itinere tràſferri, eo etiam modo condiri voluiſſe, qui corporibus longè transferendis conueniebat, quémque ſeptendecim annis obſeruari viderat in Aegypto [10]. 10. ꝯ.

XLVI. *Diluitur.* *Conditura laudata.*

XLVII. *Commeatur à Rege petitur.*

MITTAMVS ergo iſtum, qui ab ipſis foribus aberrat; aut ſi placet, vt ei ſtomachum vehementius moueamus, affectemur & ipſi funus, & pro noſtro illud modulo honoremus; ſi prius tamen commeatum à Pharaone impetrauerimus. Secundus porro à Rege mittit ad eum interpretes, vt ait Lipomanus, ne vel funeſtus

1. in caten.

regem accederet, vel ne aliquid pet audaciam præsumere videretur: vel vt fauo- 2.
rem experiretur aulicorum in se externum hominem, quādoquidem difficile im- 3.
petrandam putabat, vel absentiam suam, qui omnia in regno moderaretur; vel
translationem corporis, quod fortè Pharao, ob honorem filij, & sanctitatem pa-
tris condi voluisset in honorato quopiam Aegypti loco. Denique verecundius 4.
ingenuo pudore præditi homines pro se quidpiam petunt; pro amicis autem ani-
mosius, atque decentius. *Si inueni*, inquit, *gratiam in conspectu vestro loquimini in au-*
ribus Pharaonis, eo quod pater adiurauerit me, dicens, En morior, in sepulchro meo quod fodi
Fodere. *mihi in terra Chanaan sepelies me.* Fodere hoc loco, quod Septuag. retinuere, emere
interpretantur viri aliqui docti, cùm tamen constet non à Iacobo, sed ab Abra-
hamo emptum esse sepulchrum, in quo conditus est Iacob, nec illatus sit in sepul-
chrum, quod ipse emit in Sichem. Itaque Paraphrasis Chaldæa, fodere interpre-
tatur præparare. Lyranus quoque & Abulensis aiunt Iacobum sibi, & Liæ pecu-
liare sepulchrum in illo agro, quem auus iampridem emerat præparasse, quod sen-
sit iam pridem D. August. cui subscribunt Lipomao. Perer. Cornelius, & alij pas- q. 170. in
sim, nam perrari sunt, qui hîc fodere emere interpretentur. Gen.

XLVIII. *Eoque impetrato transfertur funus in Chanaan.* ASCENDAM *igitur*, inquit Ioseph, *& sepeliam patrem meum, ac reuertar:* sicque
Regi metum adimit de non redeundo. Atque ita facile audiuit ab eo, *Ascende &*
sepeli patrem tuum sicut adiuratus es. Quo ascendente ierunt cum eo omnes senes domus Pha-
raonis, cunctique maiores natu terræ Aegypti. Domus Ioseph cum fratribus suis, nempe tri-
buum capitibus, *absque paruulis & gregibus, atque armentis, quæ dereliquerunt in terra*
Gessen, habuit quoque in comitatu currus & equites, & facta est turba non modica, vt trium-
phus pene potius, quàm funus videri posset. *Veneruntque in aream Atad*, id est agrū
quendam rhamnis, & carduis circumuallatum. De quo D. Augustin. *Prætergressi* q. 171. in
sunt, inquit, *locum, in quo sepeliendus erat mortuus, millia, sicut perhibent qui nouerunt, plus* Gen.
quàm 50. Tantum quippe spatij est, plus minus, ab eo loco vbi sepulti sunt Patriarchæ, in quibus
& Iacob, vsque ad hunc locum, quo eos aduenisse narratur. Nam post factum ibi luctum, &
planctum magnum, redierunt ad locum quem prætergrant, rursus Iordane traiecto. Nisi for-
tè quis dicat, aliquorum hostium vitandorum causa, per eremum eos venisse cum
corpore, qua via etiam populus Israël ductus est; per Moysem ab Aegypto libe-
ratus.

XLIX. *In aream Atad, & vbi ea fuerit.* VERVM cùm hæc Moyses scribebat non traiecerat Iordanem, quem omnino
nunquam transiuit, ergo cùm ait Arad sitam esse trans Iordanem, intelligit regio-
nem, in qua erat Hierusalem. Et certè id significat Hierony. qui aream Atadi, siue
Bethagla, vt nunc vocari ait, tertio ab Hiericho lapide distare dicit, & Emanuel
Sà trans Iordanem interpretatur, inter Iordanem & Iericho. Itaque Adrichom.
eam in tribu Beniamin, sicut & Iericho constituit; nec disiungit ab Hebron plus n. 33.
decem milliaribus. Quibus positis apparet Aegyptios non transisse Iordanem, in-
utili sese labore vexantes. Nec per desertum, sed per Gazam, recta tritáque via,
eò venisse. Porrò Beth-agla dictus est locus, quasi domus gyri, eo quod ibi Aegy- lit. A.
ptij more plangentium circuirēt in funere Iacob, vt ait Hieronymus in locis He- in c. 50.
braicis, & ex eo Procopius in huoc locum. Gen.

L. *Ibi septiduo fletur, & mox sepelitur in Hebron.* IBI *ergo celebrauerunt exequias planctu magno atque vehementi, septem dierum spatio.* c. 50. 10.
Quod cum vidissent habitatores terræ Chanaan dixerunt, planctus magnus est Aegyptiis. Et
idcirco vocatum est nomen loci illius Planctus Aegypti, siue Abel Misraim. Finito luctu
portatum est corpus in Hebron, ibíque sepultum, vbi & nos par est sepulchralia
affigere ornamenta.

LI. *Comparatio Iacobi cum cæteris Patriarchis.* QVIDNI autem magno Iacobo? Magno Patriarcharū Patriarchæ, filio Isaaci,
nepoti Abraham, vtriúsque virtutum, promissionum, ac benedictionum hæredi:
Cuius benedictiones confortatæ sunt benedictionibus patrum eius, confortatæ sunt, imò & c. 49. 26.
præualuerunt. Superauit vtrúmque multitudine prolis, superauit & præstantia.
Ex eo enim vno vniuersus populus Dei propagatus est. Ab illis autem, etiam Is-
maëlitæ, & Madianitæ, & Idumæi, mancipia idolorum. Superauit & reuelatio-
num copia, & perspicuitate, vt prædictiones factæ filiis suis abundè declarant,
præsertim quæ ad Christum pertinent. Nam cùm illis tantùm promissum esset
fore, vt in eorum semine benedicerentur omnes gentes; Iacobo insuper reuela-
tum est Christum de tribu Iuda esse nasciturum; eúmque expectationem gentiū,

mundi

mundi Saluatorem, & desiderium collium æternorum fore. Quo enim propius, temporum decursu, veniebatur ad Christum; hoc etiam apertius, atque illustrius eius mysteria verbis factísque vulgabantur. Plura enim & apertiora deinceps Moyses, Dauid, Isaias, Daniel didicerunt diuinitus, & scripsis enunciaruot. Vide D. Gregorium super Ezechielem.

par. 2. hom. 5.

SED quoniam Patriarchæ, vita & factis magis, quàm verbis & lingua Christum venturum demonstrarunt. Age id in Iacobo breuiter declaremus, ordine temporum seruato. LII. *Parallelismus Iacobi & Christi Domini.*

1. Gen. 25. 22. 23. Iacob igitur nondum natus in vtero materno luctatur cum Esaû, qui prior erat oriturus, & victoriam obtinet, ac principatum; nam diuino oraculo responsum est maiorem seruiturum minori. Duo erant filij Dei, Angelus primogenitus, & homo secundò genitus, vtérque diuinæ hæreditatis ac benedictionis capax. Et introducit Dominus in orbem terræ filium suum incarnandum, vt ait, *Adorent eum omnes Angeli Dei,* vt maior seruiat minori. *In lucta ante ortum.*

Hebr. 1.

2. Gen. 25. 27. Nascitur Iacob, móxque humili, domesticóque obsequio parentibus in tabernaculis deseruiens illius referebat imaginem, qui ipsos triginta annos parentibus obsequiosissimum exhibuit famulatum: vtérque eximiè dilectus matri, vtérque abditus domi, vtérque coruscantem diuinarum gratiarum fulgorem, humili conuersatione abscondens. Lucæ 2. 51. 52. *In humili conuersatione.*

3. ACQVIRIT Iacob iura primogenitorum, ac benedictionem patris, cũ multa eiusdem admiratione. Christus humanam naturam angelicæ in incarnatione præferens, fit primogenitus omnis creaturæ; deserit Angelum peccatorem, hominem redintegrat; in quo materiam immẽsæ admirationis exhibet vniuerso mundo. Fremit Esaû ob amissam benedictionem, & œstro inuidiæ, ac doloris percitus, *Venient,* inquit, *dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Videt repulsus Angelus se benedictione Dei, & cœli hæreditate priuatum; & hominis fratris sui secundo-geniti mortem machinatur, & per peccatum morti obnoxium reddit; cúmque ex Paradiso, quasi paterna domo expelli curat. In quam tamen postea hic Christi beneficio redit; ille salutis expers solitudines, ac prærupta montis Seir inhabitat, *Ambulat* quippe, *per loca inaquosa, quærens requiem & non inueniens.* LIII. *In primogenitura.*

Luc. 11. 24.

4. Gen. 27. 29. l. 7. c. 17. DICIT Iacobo Isaac. *Seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Quis enim est ille,* ait Rupertus, *cui seruiant populi, & quem adorent tribus, nisi caput seminis Abrahæ, Isaac, & Iacob, scilicet Christus: qui non tantùm homo, sed Deus & homo vnus est Iesus Christus? Ille nempe fratrum suorum dominus, & coram illo omnes filij matris eius, id est omnes ciues supernæ Hierusalem, quæ est mater omnium nostrûm, iure incuruantur, vt filij per adoptionem, illi qui natura est filius Dei: idem hominis, & idem Dei filius, ex altero quidem frater, ex altero autem fratrum suorum adorantium Deus, seruientium dominus.* Hæc & plura ibi Rupertus. LIV. *In dominio.*

5. serm. 79. de tempore. BEATVS *Isaac,* inquit Augustin. *neglectis mulieribus regionis in qua habitabat, mittebat filium suum, vt in regione longinqua sibi vxorem acciperet. Quia Deus pater missurus erat vnigenitum suum, qui repudiata Synagoga, de gentibus sibi Ecclesiam sociaret.* Et mox, *De beato Iacobo non legimus quod cum equis, aut asinis aut camelis abierit, sed hoc tantùm legimus, quod baculum in manu portauerit, Cum baculo meo transiui Iordanem, &c. Iacobo ergo ad accipiendam vxorem exhibuit baculum, & Christus ad redimendam Ecclesiam detulit crucis lignum.* Hæc D. Augustinus. LV. *In quærenda vxore.*

6. IACOB filius & nepos opulenti patris, auique, quasi pauper, solus, & nudus egreditur è paterna domo, & hospitio carens in agro pernoctat sub dio; terram pro lecto habet, & lapidem pro ceruicali. Nónne in figuram illius *qui cùm diues esset, propter nos egenus factus est, vt illius inopia diuites essemus:* qui que in natiuitate hospitio caruit, & in peregrinationibus suis *non habuit vbi reclinaret caput suum?* LVI. *In paupertate.*

2. Cor. 8. 9. Math. 7. 20

7. ANGELI ascendunt & descendunt super Iacob, qui in imo scalarum contemplatur diuina mysteria. *Quod Iacob per figuram in somnis viderat, hoc de se Dominus in Euangelio prædicabat; Amen amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis.* Aug. LVII. *In ministerio Angelorum.*

Ioan. 1. 51. Serm. 79. de tempore.

8. Venit Iacob in Mesopotamiam, reperit tres greges ad puteum, adaquandi causa accubantes, cuius os grandi lapide claudebatur, quo amoto adaquauit greges. *In aperiendo puteo.*

*Nimirum ſacram Scripturam, ſed clauſam contemplantur Iudæi, Ethnici, Samaritæ, ſiue hæ-
retici; ſed niſi hunc puteum aquarum viuentium aperiat Dominus, qui aperuit diſcipulis ſen-
ſum, vt intelligerent Scripturas, aridi ſine potu ad puteum accubabunt.* Ita Ruper- l.7.c.26.28
tus eleganter. 29.

LVIII. *In amore Rachelis, & Lia pro ea ſubſtituta.*
IACOB vltro ſe Labani ſeruituti addixit, vt Rachelis coniugio frueretur; ſed 9.
ei imprudenti Lia ſubſtituta eſt. Rachel Synagogam, Dei cognitione, & cul-
tu pulchriorem figurabat, Lia gentilem cœtum, idolorum cultu ſordidum, & vi-
tiato rationis lumine deformem. Verus Iacob pro Synagoga ſeruiuit; negat enim
ſe miſſum *niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael*, pro quibus, *ſemetipſum exinaniuit* Philipp.2.7.
formam ſerui accipiens, & cui fuerunt chariſſimi propter patres. At Laban pro Ra- Rom.11.28.
chele Liam introduxit, quia ſubſiſtente Synagoga, & nondum mortua, Eccleſia
gentium ad Chriſti quaſi neſcientis thalamum introiuit, iuxta illud, *Populus quem* Pſ.17.45.
non cognoui ſeruiuit mihi. Et Dauidi conſentiens Iſaias, *Ecce gentem, quam neſcie-* c.55.5.
bas vocabis, & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current. Hæc fere idem Rupert. Et Ibid.
nihilominus pro eadem Rachele ſeruit, multóſque exantlat labores, & diſcipuli Rom 9.4.
eius, vſque adeo vt etiam pro ea anathema eſſe cupiant.

LXI. *In diuitiis.*
PAVPER erat Laban ante aduentum Iacobi, ſed mox ditatus eſt valde, quin 10.
& ipſe Iacob diues effectus eſt. Nihil habebat mundus ante Redemptoris aduen-
tum, niſi modicum legalis ſcientiæ, quam & pauci nouerant, modicúmque car-
nalium cæremoniarum, quarum ritu vmbratico perpauci vnum Deum vtcún-
que colebant. At veniente Chriſto mundus vniuerſus vera Dei cognitione lo-
cupletatus eſt, quem ad introitum Chriſti Deus omni benedictione ſpirituali be-
nedixit, peccata ſuſtulit, dona Spiritus ſancti largitus eſt. Ipſum autem Chriſtum,
qui ſemetipſum exinaniuerat, exaltauit, *& donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne no-*
men. Rupertus. 9.c.37.&

LX. *In reditum patriam.*
40.
ITA ditatus eſt Iacob, vt diceret, *In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum* 11.
duabus turmis regredior: eique veniunt obuiam Angeli Dei. Chriſtus torcular calca- Gen.32.10.
uit ſolus, mox autem exaltatus à terra gentilium & Iudæorum turmas traxit ad
ſe. Et in cœlum aſcendens turmam animarum ſanctarum, quas limbo, & purga-
torio eripuerat, & eorum qui cum ipſo reſurgente reſurrexerant, ſecum ducens
regreſſus eſt in cœlum; cui etiam occurrerunt multæ myriades Angelorum, eius
victoriam prædicantium.

LXI. *In duodecim filiis.*
GENVIT Iacob duodecim filios, totidem Iſraëlitarum Patriarchas, & acqui- 12.
ſiuit labore ſuo familiam copioſiſſimam. Chriſtus factus eſt duodecim Apoſtolo-
rum, id eſt Patriarcharum noui Teſtamenti, parens, & innumerabilium deinceps
diſcipulorum, qui ab ipſo Chriſtiani dicti, vt illi à Patriarcha, Iſraëlitæ: nomine
tanto glorioſiore, quanto Chriſtus Iſraële maior. Illi reſiſtunt Deo vſque nunc, &
præualent obſtinatione libertatis ſuæ; iſti ampliore vncti gratia obſequuntur Deo:
illi pereunt, iſti ſaluantur.

LXII. *In lucta.*
LVCTATVS eſt Iacob cum Angelo, qui Dei gerebat vicem, cùm prope adeſ- 13.
ſet Eſaü, à quo ſibi vehementer formidabat; etſi autem Angelo in lucta non ceſ- Gen. 32.
ſit, ſed benedictionem obtinuit, altero tamen pede infirmatus eſt. Annon lu-
ctatus eſt cum Deo Chriſtus Dominus, cùm ſæpius iteraret illud, *Pater ſi fieri po-*
teſt tranſeat me calix iſte, nónne cum incredibili fortitudine luctabatur, cùm *fa-*
ctus in agonia prolixius orabat, imminentem videns mortem multis cruciatibus,
atque ignominia cumulatam; perſtitit tamen inuictus, & ab Angelo conſola-
tionem, quaſi benedictionem accepit: ſudore tamen ſanguineo afflictus, & infir-
matus eſt.

LXIII. *In conciliãdo ſibi fratre.*
IACOB humilitate ſua, & muneribus iratum fratrem placat, ſibíque conciliat, 14.
& pronum ad ſibi benefaciendum reddit. Inæſtimabilis Chriſti Domini humili-
tas, & merita oblata Deo patri, eum placarunt, & myſtico Chriſti Domini corpo-
ri conciliarunt, vt vltro dona daret hominibus, quos iampridem quærebat ad
mortem, tanquam reos ac perduelles.

In laborib.
Iacob multis, magniſq; ærumnis, ac laboribus per totam vitam exercitus, duo- 15.
decim præſertim, quos ſupra memorauimus, anno eius 131. Domini noſtri labo- n.72.
res, quos à prima infantia vſque ad mortem, à ſtabulo ad Caluariam, à præſepi

vſque ad crucem pertulit, quoquo modo adũbrarunt, quo pertinet illud Dauidis,
Pſal. 87. 16. *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea*, imò & ab ipſa prima infantia, vt qui
crucem ſuam animo, perpetuò circuntulit, vt in eius perſona dixiſſe videatur Da-
Pſal. 37, 18. uid. *Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.*

16. IACOB perditum, & quaſi à beſtiis laceratum deplorat filium ſuum. Deplo- LXIV. *In luctu.*
rat Chriſtus filios Hieruſalem, quos congregare cupiebat ad ſe, & diſcipulos qui
abierant retro, & Iudam in primis, quem Diabolus fera peſſima deuorauit, & ſu-
ſpenſus crepuit, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.

17. IACOB moriturus multa prædixit filiis ſuis, quæ eis euentura eſſent nouiſſimis *In decuſſata benedictione.*
temporibus, vt Chriſtus Apoſtolis. Ephraim autem decuſſatis manibus benedi-
xit, in ſignum benedictionis per crucem à ſeniori populo ad iuniorem, à Iudæo
l. 9. c. 24. ad gentilem transferendæ. *Propheta erat*, inquit Rupertus, *& prophetico ſpiritu ſcie-*
bat, quod per crucem componenda erat benedictio, quam venturus legislator daret. Nepotes
l. de Bapt. c. 8. *ſuos ex Ioſeph*, ait Tertullianus, *Efrem & Manaſſem Iacob capitibus, impoſitis, & intermu-*
tatis manibus benedixerit, & quidem ita tranſuerſim obliquatis in ſe, vt Chriſtum deforman-
tes, iam tunc portenderent benedictionem in Chriſtum futuram.

18. MVLTO cum ſuorum, & externorum luctu moritur, & conditur vnguentis, LXV. *In morte & ſepultura.*
& ſepelitur Iacob. Chriſtus moritur & ſepelitur cum omnium bonorum, imò
cum omnium creaturarum gemitu, ac lamentis. Et impletum eſt illud, *Aſpicient ad*
Zach. 12. 10. *me quem confixerunt, & plangent eum planctu, quaſi ſuper vnigenitum. Et dolebunt ſuper*
eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti.

19. Denique glorioſiſſimè reſurrexit Chriſtus, atque in cœlum aſcendit; & Patri- *In reſurrectione.*
archarum patrem Iacobum, ſimillimam ſui imaginem, in iis ſanctis, qui ſecum
ſurrexerunt, vt eſt in Matthæi Euangelio, vt piè creditur, ſuſcitauit à mortuis, &
c. 27, 52. ſecum cum triumpho deduxit in cœlum.

SED addamus etiam Epitaphium, quo adamatam à Iacobo, & ſtudioſè quæ- LXVI. *Epitaphium Iacob.*
ſitam ſpeluncam, condendis lipſanis ſuis, pro modulo noſtro exornemus.

EPITAPHIVM IACOB.

CLAVDIT HÆC SPELVNCA DVPLEX TERTIVM PATRIARCHARVM SYDVS, IACOBVM, ISAACI FILIVM, ABRAHAMI NEPOTEM, DIVVM GENVS. IN QVO SIMPLICITAS, CVM PRVDENTIA, LENITAS CVM FORTITVDINE, CONTINENTIA CVM FOECVNDITATE, INFELICITAS CVM FELICITATE CERTAVIT. TANTA INNOCENTIA ATQVE ANIMI CANDORE FVIT, VT IN VXORIO NEGOTIO, NIHIL DE QVOQVAM MALE SVSPICARI VOLENS, LIÆ PRO RACHELE IVNGERETVR VXORI. TANTA PRVDENTIA VT DESTINATAM SIBI DIVINITVS PRIMOGENITVRAM, ET BENEDICTIONEM SAPIENTER RECIPERET, SOLERTI INDVSTRIA LOCVPLETARETVR, ET FVRENTEM FRATREM MVNERIBVS, ANIMIQVE DEMISSIONE PLACARET. TANTA LENITATE VT MVTATAM DECIES MERCEDEM ÆQVANIMITER FERRET. TANTA FORTITVDINE ET PATIENTIA, VT DVODENIS IACOBÆIS LABORIBVS VERIVS, QVAM HERCVLEIS NOMEN DARE POSSIT. QVIQVE PALÆSTRAM AB VTERO EXORSVS, DEINDE CVM ANGELO LVCTATVS, ETIAM ADVERSVS DEVM FORTIS FVIT. ITA CONTINENS, VT IPSOS IV. ET LXXX. ANNOS VIVERET COELEBS. ITA FOECVNDVS, VT SEPTENNIO FIERET XII. LIBERORVM PARENS. TAM INFELIX VT REPROBVM FRATREM, VT CRIMINOSOS HABERET LIBEROS, VT INVIDOS, VT CRVDELES, VT PROPRII SANGVINIS PRODITORES. CONTRA TAM FELIX, VT FILIO ÆGYPTI PROREGE, ET

MVNDI SALVATORE LÆTARETVR, CVIVS INSIGNI PIETATE ET INDVSTRIA, DVM ALII EXTREMA QVÆQVE PATIVNTVR, IPSE CVM TOTA FAMILIA OMNIBVS ABVNDARET BONIS. VT IN QVIETA BEATAQVE SENECTVTE PLACIDISSIMA MORTE FVNCTVS, ANIMO AD COGNATORVM SANCTORVM POPVLVM AGGREGARETVR: CORPORE AD PATRIS ET AVI LIPSANA, GLORIOSO, ET PENE TRIVMPHALI FVNERE ELATVS, IN HAC SPELVNCA CONDERETVR. NASCENTEM VIDIT CHANANITIS, ALVIT MESOPOTAMIA, ÆGYPTVS EXTINXIT, HEBRON RECEPIT SINV. ANNVM AGENTEM SEPTIMVM SVPRA CENTESIMVM QVADRAGESIMVM. XV. CVM ABRAHAMO AVO, TRES ET LX. CVM ISMAELE PATRVO, C. ET XX. CVM PATRE VIXIT. NVMEROSISSIMA POST SE FILIORVM, AC NEPOTVM FAMILIA RELICTA. OBIIT ANNO MVNDI CIↃ. CIↃ. CCCXLV. ANTE CHRISTVN CIↃ. IↃCCVIII.

LXVII. *Reditus in Aegyptũ, & Patriarcharum timor.* Hoc iam perfuncti pietatis officio, aſſectemur Ioſephnm in Aegyptum eum fratribus ſuis, & omni comitatu redeuntem. Eo poſtquam petuentum eſt, communi parente, quaſi propugnaculo ſublato, ex conſcientia antiqui ſceleris nouus reintegratut timot. Timent enim fratres Ioſephi, *& mutuo colloquentes, Ne fortè,* inquiunt, *memor ſit iniuriæ, quam paſſus eſt, & reddat nobis omne malum quod fecimus. Mandauerunt ei* per filios Balæ, vt ex Hebræis referunt Lyranus, & Abulenſis. Crediderim potius per Beniaminum vterinum fratrem longè dilectiſſimum, & illius criminis penitus immunem. Beniamino vſos nuncio ſuſpicantur quoque Abulenſis, Del Rio, Cornelius à Lapide. in hũc loc.

LXVIII. *Eorum ad Ioſephum nuntius.* MANDATI ſententia hæc fuit. *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus. Obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te. Nos quoque oramus vt ſeruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc.* Gen 50.16. & 17. Fictum fuiſſe hoc Iacobi præceptum ſentiunt Abulenſis, Lyranus, Del Rio, Cornelius, Fonſeca. quoniam ſi talia dicere voluiſſet, coram Ioſepho ipſo dixiſſet, eo maximè tempore, quo filios congregatos benedixit: vt ſi qua offenſio aduerſum fratres in animo Ioſephi reſideret, penitus abſtergeretut. Non duxit tamen neceſſarium Iacob eius rei meminiſſe, Ioſephi ſui lenitati, atque placabilitati confidens: ratus quoque bene obductam ſilentio, atque obliuione eicatricem, noxia commemoratione refricandam non eſſe. At fratres Ioſephi, animum ipſius ex quorundam aulicorum motibus, & implacabilitate metientes, qui acceptam iniutiam immortali cum odio memotia retinent, donec aliquando longè grauiorem teponant; Ioſephum his verbis, per ea quæ antiquiſſima ipſi fote cenſuerunt, exotare contendunt; Pattis ſcilicet in eum beneuolentiam, & preces; quibus ſuas quoque humiliter ſubiungunt, quas & diuini numinis, cui ſeruiant, autotitate ſuffulciunt.

LXIX. *Ioſephi clementia in fratres.* QVIBVS auditis Ioſeph, in argumentum fraternæ charitatis, dulciſſimæque beneuolentiæ lacrymatus eſt, anxio mœrori fratrum, timori atque pœnitentiæ condoleſcens, quæ videbat poſt decimum ſeptimum, atque adeo quadrageſimum, in ipſorum animis redintegrari. Ergo eos planè conſolaturus, metúmque omnem abſterſurus, accerſit ad ſe. *Venerúntque ad eum fratres ſui, & proni adorantes in terram dixerunt, ſerui tui ſumus.* quaſi dicant, Si perdideris nos, vt poſſunt domini ſeruos, commodis officies tuis, ſamulos tuos, ſeruóſque perdideris, quæ cùm illi pallida facie, anhelo pectore, trementibus membris dicerent,

LXX. *Quî excuſet eorum peccatum contra iteratam Caluini blaſphemiam.* *Nolite timere*, inquit Ioſeph, *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* in Hebræo, *Num pro Deo ego ſum?* vt ſcilicet eius conſilia commutari à me poſſe ſperem. *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum vt exaltaret me, ſicut in præſentiarum cernitis, vt ſaluos faceret multos populos.* v.19 & 21.

AD ſpeciem excuſat factum, ne nimio mœrore, aut metu abſorbeantur. In eo quippe non tam factum ipſum ex natura ſua, & ſcelerata fratrum voluntate æſtimat, quàm ex eo bono, quod Deus inde elicuit, propter quod illud permittere

voluit. Verùm hac de re ſuprà contra Caluinum actum eſt ſatis, qui hoc quoque loco impias iterat, & blaſphemas in Deum voces, ſed aliquanto tectius. Non contentus enim cum Catholicis dicere. *Deum ad tempus conniuentem, hominum malitiæ frena laxare, vt hac occaſione poſtea bene vtatur*, aſſerit *Deum ordinem agendi, quem volebat certum, fixúmque eſſe, ſuo arbitrio ſtatuiſſe, ideóque verè & propriè dicendum eſſe ſceleſta fratrum pactione, & arcana Dei prouidentia venditum fuiſſe Ioſeph*, id eſt influente moraliter in ipſam venditionem Deo voluntate efficaci, talem enim eius verba deſcribunt, quæ permiſſiuæ opponatur; ſed venenum occultare voluit ſub vocibus arcanæ Dei prouidentiæ. Verùm illa eius voluntas efficax, & antegreſſa, Deum primarium ſceleris authorem, & architectum facit; Catholica verò permiſſio inſigniter bonum: vt qui hominem, data ſemel arbitrij libertate non priuet, ſed ei in phyſica actione, vt primaria cauſa ſecundis ſubſeruiat. Iuxta illud *Dei bonitas & ſapientia in permiſſione peccati.*
c. 43. 24. Eſaiæ, *Seruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem, in iniquitatibus tuis*. Et rurſum inſigniter ſapientem oſtendit, qui ex tenebris lucem excitat, ex veneno faciat medicinam.

LXXI. *Ioſephi in fratres liberalitas.*

EXCVSATA ergo vteúmque fratrum malitia, rurſus animos eorum exſuſcitat, promittens ſuam in eos deinceps quoque beneficentiam. *Nolite timere*, inquit, *ego paſcam vos, & paruulos veſtros*; nedum ſcilicet malum pro malo reddam, aut ſolitam ſaltem ſubtraham liberalitatem. Nec largior promiſſis, quàm factis fuit. Nam
l. de Ioſeph. Philo. *Confirmatis*, inquit, *fratribus, facta conuenientia dictis addidit, nihil omittens quod pertinent ad eorum commoda*. Liberalius etiam Flauius noſter. *Reductis*, inquit, *ſecum magnas poſſeſſiones largitus eſt, nec vnquam eos ſumma beneuolentia proſequi deſtitit.*
κτῆσιν πολλὴν ἐχαρίζετο.

LXXII. *Flauij lapſus circa reditum fratrum.*

ID verúmne ſit, ipſe viderit, quod ad poſſeſſiones quidem attinet; quas de ſuo emptas illis dederit. Certè à veritate alienum eſt, quod idem paulò antè præmiſerat. *Fratribus*, inquit, *recuſantibus cum eo reuerti, quod timerent ne defuncto patre in ſe vindicaret, cùm non amplius eſſet in cuius gratiam daturum veniam ſperarent, iuſſit eos poſito metu nihil mali ſuſpicari*. Verùm, vt rectè notauit Pererius, hanc Ioſephi narra-
in c. 50. n. 16. tionem falſitatis coarguit narratio Moſis; qui & timorem fratrum, & conſolationem Ioſephi, poſt reditum eorum in Ægyptum fuiſſe docet perſpicuè verbis illis. *Reuerſus eſt Ioſeph in Aegyptum cum fratribus ſuis, & omni comitatu, ſepulto patre.* Quibus expoſitis ad timorem delabitur. Neque verò credibile eſt noluiſſe filios Iacobi in Ægyptum reuerti, cùm ibi vxores, liberos, omniáque bona ſua, vt ſcri-
c. 50. 8. pſit idem Moſes, reliquiſſent, in quos facilè erat Ioſepho, ſi libuiſſet, animaduertere.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2345. IACOBI VLT.

N. I. I. DEMETRIVS apud Euſebium lib. 9. de præpar. c. vlt. ait Leui hoc anno genuiſſe Caath, cùm ageret annum vitæ ſexageſimum; quod verum eſſe non poteſt. Nam Leui in Ægyptum ingreſſus eſt cum Caath, imò cum iuniore eius fratre Merari, vt conſtat ex Geneſ. 46. 11. quomodo ergo natus eſt ſeptendecim annis poſt ingreſſum?

N. V. 2. Antiqua verſio apud Hieronymum in trad. habet, *Et adorauit Iſrael contra ſummitatem virgæ eius*. Vbi idem Hieronym. *Et in hoc loco quidam fruſtra ſimulant adoraſſe Iacob ſummitatem ſceptri Ioſeph; quod videlicet honorans filium poteſtatem eius adorauerit. Cùm in Hebræo multo aliter legatur*, &c. Videtur hoc malè habuiſſe Hieronymum, quod durum ſit auditu Patriarchã adoraſſe virgam, aut faſtigium eius, cùm addita propoſitio ἐπὶ omnem tollat difficultatem, non enim idem eſt, adorare faſtigium, &, ad faſtigium virgæ. Nam quod in Latina vulgata non habetur Hebr. 11. 21. quæ ibidem habetur in Græco, fortaſſis excidit, aut ſubintelligitur repetenda ex voce *adorauit*, vt cùm dicimus adire, alloqui, accedere aliquem.

Imò neque gignere potuiſſe, vt qui paruuli & lactentes in ingreſſu patris ac fratrum eſſent; quod non probatur, cùm geniti credantur initio principatus. Et eſto paruuli tum eſſent, & lactentes; vtique anno 17. & 18. patres fieri potuere. N. VII. 3.

Pueri dicuntur iam facti viri, quo modo Gallicè dicimus, *mes enfans*, eadem vocis ambiguitate. N. XVI. 4.

Inepta eſt ergo ac ridicola hoc loco Caluini Catholicos ſugillantis cauillatio, negantiſque aliud ſibi velle phraſim Hebraicam, quam cenſeri ſub nomine, quo modo dicitur inuocari nomen mariti ſuper vxorem, Eſa. 4. 1. quia vxor à capite, cui ſubeſt, nomen mutuatur; præclare ex vno vocis vnius vſu omnem alium excludit; quid facias ergo terræ, pluuiam, & abyſſo abyſſum inuocanti? Pſal. 41. 8. quid Moſi Dei iuſſu cœlum & terram inuocanti, Deuter. 4. 30. 31. quid pullis N. XVII. 5.

coruorum inuocantibus eum? Psalm. 146. 9. quid quod Moyses eadem omnino voce hoc loco vtitur, cùm de inuocatione nominis Iacobi agitur, ac cùm agit de inuocatione diuini nominis facta ab Abrahamo Genes. 12. 8. c. 13. 4. c. 21. 35. &c. vbiq; est idem verbum נקרא carah. vt similis proportione inuocatio intelligatur. Sed & longè melius Iacobi mentem intellexit Moses, qui reipsa, vt dixi, inuocauit hos Patriarchas & Iacobi prædictionem, & precationem impleuit. Vide ergo quàm sit sanus, qui nihilominus scribat. *Quo magis ridicula est Papistarum inscitia, dum hinc probant mortuos in precibus esse inuocandos.* Mortuos contemptim vocat, in contemptum Christi Domini, dicentis de istis ipsis Patriarchis, *Non est Deus mortuorum, sed viuorum, omnes enim viuunt ei.* Lucæ 20. 38.

Sed audi etiam bacchantem furiosius. *Porrò mirum est cum hoc prætextu innumeros sibi patronos fabricati sint Papistæ, Abraham tamen, Isaac, & Iacob, tanquam indignos fuisse præteritos. Sed Dominus hoc bruto stupore impiam nominis sui profanationem vltus est.* Sic ille. Quam multa hic peccata? primùm falsom est esse præteritos Patriarchas à Catholicis in sanctorum inuocatione. Nam in iis precibus, quæ pro moribundis offeruntur Deo, imploratur Dei misericordia in nomine Patriarcharum & Prophetarum, & nominatim sanctus Abel, & sanctus Abraham, cum omni choro iustorum inuocatur. Et quotidie omnes sanctos Patriarchas, & Prophetas in litaniis inuocat Ecclesia, in quibus nemo dubitat esse, quos iste præteritos esse mentitur. Secundò, falsom est reputatos indignos, cùm præteriti non fuerunt, sed eis compendio inuocatis ad vitandam prolixitatem; distinctius Apostoli & Euangelistæ, qui Patriarchæ sunt & Prophetæ noui Testamenti, nominati sunt. Tertiò, falsum est hanc esse profanationē diuini nominis. Nemo enim eos Saluatori exæquat, aut quasi Redemptores inuocat, sed vt eiusdem famulos, quos ipse amicos vocare dignatus est. In quorum gratiam ipsemet quotidie innumera beneficia hominibus impertitur; quos ipse honorat prodigiis, atque miraculis, vt omnes sacræ, atque Ecclesiasticæ historiæ, ab omnibus retro temporibus loquuntur; nedum putet impiè profanari nomen suum; quæ qui non vident, bruto stupore attonitos, ac perculsos esse necesse est.

N. XX. 6. Vbi donum hoc Iacobi nihil aliud fuisse ait, quàm illum agrum, quem emerat Iacob, & in quo postea sepultus est Ioseph. Idque constare etiam Euangelistæ Ioannis testimonio c. 4. 5. quod iampridem significauerat Hieronymus in tradit. Hebr. vbi suo tempore locum Neapolim vocatum refert. Quem sequitur de more Rupertus, libro nono in Gen. c. 24.

Te decebat, ait Chaldæus, vt acciperes tres partes, primogenituram, sacerdotium & regnum. N. XXI. 7.

Nisi placet interpretari *non crescas*, id est non excellas, vt est in Hebræo. LXX. μὴ ἐκζέσῃς, *ne efferuescas*. In Chald. *partem potiorem non accipies.* Quin & illud Deut. 33. 6. ad dignitatem referri posset, quo modo dicimus aliquem nullo esse numero, aut aliquo esse numero. & ille, *nos numeri sumus.* Nam Arias Montanus ibi vertit, sint viri eius numerus. Septuag. ibidem habent, καὶ ἔστω πολὺς ἐν ἀριθμῷ, quæ verba quidam libri referunt ad Simeonem. Ibid. 8.

Huc allusit author Testamenti Patriarcharum c. 5. vbi inducit Issacharem dicentem filiis. *Quando*, inquit, *factus sum vir, filij mei, ambulans in rectitudine cordis mei, & factus sum agricola patrum, & attuli fructum ex agris secundum tempus eorum; & benedixit me pater meus, videns quod in simplicitate ambulabam.* Et infra, *Supponite dorsum vestrum in agriculturam, dona cum gratiarum actione Domino offerentes; quoniam primis germinibus fructuum terræ benedixit Dominus: secundum quod benedixit omnes sanctos ab Abel vsque nunc. Non enim datur tibi alia pars quàm pinguedinis terræ, cuius in doloribus fiunt fructus: quoniam pater noster Iacob in benedictionibus terræ, & primitiarum fructuum benedixit me.* Hæc ibi. N. XXX. 9.

Idem Hæresiarcha cùm nullum finem faciat lacerandi sanctos viros, ibidem mox ait Iosephum timore seruili fuisse oppressum, quo minùs sponte & liberè fidem suam profiteri auderet, *Cùm simplicior*, inquit, *magisque integra à filiis Dei*, puta Caluinianis, *requiratur confessio.* Quis obsecro sine stomacho ferat istum fidei transfugam, tam illustrem sanctúmque Patriarcham seruili timore oppressum cauillari, & tantùm non à filiis Dei exterminare. Quasi omni tempore & loco, opportunè, importunè, nulla occasione, nulla necessitate, nullo fructu insultandum sit infidelibus, profitendúmque nos esse Catholicos? Num id Caluinistæ in Hispania, aut Italia faciunt, si qui ibi latitant? facit Deus vt faciant, rectè insanient in caput suum: illico enim capite luent. Verùm, nisi valde fallor, Hæreticus hic nomen sibi quærit facere, in detrahenda sanctorum gloria: vt multo iis sanctior, maioréque præditus zelo, ac fortitudine videatur. Nam *superbia eorum, qui Deum*, & sanctos eius *oderunt, ascendit semper.* Psalm. 73. 23. N. XLVI. 10

ANNVS MVNDI 2348. DILVVII 692. TERTIÆ ÆTAT. 310. RVBEN 66. SIMEON 65. LEVI 64. IVDÆ ET DAN 63. NEPHTHALI ET GAD 62. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 61. IOSEPHI 60. PRINCIP. 29. BENIAMINI 43. PROMISS. 235. CAATH 32. MANASSES 59. EPHRAIM 58. MORÆ IN ÆGYPTO 50. IOBI 21. BALÆI 47. IMPERII ASSYR. 417.

ANTE CHRISTVM 1705.

c. 3. AVTHOR testamenti Patriarcharum in benedictione Leui, ait Iochabeth genitam anno sexagesimo quarto vitæ Leui patris sui, eodémque anno & die natum esse Amram de Caath. Supponit hic au-
v. 59. v. 20. thor Iochabeth immediatam esse filiam Leui, quod neque ex Num. 26. neque Exodi 6. probari potest, vt alio loco disputauimus. Et sanè si nata esset hoc anno, cùm peperisset Moysem annum egisset vitæ suæ 115. quod absurdum putamus. tot enim anni vsque ad Mosis natalem annum numerantur. Idémque de annis Amram dicendum esset, quod non multò minùs absurdum est. Verùm cùm multæ sint sententiæ quo anno natus sit Amram, de eo dicemus anno Iosephi 97.

ANNVS MVNDI 2351. DILVVII 695. TERTIÆ ÆTATIS 313. RVBEN 69. SIMEONIS 68. LEVI 67. IVDÆ ET DAN 66. NEPHTHALI ET GAD 65. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 64. IOSEPHI 63. PRINCIP. 32. BENIAMINS 46. PROMISS. 238. CAATH 34. MANASS. 32. EPHRAIM 31. MORÆ IN ÆGYPTO 53. IOBI 24. BALÆI 50. IMP. ASSYR. 420.

ANTE CHRISTVM 1702.

IN hac rerum gestarum, aut scriptorum potius tam sacrorum quàm profanorum penuria, aut potius inanitate, quæ à Patriarchæ Iacobi morte, vsque ad Iosephi obitum protenditur, non habent Chronologi, vbi pedem certo figant, nisi in aliquot regum initiis, atque finibus, Eusebio præeunte, cui hic annus est Iubilæi quadragesimi sexti, decimus tertius. At nobis iuxta verissimam quam sequimur in annis ab orbe condito Scripturæ rationem, inchoat hic annus Iubilæum 48. Idque facilè est ex diuisione annorum mundi per quinquaginta reperire. Ostendit enim huiusmodi partitio annum proximè præcedentem expleuisse Iubilæum 47. *Initium Iubilæi quadragesimi octaui.*

c. 6. Sub hæc tempora, vt refert D. August. l. 18. de Ciuit. Dei, regnante Argiuorum rege Argo, à quo & nomen acceperunt, suis cœpit vti frugibus Græcia, & habere segetes in agricultura, quæ delatis hactenus aliunde frugibus vixerat. Eo nimirum tempore Ceres illuc venisse perhibetur, cui frugum inuentio in Attica tribuitur. *Ceres.*

ANNVS MVNDI 2353. DILVVII 697. TERTIÆ ÆTAT. 315. RVBEN 71. SIMEON 70. LEVI 69. IVDÆ ET DAN 68. Nephthali et Gad 67. Aser, Issachar, et Zabvlon 66. Iosephi 65. Princip. 34. Beniamini 48. Promiss. 240. Caath 36. Manasses 34. Ephraim 33. Iob 26. moræ in Ægypto 25. Balæi 52. et vlt. Imperii Assyr. 422.

ANTE CHRISTVM 1700.

Balei mors. SEPTENDECIM nobis adhuc secula, ante Christi Domini ortum decurrenda sunt, quibus hic annus initium dabit, qui Balæi decimi Assyriorum regis imperium, vitámque concludit. Decimum cum D. Augustino diximus in Ciuit. Dei. Tametsi (L. 18. c. 4.) Eusebius in Chronico eum appellet nonum; vtpote qui Belum primum omnium Assyriorum regum prætermiserit. Hoc tempore florebant in Ægypto, & vehementer multiplicabantur Israëlitæ; eos tum diuina prouidentia, tum Iosephi potentia, prudentiáque protegente, Amosi autem in Ægypto annum iam vigesimum secundum regnante, vt habet Eusebius in Chronico; vbi & tertiæ ætatis, quæ est ab ortu Abrahæ, & Principatus Iosephi, & promissionis annum, quem præfert index noster, apertè confirmat.

ANNVS MVNDI 2354. DILVVII 698. TERTIÆ ÆTATIS 316. RVBEN 72. SIMEONIS 71. LEVI 70. IVDÆ ET DAN 69. Nephthali et Gad 68. Aser, Issachar, et Zabvlon 67. Iosephi 66. Princip. 35. Beniamini 49. Promiss. 241. Caath 37. Manass. 33. Ephraim 34. Iobi 27. moræ in Ægypto 26. Altadæ 1. Assyr. Reg. 1. Imp. 423.

ANTE CHRISTVM 1699.

Ortus Imperij Altadæ. QVEM Eusebius Altadam, Africanus Sethon appellauit, vt est in fragmentis eius, apud Scaligerum in Thesauro temporum. Alij Altallum vocant. Pontacus præter morem nullam hic nominum varietatem retulit. Altadas ergo siue Sethos vndecimus à Belo, hoc primùm anno regnare cœpit, cuius res gestæ, sicut & cæterorum incognitæ. Nam quod nouus Berosus ait, eum otium labori prætulisse, stultúmque existimasse bellicis laboribus se aliósque vexare, antequam fidem faciat in re quantumuis probabili, fidem prius faciat Viterbienses esse Chaldæos.

Iosephi gloria. Ad hæc autem circiter tempora referas illud Psalmistæ. *Vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.* (Ps. 104. 22.) Quamuis enim hæc eruditio ad priora quoque tempora pertineat; nunc tamen erat efficacior, cùm diuinitus acceptæ sapientiæ, humana quoque experientia accessisset. Huc quoque illa Philonis pertinent. (Sub fin. l. de Ioseph.) *Insecutis autem felicioribus temporibus, & regione restituta in abundantiam pristinam, cùm magna incolarum lætitia honorabatur ab omnibus, gratiam referentibus pro acceptis beneficiis in difficultate superiorum temporum. Fama quoque apud exteras ciuitates inclytas hominis virtutes celebrabat.*

ANNVS MVNDI 2357. DILVVII 701. TERTIÆ

ÆTAT. 319. RVBEN 75. SIMEON 74. LEVI 73. IVDÆ ET DAN 72.
NEPHTHALI ET GAD 71. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 70.
IOSEPHI 69. PRINCIP. 38. BENIAMIN 52. PROM. 244.
CAATH 40. MANASSIS 38. EPHRAIM 37. IOBI 30.
MORÆ IN ÆGYPTO 29. ALTADÆ 4.
IMPER. ASSYRIORVM 426.

ANTE CHRISTVM 1696.

Iobi mores à puero.

Mũdi 2325. c.31.16. & seq.

AGEBAT hoc tempore Iob in terra Hus, annúmque vitæ circiter trigesimum; iuxta ea quæ anno Iacobi 130. diximus; vitámque ducebat plurimis virtutibus illustrem. Qualem describit ipse c. 31. libri sui. Nominatim autem misericordia in pauperes. *Si negaui*, ait, *quòd volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Cùm ergo ab infantia adamasset benignitatẽ in pauperes, quorum ingens tum fuerat copia, vt qui natus fuit sub initia famis, quæ Israëlitas in Ægyptum compulit, vt suprà diximus, & ad quam videtur alludere; non destitit eandem viam deinceps insistere; sicut & in reliquarum virtutum curriculo, quas eodem loco ipse commemorat. Fortassis autem hoc tempore rerum potiebatur domi, defuncto Balac, siue Bela, vt in edit. vulg. c. 36. 52. filio Beor cui successit, vt habetur Genes. 36. & apud Septuag. in fine libri Iob.

Et coniugium.

Iob. c.1.

Qua etiam ætate credibile est eum vxorem duxisse, quàm iidem vocant Bosorram, genere Arabissam, ex qua susceperit filium Emmon, puta primogenitũ, deinceps autem per aliquot annos reliquos nouem, in quibus filiæ tres, vt habetur initio libri eius.

ANNVS MVNDI 2370. DILVVII 714. TERTIÆ

ÆTAT. 332. RVBEN 88. SIMEON 87. LEVI 86. IVDÆ ET DAN 85.
NEPHTHALI ET GAD 84. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 83.
IOSEPH 82. PRINCIP. 51. BENIAMINI 65. PROMISS. 257.
CAATH 53. MANASSES 51. EPHRAIM 50. IOB 43.
MORÆ IN ÆGYPTO 42. ALTADÆ 17.
IMP. ASSYR. 439.

ANTE CHRISTVM 1683.

Amenophis.

PONIT hoc anno Eusebius nouum in Ægypto regem, Amenophim nomine, Dynastiæ Diospolitanorum tertiũ, cui annos regni tribuit vnum & viginti. Africanus autem, qui Amenophthin appellat, ex tomis Manethonis, apud Scalig. tribuit 24. Ex eodem alij 20. annos & 7. menses. Ex Africano porro ista describit, refértque in hunc annum Eusebius, vt notat Viues apud Augustinum. *His temporibus, secundum quorundam opinionem, Prometheus fuit, à quo homines factos esse commemorant, & reuera, cùm sapiens esset, feritatem eorum, & nimiam imperitiam ad humanitatem & scientiam transfigurabat.* Quæ licet in Græco Eusebij textu habeantur, illud tamen, ὥς φασι, indicat id eum non credidisse; quippe qui fratrem eius Atlantem ad quinquaginta ab hinc annos differat. Augustinus quoque Prometheum cum eius

l. 18. de ciu. cap. 8. & post eum Scalig.

Prometheus.

Ibidem.

Apud Scal. in Euseb. p. 161. fratre differt ad tempora nati Mosis. Leguntur autem eadem illa Græca Eusebij in reliquiis Africani Græcis, in catalogo regum Sicyoniorum, vbi de Perato 10. ipsorum rege.

ANNVS MVNDI 2384. DILVVII 728. TERTIÆ ÆTAT. 346. RVBEN 102. SIMEON 101. LEVI 100. IVDÆ ET DAN 99. NEPHTALI ET GAD 98. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 97. IOSEPHI 96. PRINCIP. 65. BENIAMINI 79. PROMISS. 271. CAATH 67. MANASSES 65. EPHRAIM 64. IOB 57. MORÆ IN ÆGYPTO 56. ALTADÆ 31. IMPERII ASSYRIORVM 453.

ANTE CHRISTVM 1669.

Ortus Aram. Torniellus. Existimat Torniellus natum hoc mundi anno Aram patrem Aminadab, filium Hesron, id autem vnde credibile putet non aperuit quod sciam. Cui nihilominus facilè assentimur, hoc ipso quod admodum eum religiosum in digerendis, asserendisque temporibus agnoscamus. Nec obstat quod nos, communem sententiam secuti, ab eo de ortu Phares dissenserimus, quem ipse 14. annis seniorem facit, quàm ipsi fecerimus, qui eum natum diximus anno ingressus in Ægyptum. Nam istis sex & quinquaginta annis, facilè potuit Phares gignere Hesron, atque hic Aram, siue Ram, vt 1. Paralipom. appellatur. Matth. 1. 3. 4. c. 2. v. 9. & 10. chron.

Pharao. Hoc anno habetur in Euseb. Ægyptios omnes Reges dictos Pharaones, vt Romanos imperatores Augustos, idémque repetitur anno Mosis 68. verùm neutro in loco id in Græco textu Eusebij reperitur; & repudiatur à Scaligero, qui negat ea apud vllum scriptum codicem haberi, nempè quæ ipse viderit. Pontacus contra ea censet consentanea veritati, & manuscriptorum librorum auctoritate fulciri. Nam de triginta & eo amplius manuscriptis libris, septem duntaxat excipit, à quibus desint: in quos solos fortassis ille incurrit. Fortè non malè suspicetur aliquis ea esse Hieronymi interpretis, qui alia quoque non raro addit Eusebio.

ANNVS MVNDI 2385. DILVVII 729. TERTIÆ ÆTATIS 347. RVBEN 103. SIMEONIS 102. LEVI 101. IVDÆ ET DAN 100. NEPHTALI ET GAD 99. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 98. IOSEPHI 97. PRINCIP. 66. BENIAMINS 80. PROMISS. 272. CAATH 68. MANASS. 66. EPHRAIM 65. IOBI 58. MORÆ IN ÆGYPTO 57. ALTADÆ 32. ET VLT. IMP. ASSYRIORVM 445.

ANTE CHRISTVM 1668.

Obitus Altadæ. Abit hoc anno à vita, atque imperio Altadas, expletis circiter triginta duobus annis, quos ei attribuit Euseb. qui tamen eum Sethem appellat, vt diximus. Eius nullam fecit mentionem D. August. quod eius tempore nihil videretur contigisse, quòd sacris literis proderetur. Hoc tamen tempore satis constat Iobû, euius magna, frequénsque laus in scriptura octauum & quinquagesimum annum agentem, bonis omnibus cum magna vitæ sanctitate, atque innocentia abundasse, tempore tentationis paulatim appropinquante. Eam enim Hebræi in septuagesimum vitæ ipsius annum referunt. l. 18 de ciu. c. 6. vel 7.

ANNVS MVNDI 2386. DILVVII 730. TERTIÆ

ÆTAT. 348. RVBEN 104. SIMEON 103. LEVI 108. IVDÆ ET DAN 101.
NEPHTHALI ET GAD 100. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 99.
IOSEPHI 98. PRINCIP. 67. BENIAMIN 81. PROM. 873.
CAATH 69. AMRAM 1. MANASSIS 67. EPHRAIM 66.
IOBI 59. MORÆ IN ÆGYPTO 58. MAMYTHI 12.
ASSYR. REGIS I. IMPER. 455.

ANTE CHRISTVM 1667.

cap. 7. DVODECIMVM Assyriorum regem memorar Augustinus lib.
18. de ciuit. sub cuius regno Iosephus obierit, verùm eum non I.
in Chron. Mamythum cum Eusebio, quem sequi solet, sed Hormascum *Regnum Mamythi.*
voeat: verùm Mamythum quoque habet Africanus, & Cassio-
dorus, & perexiguo discrimine libri omnes tam manuscripti,
quàm editi. Eique constanter triginta regni annos tribuunt.
Quòd autem dicitur, *Syris & Aegyptiis cœpisse esse formidini, nec
patris ignauiam imitatum esse*, id à nouo Beroso profectum est, cui impunè licet non
credere.

Sicut & authori Testamenti Patriarcharum, vbi dicitur Gad centesimo vitæ
suæ anno mortuus. Sed erratum in numeros irrepsisse illud arguit, quòd commu-
ni, receptóque ab omnibus consensu Hebræi dicunt, Iosephum primum omniũ
filiorum Iacob mortuum esse.

CÆTERVM de ortu Amrami filij Caath, parentis Mosis legislatoris, quem
Amramum hoc anno natum ponimus, variæ sunt sententiæ, non minus quàm II. *Ortus Amram.*
de ortu patris eius. Torniellus qui omnium maturissimè posuit ortum Caathi, e-
in Lat. edit. Bibliοth. Patrum. loc. cit. tiam 82. eius anno vult natum Amram. Nicephorus Constant. 63. Chronicũ A-
lexandrinum 60. Eusebius 76. vt colligitur ex anno quo ponit natum Moysem.
Demetrius apud Euseb. l. 9. de præpar. c. vlt. 40. errore manifesto, natus enim
esset in Ægypto, cùm tamen natu minimus Merari natus esset ante ingressum in
Ægyptum, Gen. 46. Nobis, qui in eius ortu Epiphanium secuti sumus, est hic
annus Caathi 69. In quo ponimus natum Amram secuti prædictum Demetrium,
qui ait eum fuisse annorum quatuordecim quando Ioseph mortuus est; at totidẽ
nunc supersunt anni principatus & vitæ Iosephi, nam vt sæpè monuimus 98. Io-
sephi hoc anno tantùm inchoatur: æstimandus ergo est 97. quasi primus eorundẽ
annorum quatuordecim. qui anni quàm certi sint ex eodem loco Eusebij colligi
t. χ. potest, vbi idem Demetrius, præter annos Caath, multa peccat [1].

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2386.

N. 1. I. AIT enim Caath genitum eo anno quo mortuus est Iacob, quòd consentaneũ est alteri errato de genito Amram 40. vitæ suæ anno, ex quo etiam intelligitur id authoris vitium fuisse, non exscriptoris. Malè etiã Καὰθ, ponit & Ἀβεσὰμ cùm Septuaginta constanter habeant Καὰθ, & Ἀμβεσὰμ.

Refert Torniellus in annum sequentem ortum Segub, quem Hesron filius Phares sexagenarius genuerit. Verùm id supponit Hesron natum fuisse ante ingressum Iacobi in Ægyptum. Quòd nos propter præcipites filiorũ generationes improbauimus, communem sanctorum Patrum, & Doctorum sententiam secuti. Cùm ergo non constet quo anno natus fuerit Hesron in Ægypto, certè quis sit eius sexagesimus constare non potest. Et quãuis id constaret, ortus tamen Segub incertus esset, cùm Scriptura notet tantùm quo anno vxorem duxerit Hesron, non autem quo anno ex illa filium susceperit.

Quomodo autem hic Segub, licet oriundus ex tribu Iuda, ad tribum tamen Manasse, propter matrem suam filiam Machir transierit, vide eundem loco citato.

ANNVS MVNDI 2398. DILVVII 742. TERTIÆ ÆTAT. 360. RVBEN 116. SIMEON 115. LEVI 114. IVDÆ ET DAN 113. NEPHTHALI ET GAD 112. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 111. IOSEPHI 110[1]. PRINCIP. 79. BENIAMINI 93. PROMISS. 285. CAATH 81. AMRAM 13. MANAS. 79. EPHRAIM 78. IOBI 71. MORÆ IN ÆGYPTO 70. MAMYTHI 13. IMP. ASSYR. 467. 1. ✠.

ANTE CHRISTVM 1655.

I. *Tempus certaminū Iobi.* SEPTVAGESIMVS primus adest sanctissimi Iobi annus, tanto interuallo à Christi Domini ortu distans, quantum est spatium ab orbe condito ad diluuium. In quem annum plerique omnes scriptores, qui hac de re meminere, ipsius certamina referunt. Athanasius in Synopsi agens de libro Iobi. *Passus est*, inquit, *cùm esset annorum septuaginta.* Cyrillus Alexandrinus in commentaria in Iob (apud Anastasium Nycenum in qq. in Script. q. 31. habetur tom. 1. Bibliothecæ Patrum.) *Ex iis quæ dicit Scriptura licet exactè conectare, quòd ipse septem annos egerit in tentatione, septuaginta annos natus in initio tentationis.* Scriptura autem quam citat ex edit. Rom. sic habet. *Et vixit Iob post plagam annos 170. omnes autem annos vixit 240.* ex isto numero si illum auferas omnino remanebunt 70. Seder Holam c. 3. *Vixit Iob, ait Scriptura, post flagella hæc 140. annis. Cúmque præmissum sit, & addidit Dominus quæcunque fuerant Iob duplicia, ante flagella eum oportet attigisse annum 70.* dicendum potius *exegisse*, nam anni numerantur absoluti. Non ignoro frigidam esse rationem hanc, cùm tamen nihil tradatur certiùs eam chronologiam, cum plerisque aliis sequemur. In quibus Torniellus in hunc annum. Peter. in Genes. Pineda in c. 42. Iobi, quem sequitur Del Rio in c. 36. Genes. Gregor. autem Turonensis sequitur Septuag. sed numeri vitiati sunt. Idémque dicendum videtur de Origene Perionij, in quo leguntur septuaginta & octo anni. Alij vel Iobum planè omittunt, Iosephum imitati & Philonem, vel nihil distinctè referunt, in quo acquiescant.

[Margin: c. vlt. fin. — c. 36. n. 23. n. 16. l. 1. hist. c. 8]

II. *Author libri ipsemet Iob, Moses interpres.* TRADENDA igitur nobis est hoc loco ac tempore patientissimi Iobi clades, quam Moses in eius libro diligenter exposuit; si tamen Moses. Nam vt notauit Mariana, in opusculo pro editione vulgata: Hebræi quidam Mosem authorem huius libri nominant, quos sequi videtur Origenes initio comment. in eum librum. Resistit Gregorius, & ipsum qui pertulit sua certamina, ea existimat literis commendasse. Verùm Origen. in posteriore opere in Iob, in præfatione ita sentit. At in priore, quòd tribus continetur libris, in altera potius sententia fuit, sic enim habet. *Scripta sunt*, Iobi scilicet certamina, *Syrorum lingua, siue ab ipso Iob, siue ab amicis eius. Ob hoc enim dicit ipse beatissimus Iob. Quis dabit vt scribantur sermones mei, & ponantur in libro in perpetuum. Interpretata autem sunt à magno illo viro Mose in Hebraicam linguam, atque filiis Israël tradita. Quòd ostendit ipsa Scriptura Iob dicens, hic interpretatus est ex Syrorum libro. A quo interpretatus? manifestum est quod à Mose in Hebraeum. Item verò à Septuaginta interpretibus ex Hebræo in Græcum translatus est. In Aegypto scilicet olim Moses illum ex Syro in Hebraeum transtulit; item in Aegypto etiam septuaginta sub Ptolemæo ex Hebræo in Græcum illum transtulerunt, & inde ex Aegypto per vniuersas gentes beati Iob Scriptura diuulgata est.* Hæc ipse. Vult tamen aliqua à Mose diuina reuelatione edocto addita initio libri, quæ non nisi diuinitus cognosci potuerunt, puta quæ de colloquio Dei cum diabolo recitantur. Verùm eadem potuerunt Iobo à Deo reuelari. Consentiunt igitur in authore libri huius Origenes, seu verus, seu potius existimatus Origenes, qua de re seorsim dicemus[1], atque Gregorius, quos sequitur Suidas, Albertus magnus, & alij, quos laudat Pineda, quibus adde E-

[Margin: cap. 4. — c. 42. ex ed. 70. — 1. ✠. c. 3. præfat. n. 3.]

manuelem

manuelem Sa, Genebrardum, & ipsummet Pinedam, qui id tum ex inscriptione libri confirmant, tum ex idiotismis Arabicæ ac Syriacæ linguæ, quibus abundat liber, tum quod ipse maximè idoneus scriptor esse potuerit eorum, quæ ipsemet esset perpessus. *——quæque ipse miserrima vidit,*

Et quorum pars magna fuit.——

Proleg. in Caten Iob. c. 2. Denique alij libri sacri authores præferunt suos. Nihilominus Comitolus rem in ambiguo relinquit.

an.m.2305. n. 3. ITAQVE non assentior Torniello opinanti Moysem didicisse historiam Iobi à filiis Esaü, eiusdem Iobi posteris, quando per australis Idumææ fines, cum Israëlitico populo pertransibat, & Dei monitu literis mandasse. Ex dictis enim constat eum accepisse librum Syro sermone conscriptum, eúmque in Hebræum vertisse, & Israëlitis non in deserto, sed in Ægypto communicasse. Id enim affirmauit author ille trium commentariorum in Iob. Et rursum eius rei causam refert, *Inuenimus*, inquit, *in antiquorum dictis, quòd cùm magnus ille Moses in Aegyptum à Deo fuisset missus, & vehementem afflictionem filiorum Israel videret, & consolari eos ab anxietate lamentabili eorum afflictionis, qua illos Aegyptij affligebant, minimè valeret, vehementes illos, atque terribiles Iobi dolores, pro consolatione illis enarrauerit; necnon & in Scriptura eos ponens, cùm adhuc essent recentiores, illi populo dederit*, & quæ sequuntur. Idque videtur etiam sensisse Polychronius. Paucis porrò referenda sunt nobis, quæ ad certissimam grauissimámque illatæ, latæque cladis historiam pertinent, & primo ac secundo capite continentur, quæ illustri atque erudita paraphrasi Pineda noster exposuit, ex qua nonnulla libabimus, quæ huic operi putauimus inserenda. III. *In Aegypto, non in deserto.*

[Margin: I 2. in com. Iob. — in Catena, in argum. com. eius, & Comitolus proleg. c. 2. fin.]

DOMINVS ergo, qui sanctissimum virum Iobnm in medio nationis prauæ elegerat: & de reproba stirpe Esaü, lectissimum hunc eduxerat fruticem, tanquā de spinis vuam, & de tribulis ficum: in quem eximios gratiarum, & virtutum heroicarum thesauros profuderat, noluit eos occultari sub modio. Ideóque acceptissimum sibi virum, asperrima tentatione probatum, illustrioremque redditū extulit in sublime, vt luceret omnibus, qui in domo Domini omnibus deinceps seculis versarentur. Hic ergo vir cùm internis animi bonis erat egregiè locuples, tum externis vehementer abundabat. Habuit enim præclarè instructam domum septem generosæ indolis filiis, tribúsque filiabus honestissimis, sanctè omnibus & liberaliter educatis, qui sicut paternæ, ac domesticæ supellectilis pars optima erant, ita etiam bonæ parentum spei, omnisque gaudij ac lætitiæ materiam amplissimam suppeditabant. IV. *Iobi felicitas.*

[Margin: 2. 3.]

ILLÆ deinde minores erant, sed nihilominus amplissimæ diuitiæ, quæ pecoribus & armentis constatent, veræ ac naturales facultates. Habuit namque septē millia ouium, ex quibus ad victum, vestitum, sacrificia multæ sunt vtilitates. Camelos tum gestandis oneribus, tum præliis etiam idoneos. Iuga boum quingenta non sacrificiis solùm, sed colendis quoque agris amplissimis necessaria; quingētas asinas, tum ad mulorum generationem, tum ad vehendum, aliásque operas agrorum opportunas; familiam denique amplissimam, numerosúmque seruitium. Quibus rebus omnibus toto oriente inter Arabes, Idumæósque omnes maximus atque clarissimus effectus est. Ad parentis denique fœlicitatem amplificandam valebat omnium fratrum seu filiorum gratissima concordia, iucundissimúsq; conctus, quem sacrificiis suis ac precibus optimus parens sanctificabat, vt pluribus apud Pinedam leges. V. *Et rerum copia.*

[Margin: in paraphr. cap. 1.]

HANC tantam felicitatem æquis oculis ferre non potuit is, cuius inuidia mors penetrauit in orbem terrarum, sed in occasionem eius funditus euertendæ erat intentus. Quadam ergo die sancti Angeli illius regni hominum, & filiorum Iobi custodes, in eum ipsum locum conuenerunt, in quo duo illi versabantur Iobi tutelares, & priuatæ, & publicæ personæ regis curam habentes. Quem Sathan quoque circumibat. Concilium videbatur, aut iudicium, cui præsidebat superior quidam Angelus, Dei vice ac nomine. Ibi cùm de Iobi, totiúsque familiæ ipsius sanctitate, tanquam ab amicis, ac patronis ageretur, affuit & Sathan in Angelum lucis se transformare studens. Quem facilè agnitum is, qui Dei gerebat vices, interrogat vnde veniat, & an considerauit Iobum virū VI. *Concilium Angelorū, & apparatus ad pugnam.*

sanctissimum, qui mortales omnes vitæ innocentia longe post se reliquerit, cuius ille virtute vtatur infœlix.

VII. *Diaboli in Iobum calumnia.*

QVÆ cùm aduersarius negare non posset, eo confugit, vt quæ à Iobo rectè fierent, in deteriorem partem interpretaretur; quasi Iob non vera erga Deum pietate, ac charitate impulsus ei seruiat, sed quasi pretio ac mercede conductus. *Nunquid*, ait, *Iob frustra timet Deum?* tu ipsum, & quæ ad ipsum pertinent vniuersa, tueris, conseruas, amplificas; quid ille tanto allectus lucro non faciat? Verùm si vel leuiter hominem pulsaris, & patiaris eis priuari bonis, quæ illi contulisti, dispercam miser nisi palàm & impudenter, nihil reueritus faciem tuam, diuinam prouidentiam, bonitatémque criminetur. Quibus verbis improbissimus hostis haud obscurè Iobum exposcebat ad singulare certamen.

VIII. *Et Dei in bona Iobi permissio.*

QVEM Deus, aut Angelus Dei vices gerens, & illius voluntatis planè conscius, quòd Iobi fortitudinem exploratam haberet, nihil cunctatus concessit aduersario, sua ipsius manu probandum, atque excutiendum; tanta, támque ampla eum potestate, vt omnia quæ ad ipsum pertinerent, ipso vno excepto sibi permissa intelligeret. Ea facultate accepta è sacro cœtu proripit se, & quadam die, cùm filij ac filiæ Iobi cibum de more sumerent, in domo primogeniti, venit primus nuncius, qui cladem referret, quàm Sabæi intulerant, abductis quingentis boum iugis, & quingentis asinis, & famulis interfectis. Et sicut non est absurdum ipsummet Sathanam egisse nuncium, ita & Sabæos ad hanc prædã impulisse. c. 1. 13.

Clades 1.

IX. *Altera clades.*

CVM autem immotus persisteret vir Dei, vt qui aduersarios homines parum
moraretur, modo sibi retineret beneuolum ipsum Deum: ecce tibi ad labefa-
ctandam hanc fiduciam, venit alter nuncius qui diceret, *Ignis Dei cecidit de cœlo,*
& tactas oues, puerósque consumpsit, vt de septem millibus ouium nulla superesset;
de multis famulis euaserim ego solus, vt tantam tibi calamitatem nunciarem. Sed
3. & illo adhuc loquente venit tertius nuncius, qui retulit Chaldæos fecisse tres
turmas, & inuasisse tria illa millia camelorum, in totidem, vt apparet, turmas
4. disgregata. Reliqua erat quarta plaga, quæ hominem cæteris vehementius affli-
geret, & iam ex triplici impulsu, in ruinam, vt credi poterat, propendentem, pla-
nè prosterneret; horribilis scilicet filiorum septem, ac trium filiarum clades; quæ
ab illo immissa videbatur, cuius imperium venti, ac turbines, & spiritus procella-
rum exequuntur; à quibus concussa vndique domus, momento, ne quis elabi pos-
set, hilariter conuiuantes oppressit.

X. *Iobi in hac priore lucta constantia.*

HIC Iob siue à sede regia, siue à mensa, cui fortè accumbebat, surrexit; & quasi ex certo animi proposito, non ex perturbationis magnitudine regias dilacerauit vestes, quasi ab se abiiciens, vt indueret lugubres, abrasit etiam, pro more lugentium caput; & pro blasphemis vocibus, ad quas eum aduersarius intus vrgebat, philosophicam illam, aut potius diuinam effudit vocem. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Non ego prædones moror Arabes, vel Chaldæos; non casum arguo vel fortunam, non dæmones ipsos omniũ malorum architectos; Deum agnosco flagellantem, sine cuius nutu ac voluntate nihil cœlum contra me, nihil terra, nihil inferi possunt. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* Hæc vna vox multo vehementius afflixit Sathanam, quàm Iobum quatuor prædictæ clades, sensitque quàm temerè in se recepisset, Iobum in aliquam impiam vocem doloris impatientia proruprurum: quòd ne grauiore quidem tentatione postea consecutus est.

XI. *An fortunis omnibus euersus sit.*

AT iure quis hoc loco, meritóque dubitauerit, quomodo quatuor illis cladibus acceptis nudum se dicat Iobus, num omnia sua habebat in agris? nónne palatium, aut domus aliqua in vrbe supererat, in qua eum residebat, cùm ad eum hæc nũcia delata sunt; an cõductitias incolebat ædes vir ille magnus inter omnes Orientales? nonne agri, & vineæ, & horti, & prata supererant, non deerat certè supellex regia, non domestici multi famuli, non magna copia facti infectíque auri & argenti. Nam & Abrahamum legimus non solùm gregibus, & armentis abundasse, sed valde quoque diuitem fuisse *in possessione auri, & argenti.* & Chrysost. hom. 26. in 1. ad Corinth. meminit pecuniarum eius, & hom. 28. prædiorum.

Hæc autem omnia illi eodem momento periisse neque scriptum est, neque si periissent silentio præteritum iri à Scriptura existimandum est.

ITAQVE existimarim, prædictis illis spoliatum bonis, nudum se Iobum dicere, XII.
vulgari & vsitata auxesi, qua si quis ingentem iacturam aut calamitatem passus *Quid verè dicatur.*
sit, omnibus se bonis ac fortunis euersum clamat, illúdque identidem vsurpat,
Perij, nullus sum, res ad restim redit. Deinde etiam quasi prophetico spiritu prouidisse quæcunque supererant, breui quoque sibi peritura, sicut & factum est. Neque enim Sathan indulgentior in eum fuit, vt non expleret totam illam in nocendo facultatem, quam illi verba Domini tribuebant. *Ecce vniuersa quæ habet in ma-*
Infra n. 20. *nu tua sunt, tantùm in eum ne extendas manum tuam.* Reseruata autem sunt diuina prouidentia, quæ mox plurimis, grauissimis, maximéque diuturnis morbis frustra curandis consumerentur, & quæ domestico scelere, per vim fraudémque, quasi iam iamque morituro eriperentur; ipséque quasi abominandum cadauer, suis, alienísque ædibus pelleretur. Sed ad historiæ seriem redeamus.

PRIMO congressu victus aduersarius, cùm alterum quasi Concilium An- XIII.
gelorum celebraretur, in illud se iterum insinuat: nisi malis in illud potius, *Apparatus*
quasi ad causam dicendam raptum esse, tanquam petulantissimi mendacij, *ad alterum*
atque inuidiæ reum. Vbi cum silentio dedecus suum tegeret, obiurgatoria *certamen.*
interrogatione pulsatur, vt diuini testimonij de sancto viro veritatem, vt Iobi serui Dei virtutem, vt suam ipse malitiam agnoscat, atque vltro fateatur. Quando Athleta ille post tam acerbas clades steterit inuictus, vt frustra impetitus rectè dici possit, si mens aduersarij attendatur; qui tamen cum magno virtutum, ac meritorum incremento, hæc tam sæua cruentissimi cacodæmonis verbera, quasi de manu Domini acceperit.

AD hæc Sathan pro implacabili odio suo in Deum, atque humanum genus, XIV.
& inuidia, quæ satiari, nisi hominis exitio non potest, respondet, Iobi patien- *Ad quod*
tiam extenuans, iacturam externarum rerum facilè ferri posse; nec satis perfectam *Iobum de-*
viri virtutem, ac constantiam explorare, sed eam certiùs ex corporis ipsius dolo- *poscit ad-*
loribus agnosci, atque æstimari posse. Quàm ad rem cùm Dominus præbuisset *uersarius,*
assensum, eiúsque potestati hominem permisisset, exclusa duntaxar licentia mor- *impetrát-*
tis inferendæ, ille facinus in innocentem, prætérito multo atrocius medita- *que.*
tur, ad quod præter antiquam nequitiam, nouo pudore ac dedecore incitabatur.

QVANTVM autem interiectum fuerit temporis inter vtrumque certamen, XV.
l. 9. de præpar. c. vlt. certo sciri non potest, cùm id Scriptura tacuerit. Aristeas apud Eusebium *Et quam-*
ait, αὐθημερὸν δὲ αὐτοῦ καὶ τὸ σῶμα ἑλκῶσαι, eodem ipso die quo iacturam bonorum *primum*
omnium fecerat, etiam corpus vlceribus oppletum fuisse. Idque consentaneum *init.*
est flagrantissimo teterrimi hostis nostri odio. Chrysostomus homil. 5. ad populum Antiochenum, & ex eo Olympiodorus in Catena, breuissimum tempus agnoscunt. *Grauis quidem*, inquit, *illi accidit amissio liberorum: sed tamen tragœdiæ huic acerbæ, alia præstolabatur atrocior, nec vlla data respirandi facultate, en tibi vermium*
in Catena Olymp. *fontes*, &c. Et alibi. *Erat alterum, quòd sine induciis, nullàque interposita mora cuncta sustinuit.* Basilij magni mens eadem videtur. *Qui simul vt vidit*, inquit, *athletæ adiudicatam esse victoriam, cum corpore certamen init.* Certè cùm ei Dominus nullum præfixisset tempus, nihil illum distulisse existimandum est, nisi quantum necesse fuit ad excogitandum, quo modo, seclusa morte, eum maximis, probrosissimis, acutissimísque doloribus cruciaret; siquo modo fieri posset vt parieti ex
Psal. 61. priore quassatione inclinato, & maceriæ impulsæ nutantique incumbens, illam prorsus euerteret.

ILLE ergo quamprimum lugentem Iobum, & in decem filiorum funeri- XVI.
bus occupatum inuadit, & mille nocendi artibus instructissimus, omni- *Miserabilis*
bus corporis humoribus, partibúsque à tecto, ac naturali statu dimotis, to- *Iobi status.*
tum illius corpus maligno vlcere infecit; itáque afflixit, vt à summis vnguiculis, vsque ad capitis verticem nulla particula remaneret incolumis. Sed interna omnia, externáque membra corporis, implacabilibus cruciatibus

in c. 2. v. 7 & 8.

æstuarent, quæ accuratissima diligentia Pineda noster persecutus est totis 12. sectionibus, vbi sancti viri morbos ad trigiota enumerat. Nos id tantùm quod excerpamus ex Chrysostomo reddamus. *Nec vlla data respirandi facultate en tibi vermium fontes, sabifici humoris riuuli, sessio in sterquilinio, latus lacerans testa, fætor vlcerum, vnde lues illa erumpebat, nec attingendi, qui oculis subiecti erant cibos potestas fiebat, ipsáque peste erat ille fætor molestior.* Hæc ibi. Et alibi. *Nec enim vlla reperietur oratio, quæ illorum vlcerum atrocitatem, vulnerúmque acerbitatem consequi possit. Etenim ad plaga magnitudinem declarandam satis sit, authorem qui illam inflexit, eiúsque effrenatam libidinem perspexisse.*

XVII. *Augetur ex morborũ serie.*

IN hisce porro morbis, præter acerbissimum doloris morsum, quem omnibus externis, internisque sensibus inferebant, ordo etiam, & diuturnitas temporis consideranda sunt, quibus non leue hisce tantis ærumnis incrementum accedebat. Cùm enim formidaret ne si, cum tota illa maiorum cohorte, in Iobum incubuisset, hominem ferendo imparem extingueret. Et rursum speraret eum se facilius in desperationem acturum, si alij ex aliis quotidie morbi succrescerent, ita à veteratore illoecertamen institutum est, vt prioribus labefactatus, posterioribus in terram afflictus procumberet. Quòd suadet etiam ordo seruatus in primis illis quatuor calamitatibus, aut inferendis, aut nunciandis; noluit enim quatuor simul nuncios suam nunciare cladem, verùm id egit Diabolus, vt ait Polychron. nullum vt luctatori daretur respirandi spatium, sed assiduis cum nunciis perturbaret, & molestius atque ægritudinibus, tanquam nunquam intermittentibus fluctibus obrueret. quorum singuli nouam inferre molestiam solent, nouúmque impetum ad procombendum. *in Catena.*

XVIII. *Et diuturnitate vnius anni.*

IAM quod ad tot, tantorúmque malorum diuturnitatem attinet, mul[illegible] sunt ea de re sententiæ antiquorum, quæ ad tres reuocari possunt; prima tentationem hanc pluribus mensibus, vno ad summum anno circunscribit; altera ad tertium vsque annum cum dimidio producit; tertia vsque ad septimum. Prima est D. Chrysostomi in homil. 5. ad populum Aotiochenum. *Ipsáque peste,* inquit, *erat fætor ille molestior; idque non duodecim, non viginti, non centum dies, sed multos menses;* vtique ad annos quoque gradatim ascendens prosiluisset oratio, si id veritati consentaneum credidisset Orator. Idem sensit qui inscribitur Origenes in comment. in Iob, eámque sententiam ex illis Iobi verbis confirmat, quibus se menses vacuos habuisse queritur. *l. 2. comm.*

XIX. *Aut trium cũ dimidio.*

INDEQVE eos refutat, qui hoc certamen trium annorum cum dimidio fuisse dicebant, in figuram diuturnitatis prædicationis Christi Domini. *Hoc nimirum,* inquit, *non diuturno annorum spatio, sed breuissimo mensium tempore irrefutabiliter consummatum est. Huius namque rei testis comprobatur etiam ipse Iob dicens, sustinui menses superuacuos, non annos, sed menses. Nam sicut de mensibus non siluit Iob, sic multò amplius de annis non siluisset, si annos sustinuisset,* &c. Multa enim alia in eaodem sententiam congerit, explicans illa verba, quæ habentur in Septuaginta. *Multo autem post tempore dixit vxor eius ad eum,* quòd non solùm de mensibus, sed etiam diebus dici posse contendit. Denique existimat neque diuinam bonitatem passuram fuisse, vt dilectissimus, atque innocentissimus seruus eius tam diuturnis cruciatibus vexaretur, neque Iobi corpus tot támque grauibus supplicijs diu tolerandis par futurũ fuisse, quæ videtur satis firma ratio pro hac sententia. Nam priores refutat Comitolus in prolegomenis suis in Catenam, nec tamen sententiam profert suam. Pro hac ipsa sententia prima stant Hebræi, qui plagas Iobi doodecim fuisse mensium, sicut & plagas Ægypti asseuerant.

[illegible] *cap. 1.* *in Seder-Holam. c. 3. med.*

XX. *Aut potius septem, & quomodo id fiat probabile.*

TERTIAM de septem annorum ægritudine sententiam, nam secunda, de qua ex Origene diximus, certum authorem non habet, tuetur Cyrillus Alexandrinus in comment. in Iob, apud Anastasium Episcopum Nycenum in qq. in Scripturam. Idem affirmat Olympiodorus io Catena, apud Comitolum, & Suidas. Quam sequitur Torniellus non vno in loco, in eandémque videntur inclinare Comitolus, Pineda in cap. 2. sectione duodecima, & Pererius in 36. cap. Geneseos, num. 23. quæ nobis videtur maximè probabilis, si tamen ita modificata fuerit, vt non septennium sub dio in sterquilinio nudum hyemes atque æstates iacuisse credamus; sed is fuerit huius quasi tragœdiæ septimus calamitatis actus.

q. 30 habetur tom. 1. Biblioth. Patrum. col 77. Proleg c. 10. an. m. 2199. n. 2. & an. 2406

Primùm enim internis, vt videtur, doloribus correptus, affigitur lecto: aduocantur illico medici, adhibentur curationes, successu penè nullo; vna ægritudine nonnihil remittente, aliæ intenduntur, nouæ etiam succrescunt; & internæ foras erumpunt; res familiaris in remedia consumitur; neque enim credibile est [Eccli. 38. 4] hunc sapientem virum ab iis abborruisse, quantumuis exploratum haberet, hæc sibi diuinitus contigisse; cúmque dudum greges, & armenta periissent, & plurima domi vxor, cognati, famuli, vt in re deplorata compilarent, fundi denique domúsque distrahuntur.

SEPTIMO tandem anno, cùm horrenda lues totum corpus occupasset, neque spectaculum oculis, neque naribus fœtor vlli esset vltra tolerabilis; sed te- XXI. [Vltimus actus tragœdiæ Iobi.]
tram vndique exhalaret mephitim, qua tecta omnia perfusa inficerentur, ex vrbe quasi mortui cadauer, certè animam agentis effertur, & in sterquilinio deponitur. Id verò cùm omnium conspectibus esset obiectum, omnium sermonibus, tanquam res admodum insolens, vbique vulgatur. Quo tempore amici tam inaudito rumore icti; qui domi ægrotantem per nuncios de more visitarant, eo- [in Cat. c. 2. & in Prol. Comm. c. vlt.] dem per sese ipsi tum venere. Itaque Olympiodorus amicos longo denique interuallo ad Iobum venisse dicit, sed causas nectit huiusce tarditatis minus, meo iudicio, verisimiles. Et Septuaginta ad idem respexere tempus, cùm de vxore Iobi, quam certissimum Diaboli telum vocat Chrysostomus, ita loquuntur. [ὁμοούσιον ἀνήρ. hom. 28. in 1. Cor.] *Cùm autem multum tempus processisset, dixit ei vxor sua, Quoúsque sustinebis*, &c. Vbi Chrysostom. *Ac mulieris considera cum scelere coniunctam calliditatem, quemadmodum à temporis diuturnitate statim ducat exordium.* Et mox, *Tempus*, inquit, *ipsum tua verba refellit, quod cum sit iam diuturnum, mala tamen ipsa non tollit.* Hæc ipse, quæ nemo non videt rectiùs in septennium, quàm breue tempus conuenire. Cæterùm primam sententiam facilè cum hac conciliare possumus, si dixerimus menses illos ad vltimum annum, quo eiectus domo in sterquilinio iacuit, pertinere. Secunda leuicula nititur concinnitate temporis Iobi patientis, & Christi prædicantis, quæ nihil efficit. Vltimum ergo actum huius tragœdiæ ad septimum annum differemus [1].

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2398.

[n. 11. t.] IN operibus Origenis duo extant commentaria in librum Iob, alterum tribus libris comprehensum, quo tria priora capita libri Iob nec integra, (sed tantùm vsque ad v. 19. *Paruus & magnus ibi sunt*, &c.) copiosissimè explicatur. In altero totus liber breuius exponitur. Hæc duo opera diuersorum esse autorum, non solùm ex stylo apertissimum est, sed ex contrariis sententiis. Nam in priore illo opere dicitur, Iobum ipsum sui libri authorem esse, Moysem verò interpretem: in posteriore negatur Iobus author libri, ne sui laudator appareat, & asseritur Moses, quasi Moses non se ipse laudet in opere sine controuersia suo, Numerorum 12. 3. aut Epistola 2. ad Corinthios Pauli neganda sit, quod in ea Paulus laudes suas cap. 12. copiosè recenseat. Prior autor Syriacè scriptum librum affirmat, & in Hebræum à Mose conuersum; posterior dicit Hebraicè scriptum à Mose, & verbum Syriacè interpretatur Hebraicè. Nec dubito in aliis multis si quis examinet dissentire.

Prius opus non putat esse Origenis, Bellarm. in libro de scriptor. Eccles. vbi de scriptis Origenis, sub annum Christi 226. Et Comitolus in Catenam Iobi, initio vbi de authore Catenæ, & Baron. in ann. Christi 311. & alij, & meritò quidem. Etsi Genebrardo aliter visum. Primùm quia memorat ὁμοούσιον, & in homousianos inuehitur, vocátque trionymam sectam, triúmque deorum hæresim, quæ Patrem, Filium & Spiritum sanctum tanquam tres colat, & nonnunquam vnum adorat. at ὁμοούσιον quamuis sit antiquius Synodo Nicena, & vsurpetur à S. Dionysio Alexandrino, vt docet S. Athanas. in Decreto Synodi Nicenæ. [t. 1. Græc. Lat. p. 411.] tamen Dionysius posterior est Origene, vt videre est apud Baron. & Bellarm. l. c. apparétque authorem istum aut Sabellianum fuisse, aut Arrianum. Deinde quia Luciani martyris expositionem commendat, quem Baronius martyrio functum scribit anno Christi 311.

De posteriore opere prædicti eadē sentiunt. Bellarminū retulisse sufficiat. *Commentaria quoq; in Iob*, inquit, *Perionio interprete non videntur esse Origenis. Nam in explanatione cap. 3. affert expositionem S. Luciani martyris. Item in explicatione cap. 7. & 8. refellit Manichæos nominatim, & in c. 18. meminit homousianistarum. At Manichæi & Arriani, qui Catholicos homousianistas vocabant, post Origenem exorti sunt.* Hæc Bellarm. Genebrardus in sua editione Origenis notat illa quæ retulimus scripta ab illo priore authore contra Catholicos, videri assuta ab Arrianis contra Catholicorum de S. Trinitate sententiam, aut næuum esse Origenis. Verùm eun-

dem hic cum reliqua veste pannom, facilè agnoscet, qui attenderit, vbique verbosus, nullibi satis Latinus. Nec sanè tam immanis blasphemia nævi nomen meretur. Verùm Genebrardus vir alioqui doctissimus, atque egregiè Catholicus, aliquantò propensior in Origenem, quem à se recognitum edebat in locem, videtur fuisse, vt patet ex eius epistola ad Regem, quæ in limine operis habetur. Verùm lege Bellarm. De scriptor. Eccles. vbi de Origene. quam antiquus autem sit vtérque autor, mihi nondum liquet.

N. IV. X. c. 2. Idémque de eiusdem Iobi vxore credidit Lucianos martyr, vt est apud Origenem Periionij, qui propterea in bonum sensum trahere conatur illa verba eius, *Benedic Deo & morere*, Verùm seuera Iobi reprehensio, satis ostendit illam in graui fuisse culpa; idque exigit communissima doctorum interpretatio, etiam auctor maiorum commentariorum in Iobum, & potuit morborum longinquitate ac tædio victa, eam vocem graui motu iracundiæ impellente profundere, & ab antiqua virtute deficere. I. 2. sub fi.

Noli admirari, lector, quod hunc annum non inscripserimus de more, Iosephi vltimū, & vltimos quidem est, vt Scriptura tradit, sed inchoatos duntaxat, vt pluribus in locis iam monuimus; idque ex eo pendet, quod huius Patriarchæ primum annum inceperimus habita ratione anni Iobani, sub cuius finem natus est Ioseph, vt explicauimus anno Iacobi 91. Mortuus est ergo anno suo centesimo decimo exeunte, sed is maxima ex parte incurrit in annum 111. Iulianum Ergo de Iosephi morte anno sequenti dicendum erit. N. XXI. 3.

ANNVS MVNDI 2399. DILVVII 743. TERTIÆ ÆTATIS 361. RVBEN 117. SIMEONIS 116. LEVI 115. IVDÆ ET DAN 114. NEPHTHALI ET GAD 113. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 111. IOSEPHI VITÆ AC PRINCIP. VLT. BENIAM. 94. PROM. 286. CAATH 82. AMRAH 14. MANASS. 80. EPHRAIM 79. IOBI 72. MORÆ IN ÆGYPTO 71. MAMYTHI 14. IMP. ASSYRIORVM 468.

ANTE CHRISTVM 1654.

I. *Ratio temporis, circa Iosephi obitum.* VLTIMVS est hic Iosephi annus, vt paulò antè dicebamus, quo octogesimum expleuit principatus annum & vitæ suæ centesimum decimum, anno superiore inchoatum. Torniellus Iosephi mortem ad annum sequentem distulit in Annalibus. Sed inchoantem, quia neglexit breue illud tempus præcedentis anni, in quo reuera natus est, & tamen posuit annos expletos. Cui nihilominus fauet Chron. Alexandr. vbi sub annum 12. Amrami ita habetur. *Hoc anno octogesimo primo principatus sui, ætatis 111. Iosephus vitam cum morte commutat.* Numerátque insuper annum promissionis 287. Sed ea res nihil sacræ Chronologiæ obest: nostra autem tam in vita Iosephi, quàm in eius principatu, & anno promissionis, & tertiæ ætatis, & Mamythi regis Assyriorum, id est quinque Chronologicis notis, Eusebij Chronico planè respondet. Cui tamen in eo assentiri non possumus, quod hinc statim Hebræorum inchoat seruitutem, quam ad centesimum quadragesimum quartum producit, qui sit Mosis octogesimus. Nam Scriptura apertè docet non statim à Iosephi morte Hebræos affligi cœpisse, aut seruire, sed prius mortuos fuisse ait omnes fratres eius, omnémque cognationem illam. Atqui ex eadem Scriptura constat, Leui, qui nunc agebat 115. ad 137. peruenisse, ergo saltem de illa summa duo & viginti anni detrahendi sunt. Eadem sentiunt, scribúntque Hebræi in maiore suo Chronico.

Gen 50. 22. — *Nā in tab. in an. mūd. 2399 collocat.* — *Initium seruitutis apud Euseb.* — *Exod. 1. 6.* — *Exod. 6. 16.* — *c. 3. med.*

II. *Iosephi nepotes.* DE morte porrò Iosephi hæc habet Scriptura. *Et habitauit in Aegypto, cum omni domo patris sui, vixítque centum decem annis.* In eodem vtique regno habitauit Ioseph cum fratribus, non tamen in eadem prouincia; illi quippe in Gessen, hic in vrbe regia, vt Ægypti Proregem decebat, habitabat; quò etiam fratres suos euocasse moribundum par est credere. Spatio autem octoginta annorum principatus sui, *Vidit filios Ephraim vsque ad tertiam generationem*, quo modo habent etiam Septuag. & Chaldæa paraphr. ¹ Vidit nimirum Edom filium Sutalaā, filij Ephraim, quos memorāt Septuag. in enumerandis iis, qui cum Iacobo in Ægyptum descen- *1. χ. c. 46. Gen.*

ann. Iacob derunt: qua de re consule quæ à nobis ibi dicta sunt. Addit Moses de filiis Manas-
131 n. 20. se, *Filij quoque Machir filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph.* Genibus scilicet suis re-
c. 66. 12. cens natos excepit, in eisque impleuit illud Esaiæ. *Ad vbera portabimini, & super genua*
Rupert. l. 9. c. 42. *blandientur vobis.* Chaldæus, *quos nutriuit Ioseph.* Rupertus, & Del Rio, *quos adoptauit*
Del Rio hîc Cornelius. *Ioseph.* Sicut enim Rachel Balæ ancillæ filios accepit in suos: ita Ioseph Machir
c. 7. 14. natum ex Syra concubina, vt est in 1. Paralip. Filij porrò Machir numero multi-
c. 46. tudinis hîc memorantur, cùm Septuag. solùm Galaad in descensu in Ægyptum
memorent, qui tamen non videtur fuisse primogenitus eius. Sed vide quæ suprà
l. 16. c. 40. diximus in anno Iacobi 131. n. 23. & 50. & August. de Ciuitate, & Lipomanum in
Catena in hunc locum.

c. 50. 23. CVM ergo Ioseph tertiam ex vtróque filio generationem vidisset, & centum III.
& decem implesset annos, *Locutus est fratribus suis.* Putant Hebræi omnes tum fra- *Diuturnitas ætatis eius, & principatus.*
tres Iosephi fuisse superstites, primúmque omnium Iosephum è viuis excessisse,
sicut Leui postremum, vt est in maiore eorum Chronologia, quod satis proba-
Seder Olã c. 3. bile videtur, licet ex Scriptura non accipiat firmitatem. Consentiunt Abulensis,
Eccli. 10. 11. Lipomanus, Peterius, alij, quo trahunt illud Sapientis, *Omnis potentatus breuis vi-*
ta. Si tamen octoginta annorum principatus breuis existimandus est, cui diutur-
nitate parem nullum reperias in omnibus Assyriorum, Sicyoniorum, Lacedæ-
Vide Euseb. Chron. moniorum, Macedonum, Ægyptiorum, Hebræorum, Romanorum regibus
aut imperatoribus, præter vnum Iudicem Israëlitarum Aod. Ex quo tamen spa-
Iud. 3. 14. tio 18. anni seruitutis sub Eglone rege Moabitarum subducendi sunt. Tota ni-
hilominus vita breuis videri potest comparatione maiorum ipsius Iosephi. Nam
cum pater viuendo superauit 37. annis, auus 70. proauus 75. abauus 95. In ipsis
hom. 67. in Gen. autem octoginta annis principatus notat D. Chrysost. diuinam benignitatem,
quæ tredecim annos seruitutis, & cæteris ipsius, 80. annis administrationis am-
plissimi ac potentissimi regni repensarit.

CVM ergo Iosephi ætas, & principatus extremas attigisset metas, ad mortem IV.
se comparans, euocatis ad se fratribus. *Post mortem meam*, inquit, *Deus visitabit vos,* *Promittit Dei visitationem.*
& ascendere vos faciet de terra ista, ad terram quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob. Cúm-
que adiurasset eos, atque dixisset, Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto,
mortuus est, expletis centum decem vitæ suæ annis. Quidam existimant denunciationem
Ps. 88. 33. visitationis, esse prædictionem seruitutis, quoniam visitatio in sacris literis, tam
Luc. 1. 68. & 78. consolantis est, quàm castigantis. Verùm quod subditur, *& ascendere vos faciet,*
quod expositionis causa subditur, ne ambigua voce turbarentur, ostendit beni-
gnam, & salutarem intelligi visitationem, quam Dei iussu Moses octogenarius
Matth. 6. 34. executus est. Nec opus erat tristiore vaticinio præproperè affligi Hebræos in
Ægypto. *Sufficit dies malitia sua,* vt ait Dominus.

IMITATVR porrò Iosephus parentem Iacobum, & à fratribus iusiuran- V.
dum exigit de transferendis ossibus suis ex Ægypto, quod postea Moses fideliter *Mandat translationem ossium suorum, & quare.*
v. 19. executus est, vt habetur Exodi 13. & annotauit D. Chrysostom. qui etiam addit,
hom. 67. *Prouidisse vt corpus suum transferretur, ne Aegyptij corpus iusti haberent in Idololatriæ, &*
impietatis occasionem. Nec iussit statim transferri, ne Ægyptij pro amore & reue-
rentia in Iosephum sua, id non paterentur; sed voluit vt essent ea lipsana, quasi 1.
c. 11. 22. pignus promissæ visitationis, & emigrationis ex Ægypto. Quod significat Apo- 2.
hom. 67. in Gen. stolus ad Hebræos, & loco citato Chrysostom. cuius promissionis certitudi-
nem phrasis quoque ipsa demonstrat. Nam semel iterúmque ait, *visitando visi-*
tabit vos, aut vt habet Chaldæus paraphrastes, *recordando recordabitur vestri*, id est
certissimè visitabit, sine vlla dubitatione mittet, qui vos hinc educat; quod con-
tigit post 145. annos.

ALIAM quoque causam affert Abulensis cur tantoperè voluerit Ioseph trans- VI.
in c. 50. in Gen. q. portari ossa sua in Chananitidem, quod sicut Iacob, qui diuino afflatu cogno- *Aliæ translationis causæ.*
scebat Messiam de suo semine propagatum iri, & in terra Chanaan nasciturum,
Matth. 27. habitaturum, ibique post passionem suam resurrecturum; cum quo etiam multa 3.
corpora sanctorum à mortuis excitatum iri credebat, desiderauit resurrecturis
illis annumerari. Ita & Ioseph eodem spiritu prophetico pollens, eadē crediderit,
c. 42. q. ac desiderarit. Quod de Iobo quoque satis apertè traditur à Sept. in fine libri eius,
vt suo loco notabimus. Rectè autem id sperauit Ioseph, ait Tostatus, quia de 4.

præcipuis fuit inter Patriarchas, quibus cum Christo resurgere primùm conuenit, & consequenter aliis minoribus, vt Prophetis. Denique à redeuntibus suis in Chananitidem referri voluit, vt eis dux esset reditus ex Ægypto, qui eos in Ægyptum inuitarat, atque induxerat. Quod autem in laude Iosephi à Scriptura dicitur, *ossa eius prophetasse post mortem*, non ita accipiendum est, vt rectè explicat Pererius, & Iansenius in eum locum, quasi illa vocem humano more ediderint, sed quod euentu ipso declaratum sit, cùm ossa exportata sunt, Iosephum verè fuisse Prophetam. Eccli. 49. Genes. 50. n. 35.

VII. *A quibus curatum sit funus.* Cæterum etsi Moses scribit conditum aromatibus Iosephi corpus, repositúmque in loculo in Ægypto, nihil est necesse propterea existimare Iosephum honorificè tumulatum ab Ægyptiis, ex tenero in ipsum affectu; vt putat Abul. Id enim Moses non significat, & is honor atque affectus rectius fratribus, filiis, ac nepotibus eius tribui potest, quorum longè maior erat in ipsum amor, atque obligatio, & huiusmodi sumptibus facilè pares esse poterant. Et fortasse ne huius quidem officij participes Ægyptios esse voluerunt; vt à simili colligi potest in zelo Zorobabelis. E contrario autem afferri potest sepultura Iacobi, cuius funus medici Iosephi curarunt, & optimates Ægyptij magno numero cohonestarunt. Repositum corpus in marmoreo loculo putat Caietanus; alij in ligno malunt, cedrino scilicet, aut cupressino, aut certè plumbeo, fortasse quod illo marmoreo includi, & ex quo cùm res exigeret, efferri, ac transferri posset. Eugubinus autem in hunc locum ait in Hebræorum monumentis haberi Ioseph conditum esse in arca ærea, & in Nilum esse proiectum, relatúmque inter Deos Ægyptiorum. Quod si verum est, & huiusmodi quæpiam fuit in apotheosi ceremonia; id de cenotaphio intelligi oportet. Nam ossa conseruata, & postea in Chananitidem translata ex Scriptura certò constat. Itaque Eugubinus hæc falsa putat, & aliis Hebræorum commentis simillima. c. 50. 6. 1. Esdr. 4. 3. c. 50. 2. 7. 8. Exo. 13 19.

VIII. *Et Ægyptiorū circa ipsum superstitio.* Nec puto probabiliora quæ leguntur in testamento Patriarcharum. *Ossa Ioseph,* inquit scriptor ille, *custodiebant Aegyptij in ærariis Regum. Dicebant enim eis incantatores, quod si deportarentur ossa Ioseph, forent in omni Aegypto tenebræ, & caligo, & plaga magna valde Aegyptiis, vt ne cum lucerna quidem cognosceret vnusquisque fratrem suum.* Id nimirum factum in exitu Hebræorum ex Ægypto, quæ author huius libri declamans, quasi futura prænunciat. Verisimilius aliqui Græci dixerunt, Iosephum ab Ægyptiis, quorum incredibilis erat ad superstitionem propensio, Deum habitum esse. Distinctius Pierius Valerius ait Ægyptios accepti à Iosepho beneficij memores, homini gratiam ita relatam voluisse, vt simulacrum Serapidis cum modio in capite, huius rei monimentum esse decreuerint. Genebrardus ait consecratum ab Ægyptiis Serapidis nomine, id est principis Boum, immani simulacro & fano, in quo Bos nutriebatur Apis vocabulo, in symbolum agriculturæ. Sed hæc hactenus. c. 2. sub fi. l. 5. Hierog. l. 1. Chron.

IX. *Iosephi laus ieiunior ab Hebræis.* Iosephi porrò verissimis iustissimísque laudibus, Hebræi minimè se pares esse posse crediderunt, quando in tam glorioso argumento, tam ieiunos sese, támque aridos exhibuerunt. Nam disertissimus Hebræorum Philo, corporis eius formam, linguæ facundiam, mentis prudentiam celebrauit, aut tribus potius verbis perstrinxit. Iosephus quoque Flauius, penè oblitus nominis sui, hoc tantùm. *Vir admirabili virtute præditus, in omnibus negotiis prudens, & potestate bene vsus: quibus artibus factum est, vt neque externum genus, neque calamitas, de qua diximus, quidquam offecerit, quò minùs ad summam dignitatem eueheretur.* Hæc ille.

X. *Alia insignior ac plenior eius continentia, placabilitate.* Omittvnt ergo admirabilem illam aduersus insanam mulierem continentiam prædicare, quam singulæ locorum, temporum, personarum peristases, penè prodigiosam reddunt. Omittunt dulcissimam illam in condonanda tanta, támque atroci, ac diuturna fratrum iniuria, placabilitatem; non quæ vix exorari se denique, flectique muneribus, officiis, lacrymisque patiatur, sed quæ vltro se reis offerat, quæ propriis se lacrymis, & lactea verborum lenitate prodat: quæ capitalem improbissimorum reorum culpam excuset, extenuet, & quantum fieri potest, aliò transferat; indulgentissimum denique patronum inimicorum, non fortem & vehementem actorem agat. Omittunt constantem illam

pietatem in Deum, quam neque venditio, neque ignominiofa feruitus, neque *pietate in*
ærumnofus carcer, neque facinoroforum hominum, & idololatrarum conuictus: *Deum.*
imò neque octoginta annotum principatus vel tantillum labefactarunt. Nam poft
tam multos blandientis fortunæ, fæuientifque flatus moriturus fuam in Deum
fidem, fpem, charitatem teftatam relinquit, dum diuinum à fratribus iusiuran-
dum exigit, dum diuinam fpondet vifitationem, & in fpem futuræ vitæ, in terram
fanctam transferri fe poftulat. Denique dum eius prædicat bonitatem, qui alie-
num crimen in multorum, atque adeo eorum ipforum bonum, falutémque con-
uerterit, qui illud nefariè perpetrarant.

Omittvnt fingularem illam charitatem in fratres; quam ego fanè non XI.
crediderim ab illa, quamuis eximia, liberalitate metiendam, qua ipfos pene octo- *Charitate*
ginta annos, cum totis ipforum familiis, plures fcilicet hominum centurias enu- *in fratres.*
c.50.21. triuit. Nam poft mortuum, ac fepultum patrem dicebat, *Ego pafcam vos, & paruulos*
veftros: Non ab illis in mutua agnitione lacrymis, mitiffimífque complexibus æfti-
mandam; fed, mirum dictu, ab illa ipfa vexatione, qua ingeniosè, charitas quippe
ingeniofa eft, fratres fuos ad proprij criminis agnitionem, ac deplorationem ad-
c.42.21.22. duxit, vt dicerent. Nam iterare dulce eft, *Merito hæc patimur, quia peccauimus in fra-*
trem noftrum, videntes anguftiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus, id-
circo venit fuper nos ifta tribulatio. Et rurfum, *Nunquid non dixi vobis nolite peccare in pue-*
rum, & non audiftis me? En fanguis eius exquiritur, à vindice criminum videlicet, atque
vltore Deo. Hæc enim charitas animas immortales fcelere cõtaminatas, ac mor-
tuas emaculat, ac vitæ reddit: Illa verò liberalitas curat ifta corpora, mille mor-
bis fordibúfque obnoxia, & aliquando moritura.

Omittvnt, aut certè vix attingunt, illam in fumma fortuna non folũ mo- XII.
derationem, ex qua fiebat vt nihil effet in verbis eius fuperbum, in vultu fæuum, *Moderatio-*
in oculis minax, in inceffu arrogans, in tota actione, & gubernatione violentum: *ne animi,*
Sed demiffionem animi planè fingularem, quæ illum Ægypti Proregem, illum, *ac demif-*
ex Regis prædicatione, mundi Saluatorem: Illum qui in regio curru, in ftola byf- *fione.*
fina, in torque aurea, in Regis annulo fignatorio, flectentibus vbique genua po-
pulis circumferebatur: Illum qui in frequentiffimo optimatum, ac dynaftarum
c.41.44. conceffu, audierat dicentem regem. *Ego fum Pharao; abfque tuo imperio non mouebit*
quifpiam manum, aut pedem in omni terra Aegypti. Illum inquam eò adducebat animi
demiffio fingularis, vt minimè verecundaretur fratrum, generifque fui humilita-
tem agnofcere; & coram ipfo Rege, aulicifque prædicare vitam paftoritiam, quã
illi deteftabantur: & extremos fratrum in confpectum Regis adducere; tametfi
eorum abiectio, ac plebeia vitæ ratio, in Iofephi ipfius contemptum, ac dedecus
apertè redundabat, vt minimè mirum fit olim puerulum, patris delicias, vxoris
dilectæ vnigenitum, cum filiis Zelphæ & Balæ ancillarum potius, quàm cum li-
c.37.2. beris Liæ ingenuæ frequentem fuiffe.

Omittvnt diuinum illud prophetiæ donum in enarrandis immiffis diui- XIII.
nitus fomniis, in prouidendis, enunciandifque futuris, quod vt illi, ex iniquiffi- *Prophetiæ*
ma fratrum inuidia, triftiffimam calamitatem intulit; ita illum, ex diuina bonita- *dono.*
te ac munificentia, in fupremum pene rerum humanarum faftigium extulit. O-
mittunt incredibilem illam fortitudinem, atque inæftimabilem patientiam, qua
in eius pectore dominante non induxit animum tredecim ipfos annos, per literas *Patientia.*
aut internuncios, plagiarios accufare fratres, apud dilectiffimum parentem; non
ab eo in moleftiffimis ærumnis fuis, exilio, infamia, carcere, feruitute, capitifque
difcrimine; auxilium implorare, confolationem viciffim dare, atque accipere; fed
Dei iudicio, cui vifum fuerat opportunum alterum latere miferum, alterum mœ-
c.40.15. rere miferabilem, conftanter obfecundare. Quin etiam toto triennio potuit Pro-
ferpinam illam in fua iuftiffima caufa non accufare, non iniuftiffimum crimen di-
luere; contentus obiret, vnóque verbo femel fuam innocentiam conteftari.

Omisi & ego pene Prudentiã, in qua Patriarcha nofter vehementer excel-
luit quàm Iofephus, vereor vt prudenter fatis, parciffimè commendauit. Sed in XIV.
ea celebranda totus eft Philo, qui in Iofepho viri politici omnium abfolutiffimi *Prudentia.*
fpecimen exhibet, fi quid tamen à nobis quoque, mi lector, defideras, vide ad-
mirabilem eius prudentiam in confilio congregandi frumenta, fex capitibus

eminentem, quam nos ſupra in eiuſdem anno trigeſimo primo notauimus: Emi-
net & in ſuis in terra Geſſen, non ſolùm optimo terræ loco collocandis, ſed quã- a 20. an.
tum fieri poterat, ſeorſim ab infidelium turbis; ſimúlque in iis à publicis belli pa- mundi 2319
ciſque muneribus, ſub regiorum paſtorum titulo eximendis. Eminet in proban-
da fratrum ſuorum in Beniaminum vterinum ſuum de capite periclitantem cha-
ritate, & perſona ſua diutius regenda & diſſimulanda. Eminet denique vel maxi-
mè, in acquirenda tota Ægypto Principi ſuo, cum omnium ſubditorum ære, pe-
coribus, agris, ipſaque libertate ſine cuiuſquam querela, murmure, aut tumultu.
Et rurſus in acquirenda ſubditorum omnium in principem beneuolentia; cuius
indulgentiæ, ac liberalitati, fortunas ſuas omnes, ſeipſos, ſuámque libertatem
debere ſe veriſſimè faterentur.

XV. *In ſimilitudine cum Chriſto.*
OMITTVNT denique tam expreſſam Ioſephi cum Chriſto Domino, ſuo ip-
ſorum, veriúſque noſtro Meſſia ſimilitudinem: tam illuſtrem, inſignémque ima-
ginem, vt minimè dubitet Rupertus dicere Ioſephum tota vita ſua, ab ortu vſque l. 8. c. 18.
ad interitum, præclarè repræſentare Saluatorem. *Deinceps*, inquit, *Ioſeph ſanctiſſi-
mus, ſtella magna & lucida, de hoc altiſſimo ſacra Scriptura cælo lumen ſuum dare incipit; qui
pene ſolus claro vitæ ſuæ ordine præoſtendit, qualiter Sol iuſtitiæ Chriſtus proceſſurus eſſet ab
initio, vſque ad finem diei; id eſt ab incarnatione ſua, vſque ad conſummationem ſeculi.* quo-
rum nos pauca de multis colligemus.

XVI. *In ſimilitudine ortus.*
NASCITVR Ioſeph, ſicut antea Iacob & Iſaac, ex matre ſterili & infœcunda, 1.
vt virginis intaminatæ partus pluribus adumbratus figuris, in Saluatoris mundi
natiuitate facilius crederetur, vt S. Chryſoſt. annotauit. Et cùm primùm vtér- hom. 49. in Gen.
que natus eſt, actum eſt de diſceſſu è loco natiuitatis propriæ in regionem longin- 2.
quam; vt vtérque à prima infantia afflictiones ſuas, & peregrinationes ſuas in-
choaret.

XVII. *Nominis.*
APPELLATVR Ioſeph, id eſt Adauctus à Rachele matre, appetente talem 3.
ſibi multiplicari prolem; appetente & patre, cuius eſt cygnæa illa, lætabiliſque
vox, *Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu.* In ſignum aliquod egre-
giarum virtutum, quarum incrementa capturus erat in dies. In myſterium eius,
& figuram, *in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, vt Ruperto placet. Aut
qui cùm puer eſſet, *Creſcebat & confortabatur, plenus ſapientia; & gratia Dei erat in illo.* l. 8. c. 20. & 12.
Et rurſum; *Proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Sed quanto Luc 2. 40.
expreſſius, quantóque illuſtrius nomẽ Saluatoris mundi, id docet quo Patriarcha 4.
ab Ægypti rege, ob ſeruatam à fame Ægyptũ, & omnes circunquáque prouincias
honoratus eſt: In figurã eius qui Ieſus, & Saluator à Rege Regum appellatus, fru-
mento electorum, & Angelorum pane nutriuit, nutritque mille iam & ſexcentos
annos, toto orbe terrarum populos Chriſtianos.

XVIII. *Dilectionis.*
ISRAEL diligebat Ioſeph præ omnibus filiis ſuis, eo quod eum in ſenectute 5.
genuiſſet; & alioqui eſſet multùm amabilis. Pater diligit vnigenitum ſuum ſupra
modum amabilem, & præ omnibus hominibus, quos in illo, & propter illum dili-
git: *Quem in ſenectute, aut longinquitate æternitatis genuit ille antiquus dierum, & nouiſſi-
mis temporibus mundi ſeneſcentis*, Rupertus l. 8. c. 20.

Tunica.
In paterni amoris argumentum fecit Ioſepho tunicam polymitam pater variè 6.
intertextam. *Quænam eſt huius filij tunica*, inquit Rupertus, *niſi ſancta, legalis, & pro-* l. 8. c. 20.
*phetica Scriptura. Cuius enim ob cauſam, cuius ob teſtimonium, vel gloriam, niſi huius filij ſui
texuerunt digiti Dei omnem Scripturam, quam iure fatemur diuinitus inſpiratam.* Sed quid 7.
vetat hanc tunicam qua Ioſephum fratres eius ſpoliarunt, vt in ciſternam eum de-
mitterent, quam in hœdi ſanguine cruentarunt, quam Patri in mortis indicium
obtulerunt, accipere *tunicam illam inconſutilem deſuper contextam per totum*, quam ei
fecerat parens ſua. Præſertim cùm ea vero Ioſepho erepta, ſanguine agni Dei im-
maculati fuerit imbuta, atque extracta ſæpius ad plagas, & contumeliam, & in o-
culis matris, & filij moribundi ſorti expoſita.

XIX. *Inuidiæ.*
PARENTIS amor in Ioſephum, fratrum in eum inuidiam atque odium ſuſci- 8.
tauit, *vt non poſſent ei quidquam pacificè loqui. Notum eſt*, ait Rupertus, *quia nimis ode-* Gen. 37. 4.
rant hunc dilectionis filium fratres maligni, tanto odio, vt non poſſent ei quidquam pacifice lo- l. 8. c. 20.
qui. Vnde ipſe ait, Cum iis qui oderant pacem eram pacificus, cùm loquebar illis impugnabant Pſal. 119.
me gratis. Et rurſum, *Sermonibus odij circumdederunt me, & expugnauerunt me gratis.* Pſal. 108.

cunctæ loquebantur hostilia. In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit Dæmonia. Dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis? & his similia. Sed nunquid viderunt quod illum Pater amaret? vtique. Nam si cæci, inquit, *essetis, non haberetis peccatum. Nunc autem dicitis quia videtis; peccatum vestrum manet.*

Ioan. 9. 41.
9. Retulit somnia sua Ioseph, quibus sua ipsius exaltatio portendebatur: propter quæ cùm pater eum misisset ad fratres eius, mutuò loquebantur; *Ecce somniator venit, venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem.* Referebat parabolas suas Dominus, & nominatim eam, quæ est de vinea, quam plantauit pater familias, omnibúsque rebus instruxit, locauit agricolas, ad quos misit etiam filium suum; *Quem illi videntes dixerunt intra se; hic est hæres, venite occidamus eum, &c.* In qua explicanda subditur. *Nunquam legistis in scripturis, lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et cùm audissent principes sacerdotum, & pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de ipsis diceret,* & odio perciti voluerunt eum tenere, & occidere. Vide Rupertum. Somnia.

Matth. 21. Psal. 117. 22. Matt. 21. 46. l. 8. c. 22.

10. Gen. 37. 13. MISIT Iacob filiũ suum, ad reliquos fratres ipsius, de eorum salute sollicitus, propter crimina ab ipsis perpetrata in Sichimis. Qui tametsi non dubitaret de fratrum in se inuidia, & periculo suo, mira tamen alacritate respondet patri, *Præsto sum.* Deus pater de salute hominum peccatorum curam gerens. *Quem mittam,* inquit, *& quis ibit nobis?* Ecce ego, inquit dilectus filius, mitte me, &, *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij,* factus obediens vsque ad mortem crucis. XX. Difficilis, at promptæ obedientiæ.

Esa. 6. 5. c. 50. 5.

11. IOSEPH morti destinatus à fratribus, in magnis animi sui angustiis frustra deprecatus est eos, cuius inhumanitatis ipsimet testes fuerunt, quando eum pœnitentia, & dolore dicebant, se merito in magnos tristitiæ fluctus incidisse, quod videntes angustias, atque æstus animi fratris sui deprecantis ipsos, duri atque intractabiles perstitissent. Christus Dominus ignominiosissimæ, atque acerbissimæ morti Crucis destinatus, in pauore horrifico, in tristitia mortifera, in molestissimo tædio, in sudore sanguineo, denique dum factus in agonia prolixius oraret Patrẽ, vt calix amarissimus ab eo transiret, non exaudiuit eum, videns angustias animæ eius, sed misso ad eum Angelo, *Sume,* inquit, *calicem vini furoris huius de manu mea.* Ierem. 25. 15. sed pias patris aures, salus humani generis, fratrum autem, iniustissima inuidia obruebat. XXI. Irritarum precum.

Vide Rup. l. 8. c. 24.

12. VENDITVR Ioseph Ismaëlitis viginti argenteis, & ne quid deesset similitudini, à Iuda profectum est iniquissimæ venditionis ac plagiariæ consilium. A quibus rursum Ægyptiorum seruituti mancipatur. Venditur Dominus IESVS à Iuda Ischariote triginta argenteis, nimirum par erat virum Prophetam, potentem opere & sermone, coram Deo & hominibus, pluris quàm adolescentulum, quantumuis ingenuum æstimari. Venditur Iudæis, sed filius Agaris, & non Saræ, à quibus rursum traditur in manus alienigenarum, qui *humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrumque pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius,* promissa videlicet post triduum resurrectio, qua exaltatus est. XXII. Venditionis.

13. IOSEPH seruit in domo Putipharis, & Putiphar committit omnia manibus eius. Coniicitur in carcerem, & custos carceris tradidit in manu illius vniuersos vinctos. Introducitur ad Pharaonem. Et Rex, *Tu eris,* inquit, *super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Nimirum ad eum adumbrandum, de quo Euangelista, *Sciens Iesus quia omnia dedit ei pater in manus.* Et Psaltes regius, *Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum:* qui imperabat febribus, & quantumuis obstinato languori, qui dæmones animis, corporibúsque ad nutum exigebat, qui ventis imperabat & mari, & laudabant Deum populi, qui dedisset tantam potestatem hominibus. Deinde cùm venditus, iamiámque capiendus esset ab hostibus, ostendit illos ipsos esse in manu sua, quos, quanuis armatos, verbo prostrauit, & erexit: móxque carceris sui potestatem habuit, *Factus inter mortuos liber,* & potestatem ponendi pro arbitrio, & resumendi animam suam. Denique post exaltationem suam audiuit à Patre, *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Et ipse vicissim, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra,* Matt. 28. XXIII. Potestatis in aduersis, & prosperis.

Gen. 39. 5. 22. Ioan. 13. 2. Psal. 8. 7. Psal. 87. 6. Ioan. 10. 18. Psal. 2.

XXIV. Recta mulieris, & Synagogæ.

14. IMPVRA mulier & procax, capta Iosephi pulchritudine, amatrix facta est formæ illius: at innocentissimus iuuenis ea sprera, etiam relicto pallio, aufugit ab ea,

Synagoga dilexit externam Messiæ pulchritudinem,& magnifica de eo promissa,
Quod dominaretur à mari vsque ad mare, & à flumine, vsque ad terminos orbis terrarum. Et
illud, *Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent.* Sperabant ergo &
ambiebant auream & gemmatam Hierusalem ad aduentum Messiæ, qualem vi-
debatur Esaias repræsentare, cùm ait, *Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen* c.60.1.6.
tuum, & gloria Domini super te orta est. Et, *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferen-
tes, & laudem domino annunciantes.* Denique, *Erunt reges nutritij tui, & reginæ nutritiæ* c.49.23.
tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Ergo persua-
sum habebant omnes mundi natiooes Iudæorum superbiæ, atque auaritiæ serui-
turas. *Nempe id erat*, ait Rupertus, *petulantem mulierem incestos oculos in pulchrum Io-* l.8.c.34.
*seph inijcere. Sed Christus talem intellectum non admittit, imò sic intelligentem odit ac refugit:
& iamdudum sic legentem, sic sentientem Synagogam spreuit, effugiénsque cum suo viuificante
te spiritu, solam illi occidentem literam reliquit. Bene igitur Ioseph relicto in manu adulteræ
pallio fugit, & egressus est foras. Fugit enim, qui & dixit, Ecce relinquetur vobis domus ve-
stra deserta.* Quod præsignauit etiam facto, quando tollentibus lapides Iudæis
vt iacerent in eum, ipse abscondit se, & exiuit de templo. Ioannis octauo ex-
tremo.

XXV. *Eunuchi & Cæsaris.* NEFARIA Eunuchi coniux accusat apud eundem innocentem Ioseph, quem 15.
& sibi illudere voluisse falsò criminatur: & ad faciendam fidem retentum osten-
tat pallium. Eunuchus inauditum damnat reum, & verberibus cæsum, ac subsan- c.11.
natum compingit in carcerem, vt habetur in Testamento Patriarcharum. Syna-
goga coram Præside Iudææ vana profert testimonia Scripturarum, ad ostenden-
dum Christum seductorem, siue illusorem esse, & secundum legem debere mori.
Pilatus autem, siue Cæsar talis tunc Synagogæ maritus fuit, qualis Eunuchus il-
lius mulieris. Nam vt ait Rupertus, *Quomodo illa quæ maritum habet Eunuchum, neque* l.8 c.34.
verè maritum habet, neque à lege viri soluta est, vt cuicunque voluerit nubat: sic Iudæa nec ma- Ierem.3.4.
*ritum suum Deum tunc habebat, neque tanquam vidua, aut virgo erat, quia ad speciem tan-
quam maritum habebat Cæsarem, de quo blandiendo dicebat. Non habemus regem, nisi Cæsa-
rem.* Quibus auditis ille innocentem, prius crudelissimè flagellis cæsum ac sub-
sannatum turpissimæ morti addicit, atque adiudicat.

XXVI. *Silentij ad suidefensionem.* MIRABILE est Iosephi silentium aduersus aduersarios, atque hostes suos. 16.
Neque prodit, neque accusat adulteram, vt suam tueatur innocentiam; neq; pla- c.11.
giarios fratres venditores sui. Quin etiam autor Testam. Patriarch. ait ipsum no-
luisse dicere Ismaëlitis se esse ingeouum, aut filium Iacobi viri magni & potentis:
Sed illud tantùm extra iudicium, *Furto*, inquit, *sublatus sum de terra Hebræorum, &
hic innocens in lacum missus sum.* Christus Dominus stupendo silentio toto passionis
suæ tempore vsus, neque Iudæos apud Herodem aut Pilatum accusat, neque fal-
sa reuincit testimonia, vt probet innocentiam suam; sed illud tantùm extra iudi-
cium, *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

XXVII. *Electionis & reprobationis.* IOSEPH in medio duorum reorum in carcere constitutus, alteri crucẽ prædicit, 17.
alteri restitutionem in pristinã dignitatem, vtriq; iuxta somnij sui interpretationẽ. l.8 c.38.
Christus Dominus duos inter latrooes medius in cruce, *Vtrique iuxta fidem, vel me-
ritum suum iustam dedit sententiam*, vt ait Rupertus. *Quantum enim interest? illic Pha-
rao de carcere mediante Ioseph, hic autem Deus de cruce mediante Christo vnum assumit ad
gloriam, & alterum relinquit ad pœnam:* Et mox, *gentili populo tanquam pincerna dat gra-
tiam, iudaico pistori damnationem.*

XXVIII. *Exaltationis.* QVID tanta támque multiplex Iosephi exaltatio, quanta ipsius Mosis oratio- 18.
ne continetur, qualem nos anno eius 31. descripsimus, noone clarissima Christi d.23. & 24.
Domini resurgentis figura est, qui tum gloria & honore coroonarus est vel maxi-
mè quando *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen*, id est
dignitatem incomparabilem, & vni Deo secundam, quando perfecit vt in eius
venerationem atque obsequium omne genu flecteretur, & omnem acciperet po- Matth. 28.
testatem in cœlo & in terra.

XXIX. *Receptionis fratrum in gratiam.* EXALTATVS Ioseph, cùm primum se prodidit fratribus suis, blandissimè eos, 19.
ac beneuolentissimè recepit in gratiam, quantumuis malè de se meritos; vehemẽ- Gen. 45.
térque turbatos, amica oratione consolatur dicens, *Ego sum Ioseph frater vester, quem
vendidistis in Aegyptum, nolite pauere.* Nec tamen audebant illi ipsum alloqui, siue

conscij

conscij sceleris sui, siue reueriti tantæ amplitudinem maiestatis; tandem tamen dulcissima eius charitate victi, ausi sunt eum alloqui, atque adeo cibum eum eo sumere. Christus à resurrectione sua dispersos, afflictos, spémque inter ac metum nutantes congregat, erigit, firmat, consolatur; stetit enim in medio eorum, & ait illis, *Pax vobis, ego sum, nolite timere*, quasi diceret. Ego sum quem deseruistis, quē negastis, quem vendidistis. Sed Deus omnia in bonum & vestrum, & omnium electorum conuertit. At illi attoniti erant, & cogitationes ascendebant in corda eorum, & mirabantur & stupebant, nec satis credebant suis ipsimet oculis, donec & collocuti sunt cum eo, & ipse indulgentissima clementia, etiam cibum eum eis sumere, in corpore glorioso, dignatus est.

20. Gen.45.fi. INCREDIBILEM capit consolationem grandæuus Patriarcha Iacob, & tota domus eius super Simeone ac Beniamino recuperatis, & quod caput est, super nuncio vitæ, & gloriæ Ioseph: quam ita exaggerat Scriptura, vt par illi nulla videatur oratio. In signum vtique incredibilis illius lætitiæ, quæ patres omnes in limbo perfudit, super rediuiuo, & victore mortis ac peccati, & triumphatore mundi filio Dei; quando tot seculis longissima patientia expectatum videre, salutare, ruere in amplexus datum est, & optatas audire ac reddere voces. Eodémque tempore non libertatem modò, sed æternam beatitudinem sunt consecuti. XXX. *Nuncij de vtriúsque vita & gloria.*

21. l.9.c.41. BINAS stolas dedit Ioseph fratribus suis, non contentus dare singulas. *Etenim*, vt philosophatur Rupertus, *nunc Christi beneficio Electorum animæ, vbi deposito carnis onere feliciter lætantur, vna stola, id est sola suimet beatitudine perfruuntur: vt autem omnes resurrexerimus, quicunque immutabimur binas stolas singuli, animæ simul & corporis duplicem gloriam obtinebimus*. Quam ex magno paucorum priuilegio, vt supra cum Tostato dicebamus, iam piè creditur consecutus. Quod superest, vt huic pio ac debito funeris officio finem imponamus, affigamus etiam Epitaphium loculo, in quo aromatibus conditus remigrationem suorum, & translationem ossium suorum præstolabatur. XXXI. *Ex similitudine corporis animǽque gloriosi.* in c.50. Gen.

EPITAPHIVM IOSEPHI PATRIARCHÆ.

HABET HIC LOCVLVS VIATOR THESAVRVM MAXIMVM. NEC ODOR QVEM SENTIS EX AROMATIBVS EST, NE FORTE NESCIAS: SED EX VIRTVTIBVS EXIMIIS, QVIBVS EFFLORESCIT, QVÆQVE CONCERTANT INTER SE, IN HARMONIAM ODORVM SINGVLAREM. FRAGRAT HIC ADMIRABILIS CASTITAS, CVM AMABILI AETATIS FLORE, AC VVLTVS, TOTIVSQVE CORPORIS DIGNITATE. HIC LATET QVI EXIMIIS ANIMI, CORPORISQVE DOTIBVS, MELIVS QVAM NARDO, MYRRHA, CASIA, OPOBALSAMO CONDITVS EST. QVI ANIMI MODERATIONEM, IMO DEMISSIONEM, IN IPSO PENE VERTICE RERVM HVMANARVM TENVIT. QVI DIDICIT, DOCVITQVE INIVRIAS, NON ÆQVARE, SED OBRVERE BENEFICIIS, IRASCI, ET NON PECCARE: AFFLICTIONEM CONSOLATIONE TEMPERARE. QVI POTVIT INTER SACRILEGOS IMPIORVM RITVS. ET FORTVNÆ BLANDIENTIS CONSTANTEM FLATVM, VERAM ET INTEGRAM RETINERE PIETATEM ADVERSVS DEVM. HIC VT VERBO EXPEDIAM, IOSEPHVS EST PATRIARCHA. ILLÆ MAGNI IACOBI DELICIÆ, ILLVD INFERIORVM PATRIARCHARVM DECVS, ILLVD COLVMEN, AC FIRMAMENTVM POPVLI DEI: ILLE DVARVM MAXIMARVM TRIBVVM PARENS; ILLE NAZARÆVS INTER FRATRES SVOS; ILLE CLARISSIMVS ÆGYPTI PROREX. ILLE CONSCIVS, ET INTERPRES SECRETORVM DEI: ILLE DENIQVE QVI VERE AVDIIT, XXXII. *Epitaphiũ Iosephi.*

Zaphanath Phaaneca. ψομθομφανήχ.

SALVATOR MVNDI. ANNOS C. ET X. VIVENDO EXPLEVIT. XVII. QVIPPE DOMI CVM PATRE, FRATRIBVSQVE VERSATVS, MELLI TAM PATRIS BENEVOLENTIAM, ET ODIA FRATRVM, INVIDIAMQVE DEGVSTAVIT, XIII. SERVITVTEM ET CARCERIS ÆRVMNAS EXPERTVS EST. DIVINA DENIQVE PROVIDENTIA IPSVM PENE REGIÆ MAIESTATIS APICEM ANNIS LXXX. ÆQVAVIT. IN ÆGYPTO MORTVVS, HOCCE LOCVLO CONDITVS ANNO MVNDI CIↃ. CIↃ. CCC. XCIX. POST CXLV. IN CHANANITIDEM TRANSLATVS: DENIQVE POST CIↃ. DXLIII. ANNOS CVM CHRISTO VT PIE CREDITVR RESVRGENS, CVM IPSO GEMINA ORNATVS STOLA, BREVEM HVIVS AEVI GLORIAM AETERNA COMMVTAVIT. LIBENS GRATVLANSQVE POSVIT

I. S. S. I.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2399.

IN Hebræo habetur ad verbum, *vidit filios tertiorum*; quod Vatablus interpretabatur quartam generationem. Pagninus habet filios tertiæ generationis. Tigurina, filios tertios. itáque intelligendum est. Nam filij tertiorum dicuntur eodem modo filij tertij, quo filij stultorum, & iustorum, & ignobilium, Iob 28. 30. filij iusti, stulti, ignobiles: sic etiam filij tertiæ generationis sunt tertiò geniti, non quartò.

Est porro hic secundus annus tentationis magni Iob, in quo ingrauescente malo, nullus pene erat aut noctu aut interdiu quietis particeps, vt ipse cap. 7. significat; vt illi non malè accini posset illud Dauidis. Psal. 40. 4. *Dominus opem ferat illi, super lectum doloris eius, vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.*

ANNVS MVNDI 2400. DILVVII 744. TERTIÆ ÆTATIS 362. RVBEN 118. SIMEONIS 117. LEVI 116. IVDÆ ET DAN 115. NEPHTHALI ET GAD 114. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 113. BENIAM. 95. PROM. 287. CAATH 83. AMRAM 14. MANASS. 81. EPHRAIM 80. IOBI 73. MORÆ IN ÆGYPTO 72. MAMYTHI 25. IMPERII ASSYRIORVM 469.

ANTE CHRISTVM 1653.

I. *Ratio temporis.* AB hoc statim anno inchoat Eusebius Hebræorum seruitutem, quem sequitur Chronicon Alexandrinum, Marianus Scotus, Freculphus, Ado, & omnino quicúnque seruituti Hebræorum 144. annos attribuunt: quos, vt iam dixi, Scriptura refellit, quæ seruitutem differt, vsque ad mortem, non solùm Iosephi, & omnium fratrum eius, sed etiam cognatorum, quæ videtur etiam D. Augustini sententia. *1. c. 3.* *Exod. 1.* *16. de ciu. c. 43.*

II. *Ætas Patriarcharū.* EXPLETVR porro nunc Iubilæus annus quadragesimus octauus ab Orbe condito, & quod eodem redit seculum vigesimum quartum. Quo anno, si breui Chronico Hebræorum credimus, mortuus est Simeon. Ait enim primo anno post Iosephi mortem è vita discessisse. Sed quomodo nos ei credamus, cùm sibi ipse non credat, sed paucis verbis pueriliter contradicat. *Simeon*, inquit, *vixit 120. annis. Anno primo post mortem Ioseph è vita discessit.* Sic scriptor ille. At Simeon quinque tantùm annis erat Iosepho senior. Si ergo mortuus est vno anno post Iosephum, id est centesimo vndecimo ab illo nato, mortuus fuerit Simeon anno vitæ suæ 116. non 120. Simili modo hallucinatur in Ruben, quem mortuum scribit biénio post Ioseph, ergo Iosephi 112. At quomodo tum agebat Ruben 124. vt ait idem Chronicon, cùm sex tantùm annis Ruben maior fuerit Iosepho? Ex quo

sequeretur mortuum esse anno Iosephi 118. non 112. Pari modo deinceps in reliquis Patriarchis aberrat à vero. Quæ miror à Genebrardo transcripta in suam Chronologiam, nec vllo verbo reprehensa, vel emendata.

Etsi autem neutra illius Hebræi assertio certa est, alteram tamen vt ineptam reiicimus, alteram vt satis probabilem recipiendam putamus. Etenim Hebraicæ traditionis esse credimus, quotnam annis singuli Patriarcharum vixerint, potius quam, quot quisque annis post Iosephum fuerit superstes: illud enim per se videtur cognitione dignum: hoc autem minimè notatum à senioribus, aut per manus traditum, quod ex altero facilè deduci possit, cùm anni Iosephi in Scriptura referantur. Itaque quando nihil habemus certius his temporibus in longo admodum Scripturæ silentio, Simeonis mortem in annum eius 120. referemus, Iudæ 119. Rubeo 124. & ita de cæteris ordine temporum: libenter ei cessuri, qui hic afferet certiora. Nam de obitu cuiúsque Patriarcharum, mirum est apud alios omnes quos legi Chronologos, silentium. Et legi minimum viginti. Habet etiam aliquid autor Testamenti ipsorum, quod notabimus suis locis. Notetur interea præsens annus vt tertius tentationis sancti Iob. III. *Quæ probetur.*

ANNVS MVNDI 2401. DILVVII 745. TERTIÆ ÆTAT. 363. RVBEN 119. SIMEON 118. LEVI 117. IVDA ET DAN 116. NEPHTHALI ET GAD 115. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 114. BENIAMINI 96. MANAS. 82. EPHRAIM 81. PROMISS. 288. CAATH 84. AMRAM 16. IOBI 74. MORÆ IN ÆGYPTO 73. MAMYTHI REGIS 16. IMPERII ASSYR. 470.

ANTE CHRISTVM 1652.

v. 20. AD hunc primum quadragesimi noni Iubilæi annum referimus historiam, quæ habetur in lib. 1. Paralip. 7. de clade Ephraimitarum, quæ totam penè familiam inopinato casu extinxit, de qua priusquam dicamus, tempus ipsum constituendum est. I. *Clades Ephraimitarum.*

Et primum Hebræi quidam interpretes, quos refert in Chronico Genebrardus, existimarunt Dauidem ad hanc historiam respexisse, cùm diceret, *Quando contigerit.*
Psal. 77. 9. *filij Ephraim intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli.* quod videtur ansam præbuisse Lyrano existimandi ab Ephraimitis profectum belli consilium aduersum Gethæos. Verùm eam Dauidis orationem ad posteriora tempora pertinere, ex iis quæ ibi subduntur facilè intelligitur. Sensit ergo Lyranus eam cladem contigisse post occupatam ab Israëlitis duce Iosue Chananitidem; tunc enim Ephraimitas ausos fuisse, magno suo malo, inuadere Gethæos. Et quia videt se temporis diuturnitate excludi; oportet enim Ephraim, qui nunc 81. an-
5. χ. num agit, vixisse ad 269. annos[1], imò & eo tempore genuisse Beriam. ideo illum qui ibi nominatur Ephraim, negat esse Patriarcham, sed aliquem de posteris eius. Paulo tamen post, vbi maiores Iosue recensentur in eadem orationis serie intrudit Ephraim Patriarcham in illis verbis. Porrò filius eius Repha; *Filius eius*, inquit, *scilicet Ephraim Patriarcha*, qui tamen toto illo capite, vt ipse putat, nondum fuerat
2. χ. q. 7. inc. 7. nominatus[2].

Dicendvm igitur cum Abulensi in 1. Paralipom. Et Nicolao Serario initio commentariorum in Iosue, vnius tantùm Ephraim hoc loco Scripturā meminisse, II. *Tempore scilicet Ephraim Patriarcha.*
[..]m. 32. idque exigere totius contextus seriem, eiusque recenseri filios nouem Suthala, Bared, Tahad, & reliquos, prout eos digessimus in anno descensus Iacobi in Ægyptum. Nam eodem omnes patre immediatè genitos ex eo constat, quod alioqui Ephraim vidisset octo aut nouem generationes, quod fuit illo tempore inauditum. Atque adeo illi omnes quasi iuuenes ad bellū processissent, abauus scilicet

& proauus, cum pronepote & abnepote. Nec obstat modus loquendi Scripturæ, qui nonnullos induxit in fraudem. Illa enim repetendo sæpius, *filius eius*, visa est significare seriem generationum: quod tamen Hebraicæ phrasi tribuendum est, quæ aliquando illa repetitione gaudet: alioqui, vt dixi, Ephraim octauam vidisset, aut nonam generationem. Heningen in Geneal. Ephraim p. 74.

Cur autem ad hoc tempus peculiariter retulerim causa fuit, tum filiorum bellatorum multitudo, tum quia credibile sit viuo Iosephp Ægypti protege, Gethæos, id facinus non fuisse aggressuros, ne omnes Ægypti vires ad suam vnam ciuitatem perdendam traherent; nec vltra distuli, ne deesset tempus progenitoribus Iosue, qui eodem loco mox recensentur; qui nihilominus valde tempore coarctantur [5].

III. Et quis eius modus, per Gethæos prædones.

Dicendum præterea illa verba textus, *Occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia descenderant vt inuaderent possessiones eorum*; in hanc sententiam accipienda esse, 1.Par.7.21.
vt dicamus Gethæos è Palæstina populos, assuetos ex rapto viuere, descendisse in
Ægyptum prædarum causa: Et in Ephraimitas, qui in terra Gessen primi occur-
rerunt, aut primi sese certamini animosè intulerunt, irruisse; eósque omnes dum
frater fert opem fratri, interfecisse. Ita meritò sentit Serarius. Primùm quia Ge- 1.
thæi prædones erant, non Ephraimitæ, saltem tempore commorationis in Ægy-
pto, & viuente adhuc Ephraim eorum omnium parente. Deinde quia prædones 2.
isti dicuntur descendisse vt inuaderent possessiones. Atqui ex oppido Geth, &
reliqua Palæstina in Ægyptum descenditur; & vice versa ex Ægypto ascenditur
in Palæstinam. Fauet etiam quod dicuntur descendisse ad inuadenda pecora eo- 3.
rum, vtique Israëlitarum, quorum possessiones erant pecora, vt constat. Denique 4.
non est credibile paucos Ephraimitas seorsim ab aliis Israëlitis Ægypto abire, &
bellicosissimam gentem, staturæ giganteæ, inuadere voluisse, & eorum possessiones occupare, quod ne post subactam quidem reliquam Chananitidem temporibus Iosue, vel Othonielis ausi sunt. At si Gethæos inuasores dixeris, & Ephraimitas, dum incautius sua tueri conantur circumuentos, atque interfectos esse, omnia rectè conuenient.

Hac tanta clade accepta *Ephraim pater eorum luxit diebus multis, & venerunt fratres eius* Manasses videlicet, & alij filij, ac nepotes Iacob, *vt consolarentur eum. Ingressúsque est ad vxorem suam*, vt repararet orbitatem, *quæ concepit & peperit filium, & vocauit nomen eius Beria, eo quod in malis domus eius ortus esset.* id enim nomen à רעה ducitur, quod malum & damnum significat. Qui autem deinceps enumerantur in textu, eos quidam ad Beriam referunt, vt Lyranus, alij ad Ephraim, vt Abulensis. Porro familiam Ephraim digestam habes supra anno Iacobi 131. n. 52. Est autem hic annus certaminum Iobi quartus.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2401.

N. 1. t. Nam ad 215. quos ex communi sententia ponimus filios Israël egisse in Ægypto, septem anni addendi sunt, quos vixit ante descensum Iacobi cum suis. quadraginta item moræ in deserto circumeundo, & septem positi in acquirenda terra promissionis quos annos si vnam in summam contuleris, efficies summam quam diximus.

215
7
40
7
269

Ibid. 2. R. Abraham leuites Dauidis filius huc fortasse respexit, cùm ait produisse in Ægypto Pseudoprophetas, è filiis Ephraim, & Galaad, & seduxisse Israëlitas, & interfectos fuisse, sed in tempore multùm distarà vero, ait enim id contigisse 110. annis ab obitu Ioseph, qui est annos Mosis 46. cùm Israëlitæ ab Ægyptiis dura seruitute premebantur, nedum expeditionem ad bellum gerendum suscipiebãt. Sed rem accipere possumus, omissa Chronologia, causam scilicet probabilem cladis Ephraimitarum.

N. 31. 3. A Beria enim vsque ad Iosue natiuitatem septem sunt generationes, & anni duntaxat 90. nisi fortè aliqua confusio in tot propriis nominibus contigit. Nã Latina Græcis Hebraicísque non planè consentiunt.

ANNVS MVNDI 2403. DILVVII 747. TERTIÆ ÆTAT. 365. RVBEN 121. SIMEONIS 120. ET VLT. LEVI 119. IVDÆ ET DAN 118. NEPHTHALI ET GAD 117. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 116. BENIAMINI 98. MANASS. 43. EPHRAIM 83. PROM. 290. CAATH 86. AMRAM 18. IOBI 76. MORÆ IN ÆGYPTO 75. MAMYTHI 18. IMP. ASSYRIORVM 472.

ANTE CHRISTVM 1650.

HOC anno 290. promiſſionis ponit Euſebij Chronicon primum annum Miſpharmutoſis Ægyptiorum regis, cui & viginti ſex annos attribuit, ex quo ſequitur ſub eius regno omnes Patriarchas, Iacobi filios, mortuos eſſe, vno excepto Ioſeph. Certè Simeonem hoc anno 120. ætatis ſuæ mortuum tradit Seder Olam, & ex eo Genebrardus, vt paulò ſuperius dictum eſt. Idémque habet liber teſtamenti Patriarcharum[1]. I. *Obitus Simeonis.*

an. 2400. c. 2. 1. ✗.

DE Simeone porrò nihil admodum occurrit in Scriptura, quo eius celebremus funus. Nam quæ à Iuditha memorantur, quam vim habeant ad commendationem zeli eius, diximus cùm de cæde Sichimitarum ageremus. Extat in eum morituri patris querela, & accuſatio potius, quàm benedictio. Moyſes eius tribum in benedictione tribuum præterit. Nec ſine cauſa ipſum elegit Ioſeph ex omnibus fratribus, quem in Ægypto in vincula compingeret, vt ſuo loco narrauimus. Certè in libro teſtamenti Patriarch. Simeon accuſat ſe præ cæteris inuidiæ in Ioſephum, & voluntatis occidendi ipſum, ex quo ſemiſiccam habuerit manum dexteram per ſeptem dies, & agnita in ſe animaduerſione diuina, pœnitentem fleuiſſe, & oraſſe dominum vt reſtitueretur ſibi manus. Quin & biennium in Dei timore ieiunaſſe, & liberatum fuiſſe inuidiæ malo. Poſtremo prædicit ex Leui ſuſcitatum in principem ſacerdotum, & ex Iuda regem Deum & hominem, qui ſaluaturus ſit omnes gentes, & genus Iſraël. Denique moritur anno 120. vitæ ſuæ, reponitúrque in theca lignorum, quæ non putreſcunt, vt transferretur in Hebron, quo etiam clam Ægyptiis translatus eſt. Hæc ex eo authore, apud quem ſit huius narrationis fides[2]. Hoc porrò anno ſanctiſſimus Iobus ſextum iam annum cum morbis acerbiſſimis luctabatur, & corpori æger cohærentem animam trahebat. II. *Eius vita & mors.*

Gen. 49. Deut. 33. 2. ✗.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2403.

N. I. 1.

Simeon vixit cum	Iſaac,	annis	35
	Iacob,		62
	Ruben,		121
	Leui,		119
	Iuda,		118
	Nephthali,		117
	Aſer,		116
	Ioſeph,		110
	Beniamin,		98
	cum cæteris, vt in anni huius indice.		

De omiſſis hoc loco ab Euſebio duobus Ægypti regibus Amerſi & Miſphri, litem illi intendunt Syncellus, & Scaliger, qui tamen non ſatis inter ſe conſentiunt, cùm ille 14. reges tribuat huic decimę octauæ dynaſtiæ Dioſpolitanorum. Hic autem 16. ex Africani Manethone recitet. Vbi priori viginti duo anni tribuuntur, poſteriori tredecim. Ex quo non mirum eſt aliam eſſe Scaligeri, aliam Syncelli ſummam. Verùm hac de re infra anno 2438. dicemus exactius. N. II. 2.

ANNVS MVNDI 2404. DILVVII 748. TERTIÆ ÆTATIS 366. RVBEN 122. LEVI 120. IVDÆ 119. ET VLTIM. DAN 119. NEPHTHALI ET GAD 118. ASER, ISSACHAR, ET ZABVLON 117. BENIAM. 99. MANASS. 85. EPHRAIM 84. PROMISS. 291. CAATH 87. AMRAM 19. IOSI 77. MORÆ IN ÆGYPTO 77. MAMTTHI 19. IMP. ASSYRIORVM 473.

ANTE CHRISTVM 1649.

I. *Iudæ obitus.*

INSIGNITVR hic annus morte Iudæ Patriarchæ, qui ordine natiuitatis quartus, dignitate fuit facilè primus, quando primogenituræ ius Rubeni ereptum, Iudas quod ad principatum, Ioseph quod ad duplicem portionem, Leui quod ad sacerdotium obtinuit. Scribitur autem defunctus anno 119. vitæ suæ, tum in testamento Patriarcharum c. 4 tum in Chronico Hebræorum duobus in locis, & ex eo Genebrard. Nec tam mirum est eius mortem à Torniello, quàm ab ipso Moyse prætermissam, eùm in hanc regiam tribum, sicut & in sacerdotalem peculiari studio videatur intendisse, sicut & author libri Paralipomenon, in earum tribuum genealogiis perscribendis.

(1. Paral. 5. vbi vide Vatabl. Sà, & Abulens. — 1.1.c.2.3.4. & 6.)

II. *Priuilegia tribus eius.*

NEC sanè à nobis prætereundus silentio, quem eximiis laudibus extulit moriens pater: quem à fratribus laudatum iri affirmauit, quem Deus ipse fratribus omnibus antetulit, quando ex eius familia nasci voluit mundi Saluatorem, & magnam partem regum & principum, qui Dei populum gubernatuot, quorum aliqui fortitudine, pietate, sapientia, diuitiis, principes omnium peoè ætatum antecessere. Cuius tribus omnium numerosissima semper fuit. Nam in primo cap. Numeror. à viginti annis & suprà inuenti sunt de Iuda in deserto qui poterant ad bella procedere septuaginta quatuor millia & sexcenti. Russum Numer. 26. subducta summa est septuaginta sex millium & quingentorum, qui omnes intra quadraginta annos in deserto nati fuerant, vno Caleb excepto. 2. autem Regum ad quingenta millia bellatorum numerus excreuit, inserta duntaxat in eo numero tribu Beniamin.

(v. 26. — v. 22. — c. 24. 9.)

III. *Regiæ virtutes Iudæ; fortitudo.*

QVONIAM ergo Iudas diuina prouidentia, regiæ tribus progenitor, ac parens fuit, regiis eum virtutibus Dominus commendabilem reddidit. Fortitudine in primis; quod apertè Scriptura testatur. *Porrò Iudas*, inquit, *erat fortissimus inter fratres suos*, & vt regiam eam esse virtutem ostenderet, illico subdit, *De stirpe eius principes generati sunt*. Eius fortitudinis causa, *Catulum Leonis*, eum appellat Iacob, generosissimum scilicet, ac formidolosissimum; ideo fortitudinem eius prædicat, ac prædicit, quæ eum reddat formidabilem inimicis. *Manus tua*, inquit, *in ceruicibus inimicorum*. Et, *Ad prædam, fili mi, ascendisti; requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Emicuit & fortitudo, eùm præ omnibus fratribus *propius* ad Ægypti Proregem accessit, & *confidenter* coram eo, pro causa penè deplorata perorauit.

(1. Par. 5. 2. — Gen. 49. — c. 44. 18.)

IV. *Prudentia. Populi in eum amor. Et Dei fauor.*

REQVIRITVR in Principe prudentia rerum gerendarum, quæ proculdubio in illius causæ defensione non vulgaris, neque indiserta cernitur; quodque ex omnibus filiis à patre electus est, qui aduentum suum Iosepho nunciaret. Requiritur populorum amor & veneratio. *Iuda*, inquit pater, *te laudabunt fratres tui, & adorabunt te filij patris tui*. Requiritur diuinus in eum fauor, qui illum in principem eligat, atque tueatur. *Non deficiet*, ait Iacob, *sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius*, &c. Et Moses, *Audi Domine vocem Iudæ, & ad populum suum introduc eum, manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius* (id est Protector) *contra aduersarios eius erit*. Requiritur iustitiæ zelus criminum vindex, in cuius iudicium produci iubet nurum Thamarem vt comburatur.

Iustitiæ zelus.

(Gen. 49. — Deut. 33.)

Addamus & illud ex testamento Patriarcharum, quod ad illius animi demis- *Animi demissio.*
sionem, virtutem in plebe modicam, in regibus & principibus verè regiam, demonstrandam valet, prohibuisse illum ne in pretiosa veste sepeliretur: neque exenteraretur; quod pertinet ad conditionem, Ægyptiorum dynastis frequentatam, qualis multa cum magnificentia Iacobo & Iosepho impensa fuerat, denique vt reduceretur in Hebron.

REGEM vehementer commendat amor in subditos, & eximia cura eorum, V. *Amor & cura subditorum.*
qui fidei ipsius à Deo commissi sunt. Id egregiè probat tota eius pro Beniamino apud Iosephum oratio; & illa in primis. *Ego propriè seruus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens, nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore.* Qui locus vnà & pietatis in patrem, & charitatis in Beniaminum fratrem non leue suggerit argumentum. At quæ est ista, inquies, Iudæ in fratrem charitas, cùm ab ipso profectum constet consilium de Iosepho vendendo Ismaëlitis. Verùm, si rem ipsam dispiciamus attentius, facilè intelligemus Iudam, non simpli- *Consilium venditionis excusatur.*
citer & absolutè venditionis authorem fuisse, illámue suasisse. Id tantùm affirmauit, & verè ille quidem, melius esse venundari Iosephum in spem futurorum incertam; quàm in cisterna dira fame, frigore, illuuie cruciatum certò necari. Huiusmodi enim mors longè peior est ac crudelior, quamuis dura, atque aspera seruitute. Ergo cùm seruitutem suasit paratis occidere, minus malum suasit ad auertendum maius; illud autem malum comparatione huius habet rationem boni. Qua de re vide etiam quæ suprà diximus, de oblatis à Loto filiabus, ad hospites à contumelia liberandos.

c.4. NEC tamen in animo est, eius cum Thamare negotium excusare, quod Moses VI. *In Iuda improbata, & Iudæorum dedecus.*
tam accuratè descripsit, & ipsemet accusat in testamento suo, & Deus ipse scribi voluit (quamuis id Iosephus silentio suo in obliuionem, aut ignorantiam adduci
L8 c.38. voluerit) ad obstruenda ora Iudæorum, & superbiam retundandam magno supercilio iactantium Patriarchas suos. *Ecce*, inquit Rupertus, *os illorum obstruit alienigena Thamar, & adulterinus Iudæ concubitus, vnde duces suos, principes suos, reges suos, Prophetas suos, & seipsos emanasse, si dissimulare velint palam coarguantur. Omnis gloria gentis, cuncta nobilitas populi huius, ex hoc adulterio profluxit.* Hæc Rupertus, quem le-
l.9 c 28 29. 30 ge pluribus accommodantem benedictionem Iudæ Christo Domino. Quod pri-
n 53. & seq. dem fecerant multi sancti patres, quos suggerit Lipomanus in Catena, & Del Rio in caput 49. Genes. Pererius in idem caput n. 54. & deinceps.

Vixit Iudas cum	Isaac,	annis	33.	cum	Leui,	annis	120.	cum	Ioseph, 110.
	Iacob,		60.		Dan,		119.		Beniam. 99.
	Ruben,		122.		Nephthali,		118.		cum reliquis,
	Simeon,		121.		Aser,		117.		vt in indice anni huius.

ANNVS MVNDI 2405. DILVVII 749. TERTIÆ ÆTAT. 367. RVBEN 123. LEVI 121. DAN 120. NEPHTHALI ET GAD 119. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 118. BENIAM. 100. MANASS. 86. EPHRAIM 85. PROM. 292. CAATH 88. AMRAM 20. IOBI 78. MORÆ IN ÆGYP. 77. MAMYTHI REGIS 20. IMP. AISYR. 474.

ANTE CHRISTVM 1648.

Iob. 5. & seqq. ADEST aliquando tempus prioris Iobi resurrectionis, quando decurso fe- I. *Extrema Iobi certamina.*
rè septennali calamitatum non curriculo, sed longissimo difficillimóque spatio, cum Dauide canere potuit. *Deus quis similis tibi? quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas, & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum*

reduxisti me. Multiplicasti magnificentiam tuam, & conuersus consolatus es me. Verùm gloriosa hæc epinicia, postrema pars certaminis diuturni, postremúsque Tragœdiæ actus antecessit, priore huius anni parte; posteriore autem victoria secuta est.

II. *Confirmatur tempus septenny.* QVOD ad temporis diuturnitatem, & tentationis septennem periodum attinet, iam suprà diximus, quæ nos ad hanc sententiam adducerent. Quibus addi potest voluisse Dominum Satanæ os penitus obstruere, ne is posset aliquid super temporis breuitate cauillari. (ann mundi 2397. n. 18.) *Voluit Dominus vt ne impudentis quidem vllius obiectionis vmbram aliquam haberet, quam prætenderet*, ait D. Chrysostom. Epist. 3. ad Olympiadem. Quantacúnque enim vexatio maximam capit ex propinquo exitu consolationem; quæ si in multos differatur annos, expectationem medio sæpè in cursu frangit, vt peculiaris virtus longanimitatis ad huiusmodi molestiam superandã requiratur; quæ patientiam vehementer illustrat. (D. Tho. 2. 2 q 136. ar. 5) Cũ ergo Dominus absolutissimæ patientiæ exemplar mortalibus in hoc famulo suo exhibere statuisset, æquum fuit vt eius fortitudo hac lõgitudinis animi gloria non careret. Ita nimirum sanctissimũ senem Tobiam quadriennio cæcitatis probauit. (c. 14. 3.) Ita innocentissimum iuuenem Iosephum tribus annis carceris, & decem seruitutis exercuit. (c. 11. 13.) Huc septem anni sterilitatis Rachelis, 20. Rebeccæ, & Saræ amplius 60. pertinent; (Gen. 17. & 41.) huc octo & viginti anni martyrij Clementis Episcopi Ancyrani, & socij eius Agathangeli, (Niceph. l. 7. c. 24.) aliorúmque multorum, quorum exempla sacræ & Ecclesiasticæ historiæ (Surius t. 1. Ianu. 23.) suppeditant.

III. *Effertur in sterquilinium vt detestandum cadauer.* SEPTIMVS igitur peragebatur annus, quo Iob in asperrimæ tentationis fornace, tanquam vas auri solidum, probabatur; & dum alij ex aliis morbi nascebantur, ita gloriosum & inuictum Athletam exercebant, vt illum vnum non frangerent, cæteris, etiam in alieno corpore, intolerabiles viderentur: ita pestilentissimus vlcerum fœtor naribus, ita diurni nocturníque planctus auribus, ita multiplex vermium scaturigo, & sanies vndique defluens, omniáque contaminans, horribilis spectatorum oculis videbatur. Ergo de exportando foras in sterquilinium cadauere deliberatur, eóque, vt apparet, non inuito statuitur; effertur, sandapilariis, contagionis metu vultum auertentibus, in fimo deponitur, omnibus eum tanquam ominosum, ac *δυσάντητον* spectum abominantibus; vbi ille ebullientem vndique cum vermibus putredinem testa radebat. *Cur*, inquit Chrysostomus, in Catena in Iob, *nec manibus, nec digitis saniem abstergebat? scilicet ne curatio esset stomachosior. Ipse sui ipsius tortor erat, & carnifex, non latus perfodiens, sed tanquam è fonte manantem tabem abscindens, lutóque inanimi animatum lutum radebat. Sed cur in sterquilinio sedebat, vt quæ è corpore decidebant, arena aceruo contegerentur. Cur sub dio? ne odoris grauitate necaretur; quod profectò accidisset, si in aliquod cubiculum fuisset inclusus. Adde quod à tentante aduersario nec fuerat illi domus relicta.* Alludit Chrysostom. ad illud Iobi verbum, quod est apud Septuag. *Liquefacio glebas terræ sanie.* & citatur ab ipso Chrysostom. Epist. 3. ad Olympiadem. habetúrque c. 7. vbi enim legimus, *Induta est caro mea putredine, & sordibus pulueris cutis mea aruit, & contracta est.* Septuag. habent, *Conspergitur corpus meum in putredine vermium, infundo autem glebas terræ à sanie radens.*

IV. *Vbi ab vxore impia obiurgatione vexatur.* ID dedecus ac probrum inhumanæ crudelitatis ne diuturnum foret, diabolicũ vxor remedium excogitat, si se ipse, post vltricem in Deum blasphemiã interimat. sic nimirum tam diuturnis malis remediũ inuentum iri. Huc quidem à principio spectabat Sathan, sed viri virtutem reueritus, metuénsque pro victoria confusionem, septem annorum tormenta quasi dispositiones præmisit, quibus contrucidatus ac discerptus, vltimum húc impetum, quasi ab vxore commiserante profectũ, ferre non posset. Verùm Iob, qui nullam hactenus in acerbissimis doloribus ediderat vocem, audita muliere, quæ, tanquam vnguis in vlcere, crudelius in virum suũ quouis cacodæmone sæuiebat, vultu ad seueritatem composito. *Quasi vna*, inquit, *de stultis mulieribus locuta es, si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus.* Ita & Anna insultauit Tobiæ, quam ille cum diuinæ iustitiæ commemoratione, à se dimisit Tob. c 2. fi. & 3. init. Cæterùm non priùs sceleratum mulieris consilium Iobo suggestum fuisse, quam ille sub dio, ab hominum cœtu exclusus, iaceret in stercore, (c 2 8.) tum ex ordine narrationis intelligitur, in editione vulgata, tum ex ipsa

mulieris oratione, quæ pleniot legitut in Græcis hoc modo. *Quousque sustinebis dicens, Ecce expecto tempus adhuc pusillum, præstolans spei salutis meæ. Ecce enim deleta est memoria tui è terra, filij & filiæ, vteri mei dolores & labores, quos frustra sustinui cum gemitibus. Tu autem ipse in putredine vermium sedes, pernoctans sub dio. Et ego oberrans quædam, & ancilla de loco ad locum circumiens, & de domo ad domum expectans Solem quando occidat, vt requiescam à laboribus, & doloribus, qui me vrgent. Dic verbum contra Deum, & morere.*

Ex quibus intelligitur morborum diuturnitate consumpta fuisse, quæ Sathan reliqua fecerat, adeò vt cogeretur vxor eius & famulari, & corrogare stipem, vt mariti necessitati succurreret. Testis locuples Basilius in Catena. *Ipsa*, inquit, *quæ eram Regina, vt vaga nunc ancilla seruio, seruorúmque meorum manus cogor respicere; & quæ olim multos benignè alebam, viuere nunc cogor de alieno.* Testis & Chrysost. ibid. *Ad alienas*, inquit, *ianuas ventito; nec stipem modo cogo, verùm etiam oberro, ac nouam insitatámque seruio seruitutem, omnia circumcursans, ac notas circumferens calamitates, cunctísque mala mea ostentans, dum locum loco commuto, & cibi quotidiani causa fores pulso, quæ tantos sumptus faciundi ante nacta eram facultatem.* Hæc ibi, quæ ab Olympiodoro confirmantur. V. *Iobi mendicitas, & quæ tum vxoris vita.*

in eius Catena.

HIC erat Iobi rerum status, qui mortales omnes in extasim agebat, atque immensum stuporem, quique sermonibus omnium longè, latéque circumferebatur, videri hominem, in Ausitide, aut hominis potius spectrum in sterquilinio, spectrum hominis quondam beati, omniúmque bonorum copia circumfluentis; nunc in tantam deuoluti miseriam, vt vix quisquam de ea oculis ipse suis credere posset. Quæ cùm ad amicos Iobi, rumore nuncio, perlata essent, *condixerunt ipsi inter se, vt pariter venientes quisque de loco suo visitarent eum, & consolarentur.* Non enim ante hunc vltimum tentationis actum ad Iobum venerunt. Inuenerunt quippe eum extra oppidum in sterquilinio ad extremum vsque spiritum, cum morbis atque impurissimo spiritu luctantem, vt ex textus serie patet, passimque interpretes omnes consentiunt, & Pineda nominatim ait in vltimum totius tragœdiæ tempus amicorum aduentum cecidisse. Et perspicuum est amicorum cum Iobo disputationes, cum Dei quasi præsidis ac summi iudicis sententia definitas, & mox ἀποκατάστασει, ac fortunæ Iobi commutatione terminatas. Tradunt autem Hebræi eos peculiari miraculo excitatos ad inuisendum Iobum. quòd refert Galatinus. *Et perceperunt*, inquit Chaldæus Iobi interpres, *tres socij Iob omnia mala, quæ euenerãt ei. Vbi scilicet viderunt arbores, quæ erant in hortis eorum, aruisse, viderúntq; panem, quo sustentabantur, versum in carnem viuentem, & vinum quod bibebant conuersum in sanguinẽ, & recesserunt vnusquisque de loco suo, & huius res meritò liberati sunt à descensu ad locum, qui deputatus erat eis in inferno.* Cæterùm non desunt qui putent nõ solùm à muliere, instigante diabolo, certamen Iobo præparatum, sed etiam ab amicis. Seuerus sanè in Catena. *Reliqua*, inquit, *erat Iobo consolatio, amicorum aduentus, verùm hoc etiam diabolus est ad tentationem abusus.* VI. *Amicorũ aduentus.*

Iob. c. 2. 11. vide supra in anno Iobi 70. c. 18. c. 2. v. 11. c. 1.

l. 10. c. 8.

ADVENIVNT itaque amici Iob, vt in aduersis veræ amicitiæ officia persoluerent. Cúmque ad vrbis mœnia propinquarent, hominem in sterquilinio sedentem conspicati, non agnoscunt; accedunt propius, deformatum totum, & pristina oris dignitate turpissimo vlcere, morbóque obliterata, vix Iobum esse credunt, cœlum suspiciunt, Dei occultam, & humanis sensibus imperuiam prouidentiam venerantur. Rursum conuersis in Iobum oculis, cum ingenti clamore & eiulatu lachrymas edunt, vestibúsque discissis, puluerem capitibus aspergunt, & eum tanquam mortuum lugent, quem ipsis quoque mortuis miserabiliorem vident. Humi se quoque abiiciunt, atque sedenti in terra, & in tanta calamitate iacenti assident septem diebus, totidémque noctibus: non nisi breuissimo tempore ad necessaria vitæ munera conficienda digressi, ad multam vsque noctem sessitantes, summo diluculo iterum reuertentes, vt explicat Olympiodorus. additque exemplum Iacobi Patriarchæ, qui cùm ait se diei æstu adustum fuisse, ac noctis glacie obriguisse, non propterea vult intelligi nunquam se tectum subiisse, nullámve, toto illo tempore, quietis partem cepisse. Ergo & amici Iob, modico tempore necessario somno, cibóque concesso, ad funereum spectaculum reuertebantur. VII. *Conspectus vtrimus, atque congressus.*

Ex Pineda paraph. in c. 2. & Olympiodoro, ac Polychron. in Catena.

cap. 2. 13.

Gen. 31. 40.

VIII. *Cum septiduo silentio.* N E M O porrò *loquebatur ei verbum, quoniam*, vt notauit Chrysostomus, *illo silentio declararunt, iis qui sunt in ægritudine, tanta præsertim, nullam principio aptiorem medicinam esse, quàm quietem & silentium; nam reipsa morbi calamitas vincebat omne verborum solatium*. Sic ipse. Ergo cùm nullam ingentibus ærumnis parem verbis consolationem afferre se posse cognoscerent, nemo verbum vllum facere aggressus est, nam postmodum Iob primus aperit os suum, ad deplorandam calamitatem suam, cuius orationem amici vicissim exceperunt, contenti nunc eius miseriis angi, & condolescere, &, vt par est credere, veste obtegere, ac cibo aliquo recreare, vt decebat viros vera erga pauperem, & afflictum amicum amicitia præditos, & insuper sapientia, pietatéque præstantes, qua de re consule Pinedam, & Olympiodori Catenam. (in Catena. cap. 5.)

IX. *Inde Iobi cum amicis disputationes.* S E P T E M ipsis diebus in tristi silentio euolutis, Iob ad suas, humanique generis deplorandas miserias aggreditur; quas amici eius non diuinæ probationi, sed eius anteactæ vitæ peccatis attribuunt, quòd improbum atque impium videatur existimare Deum insontem aliquem supplicio afficere. *Maximè verò lacerabat eum*, inquit Chrysostomus in Catena, *non vis sanè malorum, sed quia tanquam in hominem impium, & exlegem, tanquam in Dei hostem, & qui virtutem antea esset ementitus, calamitas illa incidisse videretur.* Quibus resistens Iob vitæ suæ innocentiā pertexere cogitur, docetéque non malè cum Dei sapientia & bonitate congruere, quòd innocentem ærumnis exerceat, improborum supplicia differat, nec in eos semper in hac vita animaduertat. (c. 2. v 11 n. 2. & ante init. c. 4. n. 2. p. 131. edit. Venetæ.)

X. *Quas Deus voce dirimit.* Q V Æ cum prolixa oratione, pluribúsque certaminibus disputata fuissent, Deus, finem contentionibus impositurus, adest cum manifestis præsentiæ suæ argumentis. Nam repentè excitatur tempestas ac procella quæ Eliu, qui vltimus copiosè pro Dei causa dixerat, compescuit, tres amicos abiecit, Iobum perterrefecit, omnibus silentium imposuit, omnes ad audiendum excitauit. Deinde remissu fragore, strepitúque procellæ, in nube quæ Iobi vertici videretur imminere, quasi solium Dominus erexit, ex quo vox edita est, quæ omnibus astantibus audiretur.

XI. *Et Iobum erudit.* I N ea oratione diuinam circa res humanas prouidentiam, ex rebus naturæ mirabilibus Iobo, atque eius amicis exponit, quorum consideratione Iob, atque admiratione defixus, imperitiam verborum suorum agnoscit, & summissius confitetur; quòd pleráq; valde obscura de rebus sublimioribus & diuinis pronunciarit, quod mentem suam sine amicorum offendiculo exprimere non potuerit, eísque sinistrè aliquid cogitandi de diuina prouidentia, & consilio occasionem præbuerit, denique insipienter locutus sit, & quæ vltra modum excederent sciētiam eius. *Idcirco*, inquit, *ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere*, cúmque mox à Domino Iobi amici reprehendantur, Eliu tamen, qui ambitiosius Domini causam egisse videbatur, non est reprehensus.

XII. *Iobi victoria, & restitutio in integrū.* C V M ergo post diuturnam tot annorum patientiam, & verborum cum amicis contentionem Iob dignus habitus esset, qui Deum videret, audirétque, & ab eo rerum suarum, suæque afflictionis arcanum edoceretur, cœpit non solùm animo vehementius, sed etiam corpore paulatim recreari. Nam quamprimum Sathan turpissimè victus abscessit, qui halitu pestifero illatos à se morbos, doloresque sustentabat, móxque eos Dominus propitia iussione difflauit, & corpus sanitati restituit. Quin etiam cùm eius palàm iustitiam commendasset, & Iobi amicis, eius precibus & sacrificiis veniam dedisset, constans huius rei fama vniuersam Hussitanam prouinciam latè peruagata, acciuit cognatos, amicos, subditos, quos dudum Iobi calamitates excusserant, Deo interius illos permouente; qui ad debitæ cognationis, amicitiæ, subiectionis officia redeunt. In regias illum ædes reducunt, conuiuium celebrant, eúmque consolantur super omni malo quod ei Dominus intulerat: Ac certatim muneribus eius inopiam leuant, & dignitatem ornant; quæ Deus mirum in modum celeriter multiplicauit: adeò vt breui ei fuerint quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille asinæ; geminato scilicet numero priorum bonorum. (cap. 42. 5. & Pineda ibid.)

XIII. *Vxor an diuersa.* S V S C E P I T deinde liberos plurimos, ex eadémne, an diuersa vxore? Olympiodoro visum est ex eadem. Ait enim eam audita mariti obiurgatione conquie- (in Catena, p. 189. in c. 2. v. fin.)

oisse, monitísque obremperantem nihil præterea repugnasse. *Vt facilè credam*, inquit, *eandem consequentium bonorum consortem Iobo extitisse, ad officij religionem reuocatam.* Dubitat autem Seuerus sub finem libri huius, vbi Septuaginta referunr Iobum accepisse vxorem Arabissam. *Forsitan*, inquit, *nec consentaneum, nec rectum erat, vt ea bonorum esset particeps, qua certaminum tempore virum despexisset, atque è summo constantia ac patientia vertice, præcipitem agere Athletam conata esset.* Quòd valde verisimile visum est Pinedæ, priore siue mortua, siue propter aliquam infidelitatis & blasphemiæ causam meritò repudiara, accitâque in eius locum, quæ pietate ac corporis dignitate insignis, illi à Deo destinata esset regni consors, & pulchræ sobolis procreatrix.

(in eadem p. 541. — c. 42. v. 15. n. 3.)

VERVM probabilior visa est nobis Olympiodori sententia; (quæ proculdubio est S. Luciani martyris, apud existimatum Origen. in vtroque opere in Iob, vt XIV. *An potius eadem.*
1. qui piè mulieris verba interpretabatur.) Siue quia neque de morte, neque de repudio, quòd nondum fortasse in hominum irrepserat mores, quidquam Scriptura significat. Siue quia cùm mulieris culpa linguæ fuerit, quæ in eo sexu admodũ
2. lubrica esse solet, & seuera à viro patientissimo obiurgatione castigata, non videtur vlterius in animaduertendo processisse. Siue quia qui amicis ignouit, à qui-
3. bus diuturna fuerat verborum contentione vexatus, eísque Deum sacrificiis placauit, non videtur iram aduersus mulierem retinere voluisse, quæ ab illo ad extremam vsque calamitatem non defeiuit, eíque tam molestum, atque asperum famulatum septem ipsos annos exhibuit. & quondam Regina, in eius obsequium & sustentationem, ancillam agere, & stipem cogere non dubitauit. Nam si ad
suprà v. 5. omnes vxorum stultas querelas, improbásque voces diuortia inducantur, infinitum sit negotiũ, vixque vlla reperiatur domus, quæ ab hoc morbo sit immunis.
Tob. 2. Num bonus Tobias vxorem Annam eadem penè cum isthac muliere peccantem,
Gen. 30. 2. & insipienter indignantem repudiauit? Num Rachelem Iacobus Patriarcha? Neque si Vasthi diuina prouidentia repudiata est, vt illi Hester in salutem Hebraici populi subrogaretur, ideò & Iobus suam dimiserit, vt iuuenculam aliquam octogenarius acciperet, quæ eum faceret pulchra prole parentẽ, vt audiret Do-
Malach. 2. 14. 15. minum obiurgantem, & testificantem *inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quàm tu despexisti*, inquit, *& hæc particeps tua* (in prosperis & aduersis) *& vxor fœderis tui. Custodite ergo spiritum vestrum, & vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.* At grauiter peccarat; grauiter obiurgata fuerat, & Iob nónne à Deo & à seipso circa locutionem reprehensus est. Rectè vtique illud is, qui plurima improbè;

Si quoties peccant homines sua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit.

Denique non videtur Iobus ipse, aut Moses, qui nouos liberos exposuit, nouam vxorem silentio pressurus.

Ex eadem ergo vxore, & animo, & corpore peculiari Dei beneficio reflore- XV.
scente suscepit septem egregios filios, trésque insigni pulchritudine filias; nec *Prolereiusdem posterior.*
geminati sunt, vt ij quos inuidia Diaboli extinxerat, non periisse, vt cætera, sed
in Catena. adhuc viuere apud Dominum intelligerentur, quod notauit D. Basilius, & Au-
epist. 180. gustinus. vtque iis gemina hæreditas constitueretur, pro ea quæ ante tentatio-
ad Honoratũ, c. 10 nem filiis parata fuerat. Sed nos iam virum sanctissimum atque probatissimum,
& alij apud Comitolũ, maximis animi deliciis in secura præteritorum malorum recordatione perfruen-
& Pinedã. tem; corporis item, externísque bonis, cùm lectissima sobole abundantem ad centum & quadraginta ipsos, quibus superuixit annos, dimittamus, quando illi, Deo bene propitio, meritissimo in Ausitide parentandum erit. Interea in Ægyptum reuertamur, vbi in alterius Patriarchæ fuous incurremus.

ANNVS MVNDI 2406. DILVVII 750. TERTIÆ ÆTATIS 368. RVBEN 124. ET VLT. LEVI 122. DAN 121. NEPHTHALI ET GAD 120. ASER, ISSACHAR ET ZABVLON 119. BENIAMIN 101. MANASSE 87. EPHRAIM 86. PROM. 293. CAATH 89. AMRAM 21. IOBI 79. MORÆ IN ÆGYPTO 78. MAMYTHI 21. IMPERII ASSYRIORVM 475.

ANTE CHRISTVM 5647.

I. *Obitus Ruben, & ætas.*

Hvnc annum Hebræi chronologi morte Rubeni primogeniti Iacob insignem faciunt, quos sequitur de more Genebrardus, etiam cùm aiunt mortuum secundo anno post Iosephũ, quòd non obscuram habet contradictionem, vt suprà dicebamus. (an.m.2400 o.2. tom 5. Biblioth. Patrum.) Author testamenti Patriarcharum ait mortuum 125. anno vitæ. Vtri potius scriptori fides habenda est? Priori opinor, qui chronologum agit, sed non ea res tanti est. Vixit cum auo annis 36. cum patre 63. cum Simeone fratre 120. cum Leui 122. cum Iuda 119. cum Dan 121. cum Iosepho 110. cum reliquis prout habes in indice; cum filiis autem quandiu vixerit, sciri non potest, quoniam tempus ortus eorum proditum non est.

II. *Eius commendatio.*

Hic est Ruben, qui, sicut Ioseph ille ab Arimathæa, cuius laus est in Euangelio, non consenserat consilio & actibus fratrum suorum in cæde, aut venditione Ioseph. Quin potius in illa ipsa fratrum coniuratione enituit eius in Iosephum charitas, & in parentem fides, cùm nitebatur eum liberare de manibus eorum; & specie demittendi eum in cisternam, cupiebat ereptum reddere patri suo. Hinc ille cum scissis vestibus eiulatus: *Puer non comparet, & ego quo ibo?* (Gen. 37. & 42.) Enituit & paterna, vtpote primogeniti in fratres omnes beneuolentia, quando pro Beniamino, in quo communis totius familiæ vertebatur salus, filios suos in mortem oppignerare non dubitauit. *Duos*, ait, *filios meos interfice, si non reduxero illum tibi.* (Gen.42. 20) Hic est Ruben, qui primus vltricem Dei manum in fratres suos agnoscens dicebat. *Nunquid non dixi vobis, nolite peccare in puerum, & non audistis me? en sanguis eius exquiritur.*

III. *Et culpa, pœnáque.*

Qvod autem Rabini, facinus Rubeni, quod pater tam perspicuè, támque seuerè damnauit, excusare moliuntur, suo more insulsi sunt, si non vident se, dum filio patrocinantur, in parentem accusatores insurgere; qui tam rigidus, támque iniustus atque impotens animi fuerit, vt nihil, aut leuiter peccantem non solùm peracerba moriens oratione castigauit, sed primogenituræ etiam dignitate fructúque priuauit, vt suprà quoque dicebamus. Certè ipse se in testamento Patriarcharum, (in obitu Iudæ, n.1.) si qua libro fides, eam ob causam vehementer accusat. Idque non sine mysterio factum. Amisit enim primogenituræ dignitatem, iura, vtilitatem, eiúsq; solùm retinuit nomen, in figuram prioris quondam populi Dei, Israëlitici, cuius (1.Paral.5. Gen.49 3. Exod 6 14.) speciosum nomen, sed nomen duntaxat, populi, & hæreditatis Dei, & in Scripturis passim extat, & in eorum ore versatur, sed res ipsa in populum Christianum transfusa est, illo cum pseudomessia fornicante.

IV. *Sepultura.*

Dicitvr autem in prædicto libro Testamenti, à morte in theca repositus, donec eum referrent ex Ægypto filij eius, & sepelirent in Hebrõ in spelunca duplici cum patribus suis. Quòd Iosephus apertè confirmat. (l.2.ant.c.4) Nam lib. 2. cap. 4. extremo. cùm de Iosephi ageret sepultura. *Reliqui etiam fratres*, inquit, *vita fœliciter exacta in Aegypto sunt mortui, quorum corpora filij & nepotes in Hebronẽ relata sepeliuerunt.* Hoc ergo quasi in singulorum funere dictum intelligatur. quando autem id factũ fuerit proditum non est, crediderim factum ante initium seruitutis, & quidem sine apparatu, ne quid Ægyptij suspicarentur. (a. m 24.) Verùm hac de re iterum infra dicemus aliquid.

ANNUS MUNDI 2409. DILUVII 753. TERTIÆ ÆTATIS 371. LEVI 125. DAN 124. NEPHTHALI ET GAD 123. ASER, ET ZABULON 122. ISSACHAR 122. ET VLT. BENIAMINI 104. MANASSE 90. EPHRAIM 89. PROMISS. 296. CAATH 92. AMRAM 24. IOBI 82. MORÆ IN ÆGYPTO 81. MAMYTHI 24. IMP. ASSYRIORUM 478.

ANTE CHRISTUM 1644.

TERMINAT hic annus Issacharis vitam, iisdem quos iam sæpius nominaui Hebræis authoribus, quibus accedit autor Testamenti Patriarcharum. Eius ortus Genes. 30. memoratur, vbi quintus Liæ filius ponitur, & quidem à Deo precibus exoratus: vita & mores in obscuro sunt, præter ea quæ in eodem testamento referuntur, vbi pluribus eius simplicitas, pietásque commendantur: in quibus hæc. *Si quid laborabam*, inquit, *omnem fructum, & omne primum germen, primum per Sacerdotem Domino offerebam, deinde patri meo. Itaque Dominus duplicauit bona in manibus meis, sicut & Iacob. quoniam Deus cooperabatur simplicitati meæ. Omni pauperi atque ærumnoso tribuebam terræ bona in simplicitate cordis, quoniam intelligebam id Domino acceptissimum esse.* Et infrà: *Centum & viginti duorum annorum sum ego, nec cognoui me peccato mortifero contaminatum. Præter vxorem meam non cognoui aliam, nec fornicatus sum in elatione oculorum, vinum in ebrietate non bibi; omne desiderabile proximi non desiderans, nec dolosum aliquid corde machinatus sum, nec verbo mentitus. Omni homini contristato congemui, & pauperem panis mei participem feci.* Hæc ferè, & id genus alia ibidem leguntur, vtrum autem verè omnia, aliorum esto iudicium. In fame ac penuria etiam non optimæ fruges victui cedunt.

(Margin: In Seder-Olà-zuta, v. 18. — I. Obitus Issachari. — Eius vita & mores.)

QUOD ad mortem attinet: Inducitur ibidem Issachar eadem penè, quæ Caleb de se dicere, quod ad corporis valetudinem, atque incolumitatem attinet, sub illud ipsum tempus quo defunctus est. Additur & mandatum filiis impositum, de transferendo suo corpore in Hebron, vt illic cum patribus in spelunca duplici sepeliretur. Vixit cum Isaaco auo suo annis 31. cum patre 58. cum fratre primogenito 119. cum Simeone 116. cum Leui 122. cum Iuda 117. cum Dan 122. totidem cum Nephthali & Gad, Aser & Zabulon. cum Iosepho 110. cum Beniamino 104. reliquos huic Patriarchæ coæuos, index anni huius indicabit.

(Margin: Iosue 14. 11 — II. Eiusdem ætas, coæui.)

ANNUS MUNDI 2411. DILUVII 755. TERTIÆ ÆTATIS 373. LEVI 127. DAN 126. NEPHTHALI ET GAD 125. ASER 124. ZABULON 124. ET VLTIMUS. BENIAMINI 106. MANASSE 92. EPHRAIM 91. PROM. 298. CAATH 94. AMRAM 26. IOBI 84. MORÆ IN ÆGYPTO 83. MAMYTHI 26. IMP. ASSYRIORUM 480.

ANTE CHRISTUM 1642.

NIHIL ferè habemus hisce annis præter funera Patriarcharum; hoc enim anno Zabulon, sextus Liæ filius moritur, annos natus 124. vt est in chronico Hebræorum; qui vt proximè Issacharem nascendo secutus fuerat, ita proximè secutus est moriendo. Corrigendum est

(Margin: I. Obitus Zabulon, & ratio temporis.)

tamen id chronicon, in eo quod ait, Zabulon biennio post Iosephum obiisse. Cùm enim vno tantùm anno maior fuerit Iosepho, vt ex iis constat, quæ in eorum ortu diximus, oportuisset cum anno vitæ suæ 113. desiisse viuere, non 1[illegible]4. vt iidem Hebræi volunt. Corrigendus quoque author Testamenti Patriarcharum, cùm ait Zabulonem obiisse anno vitæ suæ 114. & tamen dicit mortuum annis 32. à morte Iosephi; quòd si verum esset, cùm Zabulon vno tantùm vt diximus anno Iosepho maior fuerit, oportuisset eum non 114. vel 124. sed 131. annum vixisse. Legendum itaque puto, duobus annis à morte Ioseph, non 32. vt cum chronico Hebræorum consentiat. Vtrumque tamen in illo biennio corrigendum, cùm vtriusque mors duodecim minimum annos habeat interiectos. *an.m.2285. in schol. cap. 6.* *vide an. 2400. n. 3.*

II. *Morte eius.* COMMENDAT in eo liber Patriarcharum affectum commiserationis, & misericordiæ in pauperes & afflictos, maximè erga fratrem suum Ioseph, cùm videret fratres volentes eum interficere, aut potius de interficiendo deliberare: quanquam cùm eum proiecerunt in cisternam, vt ibi periret, vtique voluerunt eum interficere. Ibi autem hæc inter alia leguntur. *Fleuit autem Ioseph, & ego cum ipso, & intremuit cor meum, & iunctura corporis mei expauerunt, & non potui stare. Et videns me flentem cum eo, & illos superuenientes ad occidendum* (rectius ad spoliandum) *eum, refugit retro me, deprecans eos.* Et infrà: *Neque in peccato Ioseph, fili, ego consensi, sed Simeon & Gad, & alij sex fratres nostri accipientes pretium Ioseph emerunt calceamenta sibi ipsis, & vxoribus suis, dicentes. Non comedamus illud, quia pretium sanguinis fratris nostri est; sed conculcatione conculcemus illud, pro eo quod dixit se regnaturum super nos, & videbimus quid portendant somnia eius. Verùm cùm venissent in Aegyptum, soluta sunt eis calceamenta à pueris Ioseph ante portam, & ita adorauerunt Ioseph.* Hæc ibi. Addit etiam Zabulon se scaphæ ad piscandum inuentorem fuisse, eáque arte plurimis benefecisse, quæ ego lectori examinanda offero, mihi sanè parum sapiunt.

III. *Aetas & coeui.* QVOD autem ait eum à morte in theca reconditum, & translatum in Hebron, ex Iosepho etiam fidem habet. Vixit ergo Zabulon 124. annis, de quibus cum auo egit 31. cum patre 58. cum Ruben 119. cum Simeone 116. cum Leui 124. cum Iuda 117. cum Dan 124. sicut & cum Nephthali, Gad, & Aser, cum Issachar 122. cum Beniamino 106. denique cum reliquis proceribus tandiu vixit, quandiu in anni huius indice vixisse, vides annotatum. *l.a. ant. c. 4. fin.*

ANNVS MVNDI 2412. DILVVII 756. TERTIÆ

ÆTATIS 374. LEVI 128. DAN 127. ET VLT. NEPHTHALI ET GAD 126. ASER 125. BENIAMINI 107. MANASSE 93. EPHRAIM 92. PROMISS. 299. CAATH 95. AMRAM 27. IOBI 85. MORÆ IN ÆGYPTO 84. MAMYTHI 27. IMPERII ASSYRIORVM 481.

ANTE CHRISTVM 1641.

I. *Aetas & obitus Dan.* DEFVNCTI sunt omnes filij Liæ, excepto Leui. Annum autem mortis Dinæ nusquam proditum reperi. Sequuntur deinceps filij concubinarum. Chorum ducit Dan filius Balæ, qui annum 127. habuit vltimũ, vt habetur in chronico Hebræorum, non 126. vt vitiosè scriptum est in chronologia Genebr. neque 125. vt habet author Testamenti Patriarcharum, plus enim fidei videtur tribuendum illi chronico, quòd ex instituto tempora notat, superuixit autem Iosepho annis ferè quatuordecim.

Fuit hic, sicut & reliqui, qui matre ingenua caruerunt, vt ortu, sic & vita obscuriores. At in posteris nonnulli illustres, vt suprà diximus. Sansom maximè. Fuit autem omnium numerosissima tribus, secundùm tribum Iuda, vt quæ in prima recensione Num. 1. numerauit bellatorum sexaginta duo millia septingentos. *an. Iacob 151. n. 37. v. 38.*

In altero verò censu Numerorum 26. sexaginta quatuor millia quadringentos, omnes intra 40. circiter annos natos, in Apocalypsi Danitæ, ex certo mysterio omittuntur; eo quod Antichristus, vt plerique autumant, ex ea tribus nasciturus sit. Quæ tamen iampridem confusæ, ne à Iudæorum quidem scientissimis, & originum suarum curiosissimis distingui possunt. Ex quo enim decem tribus à rege Assyriorum in captiuitatem, perpetuámque abductæ sunt seruiturem, nunquam tributim distincti, sed consortim permixti habitarunt. Inde est quod Tobias cum familia sua habitauit in Niniue; Gabelus autem, qui erat ei contribulis in Rages ciuitate Medorum, Tob. 1. (cap. 7.)

Vixit autem Dan cum Isaac auo suo annis 33. cum Iacob 60. cum Ruben fratre primogenito 121. cum Simeone 118. cum Leui 127. cum Iuda 119. cum Nephthali & Gad 126. cum Aser 125. cum Issachar 122. cum Zabulon 124. cum Beniamino 107. cæteros ex indice anni huius pete. In testamento Patriarcharum dicitur sepultus in Hebron, sicut & cæteri. *Eius coæui.*

ANNVS MVNDI 2413. DILVVII 757. TERTIÆ ÆTATIS 375. LEVI 129. NEPHTHALI ET GAD 127. ASER 126. ET VLTIMVS. BENIAMINI 108. MANASSE 94. EPHRAIM 93. PROMISSIONIS 300. CAATH 96. AMRAM 28. IOBI 86. MORÆ IN ÆGYPTO 85. MAMYTHI 28. IMPERII ASSYRIORVM 482.

ANTE CHRISTVM 1640.

Trecentesimus hic annus ab euocato ex terra Chaldæorum Abrahamo, præclarè confirmat tertiæ ætatis annos, qui reipsa sunt anni ab ortu Abrahæ, qui euocatus est cum promissione nouæ regionis, anno vitæ suæ 75. Est autem hic idem annus ab eiusdem morte ducentesimus, qui fuit etiam Aser Patriarchæ vltimus, in quo pariter corrigendus est textus Genebrardi in chronologia sua; discedit enim à prototypo. Liber tamen Patriarcharum ei tantùm 120. annos attribuit. nec quidquam habet quod inopem his temporibus historiam locupletare possit. Et ipse in Hebron delatus est ad sepulturam, cùm vixisset cum auo annos triginta & vnum, cum patre 58. cum Ruben 119. cum Simeone 116. cum Leui 126. cum Iuda 117. cum Dan 125. cum Nephthali & Gad 126. cum Issachar 122. cum Zabulon 124. cum Beniamino 108. cum cæteris, vt in indice huius anni scriptum vides. *Aser Obitus.* (cap. 10.) *Coæui eius.*

ANNVS MVNDI 2415. DILVVII 759. TERTIÆ ÆTATIS 377. LEVI 131. NEPHTHALI ET GAD 129. BENIAMINI 110. MANASSE 96. EPHRAIM 95. PROM. 302. CAATH 98. AMRAM 30. IOBI 88. MORÆ IN ÆGYPTO 87. MAMYTHI REGIS 30. ET VLT. IMPER. ASSYRIORVM 484.

ANTE CHRISTVM 1638.

Et hic annus, & insuper aliquot alij sequentes funeribus recensendis destinati sunt. Mamythi duodecimi Assyriorum regis trigesimus, idem etiam *Obitus Mamythi.*

est ipsius vitæ vltimus in chronico Eusebij, & Africani tertia dynastia, quam edidit Scaliger, qui pleráque hoc loco de Callithyia prima Iunonis apud Argos *Callithya.* sacerdote colligit, vt eam vocat Eusebius, ea tamen priorem fuisse Io meritò censet. Verùm immeritò illud, quòd asserit omnes libros tam scriptos quàm editos facere hanc Callithyiam Perantis non filiam, sed filium. Iam enim ediderat Piranti filiam Pontacus, idque ex multis manu scriptis didicerat, vt ex eius notis constat, & nostri Frontonis Ducæi in Clementem Alexandrinum, quæ dudum editæ fuerant. *p. 774.*

ANNVS MVNDI 2416. DILVVII 760. TERTIÆ ÆTATIS 378. LEVI 132. NEPHTHALI ET GAD 130. BENIAMINI 111. ET VLT. MANASSE 97. EPHRAIM 96. PROMISS. 305. CAATH 99. AMRAM 31. IOBI 89. MORÆ IN ÆGYPTO 88. MACHALÆI REGIS 13. PRIMVS. IMPERII ASSYRIORVM 485.

ANTE CHRISTVM 1637.

I. *Machalæus.* Hic Assyriorum Rex à Belo decimus tertius Machalæus passim in optimis quibúsque libris appellatur, vt studiosè docet Pontacus in notis in Eusebium suis. In Græco tamen Eusebio, & in tertia Africani dynastia vocatur Aschalius. Et hic octo ei tantùm & viginti regni annos tribuit, Eusebius autem quem sequimur triginta. cui cõsentiunt Cassiodorus, aliique recentiores.

II. *Beniamini ætas.* Est autem hic annus Beniamini vltimus, vt est in Seder-Olam zuta, *Beniamin*, ait, *centum & vndecim vixit, ita vt moreretur circiter viginti sex annis ante Leui.* Quid ergo? num Leui sex & viginti anni vitæ adhuc supersunt? imò quinque duntaxat. Dicendum itaque fuit, nisi vehementer omninò fallor, eum 26. annis minus vixisse quàm Leui: & fortasse interpretis id vitium fuit, quòd in suam quoque chronologiam fideliter transtulit Genebrardus. *chron min* 137 / 26 / 111 *cap. 2.*

Verùm in libro Testamenti Patriarcharum habetur Beniaminum vixisse centum viginti annis, & natum centesimo patris; sicut Isaac centesimo anno Abrahæ. Verùm neutrum probandum est. Ea siquidem ætas protenditur quatuor annis vltra mortem Leui, quem communis opinio vltimum de fratribus obiisse credit. Multò etiam certiùs est eum centesimo octauo patris anno natum, vt ex omnibus ante dictis facilè constat. Mendum ergo agnoscendum est in illis 120. annis, qui initio capitis illius habentur; præsertim cùm in fine eiusdem legatur vixisse 125. annis: & iamdudum constituerimus stare assertioni Hebræorũ, ac probabili eorum traditioni.

III. *Allegoria Beniamini nominis.* Moritvr ergo hoc anno Beniamin minimus natu filiorum Iacob. Filius dexteræ patri; Racheli autem matri filius doloris, imò & patri, cùm de eo in Ægyptum deducendo tanta contentione disputatum est: quin & fratribus quoque, cùm falsi criminis conuictus, exposcebatur ad seruitutem. Deliciæ patris, quia ex dilecta Rachele, in locum dilecti Iosephi substitutus est. Mœror autem, & mors genitricis, & Synagogæ quam mater illa repræsentabat, quæ tunc mortua est, quando Christum, & eius Apostolos emisit ex se. quo referas licet illud Apostoli, *Si amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ assumptio, nisi vita ex mortuis?* Vnde & Rachel egrediente anima præ dolore vocat filium suum Benoni, quòd interpretatur filius doloris mei. *Doluit enim, id est inuidit*, ait Rupertus, *& dolenda forte unde mortua est, quòd ex ipsa vita assumpta sit. Pater autem vocauit filium illum Beniamin, id est filium dexteræ, quia profectò ille est filius Apostolorum chorus, quem consedere fecit cum Christo ad dexteram suam in cœlestibus.* Hæc ille. Quid quod natus est in itinere iuxta Bethleem, *Rom. 11. 15 cũ Ruperto l. 8. c. 25. l. 8. c. 25. Ephes. 2. 6 2.*

2. num obscura figura fuit natiuitatis Christi?

I. BENIAMIN post multas omnium Patriarcharum preces, in Ægyptum denique mittitur, ad liberandum Simeonem, qui in carcere detinebatur, ad propulsandum crimen, quod in omnes intendebatur, ad cibariorum copiam in fame obtinendam. Quo abeunte. *Ego*, inquit pater, *quasi orbatus absque liberis ero.* Res loquitur ipsa per sese; quis enim non recordatur illas omnium Patriarcharum, & Prophetarum preces, *Rorate cœli desuper*; *vtinam disrumperes cælos*; *Obsecro domine mitte quem missurus es*; *Salutare tuum expectabo Domine*, & alia id genus passim obuia. Missus ergo est in mundi huius Ægyptum ad liberandos patres, qui in limbo, carcere subterraneo detinebantur; ad commune mundi peccatum tollendum, proclamante Ioanne, *Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccatum mundi*: Ad nutriendas suorum animas, vero pane, qui de cœlo descendit, doctrina scilicet, & carne sua. Quo descendente de cœlo, cùm esset vnigenitus, dicere potuit pater, IV. *Figura Christi. In descensu in Ægyptum & mittendi causis.*

Ioan. 1. 29. *Ego quasi orbatus absque liberis ero*, neuter enim verè orbatus fuit.

4. HIC est ille Beniamin innocens simul & reus, sed verè innocens, & ad speciem externam reus; super quem plorauerunt omnes fratres sui; & is maximè, cui ille erat omnium coniunctissimus, atque charissimus; quique propter scelus fratrum suorum afflixit eum; cum perillustri domini Saluatoris figura; qui cùm sanctus esset, innocens, atque impollutus, impositis in ipsum fratrum suorum peccatis, factus est reus; super quem non solùm discipuli, quos fratres suos appellare dignatus est, sed Angeli etiam pacis, quo modo nos id capere possumus, amare fleuerunt, atque ille maximè, qui illi erat coniunctissimus, atque charissimus, Pater æternus, qui *propter scelus*, inquit, *populi mei per-* V. *Et afflictione sibi tolerata.* Gen. 43. 30.

Esa. 53. *cussi eum.*

5. BENIAMINO quinque partes in conuiuio, præ cæteris fratribus, à Iosepho datæ sunt, & rursum quinque stolæ optimæ, cum trecentis argenteis, cùm cæteris binas tantùm stolas dedisset. In argumentum abundantiæ gratiarum omnium, ac plenitudinis Christi præ consortibus suis. *In quo sunt omnes thesauri sapientia, ac scientia Dei.* Iste formosus in stola sua; quique habet vnde nos induat, dicente Apostolo, *Induimini Dominum Iesum Christum.* Et, *Quicunque baptizati estis Christum induistis*, nam & Beniamin, *vespere diuidit spolia.* Accedit & multitudo filiorum, cum quibus dicitur in Ægyptum descendisse, qua cæteros omnes Patriarchas superauit. In signum multitudinis Christianorum præ filiis Patriarcharum, VI. *Et multitudine gratiarum.* Gen. 43. 34. c. 45. 22. Esa. 63. Rom. 13. 14. Gal. 3. 27.

Esa. 54. 1. *Quia multi filij deserta magis, quàm eius qua habet virum.*

6. MORTVVS dicitur ab authore Testamenti Patriarch. in senectute bona, & positus in theca, & nonaginta vno annis ante exitum filiorum Israël, clam translatus cum cæteris Patriarchis, & conditus in Hebron. Ergo translatus fuerit vndecim annis ante ortum Mosis, id est 37. ab hinc annis. Vixit cum Isaaco auo annis 13. cum patre annis 40. cum Ruben annis 101. cum Simeone 98. cum Leui 111. cum Iuda 99. cum Dan 107. cum Nephthali & Gad 111. cum Aser 108. cum Issachar annis 104. cum Zabulon 106. cum Manasse & cæteris, vt habes in indice anni huius. Addamus & Epitaphium alteri filio Rachelis. VII. *Eius mors, & ceant.* c. 23.

EPITAPHIVM BENIAMINI.

HIC SITVS EST BENIAMIN, IACOBI PATRIS DELITIÆ, IDEMQVE BENONI, RACHELIS GENITRICIS MOEROR AC FVNVS. HIC ILLE TOT PRECIBVS, VOTISQVE POSTVLATVS IN FRATRVM SVORVM SALVTEM. ILLE MEDIATOR PACIS ET RECONCILIATIONIS PROREGEM INTER ATQVE PATRIARCHAS. ILLE MAIOR IN DONIS, COPIOSIOR IN FILIIS. ILLE INNOCENS PRO ALIENO SCELERE CRIMINOSVS. ILLE DENIQVE QVI CLARISSIME REDEMPTOREM MVNDI REPRÆSENTAVIT. NATVS EST IN ITINERE IVXTA BETHLEEM, ANNO PATRIS CVIII. MORTVVS IN ÆGYPTO CXI. VIII. *Epitaphiũ Beniamini.*

SVO, MVNDI CIƆ CIƆ CCCC XVI. HVC TRANSLATVS QVIESCIT, DONEC POST ANNOS CIƆ DC LXX. HONORET PRÆSENTIA SVA TRIVMPHVM DOMINI SVI.

ANNVS MVNDI 2418. DILVVII 762. TERTIÆ ÆTATIS 389. LEVI 134. NEPHTHALI ET GAD 132. ET VLT. MANASS. 99. EPHRAIM 98. PROM. 305. CAATH 101. AMRAM 33. IOBI 91. MORÆ IN ÆGYPTO 90. MACHALÆI 3. IMP. ASSYR. 487.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1635.

I. *Obitus Nephthalim.* SCRIBVNT Hebræi in maiori suo Chronico non fuisse qui minus diu vixerit inter omnes fratres, Iacobi Patriarchæ filios Iosepho: neque vllum qui diutius vixerit ipso Leui. Oportet igitur intra hos paucos annos, qui supersunt vitæ Leui, Nephthali & Gad abiisse è viuis. Eorum vitæ periodum omisit referre id Chronicum, quod cæterorum protulit, nec in aliis Hebræorum monimentis id reperit Genebrardus. Reperitur tamen in eo quod toties retulimus testamento Patriarcharum. Et primùm de (c. 8 & 9.) Nephtali hæc habentur. *Transcriptum testamenti Nephthalim, de iis quæ disposuit in tempore finis sui, in anno 132. vitæ suæ, conuenientibus filiis suis, septimo mense, quarto die mensis ipso sano existente. Iussit apparari conuiuium magnificum,* &c. *Et post exhortationem factam filiis epulatus, operuit faciem suam, & mortuus est, ac translatus in Hebrón.* Hæc ibi.

II. *Obitus Gad.* QVOD ad Gad attinet in eodem libro dicitur mortuus anno centesimo vitæ, (cap. 9.) vt suprà monui. Verùm sic obiisset ante Iosephum, contra sæpius memoratam traditionem Hebraicam, cui nemo repugnat; itaque quoniam alibi eius obitum certo locare non possumus, hic eum cum Nephthali, cui ætate par ab exortu fuit, collocemus licet. Ambo fuerunt ex ancilla geniti, ille ex Bala Rachelis, hic ex Zelpha Liæ: quorum res gestæ perobscuræ, nisi quæ sparsim habentur in testamento prædicto, quæ attigimus suis locis, & nominatim vbi agitur de venditione Ioseph. Ibidem etiam habetur Gad quinque post mortem annis delatum fuisse in Hebron, vt ibi quiesceret cum patribus suis. (*Amborum ætas.*) (cap. 9.) Vixerunt ambo cum Isaac annis 32. cum Iacobo 59. cum Ruben 120. cum Simeone 117. cum Leui 132. cum Iuda 118. cum Dan 126. cum Aser 126. cum Issachar 122. cum Zabulon 124. cum Iosepho 110. cum Beniamino 111. cum Manasse 99. cum eius fratre 98. &c. prout habes in indice anni huius.

Atlas. Cæterùm ad hæc Machalæi tempora refert Eusebius Atlantem Promethei fratrem, astrologiæ quondam scientia clarissimum, *Qui ob eruditionem huius disciplinæ*, inquit, *etiam cælum sustinere affirmatus est. Euripides autem montem esse altissimum dicit* ὑψηλοφὲς, *qui Atlas vocetur, ex quo & mare Atlanticum nomen accepit.* Vide Augustinum de Ciuitat. (l. 18. c. 8.)

ANNVS MVNDI 2421. DILVVII 765. TERTIÆ ÆTATIS 383. LEVI 137. ET VLTIMVS. MANASSE 102. EPHRAIM 101. PROMISS. 308. CAATH 104. AMRAM 36. IOBI 94. MORÆ IN ÆGYPTO 93. MACHALÆI 6. IMPERII ASSYRIORVM 490.

ANTE CHRISTVM 1632.

Exod. 6. 16. LEVI qui tertius ex Lia Iacobo Patriarchæ natus est in Mesopotamia, ad hunc annum 137. viuendo peruenit. Id Scriptura testatur Exodi 6. cui famulatur assertio testamenti Patriarcharum, & Chronici Hebræorum; fuitque hic annus secundus & vigesimus à Iosephi morte, quem annis 27. viuendo prætergressus est. Vixit cum Isaaco annis 34. cum Iacob 61. cum Ruben 122. cum Simeone 119 cum Iuda 119. cum Dan 127. cum Nephthali & Gad 132. cum Aser 126. cum Issachar 122. cum Zabulon 114. cum Iosepho 110. cum Beniamin 111. cum Manasse, & Ephraim, cæterisque, prout habes in titulo anni huius. Ex q[illegible] etiam vides eum reliquisse iam grandes natu filios, ac nepotes. Abrahamum proauum non vidit, neque Moysem pronepotem. I. *Leui ætas & coæui.*

Gen. 49. SEVERA est parentis in eum benedictio, si tamen benedictio, incitati iustissimo grauissimi criminis odio, cuius ipse in primis particeps, ac patrator fuit, quod Genes. 34. refertur. Eiúsque familia postea nec loco certa, vt reliquæ, nec numero magna fuit. Nam cùm in reliquis, à 20. annis & suprà, reperta sint in deserto suprà 50. aut 60. hominum millia; de Leuitis ab vno mense & suprà, fuere tantùm viginti duo millia in priore censu; in posteriore viginti tria millia, quod vix quadranti aliarum tribuum, habita ratione ætatis, respondet. Num. 3. 39. Num. 26. 62. II. *Quæ eius vituperationem sermonant.*

CÆTERVM lætiora, mitioráque in ipsam Leui sobolem dixit Moses Deuteron. 33. Nec fortè mirum, Leuita ipse etiam fuit. Eum certè maximè honorauit Dominus, qui familiam eius singulariter assumpsit, ac sanctificauit sibi, & religioso Numinis cultui speciatim addixit, dicens, *Ego tuli Leuitas à filiis Israel, pro omni primogenito qui aperit vuluam in filiis Israel, eruntque Leuitæ mei.* Quod eodem loco crebro reperitur, mortisque pœna intentatur omnibus aliis, si quis ad sanctuarium fuerit ausus accedere. In hac ergo tribu omnes pontifices, summique sacerdotes orti sunt, qui multis seculis Iudæorum Rempub. administrarunt, omnium principe, ac ductore Aarone. De quibus ordine temporum dicendum erit. Ipsius porrò Leui gestæ res aliæ, præter cladem Sichimorum in obscuro mansere, multa de eius sacerdotio fabulis simillima refert autor testamenti Patriarcharum, quæ iam superius attigimus, nec referre pluribus operæpretium duximus. Additque saro functum in theca repositum, & postea translatum in Hebron, prout de omnibus Patriarchis dictum est. III. *Et qua Leuis.* Num. 3. 12. c. 20 38.

ANNVS MVNDI 2428. DILVVII 772. TERTIÆ ÆTAT. 390. MANASSE 109. EPHRAIM 108. EE VLT. PROM. 315. CAATH III. AMRAM 43. IOBI 101. MORÆ IN ÆGYPTO 100. MACHALÆI 13. IMPERII AISYRIORVM 497.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1625.

I. *Obitus Manasse & Ephraim.* CIRCA hunc annum centesimũ habitationis Israëlitarũ in Ægypto probabiliter putamus defunctos Ephraim & Manassen filios Ioseph, in dignitatem Patriarchatus ab auo Iacobo ascitos. Gen. 48. Quoniam satis constat eos mortuos antequam excitaretur in Hebræos persecutio, ad cuius initia, post aliquot annos, peruenturi sumus. Nec repugnat huic opinioni nostræ quod diximus ex Hebræis de Leui vltimo fratrum defuncto. Etsi enim hi Patriarchæ fuerunt, & principes tribuum, non fuerunt tamen filij Iacob, de quibus est illud pronuntiatum, sed nepotes. Præterquam quod hoc loco positi, non exæquant annos patrui sui Leui, qui non simpliciter omnium Patriarcharum diutissime vixisse dicitur, sed omnium fratrum.

II. *Eorum commendatio.* SIT ergo hic annus funeris duorum filiorum Iosephi, quos patris eximiæ sanctitati coniuncta summa dignitas, matrisque nobilitas, cæteris tribuum patribus aliquo modo præstantiores reddit: qui pastore ouium nati, pastoritiam vitam ad mortem transegere. Hi sunt qui ab Ægyptia muliere nobili, & ad veri Dei, vt suo loco dictum est, cognitionem traducta in lucem editi, populos gentium repræsentant, quos genuit verus Ioseph Christus Dominus, assumpta sibi sponsa Ecclesia ex media Ægypti gentilitate, & in diuinorum mysteriorum cognitionem vocata. Illud etiam in his fratribus duobus prædicandum videtur, quod cùm alter alteri auo benedicente prælatus esset, & quidem iunior seniori, quamuis patre ad querelam viam quodammodo præmonstrante; non excanduit tamen is, cui iniuria facta videri poterat, cùm annum ageret vigesimum sextum; vt olim Esaũ aduersum Iacob. Sed ambo, quod quidem sciatur, suauis fraternæ charitatis vinculo colligati perseuerarunt. Nimirum alter illorum reprobus erat, at isti paterna institutione sanctè educati, ad beatitudinem, fortasse in Iosephi gratiam diuinitus destinati erant. Vide quæ suprà diximus de Ephraim & Manasse cùm à Iacobo singulariter benedicerentur, & in descriptione tribuum, qui viri illustres ex vtráque tribu orti sunt.

Vixit Manasse cum	Iacob,	annis	26.	cum	Issachar,	annis	90.	Vixit Ephraim cũ iisdẽ omnibus, sed vno anno minus quàm Manasses.
	Ruben,		87.		Zabulon,		92.	
	Simeon,		84.		Ioseph,		80.	
	Leui,		102.		Beniamin,		97.	
	Iuda,		85.		Ephraim,		108.	
	Dan,		93.		Caath,		109.	
	Nephthali,		99.		Ioh,		101.	
	Gad,		99.		Amram,		43.	
	Aser,		94.					

ANNVS MVNDI 2435. DILVVII 779. TERTIÆ ÆTAT. 397. PROMISS. 322. CAATH 118. AMRAM 50. IOBI 108. MORÆ IN ÆGYPTO 107. MACHALÆI 20. IMPERII ASSYR. 504.

ANTE CHRISTVM 1618.

AEQVVM est hunc notare annum centesimum septimum peregrinationis filiorum Iacob, quasi metam lõgi curriculi circumflectendam, alacritate longè dispari, & quadrigis admodum diuersis. Fuit enim totum spatium annorum quindecim supra ducentos, vt fert communis Chronologorum sententia, Eusebio duce in Chronico, vbi de morte Iosephi agit. Sed decimus quintus est ille ipse annus, quo exierunt è stadio victores. Diuidit ergo hic annus Hebræorum in Ægypto commorationem; quæ quasi naturalis quidam dies ex luce & tenebris, die & nocte sibi succedente composita fuit. Sed, quæ Dei fuit indulgentia, dies diuturnior, nox contractior fuit. Etsi enim Iosephus, quasi diei huius Sol, non sibi, sed suis matutius occidit; non paucos tamen annos dubiæ lucis, quasi crepusculares horas, ab occasu suo Israëlitis in Ægypti reliquit. Nam præter annos 35. qui à Iosephi morte fluxerunt; quindecim insuper anni, vsque ad initium seruitutis, numerantur.

ANNVS MVNDI 2437. DILVVII 781. TERTIAE AETATIS 399. PROMISS. 324. CAATH 120. AMRAM 52. IOBI 110. MORÆ IN AEGYPTO 109. MACHALÆI 22. IMPERII ASSYRIORVM 506.

ANTE CHRISTI ORTVM 1616.

HOc tempore, qui erat annus à restitutione Iobi trigesimus secundus florebat idem liberis vtriúsque sexus, in quos Dominus, in gratiam patris, largam profuderat benedictionem, eosdem etiam maturè iunctos coniugio credere par est, quoniam moriens etiam quartam vidit generationem, vt habetur in fine libri eius. Voluit quippe Dominus eum diutissimè viuere, vt tanto diutius Satham, sua in illum inuidia vreret; & Iobus coronas patiendo acquisitas, piis actionibus florendo multiplicaret. I. *Iob floret.*

REFERT in hũc annum Torniellus mortem Caath, vt ante exortum noui regis, qui cœpit Israëlitas affligere, reperiatur abiisse è viuis; ideóque illius ortum retulit in vigesimum primum annum patris. At nos qui Epiphanium sequimur, à quo modicè abest autor Testamenti Patriarcharum, eius obitum ad decimum tertium ab hinc annum differimus. Nec Scriptura exigit vt Caath mortuus fuerit, vel illa cognatio quem memorat, ante exortum regis illius, sed antequam ille inciperet Israëlitas vexare; quod primo statim anno regni sui facere cœpisse, probari non potest idoneo quopiam testimonio, vel probabili argumento, cùm soleant reges, quantumuis sæui, non prius durius tractare subditos suos, quàm solida imperij iecerint fundamenta. Ac ne necesse quidem est Caath ante initium seruitutis extinctum, nam quod de omni illa cognatione dicitur, facilè accipi potest, vt vulgo solemus, de maxima parte, vt Gen. 6. 12. dicitur omnis caro corrupisse viam suam, excipiendus tamen erat Noë, qui ibidem dicitur vir iustus atque perfectus. *Non est qui faciat bonum*, inquit Dauid, *non est vsque ad vnum*. At saltem excipiendus erat Dauid, quem inuenerat Dominus secundum cor suum. *Videtis*, in- II. *Caath non obiit hoc tempore.*

Exod. 1.

Ioan. 11. 19.

quiebant Pharisæi ad semetipsos; *quia nihil profecimus, ecce mundus totus post eum abiit.* Non abierant tamen ipsimet Pharisæi, qui vtique de hoc mundo erant. Ergo pene tota illa cognatio, siue generatio, vt est in Hebræo[1], ipsis coæua Patriarchis, quæque in Ægyptum cum Iacobo descenderat, è viuis excesserat, eùm exorta est ab Ægyptio rege vexatio. 1. x.

III. *Quò accipienda cognatio mortuorum ante seruitutem.* MOYSES expositurus seruitutem Hebræorum in Ægypto, eam sic exorditur. *Quo mortuo*, Iosepho scilicet, *& vniuersis fratribus eius, omnique cognatione illa, filÿ Israël creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt; surrexit interea Rex nouus*, &c. Non dicit statim à morte illorum surrexisse, sed *interea* dum illi multiplicantur; Mosi præclarè consentit D. Stephanus, Act. 7. 17. *Creuit populus, & multiplicatus est in Aegypto, quoadúsque surrexit alius Rex in Aegypto, qui non sciebat Ioseph.* Cæterum cognationem illam interpretatur Abulensis, Pererius, Torniellus, Cornelius, filios fratrum Iosephi immediatos. Verùm cognatio idem est hoc loco cum generatione, vt patet ex Hebræo דור hador, & Græco γενεά, atque Chaldæa paraphrasi; & æquè refertur ad Israëlitas, atque Ægyptios, qui vixerant cum Iosepho, eúmque nouerant. Ideóque subdit Moses surrexisse nouum regem, qui ignorabat Ioseph. Et clarè Augustinus l. 18. de ciu. c. 7. ait Israëlitas trãquillè vixisse in Ægypto, donec morerentur, quibus Ioseph notus fuerat. Pleróque tamen, etiam de illis Septuaginta Hebræis, fuisse superstites minimè dubitauerim, cùm hic esset annus duntaxat 109. moræ in Ægypto, & tunc passim supra 120. annos viueretur.

IV. *Defenditur Epiph. & Pererius.* NON ergo ex his dictum sancti Epiphanij, asserentis Caath natum anno patris trigesimo quarto, tanquam Scripturæ manifestè repugnans, refellitur, vt vult Torniellus, sed ipsiusmet sacrum textum in suam sententiam trahentis; ex quo textu minimè colligi potest, aut regem Ægyptium initio statim regni sui Hebræos vexare cœpisse, aut ipsummet Caath, ante ipsius seruitutis exordium, è viuis abiisse. Sed nec Pererius decipitur in cap. sextum Exodi, vt idem affirmat. Non enim asserit Caath mortuum biennio tantum ante ortum Mosis, sed ex hypothesi rectè colligit, si Caath dicatur natus sub ingressum Israëlitarum in Ægyptum, cum minimum duobus annis ante natum Mosen abiisse. At si ponatur multo ante natus, puta 10. annis cum Epiphanio, reperietur mortuus quatuordecim annis ante Mosis natiuitatem. Sub fi. Ancorat. an. 2301. n. 2. — n. 16.

SCHOLIVM IN ANNVM MVNDI 2437.

N. II. I. דור. VOCEM hador D. Hieronymus in edit. vulgata passim vertit generationem, vix vnquam cognationem, & דור dor, ait Pagninus in thesauro, est generatio, & à peregrinando nomen habet, significátque vniuersè tempus, quo homo in hac vita peregrinatur (דור enim est peregrinari) vt Eccles. 1. *Generatio vadit, & generatio venit.* Eccles. 38. 12. *generatio mea ablata est à me*, verti potest, *peregrinatio mea*, vel tempus vitæ, quo peregrinor, recessit. Cognatio ergo hoc loco, siue generatio significat homines illius ætatis, prout interpretatur Oleaster, Lipomanus, Pagninus, Vatablus, Cornelius quoque, & Tigurina, quæ Hebraicum dor vertit seculum. Ætate autem illa viuebant homines circiter 130. annis.

ANNVS MVNDI 2438. DILVVII 782. TERTIAE ÆTATIS 400. PROMISS. 325. CAATH 121. AMRAM 53. IOBI 111. MORÆ IN ÆGYPTO 110. MACHALÆI 23. IMPERII ASSVR. 507. AMENOPHIS REGIS ÆGYPTI 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1615.

I. *Ratio temporis.* PONEMVS deinceps in Chronologia Ægyptiorum reges, vsque ad exitum Israëlitarum ex Ægypto, iuxta Eusebij Chronologiam. Id enim sæpe deinceps narrationi vsui erit. Nostrum porro annum tertiæ ætatis, quæ est ab ortu Abrahæ, & promissionis item annum, & regum Machalæi, & Amenophis, perspicuè confirmat Eusebius. qui etiam ad vnguem con- Exod. 1.

gruit cum nostro anno moræ in Ægypto, inchoando illam à centesimo trigesimo
anno Iacobi exacto.

Svscepit itaque hoc anno in Ægypto regni gubernacula Amenophis, siue II.
Amenoptes; quo regnante, (vnum autem supra triginta annos regnum tenuit, *Rex Aegypti, sub quo*
vt habet ex Manethone Africanus, & ex Africano Eusebius, nec dissentit Iose- *Israelita*
phus, qui in priore contra Apionem, ei triginta annos, ac menses decem attri- *seruire, &*
buit.) hoc ergo Amenophi regnante oportet Israëlitarum seruitutem initium ac- *Moses vi-*
cepisse, cùm ex eodem Eusebio constet sub hoc ipso rege natum Mosem, quem *uere cœpit.*
1. x. ex ipsa Scriptura perspicuum est in durissima Aegypti seruitute natum¹. Meritó-
L. 18. de ciu. c. 8. que in eo recentiores pene omnes consentiunt, & in antiquis S. Augustinus, qui
licet eum non nominet, coæuos tamen ipsi reges ponit, sub quibus in Eusebij
Chronico natus est Moses. Quo autem sui regni anno Hebræos vexare cœperit,
nemo, quod sciam, prodidit, vt impunè liceat huius initium mali, ad Caath fi-
nem differre; vt tanto semper verius sit dictum illud Mosis, vniuersos Iosephi fra-
l. 2. ant. c. 5. tres, omnémque illam cognationem, siue generationem, aut ætatem ante seruitu-
tem mortuam fuisse. Hic est ille Rex nouus, qui ignorabat Iosephum, quíque ini-
quioribus oculis cœpit Israëlitas intueri, & eorum fœlicitati non solùm inuide-
re, sed eam etiam formidare, & post aliquot annos atterere, atque vexare. Rex no-
uus non diuersæ cuiusdam familiæ, vt putauit Iosephus, repugnante Eusebio,
Africano, Manethone, qui hanc eandem Diospolitanorum dynastiam per quin-
decim, aut sedecim regum seriem producunt, quorum fere medius est hic Ame-
nophis; sed noui potius cuiusdam in Hebræos animi; qui que nouam suos subdi-
tos gubernandi rationem, & à dudum consueta diuersam inuexit. Sic eam vocem
vsurpauit orator, cùm diceret, *Tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos.*

pro Milo. l. 6. c. 3. Hic ille est Rex, quem quidam Memnonem putant lapidem loquentem, in- III.
quit Euseb. de quo par est nos aliquid dicere, ne fortè lapis vocalior nobis repe- *Memnon*
riatur. Scribit Philostratus, statuam esse Memnonis, qui regnarit apud Aethio- *lapis reso-*
pas, ad quinque generationum curricula; & in eius templo inueniri simulachrum *nans.*
è nigro lapide, ad ortum conuersum, referens imberbem adolescentem, cuius am-
bæ manus sedi sic innitantur, vt hominis surgere volentis similitudinem expri-
mant; vt Soli orienti assurgere velle videatur. Oculorum autem, & totius oris ima-
ginem esse quasi hominis locuturi; re autem ipsa loqui, cùm oriens Sol ipsum ra-
l. 27. diis suis attingeret. Suidas quoque oculos ait ad lumen Solis hilares apparuisse.
l. 35. c. 7. Eam statuam Pausanias in Atticis propter magnitudinem vocat colossum, sicut &
Strabo, nec vt Philostratus in Aethiopia, sed in Thebis Aegyptiis collocat, sicut
& Plinius, qui in dubio relinquit fueritne ea statua Memnonis. *Nam ipsimet Theba-*
ni, inquit Pausanias, *Memnonis esse negant, sed Phamenophis cuiusdam indigenæ, alij au-*
tem Sesostris.

Eam *Cambyses in sua in Aegyptum expeditione diffidit;* (quam Strabo dicat famam IV.
esse id terræ motu contigisse) *& nunc etiam superior pars à vertice ad medium truncum* *Qualis ea*
humi neglecta iacet: reliquum autem sedere videtur, ac quotidie sub ipsum solis ortum sonum *vox, aut*
edit, qualem vel cithara, vel lyra nerui, si fortè dum tenduntur, rumpantur. Hæc Pausan. *sonus.*
lo. cit. propterea eum sonum *crepitum* appellat Plinius; de quo Strabo quoque, *Creditum*
etiam est, inquit, *semel quotidie sonitum quendam veluti ictus haud magni edi, à parte qua*
in sede, ac basi remansit. Ipse, cum Aelio Gallo adessem, & cum reliqua multitudine amicorum,
ac militum, qui cum eo erant, circiter horam primam sonitum audiui, vtrum à basi, siue à colos-
so, an verò à circunstantium aliquo editus fuerit, non habeo affirmare: cùm propter incertitudi-
nem causæ, quiduis potius credere subeat, quàm ex lapidibus sic compositis sonum edi. Sic ipse.
Quem sonum dæmonis præstigiis tribuendum esse, facilè Christiani intelligimus,
cùm Iuuenalis dicat, *magicas chordas dimidio Memnone resonare.* Et viuebat Strabo
sub Christi Domini ætatem, (sub Tiberio quippe vixisse docet Lipsius) sub cu-
l. 4. annal. Taciti sub an. v. c. 778. ius aduentum obmutuisse eam statuam, autor est Hieronymus interpres Eusebij;
illa quippe verba, *Quippe cuius statua, vsque ad aduentum Christi, sole oriente vocem da-*
re dicebatur, Hieronymi sunt, non Eusebij, in cuius Græco textu non reperiuntur.
Sicut nec apud Africanum.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2438.

CHRONICVM Alexandrinum ad primum annum Mosis refert Palmanothem quendam regem, circa Heliopolim regnantem, qui quo anno natus est Moses, iusserit mares Hebræorum in flumen abiici. Scaliger ex tabulis Africani, siue Manethonis, quas ipsemet edidit, ait in eis duos Ægyptiorum reges prætermissos, Amersim, & Misphrim, quorum prior viginti duobus annis, posterior tredecim regnauerit, indéq; Moysem natũ colligit anno 23. Misphragmutosis. Verùm sine dubio fallitur. Nam à primo anno Amosis, siue Amasis, ad 17. Amenophthis, quo Eusebius vult natum Mosem, reperiuntur 133. anni; apud Africanum autem, vsque ad 25. Misphragmutosis, 122. duntaxat, posterior ergo reperitur Scaliger 11. annis, qui si addantur, natiuitas Mosis, incidet in Amenophim Eusebij. Neque verò duo reges omissi sunt ab Eusebio, vt ait idem Scaliger, numero Eusebiano 345. sed vnus tantùm, vt videre licet in proposita tabella, ex eius libro descripta, & ex Iosepho in priore libro contra Apionem. Vides anoorum numerum valde diuersum, non solùm in collectis, sed pene in singulis. quantum autem tribuendum sit fidei Manethoni, ex quo illum Catalogom exscripsit Iosephus, vel inde colligas, quod ait illos omnes tot annis regnasse, post expulsos ex Aegypto pastores, id est Hebræorum progenitores, vt ibid. Iosephus interpretatur; cùm id nonnisi sub octauo eorum rege contigerit.

Ægypti reges dynastiæ 18. Diospolitanorum.

l.1. cõtra Apionem ex Maneth. Scal l.2. canonum Isagogicorum p. 126.

Ex Africano regnauit.		Ex Iosepho	an.	mens.	Ex Eusebio.	
1 Amos annis	25.	Thethmosis	25.	4.	1 Amasis	25.
2 Chebros	13.	1 Chebron	13.		2 Chebron	13.
3 Amenophthis	24.	2 Amenophis	20.	7.	3 Amenophis	21.
4 Amersis	22.	4 Amesses soror præced.	21.	9.	4	
5 Misphris	13.	5 Mephres	12.	9.	5 Mephres	12.
6 Misphragmutosis	26.	6 Mephramootosis	25.	10.	6 Mispharm.	26.
7 Thuthmosis	9.	7 Thmosis	9.	8.	7 Thutemosis	9.
8 Amenophthis 2.	31.	8 Amenophis	30.	10.	8 Amenophis	31.
9 Otos	37.	9 Orus	36.	5.	9 Orus	38.
10 Acheires	32.	10 Acencheres filia præced.	12.	1.	10 Acenchersis	12.
11 Rathos	6.	11 Rathoris frat.	9.		11 Achoris	9.
12 Chebres	12.	12 Acencheres	12.	5.	12 Chencheres	16.
13 Acherres 2.	12.	13 Acencheres alter	12.	3.	13 Acherres	8.
14 Amerses	5.	14 Armais	4.	1.	14 Cherres	15.
15 Rhammeses	1.	15 Ramesses	1.	4.	15 Armeus	5.
16 Ammenoph	19.	16 Armesses miãmũ	66.	2.	16 Ramesses	68.
		17 Amenophis	19.	6.	17 Menophis	40.
	287.		333.	0		348.

In Græco textu tam africani, quàm Eusebij habetur, Οὗτος ὁ Μέμνων εἶναι νομιζόμενος, καὶ [illegible] λίθος. Hic Memnon esse creditur, & resonans lapis, siue loquens. apud Scal. ille p. 357. hic p. 82.

ANNVS MVNDI 2445. DILVVII 789. TERTIAE ÆTATIS 407. PROMISS. 332. CAATH, 128. AMRAM 60. IOBI 118. MORÆ IN ÆGYPTO 117. MACHALÆI 30. ET VLT. IMPERII ASSYR. 514. AMENOPHIS ÆGYPTII 8.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1615.

HOc anno Machalæus decimus tertius Assyriorum Rex vita fungitur, expletis circiter triginta regni annis, quos ei Eusebius attribuit in Chron. Etsi Africanus illi octo duntaxat & viginti assignet, eumque Aschalium appellet in Thesauro temporum, quæ vox etiam reperitur in Græco Euse-

Apud eundem p. 360. & l. 2. can. Iſag. p. 132. bij Chtonico. Sed vbique illi 30. annos conſtanter attribuit, cúmque paſſim omnes ſequuntur, in quibus Caſſiodorus.

ANNVS MVNDI 2446. DILVVII 790. TERTIAE ÆTATIS 408. PROMISS. 333. CAATH 129. AMRAM 61. IOBI 119. MORÆ IN ÆGYPTO 118. SPHÆRI DECIMI QVARTI REGIS 1. IMPERII ASSYRIORVM 515. AMENOPHIS ÆGYPTII 9.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1607.

NOVVM hunc Aſſyriorum regem à Nino decimum tertium, à Belo 14. Euſebius Iphereūm appellat, in vulgatis paſſim libris, vt videre eſt apud Pontacum, at in codice Græco vocatur Sphærus, & in pleriſque Manuſcriptis, etſi non ſine mendo literæ alicuius; præſertim in D. Au-
L. 18. c. 8. guſtino de ciuit. Dei, apud quem vocatur Sapheus metatheſi literæ vnius. At Sphærum habet Africanus, qui eum duos & viginti annos regnaſſe vult, Euſebius autem viginti duntaxat. Nimirum qui duos addiderat Machalæo, eos nunc Sphæro detraxit; ſicque æquantur anni.

ANNVS MVNDI 2450. DILVVII 794. TERTIAE AETATIS 412. PROMISS. 337. CAATH 133. ET VLT. AMRAM 65. IOBI 123. MORÆ IN AEGYPTO 122. SPHÆRI 3. IMPERII ASSYRIORVM 519. AMENOPHIS 13.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1603.

Exod. 6. v. 18. Et antigitat TEMINAT hic annus Iubilæum quadrageſimum nonum, ſimúlque periodum vitæ Caath aui Moſis, quam centum & triginta trium annorum fuiſſe ex capite ſexto Exodi conſtat: qui numerus conſtanter reperitur in Hebræis, Chaldæis, Græcis, & Latinis. Itáque habet etiam Demetrius apud Euſebium libro 9. de Præpar. c. vlt. Aliqui tamen Græci codices habent 130. vt Baſilienſis, & ſi qui alij, quos vidit Eugubinus, & notauit. Cæterum ad hunc vſque annum vitam Caathi produximus, ſecuti Epiphanium, vt ſupra diximus, anno eiuſdem 120. nihil veriti ne ſacris libris repugnaremus, aut Caathum in ſeruitutis annos conijceremus, vt ibidem accuratius explicauimus, defenſo Epiphanio; at ſeruitutis initium ſine vllo, quod ſciam incommodo, ad ſequentem annum diſtulimus. quo Torniellus genitum ſuſpicatur Aminadab vnum de progenitoribus Saluatoris.

ANNVS MVNDI 2451. DILVVII 795. 3. ÆTATIS 413. PROMISS. 338. AMRAM 66. IOBI 124. MORÆ IN ÆGYPTO 123.
1. χ. SPHÆRI 6. IMPERII ASSYR. 520. AMENOPHIS 14. SERVITVTIS 1.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1602.

Exod. 1. INCHOAMVS Iubilæum ab orbe condito quinquageſimum, populo Hebræorum luctuoſiſſimū; quādo mortuo Ioſepho, & vniuerſis fratribus eius, & omni cognatione illa, vehementérq; iā multiplicatis Iſraëlitis, ſurrexit 1. Initium ſeruitutis Iſraelitarum

Rex nouus, non ex noua familia, vti eius primo anno dictum est, sed [a] noui & maligni in Hebræos animi, qui se sub media eius regni tempora maximè prodidit. Rectè autem dicitur ignorasse Ioseph, id est memoriam acceptorum à Iosepho beneficiorum obliterasse; nec meminisse ipsius industria totam semel Ægyptum Regi acquisitam; deinceps autem in perpetuum quintam omnium prouentuum partem in regium ærarium transcribi. an. m. 2418. n. 2. 2. χ.

II. *Consilium tyrannicũ.* Nec cogitabat imprudens potentem & numerosum populum beneuolentia melius, quam acerbitate in officio contineri: nec tam sapienter, aut vtiliter tolli potestatem nocendi subditis, quàm voluntatem. Nam si Pater non conatur filios ad inopiam redigere, ne illi diuitiis ac potentia peruersè vtentes in patrem insurgant, sed filiis potius animosè thesaurizat, vt eum illi omnibus charitatis officiis prosequantur: quo iure Princeps audiet Populi & Reipub. pater, si malit filios suos vinculis paupertatis constringere, quàm charitatis? Potest Deus Opt. Max. hominibus, subditis vtique suis, eripere vires, sanitatem, opes, industriam, omnia denique instrumenta peccandi, sed ea nihilominus illis non solùm permittit, sed passim accumulat, & congerit: mauult enim vt nolint peccare, quàm vt non possint. Cur ergo Rex, qui Dei vices gerit in terris, malit cum isto Pharaone dicere, *Venite sapienter opprimamus eum*, imò inconsultissimè, atque iniustissimè, quàm diuinam imitari bonitatem? præsertim cùm nullum extaret argumentum, quo Israëlitarum multitudinem iure posset habere suspectam. Nam improbis alioqui hominibus, & in res nouas pronis, minimè dubium est sapienter tolli malè agendi potestatem, quibus vix vnquam voluntas deest.

III. *Causa servitutis, ex parte Iudæorum Venditio Iosephi & Idololatria.* Vsus est autem Dominus improba regis istius, & Aegyptiorum voluntate, ad Iudæorum peccata punienda, siue Iosephi venditionem, vt Hebræorum aliqui existimarunt, vt patet ex epistola Rabbi Samuëlis ad R. Isaac, siue idololatriam, qua non temerè æstimantur in Aegypto contaminati, in Aegyptiorum consuetudine & imitatione. Idque apertè affirmat Ezechiel cap. 23. vbi ait mulieres duas, Samariam scilicet & Hierusalem (id est populum, qui postea sub Roboamo filio Salomonis in duo regna distractus est) fornicatas in Aegypto in adolescentia sua. Fornicationem autem dici idololatriam notissimum est; & ita ibi explicat Prophetã Hieronymus, & ex eo Abulensis, & eo signo confirmat, quod mox in egressione tam seuerè eis prohibita fuerit idololatria. Sed vituli quoque adoratio luculentum est huius mali testimonium. Aegyptij quasi parentes idololatriæ, atque doctores, adorabant Apim, seu Serapim bouem: Israëlitæ, quasi filij & discipuli, adorauerunt vitulum. Et Hieroboam ex Aegypto reuersus, cùm regnum Salomonis diuisisset, vitulos etiam ipse conflauit, & constituit Israëlis deos. Huius quoque veritatis assertor est Iosue, dum populum moribundus alloquitur, *Auferte*, inquit, *Deos, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, & in Aegypto, & seruite Domino.* Rabbini denique ipsi fatentur Pseudoprophetas de filiis Ephraim & Galaad seduxisse populum in Aegypto, & ab auita religione abduxisse; vt plenius suo loco dicemus. Quæ certiora sunt, quàm vt coniecturis, quas in contrarium affert Peretius, fidem haberi sinant, aut pro Aegypto desertum durius interpretari. Vide Abulensem q. 7. in cap. 1. Exodi.

c. 6. & habetur in Bibl. Patrũ tom. 5.
c. 23. v. 3. 8. 21.
q. 7. in cap. 1 Exod.
3. Reg. 12.
c. 24. 14.
an. mundi 2108
Disp. 7.

IV. *Aliæ causæ ex parte Dei.* De aliis tamen causis ei facilè assentior, permisisse videlicet Deum Hebræos 1.
tam atroci ab Aegyptiis seruitute premi, vt tanto maiori odio impuros eorum 2.
mores, barbaráque superstitiones auersaretur; ardentiúsque ad promissam à Deo patribus suis regionem aspirarent, neque eos in Aegyptum redeundi vlla vnquam
cupido incesseret. Denique vt multiplex daretur occasio vero Hebræorum Deo 3.
maxima edendi prodigia, quibus & idolorũ vanitas proderetur, quæ cultores suos 4.
ab eis protegere non possent; & Aegyptiorum scelera, & obstinatio puniretur; &
diuina potentia ostenderetur. Et Israëlitarum populus diuinam erga se bonitatẽ 5.
expertus, summo eum amore prosequeretur. Sed hæc pertinent ad ipsum Deum, bona è malis singulari bonitate, sapientiáque elicientem. Ex dictis autem in-
telligitur ex parte Israëlitici populi quæ causæ fuerint seruitutis. Nimirum 1.
aut punitio sceleris paterni in filios, ad quartam vsque generationem vendicati, Gen. 15. 16 Exod. 20. 5.

qui iustè serui facti sunt, quòd filij essent eorum, qui iniustè innocentissimum Io-
2. sephum seruituti manciparant; aut propriæ idololatriæ animaduersio. Iustum
enim erat vt qui sponte seruirent idolis, seruituti idololatrarum subderentur in-
uiti, & qui pecudes colerent, vt pecudes tractarentur.

IAM verò in Ægyptiis tres causas Scriptura notat huius inferendæ seruitu- V.
1. tis, Metum, Inuidiam, Odium. Metuebant enim ne si fortè ingrueret contra se *Ex parte*
bellum, Israëlitæ, qui soli non auderent conflare exercitum, stare in acie, & *Ægyptio-*
contrà Ægyptios dominos arma conuertere, hostibus sese Ægyptiorum adiun- *rum Me-*
gerent, eisque expugnatis, & spoliatis egrederentur de terra Ægypti. Qui- *tus.*
Exod.1.10. l.1. Exod. c.4. bus verbis Scriptura significat, vt notauit Rupertus, fuisse ab Israëlitis frequen-
ti sermone vsurpatam suam ex Ægypto, authore Deo, migrationem: quam il-
li omni studio impedire moliebantur; ne iis priuarentur commodis, quæ ab He-
1 2 ant.c.5. bræis seruientibus colligebant, qui eis arces, & pyramides, & vrbes sine vlla
2. mercede ædificabant. Addit etiam Iosephus metuisse eos, cuiusdam Ægyptij
vatis prædictionem, qui Regi prænunciasset nasciturum per id tempus apud
Israëlitas quendam, qui res Ægyptiorum olim grauiter esset afflicturus; Israë-
litas contra euecturus, si modo ad adultam ætatem peruenisset. Eáque denun-
ciatione perterritum Regem, ex ipsius monitoris sententia edixisse, vt quid-
quid masculini sexus inter Israëlitas nasceretur, abiiceretur in flumen. Huc vi-
Ser. 89. detur respexisse Augustinus in quodam sermone de tempore. *Cùm enim*, ait,
passim paruulorum corpuscula deiicerentur in flumen, Moysen manus excepit humana,
quem pro totius vindictæ causa quærebant. Verùm non statim eo progressa est ista ve-
xatio.

VREBAT etiam Ægyptios Inuidia, & quidem gemina ex duplici obiecto. VI.
Nam Israëlitæ & numero plurimi erant; & corporibus, animísque ferè Ægy- *Inuidia*
ptiis præstabant. Quod ad numerum attinet, multiplicati sunt in Ægypto He- *gemina ex*
bræi pene in immensum. Vt enim in vbere solo, cœlóque propitio, omne fru- *ingenti*
gum, & animantium genus, ita in Principum beneuolentia, in bonorum abun- *multitudi-*
Exod.1.7. dantia, in benedictione diuina, *Filij Israel creuerunt, & quasi germinantes multipli-* *ne.*
cati sunt, ait Moses, *ac roborati nimis impleuerunt terram.* Nimirum sicut ex vno gra-
no quaternæ nonnunquam, quinæue spicæ, ex singulis spicis ad 60. vel 80. gra-
na funduntur; & in oleribus & floribus ex vno seminis grano multa millia pro-
creantur. Quidam loco, *Germinantes multiplicati sunt* verterunt, *vermium more sca-*
in Exod. c. 1.& 8. *turierunt.* Notárque Vatablus & Lipoman. vocem Hebræam שרץ sarath, propriè
Gen.1.20. de piscibus dici, qui fœtum edunt admodum multiplicem, atque numerosum.
Psal.104.30. Vtitur eodem verbo Moses in Genesi, vt alibi monuimus, & Dauid Psalmo 104.
Exod. 8. 6. *Edidit terra eorum ranas*, & quidem tanta copia, vt terram Ægypti operuisse di-
cantur.

AD eandem multitudinem declarandam pertinet illud, *Acroborati nimis*, in VII.
Hebræo, *valde valde*, in Chaldæo *vehementer nimis*; in Septuaginta, κατίσχυον σφό- *Quanta*
δρα σφόδρα. Illud autem χυδαῖοι ἐγένοντο, nolem vertere cum quibusdam, abun- *omnino*
dantes fuerunt, non enim satis abundantet, malim, effusi sunt, vt ad vocis originẽ *fuisse vi-*
alludatur; & additur ad hyperbolẽ, *& multiplicabat eos terra*, vt terra eos turmatim *deatur in*
v.45. profundere videretur. Id satis intelligi potest ex 1. Numerorum, vbi Moses, *exitu ex*
Fuerúntque, inquit, *omnis numerus filiorum Israel per domos & familias suas, à vigesi-* *Ægypto.*
mo anno & supra, qui poterant ad bella procedere sexcenta tria millia virorum quin-
Disp.1.in Exod. *genti, quinquaginta.* Et tamen, vt rectè notauit Pererius, extra hunc numerum
fuit vniuersa tribus Leui, quæ non est recensita cum reliquis; fuerunt item om-
nes infantes, pueri, & adolescentes vsque ad annum vigesimum: quorum in com-
paratione vlterioris ætatis, maxima est multitudo. Fuit præterea extra illum nu-
merum sexus muliebris, quem fuisse tunc numerosissimum oportet, quod sæpe
pluribus mulieribus vir vnus matrimonio iungeretur. Nec eo numero inclu-
si sunt senes inualidi, atque imbelles vtriúsque sexus; quorum ingentem fuisse
numerum dubitandum non est, cùm permulti centesimum annum supergrede-
rentur. Itaque nonnulli, vt idem Pererius ait, bene subducta ratione non temerè
concluserunt, vniuersam illam Hebrææ gentis multitudinẽ ad tricies centena ho-
minũ millia peruenisse: pro singulis videlicet bellatoribus, quinq; alios ponendo.

Idque probabilius est, quàm quod ex Hebræa traditione refert Genebrardus, in Chron.
egressa ex Ægypto duodecies centena hominum millia; sexcenta scilicet armatorum, & totidem mulierum, & paruulorum.

VIII. *Vnde tanta multitudo.*

TANTA autem multiplicatio, tum ipsi regioni Aegypti tribui potest, in qua 1.
Aristoteles ait non geminos solùm, sed ternos quaternósque in lucem edi, imò l. 7. de hist. animalium.
& pluribus euenisse vt quinos parerent. *Et quadam*, inquit, *quatuor partubus viginti* c. 4.
edidit, maiorque pars eorum nutriri, & adolescere potuit. Auget etiam Plinius, *Reperitur*, l. 7. c. 3.
inquit, *& in Peloponneso quinos quater enixa, maioremque partem ex omni eius vixisse partu. Et in Aegypto septenos vno vtero simul gigni author est Trogus.* Tribuenda etiam hæc 2.
multiplicatio Aegyptiaca diuinæ benignitati, quæ omnes ferè Hebræas mulieres ita fœcundas faceret, vt pleræque præmaturè parere inciperent, singulis annis parerent, singulísque partubus binos, ternos, quaternósque eniterentur, & tardè admodum effœtæ essent. Nec propterea fabulis illis assentior Hebraicis, quibus Phares, & Esron, & Lot, & Sara octauo vel 9. parentum anno nati finguntur, quod suis locis supra refutatum est.

IX. *Quandiu durarit multiplicatio.*

DVRAVIT autem ista multiplicatio toto illo tempore, quo in Aegypto commorati sunt, & non tantùm mortuo Iosepho, & Patriarchis, vt significare videtur
Moses in Exodo. Voluit enim tantùm Scriptura significare, etiam eo mortuo, il- c. 16.
láque tota cognatione, seu generatione creuisse. Nã antea creuisse, cũ eis omnia
fluebant ex voto, nihil mirum. Eóque merito referri potest quod sequitur, *Quan-* v. 12.
tóque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant. quod videtur etiam sensisse D. Stephanus, Act. 7. 17. Quanquam neque illa expositio repudianda est, communis enim est, quæ ait negare Mosem vexatos fuisse Israëlitas, nisi post mortem eorum, qui descenderant in Aegyptum, tunc enim exuberante, ac prodente se multitudine Hebræorum, metu atque inuidia motos Aegyptios, consilia de illis vexandis, atque atterendis suscepisse.

X. *1. Ob florentissimum Hebræorũ statum, & eius causæ.*

ALTERVM obiectum inuidiæ Aegyptiorum erat florentissimus Hebræo- 1.
rum status, etiam seclusa multitudine. Testis Iosephus, *Aegyptij*, ait, *gens delicata,* l. 2. ant. c. 5.
& ad laborem segnis, voluptatibus solùm, & captandis vndecúnque lucris dedita, malè volebat Hebræis, quod per inuidiam ferre æquo animo illorum fœlicitatem non poterat. Videntes enim genus Israelitarum florere, & opibus labore & industria quæsitis, abundare, non satis tuta sibi eorum incrementa existimauerunt. Verùm hac industria multo fuerat effica- 2.
cior peculiaris Dei in Hebræos benignitas, quæ largè effusa in omnia, quæ ad
eos pertinebant, copiosissimum illis incrementum dabat. Accesserat octoginta 3.
annorum Iosephi in ipsos munificentia, quæ non solùm omnium tributorum, atque onerum reddiderat immunes, sed etiam iuxta Pharaonis promissionem, dederat Hebræis omnia bona Aegypti, vt comederent ipsam medullam terræ.
Iosephi ergo, reliquorúmque Patriarcharum ætate altissimas fœlicitatis radi- Gen. 45. 18.
ces iecere, quæ iam mirabiliter efflorescebant. Vt non pagos modo in terra Gessen, sed vrbes etiam construxisse existimentur, vt ex Hebræis refert Genebrardus, siue vt tutius suas sibi res habere possent: siue quod illic fortasse perpetuas sibi sedes collocare statuissent; diuinorum mandatorum vel immemores, vel negligentes, vt fere contingere solet, cùm in hoc rerum humanarum pelago nauigantibus, fortunæ

Blandula compositas aura secundat aquas.

IX. *Et deteriorem suum.*

DOLEBANT ergo Aegyptij multis se rebus Israëlis cedere; Propterea-
que dicebant. *Ecce populus filiorum Israël multus & fortior nobis est.* Neque eis tantùm multitudinem & fœcunditatem inuidebant, sed animi quoque industriam, corporum robur & dignitatem, & externorum bonorum copiam. Nam Abulensis in c. 1. Exod.
illam fortitudinem tam ad singula refert corpora, quæ in Aegyptiis propter eorum incontinentiam, & præproperam libidinem, minora erant & infirmiora, & non solùm tetra & deformia. In Hebræis contra procera, plena, firma, pulchra, & ad omnem humanum vsum idonea: quam ad gentem vniuersam, quam inuidia
infirmiorem sibi fingebat; iuxta illud Poëtæ de Inuido, l. 1. de arte.

Vberior seges est alienis semper in agris,
Vicinúmque pecus grandius vber habet.

Sed de inuidia Aegyptiorum satis.

XII. *Aegyptiorum odium in Hebræos.*

apud Cic. in offic. — Exod 1.13. — Gen. 46. fi. — ann. 2319. n. 64 & seq. l. 9. c. 18. — Eccli. 13. 24. — l. 1. contra Apion. — Disp. 3 in Exod.

SVPEREST odium metui, atque inuidiæ cognatum. *Oderint*, inquiebat ille, *dum metuant*. Quod si odisse est alicui male velle, vt contra amor beneuolentia quædam est, certè qui inuidet alicui fœlicitatem, eam illi perire cupit, atque ita odit, quia malè vult. Odium memorat hoc loco Moses, *Oderántque filios Israel Aegyptij, & affligebant illudentes eis.* Sed antiquior etiam odij causa in Ægyptiis ex superioribus intelligitur, propter odiosam ipsorum vitæ conditionem. *Detestantur enim*, inquit Moses, *Aegyptij omnes pastores ouium.* Israëlitæ autem, eorúmque parentes viri pastores erant, ab infantia vsque ad senectutem. Qua de re vide quæ suprà diximus. Hic addo causas duas, alteram ex Ruperto, qui ait detestatos Ægyptios pastores ouium propter superbiam, quod cùm vehementer gauderent, & gloriarentur multitudine equorum & curruum, vt patet ex 14. Exodi, ideirco humile pastorum genus, tanquam ignominiosum despiciebant, ac detestabantur. *Abominatio enim enim est superbo humilitas.* Alteram ex Iosepho, quæ ex religionis dissimilitudine nascebatur. Quamuis aliqui Iudæi idololatriæ scelere pollerent sese, vti diximus, plerique tamen ab ea insania abhorrebant. *Ergo diuersitas sacrorum*, ait Iosephus, *multas inter eos fecit inimicitias, tanto præstantiore nostra pietate, quàm solennitates illorum, quantum Dei natura animantibus ratione carentibus sine dubitatione præstat. Communis namque apud illos ritus est, eiusmodi bruta arbitrari deos; vani ac fatui omnino homines*, &c. Itaque Ægyptij multos colebant deos, Hebræi vnum duntaxat agnoscebant, cæteros execrabantur omnes. Ægyptij adorabant animalia; Hebræi merito deridebant, & abominabantur. Denique Ægyptij nefas atque impium ducebant bouem, aut ouem, aut capram interimere, Hebræi hæc vulgo mactabant tum sacrificandi, tum vescendi causa, vt Pererius notauit.

XIII. *An à Deo excitatum. & quomodo.*

Ps. 104. 25. — Exod 1.

HVIVS odij testis est Propheta regius, & quidem ita, vt eius authorem facere videatur ipsum Deum. Cùm enim dixisset Dominum auxisse populum suum vehementer, & firmasse eum super inimicos eius, id est potentiorem fecisse hostibus suis, vtrique alludendo ad illud, *Populus filiorum Israel multus, ac fortior nobis est*, statim addidit, *Conuertit cor eorum vt odirent populum eius, & dolum facerent in seruos eius.* At respondet eleganter Augustinus, cuius verba non pigebit exscribere, ad obruendam tanta autoritate Caluini blasphemiam. *Nunquidnam intelligendum est, vel credendum quod Deus cor hominis ad facienda peccata conuertat? An peccatum non est, vel paruum peccatum est odisse populum Dei, & dolum facere in seruos eius? Quis hoc dixerit? Nunquid ergo istorum tam grauium peccatorum author est Deus, qui nullius vel leuissimi peccati author credendus est? Quis sapiens & intelliget hæc? Nam ipsa est illa mirabilis Dei bonitas, quæ bene vtitur etiam malis vel angelis, vel hominibus. Cùm enim ipsi vitio suo mali sint, ille de malo eorum bene facit. Non enim antequam odissent populum eius boni erant, sed maligni, & impij tales erant, qui facile incolis suis felicibus inuiderent. In eo quod populum suum multiplicauit, hoc beneficio suo malos ad inuidendum conuertit. Inuidia est enim odium felicitatis alienæ. Sic ergo conuertit cor eorum, vt per inuidentiam odissent populum eius, & dolum facerent in seruos eius, non itaque cor illorum malum faciendo, sed populo suo benefaciendo, cor illorum sponte malum conuertit ad odium. Non illos malos faciendo, sed istis bona, quibus mali facillimè possent inuidere, largiendo.* Hactenus Augustinus. Nimirum Deus vsus est iure suo, nec suis benefacere destitit, etsi videret Ægyptios inde occasionem peccandi sumpturos; & præbendo malis obiectum odij, dicitur cor eorum ad odium conuertisse, quoniam obiecta facultates huc illúcque mouent, atque conuertunt.

XIV. *Consilium Pharaonis de opprimendis Hebræis.*

Ps. 104. 25.

HIS ægrotabant animi morbis Ægyptij, cùm Rex conuocatis. *Venite*, inquit, *& sapienter opprimamus eum.* Quasi diceret, ne publica in eos clade sæuiamus, ne tumultum populis, nobis damnum creemus; sed quasi aliud agendo eos laboribus atteramus, vt simul & ipsi deprimantur, & nos inualescamus. Hanc sapientiam dolum vocat Dauid. Cùm ergo id consilium Regi, atque optimatibus placuisset, dissimulanter datum est initium seruituti, qua Hebræi in fortunæ bonis, & corporibus, & animis ipsis vexarentur. Cúmque tribus quasi gradibus seruitutis huius magnitudo succreuerit, primus tamen hic gradus, qui medios huius Regis annos occupauit, tam latè patuit, nihil vt à damno, & calamitate immune esset.

XV. *Quos ve-*

c. 1. 11.

QVOD enim ad copias attinet ac fortunas, tributorum magnitudine eos ari-

Cat tributis. — Vatabl. Sā. Laurin. Fagius apud M.T.

dos, atque exangues reddiderunt. *Præposuit enim eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus.* Quos plerique interpretantur publicanos, & tributorum exactores, à quibus suprà modum grauarentur. Quam expositionem facilè admittit vulgata editio; legimus enim pressum oneribus municipium; & onera imposita plebi. Idque Hebraico textui consentaneum est, in quo est שָׂרֵי מִסִּים Sarei missim, principes tributorum מַס mas, enim tributum est, vnde לָמַס lamas, in tributum, siue tributarij. Deinde cùm suprà modum laboribus attererentur, malignè tamen eis merces, aut nulla etiam sæpenumero reddebatur. Cui rei fidem faciunt ea verba Sapientis, *Et reddidit iustis mercedem laborum suorum*; agit enim de Israëlitis ex Ægypto egredientibus. & Tertullianus in Marcionem. *Quod si & Christus dignos pronunciat mercede operarios, excusauit præceptum illud creatoris de vasis aureis & argenteis Aegyptiorum auferendis. Qui enim villas, & vrbes operati fuerant Aegyptiis, digni vtique operarij mercede, non ad fraudem sunt instincti, sed ad mercedis compensationem, quam alias à dominatoribus exigere non poterant.* Eadem fusè disputat Epiphanius in ancorato. Accedit Philo in primo libro de vita Mosis, qui ait Hebræos magnam secum prædam ex Ægypto sustulisse. *Primùm*, inquit, *vt diuturni laboris necessariam mercedem reciperent: deinde vt pro acceptis, tempore quo seruierant, iniuriis si non pro merito, aliquid tamen damni reponerent.*

Fraudátq; mercede. — c. 10. 17. — l. 4. c. 14. — vers. finem

XVI. *Priuat libertate. Philo.*

SERVITVTEM autem intelligit Philo, non liberam famulorum, & opificum, operam suam mercede vendentium, sed mancipiorum. Subdit enim. *Neque enim est par iactura libertatis, & pecuniæ: Cùm nemo sanus non malit vita quàm libertatis adire periculum. Itaque vtrúmque factum iure tueri possunt, siue vt in pace mercedem receperunt, qua tam diu fraudati fuerant, siue vt bello victores victos bonis spoliauerunt. Ab illis enim orta fuerat iniuria, qui hospites, supplicésque suos, quasi captiuos in seruitutem redegerant.* Hæc Philo, quæ Clemens Alexandrinus ferè totidem verbis libro primo stromatum retulit. Ergo seruituti mancipat hic tyrannus ingenuos homines, nullius culpæ affines; imò hospites ac benefactores; contra ius omne, plagiarius libertate spoliat, pro mancipiis vtitur, quæ labore sine vlla mercede conficit, atque adeo contumelias, & plagas pro mercede reponit, nec liberos è regione sua, quasi ex domestico ergastulo abire permittit. quo pertinet illud quod Moyses Deuteronomij 4. ait Israëlitis, eos eductos *è fornace ferrea Aegypti*, quasi diceret eos ibi vixisse, quasi ergastula ad metalla damnata. Tantùm autem fuit hoc seruitutis malum, vt licet alia multa passi sint, ea tamen omnia, hoc vno quasi omnium grauissimo, tanquam auctaria quædam comprehensa esse videantur.

Clemens. — v. 20.

XVII. *Corporalaboribus atteris, tum aliis operibus, Iosephus.*

IAM quod attinet ad corpora Israëlitarum, in ea quoque multipliciter sæuiebat hæc tyrannis, quæ ad duo capita reuocare possis, opera ipsa, & operum præfectos. Nam primum intolerandis laboribus, & genere ipso indignissimis, & numero longè plurimis obruebantur. *Inhumanè*, inquit Iosephus, *tractabant Israëlitas, & variis laboribus atterebant. Nam & flumen in multas fossas deducere sunt iussi, & mœnia exædificare, & aggeres exstruere; quibus inundationes fluminis arcerentur. Pyramidum etiam insanis substructionibus vexabant gentem nostram, cogendo varias artes ediscere, & laboribus ferendis assuescere; Aegyptiis id agentibus, vt Israëlitas nimio labore perderent, nostris contra omnes difficultates eluctari conantibus.* Philo autem in vita Mosis. *Operabantur autem partim lutum formando in lateres, partim comportando paleas, nam paleis cohærent lateres. Alij iussi sunt publica & priuata ædificia struere, fossásque fodere, dies noctésque conuehendo materiam sine successione, ne tantisper quidem permissi quiescere dum somno se reficerent.* Sed licet audire Mosem ipsum. *Ad amaritudinem*, inquit, *perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Quo allusit Ezechielis Poëta apud Eusebium, & Clementem Alexandrinum, in tragœdia quam vocauit ἐξαγωγὴν, vbi sic Mosem loquentem facit.

Iosephus. — l. 2. c. 5. — *Philo.* — l. 1. sub init. 3. χ. — *Moses.* — Exod. 1. 14. — l. 9. de præ. c. vlt.

Nostrum videret nam genus cum crescere,
Est machinatus in nos plus satis doli
Rex Pharao, laterum acribus laboribus,
Aedificiorúmque opprimens nos molibus,
In vrbibúsque turrium ob se miseros, &c.

serm. 89 de temp. Allusit & Augustinus. *Leuantur machinæ vsque ad cælum, turres eminent, & aptissimè construunt fabricam, non quod deessent ædificia ciuitati, sed populum perire quærebat, qui diuino fauore pollebat.* Denique Achior Dux Ammonitarum, *Cúmque grauaret eos Rex* (Iudith. 5. 9) *Ægypti, atque in ædificationibus vrbium suarum in luto & latere subiugasset eos, clamauerunt ad Dominum suum*, &c.

HAS vrbes nominatim prodit Moses, *Aedificauerunt vrbes tabernaculorum Pharaoni Phitom & Ramesses.* Vrbes tabernaculorum explicat Abulensis, quæ antea fuerant modica tabernacula, siue tuguria pastorum, & rusticanis hominibus destinata, quo pertinet quod thema vocis Hebrææ סכן sachan, significat etiam pauperem reddere, vnde מסכן id est pauper, & Hugo à S. Victore interpretatur vrbes (in Exod.) pauperum, vrbes infirmas, & pauperum mansiones, quas Hebræi renouarint, & (4. ※) firmiores reddiderint [4]. Secundò, Tostatus interpretatur vrbes in quibus habitabant custodes regni Ægypti; in eius scilicet finibus, tanquam in præsidiis. Cui expositioni vox tabernaculi non admodum fauet. Etsi enim tabernacula non pastorum tantùm sunt, sed vniuersè omnium qui crebro tecta commutant, & tanquam tumultuarias domos excitant: in quibus milites numerantur, quorum sunt tabernacula castrensia, id tamen conuenit in expeditione positis, non in præsidiis, quorum perpetua est custodia. Tertia expositio cæteras probabilitate vincit, quæ hæc tabernacula explicat apothecas siue thesauros, & omnino loca, in quibus copia prouentuum reponebatur, ac reseruabatur in posterum; puta frumenti, vini, olei, fructuum, &c. multum fauente huic expositioni Hebræa & Græca voce. Nam apud Pagninum סכן, ex quo מסכנות miskenot, inter alia est thezaurisare, recondere, & hanc vocem Hieronymus quoque alibi vertit apothecas frumenti, vi- (2. Par. 32. 28) ni, & olei. Vbi Ezechias, quod ad hunc locum non parum facere videtur, dicitur ædificasse vrbes, in quibus essent apothecæ frumenti, vini, & olei, & præsepia (5. ※) iumentorum, & caulæ pecorum [5]. Notum etiam est, Θησαυρὸν dici ἀπὸ τοῦ εἰς αὔριον τίθεσθαι, in crastinum, siue in futurum reponere. Sed erant hæ apothecæ validæ & firmę, & arcibus, præsidiariisque militibus munitæ, qui eadem opera, & hosce thesauros à vi ac fraude tuerentur, & Hebręos vexarent, atque ab egressu prohiberēt.

XVIII. *Tum vrbibus extruendis tabernaculorum.*

IN his vrbibus numeratur Phithom, Hebræis Pithom, Græcis modò φίθων, modò πειθώ. De qua nulla alibi mentio, & fatetur Abulensis ignorari quæ sit ea ciuitas, (Ist. F. in thes. Geogr. in theatro ter. sanc. apud Fag.) nec de ea quidquam aliud Eusebius aut Hieronymus de locis Hebraicis, Philo, aut Iosephus, Ortelius vel Adrichomius referunt, quam fuisse eam Ægypti vrbem, quam Israëlitæ ædificarunt, dum seruitute ab Ægyptiis opprimerentur. Thargum tamen Hierosolymitanum Pithom interpretatur Tunim, & Rameses Pelusium. At Rameses videtur eadē cum Gessen, si iis quæ scribit Moses in Genesi attendamus. (Gen. 46. 34. c. 47. 6. v. 11.) Nam vno in loco Ioseph ait fratribus suis, *Vt habitare possitis in terra Gessen.* Et aliquanto post ait Rex Iosepho, *In optimo terra loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessen. At mox, Ioseph,* inquit Moses, *patri & fratribus suis dedit possessionem in Aegypto, in optimo terra loco Ramesse, vt præceperat Pharao.* Verùm hoc loco necessario nomen est minoris loci, non enim prouinciæ, aut regiones, sed singularia loca ædificantur. Ergo hoc tempore vrbem extruxerunt in extrema Ægypto, quà Syriam respicit, quam eodem nomine appellarunt: quod confirmat Hieronymus in locis Hebra. At in traditionibus in Genesim ait pagum Arsenoitem sic olim appellatum.

XIX. *Phithom.* *Ramesses.*

ADDVNT Septuag. vrbem, On, quam interpretantur Heliopolim, quæ quia in Ægypto iam fuisse dicitur, antequam eo Iacob descenderet, in eáque Putiphar sa- (Gen. 41. v. 45. 50.) cerdos; dicendum est hoc loco, vel aliam eiusdem nominis conditam, vel eandem mœnibus, aut variis ædificiis restauratam, seruili opera Iudæorum. Philo tamen in libro de Somniis, non diuersam vrbem facit Heliopolim à Ramesse, sed hoc nomen postea in Heliopolim versum esse scribit. Alij è contrario nomen Ramesse posterius esse volunt hac ætate. Nam suspicantur ductum à Ramesse rege, & Pithom ab eius vxore. Ramesses autem, qui Danao successit, iuxta Eusebij Chronicon, regnauitque sexaginta octo annis, multo posterior fuit; regnare enim cœpit cùm Israëlitæ in deserto duce Mose peregrinarentur: itaque Mosem vsum præoccupatione oporteret.

XX. *Et On, apud Sept.*

(6. ※) ERGO miseri Iudæi extruendis multis magnisque operibus latomos agebant [6]; sed hic labor alio longè grauiore duplicabatur. Ad infinitam enim laterum mul-

XXI. *Maximéq; lateribus cōficiendis.*

titudinem conficiendam adigebantur, quoniam lateribus pro saxis, vti conditores Babylonicæ turris, vtebantur. Itaque ad fornaces laterarias, atque calcarias tetri, aridi, semi nudi, dies noctésque versabantur, vt maximum quendam numerum quotidie explerent. Eóque alludit non solùm Moses, cùm eos è ferrea Ægypti fornace eductos dicit, sed Salomon quoque id apud Dominum in oratione sua confitetur, & Dominus ipse apud Ieremiam prædicat. Vt memoriam temporum illorum non ingrati reperant, quando squalidi, lutidi, laceríque hominum denique deterrimi, atque infimi circa fornaces volutabantur.

Exod. 5. Deut. 4. 20. 3. Reg. 8. 51. Ier. 10. 4.

XXI. *Exportandisque sordibus.*

ADDVNT etiam Hebræi aliqui, quod Lyranus, Abulensis, & Lorinus notarunt, coactos fuisse miseros fæces, ac stercora ex vrbibus euertere, & cophinis imposita, suis deferre humeris, atque exportare. Iuxta illud Dauidis, *Diuertit ab oneribus dorsum eius, manus eius in cophino seruierunt.* Non enim isti meliore conditione apud inimicos, qui eos dedita opera vexabant, quam Ioseph aliquando apud herum fuit. Imò hæc non de Iosepho ipso, sed de Israëlitis vniuersè rectiùs intelliguntur, quibus impositam exportationem sordium & stercorum Lyranus affirmat, significat Augustinus in eum locum; & refert ibidem Lorinus. Alij pro cophino ollas vertunt, ac cacabos, volúntque Hebræos huiusmodi quædam opera fictilia compingere solitos, vna cum lateribus, atque excoquere in fornace.

in c. 1. Exo. ibi, & affligebant alludentes. in 7. act. 19. & in Ps 80. vt ibi Lori. Tigar.

XXII. *Accedebãt plagæ.*

AD magnitudinem laboris accedebant plagæ, quibus seruilem in morem afficiebantur, nisi diurnum pensum, licet iniquissimum, quotidie persoluerent. Non enim propositum eis erat opus, sed vitam miseris extorquere, cùm de industria opus exigerent, quod illi explere non poterant. Vnde vociferantes apud Pharaonem dicebant. *Cur ita agis contra seruos tuos, palea non dantur nobis, & lateres similiter imperantur. En famuli tui flagellis cædimur.* Id autem Romæ seruorum erat, cùm ingenui virgis cæderentur. Noui quidam interpretes maluerunt vertere, serui tui vapulant, vel cæduntur, aut percutiuntur, cum Chaldæo paraphraste. At Hieronymus in vulgata seruilem animaduersionem hic intellexit & expressit, imitatus Septuaginta, qui vsi sunt verbo μαστιγοῦ, quod est flagellis cædere, μάστιξ enim flagellum, vel flagrum, & quidem seruile significat; vnde improbi serui, & qui ad pœnam flagri sæpè reperirentur, flagriones, & mastigiæ dicebantur.

Exod. 5. 12.

XXIII. *Et catenæ.*

QVAMVIS autem plerique tota Ægypto paleis conquirendis excursarent, aliquos tamẽ ferreis catenis oneratos, alligatósque fuisse in Leuitico significatur, vbi Dominus. *Ego*, inquit, *Dominus Deus vester, qui confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis erecti.* Quæ pœna fortasse fugitiuorum fuit, aut eorum, qui, ob delictum aliquod, rapiebantur ad flagrum: aut eorum qui ex vno loco in alium, operis conficiendi causa, circunferebantur: sic Paulus Romam in Catena transuectus est. Septuag. habent *contriui vinculum iugi vestri*, vt hic metaphorica locutio intelligatur, quæ tamen ad rei veritatem alludat; sicut & fornax ferrea magnum habet in re fundamentum, vt diximus.

Leu. 26. 13. Act. 28. 20.

XXIV. *Et cædes.*

ILLVD autem hic erat acerbissimum, quod flagri pœna non infimæ plebi, aut capite censis inferebatur, sed iis etiam, qui præerant operibus filiorum Israël, præcipuis scilicet Hebræorum, qui quasi proletarij ad hanc militiam dirúmque tyrocinium trahebantur: in quo tam crudeliter cædebantur, vt plerique, sub verberibus animam exhalarent. *Itaque alij post alios*, ait Philo, *tanquam pestilentia emoriebantur*, id est crebri admodum, atque frequentes[7], neque id satis. Addit enim, *Quos insepultos proiiciebant extra terminos, nec puluerem sinentes corporibus iniicere, nec lacrymis cognatos aut amicos, tam miserè mortuos prosequi*[8]. Vbi vt hyperbolicam auxesim admittam, ita facilè crediderim multos per vim & fraudem de medio sublatos, ab Ægyptiis, quandoquidem criminosum erat Hebræo, etiam viuere.

7. χ. 8. χ.

XXV. *Et præfectorũ crudelitas.*

IAM verò præfecti operum maximum afferebant momentum ad huius acerbitatem seruitutis. Tanta quippe eorum erat inhumanitas, vt cùm multa haberent Hebræi, quæ conquererentur, quasi aliorum omnium obliti, de solis operum præfectis lamentarentur. Quod significat Dominus alloquens Mosem. *Vidi*, ait, *afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum, qui præsunt operibus. Operibus præerat*, vt inquit Philo, *immitissimus quisque, crudelissimúsque, qui imperabat eis grauiora quam ferre possent, alios super alios labores accumulans.*

Exod. 3. 7. l. 1. de vita Mosis.

Si quis autem labori ob infirmitatem se subtraheret, capitalis noxa iudicabatur. Et infrà:
Erant enim inter præfectos quidam efferati rabie, nihil differentes à venenatis, carnino- *ἰ σίδηρον.*
rísque bestiis, humana specie belua, sub qua mores ferinos celabant, ferro adamantéque du-
riores. Accedunt quæ paulò antè ex eodem Philone dicebam, de proiectis extra terminos corporibus insepultis, & negata amicos cognatósque plorandi facultate. Et ad hos maximè referendæ sunt contumeliæ, & irrisiones, quibus infœlices torquebantur.

Exod. 1. 13. 14. AFFLIGEBANT postremò Israëlitarum animos Ægyptij, *atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum.* Nam malè atque ignominiosè mulctatos, etiam illudebant. Hoc scilicet plagis auctarium adiiciebant, quòd generoso animo ipsis est plagis acerbius. Impij scilicet audiebant, ac contemptores deûm, ventri nati atque libidini, & vt habet Philo, χαθάρματα ἐ περινοχλήματα, ἐ γῆς ἄχθη, ἐ ὅσα τοιαῦτα, piaculares, conturbatores, onera terræ, & huiusmodi alias contumelias. Huc etiã referri potest quod ex Artapano recitat Eusebius, iussisse regẽ vt alia ab Ægyptiis veste Iudæi vterentur, vt facilius cognitis impunè quilibet insultaret. Affligebantur quoque quod se in maximo esse odio sine culpa sua cernerent. Id autem non solùm molestissimum est, quia omnia inde mala, à potentibus præsertim in infirmiores redundant, vt ab amore omnia beneficia; sed etiam quia natura duce amari omnes volumus; & tyrannorum, qui à legibus naturæ, rationísque deflectunt, est illud quod dicebamus, *Oderint dum metuant.* Denique acerbissimè affligebantur quod suspecti essent, & infidi haberentur; ac metuerentur. Quantum autem animi tormentum est apud eos cogi viuere, à quibus maleficij cuiuspiam occasionem perpetuo captare existimeris? Hinc calumniæ, probra, contumeliæ, quæ supradictis omnibus addita, faciunt vt Ægyptiacam seruitutem, pro omnium quæ fingi possunt teterrima, meritò liceat vsurpare. XXVI. *Cõtumeliæ & irrisiones, cæteráque animorum vexatio.*

l. de vita Mosis. l. 9 de præpar. c. 4.

Mutant vestem.

HIC antiquissimus fuit, maximéque diuturnus Israëliticæ seruitutis gradus; XXVII. *Quàm diuturna hæc seruitus.*
vt qui ab huius Regis medio, vt putamus, orsus imperio, vsque ad exitum ex Ægypto perdurauit, centum scilicet propemodum annis. Quamuis Iosephus, &
l. 2 ant. c. 5. cap. 6. sibi, & aliis omnibus repugnans dixerit, *in eum modũ per annos quadragintos fuisse laboratum.* Nam ipsemet capite sequenti ait Hebræos reliquisse Ægyptum, annos
215 430. postquam Abraham in Chananæam venit, & post migrationem Iacobĩ in
123 Ægyptum, annis quindecim supra ducentos, à qua hic annus numeratur 123.
92 Quos annos requirit mors Iosephi, & cæterorum fratrum eius, & cognationis illius; iuxta ea, quæ Moses initio Exodi scripta reliquit. Non ergo vltra duos &
c. 1. v. 10. nonaginta annos ita laboratum est, nedum ad quadringentos. cui nostræ chronologiæ consentit Cornelius in hunc locum. Perseuerasse autem hoc malum, & reges, qui deinceps sunt secuti, huius hæsisse vestigiis, postremus ipse annus docet, in quo & onera, & præfecti onerum, & lateres, & paleæ, & flagella inculcantur, quamuis nec credibile sit omnia quæ diximus in primum annum seruitutis cadere; sub vnum tamen aspectum subiicienda duximus, quæ certam temporis notam non habent.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2451. ET PRIMVM SERVITVTIS.

N. I. 1. MEMINIT Herodotus anni 520. Imperij Assyriorum, (lib. 1. p. 46. Græcolat.) Sed qui ad multa post hæc tempora pertineat, cùm scilicet Medi ab his deficere cœperunt.

N. II. 2. Nouom in deteriorem aliquando partem sumi ex Scriptura ipsa constat, vt Numerorum 16. 30. vbi de dira sediciosorum morte agitur. Deuteron. 32. 17. de recens inductis idolis, vide etiam Esther 3. 8. Sap. 16. 16. cap. 19. 5. Actorum 17. 18. 19. 20. Estque idem ferè quod inopinatum, Græcis [illegible]. Sic vulgo res nouas moliri dicuntur, qui turbare rem publicam cogitant.

N. XVII. 3. Paleæ non inseruntur, aut infarciuntur lateribus, vt Philo significat, [illegible], sed ex eis coquuntur lignorum penuria. Alia tamen opera luti argillosi fiunt in villis, & domunculis rusticanis; & maximè parietes, qui erectis pomum per certa intervalla tigillis, media luto pedibus subacto, paleísque, vt tenacius hæreat confuso replentur. quo de opere agit Ezechiel Propheta, c. 13. 10. 11.

N. XVIII. 4. Quidam putant deceptum vulgatum interpretem vocum similitudine, atque succoth, quòd significat tabernacula Gen. 33. 17. pro miscenoth legisse. Sed eum defendit Eugub.

n. xviii. 5. Secundo quoque Paralip. cap. 17. 12. vbi in vulgata legitur, Ædificauit (Iosaphat) in Iuda domos ad instar turrium, vrbésque muratas, in Hebræo est miskenot, id est thesaurorum, Tigurina, ad repositoria. Vbi Vatabl. vrbes munitas, quod in vrbibus huiusmodi solent reponi thesauri, & quæ pertinent ad munitionem vrbis. Rectè ergo Hieronymus ex altero alterum intellexit ac vertit.

n. xxi. 6. Hoc intellexit ac dixit Philo lib. 1. ποιεῖν καὶ τὰ τῶν δημιουργῶν, καὶ τὰ τῶν ὑπουργῶν ἔργα ἀναγκαζόμενοι, omnes & opificum & ministrorum operas præstare coacti.

Ibid. 7. Sic legendum est in Gelenio, in cuius versione particula similitudinis malè omissa est, legitur enim in Græco, ἐξέθνησκον ὡς ὑπὸ λοιμώδους φθορᾶς, neque enim pestilentia mortuos asserit, sed tam crebros, vt in pestilentia.

n. 8. Cic. pro Sext. *Quis tyrannus miseros lugere vetuit?* Et mox: *Etiámne edicere audeas, ne mærerent homines suam, meam, Reipub. calamitatem*, &c.

ANNVS MVNDI 2452. DILVVII 796. TERTIÆ ÆTATIS 414. PROMISSIONIS 339. AMRAM 67. IOBI 125. MORÆ IN ÆGYPTO 124. SPHÆRI 7. IMPERII ASSYRIORVM 521. AMENOPHIS REGIS ÆGYPTI 15. SERVITVTIS 2.

ANTE CHRISTVM 1601.

I. *Amrami coniugium, Ratio temporis.* Svb hunc annum contigisse arbitramur illud, quòd initio capitis secundi Exodi habetur. Egressum scilicet virum de domo Leui, & accepisse vxorem stirpis suæ. Fuit vir ille Amram Leuita, & vxoris nomen Iocabeth, vt perspicuè tam in hoc, quàm in Numerorum libro traditum est. Sub hunc, inquam, annum. Neminem enim reperio qui annum disertè assignet. Non posui autem prius, eo quòd Moses significet Amram duxisse vxorem, exorta iam seruitute: quódque Demetrius, apud Eusebium lib. 9. de præpar. c. vlt. id coniugium tradat post mortem Caath initum fuisse. Et admodum probabile est tam tardam liberorum Amrami procreationem, tardo coniugio ascribendam esse. quæ eadem Iacobi Patriarchæ causa est. Nec tamen existimandum est connubium hoc etiam tardius contigisse; post edictum scilicet de proiicientis infantulis in profluentem, quamuis id tam verba Mosis, quàm series narrationis exigere videantur, idque putarint Rupertus & Abulensis. posterius enim res narratur quàm contigerit. Voluit enim Moses, in primo Exodi capite coniungere, & sub vnum quasi aspectum dare, quæcunque ad seruitutem pertinebāt, antequam ad aliam narrationem aggrederetur. Nec obstat particula illa *Posthac*, quæ non reperitur in Hebræo, neque in Septuaginta interpret. neque apud paraphrastem Chaldæum, vt notauit Caietanus & Lipomanus. Sed adiecta est à Hieronymo, quasi signum transitus ad nouam narrationem. Sicut & Genes. 47. 8. Nec tamen ea temporis nota superflua est, nedū falsa. Significat enim priora illa de nouo rege, de consilio, ac praxi vexandi Hebræos variis oneribus tributorum, atque operibus manuum antecessisse, cáque omnia, quæ ad primum seruitutis gradum diximus pertinere. Exod. 2. Exod. 6. 20 Num. 26. 59. lib. 1. in Exod. c. 27. init. c. 2.

II. *Cuius filia fuerit Iocabetha, Leuíne.* Maior est autem hoc loco de Iocabetha vxore Amrami disceptatio, cuius verè, ac propriè filia fuerit. Et Lyranus quidem & Abulensis rectè refellunt Hebræos aliquos, qui existimarunt Iocabetham, non solùm fuisse veram & immediatam filiam Leui; sed etiam ab eo genitam anno descensus in Ægyptum: Ex quo sequeretur eam genuisse Mosem anno ætatis 136. is enim duodecim ab hinc annis natus est. quod perabsurdum est. Existimat nihilominus Abulensis verè eam ac propriè genitam à Leui, sed anno eius circiter 110. & habitationis in Ægypto 66. Ex qua positione sequatur Iocabetham genuisse Mosem anno ætatis suæ 68. vel 70. Quæ sententia Caietano quoque probatur, & ab Oleastro, & Chaldæo paraphrastæ. Lipomano item, & iis qui vocem doda דדה, quæ in Hebræo est, amitam, id est sororem patris interpretati sunt, quæ habetur in versione Pagnini. Exod. 6. 20

VERVM ipse in thesauro nusquam id haber, & Arias Monranus pro amita substituit parruelem, quo modo habet D. Hieronymus in edir. vulgara, quæ est communissima, verissimáque sentẽtia. Nam Septuagiota in omnibus editionibus Doda interptetati sunt, θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ, τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. *Filiam fratris patris sui*, id est filiam patrui, puta filiã Gersonis, vel Merari. Conseotir Demetrius apud Eusebium. Vbi eam vocat θυγατέρα τοῦ θείου, id est patrui, vel eertè auunculi. Iosephus id intactum reliquit, ex certáne, an incerta scientia? Reliquit & Philo, qui in copiosissima disputarione de vita & laudibus Mosis, de parentibus eius nullum planè verbum fecit. Itaque quod Numerorum 26. sub finem dieitur filia Leui, eodem modo aeeipiendum est, quo Ephraim & Manasses dieuntur filij Iacob, & Christus Dominus filius Dauid.

III. *An potius Gerson vel Merari.*

l. 9 de præp. c. vlt.

v. 59.

EVANESCAT itaque vanissima illa Hebræorum traditio, quæ habetur apud D. Hierooymum in 1. Paralip. *Traditur*, inquit, *Moysem post acceptam legem in Eremo patri iniunxisse vt matrem dimitteret, eo quod illius amita esset, filia enim fuit Leui; post cuius dissidium duxisse Amram aliam vxorem, ex qua suscepit duos filios hos Eldad & Medad*, &c. Quod commentum facilè ex Scriptura refellitur. Nam eùm Amram anoo vitæ suæ 79. genuerit Moysem, vt suo loco doeebimus, isque 81. legem acceperit, neeesse est Amram post 160. anoos vxorem duxisse, & ex ea suscepisse liberos; eùm Seriptura eum 137. annos duntaxar vixisse tradat. Quæ absurditas eo eriam maior est in Iocabetha, quam isti natam voluot in Ægypto, sub ipsum Iaeobi aduentum. Oportebit enim miseram mulierem à marito suo, anoo 216. ætatis suæ repudiatã. Sed eonsentaoea est hæc Rabinorum delirantium fabula, alteri eorum magis fatuæ, & mendaei. Aiunt enim Amram, vsque ad Ahiam Silonitem vixisse, qui temporibus Roboami floruit, & æmuli eius Ieroboami; vixerit enim ad 676. annos, admodum sanè liberali mendacio.

in cap. 4.

Exod. 6. 20

IV. *Fabula de Iacobetha repudiata.*

Ex diuturnitate vitæ Amrami.

67 Amrã. 12 ad Mosem. 80 ad egressum. 480 ad fũdat. tẽpl. 16 regni Salom. 1 Roboã. 676

ANNVS MVNDI 2453. DILVVII 797. TERTIÆ ÆTATIS 415. PROMISS. 340. AMRAM 68. IOBI 126. MORÆ IN ÆGYPTO 125. SPHÆRI 8. IMP. ASSYRIORVM 522. AMENOPHIS 16. SERVITVTIS 3.

ANTE CHRISTVM 1600.

AVTHOR libri Testameoti Patriarcharum, ait filios Patriarcharum retulisse eorum ossa in Hebron anno 91. ante egressum ex Ægypto; iodéque redisse in Ægyptum, donec à Mose educti sunt. Est autem hic annus primus & nonagesimue ante exodum, vndeeimus anre ortum Mosis. Nec sanè video quare hæc traditio vera esse non possir, cùm ea res io oeculto facta esse dicatur; & à paueis sine apparatu fieri poruerit, vt io tempore afflictionis, & seruitutis. At, ioquies, quomodo non retulissent quoque Iosephi lipsana, ad quod iureiurando astricti fuerant? Responderi potest non fuisse parem rationem. Nam non tenebantur ea exportare, nisi quando diuina visitatione reereati, abirent omnes ex Ægypto, redirẽntque in patriam; quod tempus nondum aduenerat, ac ne natus quidem erat is, per quem tam gloriosum faeinus perpetrandum erat. Deinde non habebant ea fortassis in sua potestate, sed ab Ægyptiis eum honore publieo seruabantur. Certè Iosephus prius relata ossa reliquorum fratrum in Hebronem affirmat, quàm Iosephi. *Reliqui etiam fratres*, inquit, *vita fœliciter exacta in Aegypto sunt mortui: quorum corpora filij & nepotes in Hebronem relata sepeliuerunt. Iosephi autem ossa postea trãslata sunt in Chananaam, per Hebræos, dum ex Aegypto populariter migrarent. Hoc enim ipse adiuratis prius mandauerat.* Hæc Iosephus.

c. 2. fin.

I. *Exportãtur ossa Patriarcharũ in Chananitidem.*

l. 2 ant. c. 4. fin.

ANNVS MVNDI 2456. DILVVII 800. TERTIÆ ÆTATIS 418. PROMISSIONIS 343. AMRAM 71. IOBI 129. MORÆ IN ÆGYPTO 128. SPHÆRI 11. IMPERII ASSYRIORVM 525. AMENOPHIS 19. SERVITVTIS 6.

ANTE CHRISTVM 1597.

I. *Alter Hebraicæ seruitutis gradus.*

HOC circiter anno, qui erat Amenophis Regis Ægyptiorum decimus nonus, & sextus Israëliticæ seruitutis, altero gradu progressam existimamus Pharaonis in Hebræos tyrannidem, cum præcedentium malorum incremento potius, quàm mutatione, vel diminutione. Cæterùm sex annorum experientia sufficiebat ad probandum an laboriosa seruitus procreationem impediret; an contra multi paruuli quinquennes aut sexennes reperirentur, qui eum conatũ irritum certissimo argumento comprobarent. Certè ad hunc etiam annum illud referamus licet, *Quantóque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant.* 1.1.v.12.

Cùm ergo pluribus iam annis expertus esset Amenophis, neque publicorum operum laboribus, neque graui famulatu, quo in luteis operibus premebantur, Hebræos frangi, aut consumi: Sed contra, Deo illis benedicente, hòc magis multiplicari & crescere, quò inclementius à populo barbaro opprimebantur, compendiosiore via ad eorum interitum progredi statuit.

II. *Mandatur obstetricibus infantum cædes.*

CLAM enim vocatis ad se obstetricibus Hebræorum, non omnibus quidem, v.15. ne res facilè euulgaretur, sed duabus earum primariis, quarum nomina Moses grati animi causa immortalitati cõmendauit, Sephora & Phua, vt per eas cæteris Regis imperium innotesceret. Iubet vt sub tempus partus, infantes masculos Hebræarum mulierum interficerent; & crimen suum matris abortionem, vel infantis defectum aliquem lethalem interpretarentur: fœminas autem reseruarent. Occultam esse oportuit hanc conspirationem, nefariúmque præceptum: alioqui Hebrææ puerperæ, illo cognito, sibi ab obstetricibus Ægyptiis studiosè cauissent; eásque neque aduocassent vnquam, neque vltro se offerentes admisissent.

III. *Aegyptias fuisse, non Hebræas.*

SCIO nonnullos existimasse has obstetrices fuisse Hebræas, itáque appellatas lib. contra mendaciũ, c.15.16.17. à D. Augustino non semel, re minus examinata, quòd parum referret ad propositam quæstionem, esséntne Hebrææ, vel Ægyptiæ illæ mulieres. Certè Moses obstetrices Hebræorum vocat, Hebræas non vocat, quòd pro eodem fortasse sumpserit Augustinus. Iosephus eas apertè vocat Ægyptias, quæ ob cognationem gentis suæ, edictum regium minimè contempturæ viderentur. Cui meritò consentit Abulensis, & cæteri Scripturæ interpretes. Quomodo enim tam demens fuisset hic tyrannus, vt tam crudele præceptum tutò committi posse putaret ipsis mulieribus Hebræis, quæ naturali commiseratione erga genus suum affectæ, nunquam operam suam ad illud delendum collaturæ essent. Quid illa verba, *Non sunt Hebrææ, sicut Aegyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt.* Nónne apertè ostendunt se non fuisse de genere Hebræorũ, à quibus se ipsæ separant. Valeat ergo Thargumæus Hierosolymitanus, qui sic habet, *Et dixit Rex Aegypti ad obstetrices Hebræas, quarum altera vocabatur Schifra, & hæc erat Iochabeth; altera verò nominabatur Puah, & hæc erat Miriam.* Apage Nugatorem. nondum nata erat soror Mosis, hanc enim intelligit, nedum agere poterat obstetricem.

IV. *Cur fœminæ seruarentur.*

VOLVIT autem Rex, vt Abulensis notat, seruari fœminas; primò ne si nemo 1.
seruaretur, sed diceretur omnes fœtus enasci mortuos, res facilè patefieret. De- 2.
inde quia multiplicatio Hebræarum mulierum non augebat Ægyptiorum timo-
rem de Hebræis inualescentibus, & arma contra ipsos capturis, cùm mulieres ad 3.

4. bellum ineptæ sint. tertiò quia eis abusuri erant ad libidinem suam, vt quæ multò
pulchriores erant mulieribus Ægyptiis. Deniqne quia ingeniosiores ad opera pertinentia ad lanificium, vel subtiliores tincturas.

c. 1. 17. TIMVERVNT *autem obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis Aegypti, sed conseruabant mares.* Iniecit nimitum Deus vehementem aliquem tettorem V.
istis mulieribus, vt apprehenderent se, aut morte diuinitus, aut grauissima quapiā *Irritum sit*
calamitate percussum iti, si id facinus attentarent. Aut si mauis emolliuit mulie- *Regis imperium.*
bre ingenium, alioqui natuta tenerum, vt misericordia erga infantulos tangerentur; qui præter propriam innocentiam, nullam parentum suotum culpam, proprio intetitu expiassent. De harum porro mulierum mendacio alius etit dicendi locus, aliquot enim annos intercessisse oportet, ad probandam obstetricum obedientiam, & fidem tyranno datam.

ANNVS MVNDI 2457. DILVVII 801. TERTIÆ ÆTATIS 419. PROMISS. 344. AMRAM 72. IOBI 130. MORÆ IN ÆGYPTO 129. SPHÆRI 12. IMP. ASSYRIORVM 526. AMENOPHIS 20. SERVITVTIS 7.

ANTE CHRISTVM 1596.

Seder-Oli. c. 5. HEBRÆORVM chronologiam hoc loco sequimur, quæ Mariam sororem Mosis septennio natu grandiorem Mose affirmat. Ideò enim I.
volunt seruitutem Israëlitarum annos 87. durasse, & post eos solutā, *Ortus Mariæ, sororis Mosis.*
quia ad 80. Mosis, quos Scriptura ipsa memorat, septem Mariæ aggregant. Quamuis chronicon Alexandrinum asserat secundo anno Mosis, Amramum anno æui sui 77. genuisse ex Iochabetha Mariam prophetissam. Quòd sanè videtut tepugnaræ Scripturæ, quæ cùm vnam tantùm sororem Moysi celebret, eam tamen in ortu Mosis iam grandiusculam fuisse ostendit; vt quæ à matre edocta potuerit cum Regina Ægypti de nutriendo infantulo agere.
in cap. 2. Exod. Et Abulensis tum octo vel nouem annorum fuisse opinatut.

QVOD autem iidem Hebræi volunt seruitutem Ægyptiacam ineuntem cum II.
Mariæ natiuitate concurrere, quæ propterea Maria ab amarore, id est amara ser- *Non exortam tunc*
uitute dicta sit, nec citius tardiusve cœpisse, & omnino 87. annos tenuisse, nec si- *seruitutem.*
bi ipsis, nec veritati, vt arbitror, satis consentiunt. Nam in eodem ipso capite, *Postquam*, inquiunt, *Leui fatis concessit, cæperunt Aegyptij seruituti eos subiicere. Hinc manauit prouerbium, vno fratrum mortuo dolent cuncti fratres; vno sociorum fatis functo dolet*
cap. 3. *vniuersa societas.* Si ergo à morte Leui cœperunt affligi Hebræi, non sanè à natiuitate Mariæ, cum inter hasce duas metas 35. anni interiecti sint. Quod si, vt ipsimet eodem loco asserunt, ab obitu Leui ad exitum Israëlis de Ægypto centum & sedecim anni numerantur, quomodo tantùm 87. Quid quod Amram inchoata iam seruitute duxit Iocabetham vxorem, vt ante diximus, num nata est
vt an mundi 2452. n. 2. Maria ante coniugium parentum? Deinde cùm hæc seruitus, vt ex Setiptura colligitur, tribus gradibus sua acceperit incrementa, primus grauium laborum
Exod. 1. 10. 15. 22. fuerit atque onerum, secundus mandatæ cædis paruulorum per obstetrices; postremus edictæ publico decreto infantium proiectionis in profluentem; ratio exigit vt sua singulis tempora assignentur, quibus experientia comprobare potuerit, idoneúmne esset id medium ad conficiendos Iudæos. Ergo cùm nascente Moyse iam edictum esset in vsu, non videntur septem anni antecedentes sufficere, ad primum, & secundum gradum, satis diuturna experientia comprobandum. Itaqne primum à medio Regis Amenophis imperio, & morte Caathi exorsi, sub hoc tempus, quo Maria orta est, secundum probabiliter inchoauimus.

ANNVS MVNDI 2461. DILVVII 805. TERTIÆ ÆTATIS 423. PROMISSIONIS 348. AMRAM 76. AARONIS 1. IOBI 134. MORÆ IN ÆGYPTO 133. SPHÆRI 16. IMPERII ASSYRIORVM 330. AMENOPHIS 24. SERVITVTIS 11.

ANTE CHRISTVM 1592.

I. *Ortus Aaronis.*
DVM illuditur ab obſtetricibus Amenophis, & ab eo viciſſim Iſ-
fraëlitæ onerum grauitate vndecimum iam annum crudeliter
deprimuntur, naſcitur ex Iocabetha Aaron Leuita, ſummo He-
bræorum pontificatui diuinitus deſtinatus, & admirabilibus
prodigiis cum fratre in Ægypto perpetrandis. Dubium porrò eſt lib. 1. in Exod. c.27
an Aaron periculum mortis adierit, ſicut & Moſes. Nam Ruper-
tus conſtare ait vtrumque natum poſt illud impij Pharaonis edi-
ctum de proiiciendis maſculis in flumen. Idque probat ex eo quod poſt recitatum
illud edictum, in textu Latino ſequitur, *poſt hac*, edicta ſcilicet & acta egreſſum
eſſe virum de domo Leui, & accepiſſe vxorem, &c. Verùm ex particulæ Ruper-
tum induxerunt in fraudem, quæ neque in Græco textu habentur, neque in He- Mūdi 2452. n. 1.
bræo, & in Latino continuationem narrationis ſignificant, non ordinem tempo-
ris, vt diximus in anno Amrami 67. Alioqui edictum hoc etiam Mariæ natiuita-
tem antecederet, quòd nemo tradit. Rectiùs ergo Lyranus negat Aaronem ſub-
iiſſe periculum interitus, quòd nondum id edictum latum fuiſſet. Accedit chro-
nicon Alexandrinum, quòd ait promulgatum eo ipſo anno, quo natus eſt Moſes, p. 149. & ſeq.
vt poſtea dicemus.

II. *Qui ſeptimus eſt ab Abrahamo.*
EST porrò Aaron, ſicut & Moſes, ab Abrahamo ſeptimus. *Septima progenies hic* l. 1. de vita Moſis.
eſt à primo, inquit Philo, *qui peregrinus ipſe princeps fuit vniuerſi generis Hebræorum.* l. 1. Strom.
Septima quoque generatione progenitum, ſecutus Philonem Clemens Alexan- l. 2. ant. c. 5.
drinus affirmat, ſeptimum etiam ab Abrahamo numerat Ioſephus. Sed teſtimo-
nium habemus Ioſepho & Philone maius, & Clemente auguſtius, cùm id tota 1. Abrahā.
Scriptura reſtetur, ex qua habemus Aaronem patrem habuiſſe Amramum, auum 2. Iſaac.
Caath, proauum Leui, abauum Iacob, atauum Iſaac, tritauum Abrahamum. vt 3. Iacob. 4. Leui.
intelliges ex ſchemate Leuiticæ tribus anno mundi 2329. n. 38. & 39. vide ſeriem 5. Caath.
in margine. Parum ergo probabiliter Genebrardus in ſua chronologia dixit, for- 6. Amram.
taſſe Moyſem ab Abrahamo decimum eſſe. Quo eum compulit ſingularis opinio, 7. Aaron & Moſes.
de totis quadringentis annis commorationis Iſraëlitarum in Ægypto. Alexander 8. Eleazar.
Polyhiſtor apud Euſeb. de præpar. l. 9. c. vlt. ait Amrami anno 77. genitum Aaro- 9. Phinees, &c.
nem, Chronicum Alexandrinum 72. ſicut & Nicephorus Conſtant.

ANNVS MVNDI 2463. DILVVII 807. 3. ÆTATIS 425. PROMISS. 350. AMRAM 78. AARONIS 3. IOBI 136. MORÆ IN ÆGYPTO 135. SPHÆRI 18. IMPERII ASSYR. 532. AMENOPHIS 26. SERVITVTIS 13.

ANNVS ANTE CHRISTVM 1590.

I. *Tertius Hebraicæ ſeruitutis gradus.*
CVM aliquot iam annorum experientia Pharao Amenophis didiciſſet Exod. 1. 22.
Hebræos in dies multiplicari vehementius, nullam de filiorum cædi-
bus aut famam aut querelam exaudiri, ſenſit præceptum datum ob-
ſtetricibus minimè obſeruatum fuiſſe. Quas propterea cùm ad ſe euo-

eaſſet, & eum eis de præcepti violatione expoſtulaſſet, meditatam diu, vt par eſt eredere, reſponſionem attulerunt; eóque eonfugerunt vt dicerent, non eſſe Hebræas ſieut Ægyptias mulieres; illas obſtetricandi peritiam habere, & ſine ope Ægyptiarum obſtetricum parere. Quò ſignificabant ſe non euocari ab Hebræis ad hoc miniſterium, ſed eas per ſeſe huic neceſſitati ſatisfacere. Cùm tamen & euoeatas fuiſſe, & ſeruaſſe mares Moyſes ipſe teſtetur.

II. *An mentitæ ſint obſtetrices.*

disp. 9.

De harum porrò mulierum mendacio quod Deus approbaſſe, atque adeò mereede affeciſſe videri poteſt, pluribus ex D. Auguſtino, & Ruperto diſputat Pererius in cap. 1. Exodi. Quamuis autem in verbis earum paſſim mendacium officioſum agnoſeant interpretes, Abulenſis, Caietanus, Pererius, Cornelius, qui hac de re fusè diſputat; fortaſſe tamen non dixiſſe mendacium, ſed veritatem eelaſſe duntaxat, probari poteſt. Tota enim earum reſponſio vera eſt, tametſi ad mentem Regis iniqui elata non eſt. Non eſſe Hebræas ſieut Ægyptias mulieres, vtrique verum eſt. Verum quoque eas obſtetrieandi ſeientiam habuiſſe, ſaltem aliquas. Quis enim exiſtimet in tanta Hebræarum mulierum multitudine, & tam frequentatis partubus, nullam earum iſtam didiciſſe peritiam. præſertim cum ſe tanto apud Ægyptios odio, atque inuidia laborare cernerent. Quid in deſerto in quo tot infantulorum myriades prodiere in lucem, num credibile eſt, aut adductas, aut aduocatas in deſertum tot Ægyptias obſtetrices? quibus etiam antequam deſcenderunt in Ægyptum facilè caruerunt. Verùm quoque fuit pleraſque mulieres Hebræas parere ſolitas, antequam ad eas prædictæ obſtetrices accederent, vel vigore proprio vſas, vel ſociarum Hebræarum ope adiutas. Licet Rex de omnibus Hebræis mulieribus id fortaſſe intellexerit. Neque dixerunt ſe non affuiſſe parientibus Hebræis, quòd fuiſſet vtique mendacium, ſed id Regi exiſtimandum reliquere. Et ita poſſit intelligi Rupertus, cùm negat ſe vllas mendacij tenebras aſcribere, operi lucido charitatis.

l. 1. in Exod. cap. 7.

III. *Merces earũ temporalis fuit.*

Verum enimuerò quantumuis in earum verbis mendacium concederetur: Non tamen propterea conſequens eſt id approbatum à Deo, aut affectum fuiſſe mercede. Sed timor Dei, quo illæ commotæ abſtinuerunt à peccato, mercede affectus fuit, vt placet diuo Auguſtino in libro contra mendacium, Caietano, Cornelio, Lipomano; imò & Moyſi. *Et quia*, inquit, *timuerunt obſtetrices Deum, ædificauit eis domos.* Quæ merces tam de bonorum temporalium copia, quàm de filiorum fœcunditate, ex vi ſermonis Hebraici explicari poteſt. *Nunquid antea domos non habebant*, ait Auguſtinus, *an ad diuitias hoc verbum pertinet, vel potius ad aliquas res familiaris idoneas facultates? Simile enim huic videtur, quod ait Iacob ſocero, ſuo volens eum adhuc apud ſe tenere. Nunc ergo quando faciam & ego mihi domum.* Caietanus autem de filiorum quoque ſucceſſione domum intelligit. Et ſanè diuinæ bonitati conſentaneum fuit, vt quæ ex Dei timore alienos ſeruarent liberos, ipſæ à Deo liberos, & domus ſiue familiæ ſuæ propagationem acciperent. Et quæ conſeruando mares diſcrimen mortis adierant, vitam perquam diuturnã longa poſterorum ſucceſſione reciperent.

cap. 15. & seq.

lib. locut. in Exod.

IV. *An æterna.*

c. 1. Exod. l. 1. c. 7.

Fortassis etiam æternam. Id enim videtur ſentire Hieronymus in caput 65. Iſaiæ, Procopius in hunc locum, & Rupertus, cuius eſt illa vox. *Ædificauit illis domos, ſubauditur, æternas. Æternum quippe eſt quod Deus ædificat.* Imò & diuus Thomas, qui non dubitauit aſſerere debitam illis fuiſſe remunerationem æternam, quantum ad affectum beneuolentiæ in Iudæos, & reuerentiam diuini timoris; vt autem actui coniunctum fuit mendacium, non æternam, ſed temporalem fortaſſe mereri potuiſſe remunerationem. Abulenſis autem dici poſſe putat eas ſpirituale bonum accepiſſe, gratiam videlicet gratum facientem Deo; ſicque vitam æternam adeptas, ſicut pleróſque alios, qui extra legem Moſis vixerunt. Paulò aliter diuus Gregorius, qui eas & acquiſiſſe vitam æternam, & mentiendo perdidiſſe putauit. Cuius hæc ſunt verba. *In qua magis compenſatione cognoſcitur, quid mendacij culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui, pro admiſſa culpa mendacij, in terrenam eſt recompenſationem declinata, vt in vita ſua, quam mentiendo tueri voluerunt, ea quæ fecerunt bona reciperent, & vlterius quod expectarent mercedis ſuæ præmium non haberent.*

22. q. 110. a. 4. ad 4.

. 18. Mor. cap 2.

Quod dictum parum probabile putat Pererius noster, propterea quod si ille actus timoris Dei, & misericordiæ aduersus Hebræos profectus fuit ex Dei gratia ipsas sanctificante, sine dubio illo facto meruerunt vitam æternam: nec futurum mendacium officiosum illam impedire potuit. Quod si ex gratia profecta non est illa actio, non potuerunt per eam promereri vitam æternam, licet nullum deinde mendacium securum esset. Quod si placet eas à mendacio excusare, iuxta ea quæ paulò antè diximus, tanto erit probabilius quod de earum salute dixit Abulensis, si modo gratiam quoque perseuerantiæ, quæ sola coronatur, acceperunt. Consentit Cornel. in hunc locum.

Disp. 10 in hoc cap.

V. *Edictum de submergendis infantibus.*

QVONIAM ergo occultus interficiendorum infantulorum conatus irritus apparebat. *Præcepit Pharao*, inquit Moses, *omni populo suo dicens, Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiicite, quidquid fœminini reseruate.* Barbarum planè ac ferale edictum, siue quod innocentes crudeliter interficit, in quorum gratiam nocentibus parcendum erat, siue quod infantulos, qui amorem & beneuolentiam, certè quidem misericordiam suo candore, & simplicitate conciliant; siue quod eos parentibus nulla eorum culpa eripit, siue quod neminem excipit, siue quod nullo temporis spatio crudelitatem circumscribit, nisi quod vniuersæ nationi interitum attulisset.

VI. *Et eius causa.*

CAVSAM edicti fuisse quod Rex animaduertisset illum conatum perdendæ gentis Hebræorũ per obstetrices ex sententia non procedere. Id significat illa vox illatiua. *Præcepit ergo Pharao*, quæ clarius explicat Græcum & Hebræum, in quibus est. *Et præcepit. Præcepit autem*, &c. Verùm aliam causam suggerit Iosephus fictitiámne, an traditiciam, affirmare non ausim. *Exortum est*, inquit, *aliud quiddam cur genus nostrum magis etiam cuperent extinctum. Quidam ex eo genere hominum, quos gens illa vocat sacrorum scribas, quorúmque prædictionibus multum tribuit, prænunciat regi, nasciturum per id tempus apud Israelitas quendam, res Aegyptiorum olim grauiter afflicturum: Israelitas contra euecturum, si modo ad ætatem adultam peruenerit; nam & virtute fore præcellentissimum, & gloria per omne æuum celebrem. Quo terrore percitus Rex edicit ex ipsius monitoris sententia, quidquid masculini sexus inter Israelitas nasceretur in flumen proiectum necari: obstetrices etiam Aegyptias diligenter obseruare partus Hebræarum, ac parturitiones. Sic enim cautum putabat, ne obstetrices ob cognationem edictum regium contemnerent.* Hactenus ille. Verùm hæc obstetricum obseruatio antecessit edictum, vt ex Scriptura patet, quod non satis obseruauit Iosephus. Est ergo hoc eius ὕστερον πρότερον. Illud autem vaticinium quo authore tradat, ipse viderit; neminem certè testem laudat, nec vllum eius aut in Scriptura, aut in Philone, aut iis quos de Mose scripsisse refert Eusebius l. 9. de Præparat. Artapano, Demetrio, Alexandro Polyhistore, Aristea, & altero Philone vestigium reperitur. Ezechielus autem Propheta quem idem recitat, non aliam affert eius edicti causam, ab ea quam ipsemet Moses retulit, cuius verba seorsim referam[1], quod cum aliis multis omissa fuerint à Trapezuntio.

L. 2. ant c. 5. [illegible] cap. vii. 1. χ.

VII. *Quibus impositum id præceptum: Aegyptiis ne.*

DVBIVM porrò esse potest, quibus impositum fuerit hoc præceptum. Et Caietanus quidem tam Ægyptiis, quàm Hebræis impositum putat. Quod ne sit planè incredibile, etiam sentit non iussos pessumdare, sed citra periculum vitæ ad ripam fluminis exponere. Verùm mandatum prius factum obstetricibus, quæ mens esset Regis ostendit. Abulensis & Oleaster, qui bene Caietanum refellit, aiunt intelligi solos Ægyptios; quod absurdum esset sperare tam atrox mandatum ab ipsis parentibus in filios obseruatum iri, qui atrocissimam potius mortem subituri essent. Et omnino magnum quiddam erat, vt ipsi tantam iniuriam ab Ægyptiis patienter ferrent, neque in arma furenter irruerent. Et sanè sicut ad prius facinus obstetrices Ægyptias elegit, non Hebræas: ita ad hanc patrandam cædem Ægyptios non Hebræos sibi obtemperaturos putauit. Et sic videtur intellexisse Moses, cùm non dixit tantùm, *præcepisse omni populo*, sed addidit, *suo*, scilicet Ægyptio; ad distinctionem Hebraici.

VIII. *An ipsis etiam parentibus.*

VERVM sequens historia natalium Mosis his videtur refragari. Nam parentes ipsi suum filium exposuerunt, & Iosephus ita hunc intellexit locum: ait enim, *Proposuit etiam pœnam si quis clam seruare fœtus auderet, vt cum familia tolleretur. Grauis fuit hæc calamitas, non eo solùm quia liberis orbabantur, & quia parentes ipsi ministri eo-*

rum interitus esse cogebantur, sed futurum quoque tempus prospicientes inconsolabiliter tristabantur. sic Iosephus, quæ habet etiam Ezechielus apud Eusebium. Idémque Philo videtur sensisse, cùm ait, *Parentes Mosis ad tres menses edictum tyranni contempsisse.* At non contemnebant, si tantùm pati debebant eam calamitatem, cùm ab Ægyptiis inferretur.

l. 9. de præ. c. 4.

IX. *Non viderit.*

PRIOR tamen sententia magis placet, & quæ pro ea faciunt certiora videntur. Nam Mosis natiuitas, quæ videtur imposuisse Iosepho, ad hanc opinionem non cogit. Exposuerunt enim eum parentes, non vt obsequerentur Regi, qui iusserat in fluctus abiici, non exponi. Sed vt ne periret, & quoquo modo euaderet eorum manus, qui eum in flumen, ad certam mortem proiecturi erant. Optabilior enim eis erat dubia vita, quàm indubitatus interitus. Meliúsque illi consultum putauerunt, si in manus Dei potius, quàm in manus hominum incideret. Et sanè ad infirmandum Iosephi sententiam, valet absurditas, atque immanitas huius iussionis, quam natura ipsa execratur, à qua diuina lex vehementer abhorret, cui Hebręis, quantacúmq; imposita pœna, nulla ratione obtemperare licuisset. Neque enim licet, vt pleriq; censent, ad vitãdam propriam mortẽ, afferre interitum innocenti. Licet autem alienam vim pati, quàm nulla ratione prohibere possis; quod & Hebręi faciebant. Nam regiis satellitibus in domos irruentibus, non ruebãt ad arma, quibus & nihil profecissent, & se insuper frustra morti certissimæ obiecissent.

X. *Filiorum cædes quatenus ethnicis in vsu.*

NAM fuit quidem iampridem, éstque etiam nunc barbaris plerísque gentibus in more positũ, imò Græcis olim ac Romanis, vt vel infamiæ, vel mortis perurgente metu, vel dira extimulante pauperie, filios suos, maximè autem filias venundarent, exponerent, extinguerent, & eis quasi pro pecoribus abuterentur. Vnde ille apud vxorem altercabatur quod filiolam sustulisset, quam vetuisset educi. (apud Teret.) Ex eodem more illud quoque, *Nam quod peperisset iussit tolli*, seruari scilicet, & educari, non necari, aut exponi. *Hæc lex*, inquit Philo in libro de specialibus legibus, *grauius quiddam prohibet, expositionem infantium, quæ apud multas gentes, propter natiuam inhumanitatem vulgaris est impietas.* (post medium.) In eam ibidem fusè inuehitur, ostendens huiusmodi parentes, iuris naturæ violatores, libidinosos, immanes, homicidas, atque infanticidas. Hoc autẽ facinus longè abhorrebat à Iudæorum moribus, nisi quando pietatis prætextu illos sacrificare cœperunt idolo Moloch; quod vel ex Tacito probari potest, qui de Iudæis dixerit, *Augendæ multitudini consulitur. Nam & necare quemquam ex agnatis nefas;* (l. 5. histor.) vbi Lipsius legit gnatis, idque notari à Tacito ait tanquam nouum. Quod ipsum in moribus Germanorum notauit vterque. Ex quibus intelligas quanta sæuiret in cæteris gentibus immanitas, ab inferno illo Saturno excogitata, imperata, atque inducta in mores.

XI. *Quæ pœna sanxita lex infanticidij.*

HÆC ergo vt in more passim posita essent, non tamen apud Hebræos, & vt ab eis per summam vecordiam vltro fierent, certè non imperabantur. Nemo enim tyrannorum, ne Herodes quidem ille infantum carnifex, iussit parentes ipsos fieri parricidas, etiam proposita pœna. De pœna verò non grauatè Iosepho assentior, modò ne eam ad parentes extendat, qui filios non abiecissent, sed qui regios ministros vel vi prohibere, vel dolo fallere conaretur. Habétque consentientem Philonem. (l. 1. de vita Mosis.) *Cùm non deessent*, inquit, *vt fit sub Regibus, qui scrutarentur etiam recondita, captando gratiam nouis delationibus, timentes ne dum vni consulunt, ipsi necis eius fierent accessio, deploratum puerum exponunt in ripa fluminis.* Eadem ferè habet Clemens Alexandr. sub finem libri primi Strom. Eodémque modo Bethleemitæ posterioribus seculis, satis habuerunt filios suos bimulos, permittere carnificibus, nec vltro offerre ad necem, nedum ipsi perimere coacti sunt.

XII. *Collatio Pharaonis cum Herode.*

ANIMADVERTE autem, mi lector, quam merito Herodem Pharaoni componamus: magna quippe inter vtrúmq; similitudo reperitur. Vtérque crudelis tyrannus fuit, vtérque innocentium puerulorum carnifex: vtérque ad Imperij sui cõseruationem improbissimo artificio vsus est; vtérque in eo deceptus atque illusus, vnus ab obstetricibus, alter à magis; vtérque miserè periit. Vter autem immanior fuerit, atque crudelior non facilè dixerim. Herodiana tamen cædes hoc ipso videtur mitior, quod in vno tantum oppido, eiúsq; finibus infantes persecutus est ad bimatum, & infra. Et hisce temporis locique terminis circumscripta crudelitas, non proferebatur vltra. Hæc autem nullis aut temporis, aut loci finibus claudaba-

tur. Illa pueruli vnius, hæc totius nationis spectabat interitum, cum adultis paulatim maribus moriendum esset, nec alij succrescerent, qui cum fœminis coniugio copularentur, & illæ sine prole vitam trahentes, cœlibes sensim extabescerent.

XIII. *Irriti Pharaonis conatus.* SED diuina prouidentia feralem barbari huius tyranni spem fefellit, qua factum est vt laboribus & ærumnis insigniter crescerent: vt obstetrices misericordes in infantes, & ingeniosæ in illudendo tyranno redderentur, vt & illos & se ipsas pariter incolumes seruarent. Denique vt impium hoc edictum breui irritum fieret, atque vna cum tyranni morte, quæ intra quintum annum contigit, antiquaretur, vt meritò existimant Rupertus, Tornellus, & Cornelius à Lapide. Certè minimè obseruatum fuisse ad finem seruitutis, ac ne diu quidem ex eo constat, quod tam multi paruuli infra vigesimum annum ex Ægypto exierunt: vt notauit Rupertus, qui id editum ait non præualuisse. Euseb. in Chron. c. 1. v. 22. l. 2. in Ez. c. 27.

XIV. *Conclusio tertiæ ætatis.* ATQVE ita finē tertiæ mundi ætati imponimus, quæ à natalibus Abrahæ exorsa, in ortu Mosis, & initiis durissimæ seruitutis Hebræorum terminatur: omniúmque Patriarcharum maximos, atque clarissimos, sex generationibus, & annis 425. comprehendit. Abrahamum dico, Isaacum & Iacobum, quibus neque gens Israëlitarum, neque vniuersa legis naturæ periodus quidquam habet illustrius: habet duodecim familiarum populi Dei principes atque Patriarchas, in quibus Iosephus & Iudas facilè tenuere principatum: habet & aliorum populorum ortus, & quasi satus isti Iacobitico populo cognatorum, Ammonitarum, & Moabitarum ex Loto, Madianitarum ex Cethura, Ismaëlitarum siue Agarenorum ex Agare, Idumæorum ex Esaü, quorum memoria passim in sacris literis frequentatur.

XV. *Ratio temporis tertiæ ætatis.* VIDE autem etiam illud, si placet mi lector, quam rectè Chronologia nostra, quæ indice huius postremi anni proditur, secum, & communissimis opinionibus consentiat, nam anni mundi, iuncti annis Christi Domini, integram summam annorum, quos à mundi ortu ad Christi vsque natiuitatem reperimus, perpetuo cōficiunt: Deinde anni primæ ætatis, cum annis à diluuio copulati, annum mundi præsentem exactè reddunt; sicut & duæ posteriores ætates, cum annis Diluuij conspirant; anni item promissionis, iuncti annis, quos vixerat Abraham, cùm ei facta est promissio, tertiæ ætatis annos explebunt. Denique anni moræ in Ægypto, additi annis Abrahami cum genuit Isaacum, & Isaaci, cum genuit Iacobum, & Iacobi cùm descendit in Ægyptum, quartam ætatem ad vnguem absoluunt, vt seorsim aspicies in Scholiis [a]. cætera suis probationibus in loco positis nituntur. a. x.

XVI. *Distinctio ætatum.* NEQVE mirabere nos hoc loco tertiæ ætati fixisse metas. Nam è multis Chronologis, qui priora tempora per ætates digessere; vt nemo est qui in prima, aut secunda ætare dissentiat: nam prima ab ortu rerum, ad populorum interitum: altera Noëmo ad Abrahamum, omnium consensu protenditur: ita in tertia terminanda multæ sunt, discrepantésque sententiæ Scriptorum. Nonnulli ad Dauidem producunt, Ado Viennensis, Beda, Marianus Scotus. Alij ad exitum Hebræorum ex Ægypto, vel datam legem, vt Ioannes Lucidus, Tornellus. & alij fortasse aliter. Eadémque consequenter est in cæteris ætatibus dissensio. Nobis visum est tertiam exitu omnium Patriarchatum concludere. Quartam legislatore Mose, Iudicibúsque Hebræorum definire. Quintam Regibus, à Saüle vsque ad Cyrum. Sextam Pontificibus, cæterisque populi rectoribus, ad Christi Domini aduentum. Ex quo nos ad finem vsque seculorum, & mundi occasum agimus septimā. Octaua denique ab vltima resurrectione corporum, partim in deliciis, partim in suppliciis in omnem propagabitur æternitatem.

XVII. *Ex D. Gregorio.* Huius distributionis prior pars est Magni Gregorij, qui primum manè, quod Dominus apud Matthæum memorat, vocat primam ætatem, ab Adamo primo parente mortalium, vsque ad Noë: secundam quæ ibidem vocatur hora tertia, ab altero hominum parente Noë, ad Abrahamum: tertiam ætatem, quæ sextæ horæ congruit, ab Abrahamo primo parente populi Dei vsque ad Mosem, primum eiusdem legislatorem, maximúmque Prophetam. Sicut autem tertiam non à vocatione Abrahami, sed ab eiusdem natiuitate deduximus, cum communi doctorum sententia, vt ex Abulensi suo loco retulimus: ita quartam non à data lege, aut educto per Mosem populo ex Ægypto, sed ab ipsis eiusdem cunabulis, Deo bene propitio, deducemus. hom. 19. in Euāg. c. 20. in 1. anno Abrahæ n. 2.

SCHOLIA IN ANNVM MVNDI 2463.

N.VI. 1. VNVM atque alterum reperi, Zonaram, & Freculphum Lexouiensem, qui to. 1. Chronici sui, l. 2. c. 8. hanc ex Iôsepho causam retulerunt.

Ezechielus autem sic habet.

Ἰδὼν γὰρ ἡμῶν γένος ἄγαν ὀχλούμενον
Δόλον καθ' ἡμῶν πολὺν ἐμηχανήσατο,
Βασιλεὺς Φαραώ· τοὺς μὲν ἐν πλινθεύμασιν
Οἰκοδομαῖς τε βαρέσιν αἰκίζων βροτούς,
Πόλεις τε πυργοῦντ' σφῶν ἕνεκα δυσμόρων
Ἔπειτα κηρύξας μὲν Ἑβραίων γένει,
Τἀρσενικὰ ῥίπτειν ποταμὸν ἐς βαθύρρουν.

Quæ sic vertas.

Videns enim nostrum genus satis amplificatum
Dolum aduersum nos magnum machinatus est,
Rex Pharao. alios quidem lateritiis
Aedificationibus grauibus affligens homines,
Vrbésque, & arces, ipsorum infelicium causa.
Deinde per præconem edixit Hebræorum generi
Mares proiicere in profundum flumen.

				100
2463	1656	382	75	60 N.XV. 2.
1590	807	425	350	130
4053	2463	807	425	135
				425

Ab ipsis, inquam, Legislatotis cunabulis quartæ ætatis, & secundi voluminis Operis istius ducemus exordium. Si prius nauiculam nostram, in alto, iam bis mille quadringentos, & sexaginta tres annos fluctuárem, in terram subductam, in Ægypti, tamersi malè fida, statione locauerimus. Monet nos barbara, atque inhospita tellus, vt quamprimum licebit, sublatis anchoris vela faciamus. Sed vicissim monet nos, IESV Christe Optime Maxime, eximia tua in nos, prolixáque benignitas, vt in meritas gratiarum actiones, non ingrata ora soluamus. Habuimus quippe te hactenus signifera sub puppe magistrum: tuóque ductu, si modo eum rectè obseruare potuimus, vt magnoperè cupiebamus; iactis anchoris Ægyptiacum portum, innocentum infantulorum corporibus nefariè conspersum, tenuimus. *Conclusio cum gratiarum actione.*

Si ergo toto in cursu cum saxis latentibus, cum aggerimus arenarum, cum cæruleis vndarum voluminibus feliciter luctati sumus, tibi, Nauarche sapientissime, gratias agant cœlum & terra, & creata omnia quæ condidisti: tibi iubilent astra matutina, Angeli tui, filij Dei, fratres nostri primogeniti, quos sempiterna felicitate donasti. Tibi seruiant omnes filij Adam, secundo-geniti tui, quos redemisti pretio, cui nullum par esse potest. Gratias tibi mecum agā magni illi Patriarchæ, trium mundi ætatum clarissima lumina; quæ à te, perenni fonte luminum, gratiarum splendorem; à me aliquem non cultæ orationis ornatū; sed studiosum beneuolentiæ conatum acceperunt. Hunc ego primum hebetioris huius ingenij partum, diuino tuo altari religiosè impositum, & eleuatum ante cuncta conuertentes oculos maiestatis tuæ, ex augustissimi templi tui tholo suspendimus, vt diuina benedictione accepta, aliquid Ecclesiæ tuæ sanctæ prodesse possit.

Tu quoque, ô Virgo beatissima, ad quam, tanquam ad sacram anchoram sæpius confugiendum nobis est, millies nobis benedicta sis, quæ timidæ nauigationi conciliasti prosperum adhuc, secundúmque ventum. Potuisti vtique, ô diuina mater, is enim ventus est Spiritus sanctus, sponsus tuus: & poteris deinceps, *Quia fecit tibi magna, qui potens est.* Et tua per eum misericordia à progenie in progeniem propagabitur honorantibus, colentibus, atque inuocantibus sanctissimum nomen tuum, & dulcissimi IESV. filij tui, quem benedicant omnes, super quos inuocatum est gloriosissimum eius nomen, in secula seculorum. Amen.

TOMI PRIMI FINIS.

INDEX
LOCORVM SACRAE
SCRIPTVRÆ, IN HOC ANNALIVM
Tomo primo vel dedita opera, vel ex occasione explicatorum.

Particulæ, quæ identidem iterantur, & compendij causa præcisæ ponuntur, hæc significant. Præ. Præfationem ad Lectorem, quæ in capita, numerosque diuiditur. Appa. Apparatum ad Annales eodem modo distributum. A. M. siue, a. m. Annum Mundi, sed primus etiam in suos sectus est dies; qui sæpe litera D. notantur. Sch. vel χ. Scholia, quæ minore charactere toto Opere inseruntur; Denique N. siue n. numeros significat, in quos capita, dies, annósque distinximus.

Ex libro Prouerbiorum.

Ex libro Ecclesiastæ.

Ex Cantico Canticorum.

Ex libro Sapientiæ.

Ex libro Ecclesiastici.

Ex Isaia.

Ex Ieremia.

Ex Ezechiele.

Ex Iona.

Ex Habacuc.

Ex Sophonia.

Ex Malachia.

Ex l. 1. Machabæorum.

Ex Matthæo.

Ex Marco.

Ex Luca.

Ex Ioane.

Ex Actis Apost.

Ex Epistola ad Romanos.

Index Scripturarum.

FINIS.

INDEX
COPIOSVS ET ACCVRATVS
RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ HOC primo Tomo Annalium Ecclesiasticorum continentur.

Particulæ, quæ identidem iterantur, & compendij causa præcisa ponuntur, hæc significant. Præ. Præfationem ad Lectorem, quæ in capita, numerosque diuiditur. Appa. Apparatum ad Annales eodem modo distributum. A. M. siue, a. m. Annum Mundi, sed primus etiam in suos sectus est dies; qui sæpe litera D. notantur. Sch. vel ☧. Scholia, quæ minore charactere toto Opere inseruntur; Denique N. siue n. numeros significat, in quos capita, dies, annósque distinximus.

A.

C.

Index primi Tomi

I.

M.

N.

POENÆ

FINIS.

ERRATA.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Ita est, errata fatemur, amice Lector. Erratum est enim non raro in hoc opere, siue per imprudentiam, siue aliquando per imperitiam, ac necessitatem. Nihil quippe ab hominibus proficiscitur omni ex parte beatum. Eorum tibi hoc loco præcipua repræsentamus, tu per te cætera facilè emendabis; sunt enim fere minuta, atque perspicua; & quidem ea charitate qua solet ille errata hominum, qui, ex suæ perfectione naturæ, solus habet vt errare non possit. Illius ope adiuti, si quando alia requiretur editio, omnia diligenter emaculabimus. Tu interim his vtere, ac bene vale.

PAGINA 5. numero 1. in medio; subditur, lege, subdit.
p. 11. n.5.initio, propensior, adde, & è Sectatiis.
13. num. 10. med. præcones, lege, præcoces.
25. n. 5. m. æterna, l. catena.
34. n. 9 med. quia natura, leg. in natura.
39. nu. 3. med. memorat, l. memorant.
40. nu.4. fin. proferre, l. probare.
42. schol. 3. fi. lege, planè sententia Ludouici.
44 n. 3. fi. commiscentur, l. comminiscentur.
n.4. init. Nobis ea, l. Plerisque ea.
48. schol.3. lege, accidens quod non esset forma certi corporis, ibid. signaret, l. significaret proprio.
55. scho. 7. med. purior, lege puriores.
Ibid. remittens, l. renitens.
scho. 11. init legis, lege, legalis.
57. nu. 8. terræ vt, lege, terræ vi.
59. n. 15. marg. Psal. 104. &c. transfer in n. seqq.
65. n. 37. med. istius, lege, negantis.
67. n 44. medio, arbor opera, l. opaca.
70. n 55. init. Theodoreto, adde, viri minime.
79. n. 7. init. sicut, lege, si.
87. n 4. fine, ita, lege, ista.
88. nu. 7. fine, ex eius, adde, causis.
92. n. 14. fi. vtique, lege, vtrique.
94. n. 19. med. comprehenditur, l. comprehenduntur.
111. n. 73. mar. q. 9. lege 96.
112. n. 76. med. ita, lege, ista.
114. n. 86. init. alus Hebræis, dele, aliis.
153. schol. 5. init. l.2. c 2. dele, cap. 2.
sch. 4. med à Deo, lege, adeo.
135. scho. 18. Vicum, lege, Viuem.
Ibid. qua subesse, l. quasi subesse.
146. n. 16. fi. Iosephi, lege, Iosephum refutat.
150. n. 30. fi. accepisti, lege, rupisti.
n. 31. init. veniale, l. vt veniale.
Ibid. dixisset, l. dixisse.
151. n. 32. med. secum in, l. secum, est in.
154 post n. XLV. lege XLVI. & inde XLVII.
155. n. 48. fi. lege, transgrediendo commiserant.
Ibidem, veniam, lege, ad veniam.
159, n. 65. med. expressa, l. & expressa.
65. init, Euæ, lege, Eua.
169. n. 102. infœlicitas, l. imbecillitas.
178. n. 3. init. post Deum, lege, per Deum.
179. num. 6. med eximiæ, l. exuuiæ.
184. scho. 2. fi. eiectis, l. erectis.
sch. 3. init. propter, l. præter.
187. n 2. obiectum, lege, atque obiectum.
188. n 3. fi. cogitandus, l. cogitabundus.
n. 6. init. aut in l. autem in.
193. n. 24. ex ræcis etiam, l. ex Græcis etiam.
202. n. 5. fi. ramenta, l. armenta.
sch. 1. qui homines, l. quia homines.
Ibid. 1. Dolor est, l. id est dolor, &
Ibid. quod D. Aug. dele, quod.
225. n. 5. init. lege, neque omnes, neque nullum.
Ibid. pastorésque, l. patrésq.
235. n. 10. m. euacuendi l. euadendi.
238. schol. ibi. longè alia, adde in marg. 4. n. v. & ibi. Descriptis, adde in marg. 5. n. XVI.
242. n. 10. medio, valent illud, l. illa.
244. n. 15. init. incorporabiles, l. incomparabiles.
250. n. 3. init. lege, didicerit, dixerit, fecerit.
257. sch. 1. fi. eredere, l. crudele.
258. n. 2. singula seculi, l. singulas.
260. n. 9. med. imitantur, l. imitatur.

263. n. 21. fi. & inde, dele, inde.
268. in fi. lib. 49. lege, lib. qq.
297. n. 1. med. annum Sem, le. Arphaxadi.
305. n. 1. init. transibimus, l. transilimus.
n. 2. med. promissionis, l. promissis.
309. marg. schol. 3312. l. 3302.
316. n. 5. init. inclusisse, l. incubuisse.
318. n. 10. quod quid, l. Quid quod.
319. n. 16. med. vallétque, l. vellétque.
342. n. 72. init. edtecta, l. eddicta.
345. n. 81. eam, non, nem, lege eum, nos, nam.
351. sch. 2. de n. 72. posteriore, l. de numero, 72. posterior.
Ibid. in quibus, dele, numerantur Chan. lege, numerantur, & Chan.
365. schol, 1. med. minus, leg. Ninus.
367. n. 2. in & quingentis vitæ, l. quinqusginta.
374. nu. 3. marg. aliíque multi antiqui, l. alijsq. multis entiquis.
383. n. 1. med. celeberrimam, l. celeberrimæ.
Ibid. annum cœpit, lege, annum hunc habet.
384. n. 4. init. quæ eum, lege, cumque.
389. n. 6. med. & si aliquos, lege, & si quos.
n. 7. init. tanquam ea quæ non sunt, lege, quæ sunt.
396. n. 3. med. maritum, lege, maritus.
n. 2. marg. imperandi, adde, ratio.
Ibid. fin. & Hugo, l. Hugo, Adrichomius.
403. n. 2. fi. vbi agens, lege, Nam agens.
409. n. 15. fin. allicit, leg. alluit.
n. 18. fi. adde, paratum.
411. n. 23. fi. viam & ad, dele, &.
413. n. 6. prin. Sic ipse, adde, quæ illum, tam, &c.
Ibid. congruentiam, l, proportionem, nec satis congruent.
420. n. 7. init. ciuitatem, l. ciuitatum.
423. n. 20. init. attamen, l tamen.
Ibid. med. improbat Epiphan. l. improbat, Epiph.
430. in Epitaph. Quippe licet, l. quippe qui licet, scho. 2. eorum erat, lege eorum talis erat.
431. n. 1. quem lapsum, l. qui lapsus.
Ibid. in hunc annum, l. in 75. annum.
432. n. 2. med. cum tamen, dele, tamen, ibid. Cui tamen, l Sed ei.
441. n. 8. fin. insequiori, l. insegniori.
n. 9. med. lege, Sed Philo ad animi sui sensa, conceptúsque scripturæ, &c.
446. n. 5. med. accepis, l. acceperis.
455. n. 46. init. præstanti, l. constanti.
467. n. 94. fin. sibi delectos, l. dilectos.
471. scho. 1. fi. ἑρμηνεύεται, l. ἑρμηνεύεται.
477. n. 10. init. quamuis Iosephus maluerit, l. Iosephus ait.
483. n. 2. fin. vt ducimus, lege, vt dicemus.
490. n. 7. fi. attigerent, l. attinerent.
Ibid. & intentus, lege, erat intentus.
Ibid. vt potius, lege, vt potui.
495. n. 11. fi. offeret potum, dele potum.
n. 4. init. Ismaelis, lege, Ismaëli.
512. n. 14. med. rursum, l. cursum.
516. n. 1. med. fecisque, l. ferisque.
528. in schol. 2198. lege 2249.
542. n. 38. fi. Iacobum vero, l. Iacobus.

schol. ἐννέας, l. ἐννέας. ἄνων, l. ἄνων.
547. n. 9. init. qui sine vllo, dele interiecte.
med. cum enim eru, lege, cum eius.
553. n. 3. med. Quæ duo quis, lege, quisquis.
554. n. 1. init. lege, Iacob tres suscepit liberos, vnum, &c.
Ibid. l. Aser, duos eutem ex ipsamet Lia, priori nomen, &c.
561. n. 5. init. & transmisso, l. & amne transmisso.
562. n. 11. me. ex culto, lege, ex acto.
n. 12. med. annum, lege, annon.
565. n. 24. med. posset, l. pollet.
570. n. 3. init. eodem tribu, l. eadem. Delrio hic dele, hic.
576. n. 2. & 3. Theodoretus, l. Theodotus.
583. n. 5. init. Ephratem, l. Ephratam, med. id est filiis, l. filius.
586. n. 16. fine, DCCXLII. lege, DCCXXXII.
587. n. 22. m. diuturnam, l. diuturnum.
588. n. 27. m. exutam, l. exutum.
591. n. 43. m. cur ergo adhæsit, l. non edhæsit.
593. schol. 1. Plut. l. Plin.
606. schol. Nec video cur, dele eam periodum.
609. n. 10. init. recusens, lege, recensens.
613. n. 29. fi. quoque fratrum, l. quosque.
614. sch. 3. fi. in Philone, leg. ex Phil.
615. n. 1. trigesimus sec. l. vigesimus sec.
616. n. 3. non potest, l. non posset.
618. n. 3. Iudæ filij, l. sui filij.
620. n. 5. vti fit. lege, vbi fit. Interea, dele punctum.
Ibid. nasceretur, l. nescerentur.
622. n. 1. In anno vitæ, l. in anno quadragesimo vitæ.
626. n. 14. fi. mentis, l. mentes.
628. n. 21. marg. l. Eductos.
632. n. 7. med. l. tot iam ordine seculis illustrari, &c.
633. n. 11. med. delatio, l. dilatio.
634. n. 16. fi. lachrymis, l. lachrymæ.
640. n. 47. init. inquit, lege, inquis.
643. n. 59. init. & ministris, lege, vt min.
n. 60. fi. atque de eo, l. neque de eo.
645. n. 1. Demetrius eundem, l. apud eundem.
652. n. 35. marg. series, adde, interrupte.
653. n. 37. med. de iis, l. de filiis Simeon.
655. n. 41. med. sed ipsemet, lege, Quin ipsemet.
662. n. 64. fi. & nos patres, l. & nos, & patres.
666. n. 2. fi. remuneratur, l. remunerabatur.
678. n. 23. init. plerique aut, l. plerisque.
695. schol. 1. vitæ suæ anno, l. vitæ patris anno.
697. n. 5. fi. conctus, l. conuictus.
707. n. 21. fin. obruebat, l. obstruebat.
713. n. 6. fi. æger, l. ægrè.
717. n. 7. Init. persoluerent, l. persoluant.
720. n. 4. fi. ante ininum, l. sub initium.
731. n. 3. med. l. loqui solitum, cum &c. ettigerit.
n. 4. init. quam Strabo, l. quamuis Strabo.
737. n. 14. fi. primus tamen, dele, tamen.
748. n. 5. infantusos, lege, infantulos necat.
Ibid. conciliant; siue, lege, conciliant. Adde quod, & dele vtrunque, siue, quod sequitur.